


SACRÆ ROMANÆ ROTÆ
DECISIONVM
RECENTIORVM
A PROSPERO FARINACCIO
I. C. ROMANO SELECTARVM,
NEC VNQVAM ALIAS IMPRESSARVM,
PARTIS PRIMÆ
Tomus Primus, & Secundus.

Cum Summarijs, & Indice ab eodem Auctore Illustratus.



VENETIIS, Sumptibus Bertanorum. M.DC.LXXVII.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIIS.



INDEX CAVSARVM,
IN QVIBVS FACTAE SVNT DECISIONES ROTAE ROMANAE
In hac Prima Parte
A PROSPERO FARINACCIO I. C. ROMANO COLLECTÆ.
ALPHABETICO ORDINE DIGESTVS.

A

B

C

Index Causarum.

D

E

F

G

H

I

Nea-

Index Causarum.

Ro-

S

Index Causarum.

FINIS INDICIS CAVSARVM.



DECI-



DECISIONES ROTÆ.

R. P. D. ACORAMBONO, DECANO.

Spoletana Spolij. 29. Aprilis 1558.

ARGVMENTVM.

De confessione Procuratoris, quando reuocari possit.

SVMMARIVM.

Confessio facta à Procuratore non habente mandatum reuocari potest, nu.1.
Confessio procuratoris facta in vno iudicio per verba ennunciatiua, potest in alio reuocari, nu. 2.
Confessio procuratoris à parte impugnata quandocunque reuocari potest, num.3.
Confessio procuratoris non potest in parte acceptari, & in parte non. nu.4.
Rota attendit subtilitates, sed considerat bonum ius, num.5.
Instrumentum relatiuum ad aliam scripturam non probat non constito de relato, nu.6.

DECISIO I.

1 Conclusum, confessionem potuisse reuocari, quia facta à procuratore, qui non habebat mandatum ad confitendum.
2 Deinde confessio fuit in alio iudicio facta, & verbis enunciatiuis, quæ licet facta esset ab ipsamet Communitate, tamen tunc ei nō noceret, ergo minus nocere debet confessio procuratori quo minus eā possit reuocare *iux. Rot. in nou. 19. de procur. Put. 22. de fid. inst. Mohed. 271. Boer. 281. num.5. & 8.*
3 Accedit quod pars impugnauit hanc confessionem obijciens generalia contra, vt apud *Put. 4. de fid. instr.* Vnde reuocari potest, *Franc. cap. fin. de iureiuran. in 6. num.6. & seq.*
4 Et maximè, quia si confessio illa deberet procedere esset acceptanda cum omnibus suis partibus ex quibus patet Ius Communitatis.
5 Nec dicatur tūc alio remedio agendum esse à Communitate, quoniam Rota non sequitur hac subtilitatem, sed considerat bonum Ius.
6 Et vltimo id instrumentum quo ad hanc partem, ex se non faceret fidem, quia est relatiuum, ergo reuocari potest. *Ægid. 395. quod Rota probat.*

R. P. D. GRATO.

Spoletana Spolij. Lunæ 4. Iunij 1565.

ARGVMENTVM.

De remedio capituli redintegran. quando detur contra bonæ fidei possessorem.

SVMMARIVM.

Remedium cap. redintegran. an, & quando detur contra possessorem bonæ fidei? Distingue tres casus, num. 1. & seq.

DECISIO II.

1 Tres casus distingendi sunt. Primus quando solum probatur antiqua possessio, & secundum extremum, quo casu est locus remedio c. redintegran. quod competit etiam contra bona fide possidentem, & fructuum condemnatio, & proprietas dicti remedij non procedit ex mala fide, sed ex natura remedij, quòd ita proditum est. Et ideo isto casu mala fides, quæ potest argui ex antiquiori possessione agentis spolio, purgatur spacio 30. annorum, vt per *Abb. in c. si diligenti, nu.16. de præscript.*
2 Secundus casus est, quando constaret de naturali possessione agentis spolio tempore ipsius spolij, quo casu Domini inclinare videbantur quod tunc non procederet *text. in l. fin. C. vnde vi.*
3 Tertius casus est, retentis terminis primi casus quādo concurrit fama per tempus triginta annorum, de contradictione agentis spolio, quasi tunc *d. l. fin.* non sit amplianda, aut extendenda ad hunc casum. Vltra hos tres casus superest illa difficultas, an fama inducat veram, vel præsumptam malam fidem purgabilem vel ne, spacio 30. annorum.

R. P. D. GRATO.

Spoletana Spolij. Lunæ 3. Decembris 1565.

ARGVMENTVM.

De probatione possessionis.

SVMMARIVM.

Testes probantes possessionem alicuius numquid debeant deponere de tempore possessionis, nu.1.
Dictio vsque, quid significet, nu.2.
Communitas præsumitur scire ea, quæ gesta sunt à suis officialibus, nu.3 & 4.

DECISIO III.

1 An ex dictis testiū constaret de possessione naturali Cōmunitatis de tempore ingressus Ioannis Pauli ad effectum, vt intret allegatio bonæ, vel malæ fidei, iuxta terminos *l. fin. C. vnde vi.* Fuit tentū pro communitate, quòd ea possederit paludes naturaliter vsq; ad ingressum Ioannis Pauli, quia testes ita deponunt, vt ex contextu verborum apparet. Et non obstant adducta pro hæredibus. Et primò quòd testes deponant de diuersis tēporibus, & annis, quia respōdetur, quod dicta expressio temporis non concernit

ingressum Ioannis Pauli, sed initium, quo testes in diuersis temporibus cœperunt habere notitiam possessionis Communitatis, quæ, vt ipsi deponunt durauit vsque ad ingressum Ioannis Pauli.

2 Secundo non obstat dictio vsque, quia hic concludit possessionem communitatis, quæ durauit vsque ad tempus, quo ingressus est Ioannes Paulus, & ideo dicunt vsque, quo faciunt notata per *Bald. in authent. hoc, & si omnibus col. pen. C. de fideic.*

3 Tertio non obstat, quod deponant de Prioribus, Syndicis, & alijs officialibus, & quod non constet eos esse tales, quia responsum fuit, quòd cum dictæ paludes consistant in Territorio Hispelli, & fuerit possessio continuata, & fuerint habiti pro Officialibus resultat scientia Communitatis, & maximè, quia actus isti non fuissent facti nisi ab Officiali, vt assidare animalia, cogere ad soluendum pœnas, & alia facere, ex quibus tollitur & quartum, quod ista sint iuris quia testes deponunt per verba facti.

4 Quinto non obstat, quod testes deponant de bonis particularium occupatis à Ioanne Paulo, quia fuit responsum, quòd Communitas articulauit paludes, & testes deponunt de paludibus articulatis. Accedit quod pro confinibus earum ponuntur bona particularium, quod vltimum poterit DD. Ponens ex facto clarius videre.

R. P. D. GRATO.

Spoletana Spolij. Lunæ 18. Februarij 1566.

ARGVMENTVM.

Ex possessione 30. annorum an præsumatur bona fides.

SVMMARIVM.

Bona fides præsumitur ex possessione 30. annor. num. 1.
Bona fides an præsumatur ex possessione 30. annorum, quando constat de antiquiori possessione, nu. 2. & 3.

DECISIO IV.

1 PRæsupposita resolutione DD. vltimo loco facta, quod probatur possessio naturalis Communitatis vsque ad ingressum Ioannis Pauli, An intret allegatio bonæ, vel malæ fidei, iuxta terminos *leg. fin. Cod. vnde vi.* Domini tenuerunt in hoc casu non intrare bonam fidem, *iuxta not. in dict. l. fin. Cod. vnde vi, quia Bart. ibi circa fin.* tenet, quod intret bona fides spacio 30. annorum, & quod occupans ex eo præsumatur ab initio fuisse in bona fide, quia ingressus fuit possessionem vacantem, & ita intelligunt hanc materiam Doct. qui referunt fideliter Bart. vt in pluribus locis à me annotatis.

2 Et non obstat, quòd pro parte hæredum dicitur quod nouissiuè *Couar. in c. possess. de reg. iur. in secunda part. §. 8. asserit, quod termini dictæ l. fin.* habent locum, etiamsi appareret antiquior possessor, qui etiam possideret tempore ingressus, & quod ita sentit *Bart. & alij, & specialiter Salic.* quia prout die Mercurij sequentis fuit dictum, est verum quòd *Bart. & Doct. loquuntur*, si apparet antiquior possessor, sed non dicunt, quòd possideret tempore ingressus, sed semper præsupponunt possessionem vacantem, & ita loquuntur *Bart. & sequent. Corn. Dec. Cur. Iason. & alij allegati in l. Celsus vbi Claud. de Sayss. Balb. in tertia part. col. 4. de vsucap. & per dict. Couar. vt latius allegaui in meis notis. Nec dissentit Salic. colum. prima, in pluribus locis dict. leg. fin.*

3 Est ergo intentio Scribentium, si rectè perpendatur, quod si apparet dominus, vel antiquior possessor, quorum possessio vacua fuit occupata, quod possunt intra 30. annos agere condictione *ex dict. leg. fin.* post lapsum autem triginta annorum non audiuntur & occupans præsumitur retro ab initio fuisse in bona fide, & sic mala fides præsumpta inducta per illam legem purgatur cursu triginta annorum concurrentibus duobus, videlicet, quod acceperit possessionem vacantem, & quod possederit 30. annis.

R. P. D. GRATO.

Spoletana Spolij. Lunæ 14. Aprilis 1567.

ARGVMENTVM.

De probatione metus.

SVMMARIVM.

Violenta dicitur illata, vbi constat de illatione metus, nu. 1.
Potentia alicuius probatur per testes, nu. 2.
Subditi præsumuntur consentire grauaminibus potius ex timore, quam ex voluntate, nu. 3.
Metus an ex sola viri potentia censeatur illatus, nu. 2. & 4.
Metus an probetur ex sola oppositione, nu. 5.
Violentia non purgatur, quod violentia passus non reclamauerit, nu. 6.
Testibus deponentibus verisimiliora magis credendum, n. 7.
Metus non præsumitur, nu 9. vbi quod non sufficit, quod probetur in genere, nisi etiam probetur in specie.

DECISIO. V.

1 AN Ioannes Paulus fuerit violentus spoliator, *iuxta terminos leg. si quis in tantam, Cod. vnde vi.* Conclusum ex maiori parte Dominorum, quod constet de metu, ita quòd simus in violentia, iuxta terminos *l. si quis in tantam, C. vnde vi. per not. per Bald. ibi sub nu. 19. cum seq. & Ias. in l. clam possidere, §. qui ad nundinas, nu. 31. de acquir. possess.*

2 Testes enim Communitatis probant, Hispella nos timuisse potentiam Ioanis Pauli, quæ potentia etiam probatur per eosdem testes, quod sufficit iuxta notata per *Alexan. in leg. interesse, §. si forte, sub num. 6. de acquir. possess. Ruin. cons. 28. sub nu. 10. & in cons. 42. vol. 4.*

3 Accedit, quòd sumus in subditis in quibus præsumitur, quòd ex timore magis, quam ex debito consentiant grauaminibus, *Ioan. Andr. in cap. 1. de præscript. in sexto, sub num. 2.*

4 Non obstat, quòd sola potentia non sufficiat ad inducen. metum, si non fuit deuentum ad actum inferendi metum, quia in casu nostro fuit deuentum ad actum propter occupationem Ioannis Pauli de tempore, quo Communitas possidebat naturaliter, vt alias fuit resolutum.

5 Non obstat *text. in l. metum, C. de ijs, quæ vi, metusuè caus. fiunt,* cum ibi not. quod ex sola oppositione non probetur metus, quia ea procedūt in probatione metus pro annullatione actus, secus quando tractatur de possessione ciuili, quæ solo animo amittitur.

6 Non obstat, quòd Communitas non reclamauerit post obitum Ioannis Pauli, quia non propter hoc excusatur violentia à principio perpetrata, & tunc non erant ijdem homines Communitatis, vel fortè sciebant ius suum durare.

7 Non obstant testes hæredum super publico auditu concessionis factæ per Communitatem, quia in contrarium adsunt testes Communitatis, qui videntur deponere verisimiliora stante superioritate, potentia, & terribilitate Ioannis Pauli probata, vltra quod iam in actis fuit producta ista concessio, & pars noluit acceptare.

8 Non obstat quòd excusetur ex fumo, quia non dicitur hoc procedere quoad ipsum occupantem, sed quo ad tertium.

9 Hinc cessat, quod metus non præsumatur, vt per Soc.

Soc. iun.cons.67. num.37. vol.2. & quod ista depositio in genere, de metu non sufficit, vt per *Ias. in cons.72. vol. 1.* quia probatur ex testibus sine difficultate metus, fuit tamen dictum, vt videatur, si Ioan. Paulus excusetur, quod non animo vim inferendi occupauit, sed ad bonum finem,& ex iusta causa propter desiccationem paludum, propter salubritatem aeris.

R. P. D. GRATO.

Spoletona Spolij. Veneris 13. Iunij 1567.

ARGVMENTVM.

Melioramentum quando dicatur necessarium.

SVMMARIVM.

Melioramenta non dicuntur necessaria quando sine illis Terræ non essent perituræ, aut deteriores fiendæ, num.1. & 2.
Dictio, Quæ, accipitur disiunctiuè, & non copulatiuè, nu.3.
Necessariæ dicuntur impensæ aggeres vitium, & arborum plantatio, & seminatio. Declara, vt nu.4.

DECISIO VI.

1 PRæsupposito quòd paludes,de quibus agitur tempore inuasionis Ioannis Pauli non essent loca, quæ colerentur, sed ex eis absque cultura percipiebatur fænum, & scartia, & deseruiebant pro pauscuis animalium, & quod sine veri præiudicio Ioannes Paulus exiccauerit dictas paludes, & construxerit magnum Palatium, & certas domos, & capannas. Et vlterius plantauerit de nouo arbores, videlicet salices, & vites, Au prædictæ impensæ dicantur necessariæ in casu, de quo agitur.

2 Conclusum, quòd non sint meliamenta necessaria, cum sine cultura paludes non essent perituræ,aut deteriores fiendæ, *ad text. in l. impensæ, de verb. signif. in l.1. de imp. in re dot. fact. ibi*, quæ habent in se necessitatem impendendi.

3 Non obstat *text. in l. vtiles, de pet. hæred.* quia ibi dictio (quæ) capi debet pro disiunctiua *l.sæpè, de verb. signif.* & quod ibi noualia sint vtilia, sentit *gl. in l. veluti de imp. in re dot. fact.* quæ licet transeat ad alias solutiones, & Doct. teneant vltimam, id est, interminis *l. veluti sed non per hoc sequitur, quin stet expositio gl. iuxta terminos l. vtiles, quam etiam ita intellexit ibi Odofred. in princ. vers. Sed quæ dicuntur impensæ Ruin. consil. 133. nu.13. vol.1. facit gl. in l.diuortio. §.fin. solut. matr.in vers. Necessario. vbi*, si nouam villam necessario extruxerit, *gl. exponit*, id est, vtiliter, quia hæc non est necessaria impensa.

4 Non obstat, quòd aggeres plantatio Vitium, & arborum, ac semina, sint necessariæ impensæ *l. 3. de impens. in re dot.fact. & iuxta not.in d.l. diuortio, §.impendia Ruin. cons.127. num.2. vol.1.* quia omnia procedunt in cultis,in quibus si hæc omittãtur res fit deterior,etiã ob id sunt necessaria, cum tripliciter impensæ dicantur necessariæ, respectu rei,personæ,& mixtæ,vt per *Alber.in l.1. nu.2. & 3.de imp.in re dot. fact.* sicut dicitur de molendino in mari,quod est necessarium pro agro vt coloni ibi habitent, cum alias ager esset deterior, vt per *Aug. in dict. leg. 1. §. inter necessarias, de imp. in re dot. fact.*

R. P. D. GRATO.

Spoletana Spolij. Veneris 23. Ianuarij 1568.

ARGVMENTVM.

Melioramenta quando dicuntur facta ad publicam vtilitatem, præsertim quando censeantur paludex, ex quarum exiccatione aer purificatur.

SVMMARIVM.

Melioramenta, seu expensæ, quando dicantur necessaria, & ad publicam vtilitatem facta, nu.1. & per tot. decis.
Melioramenta an dicantur necessaria, attenditur semper id, quod principaliter fit, & ad cuius commodum expensæ, & melioramenta fiunt, nu.2.
Melioramenta dicuntur necessaria,in quibus exiccantur paludes, num.3. & seqq. & nu.11.
Testes quomodo debent deponere super melioramentis, quæ præsumuntur facta ad publicam vtilitatem, nu. 6. & seq.
Melioramenta, & expensas faciens in re aliena, illa non repetit, num.8.
Alienare qui non potest, nec etiam potest confiteri aliquid, quod tendit ad alienandum, num.9.

DECISIO VII.

1 FVuit conclusum, dictas expensas seu melioramenta non esse factas ad publicam vtilitatem Terræ Hispelli, sed ad vtilitatem Ioannis Pauli. Primo per articulum hæredum, vbi primo loco dicitur, Ioannem Paulum desiccasse ad suam vtilitatem. Secundo ex depositione plurium testium idem deponentium. Tertio ex prima propositione facta in Consilio, in qua Communitas obtulit modicum, & Ioannes Paulus non acceptauit, vt apparet ex alia propositione, quod acceptasset si desiccationem fecisset ad vtilitatem dictæ Terræ. Quarto ex verisimili, quia cum Ioannes Paulus esset Dominus dictæ Terræ facile erat ei persuadere Communitati, quod huic operi consentiret propter eius vniuersale commodum, & non erat opus eam spoliare, prout fuit resolutum.

2 Nec obstat quatenus dicitur, quod potuit fecisse ad suam, & dictæ Terræ vtilitatem, quia in ista materia attenditur, quod principaliter fit, *Gl. not.in l.si vero, ff. ex quibus caus. mat.* Cum ergo dicitur fecisse ad suam, & communem vtilitatem iudicatur fecisse principaliter ad suum commodum.

3 Secundo principaliter dicitur, quod publica vtilitas versabatur, quia aer ex desiccatione effectus fuisset melior. Sed respondetur, hoc non probari, quia testes allegati pro hæredibus non adducunt causam scientiæ. Secundo, quia testes Communitatis plures dicunt contrarium.

4 Tertio, quia testes volentes probare aerem effectum meliorem, debebant deponere quod durantibus paludibus homines Terræ Hispelli infirmabantur, non consenescebant, habebant malum colorem, discedebant à dicto loco, & alij non veniebant ad habitan. ibi, & similia, & quod facta desiccatione prædicta cessauerant, vt colligitur ex latè traditis in propos. per *Rip. de peste. in proxm. q. 5. num.10. & de remed. præseruat. in 1. col. nu.4. & 5.*

5 Quarto, quia testes hæredum similiter loquentes possunt intelligi solum de loco, in quo erant paludes vnde non necessario infertur ad aerẽ Terræ Hispelli.

6 Quinto principaliter deducebatur publica vtilitas ex fertilitate frugum, sed respondetur quod hæc non probatur, quia testes volentes probare publicã vtilitatẽ consistentem in abundantia frugũ, debebant deponere quòd durantibus paludibus Terra Hispelli indigebat frugibus, & quod cogebatur eas extra carius comparare, & quod carius vendebantur, quæ omnia cessabant facta desiccatione, quæ testes nõ deponunt.

7 Præterea dicebant Domini, quòd hæc vtilitas erat modica, & à remotis, & incerta, quia Ioannes Paulus cum esset Dominus, & potens, poterat frumentum ad sui libitum asportare extra Terram Hispelli, & vendere in Ciuitate Fulginei, & alijs locis, in quibus cariùs vendebatur.

8 Et confirmantur præfata, quia si huiusmodi vtilitas attenderetur, quilibet ædificans, vel inserens, vel seminans in re aliena posset expensas recupe-

tare contra *not. in l. in fundo. de rei vend. in leg. si in area. de cond. indeb. instit. de rerum diuis. in §. certe in praecedentibus §. cum concordan.* in quibus ex cōmuni Doct. sententia in hac materia fiunt plures distinctiones, quæ superfluæ essent, si huiusmodi vtilitas attenderetur.

9 Et tenendo hanc conclusionem non obstant primi testes hæredum, quia eliduntur ex supradictis.

Secundo non obstant duæ propositiones Consilij, quia vltra responsiones datas in Informatione Communitatis fuit dictum, quod Consilium non potest alienare bona Communitatis sine certis solennitatibus, de quibus *in l. fin. C. de reb. Ciuit. vend.* Vnde non possunt confiteri illud, quod tendit ad alienandum, *iuxta l. si fortè. ff. de Castr. pec. Doct. latè in l. si donatione, C. de collat.*

10 Tertio non obstat *l. qui agros, C. de omni agr. deserto, quia ille text.* loquitur in prædijs tributarijs, vt ibi notabiliter per *Ioan. de Plat.* & in agris cultis, sed postea à Dominis desertis, quales non sunt isti, qui non apparent Tributarij, nec per communitatem deserti, cum ipsa colligeret fœnum, scartias, haberet pauscua & in aliqua parte fruges seminarentur, vt deposuerunt testes Communitatis.

11 Quarto non obstat *l. fin. C. de alluuion.* quia loquitur in possessoribus exiccantibus, vt non grauentur functionibus, qui termini non conueniunt huic casui.

REVERENDISS. P. D. ORIOLEN.

Spoletana Spolij, Veneris 23. Iunij. 1572.

ARGVMENTVM.

Exceptio criminis, & præsertim oriens ex *leg. si quis in tantam, & in l. meminerint. Cod. vnde vi. an,* & quando opponi possit aduersus agentem spolio, & in iudicio possessorio.

SVMMARIVM.

Pœna leg. si quis in tantam, C. vnde vi. non inducitur ipso iure, sed requiritur sententia, num. 1. & per tot.
Pœna priuationis imposita à lege non intelligitur ipso iure imposita, num. 2.
Sententia est necessaria in iudicio possessorio, num. 2.
Exceptio criminis quæ non priuat ipso iure non admittitur in iudicio spolij. Declara vt num. 3. & 4. & seq.
Reus audiendus est super omni eo, quod facit deficere actionem, num. 8.

DECISIO VIII.

1 QVo ad *l. si quis in tantam, & leg. meminerint,* placuit Dominis responsio aliàs data, quod ista iura non inducunt priuationem ipso iure, sed requiritur sententia priuatoria, vt ibi per *gloss. in verb. amittant. vt per Bart. Bald. Ang. & Salic. post Odofr. & Azon. ibidem in Summa, Alex. in l. naturaliter, §. nihil commune, col. 7. num. 14. & remed. de acquir. possess. Imol. in c. pastoralis, nu. 16. & 20. in gloss. pen. de caus. possess. Ruin. cons. 42. num. 11. lib. 4. & communem dicit Rip. in cap. sæpè, num. 99. de rest. spol. Tiraquell. in verb. reuertatur, num. 32. Cod. de reuocat. donat.* & alij in informationibus 23. Iunij allegati.

2 Et facit quod pœna priuationis à lege imposita non intelligitur ipso iure, *gloss. in capit.* 1. & ibi sequuntur omnes de Sagittar. cum alijs per *Achil. de pœnis dist. 1. Anchar. cons. 145. nu. 3.* Ideo cum sit necessaria sententia non licet in isto iudicio possessorio, & multo minus in exequutione illius opponere de tali pœna *Alexan. in l. naturaliter, §. nihil commune, col. 7. num. 14. post med. de acquir. possess. & cons. 78. num. 3. lib. 3. Abb. in d. cap. pastoralis num. 23. Ruin. dict. consil. 42. num. 11. & consil. 43. num. 15. lib. 4. post Butr. & alios inquit Socin. post Abb. & alios in l. rem quæ nobis in fin.* quæ non potest in isto iudicio pronunciari super amissione dominij, & plures refert *Menoch. in tractat. de recuper. possess. in 15. remed. num. 639.*

3 Item facit, quod in isto iudicio spolij non admittitur exceptio criminis, quæ non priuat ipso iure, *Abb. in cap. Item cum quis, num. 9. de restit. spol. & ibidem Bero. nu. 44.* Et eodem modo responderunt ad constitutionem Ægidianam allegatam de vi turbatiua; Quia dicebant, quod in pœna imposita per eam in possessione, & dominio est intelligenda per sententiam priuatoriam, ex quo non dicit expresse ipso iure amittant per ea, quæ supra allegantur. Item aliqui dicebant, quod non est Constitutio Ægidij, & saltem de hoc non liquet an sit Ægidij, vel ne. Et quando esset talis non releuat, cum non inducat pœnam ipso iure, vt supra dixi.

4 Non obstat *Feder. de Sen. cons. 48. & Bald. in Authen. Statuimus num. 1. Cod. de Episcop. & Cler. quia loquitur Feder. in spoliatore agente ad rem contra spoliatum restitutum.* Nam tunc benè potest spoliatus restitutus opponere ad impediendam restitutionem rei de *dict. leg. si quis* in tantam non quod amiserit dominium, sed quod priuetur, vt benè declarat *Imol. in dict. cap. pastoralis, in fin.*

5 Et quidem est probanda violentia de nouo. Nam non sufficiunt probationes facere in iudicio spolij, etiam inter easdem partes, vt benè aduertit *Abb. in d. cap. pastoralis, num. 23. & tradit Dec. post alios in l. 2. num. 62. C. de eden.* Sed in casu isto licèt Communitas spoliauerit, & agat contra spoliatum restitutum, tamen non agit ad rem, sed ad possessionem, & purgationem primi spolij, & sic intrat quod supra dixi, quod in iudicio spolij non intrat dicta exceptio *dict. leg. si quis in tantam, vt per Alex. & alios supra allegatos.* Item non constat de violentia, nisi ex probationibus factis in iudicio spolij quod tendit ad alium finem vt supra dixi.

6 Non obstat ratio *Federic. de Sen. & Bald.* quod non refert, an quis sit de crimine condemnatus per sententiam, aut per testes conuictus, quoniam hoc procedit in materia repellendi testes à testimonio, & similibus materijs, de quibus cum pluribus limitationibus, & restrictionibus agit *Felin. in c. super eo. & in c. testimonium, de testibus,* sed non in materia spolij, quæ habet diuersas regulas, & in specie, quod non potest impediri restitutio prætextu istius criminis violentiæ, vt per *Alex. in l. naturaliter, §. nihil commune, num. 14. post Butr. Abb. & Ruin. supra allegat. & in c. item cum quis, de rest. spoliat.*

7 Non obstat alia ratio Feder. quod potest opponi exceptio criminis, quæ tendit ad coadiuuandam retentionem rei propriæ, licet non sit pronunciatum super illa, quia allegata per eum non loquuntur in spolio, in quo est contrarium statutum in odium spoliantis.

8 Non obstat quod Reus est audiendus super omni eo, quod facit deficere actionem spolij, quia in isto casu actio spolij non amittitur, *per d. l. si quis in tantam* Item non amittitur ipso iure, sed per sententiam. Ideo ista exceptio non admittitur in isto iudicio.

9 Placebant etiam Dominis quo ad dictas pœnas ea, quæ 23. Iunij dicebantur ad excusandam vniuersitatem, quod viuente Domina Francisca, quæ possidebat Paludes, Communitas non acquisiuit possessionē quia non eiecit colonos, & hæredes 24. Iulij acquisiuerint possessionem per instrumentum, & obtinuerunt in vltimo spolio, ex quo apparet clarè, quod viuente Domina Francisca Cōmunitas non acquisiuit possessionem nisi de mense Augusti 1556. De quo dicta Domina Francisca iā abierat, & de eo tēpore communitas iustè potuit credere, quòd possessio vacabat quia etiāsi Paludes fuissent concessæ ad tertiā generationē per obitū Dominæ Franciscæ, possessio vacaret & iustè

& iustè potuit credere Vniuersitas quòd hæredes non occupassent.

10 Placebat etiam, quod aliàs dicebatur de inuasione rei propriæ consultis peritis per allegata in alia positione. Fuit etiam actum de eo an esset dandum mandatum, vel ferenda sententia.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. CAROLO LANCELLOTTO. Seniore.

Carthaginen. Iurisdictionis Lunæ 26. Octob. 1579.

ARGVMENTVM.

Episcopus in causis criminalibus arduis tenetur requirere consilium Capituli, sed numquid teneatur illud sequi? Referuntur Doctores, & rationes hinc inde contrariæ, & nihil firmatur.

SVMMARIVM.

Episcopus in causis criminalibus, & in correctione requirere debet consilium, & præsentiam Capituli, illud tamen sequi non cogitur, nu. 1.

Episcopus in criminalibus, & in correctione non solùm tenetur requirere consilium, & præsentiam Capituli, sed etiam tenetur illud sequi, quando sumus in ordinarijs, nu. 1. & seq. Contra, nu. 3. & seq. In hac contrarietate Rota nihil resoluit, nu. 7. & seq.

DECISIO IX.

1 POstquam die Lunæ 19. Octobris 1570. fuit firmata regula in fauorem Episcopi, videlicet, quòd in causis criminalibus, & in correctione etiam Capitularium, licet Episcopus debeat requirere consilium & præsentiam Capituli, illud tamen sequi non debet, fuit ordinatum vt videretur.

An dicta regula sit limitanda in arduis; Propterea die 26. eiusdem mensis proposui causam super dicta limitatione; in qua aliqui tenebant opinionem affirmatiuam, & mouebantur ex auctoritate *Innoc. in c. 1. de excess. Prælat* qui videtur tenere hanc opinionem, prout eum ita referunt *Doct. in cap. nomen 2. q. 1. vbi Archid. post Hug. & Gemin. Ægid. Præpos.* qui clarè sequuntur hanc opinionem, quam etiam sequuntur *Doctor. in cap. 1. de excess. Prælat. vbi Archid. nu. 6.* inquit quòd hæc opinio est vera de iure, prout etiam dicit *Anton. de Butr. num. 9.* subdens, nisi Capitulum præscripsisset *Abb. num. 2. & Socin. num. 13.* vbi sequitur Dominum suum scilicet *Innoc. Henric. Boich. vbi alleg. Asten. libr. 7. in tit. de susp. & interd. in 8. art. vers. Non debet Imol. in c. quanto, & in c. nouit. de his quæ fiunt à Prælat. Felin. in c. irrefragabili in princ. de off. ord. & in c. fin. §. hic autem nu. 4. de offic. deleg.* & ista fuit originalis opinio glossarum, vt benè deducit *Acchil. in decis. vnic. de Episc. & est glos. in d. cap. 1. de excess. Prælat. in verb. Capituli, & fundatur in d. c. quanto*, inducendo hoc modo, videlicet, quod sicut in prima parte verbum Consilium, debet exponi pro consensu, ita etiam exponi debet in secunda parte, cum ista æquiparentur in illo *textu*, *probatur etiam in c. subnectitur. dist. 21. de quo per Ægid. in c. Episcopus nullius, 15. q. 7.*

2 Mouebantur etiam tenentes hanc opinionem per rationes, quas succinctè tangit *Innoc. & Ægid. in d. c. Episcopus nullius, nu. 4. circa med.* præsertim, quia cum agatur de statu hominis, est cautius agendum; & vbi agitur de mutilatione membri istius corporis scilicet Episcopi, & Capituli, dicitur agi de interesse totius corporis, & per consequens ipsius Capituli, vnde eius consensus debet requiri, quia quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. Confirmatur etiam hæc opinio, eo quia omnes *Doct. post Hostiens. in d. cap. 1. de excess. Prælat.* concludunt, quod vbi Episcopus, & Capitulum dissentiunt, standum est determinationi Episcopi, nisi aliud rationabile obstet, & sic videntur præsupponere requiri consensum Capituli, & illud esse sequendum, vbi ratio suadet. Et militat contra Episcopum, quia si non teneretur requirere consilium Capituli, non daretur iste concursus circa dissensum vtriusque, & Doct. qui dicunt non esse sequendum consilium, vt per *Abb. in cap. non potest. de re iud. & per Collect. in cap. si quis contra. de for. compet. & ibi Ægid.* videntur id velle simpliciter, & non in grauibus; vel debet intelligi, vt id procedat, quando ratio facit pro Episcopo, & non pro Capitulo. Consideratio quæ fit de consilio, & præsentia Capituli non placebat istis Dominis tenentibus hanc opinionem, quia non concludit nisi passiuè respectu Capituli, non autem respectu Episcopi, vt teneatur illud sequi.

3 CONTRARIAM AVTEM opinionem tenebat maior pars Dominorum, & mouebantur ex *Innoc. in dict. cap. 1.* qui loquitur prius de consensu, & postea de consilio, & ponderabant, quòd Iura allegata per ipsum concludunt tantum in consilio. *Et Ioan. Andr. in cap. ad abolendam, colum. 2. in princ. de Hæret. vbi dicit* quòd in arduis Episcopus requirit consilium, licet non expectet consensum, *Archid. in cap. si quis 15. q. 8.* videtur residere in hac opinione, dum inquit, quòd quia sunt ardua non debet sine consilio *Henric. Boic. in d. cap. 1.* idem videtur tenere extra certos ibi expressos casus, & ibi *Card. loquitur de consilio Butr.* etiam ibi dum dicit, quòd causa hæresis non auditur sine consilio Capituli, *Bero. in cap. qualiter, & quando il 2. de accus. num. 17. & 18.*

4 Et quia multi Doctores promiscuè loquuntur de consensu, & de consilio, Ideo isti Domini distinguebant inter ardua, seu magna, & non ardua, seu non magna; vt scilicet in arduis, & magnis requiratur consilium Capituli, vbi contrarium non est expressè dispositum, vel vbi non agitur de interesse Capituli, puta quia negotium sit commune, vel non sint subditi Capitulo, & in similibus: in non arduis seu in non magnis verò, in quibus etiam cessarent supradictæ qualitates, solus Episcopus possit sine consilio Capituli; mouebantur *per d. c. 1. vbi est bonus text.* loquens in criminalibus, & vult quod Episcopus possit liberè procedere, & licet illud verbum liberè, non tolat solennitatem inductam à Iure, vt ibi *Doct. & Alciat. num.... in 3. not.* tamen in iure non reperitur cautum nisi de consilio, *vt in c. nouit. & cap. quanto, de his quæ fiunt à Prælatis*, prout etiam innuit illa rubr. Præterea facit, quia Episcopus est caput, & sponsus Ecclesiæ, & penes ipsum regulariter residet Iurisdictio, & potestas corrigendi, & castigandi etiam Canonicos ipsos, vt per *Corn. in cons. 193. vol....*

5 Nec Capitulum potest dici coniudex, vel consors cum Episcopo, quamuis de iure in pluribus debeat Capitulum dare consilium, *vt per Rip. in c. 1. nu. 5. & 6. de iudic.* cum in his, in quibus debet requirere consensum sit consors, vt per *Felin. in c. pen. in fin. de const.* Accedit etiam quia *Doct. in cap. quanto, vbi præcipuè Innoc. & Card. in vers. negotijs supplet illum tex.* qui loquitur in consilio, vt scilicet procedat in magnis, & sequuntur omnes ibi. In alijs verò quod non requiratur etiam consilium, idem *Ioan. Monach. in c. 3. de consuet. in 6.* qui licet quo ad præscriptionem sit reprobatus, tamen in hac distinctione de arduis, & nõ arduis non est reprobatus, & idem ibi notat *Io. Andr. Archid. Anton. de Butr. Gem. & Franc. in c. 1. de Hæret. in 6.* Addebant etiã quòd *Doct. in c. 1. de excess. Prælat.* promiscuè loquuntur de consilio & consensu, & allegant iura, quæ loquũtur de cõsilio solũ faciũt vim, An solus vel ne Episcopus sine Capitulo procedere possit, & promiscuè capiũt consensũ pro cõsilio; Nec obstat; quod *Hostiens.* quem alij sequuntur adducat illud de voce, vt Præ-

vt Prælatus, quia loquitur in casu, in quo Capitulum est consors, vel quando res est communis, quia cum dicat de iure, præsupponit, quod omnes tangat; sed in his, in quibus non est consors, & coæqualis constituit regulam quod potest Episcopus, præsupponendo tamen solennia, & sic consilium.

6 Pro hac etiam opinione considerabatur, quòd cum Episcopus sit caput, & non est consors, nec coæqualis Capitulo, si requireretur consensus Capituli, in effectu non solum fieret æque principalis, sed maior; quia sine maiori parte non posset Episcopus aliquid facere.

7 IN HAC IGITVR varietate opinionum, & propter grauitatem, & exemplaritatem huius articuli non fuit capta aliqua resolutio, quia Domini volunt, quod materia benè discutiatur, propterea ordinarunt quod moneam Informantes, vt informent, primo super auctoritatibus Doctorum, numerando Doctores, qui tenuerunt vnam, vel alteram opinionem; postea in alia positione informent super rationibus dictarum opinionum, vt sic possit fieri bona resolutio, fundata in auctoritatibus, & rationibus, postquam non habemus certa Iura determinantia hanc controuersiam.

Sabbati 23. Ianuarij. 1580.

8 FVIT proposita causa ex ordine dato per Dominos die 19. octobris 1579. super auctoritatibus Doctorum tenentium vnam, vel alteram opinionem circa veritatem limitationis concernentis negotia ardua: & Domini visis diligenter auctoritatibus adductis hic per informantes, & alijs quas diligenti eorum studio inuenerunt, dixerunt quòd Doctores in hac materia multum confusè, & obscurè loquuti fuerint, & quod nonnulli capiunt consilium pro cōsensu, nonnulli verò contra: & quod alij non modo requirunt consilium, sed etiam consensum; alij verò solo consilio contentantur & quod pauci sunt, qui clarè loquantur, propterea nihil potuit quo ad auctoritates firmari. Sed visis rationibus, postea deliberabunt super ista limitatione.

Veneris 15. Aprilis 1580.

9 FVIT propositum idem dubium, & fuit facta resolutio, vt videatur, an probetur sufficiens consuetudo pro parte Capituli.

R. P. D. BRAVO.

Perusina Bonorum de Herculanis 22. April. 1580.

ARGVMENTVM.

Fideicommissum simplex, perpetuum, & absolutum, censetur inductum per prohibitionem alienationis, adiecta ratione, vt bona perpetuò remaneant in familia.

SVMMARIVM.

Fideicommissum simplex etiam in casu mortis inter descendentes ex familia per lineam masculinam censetur inductū quando testator prohibuit alienationem, ea ratione expressa, vt in familia bona sua perpetuo conseruarentur, nu. 1. & seqq. & nu. 7. & nu. 9.

Prohibitio alienationis adiecta in testamento per viam rationis sufficit ad inducendum absolutum, & perpetuum fideicommissum, nu. 2. Declara, vt nu. 7. & seqq.

Ratio ampliat dictum, & disponit prout disponere solent verba, nu. 2.

Expressum dicitur, quod sub ratione comprehenditur, nu. 3.

Fideicommissum ampliatur, & declaratur ex ratione, qua fuit motus testator, nu. 3.

Fideicommissum relictum in fauorem familiæ, censetur perpetuum, & absolutum, & hoc casu omnes de familia ordine successiuo censentur vocati, nu. 4.

Descendentium appellatione veniunt omnes descendentes in infinitum, nu. 4.

Verbum perpetuum sine præfinitione temporis interpretandum est, nu. 5.

Verba vniuersalia in prohibitione alienationis comprehendunt omnem alienationem in vita, & in vltima voluntate faciendam, nu. 6.

Testatoris voluntas interpretanda est secundum ea, quæ interrogatus verisimiliter respondisset, nu. 8.

Confiscari non possunt bona prohibita alienari, nu. 9.

DECISIO. X.

1 IN causa Perusina Bonorum fuit tentum, ex testamento Vincentij de Herculanis fuisse inductum simplex, & absolutum fideicommissum in casu, de quo agitur. Mouit Dominos, quia testator prohibuit alienationem ea ratione expressa, vt in familia bona sua perpetuò conseruarentur, ex cuius rationis expressione inducitur simplex fideicommissum etiam in casu mortis inter descendentes ex familia per lineā masculinam de Herculanis ex his, qui vocati sunt à testatore, vt benè *Bart. & omnes in l. qui Rome, §. cohæredes, ff. de verbor. obligat. Idem Bart. in l. pater filium, §. fundum Titianum ff. de l. 3. Cur. iun. cons. 145. nu. 8. cum seq. Bene Cels. cons. 20. num. 41. Gabriel. de fideicommiss. concl. 9. nu. 10. 12. & 37. Couar. in cap. Raynaldus. in princ. num. 9. de testam.*

2 Et ipsa ratio sufficit etiam sine prohibitione alienationis, vt inducatur absolutum fideicommissum, & perpetuum, vt bene *Dec. cons. 371. num. 6. Socin. iun. cons. 181. num. 39. lib. 2. Dec. in l. qui se patris, C. vnde liber. Aym. cons. 13. num. 10.* Qui enim vult consequens, videtur etiam antecedens considerasse. Et facit, quia ratio sic disponit, prout disponere solet verba, *l. empt. §. fin. de rei vendic. Benè Fortun. in l. Gallus, §. idem credendum, n. 19. ff. de liber. & posth.* vbi inquit, quod quāuis verba dispositiua non decidant casum propriè, si tamen ratio dispositionis illud determinet, talis casus dicitur propriè in dispositione comprehensus.

3 Quibus adijcitur, expressum dici, quod sub ratione comprehenditur, *l. quæsitum scio. ff. de testib. l. si postulauerit, §. sed si negauerit ff. de adult. Tiraquel. in l. si vnquam in verbo, susceperat liberos, nu. 37. C. de reuoc. donat. Rolan. cons. 27. nu. 6. & 7.* Et fideicommissum ampliatur & declaratur ex ratione, qua fuit motus testator *leg. cum pater §. dulcissimis, ff. de l. 2. l. nomen debitoris, §. final. de leg. 3. Vbi omnes, Curt. sen. cons. 43. & 44. Socin. cons. 77. num. 2. lib. 3.*

4 Suadetque secundo istam partem, quia cum fideicommissum partes fateantur, sed contendant an inter viuos, vel in casu mortis, apparet clarè fuisse absolutum ex eo, quia familiæ de Herculanis relictum est, & ita perpetuum, & non temporale censendum est, vt dixit *Bald. in l. quod vero contra. ff. de l. Laurus de Palatijs,* de Statuto excludente feminas propter masculos, 2. *nu. 25. Loazzes in l. filiusfamilias, §. Diui. ff. de leg. 2. Crau. cons. 113. nu. 5* & eo casu omnes de familiæ ordine successiuo censentur vocati ad fideicommissum *l. peto. §. fratre ff. de l. 2.*

Nisi alia sit forma à testatore perscripta, vt in isto casu, vbi non omnes. Sed Io. Baptista, Antonius, Felix & Posthumus fuerunt æquis portionibus vocati, & alij ex eis descendentes per lineam masculinam, & descendentium appellatione veniunt omnes in infinitum, *l. vltim. C. de suis, & legit. hæred. Alex. cons. 160. libr. 2. Ruin. cons. 92. lib. 2. Gozzadin. cons. 20. nu. 2.*

5 Iuuantque prædicta verba illa (in perpetuum) quæ sine præfinitione temporis sint interpretanda *leg. iurisperitus, ff. de excusat. tut. leg. qui saltum, ff. de leg. 3. Iason. in leg. videamus, §. deferre. ff. de in liter. iur. num. 8.*

num.8. & 9.Parif.cons.72.n.85.lib.4.Grat.cons.31.n.24.lib.2. Port lib.1.com.opin.reg.27.

6 Confirmantque verba illa (durent, sint, & conseruentur) & superius apposita verba (modo aliquo alienare) quæ comprehendunt omnem alienationem in vita, & in vltima voluntate faciendam, cum sint verba vniuersalia, per *Gabriel.de fideicommiss. concl.9. n. 14.& conclus.10.n.5.& benè Aym.cons.227.n.13.*

7 Ex quibus cessant, quæ alias pro D. Barnabea dicebantur, in quibus non concurrunt, quæ hic testator se ipsum declarans expressit,& non sumus in simplici prohibitionem alienationis,vt ex hoc possit dici inductum fideicommissum in casum alienationis tantum inter viuos, cum versemur in prohibitione alienationis vniuersali cum expressione rationis dispositiuæ, vt bona conseruentur in perpetuum in familia.

Non obstat, quod ex illis verbis vendere, alienare, & ex permissione alienationis in casu necessitatis, dicta prohibitio restringatur ad alienationem inter viuos,ad trad. per *Ias.cons. 175. in responsione ad quintum fundamentum. lib.2.Soc.iun. consil. 163. in fine lib. 2.* Quia fuit responsum, hoc non posse fieri tum ex ipsa ratione generali, quæ militat inter viuos, & in vltima voluntate,tum etiam stantibus verbis (in perpetuum durent, & conseruentur) & verbum descendentibus, & tota dispositio ab ista ratione, & eius verbis regulari debet, ampliarique. Alias enim non satisfieret menti testatoris, si in vltima voluntate permitteretur alienatio,eiusque dispositio esset summè elusoria, & minimè prouidisset descendentibus de familia de Herculanis, quod tantopere testator desiderauit, possetque summa etiam cum ratione à sapientibus reprehendi talis dispositio,quod iura abhorrent. *arg. l.Saluius Arist.ff.de leg.præstan. Facit l.nam absurdum.ff.de bon.lib.* vacatque argumentum à contrario,vbi absurdum resultat. *l.2.C.de condit.inser.*

8 Et iste testator procul dubio interrogatus haud diceret hæreditatem suam velle ad extraneos peruenire, & ita talis interpretatio excludenda est *leg. cum res.ff.de l.1.l.cum seruus, vers. Namq;ipse verius.ff.de cond. & demonstr.* Et ratio non enunciatiuè sed dispositiuè principaliter est apposita, vt ex ipsa const. Non enim versamur in terminis *l. pater filium. §. fundum Titianum. ff.de leg.3.in vers. Ita enim fiet*, vt fundus Titianus de nomine vestro nunquam exeat. Ibi enim non per modum rationis,sed solum fuerunt verba renunciatiua cuiusdam futuri euentus,quem testator ex sua dispositione euenturum sperabat, vt per *Bart.in d.§.fundum Titianum*, & ibi omnes,& bene *Ruin.cons.89.n.22.l. 2. Iason.cons.96.li.4.Loazzes in l.filius familias.§.Diui n.48. ff.de leg.1.consil.Alex.59. lib.1.* non applicatur, quia hic vltra prohibitionem alienationis vniuersalis, & permissionem in casu necessitatis iudicandæ per personas designatas à testatore, ipse vltra progressus est suam enixam voluntatem declarans.

9 Minus facit argumentum desumptum ex versiculo, & pari ratione. Potius enim facit pro Dominis de Herculanis, cum testator ita volerit bona in descendentibus de familia de Herculanis conseruari, vt nec vsumfructum ad fiscum posse peruenire cauerit, si aliquis ex possessoribus suorum bonorum crimen dignum confiscatione bonorum perpetrauerit, non contentus sola prohibitione alienationis, quæ alias de per se sufficeret ad exclusionem *l. Statius Florus. §. Cornelio Felic.ff.de iur.fisc.per Bart.in l.Imperat.ad Trebell. Ant. Rub.cons.154.Gram.dec.105.n.31.Clar.in pract.crim.§. fi.quæst.78.vers. item quæro.* Ex quibus facile diluuntur omnia adducta pro parte D. Barnabeæ, ac ex verbis, & mente inductum fuisse patet, fidei commissum omni casu, & tempore inter viuos,& in vltima voluntate.

R. P. D. BRAVO.

Perusina Bonorum de Herculanis. 30.Maij 1580.

ARGVMENTVM.

Fideicommissum simplex, absolutum, & perpetuum etiam in casu mortis quando censeatur inductum per prohibitionem alienationis.

SVMMARIVM.

Fideicommissum etiam in casu mortis per prohibitionem alienationis, quando censeatur inductum. Distingue, vt num.1. & seq.

Prohibitio alienationis quando contineat alienationem non solum inter viuos, sed etiam in vltima voluntate. Distingue vt n.1.& seq.

Verbum perpetuo adiectum in prohibitione alienationis quomodo interpretandum sit n.3.

Fideicommissum quando censeatur inductum ex eo quod testator voluit bona sua conseruari in familia. n.4.

DECISIO. XI.

1 Domini eadem concordia steterunt in decisis.Nec refragantur deducta pro parte D. Barnabeæ, & in primis consil. *Alexan. 59.n.5.in fin.& num.6.lib.3.quem sequitur Socin iun.cons.163. num.32. & seqq. lib.2. & Ruin. in §.Diui. l. filiusfamilias num. 79. vers. Et quia.ff.de leg. 1. Quia cons. Alex.* non applicatur, & est dubium, cum ibi testator prohibuerit filios suos posse alienare aliqua bona iura, & actiones hæreditatis suæ, nisi cum licentia, consensu, & voluntate D.Constantiæ. Ex quibus verbis satis deprehenditur sensisse testatorem de donatione inter viuos, non de alienatione in testamento, quæ non potest pendere ex alterius arbitrio, iuribus vulgaribus. Secus in casu nostro,in quo testator sensit de quacunque alienatione, tam inter viuos,quàm in vltima voluntate,vt patet ex illis verbis (modo aliquo) ad trad. per *Couar.in c.Raynaldus, num.11.de testam.Gabriel.de fideicomm. conclus. 11. num.6.* sed quia testator Iurisperitus sciebat de iure hæredem alienarem prohibitum, posse ex causa necessaria alienare,voluit prouidere,vt alienatio non fieret sub prætextu necessitatis, quæ non esset vera,& legitima nec voluit de iudicio hæredis confidere,sed illam iudicari decreuit per Abbatem, & Priorem, & guardianum. Et sic principalis intentio testatoris non fuit se restringere ad quamcunque alienationem inter viuos, & excludere alienationem per viam vltimæ voluntatis. Sed fuit prouidere in casum alienationis inter viuos ex causa necessitatis, cum noluit remittere arbitrio hæredis. Sed voluit illam declarari per Abbatem, Guardianum, &c. quod declarant verba, & hoc ideo fecit, &c. Tum quia testator prohibuit alienationem per viam delicti, tum etiam quia prohibuit alienationem vltra summam decem florenorum, & aliter interpretando, dispositio esset non perfecta,nec plenè prouisum esset volūtati defuncti.

2 Non obstat *Text.in §.fundum. l.pater filium. ff. de leg. 3.* quia vltra ea, quæ alias deducta sunt, respondentur, quod ibi dispositio est limitata ad vitam hæredis, vt patet ex illis verbis quoad vixerit. Nec enim erat simplex, perpetua, provt hic, vt bene declarat *Ripa in d.§.Diui.n.120.vers. Sed tuendo.*

3 Tertiò non obstat responsio ad verbum (perpetuo) quia implicat, quod dictio (perpetuo) importet perpetuitatem bonorum in familia, non autem perpetuitatem prohibitionis, solum quia prohibitio momento ipso fuit inducta,sed eius effectus fuit successiuus, quòd non esset permissa alienatione in testamento.

4 Quar-

4 Quartò non obstat, quòd causa conseruationis bonorum in familia, tunc inducit absolutum fideicommissum, quando si non induceret, nihil operaretur, vt per *Rip. & Curt. iun. citatos*, quia ipsi non loquuntur, quando adest dictio in perpetuum, quia tunc si permitteretur, alienatio in vltima voluntate, testatoris intentio posset frustrari vel non habere intentum, vt per *Socin. in l. qui Romæ. §. cohæredes. nu. 18. ff. de verbor. oblig. & consil. 40. in. inter consil. Curt. sen.* quem Doctores passim sequuntur.

REVERENDISS. P. D. ORIOLEN.

Romana de Comitibus 27. Maij 1581.

ARGVMENTVM.

Per stipulationem Notarij nomine absentis non acquiritur illius sine ratificatione.

SVMMARIVM.

Notarius nomine absentis acceptans, & stipulans in donationibus, obligationibus, & alijs dispositionibus absenti ius acquirit absque alia ratificatione, & cessione, num. 1. & seq. Contra, n. 3. & seq.

Debitor soluens negotiorum gestori sui creditoris non liberatur, nec dominium rei solutæ creditori acquiritur, nisi sequuta ratificatione. n. 6.

Notarius an, & quomodo dicatur publica persona. num. 16. & 17.

Contractus, in quibus transfertur dominium vtriusque contrahentis consensum requirit. num. 7. & num. 9. Absenti per stipulationem Notarij numquid acquiratur ius reuocabiliter, vel irreuocabiliter num. 10. & seq.

Serui stipulatione acquiritur ius domino etiam eo contradicente. num. 12. & num. 15. & num. 18.

Infantibus ius acquiritur per stipulationem Notarij absque alia ratificatione. num. 16.

DECISIO XII.

Seu potius Votum.

1 Magna est inter Doctores contentio, an per stipulationem, & acceptationem Notarij nomine absensis in donationibus, obligationibus, & alijs dispositionibus factam, ius acquiratur absenti absque ipsius ratificatione. Et partem affirmatiuam tenuerunt *glos. Gul. Cyn. Bart. Bald. Alber. Salic. Ang. Oldr. Fulg. Ioan. de Placen. Ang. Aret. Alex. Franc. Aret. cum Guid. Pap. Socin. Dec. Iacobin. à S. Georgio, Roma. Bero. Afflict. Gozad. Capic. Euerar. Grat. Io. de Amic. Crauet. & Socin. iun. relati à Tiraq. in tract. de constit. possess. in 30. limit. num. 23. quibus addi possunt Ias. Rip. Rub. Alex. Bal. Alex. Cassad. Sylua Nenizani, & Rolan. à Val. quos recenset Cacheran. decis. 33. num. 4. cum sequ.* Possent, & alij quamplurimi adiungi, quos breuitatis gratia omissos facimus, & hanc esse communem, & magis communem, veram, receptissimam, & indubitatam conclusionem, quotidianum vsum, & vniuersalem consuetudinem, practicam, & obseruationem totius orbis, eamque in decisiuis seruandam, ac pro ea iudicatum fuisse, & ab ea in concludendo, & iudicando, non esse recedendum testatur *Alber. Salic. Bald. Anchar. Afflict. Paris. & Rota relati à Tiraq. in dicta limit. 30. num. 23.* & istam veram, communem, & communiorem opinionem, & conclusionem in consulendo, & iudicando seruandam fatentur vltra citatos *Rub. Alex. cons. 117. num. 3. & seq. Tiraq. dicta lib. num. 23. in fi.* & hoc idem passim vbique Doct. testantur. Quinimmo adsunt plerique, qui nominatim, & expresse sentiant, per stipulationem, & acceptationem Notarij absenti ciuilem actionem absque cessione, & ante ratificationem acquiri. Isti namque fuerunt *Corn. cons. 10. cum in hac consultatione. sub num. 7. lib. 1. & cons. 21. viso sumpto, n. 13. lib. 4. Bertrand. cons. 156. ex themate. n. 5. in fin. lib. 1. Rubeus Alexandrin. cons. 117. præsuponitur in facto. num. 3. Paris. consil. 69. D. Ambrosius numer. 136. & numer. 148. libr. 3. latè Ruin. consil. 119. primo per ordinem. num. 7. & 8. cons. 126. primo videndum est. nu. 10. & consil. 172. non est dubium. num. 15. & 16. lib. 1. Latius cons. 47. visis, & intellectis. num. 2. & 3. lib. 5.* Vbi contrariam sententiam semper sibi visum fuisse somnium asseuerat *Soc. iun. consil. 118. visis instrumentis. n. 14. lib. 2. & consil. 67. pro haben. num. 9. & cons. 127. viso instrumento donationis. num. 8. & seq. lib. 3. Ioan. Ceph. cons. 33. ex donatione. num. 8. latissime Rolan. à Val. cons. 19. facta fuit donatio, per tot. lib. 1. Iul. Clar. lib. 4. recept. sent. §. donatio. quæst. 13. vers. Tertius casus, & diffusè Chacheran. d. decis. 33. per tot.* Et hanc sententiam in his proprijs terminis inquit communem esse Apostill. ad *Dec. in l. contractus. num. 22. ff. de reg. iur.*

2 Argumenta multa, & quidem varia afferuntur à supracitatis authoribus pro hac affirmatiua opinione, & præcipuè à *Rubeo Alex. Ruin. Io. Cephal. & Rolan. à Val. in prædictis consilijs, & ab Alciato in c. cum contingat. num. 334. cum duobus seq. & primo ex l. 1. & 4. ff. rem pup. sal. fore, & l. nec enim. ff. de adopt. §. cum autem, instit. eod. l. 2. C. eod. l. 1. §. exigere. ff. de magist.* conueniendis. inducendo eas vt per Doct. prædictos, & præcipuè *Ruin. in præcitatis consilijs, vt per Rolan. d. consil. 19. num. 16. vers. Et primo moueor. Secundo ex l. absenti. in fi. ff. de donat. inducendo eam, & per Rubeum Alexandrin. d. cons. 117. num. 3. & per Rolan. d. consil. 19. num. 16. vers. tertio pro hac parte. Tertio, & vltimo ex doctr. Bart. & aliorum in l. stipulatio ista. §. si stipuler. ff. de actio. & oblig. inducendo eam, vt per Ruin. in prædictis consilijs, & per Rolan. d. consil. 19. num. 6. vers. quarto facit.*

3 His tamen minime aduersantibus pro negatiua contraria tanquam de iure veriori, & re vera magis communi absque dubio concludendum censeo, & hanc sententiam expressè tenuit *Paul. de Cast. consil. 195. visis his, quæ narrantur. in 2. dub. num. 2. vers. Ad quod breuiter. lib. 2. & cons. 117. in causa præsenti, visis omnibus. De quibus supra, num. 1. vers. Sed si non apparet. eodem lib. 2. & in l. illud. num. 6. vers. vltimo allegat. C. de Sacrosanct. Eccles. Idem voluit Bart. in fortioribus terminis in l. 4. §. hoc autem iudicium. num. 3. & in fin. vers. Credo tamen, quod non habebat. ff. de dam. infect. Bald. hoc idem sentit in l. nec ei. §. satisdatio. sub num. 9. ff. de adopt.* quem ad id *Dec. allegat, & adducit in l. contractus. nu. 16. ff. de reg. iur. & sentit idem Bald. consil. 200. verba ... vo. 1. & cons. 12. ante fin. vers. vel melius dicendum est, lib. 2.* Sed clarius hanc sententiam tenet idem *Bald. in l. Pomponius. §. primo. vers. Tene mente hanc glossam ff. de procur. & in l. si absenti, num. 2. in fin. vers. Et ideo si Tabellio. C. si cert. petat. Alber. in l. illud col. 1. sub num. 20. C. de Sacrosanct. Eccles. & in l. nec enim. col. 1. num. 3. vers.* Non obstat absentia, vbi refert hoc idem ibi tenuisse *Andr. de Pisis, Fulgosium, Et nonnullos alios, Salic. in l. Caius Seius. num. 2. prope fin. vers. Concordant opiniones ff. de vsur. And. Barbat. in addit. ad Bald. in l. si absenti, col. 2. num. 5. C. si certum pet. Corn. cons. 50. videtur, in hac consultatione, col. prima, vers. Præterea videtur, quod illi, & consil. 190. ad euidentiam præmitto, in fin. lib. 1. Alex. in l. quod meo, in princ. col. prima. num. 4. vers. Item illud, quod hic dicitur. ff. de acq. possess.*

4 Huius quoque sententiæ fuit in fin. *Ang. consil. 73. differt. vers. Non obstat quod Soc. in l. 1. §. si iusserim. num. 11. de acq. poss. & cons. 53. viso instrumento. col. penult. nu. 22. lib. 4. Aret. cons. 95. in fin. Dec. in l. certi condictio, §. si nummos, num. 2. ff. si cert. pet. in l. 1. nu. 22. C. de pact. in d. leg. contractus, num. 26. versic. Et ampliatur, & num. 22. & 23. & in l. quo tutela §. nec paciscendo. num. 3. ff. de reg. iur. cons. 226. Magister Io. num. 7. vers. secundo specialiter, & num. 8. con. 247. in causa Magni Baronis, num. 5. vers. Quinto idem suadetur. cons. 432. cum sit quod Alner. in fin. consil.*

cons.464. patet conclusio. n.3. cons. 537. accurate, & diligenter prope fin cons.586. in causa, quæ Mantuæ. n.12. vers. Non obstat si dicatur, & num.13. & 14. & cons. 598. visis his, quæ accurate in fin. & cons.661. in casu, de quo dubitari contingit. num.11. & 12. Curt. iun. consil.52. circa controuersiam. num.13. & consil.55. pro haben. num. 9. & 10. & cons.120. præsupponitur in facto. sub num.4. Rub. Alex. cons. 132. præsupponitur in testamento. num. 2. & in l.1. §. morte. num.7. & 49. ff. de noui oper. nunc. Afflict. post Andr. de Isernia in constit. Reg. l.1. in tit. de serys, & Salar. iudicis, & not. num. 44. vers. sed Andr. Cagn. l. quo tutela. §. nec paciscendo, num. 2. & in si librarius. num. 63. ff. de reg iur. & in leg. fin. numer. 273. Cod. de pact. Socin. iun. cons. 126. in causa banni. num. 12. 13. 14. lib. 2. Galiaul. in rubr. de verb. oblig. num.84. Gozad. cons.14. prima facie videtur. num. 8. Ruin. cons. 121. prima donatio. num. 7. & 8. cons.174. considerátis, & ponderatis num.1. & n.5. cons.780. adhuc de iuribus. num. 26. lib. 1. Paris. cons. 77. sub scripsi per totum. lib. 2. et consil. 12. transactio. numer. 100. libr. 2. Bertran. consil. 178. quia difficultas, numer. 13. lib. primo, cons. 29. visis testamentis, num.7. lib.2. cons.340 donatio. num.3. lib.3. & cons.105. ex actis causæ, num.3. lib. 5. Grat. cons.12. contra quas plures num.4. lib.1. cons.67. & si prima fronte. num. 14. cum sequen. cons. 94. in causa Excellentissimi Domini. num.10. & cons.127. Et si hic casus decidatur num.19. 20. & 21. eod. lib.1. Alciat. in l.2. ex his. ff. de verb. oblig. & in cap. cum contingat. nu. 327. vsque ad n.332. extra de iure iur. Alciat. cons.3. Tam diligenter, nu. 12. & 13. cons. 27. Renunciatio hæreditatis. num.6. cons.29. Aduersus istam donationem. num. 7. 8. 9. 10. 11. & 12. Vbi multipliciter hanc conclusionem ampliat, cons. 98. Difficultas præsentis controuersiæ, num.2. 3. 4. 5. & 6. versic. Probo sententiam lib.8. tom. 3. Siluan. consil. 12. iustissimus Iudex in fin. Apostill. ad consil. Alexandr. in consil. 31. viso themate. col. penult. num. 26. lib. 6. Andr. de Exea in tract. de pact. num.118. & n. 210. Tiraquel. in tract. de constit. poss. in 8. part. limit.30. num.8. & n. 64. & 65. Did. Couar. in Rubr. de testam. in 3. part. num. 13. vers. Est tamen necessaria, & lib.1. variar. resolut. cap.14. num.12. vers. in alijs tamen casibus. Plot. in repet. l. si quando, num. 12. C. vnde vi. ponderans pro hac sententia Gomez. Rip. Roch. Curt. in locis per eum citatis Rim. iun. in rubr. num. 14. instit. de don. Bald. in §.1. char. 237. vers. Etsi Tabellio nostro nomine. instit. de donat. Natt. cons. 253. quidam D. Anna. num.5. & latius cons.315. in causa verten. num.1. lib.2. Iac. Mandel. cons.36. articuli præsentis casus. num.1. & cons.97. in casu proposito. num.8. Aug. Bero. cons.4. num. 34. 46. & 57. lib.1. & cons. 108. in causa duorum n. 8. lib.3. Franc. Viuius. in tract. com. opin. lib.1. opin.77. donationem stipulans, & opin.22. Notarius passim. vers. Et siue Notarius. eo. lib. Anch. in suis quæst. famil. q.23. nu.13. cum seq. lib. 2. & hæc est communis opinio, de qua testatur Cyn. in d.l. quo tutela. §. nec paciscendo. versic. Dico istam esse. Idem Cyn. hanc communem fatetur in d.l. fin. num.273. vers. Aduertendum est. C. de pact. & istam quoque communem asseuerat *Alciat. in c. cum contingat. num.331. vers. Ex quibus apparet. extra, de iureiur.* & etiam magis communem esse affirmat idem *Alciat. cons. 172. vers. sententiam. num. 5. eod. lib.8. tom.3.* Hanc etiam communem dicunt *Franc. Viuius Rimin. Eman. Suarez, & Io. Anchar. in locis citatis.* Immo hanc opinionem hodie crebriorem, & magis communem inquiunt *Apostil. ad cons. Alex. in d. cons. 31. num.16. in fin lib.6. Mandell. d. cons. 36. num.1.* & etiam veram esse, & fræquentiori probari calculo asserit *Couar. in d. Rubr. de testam. in 3. part. n.13. circa med. vers. Quia Bald.* illamque veriorem esse concludit *Galliaula. in d. rubr. de verb. oblig. num. 12.* Et eam verissimam semper sibi fuisse visam asserit *Tiraq. in tract. de constit. poss. in 3. limit. nu. 68. in fin.* & ab ea recedere fatuum esse inquit *Viuius in d. opin.77. post med.* & eam communem, & totum mundum illam obseruare asserit *Cagnol. in d. l. si librarius. num.63. ff. de reg. iur.*

5 Addendi sunt nonnulli alij eandem sententiam tenentes. Isti autem sunt *Vinc. Hercul. cons. 899. quædam D. Virginea. post prin. & cons. 927.* viso diligenter, consideratoque, quæ consilia sunt apud me manuscripta. *Anch. Gallez. in tract. ad form. Cam. oblig. in 5. part. quæst. 3. in princ. num.1.* dicens hanc esse communem, & veram conclusionem *Nicol. Moron. in tract. de caution. de non offenden. c.51. num.13.* asserens hanc communem esse traditionem *Imol. in c. potuit. col. penult. num. 68. post med vers.* interdum autem quæ, & sui Iuris. ibi, sed venit quærendum sequuta demum ratificatione extra de locato, & conduct. *Marcabrun. consil. 94. pro resolutione dubij. num. 3. 4. 5. & 6. cum seq.* asserens hanc esse communem sententiam *Bart. Bertazzol consil. 95. difficultas huius quæstionis, num.4. Lud. Sil consil. 96. concurro in sententiam. num. 8. inter consil. criminalia diuersor. lib. 2. nuper impres.* vbi omnium latissime hanc quæstionem in vtramque partem examinat, & tandem ratificationem requiri concludit, & affirmat *Andr. ab Exea in tract. de pact. num. 107. vsque ad. n. 210. inclusiue Bossius in sua pract. crimin. in tit. de pact. n.27. in fin.* asserens se ita in practica seruatum vidisse.

6 Probatur autem hæc sententia ex multis, præcipuè tamen ex infrascriptis, quæ potiora videntur. Primo, *ex l. si ego. quæ alias incipit, si hac auctoritate. ff. de neg. gest.* vbi debitor soluens negotiorum gestori creditoris non liberatur, nec dominium rei solutæ creditori acquiritur, nisi ratihabitione sequuta, ita in casu præsenti, Notarius acceptans donationem nomine donatarij absentis, cuius negotia gerit, ideoque rei donatæ dominium non acquiritur, nisi ratihabitione sequuta.

Non obstat si dixerit, illam loqui de persona priuata, & propterea non posse intelligi Notarium, quæ est persona publica, vt post alios multa tradit *Tiraqu. in tract. de constit. poss. limit. 30. num. 27.* quia respondetur, quod Notarius est publica persona, quia gerit publicum officium, quia versatur in scribendo, & redigendo in scriptis, quod inter alios fit, vt post *Innoc. in c. quoniam contra, de probat. Tradit. Bald. in l.1. n.4. vers. hoc enim patet. C. per quas pers. nob. acqu. sequitur Tiraq. d. limit. 30. n.40.* & hinc est, quod Notarius non potest conficere testamentum de eo, quod ipse fecit, *l. exemplo. C. de probat. l. inter chartulas C. de conueniend. fisc. deb. lib.10.* alioquin sequeretur illud absurdum, vt Notarius sustineret personam rogantis, & rogati, & rogantis partis, & rogati Notarij, cum certi iuris sit Notarium à partibus rogandum esse, vt fidem faciant, vt probatur *in §. nos au tem, & ibi gloss. in verb. iungatur, in authen. de Tabellio. Tiraq. d. limit. 30. num.39. cum concord.* & propterea nulla est voluntas Notarij cum contrahente, nec contrahentis cum Notario quo ad acquisitionem, vt post *Bart. Bald. Alber. & alios tradit Tiraq. d. limit. 30. n. 78.* & in proprijs terminis vt Notarius stipulans, & acceptans nomine absentis non possit ei acquirere nisi tanquam negotiorum gestor, & sic tanquam persona priuata tradit expresse *Bero. d. cons.4. n.35. in fin. lib. 2.*

7 Secundo pro hac opinionem secundum *Alciat. in d.c. cum contingat. num.387. est casus in l. in omnibus rebus ff. de act. & obligat.* vbi in contractibus, per quos dominium transfertur, vti est venditio, & donatio, vtriusque contrahentis consensus intrauenire debet, alioquin non valent, nec vllum sortirentur effectum.

8 Tertio faciunt plura exempla, & decisiones relatæ ab *Alciat. in d.c. cum contingat. num. 328. cum seq.*

9 Quarto, & vltimo adducitur hæc ratio. Nam ad veram perfectionem centractus necessario interuenire debet consensus vtriusq; contrahentis, & si non eodem tempore, saltem diuerso, vt habetur *in l.1. & ibi omnes not. ff. de pact. probatur in l. consensu. ff. de act. & obligat. in l. si stipuler. §. fin. ff. de verb. oblig.* at donatio est *contractus l. si quis donationis. C. quod. met. caus. l. si quis emptor. in princ. C. de præscript. 30. ann. l. fin. §. 1. C. de bonis quæ lib. l. fin. C. de pact. Gloss. Bart. Bald. Fulgos. Castr. Salic. & Alex. in locis præallegatis. Ruin. iun. in Rub. Instit. de*

stit. de donat. numero decimoseptimo.

10 Non obstat in primis si ex mente *Rolan. à Val. consil. 19. num.8. vers.* Dum dicatur hanc rationem procedere quo ad acquisitionem irreuocabilem. Nam per rationabilem absentis acquisitio reuocabilis efficietur irreuocabilis, vt voluit *Rimin. cons. 119. primo per ordinem, num.8. vers. Non est quod Bald. & cons. num. 1. vidend. num.10. vers. Non est etiam verum lib.1.* quia dupliciter respondetur. Primo negando absenti per stipulationem Notarij acquiri reuocabilem vim non solum irreuocabiliter sed nec reuocabiliter acquiritur absenti nisi scienti, & consentienti, vt tradit *Castr. d. cons. 226. Bero d. cons. 4. vers. Et ad propositum optimè facit lib.1. & Dec. d. cons. 226.* Secundo respondetur ratihabitionem absentis operari effectum irreuocabilitatis acquisitionis, sed tamen negari non potest, quin etiam operetur alium effectum secundum perfectionem contractus qui non perficitur, nisi ex interuentu consensus vtriusq; contrahentis, vt supra diximus & ita absentis ratihabitio duos simul operatur effectus, alter est, quia acquisitionem, quæ reuocabilis erat, irreuocabilem efficit, alter vero, qui contractum perficit, qui prius erat imperfectus ob defectum consensus absentis.

11 Secundo non obstant dicta pro responsione huius rationis ex mente *Rolandi à Val. d. cons. 19. num.18. vers. verum quia,* immo dixeris per acceptationem Notarij suppleri consensum absentis per ea, quæ tradit *Bald. in l. per diuersas, in 54. quæst. num. 8. C. mand.* vbi inquit cessionem non posse fieri absenti, quia in ea requiritur consensus cedentis, & cessionarij, sicut in qualibet alia acquisitione, vbi est necessaria præsentia, tamen per acceptationem Notarij tanquam publicæ personæ acquiritur cessio cessionario absenti ipso iure. Nam respondetur, *Bald.* ibi non dicere per acceptationem Notarij suppleri consensum partis absentis, sed cessionario absenti per acceptationẽ Notarij tanquam publicæ personæ acquiri cessionem ipso iure, & sic *Bald.* loquitur de acquisiti non autem de consensu, vel eius suppletione, inter quæ duo maxima est differentia. Nam Notarius cum sit persona publica, potest parti absenti acquirere si eius nomine acceptet, & ista acquisitio est in suspenso donec pars absens per ratificationem præstet consensum, & sic contractum perficiat, non tamen Notarius per eius acceptationem potest supplere consensum partis absentis ita vt contractus dicatur perfectus, & loco consensus partis absentis sufficiat acceptatio Notarij, quia id est impossibile. Si enim contractus necessario pro sua substantia requirit vtriusque contrahentis consensum, vt supra dictum fuit, impossibile est, illam suppleri per acceptationem Notarij; quippe consensus est quid intrinsecum, & occultum & ab animo nostro dependens. Ideoque non potest ab alio præstari, vel suppleri, & quæ voluntatis sunt à persona non separantur *leg. 4. locat. cap. si gratiose, de rescript. libr. 6. Ang. in leg. illa institutio, ff. de hæred. instituen.*

12 Tertio, & vltimo non obstat quod si diceretur quod quemadmodum per stipulationem serui statim acquiritur Domino etiam eo contradicente, & sic non solum absque eius ratihabitione, sed contra eius voluntatem, *leg. seruus vetante, ff. de verb. oblig.* Ita quoque in casu nostro dicendum videtur cum nulla diuersitatio ratio reddi possit. Velut enim ad contractus perfectionem à tertio celebrati non requiritur ratihabitis siue consensus Domini, immò magis est eo dissentiente valet stipulatio serui, & per eum Domino obligatio acquiritur, vt ibi expresse cauetur, ergo eodem modo ad perfectionem contractus à Notario nomine absentis celebrati eiusdem absentis consensus, siue ratihabitio exigi non debet siquidem respondetur, maximam esse diuersitatis rationem inter vnum, & alterum casum. Nam ideo ad perfectionem stipulationis à tertio contractæ non requiritur consensus Domini *in leg. Seruus vetante.* Quia contractus stipulationis celebratus fuit inter seruum, & promissorem, & sic vtriusque contrahentis consensus aderat, licèt obligatio & actio, & etiam ius ex ea stipulatione proueniens ipsi Domino acquiratur.

13 Non obstat modo in contrarium adducta, & in primis non obstant tot authores relati *à Tiraquell. in d. limit. 30. num. 23. & Cacheran. d. decis. 33. num.4. cum seq.* qui omnes volunt, per stipulationem Notarij acquiri absenti vtilem actionem sine cessione, siquidem respondetur, eorum opinionem debere intelligi, & declarari dummodo sequuta sit ratificatio, & ita intelligit, & declarat *Paul. de Castr. d. cons. 195. in 2. dubio, num.2. versic. Nec obstat Dec. in d. l. contractus, nu. 22. ff. de reg. iur. & d. cons. 226. num.7. in fin. Tiraquell. d. limit. 30. num. 67. vers. Quandocumque, & aliter Bertran. cons. 105. ex actis causæ num. 8. libr. 5. Alciat. in dict. cap. cum contingat. num. 331. versic. Ex quibus apparet Rimin. iun. in Rubr. inst. de donat. num.207. latius, & clarius Did. Couar. qui omnino videatur in rubr. extra de testam. in 3. p. nu.13. & lib.1. variar. resol. c.14. nu.11.*

14 Non obstat, si replicando dicatur, huiusmodi intellectum, & declarationem non videri admittendum, quia prædicti Doctores dicunt simpliciter per stipulationem non acquiri absenti vtilem actionem sine cessione, nec vllam requirunt ratificationem, & prædictam opinionem ita simpliciter intelligit, *Rube, Alex. d. cons. 117. nu. 4. in fin. Rimin. d. consil. 119. n.8. & Rolan. à Vall. consil. 19. num.17. vers. Et tamen Doctor.* Inquiens, Doctores prædictos non dicere ex stipulatione Notarij acquiri absentit vtilem actionem sine cessione, sequuta prius ratificatione, quod vtique sciuisset dicere si necessaria fuisset ratificatio, *arg. leg. vnicæ, §. sin autem ad deficientis, C. de caduc. tollend.* Non obstat inquam hæc replicatio. Nam duplicando potest bifariam euitari. Primo quia omnes Doctores supra relati *à Tiraq. & Cacheran.* vt videri possunt, principaliter quærunt, & disputant, an in extraiudicialibus, vel conuentionalibus disputationibus, sicut in prætorijs, & iudicialibus possit Notarius alteri stipulari, vtilemq; actionem etiam sine cessione quærere? Et licet plerique Doctores in diuersas transiuerint sententias, vt patet ex his, quæ scribit *Tiraq. in dict. limit. 30. num. 17. 18. 19. 20. 21. 22.* Nihilominus multo plures fuerunt, qui simpliciter, & indistinctè nulla habita differentia inter stipulationes conuentionales siue extraiudiciales, & prætorias, & iudiciales, nullaque mentione authoritatis, siue mandati Iudicis facta tenent, Notarios pro absentibus stipulari posse, & vtilem eis actionem sine cessione acquirere, vt declarat *Tiraquel.* in his terminis allegans, & intelligens prædictos Doctores *in d. limitat. 30. nu. 23.* Igitur prædicti Doctores ideo non fecerunt mentionem de ratificatione, quia non quærebant, an esset necessaria absentis ratificatio, sed solum an Notarius possit alteri stipulari, eique actionem sine cessione quærere in conuentionalibus siue extraiudicialibus stipulationibus quemadmodum in iudicialibus, & prætorijs Duæ enim sunt quæstiones longè inter se diuersæ Altera numquid Notarius pro absentibus stipulari possit, eique vtilem sine cessione actionem quærere non solum in iudicialibus, & prætorijs stipulationibus, sed etiam in conuentionalibus, & extraiudicialibus. Altera, esto eum posse, an tamen requiratur absentis ratificatio, & hæc illam successiue subsequatur? Et si prædicti Doctores, tractantes solum primam quæstionem, fuissent interrogati de secunda, vtique verisimiliter respondissent, necessariam esse absentis ratificationem. Præterea & secũdo non euitatur prædicta replicatio, quia illa declaratio, quæ est vt opinio prædictorum doctorum intelligi, & declarari debeat, sequuta prius ratificatione est communis

vt patet

vt patet tam ex numero, quam ex auctoritate supra relatorum authorum ita declarantium.

5 Secundo principaliter non obstant illi authores nominatim expressè tenentes non requiri absentis ratificatiquem. Nam multipliciter respondetur Primo contra extare communem, & magis communem opinionem, de qua non est vllatenus dubitandum, cum appareat clarissime tam ex numero, quam ex authoritate authorum contrarium expressè tenentium, accedentibus præsertim tot attestationibus, de communi, & magis communi, vera, veriori, verissima opinione. Secundo verè illos loqui de seruo publico, qui non est Notarius talis, qualem nos tractamus, vt iuribus, & rationibus, & authoritatibus optime deducit *Tiraquel. dicta limit. 30. n. 32. 33. 34. 35. & 36. & Rim. iun. in d. rubr. instit. de donat. num. 17.*

6 Tertio, & vltimo principaliter non obstant iura pro contraria parte adducta, & in primis *l. 2. 3. & 4. ff. rem pupilli saluam fore. l. nec etiam. ff. de adopt. l. 1. §. exigere. ff. de magistr. conuen. l. 2. C. de adopt. §. cum autem Inst. eod.* quia primo iura illa loqui videntur in infantibus, quibus lex alias semper vberius, & plenius subuenit, & merito ad alias personas transire non debent vt late, *Tiraq. d. limit. 30. num. 30. & 31.*

7 Nec obstat *d. §. cum autem, Instit. de adopt.* qui vrgere plurimum videtur, cum ibi appelletur persona publica, & postea Tabellio illa eadem persona, quæ seruus publicus nominatur, *in d. l. nec ei, ff. de adopt. & in d. l. 2. C. eod.* in quibus iuribus tractatur eadem materia, de qua in *d. §. cum autem,* quia vltra responsionem traditam à *Tiraquel. in d. limit. 30. num. 4. vers. sed magis vrget. & n. 42.* potest etiam responderi, ideo in *d. §. cum autem*, non seruum publicum, sed personam publicam appellari, quia ex constitutione Arcadij Imperatoris; de qua in *l. generali. C. de Tab. lib. 10.* qui à Ciuitate Tabulis publicis præficiebatur, & qui seruus publicus dicebatur, non seruus, sed liber esse dicebatur, ideo verò in d. §. cum autem. appellari Tabellionem, quia ille seruus publicus dicebatur Tabullarius, in *d. l. generali*, & Tabellarius idem significat, quod Tabellio, vt per se constat. Ceterum licet ille seruus publicus, qui postea dicebatur esse liber, esset Tabellarius siue Tabellio, non tamen erat Notarius ordinarius, siue regularis, de quo nos loquimur, qui debet scribere, & in scri ptis redigere, quæ inter priuatos fiunt, vt supra diximus, sed erat extraordinarius, & irregullari, qui specialiter, vel à principibus, vel à Ciuitatibus præficiebatur Tabulis publicis, hoc est continentibus negotia publica, vel spectantibus ad ipsas Prouincias, & Ciuitates.

18 Item non obstat *text. in l. absenti. in fin. ff. de donat.* quia loquitur in seruo proprio donatarij per quem si acquiratur dominium rei donatæ Domino absenti non est mirum; quia serui nostri numerantur inter person as, per quas rerum dominia nobis acquiruntur, *vt in §. 1. Instit. per quas person. nob. acq.* inter quas personas non reperitur Notarius. Meritò igitur de seruo ad Notarium non est inferendum.

19 Item non obstat *doctr. Bart. & aliorum in l. stipulatio ista §. si stipulator. de verb. obl.* quia ex prædictis patet plenissima responsio.

R. P. D. BVBALO.

Fesulana Iuris patronatus. Lunæ 7. Februarij 1583.

ARGVMENTVM.

De probatione Iuris patronatus plura notanda, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Ius patronatus probatur ex pluribus enunciatiuis instrumentorum, n. 1. vbi præsertim quando assertio fit coram Episcopo, de cuius præiudicio agitur, & quando reperitur præsentatio. & institutio enunciata ibid.

Testes examinati inter alios probant quo ad quale quale præiudicium contra tertium. n. 2.

Scriptura reperta in Archiuo publico plene probat, n. 3.

Notarij assertioni in his, quæ non pertinent ad eius officium non creditur, n. 3. Patrono debita reuentia debetur, ibid.

Ius patronatus probatur per insignia sculpta in pariete, ib.

Assertioni Episcopi non est standum, quando tractatur de eius commodo, num. 4.

Apostolicæ prouisiones non mutant statum beneficij. n. 5.

Ius patronatus præseruatur per consensum patronorum adhibitum prouisioni Apostolicæ ibid.

Statur potius sententiæ latæ in fauorem prouisi Apostolici ob eius triennalem possessionem, quam ob defectum iuri, patronatus. num. 6.

Ius patronatus an prolatum præsumatur ex dotatione, & fundatione. Remissiue ibid.

DECISIO XIII.

1 FVit per Dominos resolutum, constare Ecclesiam Parochialem S. Agathæ de Arfoli esse de iure patronatus Dominorum de Ardimanis, pro vna voce. Mouebantur Domini ex pluribus, & primo ex mul plicatis Visitationibus antiquis factis ab anno 1436 vsque ad annum 1559. in quibus asseritur dictam Ecclesiam esse de Iure patronatus illorum de Ardimannis pro vna voce, & populi dictæ Parochiæ pro alia. Enunciatiuæ, enim in pluribus Instrumenti antiquis bene probant Iuspatronatus. *Cassador. decis. 2. n. 4. de probation. Achill. decis. 5. de Iure patron. Ferret cons. 293. n. 7. & præsertim cum in duabus Visitationib. de anno 1436. & 1441.* hæc assertio fiat coram Episcopo, de cuius præiudicio cum principaliter agatur, hæc assertio coram ipso facta optimè probat, vt per *Paleoet. decis. 23. incip. Asculana Parochialis*, Ordinarij enim semper reddunt se difficiles in admittendo, quod beneficium sit de Iure patronatus, & ideo creditur eorum assertioni. *Rot. in nou. decis. 11. de iure patr.* Quib. accedit præsentatio, & institutio enunciata in dicta Visitatione de anno 1436. & alia de anno 1441. ex qua possessione præsumitur Ius patronatus in antiquis. *Franc. c. vnic. nu. 5. de Iure patron. Lambert. de Iure patron. 2. part. 2. lib. 10. quæst. art. 4. num. 2.*

2 Secundo mouebantur ex dictis Testium examinatorum de anno 1554. dum lis penderet in Rota super beneficio, de quo agitur, qui benè deponunt de auditu à maioribus, quamuis sint inter alios examinati, probant tamen quo ad quale præiudicium etiam contra tertium. *gl. in l. si duo patroni, vbi Ias. ff. de iureiuran. Tiraq. res inter alios acta limit. 19.*

3 Coadiuuatur hæc probatio ex Libro repertò in Archiuo Florentino intitulato. Libro de Padronaggi; in quo inter alia describitur ista Parochialis, & cum sit repertus in Archiuo publico, inter alias Scripturas authenticas, satis probare videtur, ad trad. per *Aym. cons. 158. n. 5.* Nec dicatur, quod ex fide Notarij apparet, in illo Libro reperiri etiam descripta aliqua beneficia libera, quia huic attestationi Notarij non creditur, cum non pertineat ad eius officium trad. per *Ruin. cons. 159. n. 16. lib. 2.* Pariter etiam coadiuuatur ex honore, & præeminentia, quæ defertur seniori Familiæ de Ardimannis in discumbendo, cui vti patrono debita videtur. *Abb. in c. nobis. vit. not. de Iure patron. Roch. de Iure patron. in verbo honorificum. num. 96.* Et plurimum mouebant insignia Familiæ de Ardimannis scupte in pariete ipsius Ecclesiæ, quæ licet non appareant ita antiqua, vt possit dici fuisse appositæ

appoſita tempore fundationis eccleſiæ,ea tamen præſumuntur fuiſſe appoſita per Patronos ad conſeruationem ſui Iuris patronatus.

4 Non obſtant deductam pro libertate Eccleſia,& per Inſtrumentum de anno 1513. in quo Epiſcopus aſſerit,prouiſionem huius Eccleſiæ tam de Iure, quam de antiqua cõſuetudine ad ſe pertinere, quia huic aſſertioni Epiſcopi non eſt ſtandum, cum tractetur de eius commodo, & cum prohibeat Plebano Caſciæ ne procedat ad confirmationem, ſeu inſtitutionem alicuius electi, ſeu eligendi,potius videtur ex dicto Inſtrumento probari Ius patronatus fuiſſe controuerſum, & fuiſſe perſonas prætendentes Ius patronatus, alioquin ſuperflua fuiſſet dicta prohibitio.

5 Non obſtant due prouiſiones Apoſtolicæ tanquam de beneficio libero quia non mutant ſtatum beneficij, *Achill. de ſtatu benef. deciſ. prima*, vltra quod apparet, quòd prouiſi voluerunt habere conſenſum patronorum,ex quo conſenſu præſeruarunt eorum Ius patronatus per *Creſcent. deciſ. 27.* Nec dicatur, quòd prouiſus à Papa non poſſit præiudicare libertati Eccleſiæ adhibendo conſenſum patronorum, quia hoc procederet ſi alio modo non conſtaret de Iure patronatus.

6 Minus obſtat ſententia in Rota lata ſuper hoc beneficio in fauorem prouiſi Apoſtolici cõtra præſentatum, quia cum in ea nulla habeatur mentio Iuris patronatus, & in actis fuit datum de regula triennali potius, dicendum eſt, ſententiam fuiſſe latam in fauorem prouiſi Apoſtolici ob eius triennalem poſſeſſionem, quam ob defectum Iuris patronatus, & Domini iuerunt in hanc ſententiam, cum præſuppoſito quòd non ſimus in Familia potenti: Alioquin locus eſſet diſpoſitioni *Concilij Tridentini ſeſſ. 25. cap. 9.* An autem huiuſmodi Ius patronatus hoc modo probatum præſumatur ex dotatione, & fundatione, ita vt non ſit ſublatum per *Concilium dicta ſeſſ.25.c.9. particulariter videndum erit.*

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. CARD. PAMPHILIO.

Ianuen. Fideicommiſſi de Pallauicinis Lunæ 24. Nouembris 1586.

ARGVMENTVM.

Fideicommiſſum ſimplex,perpetuum, & abſolutum inducitur non ſolum ex mente teſtatoris, ſed etiam ex verbis, & quibus verbis, & coniecturis huiuſmodi fideicommiſſum inductum cenſeatur.

SVMMARIVM.

Teſtatoris mens in teſtamentis potiſſimum attendenda eſt, præſertim in materia fideicommiſſi, num. 1. & numer. 6. & num. 8.

Fideicommiſſum tacitè inducitur ex tacita teſtatoris voluntate, quibuſcumque verbis coniecturis, vel præſumptionibus, vel quouis alio modo apparente, nu.1.

Fideicommiſſum inducitur ex verbis generaliter conceptis, & prægnantibus, nu.1.

Fideicommiſſum perpetuum cenſetur inductum, quando teſtator voluit ſua bona non poſſe exire, vel auferri ab eius hæredibus, & ſucceſſoribus, voluitque eſſe dictorum hæredum,& ſucceſſorum,eorumque filiorum,& ſucceſſorum, num.2.

Fideicommiſſum perpetuum, ſimplex,& abſolutum,cenſetur inductum a teſtatore per prohibitionem alienationis, vt bona remaneant penes ſuos ſucceſſores, & ſic per nomen collectiuum, nu.3.

Prohibitiones alienationis quando intelligantur reſtrictæ ſecundum præcedentem ſubſtitutionem, & fideicommiſſum, cenſeanturque conſequutiuæ,& acceſſoriæ ad dictam ſubſtitutionem, nu.4. & 5. & num.7. & 8.

Dilectus à teſtatore magis præferendus eſt minus dilecto, & ita eius voluntas interpretari debet, nu.5.

Teſtamenti vna pars aliam declarat, nu.5.

Subſtitutiones ſubſequentes an, & quando regulari, & reſtringi debeant ad limites præcedentis ſubſtitutionis, nu.7.

DECISIO XIV.

1 FVit per Dominus vnanimiter reſolutũ per obitũ quondam D.Vincentij Iunioris fuiſſe factum locum fideicommiſſum ad fauorem D. Caroli, idque tam inſpecta mente teſtatoris, quæ potiſſimum eſt attendenda, *leg. cum virum, ff. de fideicomm. leg. pater Seuerinam, ff.de condit.& demonſtrat. cum vt inquit Alex. conſil.*110. *num.* 5. *libr.* 4. materia fideicommiſſi taliter ſit fundata in voluntate defuncti, quod quibuſcumque verbis, coniecturis, vel præſumptionibus, vel quouis alio modo poteſt apparere de ea, ſufficiat ad inducendum fideicommiſſum, *Socin. iun. conſil.* 110. *num.* 10. *libr.* 3. quam etiam inſpectis verbis, quæ ſunt ita generaliter concepta, & per verba adeo prægnantia, vt ex eis in multis partibus teſtamenti cenſeatur inductum perpetuum, ſimplex, & abſolutum fideicommiſſum inter deſcendentes Vincentij ſenioris,& cõſequenter ad fauorem D.Caroli eius filij, &c.

2 Verba ſunt clara, vult enim quod bona, de quibus agitur,nec minima pars eorum poſſit exire,vel auferri vllo vnquam tempore ab eius hæredibus, & ſucceſſoribus, quos nominauit,& eſſe voluit Alexandri, & Caroli eius filiorũ,& ſucceſſorum eorum,& ſic fatendum eſt in neceſſarium antecedens, inductum fuiſſe abſolutum fideicommiſſum ad fauorem Caroli ne dum in caſu obitus Alexandri ſine filijs, ſed etiam filiorum, qui ſine filijs deceſſerunt, quia aliter contra expreſſam diſpoſitionẽ teſtatoris auferretur pars ipſorum bonorum à D. Carolo eius filio, & hærede, *ad not.in l.2. ff de iuriſd. omn. iud. Deci. conſ. 38. ſub nu. 2. Pariſ. conſ.1. nu.32. lib.3. cum alijs allegatis.*

3 Et eo magis, quia ex iſtis verbis cenſetur inducta prohibitio alienationis, vt bona remaneat penes ſucceſſores ipſius teſtatoris, & ſic per nomen collectiuum, quo caſu exploratum eſt induci perpetuum, ſimplex, & abſolutum fideicommiſſum inter ipſos deſcendentes, & poſteros *l. cum ita, §. in fideicommiſſo, vbi Caſtrenſ. l. peto, §. fratre, ff.de l.2. Dec. conſ. 38. ſub nu. 1. fin. Caſtren.in l.Gallus, §.quidam recto. ſub nu.9.& Socin. d.nu.9. verſ. quartus caſus ff. de liber. & poſth. Socin. conſ. 90. col.fin. lib.1. & in l.ſi cognatus, n.32.ff. de reb.dub. Ruin. conſ.158. nu.12. lib.2.*

4 Non obſtat, quod iſtæ prohibitiones intelligantur retentis terminis fideicommiſſi, iuxta *conſ. Dec. 636.* maximè ſtantibus verbis, vt inferius explanabitur, & in alia prohibitione ſubſequenti, vt ſupra, & ſic decedente Alexandro ſine filijs, qui caſus non euenit, ex quo deceſſit relicto *Vincentio* iuniore *iuxt.conſ.Oldra.* 21. Quia huiuſmodi prohibitiones non ſunt conſequutiuæ, & acceſſoriæ ad ſubſtitutionem, ſed ſtant de per ſe, & illa verba,vt inferius explanabitur, referuntur ad ordinem ſucceſſionis, & alia verba (vt ſupra) intelliguntur reſpectu perpetuitatis, &c.

5 Et in hoc caſu ſumenda eſt interpretatio, vt euitetur abſurdum ne minus dilectus præferatur magis dilecto contra *leg. Publicus, §.fin. de condit.& demonſtr. & in ſimilibus terminis notat. Socin. conſil.81. colum.primo, libr.4.* Et ideo cum clarum ſit vocatos eſſe deſcendentes ipſius Caroli,à fortiori dicendum eſt,ipſum quoque fuiſſe vocatum, cum ſit præſumendum,teſtatorem habuiſſe maiorem affectionem ad D. Carolum filium, quàm ad eius deſcendentes remotiores, & ignotos *Bald. & Cuman. in leg. cum ita, §. in fideicommiſſo, ff. de leg.2.* maximè quia vulgare eſt, vnam partem teſtamenti recipere declarationem ab alia, *l. quia filia-*

filiabus. vbi latè Ias. de leg. 1. Vnde quemadmodum testator post decedentem Alexandrum sine filijs, vocauit primo loco Carolum, & ipso non existente eius descendentes, ita etiam dicendum est, testatorem intellexisse quod deficientibus descendentibus, & sic linea Alexandri, primo loco succedat Carolus, & eo non existente, descendentes ipsius.

6 Accedit etiam, quod cum ex supradictis constet de enixa mente testatoris inducendi perpetuum, & absolutum fideicommissum, est sumenda hæc interpretatio, per quam menti satisfit. *Anchar. cons. 95. sub num. 5. vers. alius ergo sensus. Et Simon de Pret. qui alios allegat de interpret. vlt. volunt. lib. 3. solut. 11. num. 44. fol. mihi 291. &c.*

7 Nec obstat, quod dictæ substitutiones debeant regulari, & restringi ad limites primæ substitutionis, & sic in casu obitus Alexandri sine filijs. *Alex. cons. 139. lib. 6. Ias. cons. 128. lib. 2. cum alijs*, de quibus per informantes. Quia hoc procedit si substitutiones regerentur a prima, & starent accessoriè, & consequutiuè ad illam, vt loquuntur Doctor. allegati, in quibus etiam in terminis procedunt decisiones in causa Albanen. Bonorum, & Romana de Maximis, in contrarium allegatæ, secus autem, vbi vt in hoc casu substitutiones stant principaliter de per se, & habent verba separata, & sunt positæ in diuersis, & separatis orationibus, quo casu inducitur separatum, & diuersum fideicommissum a præcedenti, *Dec. cons. 38. col. 2.* & fuit resolutum in causa Foroliuiensis, fideicommissi coram Illustriss. Card. Aldobrandino 19. Martij 1576. Et præsertim, quia in isto fideicommisso, videtur testatorem voluisse inducere onus reale in istis bonis. *Paris. consil. 90. nu. 43. & cons. 92. nu. 45. lib. 2.*

8 Ex his tollitur *cons. Oldrad.* 21. Vltra quod nō procedit, vbi apparet de contraria mente testatoris, quæ in casu nostro est perspicua. *Corn. cons. 146. lib. 2. Dec. cons. 477.* cum latè cumulatis per *Marzar. cons. 4. num. 11.* & pluries fuit resolutum.

R.P.D. ORANO.

Cæsaraugustani Exemptionis. Veneris. 13. Nouembris. 1587.

ARGVMENTVM.

Episcopus contra Regulares priuatiue, quoad Abbatem Iurisdictionem habet, quando proceditur in figura iudicij, & quando eorum delicta sunt communia, quia scilicet offendunt communem conuersationem. Quando vero Monachi delinquunt contra regulam, Abbas contra eos procedit ad corrigendum, & penitentiam infligendum.

SVMMARIVM.

Archiepiscopus in Regulares in criminalibus, quando in figura Iudicij proceditur priuatiue, quo ad Abbatem, vel Priorem habet iurisdictionem, nu. 1. & per tot. & nu. 11. & seq. Vbi respondetur contrarijs.

Episcopus in tota sua Diœcesi tam contra Regulares, quam sæculares super omnimoda iurisdictione habet intentionem fundatam. nu. 2. & per tot. & nu. 12. & seqq. vbi respondetur contrarijs.

Monachi exempti vbi delinquunt extra locum exemptum positum ab ordinarijs non obstante exemptione castigari. numer. 3.

Abbates in ecclesijs sibi subiectis habent ius instituendi: Monachi autem ibi delinquentes iudicio Synodi mulctantur, & felici mucrone Episcopi Sacerdotum piacula resecantur. num. 4.

Episcopi munus est monachos ad sanctam conuersationem promouere, Abbates, aliaque officia instituere, atque extra regulam acta corrigere. num. 5.

Appellare non licet à sententia data contra Religiosos Regulares per viam pœnitentiæ correctos. nu. 6.

Visitatores delinquentes monachos per loci Abbatem corrigi faciunt. num. 7.

Abbates contra monachos procedere possunt ad correctionem secundum instituta regulæ, non autem in forma Iuris, numer. 7.

Minor Episcopo causas Criminales non agit. nu. 8.

Iudiciorum strepitum magis expediens est coram Episcopo exerceri, quam coram Abbate. nu. 9.

Monachi tenentur potius obedire Abbati, quam Episcopo in his, quæ concernunt fractionem voti, & obseruationem regulæ: secus vbi agitur de Causis iuxta ordinem Iuris tractandis iure potius Episcopo, quam Abbati obedire debent. nu. 10.

Delicta Monachorum dupliciter considerantur, aut eorum propria, quia contra regulam, vel vt Communia, quia offendunt Communem Conuersationem. Primo Casu Abbas contra Monachos procedit. Secundo procedit Episc. nu. 12.

Abbas potest Monachos excommunicare respectu tantum fori pœnitentialis, non autem contentiosi. num. 13.

DECISIO XV.

1 QVemadmodum hanc sententiam tanquam communiorem, & apud Doctores magis receptam Domini alias amplexi sunt, quæ vult, quod in criminalibus, quando in figura iudicij proceditur, Dominus Archiepiscopus in regulares priuatiuè ad Abbatem, vel Priorem fundatam habet intentionem. Ita etiam hodie super illius veritate particulari proposito dubio, eam tanquam verissimam concorditer multis moti iuribus, & rationibus sunt sequuti.

2 Primo quod indubitatum sit, Episcopum in tota sua diæcesi super omnimoda iurisdictione tam contra Regulares, quam Sæculares de iure fundare intentionem suam *per tex. in cap. cum personæ de priuileg. in 6. cap. cum contingat, & ibi Doctores, de foro comp. cap. 1. de offic. ord. cap. omnes Basilicæ 16. q. 7. Firm. de Episcopo in 4. lib. par. 2. q. 35. num. 80. Dec. in cap. sua nobis. 4. notabili de confirm. vtili vel inutil.*

3 Secundo, ratione *tex. cap. 1. de priuil. in 6.* qui habet, quod vbi monachi exempti delinquūt extra locum exemptum, possunt ab ordinarijs non obstante exēptione castigari, ergo si non fuerint exempti possunt etiam si delinquant in loco exempto puniri.

4 Tertio ex dispositione c. 1. 16. q. 2. vbi Abbates ius habent in Ecclesijs sibi subiectis instituendi, sed si Monachi ibi delinquāt iudicio Synodi mulctant, & felici mucrone Episcopi sacerdotū piacula resecātur.

5 Quarto doctrina *tex. c. 1. 18. q. 2.* vbi ad officium Episcopi spectat monachos ad conuersationem sanctam promouere, Abbates, aliaq; officia instituere, atq; extra regulā acta corrigere: hinc enim arguere licet in delictis contra regulam commissis Abbates cognoscere, aliorum verò extra regulam perpetratorum, quando ordine iuris seruato proceditur, cognitionem, & animaduersionem Episcopis reseruatam esse.

6 Quinto quia huic distinctioni consentit *text. in c. reprehensibilis iuncto c. ad nostram. de appel. in quib.* habetur quod Episcopus iudicialiter procedere debet ad prolationem sententiæ excommunicationis monitione premissa, & quod eo casu condēnato remedio appellationis subueniat: sed quādo de Religiosi correctione cōtra regulare Prælati sui, & Capituli disciplinam agitur, nō licet appellare, & rō est, quia tunc nō proceditur secundum iuris ordinem, sed per viam penitentiæ corrigendo *gl. d. cap. ad nostram. in verbo minus.*

7 Sexto, quod eandē confirm. *c. fin. de stat. Monach.* vbi præcipitur visitatorib. vt Monachos delinquentes per loci Abbatē corrigi faciant, eisq; iuxta Beati Benedicti regulā, & Apostolicam instituta penitētiā salutarem iniungant: hinc enim colligitur, Abbates tantum

tantumodo contra Monachos procedere ad correctionem secundum regulæ instituta non autem in forma iuris, qua alias si in figura iudicii liceret illis procedere, Papa mandasset visitatoribus, vt curarent Monachos delinquentes puniri ab Abbatibus, iuxta formam iuris; Quare, etiamsi text. addat (& Apostolica instituta:) ex hoc intelligi debent quo ad Apostolica instituta disponentia super regula, & super modo correctionis,& pænitentiæ iniungende non autem,quod absolute concedat Abbati iurisdictionem procedendi ordinarie secundum formam iuris.

8 Quibus accedit ratio deducta per *Innoc. in c. quanto.n.2.de off.ord.* quod cũ superior cõfirmauerit regulam, censetur Abbati dedisse facultatem faciendi ea, quæ in regula continentur, si autem in iudicio est procedẽdum criminaliter, sub Episcopo fieri debet quia minor Episcopo causas criminales non agit.

9 Addebant etiam aliqui ex Dominis expediens magis esse iudiciorum strepitum coram Episcopo exerceri,quàm coram Abbate,iuxta *c.reg.84.num.35.*

10 Præterea consideratum fuit quidam Monachi tenentur potius obedire Abbati, quam Episcopo in his,qui concernunt fractionem voti,vel abstinentie vel in silentio retinendo,& obseruatione regulæ,sed vbi agitur de cura animarum ab Episcopo suscepta, vel de causis iuxta ordinem iuris tractandis, tunc potius Episcopo, quàm Abbati obsequium ab eis debetur, Ita distinguit *Card. in clem.1. §.quia vero.q.8. nu. 3. de stat. Monach. Brix. in Verb. Monachus versic. an Monachus debeant obedire.*

11 Nec premissis visa sunt repugnare iura in contrarium adducta. Et primo *c. nullam,17.q.2.* dum inquit quodtota potestas ad Abbatẽ pertinet: quia non propterea excludit Episcopum, sed Monachos, vt ibi aduertit *gl. in verb. tota. similiter text. in c. Abbates eadem q.& causa*, loquitur de obedientia, quæ nihil commune habet cum Iurisdictione circa delictorum punitionem. Et dum subijcit quod reus erit ille Abbas, qui non regulariter animaduertit, nihil obstat, quia si regulariter, hoc est, secundum regulam debet corrigere; supponitur, quod delictum sit de his,qui regulam continet.

12 Ad reliqua patet responsio ex Cons. Ægid.5.& hic Informantes pro Domino Archiepiscopo adductis. Nam delicta vel considerari possunt,vt propria Monachorum, quia contra regulam, vel vt communia, quia scilicet offendunt etiam communem conuersationem *argument. l. militum, de re milit.* In delictis igitur pertinentibus ad regulam, & instituta regularia immediatus est iudex Prælatus Regularis, & ita procedunt allegata iura pro Capitulo de Pilari. In reliquis vero communibus non potest prohiberi Episcopus, quin seruato iuris ordine in delinquentes Regulares ad vindictam pena iuris ordinaria animaduertat,*c.1. c. monasteria. 18. q.2.*

13 Nec refragatur,quod Abbas possit excommunicare, *c. cum ab Ecclesiarum, de off. ord. c. cum ex Ecclesijs, de maior.& obed. cum simil.b.* Excommunicatio autem sit fori contentiosi, *Abb.in c.cum contingat, num.30. de for. compet.* Quia non propterea sequitur, Abbatem contentiosam iurisdictionem in criminalibus exercere posse.*Hostien.in c. transmissam, propè finem, vers.& hoc quod confirmatur,de elect.* Nã & Curatus potest excommunicare, & tamen iurisdictionem contentiosam non exercet. Itaque hoc fit respectu tantum fori Penitentialis,sicut etiam faciunt cęteri Prelati inferiores. *Butr.in d. c. cum contingat, nu.13.vers. quidam sunt habentes, Abb. nu. 29. vers. puto tamen nu. 33. vers. quarta conclusio,* Reseruat tamen Domini videndum, An hæc iurisdictio Episcopo priuatiue ad Abbatem competens procedat, quando per viam inquisitionis proceditur.

R. P. D. BVBALO.

Valentina Administrationis 2. Decembris 1587.

ARGVMENTVM.

Ex Summario sumas Argumentum.

SVMMARIVM.

Capitulum ex dispositione Iuris Communis habet intentionem fundatam super administratione bonorum,& redditũum Ecclesiæ, nu.1.

DECISIO XVI.

1 NOn est dubium, attenta omni dispositione iuris communis, quod Capitulum habet intentionem fundatam super administratione bonorum, reddituum Ecclesiæ,vt bene probatur *ex gl. notab. in c. pen. verb. Assisios, de Cler.non resid. vbi Butr. num. 8. Abb. num.9. in fin. idem probat. Text. in cap.relatum 2. de testam. vbi Abb. num.5.* expresse dicit, quod Capitulum administrat bona communia intuitu Ecclesiæ acquisita, & hoc in terminis administrationis anniuersariorum fuit pluries resolutum in Rota, vt patet ex *dec. Caputaq. 84. lib. 1.* & in vna Barchinonen. Anniuersariorum, coram Coma de anno 1554. & latissime fuit deductum in vna Gerunden. Anniuersariorum 26. Ianuarij 1576. coram D.de Grassis,quorum rationes Dominis placuerunt.

R. P. D. ORANO.

Cæsaraugustana Exemptionis Lunæ 28. Martij 1588.

ARGVMENTVM.

De iurisdictione Episcopi in Monachos Regulares delinquentes priuatiue quo ad Abbatem, vel Priorem notabilis, & vera distinctio.

SVMMARIVM.

Episcopus de iure communi habet fundatam intentionem priuatiue,quo ad Abbatem, & Priorem castigandi Monachos Regulares iudicialiter,quando delinquunt, extra regulam non solum per viam accusationis, sed etiam quando per viam inquisitionis proceditur,nu.2.

Monachi regulares non ab Episcopo, sed ab eorum Abbate corriguntur, & puniuntur, quando delinquunt contra regulam, & alias eorum delicta extra regulam non essent delicta, num.2.

DECISIO XVII.

1 REsolutum fuit, Dom. Archiepiscopum de iure communi in regulares priuatiuè ad Abbatem, vel Priorem fundatam habere intentionem, non modo quando iudicialiter extra regulam in delictis per viam accusationis, sed etiam quando per viam inquisitionis ad effectum publicæ vindictæ proceditur.Iuxta enim indistinctè potestatem corrigendi Monachos etiam extra regulam delinquentes Dom. Episcopo tribuunt *capit.de persona, 11.quæst.1. cap.qui verè, in princip.16. quæst.1. cap. 16. q.1. cap. Abbas, cap. monasteria. el 1. cap. cognouimus, 18. quæst.2. Ægid.cons. 5. num.32. Marian.in cap. qualiter, & quando, num. 84. de accusat.* & in vtroque Casu eadem militat ratio. Alias in præsenti causa considerata in contrarium allegata repugnant, quia loquuntur, aut quando versamur in delictis contra regulam commissis, eaque alias extra, Regulam non essent delicta, vt puta si regularis contra Regulæ institutum, come-

comedat carnes, Abbati debitam reuerentiam non potest, & similia committat.

1 Nam in his nemo dubitauit iurisdictionem Abbati, aut Priori priuatiue ad Episcopum competere, per deducta alias coram Reuerend. D. Oriol. in illa Augustana iurisdictionis. Aut etiam quando delicta continent duplicem deformitatem, videlicet quia offendant communem conuersationem, & regularem disciplinam, qualia sunt furtum, adulterium, & alia, quæ contraria sunt Præcepto Dei, & eorum voto, in his siquidem cognitio etiam per inquisitionem pertinet ad Episcopum, & Abbatem, seu Priorem, sed diuerso respectu. Nam Abbas sine strepitu, & figura iudicij secundum constitutiones Regulæ contra nocentes, esset per viam Inquisitionis procedit. *Abb. in repet. c. si quis Clericum. n. 47. de foro compet.* Episcopus verò seruata dispositione iuris communis de qua in c. qualiter, & quando de accusat. in eos animaduertit. Quare Abbati, seu Priori concessa est quidem à Iure facultas visitandi Regulares, eos corrigendi, Censuras in ipsos fulminandi, carceribus mancipandi, sed cum temperamento videlicet, quatenus extraiudicialiter hæc faciat, & Statutis Regulæ tam in cognitione, quam decisione inhæreat, Iuribus hic per Informantes allegatis, & ita decisum.

REV. P. D. PERVSINO.

Romana Hæreditatis de Zambecchariјs Lunæ, 2. Maij 1588.

ARGVMENTVM.

Sententia est nulla ob non seruatos terminos substantiales, & ob citationem non specificè factam ad audiendam sententiam, personarumque legitimatio plene facienda etiam in iudicio summario.

SVMMARIVM.

Sententia dicitur nulla, quando in iudicio non sunt seruati termini substantiales. n. 1.
Ægidianam appellationem, prohibens in possessorio, non excludit nullitatem. num. 1.
Citatio ad sententiam debet esse specifica ad audiendum sententiam nec sufficiunt æquipollentia verba. num. 2.
Citatio non tenet, quando actus explicatur alio modo, quàm citatio dictat. num. 2. in fine.
Legitimatio personarum plenè facienda est etiam in iudicio summario, num. 3.
Testes duo de simplici auditu non concurrentibus adminiculis plenè non probant, num. 3.
Sententia celeriter lata non habet pro se præsumptionem. n. 4.
Rota non exequitur sententias aliorum iudicum nisi iustificentur. num. 5.

DECISIO XVIII.

1 IN causa Romana hæreditatis de Zambecharijs apparuit euidens nullitas sententiæ extra Rotam latæ ad fauorem Dominorum de Æmilianis in iudicio possessorio, ex eo quod substantiales termini seruati fuerunt nulliter vnico contextu absque reiteratione Sanatoria. *Cassad. decisio. 8. de rescript.* Vnde resultat exclusio Ægidianæ, *Innoc. in c. delicto, num. 2. de appell. Bald. in l. fi. num. 6. C. de si mom. poss. Corn. cons. 10. n. 4. lib. 4. Afflict. decis. 183. num. 1. & seq.*

2 Sed & pleriq; ex Dominis sentiebant eandem sententiam nullam esse, etiam ex defectu citationis, quæ debuit esse specifica ad audiendum sententiam, *clem. sæpe. vers. sententiam vero. vbi gl. in verb. ad id. Card. n. 9. Innoc. n. 48. de verb. sign. Fel. in c. consuluit. n. 16. de off. deleg. Rom. cons. 269. nu. 8. Matth. sing. 8. Rota decis. 17. de re Iud.* in nou. cui non æquipollet citatio ad videndum decerni mandatum de manuten. & de immitten. quia à tali decreto poterant partes reponi. Ideo forte non curarunt comparere, & quando actus explicatur alio modo, quo citatio dictaret citatio non tenuit, *l. aut qui aliter. vbi Bart. in princ. quod vi, aut clam. Felin. in c. 1. n. 34. de re iud. Veral. decis. 83. num. 2. par. 3.*

3 Iustitia quoque eiusdem sententiæ visa fuit omnibus turbida, tum quia per duos testes de simplici auditu non currentibus requisitis *per c. licet ex quadam. vbi Abb. nu. 12. de test.* minime intelligi possunt Dominos Æmilianos legitimasse suas personas, prout plenè legitimandæ erant esset in iudicio summario, *gl. in l. 2. vbi Bart. Salic. & Ias. C. de edic. Diu. Adr. tol. Paris. cons. 21. n. 1. & seq. lib. 2. Aym. cons. 104. n. 1. maxime partib. opponentib. Dec. & Ias. in rub. C. quæ admit.*

4 Tum quia prętendentibus alijs antiquiorem titulatam possessionem, & potiora iura, pro quorum iustificationem producta fuerunt instrumenta in actis, & articuli admissi celerius aliquanto properatum fuit ad sententiam diffinitiuam, vt pro ea visum fuisset non esse præsumendum, iuxta *doct. Bar. in l. prolatam. C. de sent. & interl. omn. iud.*

5 Itaque fuit per omnes conclusum. Ægidianæ, vel executioni locum non esse, eoque minus quòd Rota non exequitur sententias aliorum Iudicum, nisi iustificentur, vt per *Chis. decis. 159. & Cott. decis. 357.*

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO D. CARD. PAMPHILIO.

Fauentin. Fideicom. de Passijs. Ven. 20. Maij. 1588.

ARGVMENTVM.

Fideicommissum perpetuum, & absolutum quando inductum dicatur per prohibitionem alienationis bonorum hæreditariorum, quia testator voluit illa remanere in agnatione, & familia.

SVMMARIVM.

Substitutio facta filio decedenti in pupillari ætate dicitur pupillaris. num. 1.
Substitutio pupillaris expirat instituto decedente post pupillarem ætatem. num. 1.
Grauamen impositum vsque ad certum tempus post dictum tempus expirat. num. 1.
Substitutio limitata ad tempus vltra illud tempus non extenditur. num. 1.
Fideicommissum non habet locum nisi vbi verba expresse illud indicant. num. 1.
Substitutio accessorie, & consequutiue veniens ad præcedentes substitutiones regulatur, & non excedit fines dictarum præcedentium substitutionem, ad quas venit consequutiue. num. 2.
Prohibitio alienationis cum causa, quia vult bona remanere in agnatione, inducit perpetum, & absolutum fideicommissum. Declara, vt num. 3. & seq.
Singula singulis referenda sunt in materia substitutionis, numer. 5.
Finita pupillari ætate libera facultas disponendi de bonis suis alicui relicta censetur, num. 6.

DECISIO XIX.

1 DOmini pro maiori parte steterunt in resolutis sub die 12. Ianuarij 1582. coram R. P. D. meo Blanchetto, & tenuerunt, ex testamento Annibalis non esse inductum aliquod fideicommissum, cui sit factus locus per obitum Bartholomæi ad fauorem Fabricij.

Etenim substitutio de ipso facta est tantum pupillaris, quia est facta filio decedenti in pupillari ætate. *l. 1. §. 1. & l. qui liberis. in prin. ff. de vulg. gloss. in leg. præcibus, in glos. magna. in fin. C. de impub.* Vnde

cum Bartholomæus decesserit iam pubes factus, euanuit, vt not. in l. 2. & in l. in pupillari. ff. de vulg. grauamen enim impositum vsq; ad certum tempus post d. tempus expirat l. pater. §. fundum. vbi Bart. ff. de leg. 3. Ruin. cons. 122. lib. 2. & in substitutione limitata ad tempus, quod vltra illud non extendatur, est text. in l. si quis me. ff. de vulg. Paris. cons. 23. col. 1. lib. 3. & facit quod in hac materia ad excluden. fideicommissum sufficit dicere, quòd substitutio hoc casu non loquitur, Ioan. Andr. in addit. ad Specul. in tit. de test. §. primo occurrit. Socin. consil. 62. num. 7. lib. 3. cum vulg.

4 Neque obstare prohibitionem alienationis cum causa, quia vult bona remanere in agnatione de Pasijs & deuenire in vno ad alium iuxta gradus prærogatiuam, quia cum veniat accessoriè, & consecutiuè ad præcedentes substitutiones, siue illam referemus ad priorem substitutionem pupillarem factam filio in pupillari ætate morienti, illa secundum dec. in Rota, in pluribus causis factas, semper est ita regulanda, vt non excedat fines substitutionum præcedentium, ad quos venit consecutiuè, vt fuit dictum in causa Bonon. de Pepulis, coram bo. me. Orad. de ann. 1562. de qua per Caputaquen. decis. 122. lib. 2. in manuscr. & in alia Bonon. Bonorum de Bonasonis, de anno 1573. coram Caputaquen. & optime distinguendo plures casus in alia Foroliuien. de Bonsignanis 18. Martij 1576. coram illustrissimo D. Cardinali Aldobrand. & in alijs sæpius. Censetur enim prohibitio adiecta retento eodem themate præcedentium substitutionem, & facta ad maius robur earum, vt de facili controuerti non possit iuxta cons. Dec. 636. pluries canonizatum in Rota, & Alex. cons. 59. num. 9. lib. 3. Illustrissimus Card. Alba. cons. 1. num. 9. cum alijs alleg. procedentibus, non comprehendatur iste casus obitus Bart. post pubertatem, quia Prior substitutio est restricta inter hæredes institutos, alia est pupillaris tantum, dicendum est prohibitionem alienationis in hoc casu non suffragari.

3 Et sic cessat quod dicebatur, prohibitionem huiusmodi esse aptam inducere fideicommissum absolutum, nedum in casu alienationis, sed esset mortis vt not. Aret. in l. qui Romæ. §. cohæredes. col. 2. vers. 2. vbi autem, & ibi Soc. col. 57. vol. 1. lib. 3. cum alijs alleg. quia loquuntur in casibus, vbi ex sola prohibitione quæritur an sit inductum fideicommissum, non autem vbi præcedit aliud fideicommissum, à quo prohibitio dependeat, primo enim casu, cum prohibitio sit indefinita, & nullo casu coarctata, locum sibi vendicat perpetuo, quam diu superest aliquis de familia, secus verò in posteriori casu, in quo prohibitio recipit limitationē à casibus in fideicom. comprehensis, vt per Alex. cons. 59. lib. 3. Dec. cons. 639. Alc. l. pater filium. §. fundum. in fin. de leg. 3. Cephal. cons. 17. sub n. 24. & fuit dictum in causa Bonon. de Pepulis, & alijs supra citatis.

4 Neque ideo redduntur superflua verba illa (cum velit bona sua remanere in agnatione de Pasijs, & deuenire de vno ad alium secundum gradus prorogatus) quia omnia ista locum habent, verificata conditione prioris substitutionis, & sic si fiat locus pupillari substitutioni, tunc enim per hanc prohibitionē ampliatur, & extenditur fideicom. respectu substitutorum filio, ac totius familiæ de Pasijs, iuxta gradus prærogatiuam, Alex. cons. 139. col. 2. lib. 6. Rub. Alex. in l. Gallus §. quidam rectè. sub. n. 68. ff. de liber. & posthum. Dec. cons. 636. Illust. Card. Alb. cons. 1. num. 5. Ceph. cons. 17. sub num. 9. cum alys alleg. & fuit pluries per Dominos decisum in causa Alban. Fideicom. Rom. de Maximis, & alias sæpius, & ita procedunt auctoritates allegatæ ad extensionem fideicommissi. Inducitur enim nouum fideicom. inter illos de familia, postquam semel ad eorum fauorem factus est locus pupil. substitut.

5 Nec aliquid facit, quod prohibitio facta sit omnibus tam institutis, quam substitutis quia sēper debet intelligi retento eodem themate institutorum, & substitutorum ad eorum conseruationem, referendo singula singulis, iuxta gl. in l. si negotium, C. de neg. gest. Dec. cons. 186. col. 2. vers. quarto consider. & cons. 24. col. pen. vers. non obstat esset. Aym. cons. 98. num. 11. non autem quod extendatur vltra casus expressos. Ruin. cons. 89. sub num. 2. lib. 2. Cephal. d. cons. 17. & apparet ex decis. in dicta causa Bonon. de Pupilis, vbi prohibitio facta supradictis filij hæredibus masculis fuit intellecta, quod haberet locum, verificata conditione prioris substitutionis, alias enim cum prohibitio alienationis semper fiat hæredibus institutis, confunderetur illa communis opinio, quòd prohibitio alenationis esset regulanda à casu præcedentis substitutionis.

6 Quę omnia eo magis coadiuuabant secundum Dominos, quia si testator voluisset filio omni tempore decedenti sine filijs, substituere filiam, ineptè sese restrinxisset ad tempus pupillaris ætatis, & redderetur omnino superflua ipsa pupillaris substitutio, fideicommissum absolutum omni casu esset iniunctum omnibus fauore familiæ, & ideò potius dicendum est, quod Pater voluerit prouidere filio tantum in casu obitur in pupillari ætate, & sic in tempore quo ipse sibi proter defectum ætatis prouidere non poterat, relinquendo illi liberam facultatem disponendi de bonis suis post pubertatem, confisus quod de illis esset dispositurus ad fauorem familiæ, & prout prudentem decet, Marian. iun. cons. 95. n. 18. lib. 1. Alia in contrarium deducta bene tolluntur per Informantem pro Iacobo, cum quibus Domini pro maiori parte transierunt.

R. P. D. GRANO.

Cæsaraugustana Exemptionis, 12. Februarij 1590.

ARGVMENTVM.

De iurisdictione Episcopi in Regulares priuatiue quo ad Abbatem, vel Priorem.

SVMMARIVM.

Monachi Regulares iuxta Regulam Sancti Augustini non puniuntur in figura iudicij, sed salutari tantum pænitentia. num. 1.

Statutum non dicitur frustratorium, & superfluum, si ex eo declaratur id, quod de iure communi erat obscurum, n. 2.

Statutum vt non dicatur superfluum, & frustratorium, sufficit vt aliquid operetur, n. 8.

Monachi in visitatione non iudicialiter puniuntur, sed tantummodo ad morum correctionem, num. 3.

Beneficia Regularium sunt manualia, & de iure communi Regularium Prior priuationis pœnam imponit. n. 4.

DECISIO XX.

POst resolutiones factas Agentes causam Prioris dubitare obtinuerunt, An ex statuto, vel consuetudine, maior iurisdictio dicto Priori competeret, quam de iure communi sibi sit concessa? Domini circumscripto capite consuetudinis, & præsupposita statuti existentia, de quo plurimum dubitabant, cum nec habeat subscriptionem Episcopi, neque sigillum resoluerunt negatiuè, nam in eo nihil habetur, in quo possit colligi, maiorem illi tributam iurisdictionem, quam de iure communi sibi competeret. Quantum enim ad delicta grauia, vt ex præmissis patet, cognitio illorum audientię Episcopi reseruatur, & circa leuia sola Correctio ei conceditur, & quidem limitatè secundum regulam Sancti Augustini, & venerabilem ipsius domus consuetudinem in figura iudicij c. fin. de stat. monach. Vbi Textus loquens secundum regulam S. Benedicti intelligit de penitentia salutari sine figura iudicij. c. ad nostram. in fi. & ibi glos. de appell.

2 Nec

2 Nec verba statuti sequentia, (& secundum Venerabilem domus consuetudinem;) ampliant illius dispositionem, præsertim cum nobis non constet quæ fuerit illa domus consuetudo, vnde interpretari illa verba oportet, vt inferant ad regulam consuetudine receptam. Neque inde infertur, quòd statutum fuit superfluum, si nil amplius sit operaturum, quam ius commune declarauerat. Quia primo superfluitas cessat, dum diffinit id, quod de iure communi erat obscurum, vt ex disputationibus in hac materia factis apparuit. *Abb. in c. solitæ, in glos. tanquam in fi. de maior. & obed. & in c. certificari. col. penult. de sepult. Gemin. in cap. si Papa. de priuil. in 6.* & nouum non est, quòd idem bis repetatur ratione tollendæ dubitationis. *l.1. §. Sed sciendum. vers. ergo puto. ff. de ædil. edict.*

3 Secundo sufficit, si aliquis operetur. Operatur autem dum concedit Priori ius priuationis contra incorrigibeles. Minus aduersatur, quòd per statutum Priori in visitatione concedatur facultas puniendi, quicquid reprehensibile inueniat, *&* contra incorrigibiles, & bis monitos procedendi ad punitionem. Quia non propterea sequitur, quòd sibi sit iudicialis cognitio permissa, facultas enim data Priori puniendi & corrigendi restringitur ad ea, quæ concernunt delicta regularia, & leui, & cum grauium cognitio statuto expresse Episcopo sit reseruata, & in visitatione iudicialiter non procedatur, sed tantummodo per viam inquisitionis præparatoriam ad morum correctionem, *c.1. §. sanè. de censib. lib. 6. c. placuit. 10. qu. 1. Specul. de inquis. §. 2. num. 6. & 9. Pau. in tract. de visit. par. 2. q. 7. num. 12.*

4 Neque contrarium resultat, quòd priuatio sit grauis pena, quæ solet imponi grauibus delictis: quia si attendimus verba statuti, priuationis pœna non imponitur propter grauitatem delicti. sed propter incorrigibilitatem, quod quidem non est mirum in regularibus, quorum beneficia sunt manualia. *Ægid. decis. 203.* & de iure communi Prior priuat. & destituit monachos, neque tamen de grauibus cognoscit, neque, dum destituit, iudicibliter procedit *c. qualiter, & quando. el. 2. in fin. de accusat.* & ita resolutum fuit.

R. P. D. GISPSIO.

Romana Castrorum, seu Tractationis Vener. 11. Maij. 1590.

ARGVMENTVM.

In hac decisione conclusiones firmatæ sumi possunt ex Summario.

SVMMARIVM.

Filiorum prima causa est succedendi ab intestato. n. 1.
Fideicommissum fieri potest etiam in contractibus. n. 2.
Exceptio non implementi agentem repellit, n. 3.
Filiorum hæredum, & successorum veniunt etiam feminæ. num. 4.
Verba clara vbi sunt, cessant coniecturæ. n. 5.
Possessori sufficit vincere per non ius agentis, n. 6.
Statutum vrbis excludens feminas propter masculos loquitur, quando adsunt filij masculi, vel nepotes, & tractatur de successione ascendentium, non autem quando patrui volunt excludere filiam à successione sui patris, n. 7.

DECISIO. XXI.

1 FVit conclusum, Illustrissimis Dominis fratribus bo. me. D. Io. Pauli Vrsini non esse dandam immissionem in possessionem hæreditatis, & Castrorum de quibus agitur, quoniam Illustrissima D. Catherina filia legitima, & naturalis Domini Ioannis Pauli habet intentionem fundatam de iure communi, cum ab intestato prima causa succedendi sit filiorum, *§. 1. instit. de hæred. quæ ab intest. deferunt.*

2 Non obstat quod in conuentione, seu transactione de anno 1558. facta inter Excellentiss. D. Paulum Iordanum, & Illustriss. D. Franciscum Vrsinum fuerit conuentum quod Castrum S. Georgij, seu aliud loco illius assignandum debret esse prædicti d. Francisci, ac filiorum masculorum, donec aliquis ex ipsorum filiorum in linea masculina reperiretur, quocirca videretur esse locum dictæ immissioni, maximè quia etiam in contractibus fideicommissum fieri possit, *l. vt hæredibus de l. 2. Cranet. cons. 19. n. 8. Marz. qui alis citat, in epitom. fideicom. q. 2.*

3 Quoniam pluribus modis fuit responsum, primo quod illa conuentio non fuit adimpleta, quia prædictum Castrum S. Gregorij nunquam fuit assignatum. Nec dicatur Castrũ Vicouarij loco illius subrogatũ fuisse, quia partes de illo non intellexerũt, vt bene ex lectura secundæ transactionis deprehenditur, exceptio enim non adimplementi repellit agentem. *l. 1. C. de dot. promis.* & conditio nil ponit in esse. *l. si. quis sub conditione. ff. si quis omiss. caus. test. cum similibus.*

4 Secundo dicebatur à prædicta conuentione per aliam transactionem postea subsequutam fuisse recessum, & datam nouam formam succedendi, siquidem ibi successio in castro non fuit restricta ad lineam Masculinam, sed simpliciter stipulatum fuit pro filijs hæredibus, & successoribus, quorum appellatione veniunt etiam feminæ. *Auth. defuncto. C. ad Tertul. Auth. ex successione. C. de suis, & legit. Cels. Vgon. cons. 120. n. 144. & seq.*

5 Non obstat quod illa verba transactionis pro se filijs, & hæredibus debeant intelligi de hæredib. masculis, & sic iuxta primam capitulationem quasi, quod hec senunda transactio emanauerit in exequutionem primæ conuentionis, quia verba huiusmodi sunt clara, & apta comprehendere feminas, ideo in claris non est opus coniecturis, ad *l. continuo. de verb. obl.* cum concord. Suadetur esset quia prima conuentio fuit inita inter Dominum Paulum, & Franciscum absentibus filijs, in secunda ipsi filij interuenerunt, & pro se ipsis, hæredibus, & successoribus stipulati fuerunt, quo fit, vt prima conuentio non possit præiudicare Dominæ Catherinæ, filiæ Domini Ioan. Pauli per allegata.

6 Quod eo magis dicendum videtur, cum ipsa sit in possessione, & sufficiat ei vincere per non ius agentis. Ideo cum prædicti fratres non doceant esse hæredes, & successores ixta formam dictæ conuentionis dubitan. non videtur esse repellendos. *Paris cons. 2. n. 26. lib. 1 Clar. in §. emphyteusis. q. 37. in vers. aut vero est concessa, & de comm. in §. feudum q. 9. vers. quandoque.*

7 Non obstat statutum vrbis *c. 145. lib. 1.* quia loquitur quando adsunt filij masculi, vel nepotes, & tractatur de successione ascendentium, non autem quando patrui volunt excludere filiam à successione sui patris, quod esset colligitur ex statuto sequ. c. 146. in quo particulariter tractatur de successione transuersalium, vt bene deducitur per D. Pompeium Arrigonium.

R. P. D. PEGNA DECANO.

Spoletana Bonorum, seu Spolij. Lunæ 12. Iunij. 1590.

ARGVMENTVM.

Possessorio intentato, & petitorio suspenso Tertius veniens ad causam pro suo interesse quando audiatur super petitorio, non obstante suspensione prædicta.

SVMMARIVM.

Possessorio intentato, & petitorio suspenso Tertius veniens ad causam potest agere petitorio, nec ei obstat suspensio, si non spoliauit, nec spoliare mandauit, numer. 1.

Declara, vt n. 2. vt videlicet non habeat locum quando tertius fuit admissus pro suo interesse in statu, & terminis, in quibus reperitur.

Possessorio intentato, & petitorio suspenso Tertius veniens pro suo interesse ad causam non auditur super petitorio, quando illud Tertij Ius est connexum cum iuce spoliantis. num.3. & seq.

DECISIO XXII.

1 IN iudicio spolij, quod Dominus Abbas Ancaianus intentauit contra Communitatem Spoleti, super Terris Conuigni, Rigouiti, & petani, quas ad Ecclesiam S. Petri de Forentillo pertinere prætendebat, petitorium suspenderat. Sed quia Capitulum Ecclesiæ S. Ioannis Lateranen quod per speciale Suæ Sanctitatis rescriptum tamquam tertius fuit admissum ad causam pro suo interesse dedit articulos maiori ex parte petitorium concernentes,& super eis testes examinari petebat. Dubitaui, an stante suspensione petitorij pro parte Abbatis Ancaiani, essent tales articuli admittendi. Domini firmarunt regulam affirmatiuam, quod tertius veniens ad causam potest agere petitorio, nec ei obstat suspensio si non spoliauit, nec spoliari mandauit *Rot. decis.3. de caus. poss. & proprietat. in Nouis. Mohed. decis.* 214. *incip. Culumbrien. Spolij. n.2. Fel. in c. cum super. n.17. vers. Scias esset. de sent. & re iud.* Nam cum priuilegium possessorij sit inductum in odium spoliantis, vel mandantis c. fide c. d. cognit.cum ad seden. de rest. spol. non debet afficere tertium non spoliante,ne spoliare mandantem, cum pœnæ suos authores tenere debeant, *c.1. de censibus cum vulgaribus.*

2 Non obstat, quòd prætenditur Capitulum venisse ad causam post suspensionem petitorij in statu, & terminis, quo casu non auditur in petitorio. *Verall. decis.* 224. *in manuscriptis.* Quia Capitulum principaliter quoque commisit causam super spolio, & venit vigore suæ commissionis, & non clausulæ generalis, quo casu non arctatur ad statum causæ cum suis qualitatibus. *Cassad. decis. prima. de except.*

3 Propositam regulam dixerunt Domini non procedere, quando ius Tertij ad causam venientis esset connexum cum iure spoliantis. Nam licet *Abb. in c. 2. de ord. cognit. & aliquot alij, quos refert. Gabr. tit. de restit. spol. concl. 1. num.47. vers. Contrarium aliud tenuerint.* Plures tamen Doctores, & maiori auctoritate fulgentes rectius sentiunt stante suspensione petitorij tertium super proprietate non audiri, si eius ius connexum sit cum iure spoliantis. *Innocen. in c. veniens. de spons. Imol. in d.c. in literis. de restit. spol. Felin. in c. super eo. num. 3. de offic. deleg. & in c. exceptionem, num.25.* vers. nisi ius tertij de except. Guid. Pap. sing. 276. incip. spoliatus possessione, & alij relati per Gabr. in loco proximè citato, & hanc opinionem tenuerunt Domini de *Rota.2. Decembris 1587.in vna Placent. seu Bobien. Bonorum coram D. Seraphino.*

4 Et ideo Domini ordinarunt, quod particulariter videretur, an ius Capituli. S.Ioannis Lateranen. esset connexum cum iure ciuitatis Spoletan. quæ prætenditur spoliatrix.

REVERENDISS. P. D. DECANO

Spoletana Bonorum. seu spolij. Mercurij. 4. Iulij. 1590.

ARGVMENTVM.

Ius tertij venientis ad causam pro suo interesse in iudicio possessorio, quando dicatur connexum cum iure spoliantis, ad effectum, vt non impediat restitutionem spoliato faciendam.

SVMMARIVM.

Possessorio intentato, & petitorio suspenso, non potest tertius veniens ad causam ius suum in iudicium deducere ad impediendam restitutionem spoliato, quando ratione iuris tertij spolians potest sentire aliquod comodum, & vtilitatem, num. 1.

Collusio probatur coniecturis, num.3.

Tertius venies ad causam in iudicio possessorio non potest impedire restitutionem spoliato faciendam, quando ius, quod prætendit, est connexum cum iure spoliantis. n. 3.

DECISIO XXIII.

1 DIe 18. Iunij præteriti Domini in ista causa firmarunt regulam cum limitatione, quæ tertius veniens ad causam potest agere petitorio non obstante eius suspensione, nisi ius tertij esset connexum cum iure spoliantis, & ideo nunc dubitaui an ius Capituli S. Ioannis Lateranen. tanquam tertij venientis ad causam sit connexum cum iure communitatis Spoletan. spoliantis. Et Dominis visum fuit esse connexum. Nam Capitulum vigore Bullæ productæ Bonifacij VIII.prætendit ad se spectare bona, de quibus agitur. Communitas Spoletana nititur Bulla Leonis X. confirmantis permutationem factam inter Franciscum Cibum, & Capitulum, vbi Franciscus cessit Capitulo portam Vrbis iuxta Ecclesiam Lateranen.& Capitulum versa vice cessit Francisco bona Abbatiæ, habita à Bonifacio VIII. quæ communitas Spoleti habuisse prætendit ab hæredibus Francisci.

2 Ex his infertur clara connexitas, quia cum communitas spoliatrix mediantibus illis de Cibo prætendat habere ius à Capitulo, non potest aliqua sententia ferri pro Capitulo, quæ non prosit Ciuitati spoliatrici, Vnde intrat regula, quòd quando ratione iuris tertij spolians potest sentire aliquod commodum, & vtilitatem, tunc ius tertij dicitur esse connexum cum iure spoliantis, nec potest tertius veniens ad causam illud deducere in iudicium ad impediendam restitutionem. *Ant. de Butr. in c. in literis, num.23. de restit. spol. & ibi latè Bero. num.102. versic. Vel dici potest & num. 103. Rip. in l. naturaliter. §. nihil commune. num. 80. ff. de acq. poss. Pont. tract. de spolio. libr. 3. num.95. Menoch. de recuper. remed.1. quæst. 33. n. 381.*

3 Non deerant præterea aliquot suspiciones per informantes in facto deductæ, quibus Capitulum Ciuitati spoliatrici collusiue fauere videretur, quæ, & coniecturis probari possunt. *Menoch. loco citato.* Vnde cum ius Capituli cum iure spoliantis connexum videatur, non potest Capitulum in petitorio concurrere cum Abbana intentante iudicium possessionis recuperandæ nec impedire quo minus restituatur, *Bero. in d. c. in litteris num. 102. versic. Vel dici potest.*

Et ideo fuit ordinatum, vt rescatis articulis petitorium concernentibus productis, pro parte Capituli super sapientibus possessorium tantum testes, quos vellet producere examinarentur, & ita factum fuit.

REV. P. D. PEGNA DECANO

Spoletana, Bonorum seu Spolij Veneris. 20. Dec. 1591.

ARGVMENTVM.

De probatione possessionis multa in hac decisione explicantur, de quibus in Summario, & præsertim de Protectore alicuius Ciuitatis, quod per exercitium cuiuscunque iurisdictionalis actus non dicitur habere possessionem, seu dominium in illa Ciuitate, in qua est Protector.

SVM-

SVMMARIVM.

Dubia in Rota disputantur non in abstracto, sed in specie cum clausula ad effectum, de quo agitur, nu.1.
Possidere insolidum duo non possunt, nu.2.
Excipiens debet clare, & concludenter probare suam exceptionem, num. 3.
Instrumentis in facto autiquo magis credendum, quam testibus, nu.3. & 4.
Possessio probatur per exactionem Collectarum, num.5.
Protectionem habens alicuius Ciuitatis, non potest in ea Collectas imponere, nu.6.
Protector alicuius Ciuitatis non habet in illa Ciuitate, quam protegit, iurisdictionem, possessionem, aut dominium aliquod, sed tantum Ciues in protectionem receptos defendere tenetur, nu.6.
Possidens de præsenti, non præsumitur possedisse de præterito, quando constat, quod de præterito alius possidebat, num.7.
Possessio probatur ex instrumentis locationum, n.8. Vbi declaratur quomodo hæc conclusio procedat.
Iurisdictionis probatio non infert ad probationem possessionis Terrarum, & Montium, & eorum dominium.
Potest enim esse, quod quis vti protector alicuius Ciuitatis exerceat in illa Ciuitate aliquot iurisdictionales actus, & tamen non per hoc in ea habeat aliquam possessionem, vel dominium, nu.9. & seqq.
Semper dictio includit omnes tempus, nu.14.
Oratio vniuersalis in parte falsa, in totum reputatur falsa, num.14.
Probatio in specie excludit probationem in genere contrariam, num.14. & seqq.

DECISIO XXIV.

1 IN hac causa post aliquas resolutiones factas ad fauorem Ecclesiæ pro parte Communitatis Spoleti porecto memoriali in Rota fuit petitum disputari sequens dubium: An ex testibus, & iuribus pro parte Communitatis adductis probaretur, Ciuitatem semper possedisse montes, & terras laboratiuas, de quibus agebatur, & Domini sub die 17. Maij proximè præteriti ordinarunt, quòd disputaretur dubium petitum, additis tamen more Rotali illis verbis a ad effectum, de quo agebatur, quia Rota in causis, quæ proponuntur non solet in abstracto dubia proponere, vel decidere. Effectus verò potissimus tendebat ad hoc, an per istam Communitatis probationem, sic de illius bono iure constaret, vt quæ hactenus deducta fuerat pro Ecclesia ei non suffragarentur, verba enim propositi dubij, & præsertim illa dictio semper, inibi ex industria posita, eo referebantur vt vel continuata Communitatis possessio, vel anterior possessione Ecclesiæ probaretur quòd si concludere potuisset Communitas parum Ecclesię suę probationes profuissent.

2 Postquam ergo quater fuisset istud dubium propositum, nempe sub die 26. Iunij & 2. Decembris, & 9. Decembris, anni præsentis, tandem sub die 20. Decembris vtraque parte informante, Domini censuerunt Communitatem non probare suam intentionē ad effectum de quo agebatur. Alterum enim ex duobus fuerat à Communitate concludenter probādum, vt sua se probatione tuto muniret, vel quod Ecclesia nunquam possederit, vel saltem, quod Communitatis possessio fuerit anterior, *decis. vlt. de restitut. spol. in nou.* quorum neutrum Communitas præstitit, non primum, nam firmiter stabilitum manere dictum fuit, quod de possessione Ecclesiæ iam ante annum Domini 1230. sub die 26. Martij 1590. decisum fuerat non secundum, nam ex iuribus à Communitate productis constabat de initio possessionis ipsius, vnde sequebatur eam non semper possedisse, & eius possessionem Ecclesiæ possessione fuisse posteriorem, nec potuit ista possessio esse simultanea cum possessione Ecclesiæ, nam duo non possunt in solidum eodem tempore possidere *leg.3. §. ex contrario, ff. de acqu. poss. leg. si vt certo, §. si duobus, ff. commod. Corn. consil. 35. num.13. lib.1.*

3 Præterea cum Communitas rea veniat ad excludendum intentionem Ecclesiæ actricis clarè, & concludenter debet probare suam exceptionem ad excludendum primum extremum ab Ecclesia probatū, *Bart. Alex. & communiter Doctores in l. non solum, §. sicut probari, ff. de oper. nou. nunciat. Crescent. decis. 302. incip. spoliator aliàs est 20. tit. de probat. in impress.* Probatio autem Communitatis facta per testes deponentes Ciuitatem semper possedisse non fuit iudicata clara, & certa, cum testibus repugnarent instrumenta ab Ecclesia producta, quibus cum versemur in facto antiquo, & hominum memoriam excedente magis est credendum, quam testibus nulla est enim fortior probatio, quam per instrumenta, *Bald. in cap. cum causam, num. 3. de probat. Socin. sen. consil. 187. num. 18. libr.2. Crauet. consil. 54. num. 15. Dec. consil. 146. num. 14. Paris. consil. 104. num. 46. libr. 1. Roland. consil. 2. num. 59. libr. 1.*

4 In hac verò causa anteriorem Ecclesiæ possessionem probare videbantur antiqua instrumenta, primum Gregorij IX. sub anno 1231. numerantis castra, de quibus agitur inter bona Ecclesiæ: alterum Bonifac. VIII. de anno 1300. dismembrantis bona ab Ecclesia, vnde præsupponitur illa penes Ecclesiam tunc extitisse, sicut fuit consideratum in hac causa in decisione facta sub die 26. Martij 1590. conferebat etiam factum cuiusdam Rainerij Vicepapæ, aliàs à Communitate allegatum, qui tempore Alexand. IV. ad annum 1259. Ciuitate Spoleti ob insignē eius deuotionem in Sedem Apostolicam, Abbatiam S. Petri de Ferentillo, vna cum eins bonis donauit, hæc enim satis ostendunt, & possedisse Ecclesiam, & anteriori tempore possedisse.

5 Neque prædictis obstare videbantur deducta pro Communitate, ac primum non illud, quod ex instrumentis de quibus in Sumario Ciuitatis *nu.1. & 2.* patebat, Ciuitatem de anno 1360. & 1361. & 1372. & 1373. imposuisse, ac exegisse collectas à Communitate Castrorum Rigouiti, & Petani, cum imponere, & exigere collectas demonstrent possessionem iurisdictionis *Bald. in leg. data opera num. 28. Cod. qui accus. non poss. Ruin. consil. 2. num. 4. libr. 4. Natt. consil. 672. num. primo, & 2. libr. 4.*

6 Quoniam respondebatur primum verisimile esse possessionem Communitatis initium habuisse à pactis, seu conuentionibus contentis in instrumento, quo se de anno 1306. homines Rigouiti liberè commiserunt fidei, & tutelari patrocinio Ciuitati Spoleti, quo licèt non tribueretur Spoletanis possessio, nec facultas locandi, aut collectandi *leg.2. ff. de iur. immunit. Curt. iun. cons. 286. incip.* habita diligenti *nu. 22. lib.3.* Cursu tamen temporis paulatim, & tentari, & obtineri in hominibus parum potentibus, potuit, cum protectionis ius, quod iurisdictionem possessionem, vel dominium non tribuit, sed clientes in protectionem, & tutelam receptos defendere tenentur recipientes, *Auth. de hæred. & Falcid. §. 1. cap. Imperialem, de prohib. feud. alien. per Federicum*, sæpè plus æquo extendatur, & ad quæstum, atque priuatam vtilitatem transferatur *Andr. Gail. libr. 2. pract. obseru. 54. obseruatione*, ad ista enim collectarum onera, nisi specialis accesserit obligatio, non tenentur populi sub protectione recepti, vt in terminis receptionis Communitatis montis Franchi sub protectione Ciuitatis Spoleti consuluit *Bart. cons. 59. incip.* Commune Spoleti concessit.

7 Accedebat præterea, quia cum prima impositio collectarum memoretur fuisse de anno 1360. ac primum

mum Instrumentum locationis de anno 1440. quamuis ex istis argueretur possessio ad fauorem Communitatis Spoleti, ea tamen non possit ei suffragari, cum de anteriori Ecclesiæ possessione constaret, qua non probatur antiquior Communitatis possessio, nam quando præsens status habet contra se veritatem alicuius præcedentis status, ex possessione de præsenti non infertur ad possessionem de præterito, *Bart. Ias. Alex. & alij in l. si prius, ff. de nou. oper. nunciat. Alex. cons. 81. n. 3. lib. 7.* Vnde ex istis non potest probari possessio antiquior possessione Ecclesiæ.

8 Ob eandem rationem dictum fuit, non obstare instrumenta locationum factarum à Ciuitate Spoleti de territorijs, & pascuis castrorum Rigouiti, & Petani, de annis 1440. & 1442. & 1443. & 1457. & aliarum diuersis temporibus iteratarum, prout in Summ. Spoletano *num. 3.* quasi ex istis arguatur vera, & legitima possessio, *Soc. cons. 187. num. 16. lib. 2. Crauett. cons. 54. nu. 10.* Quoniam licet instrumenta essent antiqua & celebrata eo tempore, quo nullus erat futuræ litis timor, nihilominus cum locationes fuerint factæ post susceptam protectionem, spolium potius arguebant, quam legitimam possessionē Rursus tametsi sine veri præiudicio concederetur ex illis probari possessionem, non tamen probatur de anteriori tempore, & ideo non potest inde concludi Ciuitatem semper possedisse. Istis etiam accedebat, quia per locationem non probatur possessio contra tertium, *cap. inter dilectos, de fide instrument. Gabriel. conclus. 4. num. 1. de locat.*

9 Item fuit responsum non obesse Ecclesiæ, quod prætendebatur de immemorabili Ciuitatis possessione constare ex 52. deputationibus Prætorum, siue Potestatum in dictis castris Rigouiti, & Petani, à Ciuitate factis ab anno 1360. vsque ad annum 1538. de quibus in Summ. Spoletano *nu. 4.* cum deputare Iudices & Prætores in castris, & territorijs sit possidere, vt hic per Informantes pro Ciuitate. Quoniam ista iurisdictionem, & protectionem ipsius Ciuitatis, non possessionem terrarum, & montium arguebant, nam ex probatione iurisdictionis non infertur ad probationem possessionis, & dominij terrarum, & montium existentium sub protectione Ciuitatis *Gabr. de præsumpt. concl. 9. num. 4. Crauet. consil. 54. num. 9. Affl. dec. 267. nu. 4. Curt. iun. cons. 158. nu. 25. lib. 2.* & cum istæ deputationes de certo tempore enuncientur, de illo tantum sunt accipiendæ, non ad aliud anterius vel antiquius extendendæ. Vnde non potest verè dici, ciuitatem semper possedisse.

10 In hac verò facti specie dubitationem, si qua contingere poterat, tollebat instrumentum receptionis in protectionem, ex quo apparebat Syndicum Ciuitatis Spoleti de anno 1306. sub die 25. Maij, & eodem anno sub die 4. Iunij in suam clientelam, & protectionē homines Rigouiti suscepisse saluo, & reseruato semper honore, & iure Monasterij S. P. de Ferentillo, & Sacrosanctæ Ecclesiæ Lateranen. ex quibus etiam colligebatur de illo tempore Ecclesiam possedisse. Atq; ex eadem prorsus causa receptionis in protectionem descendebat pensitatio cerei librarum 15. & librarum 6. quem in eisdem instrumentis præfati homines Syndico Spoletano soluere promiserunt.

11 Minus obstare iudicata fuerunt instrumenta inuestiturarum factarum à Ciuitate hominibus Castrorum Polini, Casariosæ, & Abbatiæ de anno 1529. & 1530. in quibus præfati homines confitentur territoria esse Ciuitatis. Nam ista ad vltimum spolium pertinere visa sunt, sicut & alia tria instrumenta de anno 1535. quibus Ciuitas constituit procuratores ad vendendum molendina, & territoria Rigouiti, & Petani, nam de eo tempore iam fuerat commissum spolium de terris, etiam laboratiuis, cum Ecclesia probauerit tempore direptionis Vrbis se eas possedisse. Instrumenta super solutione modiolorum ex terris laboratuis de anno 1529. & 1530. potius videbantur facere contra Ciuitatem Spoletanam, cum in illis dicatur homines ibidem nominatos, per tempora multa dictas terras coluisse, & nihil Ciuitati culturæ, vel alterius pensitationis nomine persoluisse, tunc tamen promittere se soluere bolonenos octo pro singulis modiolis, ex quibus infertur Ciuitatem antea non possedisse.

12 Dicta verò testium ex aduerso productorum deponentium semper audiuisse, & vidisse Ciuitatem percipere modiolos ex præfatis instrumentis de anno 1529. & 1530. declarantur, non enim possunt extendi vltra dictos annos, cum tunc fuerit cœpta solutio modiolorum, atque eadem est catastri ratio, nam post annos 1529. & 1530. non antea cœptum fuit catastrari.

13 Omnes præterea actus pro parte Ciuitatis producti ad docendum de sua possessione eo potissimum nomine iudicabatur spoliatiui, quia contigerunt, post quam Ciuitas homines Rigouiti suscepisset in suam protectionem de dicto anno 1306. nam Ciuitas ante istum annum nullos legitimæ possessionis actus ostēdit. Isti autem actus, ex quo homines sub protectione suscepti expresse se ad illos non obligarunt, nec legitime fieri nec ius aliquod Ciuitati tribuere potuerunt, *Bart. in d. cons. 59. in fine.*

14 Ad testes quoscunque pro Ciuitate producto indistinctè testificantes Ciuitatem semper possedisse dicebatur primum, quod si acciperentur de quocunque tempore etiam ante annum 1231. manifeste falsum reddebatur eorum dictum ex antiquissimis instrumentis probantibus anteriorem Ecclesiæ possessionem, ideoque non potest Ciuitas dici semper possedisse, maximè cum dictio semper, includat omne tempus *l. 1. cum ibi not. ff. solut. matr.* & oratio, quæ sumitur ex signo vniuersali si vno reperitur falsa, in totum redditur falsa *leg. si is, qui ducenta, §. vtrum ff. de reb. dub.* & probatio in specie excludat contrariā probationem in genere *l. cum de indebito, & ibid. not. Bar. & Paul. de Castr. ff. de probat.* Respondebatur etiam istos testes non percutere tempus ante possessionem Ecclesiæ, cum eorum depositiones verificentur in spacio centum annorum, *Alex. cons. 16. nu. 16. lib. 5.* & longe ante istud tempus Ecclesia possidebat.

15 In testibus examinatis de anno 1535. inter Ciuitatem Spoleti, & Communitatem Montis Leonis, super nonnullis confinib. Rigouitis occuptis à præfata Montis Leonis Cōmunitate, Domini non fecerūt aliquod fundamentū, tum quia inter alios examinati non poterant Ecclesiæ præiudicare, tum præterea, quoniam multas nullitates pati dicebatur eorum examen, ex quo fuerunt examinati ad instantiam Ciuitatis absq; citatione, & interrogatorijs illorum de Monte Leone, nec eorum examen nunc productum erat in forma probanti.

16 Similiter in alijs testibus examinatis ab eadem Ciuitate de anno 1568. non fuit factum fundamentum, quia fuerunt examinati in alia causa agitata inter ipsam Ciuitatem, & Communitatem de Ferentillo qui proterea non potuerunt Ecclesię preiudicare, vltra quod isti testes solum probant Ciuitatem ista bona tenuisse, quod verificatur in tempore post commissum spolium, præsertim cum dicant à 40. annis circiter se vidisse accatastrari, & mensurari ista loca, & ab inde citra Ciuitatem recepisse modiolos, quia prius nihil accipiebat, quare loquuntur post annum 1529. quo tempore cœpit solutio modiolorum post spolium commissum.

17 Ad testes vltimo loco de anno preterito vigore remissoriæ examinatos facile patebat responsio nam verum est, quod dicunt Ciuitatem semper possedisse, postquam Ecclesia propter commissum spolium desijt possidere de cuius anteriori possessione constitit sufficienter. Quod si vlterius contenderetur eorum dictum

dictum precise fore intelligendum nempè Ciuitatem semper, id est quocunque tempore ante Ecclesiam possedisse, tunc manifestè conuincerentur mendaces ex antiquissimis documentis, vt fuit dictum, non nulli verò ex eis satis suum dictum interpretabantur dum deponebant Ciuitatem semper possedisse ab eorum recordatu.

18 Postremo non obstant dicta duorum testium, pro Ecclesia examinatorum, nempe 2. & 11. quorum ille ætatis 74. annorum, iuxta 42. ait semper à suo recordatu se vidisse per Communitatem Spoleti possideri montes Petani, idemque à suis maioribus audiuisse, vndecimus verò ætatis 54. annorum iuxta 48. dicit per sex ætates Ciuitatem possedisse montes Rigouiti & Petani. Quoniam fuit vnico verbo responsum, in hac causa duplex diuersis temporibus fuisse commissum spolium, vnum recens de terris laboratiuis post Vrbis direptionem post annum 1527. alterum antiquius, seu vetustius de montibus, & pascuis, non multo post receptos incolas Rigouiti sub protectione Spoletanorum de anno 1306. post quod vetus de montibus spolium semper Ciuitas montes istorum oppidorum possedit, vt isti duo testes affirmant, non tamen concludunt, quin prius Ecclesia possederit.

19 Atq; ex his fuit conclusum Ciuitatem non probare suam intentionem ad effectum de quo agitur, videndum tamen an supersit aliquod releuans super quo merito audiri debeat.

REVERENDISS. P. D. PEGNA DECANO.

Spoletana Bonorum, seu Spolij, Veneris 6. Martij 1592.

ARGVMENTVM.

Possessio an; quomodo, & quando probatur ex verbis, & enunciatiuis Papæ in literi Apostolicis contentis.

SVMMARIVM.

Enunciatiua Oratio in antiquissimis, si vnica tantum fuerit, non probat. num. 1. & 2.

Enunciatiua vbi per se sola non probat, adminicolis tamen comprobata plenè probat. num. 2.

Enunciatiua reperta in literis Papæ obtentis ad supplicationem partis, possessionem non probat, nisi in antiquis, in quibus verba Principis, in quibus fundat suam intentionem, probant in omnibus casibus, etiam in præiudicium Tertij. num. 3. & seqq.

DECISIO XXV.

1 Die 20. Decembris præteriti, vtraque parte informante fuit decisum, Communitatem Spoleti non probasse suam intentionem ad effectum, vt probatio Ecclesiæ non suffragaretur, sicut latius in dicta decisione continetur. Ceterum Communitas die 24. Februarij porrecto in Rota memoriali, ac desuper Dominis informatis petebat videri, an Bulla Gregorij IX. probaret ad fauorem Ecclesiæ, & an actio Spolij competeret Abbati Ancaiano stante Bulla Bonifacij VIII. vel saltem audiri super eisdem, & ideo Domini ordinarunt, quod super eisdem audiretur, cum verò dubium tunc propositum esset. An ex testibus, & iuribus pro parte Communitatis adductis probaretur, Ciuitatem semper possedisse Montes, & Terras laboratiuas, de quibus agebatur ad effectum excludendi probationem Ecclesiæ super eius primo extremo, Domini videntes rationes, quibus decisio nitebatur ex his, quæ in hac positione deducebantur pro Communitate non fuisse, sublatas ex eisdem in decisis standum censuerunt.

2 Dixerunt præterea non obstare considerata per Informantes pro Communitate, scilicet Bullam Gregorij IX, esse vnicam, & continere vnicam enunciatiuam, quæ etiam in antiquissimis non probat. *Aretin. in cap. cum causam, num. 20. de probat. Crauet. tract. de antiq. temp. part. 1. §. ampliatur, num. 14. & seq.* Quia præterquam quod non admittebatur simpliciter, vnicam Papæ enunciatiuam in atiquissimis, & hominum memoriam excedentibus non probare *Aret. in d.c. cum causam, num. 20.* dicebatur, probationem primi extremi ad fauorem Ecclesiæ factam, non fuisse fundatam in sola, & vnica enunciatiua, sed in testibus, prætera, & alijs adminiculis consideratis in alijs decisionibus in hac causa factis. Nam vbi enunciatiua sola non sufficeret, corroborata tamen alijs probationum generibus benè probaret. *Vital. de Gamb. tract. clauf. tit. quando verba enunciatiua in priuilegijs nu. 5. Afflict. decis. 83. num. 1.*

3 Ad aliam obiectionem de eadem Bulla Gregorij IX. quod cum emanauerit ad supplicationem partis, vt patet ex illis verbis, vestris supplicationibus, & nihil probare posset, tanquam à persona suspecta orta. *Specul. tit. de locat. §. nunc aliqua nu. 72. & 73. Bertrand. cons. 167. num. 12. lib. 3. Acchill. decis. 5. de Iure patron.* Respondebatur id non procedere in antiquis, vbi verba Principis, in quibus fundat suam intentionem probant in omnibus casibus, etiam in præiudicium Tertij. *Domin. in c. si Papa, de priuil. lib. 6. Alex. cons. 6. num. 6. lib. 1. & cons. 15. num. 3. lib. 5. Dec. cons. 148. num. 14. circa med. & consilio 152. num. 2. & 5. & cons. 42. incip. ad motiua data, num. 9. lib. 1.* Quibus accedebat, quia obiectio non procedit, quando ex præcedentibus, seu subsequentibus apparet, Principem super narratis informatum fuisse. Nam tunc vt informatus præsumitur talia asserere, *Alex. cons. 5. incip. Visis narratis, num. 2. lib. 5.*

4 Ad illa, quæ objciebantur contra Bullam Bonifacij VIII. dismembrantis bona Monasterij S. Petri de Ferentillo propter flagitia Abbatis, & Monachorum eaque applicantis Canonicis Ecclesiæ Sancti Ioannis Lateranen. quasi quod actio Spolij non competeret ei, qui facto proprio cecidit à possessione vnico verbo dicebatur ex eis non probari, aut confirmari Ius Communitatis, cum pertinerent ad Iura Ecclesiæ Lateranen. de quibus cum ea suo tempore erat disceptandum, præsertim cum ad istam causam, & venerit, & admissa fuerit.

5 Que opponebantur de Statuto Vrbis *lib. 1. cap. 160.* statuente per lapsum 30. annorum tolli actionem spolij. Item de Motu proprio Pij V. de anno 1569. narrantis litem inter Communitatem, & Albericum Cibo Principem Ferentilli, & homines Ferentilli super bonis, & Territorijs ex multiplici caducitate ad Ciuitatem deuolutis, eandemque litem extinguentis cum clausula sublata, & decreto irritante, quasi propterea sit Abbati Ancaiano clausum os ad agendum, item de exceptionibus contra testes eiusdem Abbatis, Domini extra dubium ista fuisse dixerunt, cum strictè causa proponeretur super eisdem, & ideo hoc tantum quereretur, an ex Iuribus, & testibus Ciuitatis probaretur eam semper possedisse, quibus propterea non oportuit particulariter respondere.

R. P. D. GIPSIO.

Neapolitana Census, Lunæ 9. Martij 1592.

ARGVMENTVM.

Emptor, de cuius pecunijs venditor extinxit debitum suum, numquid succedat in ius illius creditoris, cuius creditum fuit extinctum.

SVM-

SVMMARIVM.

Emptor, de cuius pecuniis venditor extinxit debitum suum succedit in ius illius creditoris, cuius creditum fuit extinctum. num.1. Declara, vt num.2. & 3.
Fideiussor censetur liberatus extincto contractu, in quo se obligauit. num.2.
Empta res de meis pecunijs mea non efficitur. num.3

DECISIO XXVI.

1 REuerendissimus Dominus Episcopus Neapolitanus tanquam Procurator Domini Camilli eius fratris vnum annuum censum redimibilem super quadam domo D. Camilli imposuit; & vendidit D. Lucretiæ Buccaplanolæ ad cuius fauorem, & vti principalis principaliter, & in solidum accessit; Tandem D. Camillus de anno 1578. censum redimit, & de eodem anno alium maioris summæ super eadem domo Abbati Paulutio vendidit, qui post oblitum Camilli pro conseruatione sui crediti, cum domus censualis ab anterioribus creditoribus Camilli euicta fuisset, egit coram Auditore Cameræ aduersus prædictum Reuerendissimum Episcopum obligatum de euictione domus in impositione Census Lucretiæ venditi, prætendens etiam ad ipsius commodum de euictione teneri, forsam ex eo quod de pecunijs ab ipso receptis Camillus extinxerat illum priorem censum, propterea successisse in ius Lucretiæ prædicti census Emptricis, *ad not. in l. Aristo, vbi gl. in verf. pignus. in fin. & Bart. num.7. ff. quæ res pign. oblig. poss. Neguſ. de pignor. in 3. mem. 5. p. princip. n. 45. verf. si autem ille.*

2 Sed istis, & alijs, per Informantes citatis non obstantibus, Domini resoluerunt Abbati Paulutio nullam actionem contra D. Episcopum competere, ideo sententiam Auditoris Cameræ confirmandam esse, quia per redemptionem census à Camillo factam statim fuit extincta omnis obligatio alias orta ex contractu dicti census, & consequenter D. Episcopus fideiussor fuit liberatus *l. 2. vbi Bart. ff. de fideiuss. cum concordant.*

3 Non obstat, quod census fuit extinctus ex pecunijs à Paulutio habitis, quoniam etiam si hoc esset verum, non propterea dici posset successisse in ius, & locum Lucretiæ, seu Staibonæ, nec Staibona erat cessionaria Dominæ Lucretiæ primæ Emptricis, quę retrouendidit censum Camillo retrocessit, quoniam hoc non fuit actum, prout agi oportebat cum Camillo, vel cum ipso creditore, & in istis terminis loquuntur *Bart. & alij in dicta l. Aristo,* ad quod facit regula *l. si ea; & ibi Doct. C. de rei vendicat. l. quamuis. la 2. C. de pignor.* Quod res de pecunijs meis empta non efficitur mea, & suadetur, quia si Paulutius posset se tueri hac ratione, quod extinctio census fuit facta de pecunijs suis, vtique illi suffragaretur contra alios creditores Camilli, qui domum per subhastanem distraxerunt, &c.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

D. CARD. BLANCHETTO.

Bononiensi seu Romana succedendi, Veneris 10. Aprilis 1592.

ARGVMENTVM.

Nepotes ex fratribus succedunt patruo ab intestato in capita, & non in stirpes.

SVMMARIVM.

Nepotes ex fratribus numquid ab intestato succedant in hæreditate patrui in stirpes, vel in capita. num. 1. & omnibus seqq.
Nepotes viuente fratre defuncti tanquam remotiores in gradu erant prorsus exclusi ab hæreditate patrui ante Ius Authenticorum, quo iure hæreditas ad proximiores deferebatur n.3.
Correctio Iuris Antiqui extendi non debet extra casum expressum. num.4.
Filius in successionibus succedens in locum Patris, & illius personam repræsentans dicitur sic succedere, & repræsentare perfictionem fundatam in æquitate, & in necessitate. num. 5.
Fictio à lege numquam superuacuæ inducitur. num. 5.
Fictio est remedium subsidiarium. num.5.

DECISIO XXVII.

1 DEcessit bonæ memoriæ Reuerendus Dominus Cæsar de Grassis olim Rotæ Auditor ab intestato relictis potest se nepotibus ex duobus fratribus prædefunctis, quorum alter vnum, alter duos reliquit filios. Patrueles prædicti hæreditatem Patrui diuidere volentes de successione contendebant. Qui enim solus erat in stirpes succedere prætendebat, alijs duobus in capita delatam esse successionem excipientibus. Ideo mandante Santissimo Domino Clemente VIII. proposui dubium in Rota, an dicti nepotes ex fratribus succedant ab intestato in hæreditate dicti patrui in stirpes, vel in capita. Quam quęstionem Domini decidere noluerunt ex numero auctoritatum, quæ hinc inde allegabantur cum vix quę magis communis sit, opinio apparere possit. Accursius enim, *qui in authent. cessante, in Verbo, in stirpes. C. de legit. hæred.* existimauit, in stirpes deferri successionem. *in §. vero hoc etiam, vt Verbo, Superstites, Instit. de legis. agnat. succes. in capita vocari filios fratrum ad successionem patrui defuncti censuit*, & hanc opinionem priori reiecta sequitur *Azo in Summa, C. de legit. hæred. §. Item iure nouissimo.*

2 Et licet plures numero videantur descendisse in primam Accursij sententiam, quas per Catalognum enumerat *Thessaur. decis. 162. & Tiraq. de retract. lignag. §. 11. glos. 12.* Tamen multos, qui sequuti sunt opinionem *Azonis, vltra allegatos à prædictis Doct. addiderunt, Ant. de Rossel. de success. ab intest. num. 111. Mynsinger. in d. §. hoc etiam Inst. de legit. agnat. success. Nicol. eod. tit. §. cum filius, sub n. 4. & eod. tit. Io. Oenotom. de tert. ord. Succeden. coll. n. 29. folio 418. Nicol. Reusner. elem. iur. ciuil. lib. 2. §. quod si descendentes. versi. nam vltra fratrum filios. fol. 124. & Glossatores ad leges Hispaniæ,* quas quia in septem volumina sunt distincta, septipartitas nuncupare consueuerunt, *Petrus Cariot. de Apic. Iur. tit. de grad. axioma. 34.*

3 Quare omissa, vt dixi, hac disputatione, quæ sit magis communis opinio, Domini veritatem vtriusque sententiæ ex rationibus, & Iureconsultorum auctoritatibus definiendum existimarunt. Et illam sunt amplexi sententiam, vt hoc casu fratrum defunctorum filij in capita, non in stirpes succedere debeant. Indubitatum enim est, quod ante Ius Autenticorum nepotes viuente fratre defuncti, tanquam remotiores in gradu erant penitus exclusi, quia hæreditas ad proximiores deferebatur. *l. 1. in fin. ff. si pars hæred. pet. l. 2. §. hæreditas. ff. de suis, & legit. hæred. l. penult. §. illud proculdubio. C. de legit. hæred.* quas benè inducit *Præpos. Senen. cas. 7. quæst. 6.* non existente fratre, filij fratrum in capita, non in stirpes succedebant. *dicto §. hæreditas.*

4 quare cum Iustinianus illos admiserit, vt per repræsentationem patris defuncti, viuente fratre in stirpes

stirpes,& non in capita in hæreditate patrui succedere possent, extra casum expressum Iuris antiqui correctio extendi non debet, *l. præcipimus, C. de appellat.* Idque multo magis, cum Imperator hoc expressè dicat *in §. sed etiam ipsis, cum sequenti, auth. de hæred. ab intest. venient.* quod tunc hoc priuilegium ipsis concedit, quando cum proprijs vocantur Theiois, & quando soli concurrunt cum his, qui sunt secundo consanguinitatis gradu defuncto coniūcti.

5 Præterea cum ius repræsentationis sit species fictionis fundatæ in æquitate,& in necessitate, *§. cum filius, Instit. de hæredit. quæ ab intest. defer. Rubr. Alex. cons. 194. num. 10. Ioan. de Anan. consil. 89. num. 3.* & lex nunquam superuacuam inducat fictionem, *Angel. in l. si is, qui pro emptore, nu. 7. ff. de vsucap.* fictio,enim est remedium subsidiarium, *Bart. in l. præfata, nu. 3. & ibi Ias. nu. 118.* & deficiente patruo, Patrueles ex proprio, non ex patris gradu succedant, cessare debet ipsa repræsentatio, per quam in stirpes non in capita succeditur,& ita benè arguit *Gabr. consil. 133. num. 19. libr. 2. post Couarr. rubr. de succes. ab intest. concl. 10.*

6 Et quod ratio æquitatis suadet, vt viuo patruo nihil plus percipiant nepotes, quam eorum pater, si viueret, percipere posset,eadem etiam suadere videtur, ne defuncto patruo perueniat ad vnum plus, quàm ad plures, in eodem gradu constitutos.

7 Præfatis accedunt auctoritates Vlpiani in corpore suorum *Fragmentorum, titulo 26. §. agnatorum Theophil. in §. Hoc etiam. Instit. de legit. agnat. success. Caij instit. lib. 2. tit. 8. in fine. Constant. Harmenopol. in suo iuris Promptuario, lib. 5. tit. 8. fol. mihi 111.* quas si antiquiores vidissent, non ita de facili in opinionem *gloss.* descendissent.

8 Corroborantur permissa *ex l. Vuisigotorum relata per Cuic. lib. 2. de feud. tit. 11.* Cuius auctor fuit Recessiundus Rex, qui regnauit anno Domini 775. & edidit leges, quæ in Hispania maximæ sunt auctoritatis, & nuncupatur, Fuero, vulgo quia omnia in eo contenta fuerunt petita à iure ciuili, ad æmulationem Codicis Iustiniani edita.

9 Et cum secundum hanc opinionem fuerit pluries iudicatum in Gallia, vt in Placito. *Cur. Parisien. lib. 8. tit. 10. c. 6.* & in Germania gloriosę memoriæ Carolus V. anno 1529. in Comitijs Spirensibus idem in suâ Constitutione sanciuerit, & in Senatu Pedemontano hoc idem statutum, *dicta dec. Thessaur. 162.* fuerit Domini ab illa recedere non censuerunt.

10 Non obstat fundamentum *gloss. in dicta authen. cessante. super §. si vero, in authent. de hæredit. ab intest. venien.* Ponderando, quod deficientibus fratribus, & filijs fratrum, defertur successio proximioribus in capita, quasi à contrario sensu fratribus, & filijs fratrum deferatur in stirpes, nam cum inter filios fratrum fratribus non extantibus in capita sit facienda diuisio, *leg. 2. §. hæreditas, ff. de suis, & legit* à contrario sensu non licet arguere ad legum correctionem, *cap. cupientes, §. quod si per, vbi gloss. in Verbo, petere de electione. in 6.*

11 Secundo dictus *§. si vero,* indistinctè non loquitur sed retentis prioribus terminis, vt patet, ex verbis illis, (sicut diximus) prius verò erat facta mentio de filijs fratrum concurrentibus cum patruo,& succedentibus ex persona patris præmortui, ergo non debent extendi ad casum, quo succedunt ex persona propria.

12 Non obstat versiculus ille, palam est, quia ex eo, *vers.* cum præcedenti constitui potest regula, quod quando filij fratrum cum proximioribus, seu æqualibus in gradu concurrunt, vigore repræsentationis in stirpes succedant, sed non ex hoc inferri, vt idem dici debeat, quando inuicem concurrunt, & neminem à parte, seu à tota hæreditate excludere contendunt.

13 Nec etiam obstat ratio *Bart. in l. 2. §. hæreditas, ff. de suis, & legit.* allegata, quod sequeretur absurdum, vt vna, & eadem hæreditas in capita, & in stirpes diuideretur; quia iuxta facti speciem per ipsum propositam hic casus dari non potest. Ipse enim arguit hoc pacto: Si vera esset opinio *Azon.* quod defuncto patruo, relicto fratre, & nepotibus ex duobus fratribus; respectu patrui nepotes succederent in stirpes, inter ipsos autem succederent in capita, quod est falsissimum; Patrueles enim hoc casu succedunt in stirpes tantum, non autem in capita iuxt. *text. expressum in d. authent. de hæred. ab intest. deuenient §. si autem defuncto.*

14 Non obstat etiam, quod Imperator in initio dictę authent. profiteatur velle prospicere omnibus successionibus ab intestato, ex quo sequi videtur, quod si huic casui formam non dedisse dicamus imperfecta redditur constitutio. Quia satis dicitur dare formam in eo, in quo disponit relinquens omissa decidenda secundum iura antiqua, & perfecta dicitur Constitutio, dum in certis casibus contra veteres legum dispositiones filios fratrum existente fratre ad hæreditatem patrui vocat.

15 Ex quibus cum melioribus rationibus, veterum Iureconsultorum auctoritatibus, & frequentiori vsu comprobata sit opinio Azonis, Domini secundum ipsius sententiam, quæstionem decidendam statuerunt, &c.

R. P. D. GRANO.

Ciuitatis Castelli Spolij, Sabbati 23. Ianuarij 1593.

ARGVMENTVM.

Ex Summario Argumentum sumas.

SVMMARIVM.

Sententia data in possessorio vigore Ægidianæ non iustificatur ex nouiter deductis, num. 1.

DECISIO XXVIII.

1 IN causa Ciuitatis Castelli Spolij fuit dictum, sententiam Rotalem quo ad Censum,& bona mobilia non esse exequendā quia cum fuisset restricta ad bona possessa per Nicolaum, quæ fuerunt Meliorutij tempore per eum commissi homicidij, oportuit dictos de Meliorutijs ex persona Nicolæ agentes concludenter probare illius primum extremum. Sententia enim non potest verificari in Censu mille scutorum, quia fuit à Meliorutio emptus de anno 1560. postquam fuerat redintegratus. Minus verò in alijs duobus Censibus, de quibus hic per Informantes, quia pariter fuerunt acquisiti post commissum homicidium,& sufficit non fuisse probatum illos per Nicolam tempore Spolij fuisse possessos. Præterea cum sententia loquatur de Censu mille scutorum ex diuersitate Summæ, satis colligitur de istis non fuisse cogitatum, tanto autem minus, quod fuerunt producti post sententiam. Nam cum versemur in exequutione vigore Ægidianæ sententia non iustificatur ex nouiter deductis *Corn. cons. 10. nu. 4. lib. 4. Calc. cons. 83. nu.... Soc. iun. cons. 182. sub n. 2. vers. Sed tamen lib. 2. cum allegat.*

R. P. D. LITTA.

Maceraten. Transactionis, Lunæ 9. Maij 1594.

ARGVMENTVM.

De Validitate transactionis,& illius executione, quando præsertim in ea adest Cameralis obligatio.

SVM-

SVMMARIVM.

Transactio facta bona fide, & de lite iam mota valida est, num. 1.
Exhæredationis causa secuta reconciliatione filij cum patre dicitur sublata, num. 1.
Instrumentum non probat nisi quod in eo expresse disponitur, num. 2.
Verba instrumenti interpretanda sunt contra fundantem se in illis, & ad exclusionem obligationis, num. 3.
Transactio quantumuis generalis non porrigitur ad ea, quæ in controuersiam deducta non fuerunt, n. 4.
Obligatio Cameralis, & eius executio non impeditur per exceptionem requirentem altiorem indaginem num. 4.

DECISIO XXIX.

1 Domini dixerunt standum esse transactioni, quia constat bona fide factam fuisse, & de lite iam mota, iuxta, tex. in l. 1. ff. de transact. & in l. non minorem, *& in l. fratres. C. eodem.* nec posse illius executionem per D. Æmilium prætensam impediri prætextu enormissimæ læsionis, ex qua dolus re ipsa resultat. Siquidem quia exhæreditatio de eo facta à patre, non potest dici facta ex iusta causa, cum subsecuta reconciliatione causa ipsa de medio fuerit sublata, *ad text. in l. in ipsius. C. famil. ercisc. Alex. cons. 19. nu. 11. lib. 7. cum alijs doctissimè congestis per R. P. D. meum Manticam, de coniect. lib. 4. tit. vlt. num. 44*

2 Nec etiam potest impediri sub prætextu, quod D. Æmilius ex parte sua non impleuerit promissa in ipsa transactione, cum mobilia obuenta eidem mediante diuisione inter ipsos fratres concorditer facta ante ipsam transactionem, adhuc ipse D. Æmilius non restituerit, quia dixerunt Domini nullum verbum in ipsa transactione fieri de tali restitutione ab eo facienda, & instrumentum non probat, nisi quod dispositiuè constat. *Angel. in l. interest. nu. 2. C. de solut. quem refert, & sequitur Roland. cons. 39. sub num. 5. lib. 1.*

3 Ad illud autem, quod virtualiter videatur in ipsa transactione comprehensa talis obligatio de restituendo dicta mobilia, stante quod per D. Æmilium ad fauorem ipsorum fratrum fuit generaliter cessũ liti, & causæ, & renunciatum omni iuri, quod quoquo modo sibi competebat, vel competere posset, super hæreditate, & successione bonorum patris, & matris, tam ex testamento, quam ab intestato eidem delata, vel deferenda: Domini dixerunt, quod stante dicta diuisione prius concorditer facta, & quod clarè, & explicitè non apparet, quod lis etiam fuerit mota super dictis mobilibus, & quod in ipsa tractione nullum verbum sit de eis, negari saltem non posse, quin dubium sit an dicta prætensa virtualis obligatio, de restituendis ipsis mobilibus in hac transactione, comprehendatur, cum regulariter verba instrumenti sint interpretanda contra fratres se fundantes in illis, & ad exclusionem obligationis D. Æmilij, *ad text. in l. veteribus. ff. de pact. & in l. quicquid astringendæ. de verb. oblig.*

4 Et transactio quantumuis generalis non porrigitur ad ea, quæ in controuersiam deducta non fuerunt. *l. qui cum tutoribus. in princ. ff. de transact. l. age cum Geminiano, C. eod. Purpur. cons. 123. num. 1. lib. 1.* Quo fit vt talis exceptio per fratres opposita vti requirens altiorem indaginem, interim impedire non habeat executionem obligationis Cameralis de soluendo ipsi D. Æmilio scuta 800. *Cassad. decis. 1. de mut. petit. Mohed. decis. 31. 39. & 295. Ioannes Paul. decis. 65. Galles. de obligat. Camer. 4. par. quæstione 1. numero 17.* Ex quibus fuit, vt supra resolutum, esse standum transactioni, &c.

REVERENDISS. P. D. PEGNA DECANO,

Brixien. Locationis, die Lunæ 10. Decembris 1594.

ARGVMENTVM.

Locatio bonorum Ecclesiasticorum vltra tres annos facta in totum vitiatur.

SVMMARIVM.

Ecclesiæ bonorum locatio, vel concessio vltra tempus permissum facta valida est pro eo tempore, pro quo licitè locari, vel in emphyteusim concedi possunt, eo autem tempore transacto vitiatur. num. 1. & 2. Contra num. 3.
Forma est indiuisibilis, & pro parte non seruata in totum vitiat actum, num. 3.
Locatio bonorum Ecclesiæ vltra triennium non valet, quando præsertim non est facta pro eodem pretio temporis in locatione præfixi, & diuersis personis. num. 4.
Constitutio publicata, & quæ passim impressa circumfertur vsu recepta præsumitur. num. 5.

DECISIO XXX.

1 Durantes De Durantijs Præpositus Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Gambara Ciuitatis Brixiensis, asserens se de anno 1590. Iulio, & Scipioni de Brunellis, ac Claræ illorum matri locauisse bona dictæ Prepositurae, sita in territorio Bassani, & ignorasse Notarium, qui eius locationis confecerat instrumentũ Die vltima Maij 1591. bona eiusdem Præpositurae eisdem Brunellis, & Claræ matri locauit per annos sex continuos proxime futuros inceptos in festo S. Martini anni 1590. vltimo Iulij, pro primis tribus annis pretio librarum 4500. ad rationem anni, & clarè pro alijs vltimis tribus annis pretio librarũ 4000. Ceterum quia idem Durantes anno 1593. eandem Præposituram auctoritate Apostolica ad fauorem D. Raynutij Durantij resignauerat, & Raynutius possessionem apprehenderat Brunelli ab Ordinario Brixiensi monitorium obtinuerunt, ne molestarentur, aut impedirentur continuare locationem initã cum Durante, Raynutij antecessore, lite propterea orta pronunciatum fuerat in partibus, Raynutium teneri stare locationi pro tertio anno videlicet pro anno 1593. & pro alijs tribus annis subsequentibus; Brunellos debere dimittere dicta bona, & à locatione recedere, quam sententiam in Curia A.C. confirmauerunt, in gradu appellationis causa in Rota commissa, dubitaui, an locatio prædicta posset sustineri. Et die 28. Nouembris, Raynutio solum informante, cum articulus videretur Dominis difficilis, non fuit capta resolutio; sed iterum die 10. Decembris causa proposita, vtraque parte informante, à dominis, qui causam viderant (vno tantum excepto) in eandem sententiam euntibus resolutum fuit locationem fuisse nullam.

2 Licet enim sit magna inter Doct. super isto articulo controuersia, & multi teneant locationem, vel concessionem, vltra tempus permissum factam, validam esse per id tempus, per quod res Ecclesiæ licite locari, vel in emphyteusim concedi possunt, eo autem tempore transacto vitiari. *Bald. in auth. si quas ruinas. num. 2. C. de Sacrosanct. Eccles. & in l. si pupillorum. §. fin. in fin. ff. de reb. eorum. Paul. de Castro in auth. qui rem. num. 7. C. de Sacrosanct. Eccles.* vbi dixit, hanc opinionem esse meliorem, & æquiorem, & subdit, quod *Bar.* eam fuisset amplexus, si cogitasset, *Imol. in cap. ex parte. num. 39. vers. sed hic surgit. extra de feud. & cons. 69. num. 1. in fine, & Roman. in l. 1. §. si stipulanti. nu. 37. & 38. ff. de verb. obligat.* vbi miratur *Bart.* tantum *scilicet*

licet Doctorem dixisse contra casum in §. neque illud. in auth. de non alienan. &c. Alex. consil. 38. numer. 5. lib. 2. Aret. in l. 1. §. sed si mihi. num. 36. ff. de verb. obligat. vbi asseruit eandem opinionem maiorem habere æquitatem, & communiorem dicit *Dec. in dicta auth. qui rem. numer. 22. de Sacrosanct. Eccles. sequitur Curt. iun. tract. de feud. part. 2. quæst. 6. & Tiraq. de retract. lignag. §. 23. glos. 1. num. 12. & de retract. conuentional. in fin. num. 146. Couar. lib. 2. var. resolut. c. 16. num. 5. Syluester Aldobr. cons. 79. num. 3. lib. 1. dicens rationem temporis esse diuiduam. Claud. de Seysell. in Speculo feudor. titul. qui feudum dare possint, limit. 8. Iul. Clar. in §. emphyt. quæst. 6. & alij, quos refert Molina de Hispan. primogenit. lib. 1. cap. 21. num. 28. vers. contrariam autem sententiam.*

3 Nihilominus Domini antecessorum nostrorum in hoc Tribunali, & iuris auctoritatem sequuti, talem locationem in totum vitiari censuerunt. Forma enim à lege præscripta esse videtur, ne rerum Ecclesiæ locationes, fiant vltra triennium. Indiuisibilem verò, seu indiuiduam esse formam exploratum est. *Dec. cons. 532. num. 5.* atque ita tenuit Rota in vna Romana deuoltionis domus die 4. Febr. anno 1583. coram bo. mem. Domino de Rubeis, & in alia Placentina decimarum die 2. Iunij 1546. coram bonæ memoriæ D. Bubalo, cuius iudicium aperta iuris rescripta comprobare videntur, *vt in auth. de non alienan. aut permut. §. emphyteusim autem constare. 2.* ibi, neque quod fit habere aliquod penitus robur finimus. *Et in extrauaganti ambitiose. tit. de reb. eccles. non alien.* ibi locationem aliter factam nullius esse roboris. *& in Clem. 1. eod. tit.* ibi, nec recipienti ius aliquod acquiri. Quibus auctoritatibus moti hanc sententiam tenuerunt *Bartol. licet obscure loquatur in auth. qui rem. num. 7. Cod. de sacrosan. eccles. vbi Ias. nu. 22. Idem Bart. cons. 159. num. 8. Lupus oblig. 80. incipien. quæris cum locationibus Alex. cons. 17. num. 10. libr. 4. & cons. 165. num. 1. vers. secundo adducitur. lib. 2. Card. in Clem. 1. §. fin. in fin. de reb. ecclesiæ non alien. Matth. de Afflict. decis. 107. num. 2. Prob. ad Io. Monach. in c. vltimo. num. 2. de pœnit. remis. lib. 6. Ioan. Gutierez in l. nemo potest. num. 53. ff. de leg. 1. Purpur. cons. 340. num. 7. & alij quos refert Mol. de Hisp. primog. lib. 1. cap. 21. n. 28. vers. solet etiam.*

4 Quam sententiam eo etiam nomine in proposita facti specie Domini amplectendam censebant, quia locatio expresse apparebat facta, vltra triennium, cum dicitur in ea per sex annos continuos. Idem præterea suadebant pacta in locatione apposita. Erat enim facta Iulio pro tribus primæuis annis, per lib. 4500. & matri pro reliquis tribus annis pro lib. 4000. ex quibus presumebatur Brunello, non aliter fuisse contracturos, quam pro sex annis. Censebatur enim maiori pretio conduxisse in primo triennio, vt minori acciperent in secundo, vnde licet pretium esset constitutum pro singulis triennijs, nedum tamen præscriptis verbis: sed ex partium quoque intentione videbatur vnica locatio, & sic vitium vnius inficiebat reliquum. *l. cum eiusdem. §. interdum, ff. de ædit. edic. Dec. cons. 421. num. 3. Signorell. cons. 53. num. 1.* Neque verò aliquid operabatur ad sustinendam locationem diuersitas personarum, ex quibus potius arguebatur suspicio ad fraudandam legem de solo triennio loquentem.

5 Satis quoque leue visum fuit, quod de non vsu Extrauagantis ambitiose opponebatur. Cum enim esset lata, & publicata, & passim iam impressa circumferatur, vsu præsumitur etiam recepta. *Benintend. decis. 13. nu. 9. Rodoan. tract. de reb. eccles. non alien. tit. de locat. rer. eccles. quæst. 6. §. item ex præmissis. num. 15. Bero. cons. 8. num. 9. lib. 3. Ioan. Gutierez, lib. 1. Canon. q. cap. 8.* Rota enim non seruat dec. Mohed. dicentis probandum esse vnum extrauagantis ambitiose. Quinimmo, cum vsu recepta præsumatur neganti visum incumbit onus probandi. *Ant. Augu. in epito. tit. de constit. numer. 3. Becc. cons. 9. numer. 1. Plott. consil. 19. num. 62. maxime cum hodie ius commune facere dicatur. Peregrin. decis. 225. lib. 2. &c.*

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. CARD. MANTICA.

Romana Alimentorum. Lunæ 22. Maij 1595.

ARGVMENTVM.

De taxatione alimentorum quomodo facienda sit, & an iuxta varietatem temporum taxata alimenta possint augeri notabilis decisio.

SVMMARIVM.

Alimentorum decretum semper intelligitur rebus sic stantibus, num. 1.
Alimenta variantur, augentur, & minuuntur, secundum temporum varietatem. num. 1. & 3.
Filius non potest renunciare alimentis quæ sibi iure naturali debentur. nu. 2. vbi ampliatur etiam, quod renunciatio fuerit facta cum iuramento.
Iuramentum semper intelligi debet rebus in eodem statu remanentibus. num. 3.
Pater tenetur iure naturæ alere filios, & maritus vxorem, num. 3.
Alimentorum quantitas taxanda est etiam iuxta quantitatem familiæ, num. 4.
Alimenta augentur quando pretia ciborum, habitationis, & vestimentorum sunt aucta num. 5.
Alimentorum quantitas taxanda est iuxta quantitatem patrimonij, & conditionem personarum, num. 6.

DECISIO XXXI.

1 Conclusum fuit, D. Iacobo Cincio augeri deberi alimenta, quia decretum alimentorum semper intelligitur rebus sic stantibus, & fuit dictum coram R. P. D. meo Decano in Cęsaraugustana alimentorum die 11. Decembris 1572. vnde in hoc potissimum proposito, non debet reprehensibile censeri si secundum varietatem reporum statuta quandoque varientur humana, & generaliter dicitur in c. non debet. de consanguin.

2 Non obstat, quod sententia lata in quantitate scutorum quinquaginta singulis mensibus præstanda fuerit ab ipso D. Iacobo acceptata, quia filius non potest renunciare alimentis, quæ sibi iure naturali debentur, *Specul. in tit. qui fil. sint legit. §. 1. num. 12. de iustit. & iur. Bartol. in l. si quis à liberis. §. parens. nu. 2. de liber. agnosc. & not. Bald. per illum text. in cap. cum quidam. num. 2. de iust. & iur.* vbi loquitur etiamsi pactum fuerit iuramento vallatum. Quod scribit etiam *Alex. in l. quia tali. §. eleganter. numer. 12. ff. sol. matr. Alciat. in l. pacta, quæ contra. numer. 7. Cod. de pactis. Couar. in Epit. lib. 4. decretal. cap. 8. §. 6. numer. 3. & Crauet. cons. 116. numer. 2. & cons. 189. numero. 3.*

3 Et ideo si ratio dictat, vt pietate cogente propter ipsam naturam alimenta debeant augeri, eius consensus nullum ei præiudicium facit, quia debet intelligi rebus in eodem statu manentibus. l. quod Seruius. ff. de condit. ob caus. Iusta autem causa augendi alimenta Dominis videtur, quod ex D. Iacobo nati sunt filij ex legitima vxore, quos ipse procul dubio tenetur etiam educare. *l. si quis. ff. de liberis agnoscendi*

agnoscend. Bart. in tract. de aliment. num. 16. Ruin. cons. 45. num. 2. lib. 2.

4 Et quidem iudex ante oculos habere etiam debet seruos, & ancillas, qui, quæve liberis susceptis deseruire debent. l. ius alimentorum. post princ. versic. ante oculos. C. vbi pupill. educ. deb. quibus etiam alimenta, & vestimenta præstanda sunt, & not. Flor. de Sancto Petro in l. sed & si quid. in §. mancipiorum. num. 18. ff. de vsufr. Vnde aucta familia alimenta etiam augeri necesse est. Angel. cons. 357. num. 8. Corneus cons. 95. num. 4. & sequitur Summæ prudentiæ, & auctoritatis D. Sylu. Aldobr. in cons. 31. num. 9.

5 Accedit etiam, quando aucta sunt prætia non solum ciborum, sed etiam habitationis, vestiarij, calcearij, & aliarum rerum omnium ex quibus vita hominum sustentari debet, & experientia docet, quæ est efficax rerum Magistra. c. quam sit, de elect. lib. 6. Nec dubium est quin habitatio, Vestiarium, & Calciarum debeatur. l. eum qui transigit. §. de calceario. ff. de transact. & l. cognouimus. §. sed ne videamur. de hæret. & Manich.

6 Vnde cum in decernendis his alimentis habenda sit ratio amplissimi patrimonij, quod habet D. Franciscus Pater Iacobi. l. ius alimentorum. ff. vbi pupil. educ. deb. & in d. l. cum plures. §. vltimo, ibi pro facultate patrimonij. ff. de administr. tut. Bart. in l. Imperator. num. 4. Alex. num. 5. ff. ad Trebell. Boer. decis. 19. num. 8. Nat. cons. 48. num. 1. Item conditionis personarum, auth. res, quæ. ibi pro modo honestatis personarum. C. Com. de leg. & d. l. complures. §. vlt. ibi pro dignitate natalium de admin. tut. Caput. decis. 25. num. 3. par. 1. & copiose scribit Tiraq. de nobilit. c. 20. n. 136. & seq. & num. 140. & seq. nec non consuetudinis regionis. Crau. cons. 189. in fin. num. 10. omnibus circumspectis, quæ ex vtroque latere deducuntur, placuit Dominis eisdem D. Iacobo augeri alimenta, ex quibus ipse cum sua familia commode posset vitam ducere vsque ad menstrua secuta centum, &c.

R. P. D. ORANO.

Imolen. Legati. Mercurij 24. Maij 1595.

ARGVMENTVM.

Ex Summarijs argumentum sumas.

SVMMARIVM.

Possessio capta pendente termino ad appellandum causat attentata, & ideo ex stylo Rotæ solet sequestrari. n. 1.

Ægidiana prohibens appellari in possessorio non habet locum quando agitur de bonis Ecclesiasticis, vel contra personas Ecclesiasticas. num. 2.

DECISIO XXXII.

1 Possessio capta pendente termino ad appellandum causat attentatum Ideoque ex stylo Rotæ solet sequestrari. Rota decis. 10. nu. 4. vt lit. pend. in nou. Cassad. decis. 3. n. 6. de rest. spol.

2 Nec attenditur, quod sententia lata sit in possessorio, a qua propter Ægidianam non datur appellatio, quia non habet locum, quando agitur de bonis Ecclesiasticis, vel contra Ecclesiasticas personas, vt fuit pluries resolutum, & vltimo in vna Auximana Bonorum coram R. P. D. meo Decano de ann. 1579. sed locus est appellationi etiam quo ad effectum suspensiuum. Couarr. var. quæst. c. 23. nu. 3. cum alijs per Contard. in l. vnic. 3. limit. C. de mom. poss. vt nec etiam, quando illa continet mixturam iuxta consil. Bal. 141. l. 1. & ita fuit coram me dictum in vna Imolen. legati, pro Ven. Domo Probationis Societatis Iesu contra DD. de Venereis, in qua Gubernator Imolen. declarauerat possessionem per Vener. Domum acceptam fuisse nullam, & eam condemnauit ad restitutionem. Nam sententia dicitur habere mixturam, cum contineat implicitam causam nullitatis.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. CARD. PAMPHILIO,

Romana, Residui prætij Casalis, Lunæ 12. Iunij 1595.

ARGVMENTVM.

Venditor ad pretium agere non potest, nisi adimpletis per eum promissis etiam, quod in minimo non adimpleuerit, & etiam quod emptor sub Camerali obligatione promiserit soluere pretium. Cetera habes in Summarijs.

SVMMARIVM.

Emptor non potest cogi ad soluendum residuum prætij, quādo venditor non adimpleuit promissa pro parte sua etiam in minimo, & etiam quod agatur ad impediendum obligationem Cameralem, num. 1. 2. & 5.

Venditio facta ad corpus, & sub vnico pretio dicitur vnica, & indiuidua. num. 3.

Venditori agenti contra emptorem ad pretium obstat exceptio vnius rei non traditæ num. 3.

Fructus pendentes dicuntur pars rei, & spectant ad emptorem, etiamsi illis maturis venditio fiat, nisi aliud concurrat. num. 4.

Copula, Et, stat ampliatiuè vltra specificata, num. 6.

DECISIO XXXIII.

1 Domini dixerunt D. Marcellum non esse cogendum ad solutionem residui prætij Casalis, nisi prius adimpletis per D. Comitem venditorem, l. Iulianus. §. offerri, & l. qui pendentem. ff. de act. empt. l. ex his prædijs. Cod. de euict. leg. cum proponas, l. 2. Cod. de pact. Dec. cons. 119. num. 1. quod procedit etiamsi implementum deficiat in minino. Put. decis. 357. lib. 3. & agatur ad impediendam exequutionem obligationis Cameralis, vt tradit Galles. de oblig. Camer. in 4. part. p. 1. num. 7. cum alijs allegatis.

2 Præsertim cum ita in ipso instrumento venditionis inter partes conuentum fuerit, quod residuum prætij soluatur, facta mensuratione Casalis, habita libera, & pacifica bonorum venditorum possessione præstita per venditorem fideiussione de euictione ad satisfactionem emptoris, de consignatis emptori omnibus scripturis superius promissis cum suis qualitatibus supra expressis, & non ante, nec alias, &c. ad not. per Bald. in d. l. ex prædijs, & in l. ex placito col. fin. sub n. 28. C. de rer. permut. Cassad. decis. 7. num. 2. de reseruat. Tiraq. de retr. lignag. §. 4. glos. 1. num. 39. Galles. vbi supra. num. 3.

3 De adimplemento autem prædictorum non docetur, immo pro parte D. Marcelli dicitur, neque respectu mensurationis, neque traditionis bonorum, neque præstationis fideiussionis, neque consignationis scripturarum fuisse satisfactum. Nam quo ad mē-surationem, licet asserantur factæ quedam mensurationes, illæ tamen sunt inter se variæ, & non adhuc fuit inter partes firmatum, quæ sit attendenda. Quo verò ad traditionem bonorum non fuit cōsignatum cannetum comprehensum in venditione, immo illius respectu fuit D. Marcellus emptot inhibitus a quibus-

quibusdam sub prætextu, quod non spectet ad Comitem, & cum ista venditio fuerit facta ad corpus, & sub vnico pretio, dicitur vnica, & indiuidua. *l. cum eiusdem, & l. si plura. ff. de ædil. edict.* & agenti ad pretium obstat exceptio vnius rei non traditæ *d. l. ex his prædijs. ibi, si aliquæ, C. de euict. & faciunt. not. per Bart. & Ias. in l. scire debemus. in princ. ff. de verb. obligat. cum alleg. per Tiraq. de retrac. lignag. §. 23. glo. 1. num. 2.*

4 Vltra quod non fuit etiam satisfactum respectu frumenti seminati in ipso Casali, quod D. Marcellus etiam facta intimatione molestiarum venditori recolligere non potuit, nisi soluto pretio cuidam Dominico, qui illud seminauerat, & erat comprehensum in venditione, quæ fuit facta de Casali ad præsens grano seminato, cum assertione, quod spectabat ad venditorem liberum ab omni onere, & seruitute, vltra quod ex dispositione Iuris, fructus pendentes. dicuntur pars rei. *l. fructus pendentes. ff. de rei vend.* & spectent ad emptorem, etiamsi illis maturis venditio fiat, nisi aliud conueniat. *l. Iulianus. §. si fructibus. ff. de action. empt. l. qui fundum. ff. de contrah. empt. l. fin. §. non solum. ff. qui in fraud. credit.* per hunc locum etiam respectu portionis colonicæ. *Rom. consil. 309. per tot. Alex. in l. si filiofamilias. §. fin. num. 17. ff. solut. matrim. Abb. consil. 138. cum alijs allegatis.*

5 Quo verò ad præstationem fideiussionis de euictione minus fuit satisfactum per dictum Comiten, qui licet obtulerit quosdam fideiussores, non ideo dicitur impleuisse, cum illi non sint ad satisfactionē emptoris prout promisit, & quo ad consignationem scripturarum cum suis qualitatibus expressis minus fuit adimpletum, quia in Motu proprio Pauli IV. facultatis dandi in solutum bona præfata auctoritate dicti Comitis nulla fit mentio, quod bona sint alijs creditoribus obnoxia, prout exprimitur in instrumento venditionis, quod multum interest emptori pro sua assecuratione, cum confisus in securitate, quam ex Motu proprio sperabat respectu creditorum anteriorum dandi bona in solutum contentus fuerit fideiussione de euictione pro dato, & facto venditoris tantum alias non empturus, nisi habita cautione etiam pro creditoribus anterioribus ad *reg. l. cum de indebito. ff. de probat. cum vulgar.*

6 Non obstat, quod in promissione consignationis Motus proprij habita sit relatio ad ipsum Motum proprium, vt ostendunt illa verba, & alias provt in Motu proprio, &c. quem Dominus Emptor potuit apud acta vidisse, quia ista verba stant augmentatiuè propter copulam *& l. ea tamen adiectio. ff. de leg. 3.* & intelliguntur vltra specificata, vt alias fuit dictum in causa Prænestina Transmissionis, sub die 16. Maij 1575. coram R. P. D. meo Seraphino. & faciunt per not. per *Nat. cons. 403. num. 7. Put. decis. 36. lib. 3. Peregr. decis. 28. lib. 1.* nec tenebatur Dominus Marcellus inspicere Motum proprium quando satis sibi prospexit accipiendo promissiouem consignationis illius cum qualitatibus superius expræssis, & sic derogatur anterioritati aliorum creditorum. Et ex his dictum fuit non esse cogendum Dominum Marcellum ad solutionem residui, nisi prædictis satisfiat.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

D. CARD. MILLINO.

Bononien. Bonorum de Marano. Lunæ 20. Nouembris 1595.

ARGVMENTVM.

Tolluntur in hac decisione quædam obiectiones, quibus prætendebatur locationem Terrarum Ecclesiæ fuisse nullam vti non factam in euidentem vtilitatem ecclesiæ.

SVMMARIVM.

Ecclesiastica bona quando venduntur propter euidentem vtilitatem processus super dicta euidenti vtilitate fieri debet ad instantiam Rectoris Ecclesiæ. num. 1.

Constittio, quando habenti alias potestatem faciendi actum mandat fieri dictum actum sub certa forma, & pæna absque clausula annullatiua, tunc actus contra dictam formam factus valet, licet contrafaciens sit puniendus numero 2.

Forma non seruata, quando actus sit nullus. nu. 2.

Iuramentum testium probatur per assertionem Notarij, quando testes fuerunt examinati coram Iudice Commissario, num. 3.

Testes non iurati probant coram Iudice habente potestatem informandi se extraiudicialiter. n. 3.

Excessus facultatis, seu licentiæ alienandi res Ecclesiasticas probari debet per fundantem se in eo. n. 4. 5. & 6.

Alienandi bona Ecclesiastica finalis causa est euidens vtilitas ecclesiæ. num. 5. & num. 7.

Pacta onerosa in emptione, & venditione, ac etiam in locatione sunt pars prætij. num. 11.

Ecclesiæ bona non fuisse locata, seu alienata in euidentem ecclesiæ vtilitatem, qui dicit, probare tenetur. num. 10.

Prædiorum valor numquid probetur ex valore prædiorum vicinorum. num. 11.

DECISIO XXXIV.

1 IN alia positione istius causæ fuerat resolutum locationem esse validam, quia concurrit vtrumque requisitum, solemnitas, & causa, sed quoniam pro parte Rectoris multa deducebantur, tam circa defectum solemnitatis, quam causæ, volui eum iterum audire super eisdem, & dubio proposito, Domini fuerunt concordes, quod locatio sit valida ex eisdem rationibus, quibus fuerunt moti in alia positione, non obstantibus his, quæ pro parte Rectoris adducebantur, in quorum responsione, & remotione consistit fundamentum istius resolutionis. Et in primis non obstat, quod processus, si in euidentem non fuit factus ad instantiam Rectoris nec eius Procuratoris, quia ex mandato procura probatur, quod fuit factus ad eius instantiam cum constituit Procuratorem Galeatium de Accuratijs ad locandum bona ecclesiæ, iuxta tenorem literarum sibi concessarum.

2 Secundo non obstat, quod in licentia concessa à Vicelegato non fuit inserta Bulla fel. rec. Pauli II. quam ipse iussit esse inserendam in omnibus literis, & commissionibus, quæ Bulla non tribuit facultatem committendi causas super alienationibus bonorum Ecclesiæ si in euidentem, sed solum imponit pœnas iudicibus Commissarijs interponentibus decretum in læsionem Ecclesiæ, & non habet decretum irritans, ideo alienatio, non inserta Bulla, est valida. Quando enim Constitutio habenti alias potestatem faciendi actum, mandat simpliciter, sine clausula annullatiua illum actum fieri sub certa forma, tunc quamuis contrafaciens, sit puniendus, tamen actus valet, & tenet, *glos. in Clemen. 1. in verb. inhibentes, de Iure patr.* quam ibi sequuntur *Cardin. quæst. 7. Anchar. 3. not. Imol. numer. 4. & Abb. numer. 1. Idem Abb. cons. 91. num. 1. lib. 9.* præsertim cum ista insertio fieri debeat solum ad effectum vt iudices certio-

rentur de penis in Bulla expressis,

3 Tertio non obstat, quod testes non fuerint iurati, cum iuramentum non probet ex enunciatiua Notarij, quia testes fuerunt examinati coram iudicibus Commissarijs; in quo casu ex enunciatiua Notarij probatur iuramentum, *Bald. in leg. Iurisiurandi, num. 2. & Salicet. num. 4. C. de testibus*, & fuit resolutum in causa Toletana Decimarum de Brea 21. Iunij 1581. coram R. P. D. Blanchetto. Præterea cum iudices potuerint se extraiudicialiter informare, vt fuit resolutum; poterant sumere istam confirmationem à testibus non iuratis, *gloss. in cap. si duo*, & ibi *Bald. num. 4. tit. de pac. tenen. in vlib. feud. Abb. in cap. nobis, sub num. 5. de elect. Ias. in repet. l. admonendi. nu. 220. ff. de iureiurando*.

4 Quarto non obstat, quod licentia alienandi est restricta ad septem petias Terræ, & locatio fuit facta de omnibus bonis Ecclesiæ, quia conceditur Rectori licentia alienandi Terras laboratiuas Ecclesiæ in villa Marani consistentes in septem petijs distinctis, & in locatione conceduntur omnes petiæ Terræ existentes in villa Marani Ideo si Rector prætendit, quod vltra Terras laboratiuas consistentes in septem petijs adessent in villa Marani aliæ petiæ Terræ, quæ fuerint locatæ, & consequenter, quod Rector in locatione excessit limites suæ facultatis, ipse debet probare istum excessum, quia est fundamentum suæ intentionis. Hoc autem dicebant Domini non probari, quia Inuentarium de anno 1456. in quo enunciantur decem petiæ Terræ, vltra quod non est in forma probanti, præcedit istam locationem per quinquaginta nouem annos, & in contrarium vrgent plures coniecturæ, quæ bene deducuntur per Informantes pro Dominis de Fulchis.

5 Quinto, nō obstat, quod si fuisset expressum, quod locatio comprehendebat omnia bona Ecclesiæ, Vicelegatus non ita facile concessisset, quod vltra quod non constat, quod fuerint locata omnia bona Ecclesiæ. Imò ex instrumento locationis sumitur coniectura in contrarium, cum Rector locet omnes terras positas tamen in villa Marani, si fuisset hoc expressum, quod locabantur omnia bona ecclesiæ, pariter Vicelegatus concessisset cum alienatio esset vtilis Ecclesiæ, quia in huiusmodi literis si in euidentem vtilitatem, tanquam causam finalem. *Socin. consil. 15. numer. 50. libr. 1. Ruin. consil. 157. numer. 25. & 26. lib. 1.*

6 Sexto, Non obstat, quod in supplicatione non fuerint expressi confines, quantitas, & qualitas istarum terrarum, quia adest sufficiens expressio, cum petatur licentia alienandi Terras laboratiuas consistentes in septem petijs in villa Marani.

7 Septimo, non obstat, quod licentia alienandi fuit concessa à iudicibus Commissarijs Rectori, & Prospero eius fratri, & tamen in supplicatione non fit mentio Prosperi, quia hoc non impedit, quod ipse Rector non potuerit locare. Preterea si alienatio erat vtilis Ecclesiæ, hoc non mouisset Vicelegatum, quod alienatio esset facienda à Rectore, vel à Prospero de eius mandato, cum in ista materia nil aliud moueat concedentem facultatem, quam euidens vtilitas Ecclesiæ, vt supra dictum est.

8 Octauo, non obstat, quod locatio fuit facta a Galeatio de Maussijs, non habente mandatum à Rectore quia de eius mandato constat in actis.

9 Vltimo non obstat, quod pro parte Conductoris non probatur euidens vtilitas Ecclesiæ, quia testes eam benè probant, cum reddant concludenter rationes, & in alia positione fuit resolutum, præsertim concurrentibus pactis onerosis conductoris, & vtilibus Ecclesiæ, quæ sunt pars pretij, vt fuit resolutum in causa Auximana Bonorum 21. Iulij 1580. coram R. P. D. Decano.

10 Præterea respondebant Domini, quod ex confirmatione resultat præsumptio vtilitatis, vt per *Bal. in c. 1. n. 4. qui fidei. dare poss.* Ideo onus probandi læsionem, vel nō euidentem vtilitatem spectat ad Rectorem. *Soc. d. cons. 15. n. 31. Couarru. lib. 2. variar. resolut. cap. 17. nu. 2.* & sentit alias Rota in dicta causa Auximana Bonorum, sub die 1. Februarij, & 2. Nouembris 1580. & hoc procedit sine difficultate, quando cum solemnitate concurrit obseruantia, quæ potest controuerti, cum de anno 1534 Rector quietauerit hæredes Prosperi pro canone decurso. Istam autem probationem læsionis, vel non euidentis vtilitatis, aut aliam probationem, quæ eneruet probationem euidentis vtilitatis, dicebant Domini hic non adesse, quia testes Rectoris non percutiunt tempus locationis, ideo non probant non euidentem vtilitatem, præsertim cum de tempore quo deponūt, quod valor bonorum esset auctus, & essent facta melioramenta a conductore.

11 Instrumenta autem locationis de alijs terris in villa Marani, & alijs bonis contiguis minus probant ad istum effectum, cum non probetur, quod sint eiusdem qualitatis. *Cagnol. in leg. 2. numer. 233. Cod. de rescind. vendit.* Imò probatur contrarium, quia istæ petiæ locatæ erant vitatæ arboribus, & habebant domos, & segetes, quæ omnia in istis terminis deficiebant, tanto minus cum concurrant pacta onerosa Conductori, & locatio sit perpetua, quo casu sit diminutio sextæ partis, *authent. perpetua. Cod. de sacrosanct. eccles. Iason. consil. 54. numer. 25. lib. primo*, & pariter tempus calamitosum belli, iam antea cessauerat, & non probatur, quod tempore locationis duraret effectus inde causatus, scilicet vtilitatis pretij rerum, imò apparet fuisse habitam rationem conditionis bonorum temporum, cum redditus istarum terrarum non ascenderet ad eam summam; quæ fuit promissa pro canone, & adsint pacta onerosa conductori. Ideo conclusum conditionem esse validam.

REVERENDISS. P. D. PEGNA DECANO.

Romana de Naris, Lunæ 11. Decembris 1595.

ARGVMENTVM.

Substitutio reciproca, seu fideicommissum, an quando, & per quæ verba inductum dicatur, plures enumerantur casus, & coniecturæ, in hac Decisione.

SVMMARIVM.

Substitutio reciproca dicitur, quando testator vna cum filio nato instituit etiam alios nascituros filios vulgariter, pupillariter, & per fideicommissum, nu. 1.

Substitutio reciproca dicitur, quando pluribus institutis hæredibus testator prohibuit alienationem suorum bonorum, etiam ex causa dotis, & sine detractione Falcidiæ, & Trebellianicæ ad effectum vt perpetuo in familia remanerent. nu. 2. & nu. 7. & 8.

Substitutio reciproca censetur etiam facta, quando testator mandauit, vt vltimus superuiuens substitutus adoptaret alium de eadem domo, & familia. num. 3. Contra. num. 4.

Reciproca substitutio requirit plures personas institutas, & inuicem substitutas. n. 5.

Substitutio reciproca induci potest in vno testamento per relationem ad aliud testamentum, in quo reciproca substitutio facta dicatur. nu. 6. & seq.

Paria sunt facere explicitum fideicommissum, vel illud facere

facere relatiue ad aliud testamentum, in quo fideicommissum legatur. nu. 6.
Fideicommissum dicitur onus. nu. 6.
Relata dicuntur esse in referente verè, & proprie, n. 6.
Substitutio reciproca censetur inducta quando verba testatoris sunt concepta in rem, & non in personam non incidenter, sed dispositiue. nu. 9.
Minor, qui vigore testamenti debet adoptare aliquem qui succedat in hæreditate sibi relicta iuxta dispositionem testatoris, si propter minorem ætatem non potest adoptare, potest loco adoptati aliquem eligere successorem omni meliori modo. nu. 11. & seq.
Hæredis assertioni de voluntate testatoris maxime credendum est. nu. 12.
Fideicommissum perpetuum inducitur, quando testator ordinauit, vt bona sua remaneant in familia. nu. 13. & 14.
Substitutio reciproca non censetur a testatore facta in pluribus casibus, de quibus. nu. 15. & seqq.
Fideicommissum non extenditur de vna persona ad aliam, etiam ex verisimili mente testatoris. nu. 19.
Hæres scriptus in testamento non abolito, & non cancellato, debet immitti in possessionem hæreditatis non obstantibus exceptionibus requirentibus altiorem indaginem, nu. 20. & 21.

DECISIO XXXV.

1 PEtebat Franciscus de Naris immitti in possessionem medietatis Casalis de Monte Meliore vigore testamenti non vitiati, nec cancellati Hieronymi de Naris sui fratris, qui decedens reliquerat hæredem Antonium de Naris communem fratrem, illum tamen rogauerat, vt medietatem dicti casalis cum annexis Francisco restitueret, sed quia Antonius restitutionem facere recusabat, & immissionem impedire nitebatur, opponendo de antiquo fideicommisso specialiter inducto super dicto Casali, cuius vigore prætendebat dictum integrum Casale cum annexis, post obitum Hieronymi fratris ad se pertinuisse, nec Hieronymum de illo disponere potuisse; Ideo dubitaui, An constaret de fideicommisso ad effectum impediendæ immissionis, quam Franciscus vigore dicti testamenti postulabat. In quo articulo informantes pro Antonio considerabant Tiberium de Naris primum Casalis dominum, & speciali fideicommissi vinculo idem Casale ligantem, vt perpetuo in familia de Naris remaneret pro conseruatione nobilitatis illius, instituisse filios suos masculos si nascerentur simul cum L. Martio eius tunc vnico filio minore, eosdem vulgariter, pupillariter, & per fideicommissum inuicem si decederent sine filijs æquis portionibus substituendo, quibus verbis continetur reciproca, & fideicommissaria, præsertim stantibus illis verbis, per fideicommissum. *Rip. in leg. Lucius. num. 46. vbi Bartol. num. 20. ff. de vulg. & pupil. Dec. consil. 86. num. 1. Paris. consil. 41. num. 35. lib. 2. Roland. consil. 25. num. 10. lib. 1. R. P. D. meus Mantica. lib. 7. de coniect. vltim. volunt. titul. 4. numer. 6. & 7.*

2 Prohibuerat etiam testator in particulari alienationem Casalis etiam ex causa dotis, & detractionem Falcidiæ, & Trebellianicæ ad effectum, vt perpetuo in familia remaneret, ex quibus similiter deducebāt claram fuisse testatoris mentem volentis inducere reciprocum fideicommissum etiam in casu mortis. *Soc. sen. cons. 43. num. 11. vers. aliquando vltra testator dixit. libr. 3. Dec. consil. 481. num. 2. Gabr. de fideicomm. concl. 10. nu. 7.*

3 Disposuerat præterea Tiberius, quod vltimus superuiuens ex hæredibus a se institutis, & substitutis teneretur adoptare vnum, ita quod nati natorum, & qui nascerentur ab illis, seu in euentum prædictum adoptarentur, perpetuo tempore de domo, & familia de Naris nuncuparentur, vt supra, & ad eum dicta hæreditas deuolueretur, vt supra, modo, & forma superius expressis, & non aliter, nec alio modo, etiam vulgariter, pupillariter, & per fideicommissum, vt supra, quos omnes respectiuè, & successiuè dictus testator substituit, & ore proprio nominauit vnde inferebant informantes pro Antonio in testamento Tiberij inter plures adoptatos inductum reciprocum fideicommissum. *Rip. in dicta l. Lucius. nu. 46. & Paris. dicto cons. 41. nu. 35. lib. 2.*

4 Quoniam verò informantes pro Francisco admittebant in testamēto Tiberij reperiri reciprocam substitutionem expressam in vno casu videlicet, inter filios suos si plures suscepisset, non tamen fuisse inductum in altero casu, si omnes eius filij decessissent sine filijs, in quo vltimus superueniens tenebatur adoptare aliquem nobilem, qui ferret nomen familiæ de Nari, in eoque casu nullam fuisse factam reciprocam substitutionem, nec etiam fieri potuisse, ex quo solus vnus erat vocatus, cui reciproca conuenire non potest, quæ requirit plures personas. *leg. iam hoc iure. & leg. Lucius. ff. de vulg. & pupillar.* & in themate proposito euanuisse reciprocam à Tiberio in primo casu consideratam ex quo post obitum Tiberij solus remanserat L. Martius eius filius, qui decesserat sine filijs.

5 Propterea Informātes pro Antonio ex multis probare nitebantur eandem reciprocam intelligi repetitam in testamento L. Martij per relationem ad testamētum Tiberij, nam L. Martius Tiberij vnicus filius afferens mentem Tiberij sui patris fuisse sibi manifestissimam, quod Casale de Monte Meliore remaneret in perpetuum in familia de Naris pro illius ampliatione, & manutentione, & quod vltimus decedens de linea, seu familia ipsius Tiberij si sine filijs decederet, adoptaret vnum, vel plures, nobilem, seu nobiles viros, qui succederet, aut succederent in dicto Casali, & hæreditate, idcirco omni meliori modo, ore proprio nominauit, instituit, & suos hæredes fecit in prædicto Casali cum omnibus suis membris Antonium, & Hieronymum de Naris filios q. Sabbæ de Naris, cum conditionibus oneribus, & facultatibus similibus, & in dispositione paterna appositis, & adiectis. Volens insuper, quod Antonius, & Hieronymus deberent, & tenerentur dare singulo anno dicto Francisco de Naris eorum fratri tertiam partem fructuum eiusdem Casalis, & duorum censuum vita Francisci durante, quos Antonium, & Hieronymum filios Sabbæ de Naris, & in eadem familia existentes succedere voluit modo quo supra in supradicto Casali; volens & mandans idem testator debere tam dictum Casale, quam dictos duos annuos, perpetuos census perpetuo manere in eadem familia de Naris, & cum facultatibus, & conditionibus appositis, & adiectis per dictum Tiberium eiusdem testatoris patrem.

6 Ex hac enim dispositione prætendebatur pro parte Antonij reciprocam fuisse repetitam inter ipsum, & Hieronymum, quos L. Martius sibi hæredes instituerat, cum reciprocum fideicommissum induci possit in vno testamento per relationem ad aliud testamentum, in quo reciprocum fideicommissum legatur, *Dec. cons. 362. in princip. Socin. iun. cons. 75. num. 9. lib. 3.* cum paria sint facere in aliquo testamento explicitum fideicommissum, vel aliud facere relatiue ad aliud testamentum, in quo illud legatur. *Alexand. consil. 201. num. 20. lib. 6. Gozzad. consil. 52. num. 3.* & præsertim in hoc casu, in quo L. Martius expresse asseuerat se voluisse nominare, & instituere Antonium, & Hieronymum, cum facultatibus, oneribus, & conditionibus contentis in testamento paterno. Vnde cum in testamen to Tiberij legeretur

substitutio reciproca inter eius filios, & hæredes si plures nati fuissent, ita quod si vnus illorum decederet sine filijs, alter superstes ei succederet, similiter, in hoc casu fieri debebat successio inter Hieronymũ & Antonium. *Bart. in dicta l. Lucius. num. 20. vbi Rip. num. 30. ff. de vulg. & pupil.* nam dicere cum conditionibus, oneribus, & facultatibus, perinde videbatur, ac si dixisset, cum fideicommisso contento, & inducto in testamento Tiberij, cum fideicommissum dicatur onus. *leg. si arrogator. ff. de adopt. leg. cohæredes. §. cum filio. ff. de vulg. & pupil.* prout etiam idem significare videbantur illa verba cum conditionibus. *leg. 1. C. de pact.* præsertim cum relata dicantur esse in referente verè, & propriè *l. asse toto. vbi Bart. ff. de hæred. instit. Dec. cons. 19. nu. 3. Paris. cons. 9. n. 17. lib. 3. Gozzad. cons. 57. nu. 16.*

7 Supradictis addebant sequentia; primũ, quia vterq; testator voluit Casale conseruari in familia, & agnatione, prohibendo omnem alienationem. *Socin. sen. cons. 12. nu. 18. lib. 3. Dec. cons. 38. nu. 1. Cur. iun. cons. 161. nu. 8. par. 2. Paris. cons. 30. nu. 22. lib. 2.*

8 Item quoniam L. Martius dixerat volens, & mandans quod Casale perpetuo remaneret in familia de Naris: Si enim post mortem omnium institutorum vocabatur ipsa familia, sequebatur adesse substitutionem factam post mortem omnium. Item concurrere aliud ad reciprocam substitutionem requisitum quod fieret de tota hæreditate, ex quo erat facta de re certa, videlicet, de Casali sub certis limitibus designato. *Ruin. cons. 109. nu. 6. & 7. lib. 2.*

9 Rursus cum illa verba essent in rem concepta, non in personam, etiam ex testamento L. Martij videbatur inductum fideicommissum reciprocũ inter Antonium, & Hieronymum institutos. *Gabr. conclus. 10. de fideicom. num. 23. Bald. in l. precibus. num. 49. vers. sed tu dic. Cod. de impub. & alijs substit. Anchar. cons. 381.* & eo præsertim nomine, quia fuerunt prolata non incidenter, sed dispositiue. *Syluest. Aldob. cons. 31. nu. 12. & 14. vbi plures allegat.*

10 Postremo quia ex quo L. Martius exclusit Franciscum assignata sibi solum tertia fructuum parte, vita illius durante, censeri poterat considerasse solam familiam Hieronymi, & Antonij, ita vt Hieronymus non potuerit ad fauorem Francisci disponere. *Gabr. de fideicom. concl. 10. nu. 10.*

11 Quibus non obstabat, quod Lucius Martius non videretur seruasse paternam voluntatem, ex quo nõ processerat per modum adoptionis, quia, cum propter minorem ætatem non potuisset adoptare, processit per electionem, & omni meliori modo, quod videbatur sufficere. *Gabr. cons. 132. q. 2. num. 13.* vbi consuluit in terminis huius fideicommissi.

12 Dicebatur etiam, quod licet Tiberius disposuisset quod vltimus de suis adoptaret vnum, & L. Martius elegerat duos, non propterea contrauenit voluntati paternæ, cum enim dixisset manifestissimam sibi fuisse patris mentem præsumendum erat illum voluisse, vt plures etiam adoptari, & eligi possent. *Gabr. dicto consil. 132. quæstio. 2. num. 12. Crauet. cons. 161. numer. 4.*

13 Ex aduerso etiam deducebantur multa, quæ valde ancipitem, & controuersum reddebant propositum articulum, quanquam enim aliqui ex Dominis opinarentur fideicommissum inductum à Tiberio de Naris expirasse, censebant tamen L. Martium super eodem Casali aliud fideicommissum induxisse, ex quo ordinauerat, quod remaneret in familia de Naris pro illius ampliatione, & manutentione, quibus verbis induci fideicommissum perpetuum censuerunt. *Ias. in leg. filiusfamilias. §. Diui. in 2. lectura. nu. 146. vers. tenendo tamen communem. Vbi Rip. num. 18. & Ferdin. de Loaz. num. 98. ff. de leg. 1. Peralta in leg. cum ita legatur. §. in fideicommisso. numer. 15. ff. de leg. 2. & R. P. D. meus Mantica lib. 6. de coniect. vlt. volunt. tit. 14. num. 27.*

14 Item ex eo quod L. Martius sequendo patris voluntatem similiter prohibuit illius alienationem, iubens, & mandans, vt perpetuo in familia de Naris remaneret, cum facultatibus, conditionibus, & oneribus positis in testamento Tiberij. *Socin. iun. cons. 25. lib. 3. Alex. cons. 201. num. 20. lib. 6. hæc enim clarè indicabant adesse fideicommissum. Socin. in leg. Gallus. §. quidam rectè num. 8. ff. de liber. & post. Tiraq. de primogen. quæst. 3. num. 9. Molin. lib. 1. de primogen. Hispan. cap. 5. num. 19.* & respectu talis fideicommissi dubium esse, qualiter esset succedendum, cum L. Martius id non satis expressisset.

15 Quantum autem ad fideicommissum reciprocum ex sequentibus prætendebatur pro Francisco illud non videri inductum inter Antonium, & Hieronymum, primo, quia de reciproca substitutione expressè non constabat ex testamento L. Martij, qui solum vocauit Antonium, & Hieronymum cum facultatibus, conditionibus, & oneribus similibus appositis in Testamento Tiberij, in quibus non legebatur talis expressa substitutio reciproca, quæ ad effectum impediendæ immissionis clarè, & sine interpretatione posset trahi.

16 Item considerabatur series testamenti Tiberij de Naris, qui primo loco vocauerat Lucium Martium filium, & casu quo illius vxor peperisset duos filios, vel vnum masculum, illos adinuicem substituerat, nec vltra fuerat progressus in substitutione reciproca, quam solum fecisse videbatur inter suos filios, non autem inter illorum descendentes.

17 Rursus in defectum filiorum legitimorum, & descendentium ab illis, vltimo morienti substituerat filium naturalem vulgariter, & pupillariter, & per fideicommissum, nulla facta mentione reciprocæ substitutionis respectu descendentium à filio naturali.

18 Præterea deficientibus omnibus supradictis, iussit adoptari vnum nobilem modo scripto in testamento, ad quem voluit hæreditatem suam deuolui modo, & forma supra expressis etiam vulgariter, & pupillariter, & per fideicommissum, vt supra, quod poterat intelligi, eo modo, quo substituerat in proxima præcedenti clausula filium naturalem.

19 Postremo ex eo, quod testator subiunxerat; *Quos omnes substituit respectiue, & successiue*; quasi diceret, primo, filios legitimos, secundo, filium naturalem, tertio, filium adoptiuum. Vnde cum Tiberius diuersas vocationes fecerit, & solum inter filios primi gradus, non inter alios vlteriores substitutionem reciprocam induxisse videretur, non satis apparebat, quo pacto ex dispositione. L. Martij relata ad dispositionem Tiberij, posset deduci reciproca substitutio inter Hieronymum, & Antonium, & præsertim in casu fideicommissi, in quo etiam ex verisimili mente testatoris non fit extensio de persona ad personam *l. si quis ita. §. penultimo. ff. de testam. tut. Gabr. tit. de reg. iur. concl. 10. nu. 9. Molina lib. 1. cap. 4. nu. 4. de primogen. Hispan.*

20 Supradictis accedebãt multæ difficultates per Dominos consideratæ, quia licet inter adoptatos posset considerari aliqua reciproca substitutio tacita, quæ esset sufficiens ad effectum, vt Hieronymus non potuisset disponere de medietate Casalis, quia expressà non legebatur, vt supra dictum fuit, dubium tamen erat, an fuisset per L. Martium seruata forma præscripta in testamento Tiberij cum L. Martius nõ adoptauerit Antonium, & Hieronymum, sed eos elegerit, & instituerit. Rursus quæstionis etiam erat vtrum talis institutio habuerit vim adoptionis. Item an relatio facta per L. Martium ad testamentum Tiberij censeretur facta ad substitutiones, vel solum ad prohibitionem alienationis, quæ omnia cum tanquam

quam valde obscura, & controuersa particulari indigerent inspectione, & reciproca, quæ prætendebatur ab Antonio, videtur turbida, ex quo expresse non legebatur in testamento L. Martij, & Franciscus vigore testamenti Hieronymi non vitiati, nec cancellati peteret immissionem pro sua medietate in dicto Casali, fuit dictum, quod dum istæ difficultates, quæ requirebant altiorem indaginem, discutiebantur, cum interim non constaret de tali fideicommisso incontinenti probato, quod iure posset impedire immissionem, non poterat Francisco immissio denegari, *Dec. cons. 424. num. 18. 19. & 20. Socin. iun. cons. 75. num. 18. & 19. lib. 1. Rol. cons. 1. nu. 73. lib. 1. Menoch. de adipisc. remed. 4. nu. 745.* & fuit resolutum in terminis in causa Romana de Salamonijs die 14. Decembris 1575. coram R. P. D. Decano, & in alia Casalis Sancti Matthæi die 12. Iunij 1573. coram Reuerendiss. D. Robusterio. Et in alia Romana Casalis die 18. Martij 1577. coram eodem.

21 Neque obstat, quod Franciscus ne dum non erat vocatus à Tiberio, & L. Martio, verum expresse fuerat exclusus à L. Martio, quia respondebatur illum fuisse vocatum ab Hieronymo, & ideo dandam sibi fuisse immissionem, cum ab Antonio non probaretur incontinenti, quod Hieronymus propter fideicommissum non potuerat disponere de medietate Casalis aliter enim Antonius non poterat dici legitimus contradictor.

REVERENDISS. P. D. PEGNA, DECANO.

Romana de Naris, Lunæ 4. Martij 1596.

ARGVMENTVM.

Agitur in hac Decisione de Immissione heredis ad hereditatem testatoris *ex leg. fin. Cod. de edicto Diui Adr. tolle:* & inde ad propositum nonnulla explicantur notabilia.

SVMMARIVM.

Fideicommissum fieri potest in vno testamento per relationem ad aliud testamentum, nu. 1.

Exceptio requirens altiorem indaginem non impedit immissionem in possessionem ex l. final. C. de edicto Diui Adr. tollen. num. 1.

Remedium l. fin. C. de edict. Diui Adr. toll. Nam competit fideicommissario particulari, cui restitutio facta non fuit re, aut verbo, nu. 2.

Clausula in libello apposita, si deducens omne ius omni meliori modo operatur, vt quis dicatur intentasse omne, & quodcunq; remedium sibi magis proficuum, nu. 2.

Petitorio suspenso suspendens non dicitur mutasse propositum, num. 2.

Titulum parem allegans impedit viam executiuam, & reducit processum ad iudicium ordinarium, Declara, vt num. 3.

DECISIO XXXVI.

1 QVoniam Informantes pro Antonio de Naris prætendebant illum fuisse grauatum, ob decisionem factam die 11. Decembris 1595. in qua fuerat dictum Franciscum de Naris immittendum in possessionem medietatis Casalis de Monte Meliore, & ad illam impediendam excitauerant plures difficultates, ideo iterum causa proposita super eisdem die 19. Febr. prox. præteriti, quo die fuit dilata ad Pisces & iterum die 4. Martij vtraq; parte informante Domini conformiter censuerunt, non fuisse recedendum à decisis, quia licet verum sit fideicommissum fieri posse in vno testamẽto per relationem ad aliud testamentum, in quo illud fuerit constitutum. *Socin. iun. consil. 75. lib. 3. Ias. cons. 141. nu. 32. lib. 2. Alex. cons. 201. num. 20. lib. 6* & propterea vocatum ad tale fideicommissum posse impedire alium prætendentem sibi deberi rem fideicommissum subiectam, & præsertim, quando actu reperitur possidere rem super qua est controuersia, hoc tamen procedit, quando clarè constat de fideicommisso, vel saltem in continenti potest de illo constare. Secus autem est si altiorem requirit indaginem, consistentem in disputatione articulorum iuris, & perplexis difficultatibus. Tunc enim omissa tali indagine ei datur rei possessio, qui clarum titulum ostendit. *Decius cons. 424. num. 19.* cum alijs in prædicta decisione allegatis. Vnde cum fideicommissum contentum in testamẽto Lucij Martij de Naris cuius vigore prætendebat Antonius retinere medietatem Casalis, esset turbidum, & super eo essent discutiendæ multæ difficultates in decisione indicatę, & Franciscus peteret eandem Casalis medietatem vigore testamenti Hieronymi, cui nullum vitium opponebatur, ideo de iure non poterat Francisco immissio denegari. Et ex his tollebatur prima, & potissima obiectio, quę denuo opponebatur ad impediendam immissionem: quia Antonius non ostendebat clarum, & euidens fideicommissum reciprocum ad suum fauorem, neque incontinenti poterat illud probare.

2 Rursus non obstat dicere, quòd Francisco non competebat remedium *l. fin. C. de edic. Diui Adr. toll.* ex quo erat fideicommissarius particularis, & sibi non erat facta restitutio re nec verbo quia omissa illa inspectione, an esset fideicommissarius particularis nec ne non erat verum in facto ipsum intentasse solum remedium *dict. leg. fin.* cum ex libello porrecto in Curia Capitolij appareret ipsum deduxisse, & petiuisse omne ius cum clausula omni meliori modo, & per consequens intentasse omne, & quodcunque remedium sibi magis proficuum, *Roland. consil. 79. num. 38. libr. 1.* quod ipsum apparebat etiam ex commissione per Franciscum obtenta, per quam committebatur causa summariè cognoscenda, quod idem etiam significat *Rot. decis. 351. num. 1. & 450. num. 5. part. 1.* diuers in impressis. Vnde cum Franciscus suspenderit petitorium, & declarauerit se velle interdicto Saluiano ad consequendam, & habendam rem sibi debitam ex testamento Hieronymi, non poterat censeri mutasse propositum, & propterea merito intentauit possessorium ad prædictum effectum, *Bald. in l. incerti. nu. 1. vers. Dicunt quidam, C. de interd.* & fuit decisum in causa Romana de Comitibus, die 6. Martij 1581.

3 Non obstabat preterea obiectio de pari titulo, quem Informantes pro Antonio deducebant ex eo, quod Antonius, qui vigore testamenti Lucij Martij possidebat integrum Casale, quasi ex fideicommisso reciproco censendus erat legitimus contradictor ad impediendum Franciscum habentem parem titulum ex testamento Hieronymi. Quia respondebatur, quod licet regula sit, quod allegans parem titulum impedit viam executiuam, & reducit processum ad iudicium ordinarium *Zuchard. in d. l. fin. C. de edic. Diui Adr. nu. 374. Menoch. de adipisc. remed. 4. n. 565. Mohed. dec. 331. alias est decis. 13. vt lit. pend.* illa tamen regula procedit in habente parem titulum ab eodẽ fonte, seu causa, vel persona prouenientem, *Roland. cons. 78. nu. 27. lib. 3. vers. tamen propter hoc. Mohed. decis. 206. incip. diu fuit disputata, alias est decis. 5. vt lit. pend.* in impressis, & fuit resolutum coram me in vna Vrgellen. Archidiaconatus die 15. Iunij 1592. In casu proposito præterquam quod titulus Antonij erat a Lucio Martio, titulus vero Francisci ab Hieronymo,

mo, & sic à diuersa persona, illud erat maximi momenti, quia titulus Antonij erat turbidus, & obscurus; titulus verò Francisci erat clarus, nempè in testamento Hyeronimi non vitiato fundatus Atque ex his fuit conclusum dandam immissionem Francisco etiam ex Saluiano, in quo non est necessario probandum dominium, cum sufficiat probare possessionem illius, cui succeditur, & aduersarium possidere reiectis exceptionib. altiorem indaginem requirentibus, *Paleot. decis. 322. incip.* hæc causa erat satis antiqua in hac facti specie notum erat possedisse Hieronymum auctorem Francisci medietatem Casalis, illamque Antonium possidere.

R. P. D. ORANO.

Burgen. Iurisdictionis S. Ioannis. Ven. 20. Dec. 1596.

ARGVMENTVM.

Iurisdictio per priuationem alicui data in gratiam illius cui conceditur censetur priuatiuè, & non cumulatiuè concessa, præsertim si ad petitionem partis.

SVMMARIVM.

Iurisdictio per priuationem alicui data in gratiam illius, cui conceditur, censetur priuatiuè, & non cumulatiuè concessa præsertim si ad petitionem partis, nu. 1.

Præscriptio immemorabilis probatur per cursum temporis, vel per antiquas enunciatiuas, num. 1.

Iurisdictio dicitur priuatiuè concessa, quando illa probatur per præscriptionem immemorabilem. num. 2.

DECISIO XXXVII.

1 FVit resolutum R. Abbati Monasterij S. Ioannis competere iurisdictionem, de qua agitur priuatiuè ad R. Archiepiscopum Burgen. Nam priuilegio Sixti IV. moderno, & pro tempore existenti Priori dicti Monasterij conceditur quoscunque Clericos, etiam dictæ Ecclesiæ filios patrimoniales ad eiusdem Ecclesiæ deseruien. per Priorem deputatos, & Conuentum admissos, si eorum demerita id exegerint, suspendere, excommunicare, priuare, vel mulctare, vel alia perpetua pœna punire, decernendo Priorem, & Conuentum super possessione huiusmodi per quoscunqne quouis quæsito colore molestari non posse. Quando enim iurisdictio per priuilegium alicui datur in gratiam illius cui conceditur, censetur priuatiuè concessa, *Arg. cons. 375. num. 4. versic. quarto fallit. Afflict. decis. 41. Grammat. decis. 30. num. 6. Aym. consil. 411. n. 31. & 33. in fine. Menoch. de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 18. num. 23.* præsertim si ad petitionem partis, vt hic, non autem Motu proprio fuerit concessa. *Bart. in auth. habita. num. 59. vers. & aduerte in casu visitatorum. C. ne fil. pro patr. quem sequitur. Aret. consil. 102. num. 2.*

2 Sed tanto magis quando Abbas, siue Prior, nedũ prætendit iurisdictionem ex prædicto priuilegio Sixti, sed ex immemorabili enunciata in sententia lata de anno 1476. in qua habetur, quod Ecclesia Sancti Adelelmi sita prope Monasterium S. Ioannis pertinet, & spectat ad dictum Monasterium, & ad Priorem ac Monachos illius pleno iure in spiritualibus, & temporalibus prout fuit, & est ab immemorabili citra, & absque alicuius contradictione, & altera sententia de anno 1594. publicata in iudicio, siue lite introducta inter Abbatem, & Conuentum ex vna & Clericos dictæ Ecclesiæ S. Adelelmi: Abbatis seu Prioris S. Ioannis visitationis, & correctioni subiectos esse, cuius etiam postea per fel. record. Paulum Papam III. de anno 1544. accessit confirmatio. Certum est enim, quod immemorabilis altero horum modorum probatur vel mediante præscriptione siue cursu temporis, vel per enunciatiuas antiquas ad *Put. dec. 209. n. 2. & 3. lib. 2.* & quod eo etiam casu competit Superiori iurisdictio priuatiuè. *c. pastoralis. vbi Doct. de offic. ord.*

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. CARD. PAMPHILIO.

Eugubina Sancti Stephani. Lunæ 15. Martij 1599.

ARGVMENTVM.

Vnio facta de beneficio per aliquem possesso ipso cedente, vel decedente, seu alias quomodolibet Ecclesiam dimittente, non habet locum, quando cessio non est facta simpliciter, sed per resignationem ad fauorem certæ personæ, præsertim quando adest clausula generalis suspensiua quarumcunque vnionum. Quid si ista clausula suspensiua non legatur in literis, & adsit in supplicatione, an possint nouæ literæ expediri cum insertione dictæ clausulæ, & plura de vi & effectu clausularum amplissimarum, quod maior, & verior expressio fieri possit, & latissime extendenda. &c.

SVMMARIVM.

Vnio non purificatur per mortem eius qui antea beneficium resignauerat. num. 1.

Vnio de beneficio per aliquem possesso ipso cedente. vel decedente, seu alias quomodolibet Ecclesiã dimittente, tunc demum locum habet, si cessio est simplex, non autem quando est facta in fauorem certæ personæ, vt puta per resignationem. num. 2. Vbi quod hoc vel maxime procedit, quando in dicta resignatione adest clausula generalis suspensiua quarumcumque vnionum.

Resignatio non facta mentione vnionis nullæ est. nu. 3. Declara non procedere quando adest suspensio quarumcunque vnionum, dicto. num. 3.

Subreptio ob non factam mentionem vnionis euitatur, si Papa in genere de illa cogitare potuit, dicto. num. 3.

Vnio facta ex causa onerosa comprehenditur sub vniuersali expressione, quarumcumque vnionum, num. 4.

Qualitas causæ onerosa non est talis, quæ potuisset retrahere Papam à concessione vnionis sub ista conditione, vt scilicet locum non habeat, quando cessio est facta ad fauorem certæ personæ. dict. num. 4. Quod multo magis locum habet quando non agitur de tollenda vnionem in totum. Sed de eius suspensione ad tempus incertum. n. 5.

Subreptio excluditur ex clausulis amplissimis: Quod maior & verior expressio fieri possit &c. Et latissime extendenda, &c. d. num. 5. Vbi quod illarum vigore omnia extendi possunt.

Clausulæ exequutiuæ positæ post corpus supplicationis ad validandum gratiam, dicuntur decreta Papæ, & habent particularem signaturam Papæ, & ampliant & restringunt gratiam. num. 6. Vbi quod intentio concedentis ad euitandum subreptionem colligitur ex dictis clausulis exequutiuis.

Clausula suspensionis satis est, quod adsit in supplicatione, licet non legatur in literis, nu. 7. Vbi quod possunt super illa nouæ literæ expediri.

Clausula. Quod maior, & verior specificatio fieri possit in literis simul vel ad partem prout videbitur expediendũ. Operatur vt per vnicam expeditionem non censeatur consumpta facultas iterum expediendi super alia parte gratiæ. dicto num. 7. in fin.

Papa suspendendo ad tempus incertum non dicitur facere præiudicium regulæ. de iure quæsito non tollend. n. 8. Vbi quod secus est quando suspensio est ad vitam trium personarum vel ad certum tempus, puta quinquennium.

Clausu-

Clausulæ derogatoriæ vnionis ad futuras dispositiones regulantur ab ipsa dispositione principali, nec egrediuntur limites vnionis, & sic locum non habent, nisi illa effectuata per simplicem cessionem, nu.9.

DECISIO XXXVIII.

1 POst decisionem in hac causa factam sub die 9. Decembris 1596. exhibuit Lactantius supplicationem resignationis huius beneficij sibi factæ per Aurelium cum clausula, & cum suspensione quarumcumque vnionum, &c. Qua stante visum fuit omnibus Dominis recedendum esse à resolutis. Dicebant enim, per obitum Aurelij vnionem non potuisse purificari postquam beneficium ante resignauerat in manibus Papæ ad fauorem Lactantij, *cap. ex transmissa, & cap. super hoc. de renunciat. Cassad. dec.4. nu.10. de restit. spoliat. Crescent. dec.6. de iudic.*

2 Et minus per resignationem euenisse casum vnionis, quia cum sit facta de beneficio pleno in persona Aurelij ipso cedente, vel decedente, seu alias quomodolibet ipsam Ecclesiam dimittente, intelligitur de cessione simplici, non autem de ista, quæ sit facta in fauorem Lactantij, & sic certæ personæ. *Cassad. decis.3. de renunciat. Put. decis.3. eodem tit. & decis.357. libr.1.* Præsertim stante generali suspensione, quarumcunque vnionum *Fab. decis.20. libr.1.* & de clausula per cessum, vel decessum posita in regressu *Mohed. 341. alias 36. de renunc. Paleot. decis.48. cum alijs allegatis.*

3 Neque obstare, quod alias dicebatur resignationem fuisse nullam non facta mentione vnionis *iuxta decis. 3. de rer. permut.* in antiquis, quia hodie cessat difficultas, stante prædicta suspensione quarumcunque vnionum &c. cuius vigore potuit Papa saltem in genere cogitare de ista vnione, quod sufficit ad euitandam subreptionem, *l. qui iure militari. ff. de milit. test. Cassad. dec. 12. nu.6. de præbend. & dec. prima, de priuileg. Corn. consf.201. nu.14. lib.2. Felin. in cap. nonnulli sub nu.18. de rescript.*

4 Neque obstat, quod ista vnio prætendatur facta ex causa onerosa, quia nihilominus comprehenditur sub ista vniuersali expressione quarumcunque vnionum, *Alexan. cons.216. sub num.39. lib.2. Crescent. decis. 5. de priuileg.* & ista qualitas non est talis, quæ à concessione retraxisset Pontificem, qui propter frequentes suspensiones, quas in similibus resignationibus concedere solitus est, censetur ab initio concessisse hanc vnionem sub ista tacita conditione vt locum non habeat in euentum cessionis in fauorem certæ personæ. *Put. d. dec.357. nu.5.*

5 Præsertim, quod non agitur de tollenda vnione in totum, sed tantum de eius suspensione, & illa ad tempus incertum & sic de modico præiudicio, cum posset citius mori resignatarius, quam resignans. *Put. d. dec.357. & dec.48. nu.9. lib. 1. Fab. dict. decis.20.* Et adsunt clausulæ amplissimæ, quod maior, & verior expressio fieri possit, &c. & latissime extendenda &c. quæ excludunt omnem subreptionem, cum earum vigore possint omnia extendi, & dispositiuè poni *Sarn. in proœm. reg.q. vltim. num.7. Mohed. decis.1. num.2. de reseru. Achil. 8. de priuil. Caputaque decis.295. par.2.* & fuit dictum in Causa Romana Casalis Magistri Oddonis sub die 6. Aprilis 1576. coram bonæ mem. Lauretano.

6 Nec placuit Dominis, quod dicebatur, hanc mentionem vnionis fuisse factam in clausulis executiuis, quia imò est inter decreta Papæ posita ad validandum gratiam post corpus supplicationis, quæ habent particularem signaturam Papæ; & ampliant, & restringunt gratiam. *Deci. consil.305. col. fin. Osasch. dec. Pedemon. 164. sub num. 2. & in simili casu tradit Cassad. decis.5. num. 2. de reseru.* maxime, cum agatur de intentione concedentis ad euitandam subreptionem, quæ colligitur ex clausulis executiuis *Bald. in leg. eam quam Cod. de fideicomm. Dec. consil.423. in fin. Curt. iun. consil.3. sub num.3. & tenuit* Rota in causa Cæsaraugustana Pensionis 19. Februarij 1590. coram Dom. meo Gipsio.

7 Neque obstat, quod clausula suspensionis non legatur in literis, quia sat est, illã esse positam in supplicatione, quæ tanquam matrix est attendenda, *Caputaque decis.75. num.6. part.1.* præsertim ad effectum, vt dicatur facta mentio vnionis, quam Papa potuit intelligere ex ipsa supplicatione, etiam quod de ea non fiat mentio in litteris, quæ si opus esset possent hodie super hac suspensione expediri, cum de iure possit quis plures literas expedire super pluribus partibus gratiæ, licet non super eisdem, vt fuit resolutum coram bon. memor. Illustrissimo Lancellotto in causa Hispalens. Pensionis die 23. Ianuarij. 1577. vltra quod adest clausula, quod maior, & verior specificatio, & expressio fieri possit in literis simul, vel ad partem prout videbitur expediendum, quæ facit, vt per vnicam expeditionem ad quam Papa videtur se noluisse restringere, non censeatur consumpta facultas denuo expediendi super alia parte gratiæ.

8 Non obstat, quod non fuerit derogatum regulæ de iure quæsito non tollendo, quia cum Papa ab initio in casum resignationis ad fauorem certæ personæ excluserit effectum vnionis, quæ censetur concessa sub hac conditione, vt in euentum cessionis in fauorem certæ personæ locum non habeat, suspendendo illam ad tempus incertum non dicitur facere præiudicium considerabile vnioni in hũc casum non concessæ, nec tollere aliquod ius quæsitum, cui sit derogandum cum potuerit esse, quod Lactantius resignatarius decederet ante resignantem, *Put. d. dec. 357. num.5. Fab. d. decis.20.* quicquid dicendum sit in suspensione ad vitam trium personarum, vt loquitur *Put. decis.289. lib.3.* vel ad certum tempus puta ad quinquennium, vt loquitur decisio. R.P.D. mei Seraphini in causa Astoricensis Archidiaconatus die 19. Martij. 1576.

9 Non obstant clausulæ vnionis derogatoriæ ad futuras dispositiones ponderatæ ab informantibus, quia regulantur ab ipsa dispositione principali, & non egrediuntur limites ipsius vnionis, & sic non habent locum, nisi illa effectuata per simplicem cessionem, *gl. in l. patronatus, §. si patrono, in vers. Flauian. 1. ff. si quis in fraud. patron. Paris. cons.1. num. 90. & consil. 21. num.143. lib.1. Felin. in cap. licet in corrigendis sub nu. 7. de offic. ord. Put. dec.1. lib.1. cum alijs allegatis.* Et ita fuit conclusum.

R. P. D. CORDVBA.

Ferrarien. Bonorum. Lunæ 24. Februarij. 1600.

ARGVMENTVM.

Iudicis delegati iurisdictio qualis, & quanta sit, forma Commissionis, & rescripti inspicienda est.

SVMMARIVM.

Commissionis, & rescripti forma attendendam semper est, vt inspiciatur quæ sit iudicis iurisdictio, nu.1.

Commissiones, & rescripta semper intelligenda sunt, prout de Iure, nu.2.

Dux Mutinæ conueniri potest in statu Ecclesiæ pro bonis sitis in eodem statu, nu.3.

Conuentio, & reconuentio pari passu ambulant, nu. 3.

DE-

DECISIO XXXIX.

3 Commissa causa in Rota inter Serenissimum Dominum Cæsarem Estenum, Ducem Mutinæ, & Excellentissimam D. Annam Ducissam de Nemours super bonis clar. me. q. Alphonsi Ducis Ferrariæ, in quibus D. Anna prætendebat succedere, tum ex capite hypothecæ appositæ in instrumento dotali, tum etiam ab intestato vti proximior, & Dominus Cæsar tanquam hæres scriptus in testamento, asserebat omnia illius bona vbicunque existentia ad se pertinere, & reconueniebat D. Ducissam super bonis hereditarijs sitis in Regno Franciæ, cum plura hinc inde super conuentione, & reconuentione controuerterentur, dubitaui quæ, & qualis iurisdictio competeret Rotæ in casu & ad effectum, de quo agebatur. Pro cuius inspectione formam commissionis attendendam fore indubitati iuris est, *cap. cum dilecta de rescript. Rot. decisio. 8. de dolo, & contum. in Nouis Caput. decis. 153. num. 2. parte 1. & decis. 250. num. 4. part. 3.* In ea autem, & conuentio, & reconuentio committuntur.

Atq; semper Commissiones intelligendæ veniunt prout de Iure *l. ex facto, in princ. vbi Ias. nu. 5. ff. de vulgar. Bald. cons. 121. nu. 2. lib. 1. Aret. cons. 45. nu. 5. & cons. 76. num. 4. Achil. decis. 12. de rescript. Caputaq. dec. 162. num. 1. par. 1. & 227. num. 4. par. 2. Cas. de Gras. dec. 8. nu. 2. de re iudic.*

De Iure tamen conueniri posse dictum Cæsarem pro bonis sitis in statu Ecclesiæ, certum est, *cap. sanè, cap. fin. de for. compet. l. fin. C. vbi in rem actio.* Cum ergo conuentio, & reconuentio pari passu ambulent, & eisdem iuribus censeantur, *c. 1. & 2. de mut. petit. Abb. & Scrib.* Idem firmandum venit in reconuentione, ac inde resolutum adesse Iurisdictionem tàm super conuentione, quàm super reconuentione in casibus in quibus de iure competit reconuentio.

ILLVSTISSIMO ET REVERENDISSIM. CARD. BONONIEN.

Nullius, Canonicatus, Lunæ 4. Decembris 1600.

DECISIO XXXX.

Est impressa inter Ludouis.

DECISIO. XI.

REVERENDISS. P. D. CRESCENTIO. C. A. CLERICO.

Interamnen. Castri Pedisluci. Lunæ 12. Februarij 1601.

ARGVMENTVM.

Feudum de iure Communi non transit ad Illegitimos, etiam legitimatos, nisi in inuestitura contrarium fuerit concessum, vigore tamen Bullæ Pij V. contra Illegitimos, nec legitimati succedunt in feudo, quod in inuestitura ipsis successio concessa fuerit.

SVMMARIVM.

Feudum concessum pro se, & filijs alijsque descendentibus masculis legitimis, & naturalibus, seu legitimatis non transit ad legitimatos vigore Bullæ Pij V. contra illegitimos, nu. 1. & seqq. & per tot. decis.

Præfatio constitutionis denotat causam finalem, & totam dispositionem declarat, ita vt comprehendat omnes casus qui sub illa causa, & ratione continentur, nu. 1.

Pater petendo filium legitimari, ad feuda, dicitur disponere de feudo, num. 2.

Feudum quod transit ad legitimatos filios dicitur feudum ex pacto, & prouidentia, num. 3.

Et copula est ampliatiua præcedentium, num. 4.

Feuda de iure communi non transeunt ad illegitimos, & legitimatos, nu. 4.

Quomodocunque verbum capit omnem modum, & omnem formam præsertim quando est repetitum, & geminatum, num. 4.

Negatiua, posita ante verbum potest abnegat omnem potentiam, num. 4. in fine.

Prohibitio Realis, & in rem directa omnem modum excludit, nu. 5. in fine, & nu. 6.

Geminata verba magis enixam voluntatem disponendi ostendunt, nu. 6. 7. & 8.

Verba reuocamus important fauorem latæ sententiæ, & annullationem ipso iure, num. 9. & sequ. vbi idem de verbo omnino.

Decretum irritans afficit, & destruit omnia, inficit titulum, & operatur nullitatem actus ab initio, ita vt nec effectum, nec iuris fomentum, nec executionem habeat, nu. 9. ante finem.

Dictio nec non resoluitur in Copulam, & repetit omnes qualitates præcedentes, num. 13. & seq.

Constitutio non dicitur exorbitans, quando reducit nos ad Ius commune, nu. 18.

Verba generalia sunt generaliter intelligenda, etiam in constitutione odiosa, pœnali, & correctoria, num. 19. & seq.

DECISIO C. A. XLI.

1 In hac causa vertente coram me inter D. Commissarium Cameræ, & Dominos de Castellis ei adherentes contra D. Iosephum de Poianis proposui dubium, An per Bullam Pij V. contra illegitimos fuerit penitus sublatum ius D. Iosephi Poiani legitimati prouenìens ex inuestitura Nicolai V. in qua fuit concessum in Vicariatum perpetuum Castrum Pedisluci feudum Ecclesiæ Romanæ q. Matthæo Poiano; eoque cedente, vel decedente eius filijs, nepotibus, pronepotibus, & alijs ex eo descendentibus masculis legitimis, & naturalibus, seu legitimatis, & alijs hæredibus, & successoribus quibuscunque &c. In quo dubio vtraque parte informante die 12. Februari 1601. omnes Domini Clerici, & Camerales, vno Clerico excepto, vnanimiter censuerunt per d. Bullam ex d. inuestitura fuisse sublatam, etiam vocationem quo ad legitimatos, prout omnino sublata erat, siue mens, & causa finalis, siue verba, & singulæ parte ipsius constitutionis rectè considerentur. Ratio enim, & causa finalis cõstitutionis est, quæ & alias considerata fuit per Rotã *dec. 214. n. 1. p. 2. & in vna Bononien. Alimentorum, 28. Martij coram R. P. D. Penia 1594.* Ne peculiũ Christi, & Patrimoniũ Diui Petri, & Feuda, aliaq; bona Ecclesiastica ab indignis amplius obtineri valeant, & pro indignis Bulla intelligit de omnibus nõ legitimè natis, & licet legitimatis, & quacũq; auctoritate, etiã Pontificia legitimitatis donatis tàm suis, quàm extraneis. Quæ ratio cũ colligatur ex proœmio, dicitur causa finalis, & declarat totam dispositionem, *l. fin. ff. de hæredib. instit. & ibi Bart. Aym. consil. 245. num. 2. libr. 2. Rot. dict. decis. 214. num. 1.* Ita vt omnes casus qui sub ratione continentur, sub constitutione quoque esse censeantur, & quidem virtute comprehensiua, non autem extensiua, vt per *Roland. cons. 14. nu. 30. & nu. 31. lib. 3. Paris. cons. 16. nu. 24. & seq. lib. 3.*

2 Verba autem Constitutionis visa fuerunt admodum clara, Primo, quia in principio nominatim reuocantur, & annullantur omnia, & quæcumq; priuile-

uilegia, licentiæ, facultates, seu permissione disponendi inter viuos, vel vltima voluntate, de quibuslibet bonis, quomodocunque prouenientibus, & quocunque modo partis, cuiuscunque qualitatis, speciei, & naturæ in quoscunque illegitimus, etiam legitimatos, siue quod ipsi in illis ab intestato succedant, ceteræque huiusmodi facultates, & permissiones. Quæ verba casum nostrum satis clarè comprehendunt, cum pater petendo filium legitimari ad feuda, eo ipso de feudo in illum disponere intelligatur per ea, quę tradit *Ias. cons. 201. num. 19. versic. 4. præfata confirmantur, volum. 2. sequitur Natt. cons. 216. num. 10. part. 1.* Sicut disponere dicitur in venientes, ab intestato, qui testando poterat eos excludere, & intestatus decedit *l. conficiuntur, ff. de iur. codicil. Cagno. in Rub. C. quando non peten. par. nu. 16. Rot. diuersorum dec. 262. nu. 10. par. 1.*

3 Et hæc confirmantur: quia obtenta legitimatione in hac inuestitura, non solum illegitimus fit habilis ad succedendum in feudo, sed ad illud omnino vocatur, cum feudum, quo ad descendentes masculos, etiam legitimatos; secundum mentem Rotæ in decisione in hac causa facta, censeatur ex pacto, & prouidentia.

4 Secundo quia Bulla, ampliando partem præcedentem, secundum naturam copulæ *leg. ea tamen adiectio. de leg. 3. in subsequenti §. Ac etiam habilitationes* & capacitates, tollit huiusmodi dignorum habilitationes, & capacitates succedendi in bonis, & rebus feudalibus, & emphyteuticis ab Ecclesijs, &c. profectis. Ita vt inhabiles iam facti per primam partem ad succedendum ex alterius dispositione, sint etiam incapaces effecti ad succedendum in feudalibus ex propria eorum persona. Quæ capacitas, siue habilitatio apertè resultare videtur ex tenore inuestituræ pro legitimitatis, ac ex ipsa legitimatione. Nam cum de iure communi illegitimi, etiam legitimati sint incapaces, & inhabiles ad succedendum in feudis Ecclesiasticis, *cap. 1. §. naturales, si de feud. fuer. controu. vbi communiter Doctor. Bald. in c. quæ in Ecclesiarum col. pen. num. 35. vers. dubitatur vtrum naturalis, &c. de constit. & in l. generaliter, §. cum autem, vbi Ias. num. 9. C. de instit. & substit. Tiraq. de nobilitate cap. 24. n. 16. & 17. Gabr. cons. 84. n. 53. lib. 2. & fuit in materia huius constit. dictum in Rota decis. 214. num. 3. par. 2.* Ex inuestitura, & legitimatione habiles, & capaces redduntur contra iuris communis dispositionem, per trad. *à Socin. cons. 146. col. 3. vers. ex quibus inferendo, &c. Gabr. cons. 30. num. 19. in pri.* Et patet ex formula huius, & similium legitimationum, quas refert *Gabriel. d. cons. 30. in prin.* ibi legitimamus, & habilitamus, &c. & ibi habilem, & idoneum reddimus, &c. Quæ quidem verba eo magis vrgere videbantur, quod paulo infra in §. Ita vt priuilegiorum Bulla disponit ne ipsi illegitimi capaces effecti literarum legitimationis prætextu, nec ab intestato, siue protinus, siue per interpositas personas, ac quomodocunque succedere possint, Nam verbum quomodocunque capit omnem modum, & omnem formam succedendi, *Dec. cons. 287. in fine Curt. iun. cons. 48. num. 3. Aym. cons. 294. colum. 3. & 4. Tiraq. de retract. lignag. §. 1. Glos. 7. num. 20. lib. 2. Alciat in leg. mouentium, ff. de verb. signific.* Maximè cum etiam huiusmodi verbum, quomodocunque & similia sępius repetita fuerint, *Ias. consil. 115. colu. 7. in 3. fund. princ. lib. 4.* Et verbum non possint, abnegatiuum potentiæ, ostendit Papam voluisse istas personas reddere omnino insuccessibiles, ex quocunq; capite, & quocunque modo succedendi, etiam largo modo sumpta voce successionis, *leg. nemo potest. & ibi Doctores, de leg. 1.*

5 Tertio, *quia Bulla in d. §. Ita vt priuilegiorum*, extendit præcedentes eius partes loquentes de facultatibus disponendi, & de capacitatibus succedendi sublatis, ad inhabilitatem quoque ipsarum rerum, vt res ipsæ indignorum huiusmodi commercio exemptæ censeantur ibi, Neue illa bona alias ad eos, etiam per quemcunque circuitum multiplicatarũ in alios capaces successionum vllo tempore deuenire possint, quæ verba demonstrant, Papam non contentum inhabilitatione personarum, voluisse etiam ipsis bonis onus, & grauamen reale inijcere, ac ea realiter afficere; Ita vt penitus à commercio huiusmodi indignorum exempta sint, adeo vt si omnia alia cessarent inhabilitas rei illis impediat huiusmodi acquisitionem *Paris. cons. 30. num. 29. & consil. 93. nu. 24. lib. 2. facit doct. Bar. in l. cunctos populos, sub nu. 32. vers. aut statutum est prohibitiuum in rem &c. C. de sum. Trinit. & fid. Catholic. Ruin. cons. 147. num. 11. libr. 2. & facit text. in §. sed aliquando institut. de vsucap.* vbi res sui natura insuscapibilis propter ipsius rei inhabilitatem non vsucapitur, licet cetera requisita ad vsucapionem concurrant.

6 Et quando res ipsa ita prohibita est, & sic resultat realis prohibitio, omnis modus censetur sublatus, & prohibitus, quia tunc censetur tantum consideratus effectus, nulla habita ratione modi, *Curt. iun. consil. 225. num. 43. Ruin. d. cons. 147. num. 11. vol. 2. & consil. 313. num. 82. lib. 3. Gabriel. de fideicomm. conclus. 10. num. 23.* Quæ eadem prohibitio cum iterum repetatur in inferiori, §. aut illa ad ipsos quauis dispensatione suffultos deueniant &c. & paulo infra ibi, Ita vt talia bona similia, vel dissimilia illegitimis, aut alijs supradictis concedantur, & rursus ibi, Ne deinceps talia fiant, Neue ipsi in dictis bonis succedant, aut illa ad ipsos deueniant magis arguit realitatem prohibitionis, & enixam, ac omnimodam voluntatem Pontificis adimere volentis, non solum quascunque successiones illegitimis, seu legitimatis, sed bona ad eos intransmissibilia reddere, *ad l. Balista, cum ibi not. ff. ad Senatusconsult. Trebel.*

7 Quarto, quia Bulla *in §. bona vero, disponit*, quod res, & iura feudalia (alijs legitimis ad ea forte vocatis non existentibus) eo ipso sint deuoluta, ac iuri, & proprietati suarum Ecclesiarum restituta, ac cum reliquis earum bonis reconsolidata, vnde clarissimè dignoscitur, Pontificem velle huiusmodi indignos non admitti, etiam ex inuestitura vocatos, seu comprehensos. Postquam feudalia aliter, quam per inuestituras diuersis tamen formis, ab Ecclesijs emanare non consueuerunt.

8 Et quòd hæc constitutio ita loquatur de inuestituris tenuit *Rota d. decis. 214. num. 4. & tenuit Gabr. cons. 83. nu. 11. & d. cons. 84. num. 58. & seq. in 2.* Qui respondendo ad clausulam inuestituræ, & quibus dederit, per quam etiam legitimati fortasse venire potuissent concludit istud quoq; ius tolli, & quòd licet venirent extranei, tamen sunt exclusi legitimati.

9 Et quidem Constitutio non elisit, aut suspendit, sed peremit, sustulit, & anullauit penitus, & ipso iure: Cum vtatur verbis importantibus canonem latæ sententiæ vt sunt illa Reuocamus, & abolemus, posita in principio Constitutionis geminata, & præsenti temporis, quæ significant omnimodam peremptionem, & extinctionem, *l. hi tamen in fine, ff. de accus. gl. in l. libellorum, §. quod si libelli. verbo aboletur. & ibi Bart. nu. 2. ff. eod. Tiraq. in l. si vnquam. in vers. reuertatur. nu. 21. & 46. C. de reuoc. donat. Archid. in c. præuaricatorum. 2. q. 3. & ex §. Quod si præfatorum. in vers. omnino non teneant*, quod verbum omnino significat ipso iure, *Rebuff. in l. pecuniæ verbum 178. vers. 2. infertur de verb. signif. Tiraq. in d. vers. reuertatur, nu. 76. & 77. l. si non sortem. §. indebitum. de condit. indeb.* & eo magis, quia Papa non solum in principio vtitur geminatione, dicendo reuocamus, & abolemus, sed in medio, & in fin. vtitur alijs verbis prægnantibus, ostendentibus eum omnino tollere voluisse omnem aditum succedendi

dendi naturalibus, etiam legitimatis in bonis, & rebus feudalibus cæterisque Ecclesiasticis, *iuxt. trad. per Parif. conf. 41. num. 30. in 2. Dec. conf. 38. num. 2. verf. 4.* Adiecto Decreto irritanti in vltima parte ibi, Decernentes, &c. quod afficit, & destruit omnia, inficit titulum, & operatur nullitatem actus ab initio, ita vt nec effectum, nec iuris fomentum, nec executionem habeat *Gigas conf. 10. num. 3. Rota diuerf. dec. 14. nu. 3. par. 2. Gabr. fuis concl. lib. 6. tit. de clauf. concl. 3. num. 57. & 58. Caffad. dec. 1. num. 7. de reft. fpoliat. Rot. in vna Signin. vnion. 1. Iulij 1592. coram Illuftriff. Cardinali Blanchetto*, & illud verbum prorsus totalem destructionem significat.

10 Non obstat, quòd dispositio, de qua supra in primo fundamento, videatur potius quædam permissio, *Bald. in leg. fi emancip. in 8. oppofit. num. 15. C. de collat. Alexand. confil. 44 in fin. volum. 5. feq. per Ioan. de Gar. in authent. ex teftament. C. de fecund. nupt. num. 4.* Quia non potest dici sola permissio, cum simus etiam secundum mentem Rotæ in feudo ex pacto, & prouidentia quo ad descendentes, etiam legitimatos, & ideo ad eos peruenturo, absque eo, quod sit opus alia dispositione, vltra quòd etiam tollitur in ea omnis permissio, vt in §. ceteræque huiusmodi facultates, & permissiones.

11 Non obstat, quòd sit dispositio facta cum Papa, quia nec Pontifex vllus, nec Pontificia authoritate suffulti excipiuntur, vt infra.

12 Non obstat, quòd Bulla non videatur tangere ius illud primæuum legitimatis competens ex Nicolai inuestitura, tum quia tempore obtentæ legitimationis D. Iosepho nullum ius competebat, sed tantum quædam capacitas, seu habilitatio, siue permissio ad illud acquirendum per superuenientem legitimationem. Tum etiam quia Pius procedens per viam legis generalis, & cum derogatoriarum derogatorijs, ad publicam vtilitatem, sustulit etiam ius quæsitum per modum statuti perpetui, generalis legis, initi, & stipulati contractus, seu quasi, & alias sub quibuscunque tenoribus, & formis, etiam contemplatione laborum, refectionis damnorum, compensationis iurium cessorum, & nauatæ militiæ contra hæreticos, & infideles, & reuocat quascunque literas Apostolicas generales, & speciales, etiam disponentes, quòd per quascunque literas nunquam sine consensu illorum quorum interest reuocatæ, & sublatæ censerentur. Quinimo expresse derogauit regulæ de iure quæsito non tollendo in declaratoria eiusdem Constitutionis per eundem edita die 5. Martij. 1571.

13 Non obstat restrictio facta, quod Bulla loquatur tantum de illegitimis, qui ratione alicuius officij, & priuilegij capacitatem prætenderent. Quia licet in illis verbis, nec non Militarium, & Hospitalium &c. Bulla loquatur de personis sæcularibus, & cuiuscunque ordinis regularibus, officialibus, Curialibus, & Vrbis Romæ Ciuibus, & Palatia, ædes, aliaque bona in districtu habentibus, hoc non tractatur principaliter, sed stat ampliatiue ad reuocationem dictarum habilitationum, & capacitatum, vt non prosint etiam ad succedendum in bonis habentium facultatem ad incapaces transmittendi, etiam si duplex capacitas concurrat: Exprimuntur enim per copulam, & dictiones, Nec non, quæ resoluuntur in copulam, &, *Socin. fen. conf. 10. num. 6. lib. 3. Rot. diuerf. 791. num. 2. par. 1.* & repetit omnes qualitates præcedentes, *Cæfar de Graf. decif. 132. numer. 5.* Et per copulam, Ac, quæ & ipsa ampliatiua est, *Rot. diuerf. dec. 54. num. 5. par. 2.* Et huiusmodi additio est ad remouendum dubium, quod poterat forsan haberi, An per verba præcedentia comprehenderentur Collegia, & officia quæ sunt fictæ personæ, & quæ alias non veniunt, nisi exprimantur, *Roman. confil. 436. numero primo, Achil. decifion. 15. de procurat.*

14 Præterea Bulla addit etiam, quod habilitationes, & capacitates forent concessæ per modum contractus onerosi, sub quibuscunque tenoribus, & formis, quibuscunque personis sæcularibus prænominatis in constitutione, & per alios quoscunque Romanos Pontifices, qua verborum vniuersalitate, vt tradit *Corn. conf. 121. num. 1. vol. 3.* nulla excluditur persona, nullus Pontifex, & nulla forma capacitatis, vel habilitatis, licet factæ sub forma inuestituræ, quæ hic venit ex subiecta materia, & frequentior est ceteris, cum ab Ecclesijs per inuestituras diuersis tamen formis feuda emanere semper consueuerint.

15 Non obstat, quod de iure communi Ecclesia non sit prohibita naturales inuestire, absque aliqua habilitatione, Quia id intelligitur de naturalibus natis, & primis acquirentibus, in quibus tamen adhuc requiritur notitia morum, & honestatis vitæ, vt per *Rotam dec. 474. part. 1. diuerf. per totum.* Secus autem est in casu isto, vbi agitur de feudo per viam successionis vasalli à legitimatis nascituris acquirendo inuestitura permittente, & gratia legitimationis superueniente, quorum vita, & mores noti esse non poterant, ita vt ex priuilegio, & iure singulari inuestitura pro illis sustineatur.

16 Præterea inter alias responsiones, quæ per Informantes adducebantur, placuit responsio, quod in casu de quo agitur non fuit facta inuestitura pro naturalibus, Et licet in literis Nicolai V. fuerint vocati post descendentes masculos legitimos, & naturales etiam descendentes legitimati. Cum tamen non possint succedere, nisi per superuenientem gratiam legitimationis, & legitimationis prætextu, non possunt dici de iure communi succedere *Rot. dec. 505. nu. 1. part. 1. & in d. Bononien. alim. coram R. P. D. Pegna 28. Martij 1594. verf. præterea*, sed per specialem permissionem, atque habilitationem, quam ab inuestitura, & legitimatione simul recipiunt: vltra quòd etiam ipsi naturales à principio inuestiti possunt videri accipere ex priuilegio, & habilitatione. Cum illorum inuestitura non appelletur beneficium, sed priuilegium. *Bal. in proæm. feud. nu. 18. Dec. conf. 194. num. 3.*

17 Nec obstat distinctio facta iuris propriæ successionis ex testamento, vel ab intestato a successione ex tenore inuestituræ, quæ competit de iure communi, & ex quadam successione feudali, qua legitimati admittuntur vti vocati ex pacto, & prouidẽtia, restringendo constitutionem ad veram, & propriam successionem. Quia illud quoq; ius successoriũ feudale cõpetit de iure speciali, cum legitimationis priuilegiũ exigat, vt supra, & verbis constitutionis comprehensum est, quæ loquitur de quocunq; iure succedendi, ac etiam aperte de successione feudali cõpetente vocatis per inuestituras, vt supra, & nihil prohibet vnũ idemq; verbũ successionis diuerso respectu intelligi propriè, & impropriè, *iuxt. not. in l. 1. de off. conf. & in terminis verbi fucceffionis, Put. dec. 332. lib. 2.* Et Cõstitutio nullum modũ succedendi excludit, vt supra dictum fuit. Quæ rursus, cum prohibeat, ne bona ad eos deuenire valeant, vt supra, indubitanter feudalem successionem cõtinere videtur. Nam licet vocati ex pacto, & prouidentia non proprie succederent, res tamẽ ad eos proprijssime deuenire dicitur: maxime stante illo adiuncto dictionis Alias, significantis omnem alium modum deueniendi non expressum, *l. 1. §. fiue, vbi Gl. in verb. alias. ff. de aqua quot. & eft. Rota diuer. dec. 254. nu. 2. & dec. 791. num. 6. par. 1.* & Bulla decernit, quod in futurum in huiusmodi feudis succedant tãtum legitimi, naturales in inuestituris vocati, exclusis omnino legitimatis, & illis deficientibus, in odium legitimatorum, sint reconsolidata cum Ecclesijs, à quibus fuerant profecta, vt supra in quarto fundamento.

18 Nec constitutio in hac parte exorbitans dici potest,

test, cum prouideat bonis Ecclesiasticis, & faciat reductionem ad ius commune, & decisio in Rom. de Peruschis 29. Februarij 1580. ex aduerso allegata loquitur quatenus annullet dispositiones in affines, & alios coniunctos legitimatorum, etiam ex causa dotis alimentorum, & alia qualibet quantumuis pia.

19 Vltra quòd verba generalia retinent naturam suā, etiam si constitutio esset odiosa, pœnalis, & correctoria, *Rot. decis. 223. num. 9. 15. & 28. par. 1. Plaut. dict. not. in Crau. lib. 3. cap. 8. num. 10. 11. & 12. Et licet lex dura videretur, tamen seruanda est, l. prospexit, ff. qui, & à quibus, & dicit Marant. in prax. ciuil. in 3. part. de iudic. num. 102.*

20 Ex quibus conclusum fuit Constitutionem hanc tollere etiam vocationem factam per inuestituram Nicolai V. quo ad legitimatos, circumscripta tamen legitimatione D. Iosephi quatenus, vt dicitur, contineat derogationem eiusdem Bullæ de qua, & eius effectu fuit dictum particulariter esse videndum. Et postea per me proposito dubio, An legitimatio Gregor. XIII. ei suffragaretur, die 28. Martij sequen. Domini resoluerunt, non obstante derogatoria prædicta, legitimationem D. Ioseph. non suffragari ad Castrū Pedisluci obstāte Bulla Pij V. de non infeud. Verū quia ex parte D. Iosephi vlterius dicebatur, quod redditus, & prouentus ei per Cameram cessa vigore chirographi, de quo in actis, erant quædam bona in territorio dicti Castri non feudalia, seu iurisdictionalia per eum possessa, Domini reseruarunt quo ad aliud interesse illius particulariter esse videndum.

ILLVSTISSIMO ET REVERENDISSIM. D. CARD. LANCELLOTTO.

Bononiens. Dotis. Lunæ 26. Februarij, 1601.

ARGVMENTVM.

Debitor, qui soluere promisit in pecunia an, & quando loco pecuniæ possit creditori suo consignare tot bona stabilia.

SVMMARIVM.

Debitor vbi promisit soluere in pecunia non potest pro debito assignare bona stabilia, nu. 1.

Debitor qui promisit suo creditori soluere in pecunia propter difficultatem soluendi, & ipsius impotentiam potest soluere in alia re mixta. Quod quando verum sit. nu. 2.

Debitor pecuniarum an possit soluere in tot stabilibus, quando soluendæ pecuniæ erant inuestiendæ in tot stabilibus, num. 3.

Debitoris bona sunt creditori adiudicanda secundum veram æstimationem, num. 4.

DECISIO XLII.

1 CVm Fabrettus promiserit soluere in pecunia, Domini resoluerunt D. Protesilaum non posse cogi ad recipiendum tot bona in solutum, sed solutionem faciendam esse in pecunia numerata ex regula vulgata. Quod aliud pro alio inuito creditore solui non potest, *leg. 2. §. mutui datio. ff. si cert. petat.* Etenim promissio erat clara de soluendo Scuta 6000. auri in auro de Zecca, & sic partes senserunt de pecunia, quod etiam comprobatur ex eo, quod Dom. Protesilaus tenebatur inuestire, quod denotat pecunias prius in suis manibus peruenire debere, vt fuit consideratum in hac causa, die 13. Maij 1598. & docuit obseruantia subsecuta cum plures solutiones in pecunia numerata factæ fuerint.

2 Neque obstat, quod propter difficultatem soluendi, & debitoris impotentiam solutio fieri possit in alia re mixta. *Authent. hoc nisi. C. de solut. cum alijs alleg.* Tum quia hic non concurrunt requisita, quod debitor probet se fecisse exactam diligentiam vendendi bona, & inueniendi pecunias, & quod non inuenerit, item quod offerat bona meliora ad electionem creditoris, quod caueat de euictione, & transferat dominium cum instrumentorum traditione, & hæc omnia fiant tempore oblationis, *vt per Roman. consil. 153. Ias. consil. 9. num. 13. lib. 1. Ripam in l. 2. §. mutui datio. num. 25. ff. si cert. pet. Natt. consil. 344. num. 3. late Thessar. decis. 153. Ioan. Gutierez de iur. cap. 29. lib. primo,* Tum quia debitum est iuratum, quo casu non procedit supradicta *Authent. hoc nisi Alexan. cons. 37. num. 27. libr. 2. Ias. dict. cons. 9. num. 10. Verb. istud etiam consil. 32. num. 9. Rolan. cons. 6. num. 44. & cons. 53. num. 47. lib. 1. Gutierez vbi supra num. 3. Thessaur. decis. 153. num. 14.* Tum denique quia fuit ei renunciatum per specialem, & expressam renunciationem omni, & cuicunque iuris, & legum auxilio, vt per *Io. Gutierez, & Thesaur. supra allegatos.*

3 Nec releuat, quod pecuniæ sint in stabilibus inuestiendæ, ac ideò ad euitandum circuitum debeant bona in solutum dari. Quia hoc non tollit, quin possit D. Protesilaus agere ad pecuniam promissam, vt ad eius libitum, & Fabretti satisfactionem illam inuestiat in stabilibus tutis, omissis istis, in quibus stante decoctione Fabretti poterit ab alijs creditoribus molestari. Vltra quod non tenetur inuestire in stabilibus sed in creditis super montibus, seu affictibus francabilibus.

4 Quæ deducuntur *ex l. ordo. cum ibi not. per Bald. Salic. & alios, C. de execut. rei iudicat. & leg. 2. & 3. C. si in cans. iud. pign. cap.* sit, quod bona sint creditori secundum veram æstimationem adiudicanda, quando emptor non reperiatur, procedunt in creditore volente, non autem coacto, & ad obuiandum malitiæ, & calliditati condemnati, ne scilicet debitor possit venditionem impedire, vt in dictis iuribus habetur. Vnde tanquam ad fauorem creditoris inducta non debent in eius odium retorqueri, &c.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. CARD. LANCELLOTTO.

Seguntina Archidiaconatus, & Canonicatus. Lunæ. 19. Martij. 1601.

ARGVMENTVM.

Beneficia vacantia per obitum Cubiculariorum honoris, qui tantum habent partem Panis in Palatio, non dicuntur Papæ reseruata, & generaliter, quando beneficia vacantia per mortem familiarium, & continuorum Papæ Commensalium dicantur ipsi Papæ reseruata.

SVMMARIVM.

Testis non reddens concludentem rationem non probat, nu. 1. & 2.

Beneficiorum reseruatio est odiosa, nec inducitur nisi in casibus à iure expressis, nu. 3.

Reseruatio beneficiorum familiarium, & continuorum commensalium non habet locum nisi verificata familiaritate, & continua commensalitate, nu. 4.

Cubicularij honoris non dicuntur familiares, & continui Commensales Papæ, & ideo non inducunt beneficiorum reseruationem, num. 4.

Familiares Papæ ex priuilegio comprehenduntur sub regula reseruatoria, nu. 5.

Prælati habentes partem in Palatio numquid dicantur familiares, & Commensales Papæ ad effectum, vt comprehendantur in regula reseruatoria, nu.7.
Cubicularij non honoris, sed electi per constitutionem Papæ dicuntur familiares, & Commensales Papæ, & comprehenduntur in regula reseruatoria, numer.8. Declara, vt num.9.
Beneficia vacantia per obitum Capellani honoris numquid sint Papæ reseruata, nu.10. 11. & 12.

DECISIO XLIII.

1 VAcantibus Archidiaconatu, & Canonicatu in Ecclesia Seguntina per obitum quondam D. Petri de Silua, de mense Augusti 1599. defuncti D. Episcopu Seguntinus gratia alternatiue gaudens, alterum ex iis contulerat Domino Ioanni Chacon, alterum Domino Didaco Scalante, eos autem vti reseruatos à Sede Apostolica impetrauerat Dom. Ioan. Baptista Rincon, & reseruatio deducebatur ex eo, quidam predictus Petrus fuerat Cubicularius honoris fel. record. Sixti V. recipiendo partem panis.

2 Quamuis enim adesset vnus testis deponens, quod habebat etiam partem vini, tamen omisso quod est vnicus non concludit. Nam reddens rationem suæ depositionis, dicit, quidam aliquando dicto D. Petro comedit & pro vtroq; panis Papalinus apponebatur, quæ ratio nihil facit ad partem vini, & cum ratio non concludat, dictum infringitur *Aimo conf. 2.nu.4.* vltra quod potest esse, quod quinque aliqua occasione vinum de Palatio habuerit, non tamen, quod illud quotidie reciperet, quemadmodũ panẽ.

3 Et cessat omnis difficultas ex fide computistæ Camaræ, siue Palatij Apostolici, attestantis, prædictum Dominum Petrũ in Rolis familiarium Sixti V. reperiri descriptum, sub rubrica cubiculariorum honoris, qui partem panis tantum recipiebant, orta desuper lite inter prouisum Apostolicum, & prouisos ab Ordinario, eaq; coram me introducta dubitari contigit, An constaret de reseruatione horum beneficiorum, & Domini resoluerunt non adesse aliquam reseruationem, Cum enim reseruatio sit odiosa, *gl. in c.præsenti. in vers. finitur de offic. deleg. Bisignet. dec. 1. in fine de præben. Cassad. dec. 3. nu. 5. de reseruat.* Eaq; non inducatur nisi in casibus expressis *Cassad. decis. 2. nu. 9. de reseruat. Simonet. de reseruat. q. 5. cum alijs ibi relatis in appendici*, non potest dici huiusmodi Cubiculariorum beneficia esse reseruata, cum id nullibi cautum reperiatur, Non in regula reseruatoria, non in constitutione Pauli Tertij, neq; in Bulla Iulij Tertij, non denique in alia regula sexta.

4 Si enim inspiciamus regulam tertiam reseruatoriam, cum illa loquatur de familiaribus continuis commensalibus, non intrat nisi cõcurrat vtraq; qualitas familiaritatis, scilicet, & continuæ commensalitatis, *Simonet. de reseruat. q. 35. in princ. Gam. de officio, & potestat. legat. lib. 3. tit. de officio & potest. in benef. confer. nu. 166. Berob. q. 35.* quæ qualitates deficiunt in huiusmodi Cubicularijs ex quo continua commensalitas corpore & dentibus contrahitur, *c. fin. cum ibi not. de verb. signif. lib. 6.* ex eo namq; solo, quod quis recipiat panem in Palatio, nõ est continuus cõmensalis, Quia iste panis datur potius honoris gratia quam ratione cõmensalitatis cũ in solo pane nõ viuat homo, *Alfõs. de Soto. gl. antiq. sup. d. reg. 3. in fin. Sarn. de Impetr. benc. per obitũ famil. Card. q. 13. n. 11. idẽ Sarn. dec. 3. Simonet. dec. 24.*

5 Neq; hic applicari possunt deducta ex *decis. Peregr. 104.* quòd familiaris ex priuilegio cõprehẽdatur sub regula reseruatoria in quib. terminis procedit etiam decisio in causa Beneuentana beneficiorum coram R. P. D. meo Decano quia non apparet de aliqua declaratione Papę, vel priuilegio, quod huiusmodi Cubicularij honoris per fictionem sint veri familiares, & continui commensales.

6 Si verò attendamus Constitutionem Pauli Tertij, siue Regulam Cancellariæ, de qua in *Bullario nu. 78. & 79.* illa procedit in Cubicularijs officialibus, vt patet ex illius inspectione, cum loquatur de Scriptoribus, Militibus, Cubicularijs, & alijs Officialibus, & semper hæc qualitas officialis sit repetita. Ac ideo non est extendenda ad cubicularios honoris, qui non sunt officiales, cum enim sit exorbitans, ex quo facit continuos commensales, qui re vera non sunt strictè debet intelligi de officialib. *Put. dec. 313. lib. 1.* & hoc modo hanc regulam intellexerunt *Sarnen. in proœm. reg. q. 6. nu. 9. & de impet. benefic. vacant. per obitum famil. q. 13. n. 16. Mandos. super regula 6. q. 1. n. 8.* & ita fuisse decisum in Rota coram Mariscoto in causa Lucensis Archidiaconatus 23. Maij 1540. refert *Put. dec. 33. alias 38. de præben. in manuscript. & in alia Adrien. refert idem Puteus supra allegat. dec. 313. lib. 1. in impress.*

7 Bulla verò Iulij Tertij in Bullario 44. declarans Ecclesiarum Prælatos, qui solum ratione suæ personæ panem ex Palatio habent, esse veros & indubitatos continuos commensales etiam ad effectum regulæ reseruatoriæ, cum emanauerit ad declarationem, & ampliationem regularum Pauli Tertij, quæ comprehendebant tantum illos Prælatos, qui percipiebant panem ratione officij, eam extendendo ad eos Prelatos, qui solo intuitu personarum absq; aliqua consideratione officij panem habent, debet intelligi, & regulari secundum dictas Constitutiones, quas declarat *leg. hæredes palam, §. si quid ff. de testam.* vt scilicet comprehendat Prælatos, qui ratione persone panem accipiunt quales sunt Archidiaconi, qui non habent panem ratione persone, quod suadetur, quia illos Papa creat suos domesticos, & continuos commensales vel vt comprehendat Prælatos maiores, non autem Archidiaconos, aut Rectores Ecclesiarum, qui proprie non sunt Prælati. Clement. dudum. cum ibi notatis de sepulturis, *Abb. in c. 2. nu. 16. de iud. & in c. Tua nos, n. 2. de Cler. ægrot.* Maxime in hac materia reseruationis, in qua vt dictum est facienda est stricta, & propria interpretatio. *Berob. d. q. 35. Gemin. conf. 136. n. 2.*

8 Idem etiam dicendum est attenta regula sexta per quam reseruantur omnia beneficia Cubiculariorum & Cursorũ, qui illa iuxta opinionem, quam alias Rota sequuta est, non potest huiusmodi Cubicularios comprehendere. Cum enim per Cõstitutionem Leonis super erectione Collegij Cubiculariorum Anno 1515. de qua in *Bullario nu. 14. in §. & ne Apostolicorum*, sit expresse prohibitum, ne vltra numerum Cubiculariorum præscriptum in erectione illius Collegij & antiquos familiares, & continuos Commensales pro tempore existentium Romanorum Pontificum aliquis alius nomen, aut titulũ Cubiculariorũ vsurpet regula non potest habere locum in istis Cubicularijs, cum de tempore editionis regulæ non essent amplius Cubicularij, & in his terminis habemus supra allegatã *decis. Putei 33. de præbend. Ant. Augustinus in epit. super hac regula. Mohed. decis. 90. alias 2. de probat.* licet non sit admodum clare relata, lex namq; quæ semper loquitur comprehendit solum Cubicularios de tempore Regulæ existentes non autem eos, qui sunt prohibiti nominari Cubicularij. Et ideo quicquid dicendum esset ante Bullam Leonis, de quo tempore procedunt dicta per Alfonsum Glos. antiq. super hac regula in fine eam scilicet intelligendam esse de Cubicularijs extra muros, postquam dicta Bulla superuenit, non possunt applicari, stante huiusmodi prohibitione.

9 Neque obstat *Mandos. super hac regula quæst. prima, in fine*, quia multum se inoluit, & in posteriore editione non animaduertit ad prohibitionem, de qua in Bulla Leonis, nec suadet contrarium ratio per eũdẽ considerata, quod non possit intelligi de Cubicularijs

larijs officialibus, cum similis regula extaret tempore Sixti Quarti,& sic Anno 1472.& Innocentij Octaui anno 1484. & Collegium Cubiculariorum Officialium fuerit postea erectum à Leone X. Anno 1515. sicut quod neque possit habere locum in alijs Cubicularijs, quia alias esset superflua, cum isti sint comprehensi in regula tertia reseruatoria beneficiorum familiarium, & continuorum commensalium, Nam quantum ad primum quamuis ab initio regula hæc intelligeretur de ijs Cubicularijs,qui non erant officiales, tamen superueniente Bulla Leonis cum prohibitione, quod nullus alius præter expressos in ea possit dici Cubicularius, regula non potest loqui de illis,qui non sunt amplius, quantum verò ad secundum non est inconueniens, quod ratione maioris Dignitatis, quam habent alij Cubicularij Secreti vt per *Staffil.in tit. de prærogatiuis, expect. §. videndum nu. 42.* sit etiam facta particularis reseruatio suorum beneficiorum, vltra quod cum hæc regula declaret explicitè,ac distinctè, quod implicite erat dispositum, & expressum non potest dici superflua. *Gemin. in cap. 1. num.22. de summ. Trinit. Ruin. cons.89. num.17. versic. nec obstat, vol.2.*

10 Non obstat, quod beneficia vacantia per obitum Capellani honoris videantur reseruata, *Rot. dec.22. de præben. in antiq. & dec. 12. eod. tit. in not. & Glos. antiq. super hac regula sexta*, Tum quia nos non versamur in Cappellano, Tum quia ex dictis decisionibus non potest colligi vnde proueniat hæc reseruatio, quæ potuit forsan occasione familiaritatis cum continua commensalitate ortum habuisse.

11 Nec potuit fieri fundamentum in literis fel. recor. Gregor. XIV. Quia quicquid dicendum sit ad effectū expediendi gratis, cum agatur ad effectum reseruationis, quam esse plenè,& concludenter probandam fuit pluries decisum,non probant, Tum quia narratiua emanauit ad instantiam partis, Tum quia est de facto prædecessoris, Tum denique quia non fuit facta motu proprio, *Vital. in Clem. 1. de probat. nu.28. Put. dec.338. lib.3.* & ita conclusum.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

D. CARD. PAMPHILIO.

Firmana Fideicom. de Fulchis. Lunæ 2. Aprilis 1601.

ARGVMENTVM.

Fideicommissum censetur inductum per prohibitionem alienationis, vt in memoriam testatoris, & sustentationem familiæ bona remaneāt in ipsa familia.

SVMMARIVM.

Fideicommissum censetur inductum per prohibitionem alienationis ad effectum vt bona perpetuo remaneant in memoriam testatoris, & ad sustentationem familiæ, nu. 1.

Consequens, qui vult, censetur etiam voluisse antecedens, num. 2.

Substitutio, seu fideicommissum iniunctum à testatore si hæres sine filijs decesserit expirat eo mortuo cum filij, Declara, vt nu. 3.

Masculi, & non feminæ censentur vocati in fideicommisso quando testator habuit respectum ad conseruationem Agnationis, num. 4.

Prohibitio alienationis quando dicatur consequutiua, & accessoria ad præcedentem substitutionem, & ex ea restringatur, n. 5.

DECISIO XLIV.

1 FVit resolutum per obitum Romulij iunioris sine filijs factum fuisse locum fideicommisso silentij ad fauorem dominorum de Fulchis. Visum enim fuit Dominis,testatorem habuisse rationem conseruationis agnationis, ex eo, quod prohibuit alienationem bonorum stabilium,vt perpetuo remaneant ad memoriam testatoris, & sustentationem familiæ Fulchorum *iuxta not. per Mantic. lib. 1. de coniectur. vlt. volunt. tit. 13.*

2 Hinc sequitur quod in precedēti substitutione in casum obitus sine filijs testator censeatur voluisse non solum grauare filios Horatij sine filijs decesserint, sed etiam si cum filijs,qui postea decedant sine filijs, vt est casus,de quo agitur. Alias enim non diceretur satisfactum menti ipsius cōseruandi perpetuo bona ad memoriam suā,& sustentationem familię Fulchorum ex regula, qui vult consequens, &c *Dec. cons.23. n.2. Ruin. cons.119. n.14. lib.2. Curt. iun. cons. 121. nu.11. & 16. Rimin. iun. cons.21. num. 36. libr.1.*

3 Et ita non obstat,quod dicebatur per obitum Romuli senioris cum filijs fideicommissum expirasse, iuxt *Oldrad. cons.21.* quia sæpius decisum fuit,non habere locum ex contraria mente defuncti etiā ex coniecturis elicita. *Dec. cons.477. Gabriel. concl. 7. de fideic. n.4.* Et in specie quādo est habita ratio conseruandæ agnationis, *not. Curt. iun. d. cons.121. sub num. 15. cum seq. Marzar. cons.4. nu.11. & nu.43. & cons.7. num.10. Rimin. iun. cons.456. nu.32. vol.4.*

4 Non obstat superexistentia Mariæ filiæ Romuli senioris quia testator in hoc casu videtur solum sensisse de masculis, quos vocauit concurrente prædicta ratione, quam habuit conseruandæ agnationis, quæ per masculos tantum, non autem per feminas conseruatur, *l. pronunciatio. in fin. ff. de verb. sign. cum vulgar. & ita trad. Paul. de Castr. cons.409. nu.2. libr.2. Socin. inter cons. Curt. sen. cons.40. nu.9. & seq. Dec. cons. 514. num.3. Ias. cons.140. col.4. in fin. vers. Mens autem lib.2. Alb. cons. 19. nu.11. Mantic. de coniect. vlt. volunt. libr. 21. tit. 14.* & coram eodem fuit resolutum in causa Nucerina hæreditatis, de anno 1595.

5 Non obstat quod prohibitio alienationis sit consequutiua, & accessoria ad præcedentem substitutionem si sine filijs decesserint, quia Domini admittunt ex ea non oriri nouum fideicommissum iuxta *cons. Dec.636.* cū alijs allegatis,negari tamen nō potest, quin ex ea etiam consequutiua colligatur intentionem testatoris fuisse conseruare agnationem, & bona,vt perpetuo remanerent ad memoriā testatoris & sustentationem familiæ Fulchorum, *Corn. cons.22. nu. 9. lib.2. Mant. d. lib. 6. tit. 15.* quod sufficit pro declaratione præcedentis fideicommissi,vt capiat etiam casum obitus filiorum cum filijs, qui tamen sine filijs decedant,vt supradictum fuit.

REVERENDIS. P. D. DAMASCENO.

Aprutina, seu Montis Alti Census Die 4. Iulij. 1601.

ARGVMENTVM.

De exequutione literarum Apostolicarum facta ab auditore Cameræ, plura notanda, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Literæ Apostolicæ habent exequutionem paratam, n.1. & 2.

Depositum non integre summæ deponentem non releuat, n.3.

Obseruantia varia, & difformis non potest deseruire pro obseruantia interpretatiua, nu.4.

Verba clara interpretatione non indigent, num.5.

Iuramentum calumniæ non est præstandum, vbi cessat suspicio calumniæ, nu.6.

Auditor Cameræ tanquam exequutor litterarum Apostolicarum potest procedere etiam contra Episcopos, nu.7.

DECISIO XLV.

1 SEntentia Auditoris Cameræ Dominis visa fuit, digna confirmatione, tanquam illa, quæ iustificaretur ex literis Apostolicis super concordia expeditis, ex quibus ad tria tenetur D. Marcellus, nempe ad obtinendam institutionem beneficij, super quo facta fuit concordia, ab Abbate Sanctæ Mariæ Montis alti ad soluendum annuum censum ducatorum 40. de Camera prædicto Abbati, & ad se obligandum in forma Cameræ de illo quotannis soluendo quorũ nullum pro parte D. Marcelli fuit adimpletum. Vnde bene fuit declaratum, ipsum ob non paritionem incidisse in pœnas in literis contentas cum explorati iuris sit, has literas habere executionem paratam, *Mohed. dec. 13. vt lite pendente*.

2 Non obstat prætensum adimplementum ex eo, quod institutio fuit obtenta à felicis recordat. Gregorio XIII. & quod Marcellus non teneretur facere nouam coligationem Cameralem, stante, alia facta per suum antecessorẽ, quę, & ipsum ligabat, & quod fuerit factũ actuale depositum recusante Abbate recipere annuam præstationem. Nam quantũ ad primum, fuit dictum de eo nihil constare in actis. Quo ad secundam conclusionem illam non subsistere in iure, & nihilominus non applicari in facto, tum quia non apparet, aliquam obligationem Cameralem fuisse factam per Antecessoris Domini Marcelli, tum quia attendenda est forma litterarum, ex quibus tenetur quilibet beneficiatus facere nouam obligationem vt sunt verba concordiæ, ibi; Ac ipsi, & successores, sui se in forma Cameræ obligare, &c.

3 Ad tertium fuit responsum, depositum fuisse tantum ducatorum 52. Monetæ Regni, quę summa cum nunquam constituerit ducatos 40. auri, de Camera, merito tale depositum tanquam minus integrum nõ releuare deponentem ex notat. *in l. debitores, C. debit. vend. pign. imped. Alex. cons. 75. nu. 8. lib. 7. cum alijs per Crau. cons. 106. nu. 1.*

4 Non obstat pretensa obseruatio ex eo, quod per aliquos annos fuerint soluti ducati 52. monetæ Regni, quia intra id tempus fuerint etiam soluti ducati 40. auri de Camera. Vnde talis obseruantia tanquam varia, & difformis non potest deseruire pro obseruantia interpretatiua, *Bart. in l. 2. n. 22. ff. sol. matr. cum alijs ad eam rem cumulatis per Crauet. consil. 313. num. 4.* Addebant aliqui ex Dominis, quod illa verba, ducatis 40. aurei de Camera, sunt adeo clara, vt nullam admittant interpretationem, ad vulgat. *l. ille, aut ille. ff. de legat. 3. cum alijs, in specie traditis, per Aret. in cons. 115. nu. 20.* Admittebant tamen Domini, quod solutio non sit facienda præcise in ducatis de Camera, cum illa species monetæ difficilimè inueniatur, sed possit fieri in moneta æquiualente.

6 Minus obstant pretensę nullitates, & illa in primis quod pro parte Abbatis, siue Domini Episcopi Commendatarij, instate D. Marcello, non fuerit præstitũ iuramentum calumniæ. Quia fuit dictum, quod ex literis concordiæ statim fuit fundata intentio Actoris, & consequenter cessauisse suspicionem calumnię & successiue iuramenti, *ex notat. in c. 20. vbi Bald. nu.*

5 *7. vers. item in isto, Felin. n. 2. de probat. cum alijs per Cott. in memor. Verb. iuramentum calumniæ*, & fuit alias coram RR. PP. DD. Seraphino, & Mellino decisum, licet per prius in causa Bononiens. Attentarum coram Illustrimo Mantica, Rota dubitasset.

7 Ad secundum de defectu iurisdictionis Auditoris Cameræ in procedendo contra D. Marcellum tanquam Episcopum, fuit dictum, quod quicquid sit de facultatibus Auditoris Cameræ ordinarijs cessabat difficultas, casu, quo Auditor Cameræ processit tanquam deputatus executor literarum Apostolicarum quo casu non est dubium, quin possit procedere etiam contra Episcopos *iuxta text. in cap. quia Pontificali de offic. & potest. iudic. delegat. in 6.* cuius decretalis forma licet non fuisset per iudicem præcise seruata, quod non affirmabant, Domini dixerunt non ex ea tamen inferri posse ad nullitatem, *vt per gloss. & Doctor. ibidem*.

R. P. D. CORDVBA.

Fauentina Successionis. Lunæ 12. Nouembris 1601.

ARGVMENTVM.

Sententia non publicata non valet, publicarique debet coram iudice, qui eam tulit, & in publicatione non est exprimenda dies.

SVMMARIVM.

Nullitas sententiæ in primis discutienda est parte instante, num. 1.

Sententia non publicata ea die, qua fuit lata, nulla est, num. 1.

Sententia debet publicari in præsentia iudicis qui eam tulit num. 2.

Sententia quando publicatur, & quando aperitur cedula non est apponenda dies publicationis, & aperitionis, quia dies retrotrahitur ad diem prolationis sententiæ, num. 3.

Sententia ab vtraq; parte acceptata, etiam quod sit nulla, conualidatur per acceptionem in vim pacti, num. 4.

DECISIO XLVI.

1 OMissa pro nunc inspectione, an sententia Vicarij Seuenæ lata ad fauorem Bartholomæi de Morinis sit confirmanda; vel infirmanda, quia Informantes pro fratre Ludouico, & Conuentu Sancti Dominici illam prætendebant reuocare ex capite nullitatis, super qua parte opponente necessario erat viden. Domini dixerunt, dictam sententiam fuisse nullam, cum non fuisset publicata ea die, qua fuit lata, contra *Tex. in l. 2. & 3. C. de sententijs ex breuicul. recitand. Vant. de nullit. sent. tit. de defect. processus, nu. 69. & intrat decisio coram bon. mem. Paleotto, in causa Faren. Archidiaconatus 705. p. 3. diuers.*

2 Quod eo magis procedebat, quia non fuit publicata in præsentia ipsius iudicis, prout fieri debebat. *Petr. Cyn. & Scribentes in l. 1. C. de sent. ex breuicul. recitand. Alex. cons. 177. nu. 3. lib. 7. Roland. cons. 41. nu. 33. lib. 1.* Immo cedula fuerat aperta *Villadiego in tract. de legato. quæst. 26. num. 70. post Hostiens. in summa, de off. deleg. §. & qualiter finiatur, num. 6.* & fuit alias deductum in causa Oriolen. Beneficiorum coram Illustrissimo Mantica.

3 Neque obstabat allegatus stylus pronunciandi prout in Cedula. Nam de eo non constabat, & casu quo adesset non erat opponenda dies publicationis in dicta sententia, sed simpliciter aperienda Cedula, quę retrotrahitur ad diem prolationis sententiæ, vt habetur in dicta decisione Paleotti, quę omnem tollit difficultatem.

4 Sed an stante prætensa acceptatione, & approbatione cedulæ facta ab vtraque parte sententia sustineatur in vim pacti secundum glossam verbo non fuit. *in l. 2. C. comm. vtriusque iudic. communiter approbatam secundum Paris. cons. 46. num. 14. lib. 1. post Bart. in l. obseruare in fin. de off. proconsul. Felin. in c. significasti. num. 11. de foro compet.* poterit particulariter videri si pars voluerit.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

D. CARD. PAMPHILIO.

Firmana Fideicommissi de Fulchis, Lunæ 10. Decembris 1601.

ARGVMENTVM.

Prohibitio alienationis facta à testatore quando sit perpetua, vel potius restricta ad certum personarum genus.

SVMMARIVM.

Prohibitio alienationis censetur perpetua, quando testator voluit prospicere perpetuæ conseruationi agnationis, & bonorum in memoriam ipsius testatoris, & sustentationem familiæ, nu.1.

Declara, vt nu.2.

DECISIO XLVII.

1 PLacuit Dominis decisio alias facta sub die 2. Aprilis ex rationibus tunc deductis, quibus non repugnat quod alias dicebatur, & nunc repetitur, quod prohibitio alienationis sit restricta ad Horatium, & eius filios, & dependeat à præcedenti fideicommisso, quia in decisione respondetur, quod Fulchi non deducunt fideicommissum ex ipsa prohibitione, sed solum vtuntur ratione ibi considerata per testatorem ad ostendendum eius voluntatem fuisse perpetuo conseruare agnationem, & bona in memoriam ipsius, & ad sustentationem familiæ de Fulchis quod sufficit pro declaratione præcedentis substitutionis, vt non censeatur restricta ad casum obitus filiorum Horatij sine filijs iux. terminos *cons. Oldr. 21.* sed habeat locum etiam in casum obitus cũ filijs, qui postea decedunt sine filijs, vt est casus, de quo agitur & non comprehendatur sub *cons. Oldrad.* à quo Rota sæpius recessit ex contraria mẽte testatoris, quę hic videtur satis perspicua, ex eo quod voluit prospicere perpetuæ conseruationi agnationis, & bonorum in memoriam ipsius testatoris, & sustentationem familiæ de Fulchis, quod aliter fieri non posset, cum parum duraret memoria ipsius testatoris, ac sustentatio familiæ de Fulchis, si substitutio non excederet filios *Horatij Cur. iun. cons. 121. sub num. 11. Marzar. cons. 4. sub nu. 11. & nu. 24. qui plures adducit.*

2 Nec prędictis repugnat decisio Domini mei Littę in causa Perusina de Fumagiolis, quia ibi prohibitio erat limitata ad certum tempus, & agebatur de inducendo nouo fideicommisso ex ipsa prohibitione, ad quem effectum inspicitur, an de per se subsistat iuxta distinctionem *Dec. in cons. 636.* Hoc tamen non applicatur huic casui, vbi prohibitio est perpetua, & Fulchi eam adducunt pro declaratione mentis testatoris, quæ colligitur ex ratione considerata in ipsa prohibitione, quamuis consequutiua, & dependente à præcedente fideicommisso, vt per *Corn. in cons. 22. nu. 9. lib. 3. cum alijs in decisione allegatis.*

R. P. D. LITTA.

Valentina Decimarum de Cotalua. Lunæ 10. Decemb. 1601.

ARGVMENTVM.

Priuilegium exemptionis decimarum, an & quando dicatur subreptitium ex eo, quod in dicto priuilegio non sit facta mentio eorum, quibus decimæ soluebantur.

SVMMARIVM.

Exemptio decimarum antiquarum facta à Papa non dicitur subreptitia ex eo, quod in ea non fuerit facta mentio Archiepiscopi, seu Capituli ad quos dictæ decimæ pertinebant. Præsumitur enim Papa scire dictas Decimas sic antiquo tempore exactas ad aliquos spectare, aut ex priuilegio, aut ex donatione, aut præscriptione, num. 1.

Quarta Canonica de iure Communi soli Episcopo competit, num. 2.

Exemptionis materia de sui natura præiudicialis est, & ideo Papa verisimiliter in concessione illius, potuit cogitare de tertij præiudicio, nu. 3.

Exemptio decimarum noualium à Papa alicui concessa dicitur subreptitia, si in ea non est facta mentio eorum, qui dicta decimas exigebant, & in exactionis quasi possessione erant, nu. 4. & 5. Amplia vt num. 6. & nu. 8. & n. 10. vbi declaratur quænam sint Decimæ nouales.

Derogari solet facilius iuri competenti ex priuilegio quam ex dispositione iuris communis, nu. 7.

Exemptio decimarum à Papa concessa dicitur subreptitia in pluribus casibus, quando non est in eo facta mentio eorum, ad quos dictæ decimæ pertinebant, vt nu. 8. & num. 11. & seq.

Exemptio à Decimis non extenditur ad decimas quæ de iure speciali possidentur per aliquos, nisi facta mentione possessionis eorum. Declara, vt num. 9.

Rex, vbi donat aliquid Ecclesiæ, desijt esse Dominus illius rei donatæ nec amplius de ea disponere potest, & solus Papa disponit. nu. 11. & seq.

Priuilegiorum generalis Communicatio non includit priuationem exemptionis à solutione Decimarum.

DECISIO XLVIII.

1 FVit resolutum in priuilegijs Fratrum exemptionis à solutione decimarum non fuisse necessariam mentionem, quod decimæ, de quibus agitur pertinerent ad Archiepiscopum, & Capitulum de iure speciali, ea ratione, quia versamur in decimis antiquis, quas Papa scit ad aliquos spectare, siue de iure communi, siue ex priuilegio, donatione, aut præscriptione, & communiter ab aliquibus possideri, Vnde concedendo priuilegium Fratribus exemptionis à prædictis decimis, quod certò scit esse præiudiciale illis, ad quos spectant, & qui illas possident, siue ex dispositione iuris communis, siue alio speciali titulo, non fuit propterea pro firmitate dicti priuilegijs necessaria mentio dicti tituli specialis ipsius Archiepiscopi, & Capituli, Ita *Doct. passim in c. ad. dum de priuileg. vbi Abb. num. 1. vers. secus dicit Boatin. Innoc. nu. 4. vers. sed de proprietate. Host. n. 6. vers. nec obstat Io. Andr. num. 5. vers. alij tamen dicunt Anchar. nu. 3. vers. ideo enim Card. col. 1. vers. vbi quæro, quæ est ratio diuersitatis. Ant. de Butr. n. 6. vers. aliqui dicunt.* Et hãc opinionem tenuit *Rot. apud Cassad. dec. 1. de priuil.* qui propriè loquitur de priuilegio exemptionis à solutione decimarum debitarũ de iure speciali, dum ibi concludit, quod priuilegiũ de non soluenda quarta Canonica suffragatur fratribus etiam non facta mentione iuris, vel possessionis Capituli subdens hãc rationẽ, quia Papa sciebat, vel cogitabat, quod illa ab aliquo percipiebatur, & sic quod pręiudicabat his, quibus de iure comuni, aut alias esset debita. Vnde cũ illa verba, aut alias posita post mẽtionẽ iuris cõmunis, nõ possint in alio verificari, quã in iure speciali, *bius sing. ff. de legib. gl. in cle. 1. in ver. debitis, de decimis. ideo &c.*

2 Quod etiam non obscurè comprobatur, quia ibi agebatur de exemptione à quarta canonica, quam à Fratribus petebat Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, cui quidem Capitulo nõ competit de iure communi, nec illam habere potest, nisi de iure speciali, vel

ex priuilegio, vel præſcriptione, cum de iure communi illa competat ſoli Epiſcopo c. conquerente. vbi *Abb. & alij hoc not. per illum text. de offic. ordin. idem Abb. in c. 1. num. 3. decim. Couar. in c. officij in princ. de teſtam. Petr. de Vbald. de Canonica Epiſcopali. c. 1. num. 5. de communi Gemin. in c. de his, 10. q. 1. ibi, ad fin.*

3 His accedit ratio, qua mouetur *Caſſad.* quia materia exemptionis eſt ſui natura præiudicialis, & ſic Papa potuit cogitare præiudicium, quod tertio inferebatur, quo caſu non fuit neceſſaria aliqua mentio, aut derogatio ex ſupradictis, ad quod etiam facit *Dec. in c. ſuper. eod. num. 20. de off. deleg.* & in ſimili tenuit Rota in cauſa Pharenſi, penſionis 16. Iannuarij. 1577. coram Sanctiſſimo Domino Noſtro tunc Rotæ Auditore, & in Firmana penſionis 21. Iunij 1593 coram R. P. D. meo Mellino.

4 Et dum *Caſſad.* conſtituit differentiam inter priuilegium exêptionis a decimis antiquis, in quo non eſt opus aliqua mentione proprietatis, aut poſſeſſionis, ex quo Papa ſcit eas ab aliquo poſſideri, & priuilegium exemptionis à decimis noualium, reſpectu quarum potuit Papa probabiliter credere nulli præiudicium generari, cum illæ de terris nouiter ad culturam reducendis debeantur, & poſſibile ſit, immo multum veriſimile, quod nullus eas adhuc poſſideat, & ob id ſit neceſſaria mentio poſſeſſionis illius, cui præiudicatur, allegando *Dec. conſil. 113. col. fin. verſic. ſecus in decimis noualium, & Mil. in repertor. verſic. priuilegium impetratum ſuper decimis,* &c. viſum fuit Dominis propriè decidere hunc caſum noſtrum in quo agitur, vt dictum eſt, de exemptione à decimis antiquis, quas Papa veriſimiliter ſciebat ab aliquibus poſſideri, & ad aliquos ſpectare ſiue de iure communi, ſiue de iure ſpeciali. Hancque deciſionem *Caſſad.* fuit ſequuta Rota in pluribus cauſis hic per Informantes relatis, quibus addebant Domini, *Peregr. deciſ. 38. lib. 1.* & eandem opinionem tenuerunt *Card. conſil. 92. num. 3. verſ. præterea. & num. ſeq. Crot. conſil. 94. num. 27. lib. 1. Ferrett. conſ. 162. num. 11. & conſ. 238. num. 10. & ſeq. qui in ſpecie dicit, Oldr. conſ. 268.* intelligi debere de priuilegio exemptionis à ſolutionè decimarum nouarum.

5 Neque obſtare dictum fuit doctrinam eiuſdem *Card. in d. c. dudum. in verſ. quæro quod ſi pars, &c.* quia fuit reſponſum non eſſe contrarium his, quæ ſupra dixerat cum *Ioan. Andr. & alijs,* ſed ibi loqui in priuilegio exemptionis à decimis noualium, in quo eſt facienda mentio poſſeſſionis à Papa probabiliter ignoratæ, & de iſtis etiam noualibus loqui *text. in c. 2. de decim. in 6. Abb. in c. cauſam quæſt. il 2. n. 5. de reſtib. Menoc. conſ. 36. lib. 1. Couar. lib. 1. var. reſol. cap. 17. nu. 24.* & in his terminis debere intelligi omnes Doctor qui tenent in conceſſione exemptionis à ſolutione decimarum debere fieri mentionem poſſeſſionis eorum, quibus præiudicatur, vel ſaltem intelligen. eſſe reſpectu decimarum, quæ ante Concilium Lateranenſe Laicis conceſſæ fuerunt in feudum, in quibus diuerſa ratio militat, vt inferius demonſtrabitur.

6 Non obſtat, quod alias in quibuſdam deciſionib. per Informantes pro Archiepiſcopo, & Capitulo allegatis, fuerit dictum, deciſionem *Caſſad.* procedere reſpectu dumtaxat decimarum, quæ competũt de iure communi, ſignanter in Valentina decimarum nona Iunij 1597. coram R. P. D. meo Pamphilio, & in alia Valentina decimarum prima Iulij 1598. & coram R. P. D. meo Seraphino. Quia contrarium verius eſſe dicebatur conſtare ex ſupradictis, & ex lectura ipſiuſmet deciſionis *Caſſad.* ibi, (aut alias,) quæ verba vt dictum eſt, maximè attenta ſubiecta materia, de qua tunc agebatur, vel de exemptione à quarta canonica, quæ minimè de iure communi ſpectare poterat ad Capitulum, non poſſunt verificari, niſi in iure ſpeciali.

7 Nec mouit Dominos ratio illa, ſuper qua fundatur dictæ deciſiones, nempè præſumpta ignorantia Papæ prioris priuilegij tertio competentis, cui præiudicatur. Quia indiſtinctè non procedit, cum regulariter ſoleat facilius derogari iuri competenti ex priuilegio, quam ex diſpoſitione iuris communis, *l. eius militis §. militia miſſus. ff. de milit. teſtam. Achil. deciſ. 2. de priuil.*

8 Vltra quod non poteſt applicari caſui noſtro, & ſic conceſſioni exemptionis à ſolutione decimarum antiquarum dato quod decimæ prædictę ad aliquos ſpectent de iure ſpeciali, & ſic ex priuilegio, ea ratione, quia cum huiuſmodi gratia exemptionis ex ſui natura præſupponat præiudicium tertij, & ſic illius, ad quem decimæ ſpectauit, ſeu à quo poſſidentur, Papa concedendo dictam gratiam, videtur tacitè derogare iuri illius, & de poſſeſſione facere mentionem, vt inquit *Caſſad.* vbi *ſup. n. 2.* Sed benè poſſet ſupradicta ratio præſumptæ ignorantiæ Papæ reſpectu præiudicij, quod tertio infertur, applicari vbi ageretur de exemptione à ſolutione decimarum noualium, ratione, de qua ſupra; aut ſi ageretur de decimis ante Concilium Lateranenſe Laicis in Feudum conceſſis, vt inferius reſpondendo in contrarium adductis ex *Io. And. in c. nuper. num. 4. de decim.* explicabitur, vel ſi quæſtio eſſet de decimis ſpectantibus ad Regem, vel ad aliam perſonam ſpeciali nota dignã, ad *text. in c. de multa. in fin. ibi,* circa ſublimes. de preben. cum alijs, de quibus per *Nat. conſ. 686. numer. 5.* vel de ſpectantibus ad aliquem ex titulo oneroſo, ad *deciſ. Mohed. 350. alias 11. de iure patron.* vel quando tractaretur de 2. priuilegio iuris decimandi in concurſu primi, alteri perſonæ conceſſi, ea ratione, quia Papa dum conceſſit ſecundum potuit probabiliter ignorare primum à ſe, ſeu à prædeceſſoribus ſuis, alteri perſonæ conceſſum, quod ſi ſciuiſſet, veriſimiliter non conceſſiſſet, cum non deceat Principem eſſe varium, & quod vni conceſſit, illud idem ex poſt alteri concedere: & in his terminis dicebatur procedere deducta in *c. 1. de reſcript. ex l. Decurionibus, C. de ſilentiar. lib. 11. cum alijs allegatis per Suarez allegat. 28. num. 10.* relato in ſupradictis deciſionibus Dominorum meorum Seraphini, & Pamphilij.

9 Ad deducta pro Archiepiſcopo, & Capitulo ex *Io. Andr. in c. nuper. num. 4. de decim.* quem ſequuntur *Butr. num. 5. Anch. num. 8. Card. col. 2. verſ. quinto quæro* dum tenent priuilegium exemptionis à decimis nõ extendi ad decimas, quæ de iure ſpeciali poſſidentur per aliquos, niſi in dicto priuilegio ſit facta mentio poſſeſſionis eorum, &c. fuit reſponſum, *Io. Andr. & alios,* qui eum ſequuntur, loqui de decimis, quæ ante Concilium Lateranenſe Laicis conceſſæ fuerunt in Feudum, quibus ex veriſimili mente Papæ non præſumitur præiudicatum ex tali priuilegio exemptionis; Tum quia Papa probabiliter potuit ius, & poſſeſſionem illorum ignorare, & conſequenter præiudicium, quod eis inferebatur, cum regulariter Laici ſint incapaces iuris decimandi, & poſſeſſionis ſpiritualium c. cauſam, quæ. de præſcript. in actis not. in c. benè quidem. 96. diſt. tum etiam quia difficilius ſolet Papa iuri competenti Laico ex ſua conceſſione præiudicare, quam competenti Clericis, ſeu Eccleſiaſticis perſonis arg. c. cum dilectus. de iure patr.

10 Nec placuit Dominis illud motiuum, quod per Informantes pro Archiepiſcopo, & Capitulo fiebat, vel, quod videamur verſari in decimis noualium propter recuperationem terrarum à Mauris, ſiquidem quia iure cautum non reperitur, quod recuperatio terrarum decimalium operetur, vt decimæ, quæ poſtmodum leuantur ex dictis terris dicantur decimę noualium, cum illæ ſemper fuerint debitæ Eccleſiis, licet ex accidenti propter occupationem dictarum terrarum

terrarum a Mauris, eisdem Ecclesijs non fuerint solutæ, vnde cum tandem mediante donatione Regis reuersæ fuerint ad Ecclesiam ex tunc in posterum suam primæuam naturam verè recuperasse dicuntur *arg. l. postliminium. ff. de capt. & postlim. reuers. & in terminis trad. Oldr. cons. 91.* Et bene ad hoc facit illa Sancti Ludouici Regis constitutio Senonibus emanata de Mense Martij, anni 1269. quia statutum fuit, quod decimæ reuersæ ad Ecclesiam ex tunc, & deinceps semper censeantur, & reputentur merè Ecclesiasticæ tanquam ad originem, & primum suum statum reuersæ, de qua fit mentio per *Renatum Choppinum, in tract. de Domanio Franciæ lib. 3. tit. 23. nu. 7.*

11 Nec facit, quod decimæ, de quibus agitur, fuerint aliàs concessæ Regi Catholico, & quidem, vt prætenditur, titulo oneroso, & quod propterea non sit verisimile, quod Papa voluerit non facta dicti iuris mentione in concessione dictæ exemptionis eidem in aliquo præiudicare, *ex deductis in præcit. dec. Dominorum meorum Seraphini, & Pamphilij.* Quia fuit responsum, quod statim atque decimæ prædictæ fuerunt donatæ Archiepiscopo, & Capitulo, desierunt esse ipsius Regis, vnde Papa postmodum concedendo exemptionem fratribus, in aliquo non dicitur lædere ius Regium, sed benè ius Archiepiscopi, & Capituli Donatariorum, de quorum iure, & possessione non debuit fieri mentio ex supradictis. Sicut etiam non potest dici, quod agatur de decimis debitis ex titulo oneroso, cum reuera Archiepiscopus, & Capitulum eas habeant, & possideant ex titulo Donationis, & sic ex causa merè lucratiua, ad quid bene faciunt *not. per gl. in cap. dilectus, il 3. ibi in verbo, Regis. de præben.*

12 Nec obstant deducta ex regula *l. si eum. §. qui iniuriarum. ff. si quis caut.* quia non procedunt respectu eorum, quæ minime concurrunt in ipsum subrogatum, qualis est, & dignitas Regia, & titulus ille onerosus, quo mediante Rex ipse effectus fuerat capax iuris decimandi, quæ minime per dictam donationem decimarum translata fuerunt in ipsos donatarios, cum vt modo dictum est, Archiepiscopus, & Capitulum decimas prædictas habeant, & possideant ex titulo merè lucratiuo, & indultum fauore certæ personæ qualificatæ non debeat extendi ad aliam dicta qualitate carentem, ad *tex. in § sed & quod. Instit. de iur. nat. gen. & ciuil. & in l. 1. ff. de constit. Princ.*

13 Ad illud verò, quod in generali communicatione priuilegiorum non veniat priuilegium exemptionis a solutione decimarum, fuit responsum esse extra dubium, nam dum disputatur, an in eo sit faciẽda mentio iuris specialis, illud in necessarium antecedẽs videtur præsupponi, de cuius tamen præsuppositi veritate, quatenus opus sit, poterit ad partes videri, sicut etiam poterit particulariter videri, an in huiusmodi concessione exemptionis esset facienda mentio, quod dictæ decimæ saltem pro parte, quę spectat ad Capitulum, deseruiebant pro distributionibus quotidianis Capitularium.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. CARD. PAMPHILIO.

Bononien. Fideicommissi, de Zambeccarijs. Ianuarij 1602.

ARGVMENTVM.

Substitutio fideicommissaria quando sub compendiosa substitutione comprehendatur presertim quando suut vocati descendentes sub nomine collectiuo, & vt bona remaneant in familia.

SVMMARIVM.

Substitutio fideicommissaria continetur in substitutione compendiosa, num. 1.

Fideicommissaria substitutio censetur facta à testatore quando sunt vocati descendentes sub nomine collectiuo, & sub verbis denotantibus tractum temporis in infinitum. Et tanto magis quando substitutio fit ad effectum conseruandi boni in familia, nu. 1. & 2. & 3.

Dictio vt supra restringit dispositionem ad limites præcedentis dispositionis, nu. 2.

Substituti descendentes sub nomine collectiuo intelliguntur vocati ordine successiuo, & prout quisque proximior est, nu. 3.

DECISIO XLIX.

1 FVit per dominos resolutum per obitũ Æmilij sine filijs fuisse factum locum fideicommisso Poli ad fauorem Pauli, & Aloysij, pro eorum rata. Constat enim illos mediante persona suorum parentum fuisse Nepotes, & sic de descendentibus Poli, qui in eius Testamento instituit sibi hæredes Vniuersales suos filios masculos natos, & nascituros, quibus *in §. & ipsis omnibus, &c.* quandocumque decedentibus sine filijs substituit feminas, & earum descendentes, & postea subdit, quod omnes descendentes masculos, & feminas prout supra in infinitum in predictis omnibus bonis quandocunque instituit, & substituit, & sic per viam substitutionis fideicommissariæ, quæ in hoc compendiosa continetur, *l. Centurio, ff. de vulg. leg. præcibus, Cod. de impuber. & alijs substit. cum ibi notat. & in cap. Raynutius de testamen.* præsertim cum descendentes sint vocati sub nomine collectiuo, & adsint verba denotantia tractum temporis in infinitum iuxta notata per *Doct. in leg. Gallus, §. quidam recte. ff. de lib. & posth.* Et tanto magis quod testator fecit hanc substitutionem, vt ipse asserit ad finem, & effectum, vt bona sua omnino in eius familia & penes eius filios, & posteros, & descendentes semper, & in futurum stare, & permanere debeant, quod aliter, quam per fideicommissum fieri non poterat, ad notata per *Dec. cons. 23. num. 2. Curt. iun. cons. 121. nu. 11. cum alijs alleg.*

2 Neque obstat, quod in vocatione descendentium adsit dictio vt supra, cuius vigore substitutio videatur restricta ad limites præcedentis substitutionis, quia illa dictio, vt supra, posita statim post verbum feminas intelligitur respectu successionis, vt scilicet intelligantur vocatæ in defectum masculorum, prout superius vocatæ erant, vltra, quod ea, quæ dicuntur de præcedenti prohibitione alienationis ad excludendum absolutum fideicommissum etiam in casu mortis non applicantur, quia illa est satis ampla ad effectum, vt bona semper in infinitum remaneant penes eius filios posteros, ac descendentes, & negari nõ potest quin saltem ex ea colligatur intentio testatoris vt pro conseruatione bonorum in eius familia, & penes suos descendentes voluerit ipsos descendentes in infinitum vocare per vim fideicommissi, *Corn. cons. 22. nu. 9. lib. 2.* & tenuit Rota in causa fideicommissi de Fulchis, de anno preterito coram me.

3 Non obstat, quod dicitur Æmilium potuisse relinquere ista bona Scipioni, qui est de familia Poli, cuius fauore factum fuit fideicommissum *ex l. vnum, ex familia, in princ. & §. 1. de legat. 2.* quia in casu, de quo agitur, non est vocata familia, sed masculis quãdocunq; decedentibus sine filijs sunt vocati nomine collectiuo descendentes ex familia, qui intelligũtur vocati ordine successiuo, prout quisq; proximior est in gradu. *leg. cum ita, §. in fideicommisso, & ibi gloss. ff. de leg. 2. leg. fin. Cod. de verb. signific. Paris. cons. 51. numero.*

mero 14. *lib.* 2. & ideo non sufficit, quod bona relinquantur in familia, sed debet peruenire ad illos, qui ex fideicōmisso sunt vocati, quidquid dicendū sit si testator grauasset hæredē, vt bona relinqueret in familia, *Socin. cons.* 227. *col.* 7. *vers. hoc etiam ex alio lib.* 2. *Curt. iun. cons.* 161. *num.* 15. *vers. Confirmatur*, *Ruin. cons.* 101. *numer.* 14. *lib.* 2. & tenuit Rota in Bononien. fideicommissi de Elephantucijs, coram Cantuccio 7. mens. Februrij 1586.

4 Et ita fuit conclusum tam quo ad bona propria ipsius Poli, quam etiam ea, quæ fuerunt q. Ioannis sui fratris, quæ pœnis ipsum Polum absque aliquo onere remanserunt, cum in testamento Ioannis filij Poli fuerint vocati ordine successiuo, vt præsupponitur, per solam vulgarem, quæ per aditionem hæreditatis factam per Polum expirauit. *l. post aditam*, *C. de impub. & aliis substitutionibus*.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. CARD. PAMPHILIO.

Romana Nullitatis Obligationis. Mercurij 23. *Ianuarij* 1602.

ARGVMENTVM.

Emptionis, & venditionis contractu resoluto censetur etiam resoluta obligatio prætij, quod corespectiuum est ad ipsam emptionem, cessanteque causa obligationis, & promissionis, cessat ipsa promissio, & obligatio, & quando fideiussor cum iuramento obligatus remaneat si principalis obligatio nulla, & inualida est.

SVMMARIVM.

Emptionis, & venditionis contractus resoluto, cessat etiam obligatio pretij, quod est correspectiuum ad ipsam emptionem, & ab illa dependet, vt sine ea non debeatur, & si aliquid solutum sit restituatur, num. 2. *& num.* 7. *& numero* 9.

Cessante causa obligationis, & promissionis cessat ipsa obligatio, & promissio. num. 3. *& nu.* 7.

Obligatio sine causa dicitur nulla, & inefficax, n. 3. *&* 4.

Promissio, seu obligatio conditionalis conditione non verificata promittentem non obligat. num. 4.

Obligatio est stricti iuris, & non extenditur de re ad rem. num. 5.

Duo rei debendi non dicuntur hi, inter quos adest diuersitas causæ, & obligationis. num. 5.

Obligatio quamuis iurata intelligitur rebus sic stantibus. num. 7. *in fine*.

Fideiussor cum iuramento numquid teneatur, quando principalis obligatio est nulla, & non sustinetur. nu. 7. *&* 8.

Emptio, & venditio sine pretio constitui non potest. nu. 9.

Venditor rem, & pretium habere non potest. num. 9. *& seq.*

DECISIO L.

1 Congregatio super solutione æris alieni Baronū, quæ acceperat possessionem medietatis Castri Montis Rotundi, & aliorum bonorum relictorum in hæreditate quondam Valerij Vrsini exposuit dicta bona vendenda, vt ex eorum prætio satisfieret creditoribus tam ipsius Valerij, quam etiam quondam Ludouici fratris, & aliorum suorum maiorum. Opposuit se huic venditioni Paulus Æmilius Vrsinus, & obtulit se præfata bona empturum, & insuper sub die 3. Ianuarij 1596. quia congregatio firmauerat certa capitula circa solutionem pretij faciendam creditoribus, quæ ex decreto eiusdem Congregationis erant adimplenda antequam venditio effectuaretur, obligauit se pro illorum adimplemento, & huic obligationi, vti principalis principaliter, & in solidum accessit Illustrissimus D. Cardinalis Cusentinus. Stantibus istis obligationibus eadem Congregatio die sequenti vendidit bona præfata Paulo Æmilio minori nullis interuenientibus solemnitatibus, & absque interuentu, & sine alia obligatione Cardinalis. Et licet postea dictus Paulus Æmilius hanc venditionem, vti nullam, vel læsiuam impugnaret, & ab illa recederet, nihilominus creditores agebant contra Cardinalem pro solutione pretii, qui inter alias exceptiones dicebat se ad hanc solutionē cogi non posse, quia venditio suum effectum non sortiebatur, & discussione huius articuli commissā R. P. D. meo Sacrato, & mihi, consulimus Dominos meos super validitate obligationis Cardinalis ad effectum de quo agitur, qui est vt teneatur creditoribus ad huius pretii solutionem.

2 Et causa mature discussa fuit per Dominos resolutum Cardinalem non teneri, eius enim obligatio est restricta pro sola obseruatione Capitulorum, in quibus tantum pretii promissio continetur, & cum ipse non promiserit emere, nec quod Paulus Æmilius emeret, aut contractum emptionis obseruaret resoluta emptione cessat obligatio pretii, quod est correspectiuum ad ipsam emptionem, & ab illa dependet, vt sine ea non debeatur, & si aliquid sit solutum restituatur. *l. si pretium, C. de procur. l. seruum meum, vbi Bart. in Summario, l. ex his omnibus, vbi gloss. & Doct. ff. de cond. indeb.*

3 Et propterea cessante causa propter quam Card. se obligauit cessat eius obligatio, & tanquam sine causa remanet inefficax, & inualida. *l. si pupillus. la secunda. vbi Bald. & Imol. ff. de acquir. hæred. Anchar. cons.* 330. *num.* 11. & tenuit Rota in causa Romana Pecuniaria de Zabreriis sub die 4. Maii 1580. sub num. 14. coram Cantuccio, & regularem, est quod cessante causa promissionis cesset ipsa promissio ex late congestis à *Tiraq. in tract. cessan. caus. par.* 1. *num.* 224. *versic. promissionis causa*, & bene facit in proposito tex. in *l. promittendo. ff. de iur. dot.* vbi quod ex promissione dotis agi non potest, si nuptiæ non sequantur, quia vt inquit ibi Iurisconſ. magis attenditur mens, quam verba, & placuit etiam Dominis decisio in simili casu facta sub die tertia Aprilis 1598. in causa Camerinense pecuniaria coram D. Mellino, quod promissio soluendi correspectiua ad Appaltum gabellæ intelligatur quatenus Appaltus obseruetur, & duret.

4 Præsertim quia, vt aliqui ex Dominis considerabant, obligatio Cardinalis in effectu est conditionalis, obligauit enim se ad pretium propter venditionem, & alias illud soluere non promisisset nisi venditio esset habitura effectum ad fauorem Pauli Æmilii causa autem est similis conditioni, ita vt sicut oportet verificari conditionem, ita, & causam sequi propter quam quis se obligauit alias non obligaturus, vt bene deducit *Calder. cons.* 1. *num.* 2. *de translat. Prælat.* & habetur in dicta decisione Romana de Zabreriis, *sub nu.* 16. *vers. accedit etiam*.

5 Et ita non obstat, quod Cardinalis vti principalis & in solidum, & cum iuramento se obligauerit ad decis. Mohed. 2. de fideiuss. cum aliis alleg. quia vt dictum fuit eius obligatio est restricta ad pretium, & non debet extendi ad obseruantiam contractus emptionis, & venditionis, pro qua non se obligauit, cum obligatio sit stricti Iuris, & non extenditur de re ad rem. *l. quidquid adstringendæ. ff. de verb. oblig. l. fideiussores magistratuum. ff. de fideiuss.* & ideo licet Paulus Æmilius vltra promissionem pretii etiam emerit respectu emptionis, non possunt dici duo rei debendi quia inter ipsos adest diuersitas causæ, & obligationis, quæ impedit constitutionem duorum reorum, vt in istis terminis trad. *Bart. in l. fin. col.* 1. *vers. quandoque*

doque est diuersitas, quem sequitur ibi *Imol. nu. 3. vers. item tene menti. ff. de duob. re. Paul. de Castr. consil. 181. sub num. 1. vers. probo lib. 1. Ferret. consilio 128. num. 8.* obligatio enim duorum reorum nullam debet inter eos continere imparitatem, *Aret. in l. cum duos. num. 2. ff. de duob. re. Ronchegal in l. 1. num. 15. ff. eod. tit.*

6 Non obstat, quod Cardinalis obligauerit se omnibus. & singulis contentis in instrumento promissionis Pauli Æmilij, quia in illo instrumento facto sub die 3. Ianuarij, cui Cardinalis accessit, nihil aliud continetur, quam promissio adimplendi capitula in folio ibi exhibito contenta, quæ nihil aliud continent, quam solutionem pretij, & quomodo illud esset creditoribus soluendum, non autem aliquam promissionem emendi, nec obseruandi contractum emptionis, & venditionis, qui sequenti die cum solo Paulo Æmilio fuit celebratus absque interuentu, & absque aliqua obligatione Cardinalis, qui in emptione nullo modo se ingessit, & ad illius adimplementum, & obseruantiam non se obligauit, ex regula *d. l. quidquid adstringendæ, & d. l. fideiussores, cum similibus.*

7 Et ita cessant decis. D. mei Decani in causa Romana euictionis, & aliæ, quæ allegantur, in quibus aderant fideiussores totius contractus, qui continebat venditionem validam, & firmam, & non applicantur huic casui, vbi Cardinalis fuit tantum adhibitus pro cautione pretij, & modo soluendi, non autem pro fideiussore totius contractus, & consequenter cessante venditione sine qua pretium non debetur, deficit causa suæ obligationis, & non remanet amplius obligatus, *c. 2. vbi Butr. in 1. notab. de cust. Euchar. Rom. cons. 417. num. 1. vers.* hoc quidem probatur. *Socin. cons. 31. col. penult. vers. hoc etiam probatur. libro 1. Tiraq. cess. caus. par. 1. nu. 189.* etiam quod adsit iuramentum. *Bero. cons. 203. nu. 34. lib. 1. & obligatio Cameralis, vt per Galles. ad 4. p. oblig. Camer. qu. 1. num. 12.* & fuit resolutum in dicta causa Romana de Zabrerijs sub num. 15. Obligationes enim iuratæ sicut ceteri actus intelliguntur rebus sic stantibus, & in eodem statu manentibus. *l. fin. C. de non num. pecun. c. 2. de renunc. Castr. cons. 449. num. 3. lib. 1. cum alijs per Tiraq. in l. si vnquam. in præfat. num. 166. cum seq. C. de reuoc. donat.*

8 Et ex his apparet *decis. Mohed. 2. de fideiuss.* (qua principaliter nituntur informantes pro creditoribus) præsenti casui non applicari, quia procedit in duobus reis, & quando contractus habuit effectum, vel saltem quando fideiussor obligatur ad obseruantiam totius contractus, quam promisit principalis, quia tunc virtute iuramenti forsan teneretur fideiussor etiam quod obligatio principalis esset nulla. In hoc autem casu Cardinalis est solus fideiussor pretij, nec est obligatus ad obseruantiam contractus emptionis, & bona fides non patitur, quod emptio non habeat effectum, & ipse teneatur soluere pretium, & quod res sit inempta, & per indirectum compellatur obseruare contractum vltra terminos suæ obligationis, quæ est stricti iuris, & extendi non debet.

9 Non obstant, quæ deducuntur ad ostendendam validitatem venditionis factæ Paulo Æmilio, quia omissa pro nunc discussione, an in ea essent necessariæ solennitates, iuxta §. 1. Instit. de auct. Tut. sufficit Cardinali, ne teneatur ad pretium, quod emptio non habuerit effectum suum, nec refert, ex qua causa rescindatur, vel ab ea recedatur, siue ex nullitate contractus, siue ex restitutione in integrum, siue ex alia quauis causa. *l. ex his omnibus. vbi gloss. in verb. voluerunt, & in verb. effectum,* & ibi etiam *Odoffred. Alberic. & Angel. ff. de condict. indebit.* Impossibile est enim, quod vbi non est venditio ibi sit pretiũ, cum ad venditionem constituendam res, & pretium concurrere debeant. *§. pretium. & ibi hoc not. Aret. in 1. & 2. notab.* Institut. de emptio. & vendit. *l. 1. versic.* sed cum debeat. & ibi *gloss. ff. de rerum permutat. Azo in Sum. C. de contrahen. empt. num. 2. & 6.* & ideo si Paulus Æmilius, ex quauis causa non habeat rem venditam, non potest Cardinalis cogi ad pretium, quod (vt dictum est) est correlatiuum ad ipsam rem quæ venditur. Et econuerso si bona adhuc remanent penes venditores, ex eo quod illorum venditio ex quauis causa non habuerit effectum iniuste agunt ad pretium, quod simul cum re habere non possunt iuxta not. in *l. curabit. C. de act. empt.* Et ita tollitur, quod quis possit se obligare ad pretium rei ab altero emptæ, quia hoc intelligitur dummodo venditio habeat effectum, & res emptori valide tradatur, nec fiat inempta.

10 Non obstat, quod obligatio Pauli Æmilij, cui Cardinalis accessit non fuerit facta contemplatione futuræ emptionis, sed ad impediendum ne alteri fieret istorum bonorum deliberatio, quia ex lectura subsecutæ deliberationis apparet, quod fuit vera venditio, & ita fieri debuit, ex quo Paulus Æmilius non erat dominus in totum istorum bonorum, sed solum pro medietate, quia habebat Iordanum Cæsium cohæredem, & non est verisimile, quod ad impediendum solam deliberationem voluerit Paulus Æmilius se obligare ad soluendum omnia debita, ne dum Valerij, cuius tantum erat hæres pro medietate, sed etiam Lodouici, & aliorum maiorum in casu, vbi etiam prætendebat medietatem Montis Rotundi sibi ex antiquo fideicommisso deberi ad *l. cum de indebito. ff. de probation.*

11 Non obstat, quod dicitur de obligationibus præcedentibus solenniter factis à Paulo Æmilio cum fideiussione Cardinalis, quia fuerant factæ dum agebatur de debitis Valerij tantum, & de certis non autem omnibus bonis, & effectum non habuerunt, quia Congregatio voluit, quod soluerentur etiam debita Ludouici, & maiorum, & quod fierent nouæ obligationes cum solennitatibus necessarijs, & sic ab illis fuit recessum. Alia in contrarium deducta benè tolluntur ab informantibus.

REVERENIDISSIMO P. D.

DAMASCENO.

Nucerina Bonorum. Lunæ 4. Martij 1602.

ARGVMENTVM.

Statutum excludens feminas propter masculos an fauorabile, vel odiosum reputetur, & plura de huius Statuti interpretatione, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Statutum excludens feminas propter masculos validum est. num. 1.

Statutum excludens feminas propter masculos non includit casum testamenti facti. num. 2.

Testamentum sine subscriptione Notarij sine die, sine loco, & sine clausula actum, &c. nihil probat. num. 2.

Testamentum inter liberos carens solennitatibus validum est. Declara, vt num. 3.

Præsens, & consentiens contractui præiudicat sibi quo ad omnia contenta in dicto contractu. Declara, vt numero 4. & 5.

Ratificatio actus non inducitur sine scientia explicita præiudicij prouenientis ex ratificatione. num. 5.

Verba referenda sunt singula singulis in materia odiosa. Declara, vt num. 6. & 7.

Statutum excludens feminas propter masculos non dicitur odiosum

odiosum, num.7.& num.11. Declara vt num.13.
Etiam dictio pluries repetita auget; & implicat in materia stricta, & odiosa. num.8.
Vsque dictio quando stet exclusiuè in materia odiosa, an vero inclusiuè. num.9.
Statutum confirmatum à Papa in forma communi non trahitur ad ea, quæ odiosa sunt odio irrationabili. Declara vt num. 10.
Exceptio firmat regulam in casibus non exceptuatis. numero 10.
Statutum fauorabile seruandum est, etiam quod non constet illud esse in vsu, num.12.

DECISIO LI.

1 PRætendunt Domini de Fabijs succedere in bonis quondam Andreæ pariter de Fabijs, exclusa Vrsolina dicti quondam Andreæ filia virtute Statuti Terræ Gualdi. rubr.24. de successione ab intestato. Vbi mandat cippum, & lineam masculorum feminis anteponi, etiamsi sint in anteriori gradu tam per lineam ascendentium, vel transuersalium vsque in tertium gradum secundum Ius Canonicum computandum, feminis eiusdem cippi ex omni gradu, etiam ascendentium, & descendentium, & transuersalium in anteriori gradu coniunctis, penitus exclusis, competenter tamen dotatis, & super hoc in contumacia partis aduersæ reportarunt sententiam Rotalem, quæ etiam transitum fecit in rem iudicatam causa ad me deuoluta dubitaui, an sententia Rotalis esset iusta, & Domini affirmatiuè responderunt, reseruato tamen de validitate examinis Testium deponendum de descendentia Fabiorum fundamenta decisionis fuerunt verba dicti Statuti, quæ satis clare visa fuerunt importare exclusionem filiæ, propter masculos transuersales etiam existentes in tertio gradu.

2 Non obstat, quod Statutum loquatur de successione ab intestato, nos autem simus in casu testati, cum habeamus testamentum quondam Andreæ Patris Vrsolinæ: quia respondebatur, dictum testamentum esse scripturam informem cũ careat subscriptione, die, loco, & clausula actum, & nomine Notarij. Vnde nihil probat *glossa in l.generali. in verb. seruituti. C. de Tabul.lib.10. argum. cons. 216. vsque ad num.5. Conar. pract.quæst.cap.20.à num.1. vsque, ad 6.*

3 Nec applicatur conclusio, quod in testamento inter liberos non requirerentur solennitates. *l. final. Cod.famil. ercisc.* quia id procedit quotiescumque apparet de testamento, licet minus solenni, sed hic dicitur non apparere de aliquo testamento.

4 Non obstat, quod sit insertum in transactione celebrata inter Amitam Vrsulinæ, & ipsam Vrsolinã cui interfuerunt Fabri, tanquam proximiores, & præstiterunt consensum. Vnde videbatur sibi præiudicasse quo ad omnia in dicto transactione contenta ad notat. *in l.final. ff. de inoffic. testam. vbi gloss. prima. & latè examinat Gabriel conclus.2. de rer.alienat.*

5 Quia respondebatur, quod ad effectum, vt quis sibi præiudicet consentiendo, requiritur, quod habeat notitiam sui præiudicii, gl. in cap. consultationibus. *verbo non consenserit. de appell.in 6.*& sic distinguit *Gabr.dicta conclusione 2.num.5. & fusius. sub numero 9.* & est regulare in qualibet ratificatione, quod requiratur scientia explicita præiudicii in ratificante. *Alex. cons.114.num.4.vol.1.* in casu autem proposito minimè apparet, quod Fabij habuerint notitiam aliquam præiudicij, quod exinde eis potuisset prouenire.

6 Non obstat, quod versemur in materia odiosa, & consequenter verba sint intelligenda referendo singula singulis, ita vt masculus transuersalis feminam transuersalem masculus descendens feminam descendentem excludat, non autem vt masculus transuersalis feminam ascendentem, vel descendentem exclu-dere possit. *Brun. de statut. excludente femin. articul. 12. quæst. 22.*

7 Quia negatur statutum esse odiosum, & in omnem euentum dicebatur cõclusionem procedere vbi verba non repugnant, vt in hoc casu, quo Statutum loquitur per verba coniunctiua non autem alternatiua, vt in proposito distinguit *Paris. cons. 47. numer. 2. & sequenti. libr. 3.* & alij cumulati per *Decium consil. 112. num. 18.*

8 Et adsit dictio etiam pluries repetita, quæ in materia etiam stricta auget, & implicat. *Paris.cons. 46. nu. 30.lib.4.Decian.cons.46.nu.118.lib.2.* & illam dictionem, tanquam in istis terminis ponderat *Cornel. cons. 42. n. 9. vers. sed Clarius lib. 3.*

9 Non obstat, quod illa dictio vsque in materia odiosa, & exorbitanti stet exclusiuè, ita vt secundus tantum gradus masculorum comprehendatur. Nam præter, quod Domini existimabant statutum hoc non esse odiosum, vt infra dicetur, respondebatur, quod quando dictio vsque adijcitur numero, vel gradui semper stat inclusiue nulla habita ratione fauoris, vel odij *Bart. in l. patronus. §. Sempronio. de legat. 3. Alexand. in consil. 110. num. 20. volum. 3.* & fuit resolutum in illa Vrbeuetana Castrorum 4. Maij. 1582. coram Illustrissimo D. Cardinali Blanchetto tunc Rotæ Auditore.

10 Non obstant, quæ dicuntur de inualiditate statutorum cum non sint confirmata, nisi in forma communi, quæ confirmatio non comprehendit statuta odiosa odio irrationabili, quia confirmatio Clementis Papæ Septimi supra hoc Statuto videbatur comprehendere omnes casus cum excipiat tantum ea, quæ sunt contra libertatem Ecclesiasticam. Exceptio enim facit extendi dispositionem ad omnes casus non exceptos. *Alexand. in l. final. num. 4. ff. quod quisque iuris, Aretin. in consil. 30. num. 9. Dec. in consil. 247. numer. 8.*

11 Negabant etiam Domini statutum hoc esse odiosum, sed dicebant esse fauorabile, cum sit conditum ad conseruanda bona in familia ex doctrina *Baldi in leg. vnica. num. 4. & 5. C. de in ius vocando. de communi. Put. decis. 38. in fine. lib. 3.* cum alijs adductis in causa Amerina successionis 19. Ianuarij 1594. coram R. P. D. meo Penia.

12 Ex hoc etiam tollebatur, quod obiectum fuit statutum non esse in vsu, quia stante eo quod non esset odiosum non fuit necesse probare, quod esset in vsu, sed sufficit, quod sit insertum inter alia statuta. *Dec. in consil. 534. nu. 9. vers. non obstat. Caputaq. decis. 220. num. 3. par. 1.*

13 Verum quia in supradictis responsionibus maior pars Dominorum transibat cum illo præsupposito, quod statutum non esset odiosum odio irrationabili, imò potius fauorabile libenter viderem de veritate dicti præsuppositi, quia in hac materia aliquando solent distinguere Doctores, quod si masculus transuersalis agit de excludendo feminam transuersalem, vel masculus descendens de excludendo feminam descendentem, statutum dicatur fauorabile, & in istis terminis est decisio Amerina successionis supra allegata. Si autem masculus transuersalis vult excludere feminam descendentem, vel ascendentem, tunc dicatur irrationabile. Ita distinguit *Corn. in cons. 170. n. 4. & 10. vol. 2.* & ita alias distinxit Rota in illa causa Vrbeuetana Castrorum 21. Nouembris 1583. coram Illustrissimo Domino Cardinali Blanchetto, & in alia causa Montis Falisci hæreditatis die 19. Marij 1584. coram bonæ memoriæ Cantuccio.

R. P. D. LITTA.

Mediolanen. Pecuniaria, Mercurij 27. Martij 1602.

ARGVMENTVM.

Magistralis est ista decisio, in qua bene explicantur requisita ad hoc, vt mercatori creditori à debitore in casu retardatæ solutionis debeantur cambia, & recambia.

SVMMARIVM.

Cambia, & recambia vt mercatori debeantur propter retardatam solutionem, quæ requirantur, nu. 1. & seqq.

Cambia, & recambia mercatori non debentur à debitore in casu moræ sine protestatione, quando à debitore non est illi data facultas in casu moræ accipiendi pecunias ad cambium. nu. 2.

Cambia, & recambia non debentur mercatori à debitore ob retardatam solutionem, nisi pecuniæ à mercatore realiter, & cum effectu fuerint acceptæ ad cambium, idque debitori notificatum. num. 3. & 4. vbi etiam quomodo dicatur constare, quod pecuniæ fuerint acceptæ ad cambium, & num. 6.

Assertioni partium in prohibitis standum non est, nec in earum potestate residet facere licitum, quod aliàs illicitum est. num. 5.

Vsura omni iure prohibita est. nu. 5.

Impedimentum censetur procuratum ab eo, qui ex impedimento se excusare prætendit. nu. 7.

DECISIO LII.

1 DVbitatum fuit, an constet pecunias de quibus agitur fuisse, vel non fuisse captas ad cambium, & recambium in casu, & ad effectum, de quo agitur, qui est, vt pro dictis cambijs, & recambijs potuerit de iure D. Constantinus Magnus constitui debitor Societatis aliàs cantantis sub nomine de Annonis, & Blanchis, & hodie de Verganis Et post maximam cõtumaciam illorum de Verganis in informando pro negatiua fuit resolutum, informante dumtaxat Procuratore, & Aduocatis D. Constantini, & ea ratione moti fuerunt Domini, quia vt debeantur cambia, & recambia mercatori propter retardatam solutionem pecuniarum sibi debitarum plura requiruntur.

2 Primum est, quod vbi creditor non habeat facultatem à debitore in casum moræ, accipiendo pecunias sibi debitas ad cambium, & recambium damno ipsius debitoris, non possit id facere, nisi præmissa protestatione, & intimatione de hoc ipsi debitori.

3 Secundum est vtroque in casu cum effectu, & realiter dictæ pecuniæ per creditorem accipiantur in dictammet causam ad cambium. Idque notificetur ipsi debitori ad effectum, vt certo sciat debitum suũ iam esse sub vsuris, & vbi velit, valeat se liberare à futuris soluendis, quod debet, vt fuit resolutum in illa Romana Pecuniaria de Lambrebrijs 7. Aprilis 1581. coram bon. mem. Cantuccio in illa Romana Vineæ de Brunis 2. Decembris 1592. coram bon. mem. Orano, & in illa Romana cambiorum de Grandis, 15. Maij 1592. coram R. P. D. Millino, & tandem coram bonæ me. Domino ... in Romana Pecuniaria 15. Decembris 1582.

4 Vnde licet in hoc casu ex constitutione partium, de qua in Summario iurium. nu. 1. constet de facultate concessa creditoribus accipiendo pecunias debitas per D. Constantinum, & fratrem ad cambium, & recambium, vsque ad integralem solutionem debiti eorum, non tamen constat de alijs requisitis, & sic quod verè, & realiter pecuniæ prædictæ fuerint ad cambium, & recambium in ipsam, & causam expressam acceptæ, fuerintque ipsi debitores de prædictis certiorati, prout requiri videtur ad effectum de quo supra. Imò cum ex reuolutione processus de partib. per quam causam solet probari negatiua, non constat de literis cambij in dictam causam, & quod illæ verè transmissæ non fuerint ad nundinas, prout requiri videtur ad effectum, vt constare dicatur de ipsis cambijs licitis, secundum *Lup. in tract. de vsur. consul. 3. §. 2. num. 23. & præsupponit Rota Ianuen. dec. 37. num. 11.* & quod magis expresse declaratur in Constitutione Pij Quinti 148. Ideo, &c.

5 Nec facit, quod in solidationibus factis inter partes fuerint admissa cambia, & recambia de quibus agitur, siquidẽ quia in prohibitis non est standum assertioni partium, nec in eorum potestate sit facere licitum, quod alias illicitum est. *Bartol. in l. si fortè. ff. de pecul. castr. Ias. in l. si donatio. C. de collat. cum mille similibus*, & quia plurimum Christianæ Reipublicæ refert, ne hoc modo aperiatur via fraudibus, & vsurariæ prauitati, quæ omni iure prohibita est, authen. vel hæc cum ibi *notat. per gl. & scribent. C. de vsur. & cap. 1. & per tot. tit. extra, eodem.*

6 Accedit, quod ex partitis debiti ipsius Constantini de quibus in Summario. n. 2. non potest colligi, quod in rei veritate, pecuniæ per eum debitæ fuerint cambiatæ, sed potius, quod dictum debitum fuerit indies auctum habita ratione cambiorum, quæ communiter fiebant per nundinas in Tonsoni.

7 Et quod res ita se habeat non parum arguitur ex denegatione exhibitionis librorum dictæ Societatis, in quibus per mercatores solent omnia diligenter annotari, maxime cum impedimentum respectu dictæ exhibitionis causatum, vt prætenditur à Senatis Mediolanensem præsumatur procuratum ab ipsis Verganis, quorum interest, ne appareat dicta cambia esse minus realia, ad *text. in l. 1. §. sed & si quis. C. de latin. libert. toll.* cum alijs hic late deductis per Informantes. Et ex his fuit, vt supra, resolutum.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

D. CARD. PAMPHILIO.

Agatensis Iuris patronatus Lunæ 4. Maij 1602.

ARGVMENTVM.

De probatione Iuris patronatus plura notanda, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Ius patronatus in Ecclesia Conuentuali fundari non potest cum solo consensu Episcopi, sed est necessarium priuilegium Apostolicum in limine fundationis etiam ad effectum præsentationis. nu. 1.

Ius patronatus præsumitur fundatum ex priuilegio Apostolico, quando vltra temporis antiquitatem concurrit obseruantia præsentationum, quod quando verum sit. numer. 2.

Iuris patronatus præsumitur vsurpatio ab habentibus iurisdictionem temporalem ex quasi possessione præsentandi per 70. annos. n. 2. & n. 6.

Iuris patronatus fundationis instrumentum in quo est reseruatum ius præsentandi certæ personæ, & eius hæredibus, non suffragatur alteri quem præsentasse, si non constat de iure hæreditari, nec successisse fundatori. nu. 3.

Ius præsentandi in iure patronatus non est annexum Castro, nec transit in successorem Castri. num. 4. Declara, vt dicto num. 4.

Ius

Ius patronatus confiscari non potest, nec transit in fiscum, sed Ecclesia libertatem acquirit. n. 5.
Enunciatiuæ simplices absque cognitione causæ, & super his, quæ a potestate proferentium non dependent, non præiudicant libertati Ecclesiasticæ.

DECISIO LIII.

1 CONclusum fuit non probari ius patronatus Ducis Ariolæ, in Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, de misericordia, instrumentum enim fundationis, quo Dux nititur habet solum consensum Episcopi, qui non sufficit, cum ista Ecclesia conuentualis sit, & iuxta opinionem, quam Rota seruat, etiam ad effectum præsentationis necessarium sit priuilegium Apostolicum, & illud quidem in limine fundationis, *cap. nobis. §. cæterum. vbi gl. in verf. de sua iurisdictione. Hostien. colum. 2. Anchar. num. 16. Abb. num. 9. de iure patron. Put. decis. 366. & 379. lib. 2.* & fuit late deductum in Albanensi Prioratus de anno 1588. coram Orano, & sæpe in alijs.

2 Neque obstare, quod alias coram me in causa Regien. Prioratus sub die 9. Maij, & 23. Iunij 1586. fuit dictum huiusmodi priuilegium prouenire ex antiquitate temporis, cum obseruantia præsentationum, quia in hoc casu ex facie instrumenti fundationis constat adhibitum esse solum consensum Episcopi. *Castrens. cons. 81. num. 3. verf. & si dicatur. lib. 2. Alexand. cons. 1. num. 21. lib. 4. cum alijs per Gabr. conclus. 1. de præsumpt. num. 17.* & ista obseruantia, quæ desumitur à præsentationibus factis post 70. annos, & amplius ab habentibus iurisdictionem temporalem in loco potius inducit præsumptionem vsurpationis. *Put. decis. 57. & 59. lib. 1.* maxime, quod nullibi vnquam reperitur facta aliqua mentio priuilegij Apostolici, prout erat in casu dictæ decisionis Regiensis.

3 Et cessat difficultas, quia instrumentum fundationis loquitur de reseruatione iuris præsentandi pro Ioanne de Langonissa fundatore, & hæredibus suis, & sic non suffragatur Moderno Duci, & eius prædecessoribus, qui ab anno 1460. citra præsentauerunt, & non constat iure hæreditario successisse prædicto Ioanni, *cap. 1. vbi Abb. num. 3. de iure patr. Archid. in cap. si plures. nu. 4. verf. sed pone. 16. q. 7. Bald. cons. 409. nu. 1. lib. 2. Anchar. cons. 81. num. 2. Card. cons. 122. num. 2. Alex. consil. 73. nu. 2. lib. 2.* & tenuit Rota coram Illustrissimo Mantica in vna Braccarensi Parochialis sub die 24. Februarij, & 1. Iulij 1592.

4 Neque obstat, quod tam Modernus Dux, quam eius prædecessores successerunt in Castro Ariolæ, vbi fuit fundator Ecclesiæ, quia ius præsentandi, non est annexum Castro, vt transeat ad successores in eo, iuxta cap. ex literis, & cap. cum sæculum. de iure patr. nec fuit reseruatum Castro, dignitatiue, sed Ioanni pro se, & eius hæredibus, & sic tanquam personæ priuatæ, aut ad eius hæredes, non autem tanquam ad successores in Castro perueniat, ad *not. per Bald. in l. 2. in princ. C. de in ius vocan. cum alijs per Rocch. de iure patr. in verf. ipse, vel is a quo num. 18. verf. sed hic suboritur quæstio*, & fuit resolutum in eadem causa Braccarensi 17. Iunij 1591. vbi fuit dictum, hoc procedere etiam, quod post nomen proprium additur nomen dignitatis, quod potius censetur appositum gratia denominationis, quam dignitas contemplata sit. *leg. si communis seruus ita stipulatus fuerit. ff. de stipulat. seruor. l. Mela. in princ. ff. de aliment. & cibar. legat. Bart. in leg. Centurio. num. 39. & ibi. Rip. num. 173. ff. de vulg. & pupill.*

5 Et ita non obstat, quod dicebatur ob rebellionem Alphonsi de Langonissa hæredis fundatoris ex confiscatione omnium bonorum, ius patronatus transiuisse in fiscum, & postea cum Castro Ariolæ ex Regia donatione deuenisse in Modernum Ducem, & suos prædecessores, quia præter id, quod probabilius potest dici non transiuisse in fiscum iuxta opinionem *gl. in clem. pastoralis. in verbo, subiectæ. de re iudic. Card. in clem. plures. num. 8. verf. sed dic de iure patron.* qui asserit, quod Ecclesia libertatem acquirit, & sequitur *Imol. in dicta clementina Pastoralis. nu. 71. in fin. cum seq. & ad l. insulam in 2. not. in fin. ff. solut. matrim. Ioan. de Anan. in cap. vergentis. num. 6. de hæret. Lambert. in suo tract. lib. 3. quæst. 8. art. 8. num. 16. & 22. Simanc. de Cathol. instit. tit. 4. num. 96.* cum allegat. fuit dictum, quod hodie non agitur cum fisco, & ex donationem facta prædecessoribus Moderni Ducis, non infertur ad ius patronatus, & præsentandi, quod non est annexum Castrum, nec competit eius dominium ratione dignitatis, sed erat reseruatum Ioanni pro se, & eius hæredibus, vt supra dictum est.

6 Neque obstant præsentationes post donationem ipsius fundatoris à Dominis Castri, quia ista obseruantia repugnat claris verbis ipsius fundatoris, quæ loquuntur, de Ioanne, & hæredibus. *l. ille, aut ille. ff. de legat. 3. Aret. cons. 175. num. 2.* vltra quod versamur in Dominis habentibus iurisdictionem temporalem in loco, in quibus cadit præsumptio vsurpationis. Ita vt ex eis ista obseruantia non suffragetur, nisi probata immemorabili, cum præsentationibus continuatis per 50. annos, quæ sortitæ sunt effectum, & authenticis scripturis probentur, iuxta formam a Concilio Tridentino traditam, quæ hic non adest, vt habetur in dicta decisione Albanen.

7 Et ita tolluntur etiam confessiones, & assertiones Abbatum, & Monachorum, quod ista Ecclesia sit de iure patronatus Dominorum Castri, quia ex fundatione probatur contrarium, quia vltra quod istæ sūt simplices enunciatiuæ, absque causæ cognitione, & super his, quæ à potestate proferentium non dependent, & consequenter non præiudicant libertati Ecclesiasticæ, vt alias fuit consideratum coram D. Corduba de mense Ianuarij, 1600. in causa Romana Parochialis de Publicolis, &c.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. CARD. PAMPHILIO.

Romana Donationis de Cuppis, Mercurij 5. Iunij 1602.

ARGVMENTVM.

Donatio facta a minore sine statutarijs solennitatibus nulla, & inualida est, etiam quod iurauerit se maiorem, ac etiam quod factus maior per plures annos cauerit.

SVMMARIVM.

Minor iurans se maiorem, cum non sit, non per hoc prohibetur dare de nullitate donationis factæ sine statutarijs solennitatibus. nu. 1.
Minor a statuto prohibitus contrahere sine certa solennitate, an habeat locum, quando minor iurauit se maiorem. num. 2.
Maior eadem facilitate, & dolo inducitur ad iurandum, qua fuit inductus ad donandum. nu. 2.
Minor factus maior tacens per plures annos, non dicitur ratificasse contractum nullum a statuto reputatum propter præsumptum dolum. nu. 3.

DECISIO LIV.

1 FVit per Dominos resolutum, minorem ætatem suffragari Septimio, quamuis ex eo, qui iurauit se maiorem ratione minoris ætatis, *iure. leg. si al-*

si alterius. cum ibi not. Cod. si min. se maior. dixer. Non tamen ideo impeditur quo minus possit dare de nullitate donationis ob non seruatas requisitas solennitates in contractibus minorum *ex statuto Vrbis lib. 1. c. 151.* non obstante prætenso iuramento. *Io. And. in addit. ad Spec. in tit. de sent. §. vt autem. in addit. quæ incipit. Ad hæc, &c. Alber. in dicta l. si alterius. Castr. in cons. 53. nu. 3. lib. 2. Roman. cons. 12 nu. 5. vbi Add. Curt. iun. cons. 118. nu. 9. & cons. 119. nu. 1. & sub nu. 6. & seq. cum aliis per Modern. Petr. de restit. in integr. qui de communi testatur q. 24. art. 4. nu. 26. vers. in contrarium.*

2 Nec huiusmodi conclusioni obstat, quod hic adsit duplex iuramentum ex *Paris. cons. 97. num. 60. lib. 1. Bern. q. 43. nu. 3. cum aliis alleg.* quia illud posset procedere, quando per iuramentum promissorum tollitur defectus nullitatis, & confirmatur contractus, quo casu minori excluso à remedio nullitatis opus est beneficio restitutionis in integrum a quo cecidit ex eo quod iurauit se maiorem, secus autem in hoc casu, vbi contractus adhuc remanet nullus, ex quo iuramentum promissorum tanquam dolose extortũ ex statuto nihil operatur, & sic non impeditur minor, quo minus possit dare de nullitate, non obstante iuramento assertorio ex supra allegatis, maxime, quod statutum Vrbis videtur annullare vtrumque iuramentum, cum minor eodem dolo, & facilitate inducatur ad præstandum iuramentum, sicut ad aliud; & aliàs de facili fieret fraus statuto, vt late per *Curt. iunior. in d. cons. 118. sub nu. 9. vers. sed quod fortiores, & in cons. 119. nu. 6. & seq.*

3 Non obstat, quod Septimius est factus maior, & per plures annos tacuerit, quia cum statutum presumat dolum, cessat omnis ratificatio, quæ aliàs ex lapsu temporis induci potuisset, *iuxt. tex. in l. fin. C. si maior. fact.* quæ non habet locum, vbi adest dolus. *Roman. cons. 54. in fin. Curt. iunior. in cons. 50. n. 9. Ruin. cons. 170. sub nu.. lib. 1.* & fuit resolutum sub die 18. Iunij 1554. coram bonæ memoriæ Oradino, de qua etiam per *Caputaq. dec. 1. par. 3. in impres. &c.*

REVERENDISSIMO P. D. DAMASCENO.

Romana Nullitatis Obligationis. Mercurij 20. Iunij 1602.

ARGVMENTVM.

Obligatio, & præsertim fideiussoria est stricti iuris, & non extenditur nisi ad expressa in ea.

SVMMARIVM.

Obligationis causa cessante, cessat ipsa obligatio. nu. 1.
Obligatio est stricti iuris, & non comprehendit nisi ea, quæ verbis expressa fuerunt. nu. 1. & nu. 4. Vbi quod ad inducendam obligationem non sufficiunt verba præsuppositiua, sed requiruntur dispositiua.
Publica licitatio rerum plus offerenti deliberandarum, quã vim habeat, & de materia. nu. 2.
Subbastatio bonorum quando fit plus offerenti, & præsertim per edicta an, & quando offerens aliquod pretium censeatur se obligasse ad emendam rem, quæ subbastatur. num. 2. & 3.
Termino in subbastatione dato offerre volentibus, numquid co lapso possit dictus terminus prorogari. nu. 3.
Clausulæ exequutiuæ non ampliant principalem obligationem licet fortius promittentem obligent. nu. 5.
Obligatio relatiua non extenditur ad plus, quam continetur in relato. nu. 5.
Fideiussoris obligatio stricti iuris est, & non extenditur vltra formalitatem verborum. nu. 6.
Dispositio stricti iuris non extenditur nisi ad expressa. n. 6.
Debitor nulliter obligatus an censeatur debitum agnoscere dando pignora pro illius solutione. nu. 7.

DECISIO LV.

1 CVm aliàs in hac causa fuisset resolutum Illustrissimum & Reuerendissimum Dominum Cardinalem Cusentinum principaliter, & in solidum obligatum cum DD. Æmilia, & Paulo Æmilio de Vrsinis erga creditores quondam Valerij Vrsini non teneri ea ratione, quod promissio D. Cardinalis continebat tantum obligationem pretij. Vnde erat, quod si DD. Æmilia, & Paulus Æmilius non emerent Cardinalis tanquam deficiente causa suæ obligationis non teneretur, *l. si pupillus. la secund. vbi DD. ff. de acquirend. hæred. Anchar. in consil. 330. num. 11. late relati per Tiraq. in tract. cess. caus. par. 1. nu. 224.* Placuit Illustrissimo Præfecto, & aliis Dominis Congregationis super ære alieno Baronum transmittere infrascriptum dubium Reuer. P. D. meo Pamphilio, & mihi tanquam alias deputatis in hac causa. An obligatio DD. Æmiliæ, & Pauli Æmilij de Vrsinis facta sub die tertia Ianuarij contineat tantũmodo promissionem solutionis pretij; An vero etiam promissionem de emendo, ita vt sit recedendum a decisis. Quo dubio per nos proposito in Rota fuit vnanimiter conclusum, promissionem de emendo non contineri in dicta obligatione, & ideo non esse recedendum a decisis. Fundamentum resolutionis fuit, quia neque in dicta obligatione Æmiliæ, & Pauli Æmilij, neque in folio Congregationis in ea inserto talis promissio legitur, vnde succedit regula. *l. quidquid adstringendæ. & l. si ita stipulatus. §. Chrysogonus. ff. de verborum obligat.* quod ex quo palam verbis expressa non fuit, pro omissa habenda sit, verba enim contractus sunt forma ipsius, ita vt nil addi, vel detrahi possit. *Bald. in leg. quoties. num. quarto. Cod. de suis, & legit. D. Aldobrand. consilio 27. numer. 44.*

2 Non obstat, quod pro parte Congregationis fuerint proposita edicta cum Decreto, quod bona erant deliberanda plus offerenti, vnde sequitur, quod promissio pretij subsequuta habeat vim obligationis de emendo, perinde ac si Congregatio dixisset volo vendere, & DD. Æmilia, & Paulus Æmilius respondissent volo emere, iuxta Theoricam *Bartol. in leg. licitatio. num. quarto. ff. de publicanis. & in l. si tempora. num. 3. C. de fide instrument. & iur. hast. Fisc. lib. 10. vbi etiam Ioan. de Plat. num. 2.* quia nullibi colligitur dictam obligationem fuisse factam in vim, & executionem edictorum. Non ex verbis, quia referuntur tantum ad Decretum Congregationis sub die 12. Decembris, & secunda Ianuarij, & de edictis nihil. Non ex tempore, quia fuit facta post quindecim dies in edictis præfixos ad offerendum. Non ex forma oblationis, quia secundum edicta erat danda cedula bancaria, & tamen in hac obligatione fuit datus particularis fideiussor, non denique ex modo offerendi, quia in licitatione tenet obligatio inter vendentem, & ementem, non obstante medio interuallo inter interrogationem, & responsionem *contra l. primam. ff. de verborum oblig.* quia ignoratur emptor, vt declarat *Bartol. in l. licitatio. num. 4.* At in hoc casu non modo ignorabatur emptor, sed imò ab ipsomet venditore forma offerendi proponebatur, quod est valdè alienum a licitatione in qua toleratur stipulatio mediante interuallo temporis propter ignorantiam habentium cõtrahere inter se. Ex quibus patet non fuisse processum per viam licitationis, sed per modum cuiusdam partitularis tractatus, & concordiæ ad explorandum, An Æmilia, & Paulus Æmilius essent parati implere requisita in euentum, quod sibi fieret venditio.

3 Confirmantur prædicta alia ratione nempe quia ad

ad effectum, vt ex oblatione pretij, oriatur obligatio de emendo vnum est necessarium, quod venditor obligetur ex parte sua, *Bart. d. l. licitatio, num. 4. versic. sed si quis vellet. Angel. consilio 324. numero primo. Gabr. consilio 180. numero octauo. volumine primo.* & hoc est regulare in quolibet contractu, quod non debeat claudicare. *l. Iulianus. §. si quis à pupillo. vbi gl. & Bald. ff. de act. empt.* & quod in alijs semper seruetur æqualitas. *l. final. ff. de fruct. & lit. expens. Alexand. consilio 23. numero septimo. libro septimo.* Verum in casu de quo agitur nulla oriebatur obligatio de vendendo ex parte Congregationis; tum quia oblationes erant faciendæ intra quidecim dies, vnde post illud tempus non obligabant Congregationem ad vendendum ad not. in *l. si vnus. §. si cum reo. ff. de pact. magis in species not. Angel. consilio 199.* cum alijs ad propositum per *Crauet. consilio 216. numero 19. & sequen.* Tum multo magis, quia ex modo procedendi apparet, quod Congregatio forsan in vim suarum amplissimarum facultatum non intendebat per huiusmodi edicta obligari plus offerenti, cum non acceptauerit alias oblationes in tempore factas, & dicta edicta pendente termino pluries (vt facti contingentia requirebat) alterauit. Quibus non refragatur, quod Congregatio potuerit tempus præfixum in edictis prorogare, quia nec vllubi apparet, quod id voluerit facere, nec quatenus voluisset potuisset post lapsum terminum. *Felin. in cap. de causis. nu. 1. de offic. deleg. Bene Bald. cons. 243. nu. 1. lib. 2.* sicut, & parum facit, quod Congregatio ex mandatis sibi viuæ vocis oraculo datis, posset omittere formam Bullę super dicta Congregatione, & solennitates Iuris, vt patet ex Chirographo vltimo loco desuper expedito, quia ex hoc non potest inferri, quod fuerit celebratus contractus licitationis, ita vt promissio pretij habeat promissionem de emendo.

4 Non obstat aliud fundamentum, quod ista obligatio de soluendo pretio præsupponat emptionem faciendam, quia ex hoc non sequitur obligatio de emendo, quia ad inducendam obligationem non sufficiunt verba præsuppositiua, sed requiruntur dispositiua. *vulg. l. ex facto. ff. de hæred. instit. Felin. cap. sedes. num. 5. de rescript. Rot. decis. 23. de procurat. in antiq.* sic qui promisit dotem, quæ in necessarium antecedens præsupponit matrimonium non tenetur curare, vt sequatur Matrimonium, sed ita demum tenetur si illud sequatur. *l. promittendo. ff. de iur. dot.* & in hac facti specie benè probat doctrina *Bart. in l. fin. num. 1. ff. de duob. reis.* quem alij sequuntur, vbi dicit, quod si vnus emit, alius promisit pretium, quod non sunt correi, quæ doctrina non posset verificari si promissio pretij induceret per necesse promissionem de emendo, quia tunc sine dubio essent correi.

5 Non obstat clausula alia facere promisit pro inuiolabili obseruatione, & implemento omnium in preinserto folio contentorum, quia istæ sunt clausulæ executiuæ, quæ non ampliant principalem obligationem, licet fortius in ea obligent promittentem. *Dec. consilio 2. nu. 10. cum alijs per Paris. consil. 54. nu. 36. volum. 1.* Ex quibus sequitur, quod non sit recedendum à decisis, quia si ipsi principales non erant obligati ad emendum, multo minus D. Cardinalis qui neque ex natura contractus potest in plus teneri. *l. Græcè. §. illud. vbi Barto. ff. de Fideiuss.* neque ex forma suæ obligationis, quæ est relatiua ad obligationem ipsorummet principalium. Vnde non potest continere plus, quam terminus relatus. *Alexand. consil. 46. num. 8. volumine 1. Bald. consil. 212. nu. 1. volum. 1.* cum alijs per *Ruyn. cons. 25. num. 11. vol. 1.* stante maxime illa clausula, prout continentur, quæ magis limitat. *Bart. in extrau. ad reprimen. verb. prout. Dec. cons. 497. n. 5.*

6 Addebant Domini, quod etiam admissa conclusione quod promissio DD. Æmiliæ, & Pauli Æmilij tacitè contineret promissionem de emendo, nihilominus ad illam non extenderetur obligatio D. Cardinalis, & consequenter non esset recedendum à decisis, cum obligatio Fideiussoris tanquam stricti iuris. *l. Fideiussores. §. pro Aurelio. ff. de Fideiuss. l. quæro. vbi glos. ff. locat.* non extendatur vltra formalitatem verborum *Ioan. Andr. ad Specul. titul. de Fideiuss. §. 1. in vlt. addit. versic. item Fideiussores. Roman. consilio 207. nu. 7. Nat. consil. 202. nu. 5. Decian. consil. 72. nu. 18. vol. 2.* Et hoc est regulare in materia stricti iuris, quod dispositio non extendatur nisi ad expressa. *Butr. in cap. translato. num. 8.* vbi etiam *Imol. num. 4. Dec. numer. 3. de Constit.* nec refragatur *consil. Crauet. 272. num. 5. versic. octauo posito*, quia loquitur in obligatione, quæ per necesse inerat obligationi Fideiussoris, quæ necessitas non potest considerari in hoc casu, quia non est incongruum in iure, quod quis promittat emere, & soluere pretium, alius accedat expromissor pretij tantum, vt per *Bart. in alleg. l. fin. num. 1. de duobus re.* qua etiam ratione non est inconueniens, quod eadem obligatio respectu principalis vno iure, respectu vero fideiussoris alio censeatur propter diuersitatem rationis ex relat. per *Tiraquel. de retract. lignag. §. 1. gloss. 1. num. 23.*

7 Non obstat, quod D. Cardinalis dederit mandatum ad resignandum loca montium, quæ in effectu fuerunt resignata pro satisfaciendis creditoribus, ex quo infertur, quod D. Cardinalis eo magis agnouerit suum debitum, & quod dando quodammodo pignora tenetur vti principalis, etiamsi alia obligatio esset nulla. *l. sed si is. C. de præd. min.* Nam quantum ad primum argumentum forte procederet, si Cardinalis postquam fuit datum de nullitate venditionis nihilominus fecisset dictum mandatum, verum cum id fecerit ante, non potest ex hoc inferri, quod senserit, se obligatum in casu, quo emptio non sequeretur. Quo verò ad secundum talis datio pignorum non potest plus operari, quam quod Dom. Cardinalis sit obligatus vti principalis, quod non negatur, sed dicitur talem obligationem non operari, vt ipse teneatur non sequuta venditione, tum quia nec ipsamet obligatio DD. Æmiliæ, & P. Æmilij continet promissionem de emendo ex supra deductis. Tum quia etiam si illud tacite contineret D. Cardinalis non est principaliter, & in solidum obligatus ad tacita, sed ad expressa tantum, hoc est ad solutionem pretij.

R. P. D. LITTA.

Romana Saluiani Interdicti. Veneris 25. Iunij 1602.

ARGVMENTVM.

Census extinctio non fit nisi per actum retrosimilem, & sic per restitutionem pretij, ita vt non sufficiat sola relaxatio mandati sine actuali restitutione sortis aut partis.

SVMMARIVM.

Census. vt extinctus dicatur, quando fuit perfectus, & in esse deductus requirttur actus retrosimilis. num. 1. & num. 2. vbi propterea dixit esse necessariam pretij restitutionem.

Census non dicitur perfectus, aut in esse deductus. nisi interueniat pretij traditio. num. 2.

Census perfectus, & in esse deductus non censetur extinctus per relaxationem mandati pro restitutione sortis principalis loco damnorum, & interesse, num. 3. nisi fuerit deuentum ad actualem restitutionem ipsius sortis, seu partis. num. 4.

Census

Census venditor non potest compelli ad restituendum pretium, sed benè emptor potest cogi ad illum recipiendum. numer. 5.
Census non dicitur extinctus, quando partes expresse declarant nolle ab eo recedere. nu. 6. & seq.

DECISIO LVI.

1 FVit resolutum, censum non fuisse extinctum, quia vt extinguatur census in esse deductus, & perfectus requiritur actus retrosimilis. *l. prima. Cod. quand. liceat ab empt. disced.* & tenuit Rota in vna Romana Census Apothecarum 28. Iunij 1578. coram bonæ memoriæ Card. Lancellotto, in Romana Census 3. Iulij 1589. coram bonæ memoriæ Bubalo, in alia Romana Census 31. Maij 1596. coram R.P.D. meo Penia, qui actus retrosimilis, cum non interuenit in isto casu. Ideo, &c.

2 Et quod actus retrosimilis constitutioni non interuenit ex eo clare apparet, quod numquam fuit deuentum ad restitutionem pretij Census, cuius pretij traditio vltra cõsensum partium sicut debuit interuenire pro perfectione constitutionis census, *ad tex. in §. pretium. Institut. de emption. & vendit. in l. 2. §. 1. & in l. pacta conuenta. ff. de contrahen. empt.* & expresse cauetur Constitutione Pij Quinti, ita etiam restitutio illius fuit necessaria pro integra dissolutione dicti census, *dicta l. 1. C. quand. ab emption. &c.*

3 Nec obstare dixerunt Domini, quod fuit relaxatum mandatum etiam pro restitutione sortis principalis loco damnorum, & interesse, & quod factum iudicis factum partis reputetur. Quia fuit responsum, quod per hoc non sequitur, quod emptori census fuerit restitutum pretium, quæ tamen restitutio fuit, vt dictum est, necessaria pro dissolutione dicti Census,

4 Non obstat decisio alias facta in illa Romana Census coram Reuer. Patre Domino meo Pamphilio, quia eo in casu non tantum fuerat relaxatum mandatum pro fructibus, & restitutione sortis principalis, sed vlterius fuerat processum ad actualem restitutionem ipsius sortis, seu partis illius, ideo fuit, & iure merito pro extinctione eo in casu pronunciatū ratione indiuiduitatis ipsius census pretij eiusdem, & iuramenti, quia dum venditor census restituit emptori pretium, seu partem illius necessario antecedens, recedere voluisse videtur a censu, *ad text. in l. illud. ff. de acquirenda hæredit. in l. ad rem mobilem, vel ad legatum. ff. de procurator.*

5 Et ad illud motiuum deductum per Informantes pro Domino Septimio, quod scilicet Procurator D. Marci Lepidi in executione supradicti mandati relaxati pro fructibus, & sorte principali receperit scuta 253. fuit responsum, cessisse in causam fructuum dicti census decursorum, & non in causam sortis principalis, ad quam restituendam venditor census compelli minime potest, obstantibus Constitutionibus Martini, & Calixti, & Pij Quinti de censibus, ex quarum lectura clare constat, in potestate quidem venditoris esse se quandocunque eximere a præstatione census restituendo emptori sortem principalem vna cum fructibus decursis, & non solutis non autem esse in potestate ipsius emptoris repetere sortem ipsam, aut partem illius.

6 Et quod tollere videtur omnem difficultatem in isto casu est declaratio, quam partes ipsæ re adhuc integra fecerunt, quod illarum voluntas sit nunquā velle recedere a dicto contractu census, imò voluisse & velle illum producere in suo esse, & clarum est, Actus agentium vltra eorum intentionem, mentemque operari non debere, iuribus vulg.

7 Ad illud verò, quod census non potuerit valide constitui super Palatio subiecto fideicommisso expressè prohibito alienari, alienationis etiam latè sumpto vocabulo, &c. Fuit responsum, non esse præsentis inspectionis, ex quo dum agitur de extinctione, vel non extinctione alicuius actus, ipse præsupponi debet, Cum non entis nullæ sint qualitates, & partes vulg. iur. Ex quibus resolutum, ac decisum fuit, censum de quo agitur non fuisse extinctum, &c.

R. P. D. IVSTO.

Illerden. Visitationis. Mercurij 13. Nouembris 1602.

ARGVMENTVM.

Agitur in hac decisione de quadam concordia facta inter Episcopum, & Capitulum, & de illius interpretatione, an scilicet illius vigore Episcopus in exercendo criminalem iurisdictionem teneatur requirere solum præsentiam Capituli, an verò etiam illius consensum.

SVMMARIVM.

Episcopus Illerden. in causis criminalibus Canonicorum tenetur procedere cum consensu Capituli. numero 3. in fin. & numer. 4.
Episcopus Illerden. quando facit visitationem generalem sine solenni inquisitione ex sua ordinaria iurisdictione non tenetur requirere consensum Capituli. num. 1. 2. & num. 4.
Episcopus Illerden. quando vult procedere in forma iudicij, & facere inquisitionem solennem, vnde sequi potest coerctio, vel pæna, vel mulcta, tenetur tunc requirere consensum Capituli. nu. 3.
Episcopus Illerden. vigore concordiæ factæ cum Capitulo an possit suam iurisdictionem in criminalibus exercere cum sola præsentia Capituli, an vero etiam Capituli consensum requirere debeat. nu. 6. & seq.
Præsentia alicuius vbi requiritur, tunc sufficit ab eo, qui est præsens informationem accipere absque illius consensu. num. 7.
Dictio cum solet coniungere præcedentia cum sequentibus, & æqualiter determinare. num. 8. vbi tamen quod eadem dictio intelligitur, secundum subiectam materiam.
Clausula non aliter est præcisa, & quomodo. n. 9.

DECISIO LVII.

1 IN hoc dubio per me disputato de ordine Sanctissimi Domini Nostri. An Reuerendissimus Dominus Episcopus Illerden. teneretur in rebus agendis in visitatione suæ Ecclesiæ adhibere consilium, vel consensum Capituli, vel Canonicorum pro assistentia dictæ visitationis deputatorum, vel sufficiat nuda præsentia? Duæ difficultates excitabantur ex duobus instrumentis concordiarum, quæ sunt authoritate Apostolica confirmatæ.

2 Prima erat super primo instrumento concordiæ a Benedicto Duodecimo confirmatæ, in quo prætendebat Capitulum contineri actum visitationis faciēdæ per Episcopum, ita vt Episcopus etiam in visitatione teneretur illius concordiæ seruare formam, & tenorem; Dominis tamen in hoc casu placuit distinctio alias Rota comprobata, quod quando Episcopus intendit facere visitationem generalem sine solenni inquisitione ex sua iurisdictione ordinaria secundum dispositionem, *tex. in cap. 1. §. hanc autem, de cens. in 6. vbi Gemin. & alij, c. irrefragabili. de offic. ord. cap. decernimus. 1. quæst. prima. Soc. in tract. Visitationis, paulo post princ. num. 4. Oldrad. cons. 204. & disponitur in Concilio Tridentino sess. 6. c. 4.* & tunc iste casus non continetur in concordia.

3 Quando verò Episcopus vult procedere in forma iudicij, & facere inquisitionem solennem, vnde sequi potest coerctio, vel pena, vel mulcta, & tunc tenetur formam concordiæ obseruare, vt aliàs Rota tenuit coram Reuerendissimo Domino meo Patriarcha Alexandrino, in causa Legionen. Iurisdictionis, prima Iunij 1580. & in eadem 7. Februarij 1583. Atque hoc dicebant Domini significari ex proemio instrumenti, vt docet *text. & ibi Bart. & Bald. in leg. final. ff. de hæred. instit. Sarnen. in reg. de annali. quæstione prima.* Quia iurisdictio criminalis in Canonicos in forma iudicij exercenda narratur pro præexistenti materia litiũ, & discordiarum, quæ partium consensu mutuo interueniente in transactione fuit extincta. Et ita loquitur instrumentum pluribus in locis, vt hoc casu fint deputandi Canonici Coniudices Episcopo, quorum in iudicando non sit vnus altero maior. *l. Pomponius. l. duo ex tribus. ff. de re iudic.* & hæc est multum verisimilis intentio, vt ius commune censeatur reseruatum tam Episcopo, quo ad suam visitationem, quam Capitulo, cum quo tenetur procedere Episcopus in causis criminalibus Canonicorum, *capit. primo. §. quid vero. 80. distinctione. capit. si quid de quocumque. capit. Episcopus. 15. quæst. 7. Oldrad. consil. 195. num. 3. versic. non obstat.* Et idcirco bene respondit Episcopus instantiæ Capituli anni 1588. vt habetur in eius Summario numero primo, vbi declarabat se velle procedere ad inquisitionem generalem, & si quis eueniret casus, qui processu iudiciali indigeret, tunc deueniendum esse ad Coniudicum deputationem, & ita visitationem perfecit, & Capitulum reseruauit sibi iura sua.

4 Non obstant verba vniuersalia, & geminata concordiæ secundum *Salic. in leg. si serui. num. 9. vers. exemplum dicit statutum. ff. de noxal. Alexand. cons. 118. nu. 5. in fin. lib. 5. Dec. consil. 599. num. 3. Gozzad. cons. 14. num. 22.* Siquidem eodem modo respondebatur, ista verba comprehendere correctionem, si emineret in visitatione, quod esse potest. *capit. irrefragabili. de offic. ord. capit. cum venerabilis.* ibi, teneatur causa correctionis Ecclesiam visitare. & ibi *gloss. in verbo, bis in anno. Butr. num. 4. & 5. de cens. Paul. de visit. part. 1. q. 1. num. 2. & 12. cum sequent. & Concilium Tridentinum allegatum, sess. 6. cap. 4.* ibi, corrigi, vel emendari. Et ita docuit Rota in dec. Palentina coram eodem Reuerendiss. D. meo Alexandrino 18. Maij 1573. quæ comprobata fuit coram bone mem. Cæsare de Grassis in eadem causa, tertia Iulij eiusdem anni.

5 Atque hoc pacto euitatur inconueniens, quod sit in potestate Episcopi visitando ad libitum concordiam vanam reddere, & elusoriam; & non læditur interpretatio iuris, secundum quod de visitatione generali, non iudiciali minime censetur dispositum, nisi de ea fiat mentio specialis. *dict. cap. cum Venerabilis, vbi gloss. in versicul. causa correctionis, & Abb. num. 3. de cens.*

6 Secunda difficultas consistebat in alia concordia a Paulo III. confirmata, in qua Domini censuerunt Episcopum posse visitare, & actus huiusmodi visitationis exercere sine consensu, vel consilio Canonicorum à Capitulo deputatorum pro assistentia, & sufficere solam præsentiam interpretationem capiẽdo a iure communi ex subiecta materia, vt in prima difficultate ad *Felin. in cap. non potest. sub num. 7. de re iudic.* cum alijs deductis per Informantes. & tanto magis arguendo à prima concordia in qua deputantur Coniudices, in hac solum sunt deputandi Canonici pro assistentia, quæ non importat consilium, vel cõsensum. *l. final. vbi gl. C. de aduoc. diuer. iud. c. si quem de procurat. in 6.*

7 Neque remanet ista assistentia sine operatione; quoniam est quædam præeminentia, & Episcopus potest se ab assistentibus informare, vt communiter fit in casibus, in quibus requiritur præsentia, videatur *Aretinus in leg. si quis mihi bona. §. si coram num. 13. ff. de acquirend. hæred. cum similibus.* & sic isti Canonici fouebunt Episcopum associatione, & seruitio, *iuxta text. in capit. ad audientiam, & ibi Abb. num. 3. de cleric. non resid.* Quod quidem ostendit obseruantia, cuius actus fuerunt dati in Summario, quia in visitatione non fuerunt deputati Coniudices: sed assistentes. Quare ab his sumi debet interpretatio, & exemplum, *Aymo cons. 201. num. 12. cum seq. Put. dec. 283. lib. 1. cum allegatis.*

8 Non obstat in verbis concordiæ illa dictio, cum, iuncta verbo assistentibus, quæ solet coniungere, & æqualiter determinare, *leg. ille cum illo. ff. de vsufruct. legato. Iason. in leg. si ancilla. numer. 2. ff. de leg. 1.* quia ista coniunctio non egreditur terminos assistentiæ, iuxta officium deputatorum pro quodam comitatu. *l. 1. & 2. ff. de pecul. lega. Purpur. consil. 402. num. 75.* & & intelligitur secundum subiectam materiam, *decis. Pedemont. 81. num. 1. & 18.* alias hic sequeretur, quod Notarius æqualiter adderetur; quia dicitur cum assistentibus, & Notario.

9 Neque facit dictio, & non aliàs; Nam eodem modo respicit expressam formam quo ad assistentiam; non quo ad alia, de quibus nihil dicitur, & hoc pacto præcisa est. *Bart. in leg. de his. num. 31. vers. præterea ista lex ff. de transact. Dec. cons. 258. nu. 11. Grat. cons. 16. num. 48. lib. 1.*

10 Quinimmo omissis omnibus disputationibus habemus resolutionem Illustrissimorum Interpretum ad sacrum Concilium Tridentinum, qui censuerunt quod, si concordia inter Episcopum, & Capitulum a Sede Apostolica ex certa scientia, & cum causæ cognitione confirmata, cautum sit, vt Episcopus debeat visitare cum aliquibus assistentibus eligendis a Capitulo, talem concordiam esse quidem seruandam, vtpote decretis Concilij non abrogatam, sed Episcopum vigore eiusmodi concordiæ non teneri adhibere consilium, vel consensum Capituli, vel Canonicorum, sed tantum nudam eorum præsentiam.

11 Ex quibus visum fuit Dominis, concordias non dissentire adinuicem; sed vtramque esse seruandam, vt Episcopus visitet cum assistentibus sine eorum consensu, vel consilio eueniente tamen casu speciali, & iudiciali correctione digno, ad Capitulum spectare Coniudicum deputationem, & ita bene in secunda concordia prima expresse reseruatur. Quapropter ita decisum.

R. P. D. LITTA.

Compsana iuris patronatus. Veneris 23. Ianuarij 1603.

ARGVMENTVM.

Quasi possessio præsentandi non sufficit ad excludendum Collationem Abbatiæ vacantis in mense Sedi Apostolicæ reseruato, nisi probetur ius patronatus ex dotatione, vel fundatione, & quomodo censeatur probatum ius patronatus ex fundatione & dotatione erectum.

SVMMARIVM.

Quasi possessio præsentandi non sufficit ad excludendum collationem Abbatiæ Vacantis in mense Sedi Apostolicæ reseruato, nisi probetur ius patronatus ex dotatione, vel fundatione. nu. 1. & nu. 9.

Ius patronatus ex priuilegio concessum sub conditione alicuius implementi non suffragatur, nisi constito de imple

plemento plenè, & concludenter, & non per præsumptiones. num. 4.
Ius patronatus ex sola reparatione, siue restauratione Ecclesiæ non acquiritur, nisi Ecclesia esset funditus destructa, ita vt egeret noua consecratione. num. 5. & 6.
Ius patronatus non acquiritur ex solo dotis augumento, sed ex totali dotatione. num. 5. & 6.
Dictio ac si denotat similitudinem, sed non per omnia. n. 6.
Regula reseruatoria Mensis Sedi Apostolicæ reseruati, habet amplissimas causas, & derogat quibuscunque priuilegiis, num. 7.
Priuilegium quando dicatur concessum ex causa onerosa. num. 8.

DECISIO LVIII.

1 FVit resolutum, ex capite regulæ reseruatoriæ allegatam quasi possessionem non suffragari Comitibus Compsæ, quia dato citra veri præiudicium, quod Modernus Comes, qui nunquam præsentauit possit dici esse in quasi possessione præsentandi ratione Comitatus, quem possidet, cuius veritas pendet ab eo, an ius patronatus sit annexum Comitatui quem ipse possidet, vel potius sit iudicandum hæreditarium, de quo poterit ad partem videri, si opus fuerit: Cum tamen Abbatia, de qua agitur, vacauerit de mense Februarij Sedi Apostolicæ reseruato per regulam Cancellariæ octauam, ad talem reseruationem excludendam non sufficit quasi possessio præsentandi, nisi probetur ius patronatus esse ex dotatione, vel fundatione, cum alias ex priuilegio comprehendatur sub dicta regula, neque possessio indè procedens suffragari valeat prætenso patrono aduersus Prouisum Apostolicum *ad decis. Caputaq. 29. libro primo in manuscriptis. Paleot. decis. 519. lib. 3. part. 3.* & fuit tentum in Cesaraugustana Parochialis. 10. Iulij 1556. coram Gropperio, & in causa Valentina Parochialis de Carlet. 4. Iunij 1601. coram Domino meo Lancellotto.

2 Et quod hoc ius patronatus non sit ex dotatione vel fundatione, videtur probari ex Bullis Leonis X. & Pauli III. ex quibus illud deducitur: nam dum in eis narratur, quod ab initio Monasterium erat liberum, quod Ecclesia erat ædificata, prout, & Monasterium, quod habebat dotem, & illius fructus erant taxati in libris Cameræ in ducatis 50. & tandem dum exprimitur valor dicti beneficij in ducatis 100. ex his in quam excludi videtur dotatio, & fundatio respectu Comitum Compsæ, quibus tamen tunc ius patronatus reseruatur.

3 Nec facit, dum pro parte Moderni Comitis dicitur, authorem suum reparasse Monasterium, & Ecclesiam restaurasse, ac illam ornasse paramentis, libris, calicibus, & alijs ad cultum diuinum necessarijs, dotemque illius auxisse, exponendo in dicto augumento, & restauratione scuta mille, & idcirco dicto Comiti, & successoribus illius pro tempore tum à Leone X. tum denique à Paulo III. concessum fuit ius patronatus cum expressa declaratione, quod eis competat non ex speciali priuilegio; sed ex dotatione, & fundatione in omnibus, & per omnia, ac si illud ab initio fundassent, & dotassent.

4 Quia, vltra quod verè non constat de implemento respectu predictorum, quod à Moderno Comite vti fundamentum suæ intentionis plenè, & concludenter probandum esset, iuxta theoricam Doctorum in *l. 2. C. de iur. emphyt. Alexand. consilio 101. in fin. libro 2. Corn. consilio 40. numero 8. versic. probabit itaque, libr. 4. quem sequitur. Roland. consilio 57. numer. 9. libro primo*, & non per presumptiones, & indicia, quæ minime suffragari possunt personis in quibus probabiliter cadit suspicio vsurpationis, quales videntur isti Comites Compsæ, attenta dispositione *Concilij Tridentini. cap. 9. sess. 25.* prout in simili fuit dictum in illa Paduana iuris patronatus, vltima Maij 1591. coram Reuerendissimo Domino meo Patriarcha Alexandrino, & in Melphien. iuris patronatus, 19. Ianuarij 1594. coram Illustrissimo Domino Cardinali Mantica. Nec dici potest satis constare de implemento prædictorum ex literis Pauli III. tum quia in illis solum narratur, factum fuisse depositum scut. mille, & non quod illa postmodum intra statutum tempus fuerint exposita in causis, in quibus, attento tenore dictæ concessionis, exponi debebant. Tum etiam quia est narratiua partis, quæ ad eius fauorem non probat iuribus vulgatis.

5 Fuit responsum, quod etiam data probatione implementi respectu prædictorum omnium, non per hoc dici posset, ius patronatus Comitibus Compsæ competere ex dotatione, vel fundatione: sed potius ex priuilegio, vt in simili tenuerunt Domini in vna Placentina Parochialis de Mirabel. vltima Ianuarij 1594. coram bo. mem. Orano, recedendo in hoc à decisione alias facta in quadam Astoricen. coram Reuerendiss. D. meo Alexandrino, quæ est inter impressas 137. part. 1. & quidem optima ratione, quia ex sola reparatione, siue restauratione non acquiritur ius patronatus ex constructione, cum ad istum effectum opus sit quod Ecclesia esset funditus destructa, ita vt egeret noua consecratione. *Lambert. de iure patr. 3. articulo 6. q. principalis. 10. par. primi lib. nu. 16. Rocch. eod. tract. in verb. construxerit n. 12.* & fuit sæpe resolutum. Neque ex augumento dotis acquiritur ius patronatus, sed ex dotatione, cum potius ditari, quam dotari dicatur, nec iuridicum sit, Ecclesiam liberam ex solo augumento dotis in seruitutem redigi *gl. in c. piæ mentis. in verb. patronum 16. q. 7.* sed ad effectum prædictum esset necesse, quod Ecclesia totaliter dotem suam amisisset, & eidem noua dos esset data. *Roc. vbi supra in vers. dotauit. quæst. 3. Bero. consilio 4. nu. 26. volumine 1.* & fuit tentum in vna Lunen. Sarzanen. Beneficij 5. Iulij 1599. coram Domino meo Melino, & alias sæpe.

6 Cum igitur attenta dispositione iuris communis non possit dici, Comitibus Compsæ ex dictis eorum prætenso augumento dotis, & restauratione Ecclesiæ, seu Monasterij fuisse debitum ius patronatus ex fundatione, vel dotatione, necesse est fateri eisdem fuisse reseruatum ex priuilegio, quod subiacet dictę regulæ reseruatoriæ: & hoc idem probari videtur ex illis verbis concessionis, ibi, ac si illud ab initio fundaueritis, & dotaueritis, quæ denotant similitudinem: sed non per omnia. *l. si deferente. ff. quibus mod. pignus*, vel hypotheca solu. & fingunt factum, quod verè factum non est, *vt not. gl. in l. quamuis. ff. de bon. auct. iud. possid.*

7 Non obstat, quod literæ Pauli contineant clausulas prægnantissimas, & derogatoria, etiam quo ad futura, & quod propterea dici non possit, hoc ius patronatus subiacere dictæ regulæ *ad decis. Put. 308. libro tertio*. Quia fuit responsum, quod regula reseruatoria Sanctissimi D. N. habet clausulas derogatorias amplissimas, & derogat quibuscunque priuilegijs, & indultis, etiam cum quibuscunque derogatoriarum derogatorjs, & fortioribus, & efficatioribus clausulis etiam insolitis, & etiam irritantibus, ita vt iure merito effectus illius impediri non debeat, per clausulas in dictis literis Pauli III. appositas quibus satis, superque derogatum fuisse constat ex lectura eiusdem regulæ.

8 Nec obstat, quod ius patronatus videatur concessum ex causa onerosa, & ob id non cadat sub regula: quia fuit dictum, quod ad hunc effectum cognoscendi, scilicet an fuerit concessum ex causa onerosa, debet perpendi, quod fuerit impensum, & sic an illud æquiualeat concessioni, quia si non æquiualet,

let, conceſſio iudicari debet ex mera gratia, vt alias dictum fuit in vna Perusina de Confinio 3. Decembris 1576. coram Illustr. Domino Cardinali Blanchetto, & in Lucana Decanatus 22. Martij 1577. corã Sanctissimo D. N. in quibus explicite dicitur, vel nouã requiri dotis constitutionem, vel totalem ipsius Ecclesiæ funditus dirutæ restaurationem, quorum neutrum verificatur hoc in casu.

9 Et ad illud, quod, dum discutitur super qualitate huius iuris patronatus, debet patronus manuteneri in sua quasi possessione præsentandi. Fuit responsum dictam quasi possessionem hoc in casu ei minime suffragari posse, propter decretum irritans, de quo in dicta regula reseruatoria *ad tex. in cap. si eo tempore. de elect. in 6. & not. per Prob. ad Monac. in cap. hi qui. num. 18. de præben. in 6.*

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. CARD. PAMPHILIO.

Fauentina Successionis. Die 24. Ianuarij 1603.

ARGVMENTVM.

Statutum excludens à successione filij morientis ab intestato matrem propter agnatos non habet locum, quando proximior agnatus est Claustralis, quia tunc non obstante statuto succedit mater, & alios remotiores agnatos excludit.

SVMMARIVM.

Filij morientis ab intestato hæreditas de iure communi spectat ad matrem exclusis patruo, & alijs agnatis. nu. 1.

Statutum excludens matrem propter agnatos intelligitur dummodo agnati succedant, & cessat eius dispositio, si agnati ab alijs excludantur, aut alias non succedant numer. 2.

Regula si vnico vincentem te, multo magis vincam te, quomodo procedat. nu. 2. in fine.

Statutum excludens matrem propter agnatos, si agnatus proximior est impeditus succedere ex aliqua causa, mater non excluditur, sed præfertur alijs agnatis remotioribus. nu. 1. & seqq. Declara, vt nu. 4.

DECISIO LIX.

1 FVit per Dominos resolutum hæreditatem Marci Antonij deberi Bartholomeæ eius matri. Quamuis enim ex statuto Fauentiæ sub Rubrica de successionibus ascendentium, mater excludatur ab agnatis infra quartum gradum: Adest tamen in hoc casu patruus Claustralis, qui non gaudet beneficio statuti, & reducit successionem ad terminos iuris communis, secundum quod successio filij ab intestato defuncti ex Senatusconsulto Trebelliano spectat ad matrem, quæ præfertur patruo, & alijs agnatis *l. 2. ff. ad Trebell. Authen. defuncto. C. eodem tit. §. sed cum antea. Instit. eodem. Signor. cons. 6. num. 2. Dec. cons. 71. num. 1. in principio.*

2 Statutum enim huiusmodi intelligitur, dummodo agnati succedant, & cessat eius dispositio, si ab alijs excludantur, aut alias non succedant. *Corn. cons. 61. num. 3. lib. 4. Dec. cons. 378. num. 2. cum seq.* & iste est casus, de quo agitur, quia existentia patrui claustralis, cui ex statuto, qualiter descendentes ab intestato succedant præseruetur successio secundum iuris dispositionem, denegato eis tantum beneficio alterius statuti, excludit alios agnatos remotiores, qui beneficio statuti matrem excludebant, & facit cessare statutum remouendo impedimentum, quod obstabat matri, quæ patrui beneficio admittitur ad successionem filij, non considerata amplius persona agnatorum, qui vigore statuti illam excludebant, *leg. 2. §. si sit agnatus. & §. si sit consanguinea. ff. ad Tertull. Bartol. communiter receptus in leg. 1. §. qui habebat. num. quarto, ff. de bonor. possess. contra tabul. Angel. consilio 210. num. 3. circa fin. versicul. Tertio est videndum. Alexandr. in leg. illam. numer. 7. Cod. de collat. Cornel. dicto consil. 61. numer. 3. Brun. de statut. quod stantibus masc. articul. 6 numer. 119. Hieron. Gabriel. consil. 15. numer. 15. lib. primo, Surd. consil. 416. numer. 15. lib. 3.* & tenuit Rota in causa Bononien. de Beroaldis, coram Litta, & in alia Bononien. de Albergatis coram Corduba 10. Martij 1597. vbi fuit dictum, quod Regula, si vinco vincentem te, &cæt. procedit, vbi victus vincitur ex eodem iure, non autem ex diuerso, prout hic *Bartol. dicto §. qui habebat, & in leg. 2. §. fin. ff. ad Tertull. Angel. consil. 252. cum alijs allegatis, in præfatis causis.*

3 Nec refert, quod Patruus Claustralis, qui est in medio, & est omissus à statuto non succedat, & sic non prosit matri ad exclusionem agnatorum, iuxta *consil. Grat. 38. num. 19. lib. 1. Dec. cons. 296. num. 5. vers. non obstat,* cum alijs allegatis, quia in contrarium vrget *text. in dicta leg. 2. §. si sit agnatus. ff. ad Tertull.* vbi agnatus per quem excluditur pater in aliena familia adoptatus prodest matri, quæ eo non extante excludebatur à patre, & sola succedit excluso agnato, vt per hunc tex. ita tenent *Alexandr. dicta leg. illam. sub num. 7. vers. sed istud vltimum. Castr. consil. 450. num. 2. lib. 1. Aret. consil. 27. nu. 1. versic. Secundo pro ista parte. & in consil. 158. num. 3. Socin. consil. 28. num. 16. cum seq. lib. 4. Curt. iun. consil. 49. num. 9. lib. 1. Hier. Gabr. dicto consil. 15. numer. 15. Late Honded. consil. 2. numer. 31. cum sequent. libr. 2. præsertim fauore matris Aretin. consil. 158. numer. 4. Socin. cons. 202. colum. 4. lib. 2. Gabr. dicto cons. 15. Anton. Gabr. conclus. 4. de successiom. ab intest. num. 31.*

4 Vltra quod contraria opinio potest locum haberet si Patruus Claustralis non succederet, ex eo, quod de iure communi, vel statuti esset incapax successionis, quo casu habetur pro mortuo, & agnatos non excluderet, secus autem in hoc casu, vbi est capax successionis ex iure communi, prout ex eorum priuilegio sunt fratres Prædicatores, & statutum illum non excludit, imò ei præseruat successionem secundum iuris communis dispositionem, & solum ei denegat beneficium suum, vt tanquam agnatus matrem non excludat, & ita non est verum, quod statutum excludat à successione Claustralem, sed tanquam vocatus à iure communi, quod fuit sibi expresse reseruatum, excludat agnatos remotiores, quamuis ipse vti posterior in gradu à matre excludatur. Et ita fuit conclusum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. DAMASCENO.

Romana Census 27. Ianuarij 1603.

ARGVMENTVM.

Censu extincto fructus non debentur, non dicitur autem Census extinctus nisi per realem restitutionem pecuniarum.

SVMMARIVM.

Instrumentum facit probationem probatam, & habet executionem paratam. nu. 1.

Censu extincto fructus non debentur. nu. 2.

Census non dicitur extinctus nisi sequatur realis restitutio pecuniarum. nu. 3.

Ex-

Extensio non est facienda in materia stricta & alteri præiudiciali. num.3.
Census non dicitur extinctus per mutationem Dominorum, sed transit cum onere suo ad quoscunque posteriores. numero 4.

DECISIO LX.

1 FVit conclusum pro exequutione mandati Auditoris Cameræ, tanquam legitime relaxati in vim obligationis Cameralis, de qua constat per publicum instrumentum, quod facit probationem probatam. *Bald. in l. Imperator. num.3. ff. de stat. homin. Gram. decis. 45. num. 9.* & habet exequutionem paratam, vt late per *Galles. de for. oblig. Cam. 4. par. quæst. 1.*

2 Non obstat, quod Census, de cuius fructibus agitur, fuerit extinctus. Vnde nec principalis, nec fideiussor amplius teneantur, tanquam cessante causa eorum obligationis, ex deductis in causa Romana Nullitatis obligationis 20. Iunij 1602. coram R. P. D. Pamphilio, & meo. Quia negatur huiusmodi extinctio, & quatenus illa deducitur ex eo, quod actor vna cum aliis creditoribus ex Saluiano interdicto in steterit pro immissione in possessione bonorum censuatorum, & fuit per sententiam Iudicis, tam pro sorte, quam fructibus graduatus, & realiter immissus, & quod iidem creditores in vim specialis Commissionis Sanctissimi obtinuerunt, eadem bona subhastari ad effectum sibi satisfaciendi tam pro sorte, quam pro fructibus, & quod tandem Sanctissimus particulari Chirographo mandauerit dicta bona deliberari hominibus Magnani pro summa per eos oblata, factoque per illos actuali deposito eosdem immitti in possessionem bonorum absque alia alicuius citatione, prout in effectu fuit obseruatum, & modo dicti homines reperiantur in possessione dictorum bonorum.

3 Respondetur quod etiamsi res ita se haberet, vt narratur, nihilominus non resultaret extinctio census. Nam aut hoc deducitur ex eis, quæ gesta sunt antequam Sanctissimus mandauerit bona deliberari hominibus Magnani, & cum vsque ad illud tempus non fuisset satisfactum D. Actori de sua sorte non cessauit census, quia ad hunc effectum requiritur naturalis restitutio. *Veral. decis. 103. p. 1.* & fuit dictum in causa Romana Saluiani interdicti 23. Iunij. Anni 1600. coram R.P.D. Litta, Aut extinctio præsupponitur ex subsequutis ad fauorem hominum Magnani in vim Chirographi manu Sanctissimi signati, & hoc non legitur in dicto Chirographo, & cum materia sit stricta, & alteri præiudicialis, non est aliquid addendum *c. super eo. cum concord. & ibi per gl. in verbo intentionis de offic. deleg.*

4 Non obstat, quod Sanctissimus mandauit homines Magnani facto deposito immitti in possessionem absque aliqua alicuius citatione, quia ex hoc non sequitur, quod Sanctissimus noluerit cessare census absque eo, quod depositum consignaretur quibus de iure, vel seruatis seruandis constituerentur in mora recipiendi, & illa remotio solennitatis citationis satis operatur suum effectum in sustinenda deliberatione, & immissione, non citatis, de iure citandis, aut deniq; prætenditur extinctio census ex eo, quod bona censuata mutauerint Dominum, & iste non est modus, quo extinguitur census, sed bona transeunt ad quoscumque cum onere suo, & fuit dictum coram me in alia Romana census 14. Ianuarij 1602.

REVERENDISS. P. D. COCCINO. DECANO.

Hispalen. Distributionum Veneris 2. Maij. 1603.

ARGVMENTVM.

Non residenti in suo Archidiaconatu, & Canonicatu distributiones non debentur, & quid si à Capitulo idem habuerit licentiam lucrandi distributiones absque eo quod resideret.

SVMMARIVM.

Sententias de partibus, constito de earum bono iure, Rota exequi solet. num. 1.
Clerico non residenti distributiones non debentur. nu. 2.
Canonicus non residendo non lucratur distributiones etiam de licentia Capituli, quia Capitulum hanc concedendæ licentiæ potestatem non habet. nu. 3. & 4.
Canonicus qui propter non residentiam Canonici aliquid lucratus est, de distributionibus quotidianis, quas Canonicus non residens amisit potest hoc lucrum non residenti Canonico remittere. num. 4.
Beneplacitum Apostolicum vbi reseruatur in aliqua concessione, eo non obtento, deficit concessio. nu. 5.
Canonico, & Clerico non residenti propter infirmitatem debentur distributiones. num. 7.

DECISIO LXI.

1 DVbitaui iuxta rescriptum signaturę, an esset procedendum ad exequutionem trium sententiarum de partibus in ea parte, in qua sunt conformes, scilicet quod. bon. mem. Episcopo Squillacensi non essent debitæ distributiones, quas percepit non residendo, exceptis tamen illis, quas, etiam non residendo fuisset lucratus. In hoc enim sententiæ sunt conformes, & Domini affirmatiuè resoluerunt, quia constito de bono iure, Rota solet exequi sententias de partibus, *Put. decis. 401. lib. 1. Mohed. decis. 3. de testib. & decis. 15. de re iudic.* & fuit pluriers resolutum.

2 De Iustitia autem istarum sententiarum satis constabat, quia Episcopus Squillacensis non resedit in suo Archidiaconatu, & Canonicatu, & ideo distributiones ei non erant debitæ, *c. 1. de Cleric. non resident. in 6. Paris. cons. 33. lib. 4. Cassad. dec. 1. de Cler. non resident.*

3 Non obstat licentia obtenta per Episcopum à Capitulo de Lucrando distributiones per triennium, de quo agitur, absque eo, quod resideret, quia huiusmodi licentia tam ex defectu potestatis, quam voluntatis Episcopo nihil suffragatur. Potestatis quidem, quia Capitulum non potuit illi concedere, quod absens lucraretur distributiones, *Archidiac. in c. 1. in fin. vers. dic quod forte contrarium, de Cleric. non resident. in 6.* Et videtur de mente *Sacrosancti Concilij Trident. sess. 24. c. 12.* ibi distributiones vero, qui statutis horis interfuerint recipiant, reliqui quauis collusione, aut remissione exclusa, his careant, & declarauit expresse Sacra Congregatio Illustriss. Interpretũ eiusdem Sacri Concilij Tridentini, quod Capitulum non possit concedere absenti, quod lucretur distributiones, *Nauar. de Orat. & hor. can. c. 22. Miscel. 14. n. 48.*

4 Non obstat *glos. in c. 1. in vers. suas de Cleric. non resident. in 6.* quæ videtur dicere contrarium, quia non inquit posse conueniri quod distributiones in absentia remittantur, sed solum, quod is, cui iam ipso iure accreuerunt posset eas remittere, id est consentire, ne is qui eas iam perdidit, teneatur restituere quod est longe diuersum à pactione, qua quis distributiones in absentia non perdat, & hanc *gl. ita intelligit Nauar. dicto loco de orat. & hor. canon. c. 22. Miscel. 14. num. 49.* & hoc etiam sentit *Franc. in dicto cap. vnico. §. qui vero num. 4. versic. tu dic. de cler. non resident. in 6.* Et ita intelligendus *Gemin. in dicto §. qui vero. num. 10. versic. possent concordari,* & ita debet intelligi *Card. in Clement. 2. numer. 8. versic. Decimo tertio quæro.*

quæro, *de vit. & honest.cleric.* Et merito quidem, quia dolus præteritus remitti potest, *Bald. in leg.iuris gentium, §. sed si paciscar. num.3. ff. de pact. Ias. in l. si vnus, §. illud nulla, in princ. eodem tit.* Dolus verò de futuro remitti non potest, quia sic inuitaretur quis ad delinquendum, *Ias. in dicto §. illud, num. 1. Ruin. consil. 129. num. 20. libr. 5.* & hac ratione mouetur *Nauar. dicto loco num. 49.*

5 Ex defectu voluntatis pariter Domini dixerunt Episcopum non potuisse lucrari distributiones, quia licentia fuerat concessa per triennium incipiendo à die habiti beneplaciti Apostolici, quod non constat vnquam fuisse obtentum, ideo voluntas Capituli deficit, *Paris. cons. 31. num. 17. lib. 4. Put. decis. 2. de transact. Acoramb. decis. 8. in fin. libr. 1.* Et huiusmodi licentia habetur pro non data, *leg. pecuniam quam, ff. cert. pet. leg. necessarium, §. quod si pendente. ff. de peric. & commod. rei vend. Socin. iun. cons. 4. nu. 16. lib. 2.*

6 Nec obstat, quod aliæ duæ licentiæ fuerint datæ à Capitulo, absque huiusmodi reseruatione beneplaciti Apostolici, quia quatenus in istis non intelligeretur repetita illa qualitas scilicet, beneplacitum Apostolicum tamen adhuc non remaneret defectus potestatis, vt superius dictum fuit.

7 Nec releuat, quod certo anni tempore Canonici soleant ad inuicem remittere sibi distributiones male perceptas, quia hoc intelligebant Domini de distributionibus male perceptis ab inseruientibus ob non præstitum debitum seruitium eo modo, quo præstare tenebantur. Quia tamen Capitulum concessit Episcopo, Archidiacono huiusmodi distributiones ob eius in distributiones, & infirmitates, ac seruitium multorum annorum, quod in Ecclesia præstiterat. Et clari Iuris est, quod Canonico infirmo, & solito inseruire debentur distributiones, etiã si quis non resederit, *d. c. 1. de clericis non resident. in 6. Natt. dict. consil. 41. num. 1. volum. 1. Nauar. dict. consil. 2. num. 3. de cleric. non resident. art. 1.* Idcirco reseruarunt Domini videri an ex ista assertione Capituli constet de infirmitate Episcopi Archidiaconi, & quod esset solitus residere, ita vt debeantur distributiones ex isto capite, & ita fuit resolutum vna tantum parte informante.

R. P. D. IVSTO.

Illerden. Visitationis. Veneris 13. Iunij 1603.

ARGVMENTVM.

Consuetudo etiam immemorabilis derogare non potest iurisdictioni, & potestati, quam habent Episcopi in concernentibus Visitationem.

SVMMARIVM.

Articuli contradicentes Concilio Tridentino admittendi non sunt, nu. 1. & 2.

Episcopus absque consensu Capituli habet omnimodam potestatem in concernentibus visitationem vigore Concilij Tridentini, nu. 2.

Episcoporum auctoritas debet esse præcipua omnium rerum agendarum, non obstantibus consuetudinibus etiam immemorabilibus, nu. 5.

DECISIO. LXII.

1 Domini in primis iterum firmarunt regulam illos articulos esse resecandos, qui contradicunt concordiæ habenti clausulam sublata, & decretum irritans, & dispositionis Concilij Tridentini; vt in hac causa fuit dictum 17. Martij præteriti.

2 Deinde deueniendo ad articulos secundũ eorum ordinem dixerunt secundum articulum esse resecandum, in quo Capitulum probare intendit, quod ab immemorabili tempore fuit inuiolabiliter obseruatum, vt si quando Episcopi Ilerden. pro tempore existentes voluerunt facere edicta generalia, seu particularia, quę solent præire visitationem, facta fuerunt & promulgata de ordine, vel consensu Capituli, non alias aliter, neque alio modo. Quoniam hic articulus non solum contradicit *Concilio Tridentino, capit. 4. sess. 6. c. 6. sess. 25.* vbi datur omnimodam potestas Episcopis in concernentib. visitationem, & declarationi Congregationis eiusdem Concilij, quę determinauit hæc ad Capitulum pertinere non posse, nisi de ipsis edictis visitationis in concordia nominatim caueatur, sed est contra concordiam initam inter Capitulum, & Episcopum à Paulo Tertio confirmatam cum clausula sublata, & decreto irritanti, iuxta cuius continentiam Episcopus solus potest visitare cũ sola assistentia Canonicorum; vt fuit decisum coram me in hac causa 13. Nouembris anni præteriti. Igitur super istis audiri non potest Capitulum ex decisione etiam in hac eadem causa facta sequendo decisiones antiquas nisi saltem præuia aperitione oris. *Put. dec. 50. lib. 1. Caputaque dec. 134. lib. 3.*

3 Neque facit quod in ipsa concordia fiat mentio de edictis, & disponatur non esse publicanda in Ecclesia, nisi illa, quæ ex ordinatione Capituli, vel consilio, seu consensu facta forent, quia in hac parte concordia est intelligenda in casibus extra visitationem, qui sint iudicialiter expediendi, non autem in visitatione generali sine solenni inquisitione, secundum distinctionem, quam tenet Rota, & tentum fuit in hac causa dicta die 13. Nouembris.

4 Neque obstare dixerunt, quod Capitulo licet habere interpretationem ab obseruantia eorumdẽ verborum concordię, in quibus habetur generalis mentio edictorum, vt intelligantur etiam de edictis, quæ solent præire visitationem, quod quidem non cõtradicit Concilio: Siquidem ista obseruantia prætensa non potuit habere originem à concordia si est immemorabilis, quia concordia fuit tempore Pauli Tertij, & consequenter non potest deseruire ad interpretationem concordię, ne dicamus prius fuisse interpretationem concordię; quam concordiam. Immo, si non admittitur consensus Capituli in Visitatione, neque est admittendus ad præambulum visitationis, *l. oratio. ff. de sponsal.*

5 Idem dixerunt Domini de tertio, & quarto articulo concernentibus edicta pro Visitationibus aliarum Ecclesiarum extra Cathedralem eisdem rationibus; & vnus ex Dominis dicebat quartum articulum esse scandalosum, & tribuere materiam delinquendi: Idem de quinto vbi probare intendit Capitulũ, quod circa statutum, & interesse Ecclesiæ Episcopus non soleat, neque debeat facere nouas ordinationes: neque veteres tollere, seu corrigere, vel emendare: neque se intromittere; quia omnia pertinent ad Capitulum priuatiuę ad Episcopum; Visum enim in primis fuit absurdũ vele facere Episcopum in sua Ecclesia non Episcopum; deinde contra dispositionem iuris, quo Episcopus habet ordinariam iurisdictionem in omnibus, & *Concilij Trident. quo sess. 25. c. 6. de reform.* cauetur, quod præcipua rerum omnium agendarum Episcoporum debet esse authoritas, & prima sedes, & derogatur priuilegijs, & consuetudinibus etiam immemorabilibus.

6 Primum verò, sextum septimum, & octauum, Domini voluerunt admitti; quia nihil continere videntur, quod sit contrarium concordiæ, & dispositioni Concilij Tridentini, & ita firmatum.

RE-

REVERENDISSIMO P. D.

DAMASCENO.

Romana partis Domus Veneris 13. Iunij 1603.

ARGVMENTVM.

Possessio instrumentalis non suffragatur alio existente in possessione, nec inquilinus potest interuertere possessionem sui locatoris nec etiam per constitutum transfertur possessio, quando constituens non possidebat.

SVMMARIVM.

Mandatum de manutenendo non datur non constito de possessione actoris tempore motu litis, num.1.
Possessio instrumentalis non suffragatur alio existente in possessione, num.1.
Inquilinus, & conductor non potest interuertere possessionem sui locatoris, nu.2.
Inquilinus seu conductor interuertens possessionem sui locatoris potest a locatione expelli, nu.2.
Tertij possessio an possit ab altero allegari ad excludendum immissionem actoris, nu.3.
Contractus expectans declarationem peritorum, illa non sequuta remanet sine effectu, nu.4.
Constituti clausula non suffragatur quando possessio non erat penes constituentem, nu.5.

DECISIO LXIII.

1 FVit firmatum mandatum de manutenendo non posse dari Domino Francisco, quia non constat de eius possessione tempore litis motæ prout in primis requiritur. §. *retinendæ. Instit. de interd. cum concordant.* & licet ex publico instrumento appareat, ipsum apprehendisse possessionem partis domus de qua agitur, tamen ex eo, quod alius nempe Gregorius Iacobillus tunc temporis erat in possessione talis apprehensionis non est considerabilis. *Veral. decis. 233. par. 2.* & fuit dictum in causa Senen. Pontis, coram Reuerendissimo Alexandrino, & alias sæpe.

2 Minus suffragatur D. Francisco recognitio Federici inquilini, quia inquilinus non potuit interuertere possessionem sui locatoris *l. fin. C. de acquir. poss. Put. decis. 2. de caus. possess. & prop. cum alijs latè per Gabr. de locat. conclus. 4. num. 5.* Immò ille inquilinus in hoc casu erat firmiter expellendus, *iuxta notat. per Bart. & alios in leg. quamuis, §. si conductor ff. de acquiren. possess. Afflict. decis. 325. num. 1. Put. decision. 15. de caus. possess. & propr.*

3 Non obstat, quod hæredes Angeli non possint dare de possessione *Gregorij Alciat. reg. 2. præsumpt. 21. nu. 9.* quia contrarium est verius, vt in istis terminis firmat *Bart. in l. 1. §. quod ait Prætor. nu. 19. ff. vti possid. & Alciat. non dicit*, quod non possit allegari possessio tertij, sed quod illa non potest probari per præsumptionem, *l. siue possidetis, C. de probat.*

4 Minus facit, quod pars domus de qua agitur, fuerit per Ioannem Baptistam Curatorem hæreditatis iacentis Iulij, assignata in solutum D. Francisco, cum clausula constituti. Primo quia non constat de legitima deputatione dicti Curatoris. Secundo dicta assignatio in solutum iuxta formam instrumenti desuper celebrati expectabat post se declarationem Peritorum, qua non sequuta assignatio remansit sine effectu *l. fin. C. de contrahen. emption.* & consequenter, & clausula Constituti, tanquam accessoria *Tiraq. de constit. limit. 7. nu. 16. cum ibi latè cumul.*

5 Tertio assignatio respicit petitorium, & clausula constituti non potest suffragari Domino Francisco, quia possessio non erat apud constituentem, sed apud Gregorium. *Tiraquel. de constit. limit. 1. nu. 1. & 2.* quarto non poterat Curator hæreditatis iacentis extraiudicialiter vendere bona hæreditatis. D. Francisco. *Bart. in l. si quis instituatur, §. & ideo, nu. 1. vers. dictum est, supra. ff. de hæred. instit.*

An autem manutentio sit dandam hæredibus Angeli, Alias videbitur.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

D. CARD. BONONIEN.

Bononien. Apothecarum, Lunæ 24. Nouembris 1603.

DECISIO LXIV.

Est impressa inter Ludouisio.

DECISIO CXXXV.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

D. CARD. PAMPHILIO.

Vallis Obtana Præeminentiarum. Lunæ 24. Nouembris 1603.

ARGVMENTVM.

De modo, & forma eligendi Monachorum Abbates generales, & particulares.

SVMMARIVM.

Abbatis generalis electio actiua, & passiua libere spectat ad totam Congregationem Monachorum Sancti Benedicti, num. 4. & 5.
Regulæ de iure quæsito non tollendo derogandum, est quando derogatur dispositioni iuris communis, nu. 4.
Congregatio Monachorum significat singularem cuiusque Monasterij Conuentum. Declara vt nu. 5.
Abbatis particularis cuiusque Monasterij electio actiuè, & passiuè pertinet ad Monachos, seu Congregationem illius Monasterij, de cuius Prælati electione agitur, nu. 5.
Abbatis electio debet esse libera, & ab omni coactione, & restrictione aliena, nu. 6. vbi etiam, quod non dicitur libera electio illa, quæ est restricta ad certam personam.
Maior libertas requiritur in electione passiua, quam in actiua, nu. 7.
Eligi, & institui de iure quisque potest in Abbatem, dummodo sit idoneus, nu. 7.
Statuta excludentia à beneficijs certum genus personarum dicuntur contra ius, nu. 7.
Eligi semper debet ille in Abbatem, qui cæteris est melior, ac morum, & vitæ sanctitate præstantior. num. 8. vbi tamen quod valet electio minus digni, si electus dignus sit omisso digniore.
Abbas cuiuscunque Monasterij à suo Conuentu eligendus, est, num. 9.
Constitutio siue directè, siue indirectè præiudicet, præiudicialis reputatur, nu. 10.
Consuetudo eligendi Abbates Monasteriorum aliter, quam ius commune disponat, seruanda est, num. 11. Declara, vt nu. 12. & seq.
Consuetudo non probatur per actus turbidos, & contrauersos, num. 13. & seq.
Consuetudo non inducitur ex actibus vario modo obseruatis, nu. 16.

DE-

DECISIO LXV.

1 SAnctissimus Dominus noster, ad tollendum dissensiones, quæ circa modum eligendi Generalem & alios Abbates Congregationis Ordinis Sancti Benedicti Hispaniarum pluries etiam auctoritate Apostolica immutatum, sæpè oriebantur sua Constitutione ad supplicationem Regis Hispaniarum Conuentus Sancti Benedicti Vallisoleti, & totius Congregationis certum modum, & formam electionum præfiniuit, ac obseruari mandauit. Quod scilicet de cetero in Capitulo tunc de anno 1592. celebrando, & deinceps, perpetuis futuris temporibus Congregatio libere, & absque suffragijs Monachorum Conuentus Vallisoleti, capitularibus tamen exceptis in Abbatem dicti Conuentus, & Generalem totius Congregationis eligeret vnum Monachum ex gremio ipsius Congregationis ad triennium, quo finito simili modo ad aliud triennale tempus immediate sequens eadem Congregatio libere, & absque suffragijs prædictis teneatur in Abbatem, & Generalem præcisè eligere vnum Monachum in Monasterio Sancti Benedicti professum; Et quod iste ordo alternatis triennijs omni tempore seruetur vno videlicet ex gremio Congregationis, & altero ex professis in dicto Monasterio qui ceteris præstantes, & digniores iudicati fuerint eligantur.

2 Et insuper quod vnus in dicto Monasterio professus ex ijs, qui in eodem Monasterio, quando ibi Capitulum celebratur, degerint, vel ipsi Capitulo interfuerint in diffinitorem ex octo qui eliguntur, semper eligatur, & quod Abbas Generalis, & Diffinitores nouiter in vnoquoque Capitulo electi tantummodo eligant Abbates reliquorum Monasteriorum licet hactenus per suos quosque Conuentus eligi, & assumi consueuerint.

3 Cumque Congregatio prætenderit Constitutionem huiusmodi tendere in maximum sui præiudicium neque vnquam pro illa obtinenda Sanctissimo supplicasse, vel consensum præbuisse ad eundem Sanctissimum habuit recursum, & obtinuit committi Illustrissimis Dominis meis Burghesio, & Arrigonio causam subreptionis dictæ Constitutionis, & mihi ab eisdem de mandata discussione huius causæ sub die 2. Iunij proximè præteriti dubitaui an constaret de consensu Congregationis quo die nulla capta fuit resolutio, sed Domini pro faciliori dicti dubij resolutione ordinarunt, quod videretur an Constitutio Sanctissimi sit præiudicialis Congregationi, quo per me proposito die 24. Nouembris 1603. Domini præiudicialem esse censuerunt.

4 Eo enim ipso quod Constitutio arctat Congregationem in alternato triennio ad eligendum in Abbatem Generalem vnum Monachum professum Monasterio Vallisoleti ei aufert ius, quod sibi de iure communi competit, vt electio Generalis actiua, & passiua libere spectet ad totam Congregationem, *c. fin. 16. qu. 7. c. Abbatem, il 1. & il 2. 18. q. 2. c. cum dilectus de consuet.* §. *iubemus. Authent. de Sanctiss. Episcopis & trad. Doctor. in d. c. cum dilectus, & præcipuè Butr. in 1. lect. num. 7. & in 2. lectura num. 38. & num. 45. & Card. num. 9. qu. 1. glos. 1. in cap. 2. vbi Archid. & Turrecrem. num. 1. dist. 66.* quod etiam statutum est ex regula *Sancti Benedicti. cap. 64.* ex qua est desumptus textus, *in c. in ordinatione 61. distinct.* Et consequenter cum Constitutio auferat Congregationis ius competens, de iure communi ei vtique est præiudicialis *Butr. in c. cum terra. num. 6. de elect. & facit decis. Put. 41. libr. 1. & Sarn. de iure quæsit. q. 9.* dum volunt quod in competentibus de iure communi sit necessaria derogatio regulæ de iure quæsito non tollendo.

5 Neque obstat, quod regula *Sancti Benedicti in cap. 64.* non loquatur de Abbate Generali, sed de Abbatibus singulorum Monasteriorum, & quod nomen Congregatio ibi significet singularem cuiusque Monasterij Conuentum, prout etiam accipitur in *d. cap. Abbatem, il 1. & 2. 18. q. 2.* & sæpè alibi in corpore iuris quia sicut electio Abbatis particularis cuiusque Monasterij actiuè, & passiuè pertinet ad Monachos, seu Congregationem illius Monasterij, de cuius Prelati electione agitur, vt de actiua est *text. in cap. 1. de elect. & de passiua in c. cum dilectus. de consuet.* & de vtraque not. *Butr. ibidem num. 7. in 1. lectura, & num. 38. in 2. lectura.* Ita ex eadem ratione electio Abbatis Generalis qui toti Congregationi præficitur, debet ad totam Congregationem actiue, & passiue pertinere quod enim omnes tangit, debet ab omnibus approbari. *l. vltim. C. de auct. præst. glos. in c. 2. in verb. ab omnibus 66. distinct.*

6 Nec prædictis obstat, quod licet Congregatio priuetur voce passiua in vno triennio ad eandem tamen semper spectet actiua qua priuatur Monastriũ Vallisoletanum, quia Congregatio habet plura Monasteria, quibus in vno triennio tantum datur, quantum in altero triennio datur vni Monasterio Vallisoletano, & cùm in electione requiratur summa libertas, & ab ea debeat longè abesse omnis coactio, & restrictio *d. c. cum dilectus, in fin. ibi liberam habeant, & c. si facultas eligendi restringitur*, ita vt certum genus personarum, immo vna persona eligi non possit, non dicitur libera electio. *l. nec solum l. immo. ff. de opt. leg. Bald. in tract. de schism. quem posuit post tit. C. de edict. Diui Hadr. toll. num. 12. vers. est & tertium, & in l. fi. §. sed, & si quis. nu. 26. C. communia delegat.*

7 Præsertim quod maior libertas requiritur in electione passiua, quam in actiua, vt per *Butr. d. c. cum dilectus. num. 26. in 1. lectura, & num. 25. & num. 45. in 2. lectura, & ibi. Imol. sub num. 1. de consuet. Idem Butr. in c. cum inter. il 3. nu. 11. de elect.* & facit quod de iure quilibet potest eligi, & institui dummodo sit idoneus. *c. ad decorem. de instit.* & propterea statuta excludentia à beneficijs certum genus personarum dicuntur contra ius. *Butr. in d. c. cum dilectus, n. 38. cum duob. seq. in 2. lectura,* & sæpissimè fuit in Rota resolutum.

8 Præmissis accedit, quod restringendo electionem passiuam in alternato triennio ad solum Monasteriũ Vallisoletanum sequeretur, quod minus idonei præferentur idoneioribus contra iuris dispositionem, quæ vult, quod in omni electione præferatur ille, qui ceteris est melior, ac morum, & vitæ sanctitate præstantior *c. licet ergo. 8. q. 1. cum concord. per gl. in c. 2. in verb. sanctiones de offic. custod. & Lambert. de iure patr. lib. 2. part. 1. qu. 10. art. 3. nu. 5. & 6.* Et non est dubium quin idoneiores facilius eligi possint ex tota Congregatione, quam ex vno Monasterio. Et quamvis pro validitate electionis satis sit, si dignus eligatur, & electio de digno omisso digniori sustineatur, vt post alios per *Cou. in regula peccatum. p. 2. & 7. n. 3. vers. nec enim de reg. iur. in 6.* id tamen procedit, postquam facta est electio, quæ ex omissione dignioris non retractatur, vt litium occasiones amputentur sed ante electionem omnia iura clamant, quod meliores, & sanctiores eligantur, & ideo peccant qui omisso digniori eligunt dignum, vt notant omnes in c. constitutos. de appel. cum alleg. in causa Toletana Canonicatus. 18. Maij 1584. coram Sanctissimo.

9 Pretera ex eadem Constitutione aliud infertur præiudicium, quia aufert electionem Abbatum particularium Monasteriorum à suis Conuentibus, & illam dat generali, & diffinitoribus contra iuris communis dispositionem. secundum quam Abbas cuiusque Monasterij à suo conuentu est eligendus. *c. 1. de elect. vbi Doctor. c. cum. dilectus. vbi Abb. nu. 3. in 3. not.* & ceteri omnes de consuet. *c. 2. §. fin. de stat. Monach. Præposit. in c. 1. sub num. 6. circ. med. vers. Aut tales Ecclesiæ*

clesiæ non sunt obedientiariæ 21. distinct. maximè quod Monasteria huius Congregationis semper consueuerunt eligere proprios *Abbates, iuxta not. in d. cap. cum dilectus*.

10 Considerabant etiam Domini, quod per indirectũ posset euenire, quod electio non sit libera in alio triennio, in quo debet eligi vnus ex gremio Congregationis, qui non sit professus in Monasterio Vallisoletano, quia Abbas Generalis professus in dicto Monasterio in suo triennio vna cum Diffinitoribus, qui ei contradicere non audebunt, & inter quos semper debet esse vnus professus eiusdem Monasterij contra *text. in c. in singulis. §. ordinentur, & in cap. ea quæ circ. princ. de stat. Monach.* facilè curabunt in Abbates particulares personas gratas Monasterio, vt isti ad quos spectat electio Generalis in sequenti triennio eligant Monachum Monasterio gratum, & sic cum per indirectum ex hoc ledi possit libertas electionis in triennio, in quo debet eligi Monachus Congregationis, Constitutio non debet censeri minus præiudicialis, quam si directo id inde resultaret, *l. vlt. C. si mancip. ita text. c. detestante de concess. præben. in 6. Tiraq. de retract. lignag. §. 1. gl. 14. nu. 17.*

11 Neque obstat, quòd status omnes præcedentes erant multo magis præiudiciales Congregationi, quã sit Constitutio cum antea electio, tàm actiuà, quam passiua spectaret ad solum Monasterium Vallisoletanum, & Constitutio ab eo auferat passiuam in vno triennio, & in vtroque actiuam, & illas det Congregationi, & isti status non solum ad hunc effectum videntur attendendi *iuxta text. in c. cum Ecclesia Sutrina. de caus. possess. & propriet. cap. querelam de electio. c. consuliationibus, de iure patron. cum vtrobique notat.* quod imo ex illis videtur inducta consuetudo, quod vtraque electio sit Monasterij priuatiue, quo ad Congregationem, quæ consuetudo valet, & derogat iuri cõmuni *d. c. cum dilectus, vbi Butr. in 1. lect. num. 23. vers. & nota, & in 2. lectura, nu. 50. vers. oportet tamen, & nu. 51. vers. sed ante ex consuetudine, &c.* vbi quod non requiritur titulus *Abb. in c. cum tera, num. 2. circa fin. vers. sed consuetudo. de electio*.

12 Quia huic obiectioni in qua consistit totum fũdamentum Monasterij, fuit responsum, quod inspecta tota serie facti, re etiam ipsa ab origine deducta non potest considerari aliquis status, qui Monasterio suffragetur; Nam si inspiciamus ipsius initium, illud fuit erectum sub obedientia Monasterij Sancti Facũdi, & quamuis à Benedicto xiij. & Martino V. fuerit exemptum à superioritate præfati Monasterij nihilominus ijdem Pontifices reseruarunt, quod Prior, seu Abbas Vallisoletanus confirmaretur ab Abbate Sancti Facundi; Vnde ex hoc statu Monasterium Vallisoletanum nullam potest prætendere superioritatem, & præeminentiam in cetera Monasteria, quæ ei non erant subiecta neque vnita.

13 Ab isto autem tempore apparet omnes actus fuisse turbidos, & semper controuersos, adeo quod non cõstat de aliquo statu pacifico prout requiritur, iuxt. *cons. Cald. 12. de iure patr.* communiter receptum, & à Rota approbatum, per vniones enim factas ab Eugenio IV. Calixto III. & Innocentio VIII. non potest dici acquisita aliqua superioritas, in Congregationem, quæ de illo tempore nondum erat erecta, cum cœperit habere initium post annum 1492. Sedente Innocentio, & postea fuerit in esse deducta de tempore Caroli Quinti.

14 Vltra quod postea ad instantiam, Monasterij de Onna vnius ex Monasterijs vnitis fuit ab eodem Innocentio commissa in Rota causa subreptionis dictarum vnionum, & ea pendente suspensæ literæ ipsarum vnionum, quo ad omnia Monasteria, & per sententiam Felini tunc Rote Auditoris declaratum Monasterium de Onna, & illius persona ab omni iurisdictione, & superioritate Monasterij Vallisoleti fuisse exemptas, & vnionem subreptitiam quæ transitum fecit in iudicatum & relaxatæ fuerunt executoriales: & quamuis non appareat fuisse latam sententiam respectu aliorum Monasteriorum, tamen effectus subsecutus docuit declarata, per Felinum ad fauorem Monasterij de Onna omnibus profuisse ex quo de anno 1492 fuit tradita forma noue Congregationis non solum dictorum Monasteriorum ante vnitorum, sed etiam omnium in futurum inuicem, & æque principaliter vniendorum.

15 Cetera vero, quæ gesta fuerunt ab anno 1492. vsque ad annum 1550. semper fuerunt controuersa, cum fuerit ab illis reclamatum, & semper vario modo statutum, & vlterius ea omnia fuerunt per Bullas Pauli IV. & Pij IV. reuocata, & de anno 1557. per Paulum Quartum electio Generalis, tam actiua, quam passiua fuit reducta ad libertatem, & licet postea de anno 1559. in Capitulo Generali fuerit ab eis recessum, & statuta quædam electio alternatiua, passiua, a qua habuit ortum modus alternatiuus eligendi Generalem in constitutionem sancitus, tamen illa quoq; fuit per Pium Quartum reuocata de anno 1561. & ordinatum quod de certero seruaretur cõstitutio Pauli III. a qua etiam fuit recessum, dum duodecim Monachi vigore literarum eiusdem Pij IV. deputati, aliud diuersum statuerunt desuper obtenta à Pio V. de anno 1568. confirmatione a qua fuit quoque reclamatum, & de anno 1591. fuit renouata alternatiua electio, quæ dedit causam nouis contradictionibus.

16 Et ex his vt supradictum est apparet pro parte Monasterij non posse considerari aliquem statum qui nõ fuerit turbidus, & semper controuersus, adeo quod ei minimè suffragari potest. Maxime quod, vt patet ex prædictis, & dicitur in constitutione, & Breui Sãctissimi, quod modus circa electionem Generalis sæpissime fuerit immutatus, & sic cum vario modo sit obseruatum, nulla potuit induci consuetudo, *Bart. & alij in l. 2. in princ. ff. solut. matr. Alex. cons. 5. nu. 7. & cons. 127. circa fin. lib. 5. Dec. cons. 8. num. 4. vers. secundo, quia Aim. cons. 96. nu. 5.*

17 Postremo non obstat quod constitutio non possit dici præiudicialis Congregationis quatenus particularibus Monasterijs aufert electionem suorum Abbatum, ex quo, nec Monasterium Vallisoletanum habet electionem proprij Abbatis, & consequenter, vel nullum potest considerari præiudicium; vel omnibus equaliter præ iudicatur, quia fuit dictum Monasterium Vallisoletanum habere hanc prærogatiuam quod eius Abbas sit quoque Abbas Generalis totius Congregationis, & quod in vno triennio vnus ex suis professus eligatur, vnde licet considerando simpliciter priuationem electionis proprij Abbatis possit dici omnia Monasteria æquale sentire præiudicium tamen stante dicta prærogatiua negari non potest, quin multo magis fuerit præiudicatum reliquis Monasterijs, quæ non habent hanc prærogatiuam.

18 Præterea considerabant Domini, quod cum vt superius dictum est, electio Abbatum singulorum Monasteriorum spectet ad Generalem, & diffinitores, inter quos semper debet esse vnus ex professis in Monasterio Vallisoletano, & Generalis in vno triennio, debeat esse etiam professus dicti Monasterij, & in alio triennio verisimiliter possit eligi gratus Monasterio, respectu ipsius non potest considerari illud præiudicium, quod per indirectum ex hoc possit inferri ceteris Monasterijs, & sic electio Abbatum particularium in consequentium esset quodamodo coarctata, & libere non spectaret ad Congregationem.

19 Et ex hoc etiam cessat quod dicebatur Constitutionem Congregationi esse fauorabilem, & non prejudicialem, dum aufert electionem Abbatum proprijs Monasterijs, & eam dat Generali, & diffinitoribus.

bus qui Congregationem repræsentant, quia ex prædictis apparet non posse dici electionem liberam spectare ad Congregationem. Et ita fuit conclusum Constitutionem esse præiudicialem, Congregationi, &c.

REVERENDISS. P. D. COCCINO. DECANO.

Bononien. de Beroaldis. Lunæ 15. Decemb. 1603.

ARGVMENTVM.

Fideicommissaria bona in testamento patris relicta, numquam possint alienari pro dote filiæ testatoris, quando eius legitima non sufficit pro dote, & ipsa habeat aliunde, vnde se dotare possit.

SVMMARIVM.

Pater relicta legitima filio suo de reliquis bonis suis ad sui libitum disponere potest, nu. 1.

Legitima, & Trebellianica in simul non possunt detrahi a filio quando testamentum sustinetur in vim, fideicommissi ex clausula Codicillari, nu. 2. & nu. 8. vbi de eadem materia, & num. 9.

Fideicommissaria bona possunt alienari, ex causa dotis, quando legitima filiæ non sufficit pro dote, nisi haberet aliunde, vnde se dotaret, n. 3. & num. 4. vbi quod dicit mulierem habere aliunde, vnde se dotare valeat, debet probare, & nu. 6. vbi de eadem materia.

Pater tenetur dotare filiam etiam quod filia habeat de proprio, num. 5. Declara, vt nu. 6.

Dotandi onus transit ad hæredes, & successores. Declara, vt num. 7.

Legitima regulariter maior est, quam quarta Trebellianica num. 9. in fine.

Fideicommissaria bona non possunt alienari ex causa dotis quando fructus Bonon. fideicommissariorum sufficiunt pro dote, nu. 9.

DECISIO LXVI.

1 FVerat resolutum coram R. P. D. Litta, testamentum Ioannis non obstante præteritione filiarum sustineri in vim fideicommissi ex clausula codicillari. Quare cum Elisabetha retenta sua legitima residuum restituerit dubitaui, an sibi aliquid deberetur vltra dictam legitimam in bonis Patris fideicommisso subiectis ratione dotis, vel alimemtorum, & negatiue fuit resolutum, quia pater relicta filio legitima de bonis sui disponere potest ad libitum, *l. parentib. vbi Bart. C. de inoffic. test. Surd. qui alios allegat decis. 21. num. 14.*

2 Nec minus ista mulier potest prætendere Prebellianicam, quia cum simus in testamento quod sustinetur in vim fideicommissi ex clausula codicillari, filij venientes ab intestato grauati restituere, non possunt detrahere duas quartas, quia censentur rogati in continenti restituere. Duæ autem quartæ detrahuntur quando sub conditione, vel in diem est iniũctum grauamen, *Bart. in l. Papinianus. §. meminisse, in fin. ff. de inoffic. testamento, vbi Cagnol. etiam in fin. nu. 21. Alexand. consil. 26. nu. 7. vol. 1. & consil. 161. nu. 4. vol. 2. Corn. cons. 232. nu. 2. vol. 4. Illustrissimus Mantic. de coniect. vltim. volunt. libr. 7. tit. 12. num. 31.*

3 Non obstat, qud quando legitima non sufficit pro dote, possunt alienari bona subiecta fideicommisso, *uathent. res quæ. C. communi de legat. l. mulier. §. cum proponeretur. ff. ad Trebellianum.* qui in hoc concordat cum *dicta auth. vt aduertit Cuman. ibi num. 2. vers. nota summarium*. Nam fuit responsum, quod omisso, quod minime constat legitimam non sufficere pro dote, & onus hoc probandi incumbere Elisabethæ, cum sit fundamentum intentionis suæ, vt in his terminis dicit *Corn. cons. 3. num. 3. colum. 3. versic. & ei qui, volum. 3.* Tamen etiam si probaretur, non valeret. Dispositio enim dictæ authent. Res quæ non procedit quando filia testatoris habet, vnde se dotet aliunde, *Ias. ibi nu. 3. in fin. & consil. 232. nu. 12. lib. 2.* & hoc idem sentiunt *Ripa in l. filiusfamilias, §. Diui, num. 74. ff. de legat. 1. & ibidem Ferdin. Loaz. in repet. num. 138. Curt. iun. consil. 154. in fin. num. 15. Aym. cons. 186. num. 17. Roland. cons. 85. num. 9. volum. 1. & in tract. de Lucr. dot. quæst. 58. Decian. respons. 120. in fin. sub num. 27. versic. Item, & tertio, volum. 3. Phanuc. de Lucr. dot. glos. 10. num. 72. Boer. dec. 130. num. 12. & 13. Petra de fideicommisso, quæst. 8. princ. num. 459. Peregr. de fideicommissis, art. 42. num. 66. Kirchou. relat. in tom. 1. commun. opinion. diuers. loc. 3. tit. de iur. dot. cap. 15. fol. 209. versic. dos prohibita.* Et videtur de mente *text. in dict. §. cum proponeretur,* vbi quod si adsunt fructus ex bonis fideicommisso subiectis, & sic proprium ipsius mulieris non potest fideicommissum minui, & ita limitat dictam *authent. Cuman. in præcitat. §. nu. 2. vers. 2. habetis limitationem, & hoc idem dicit bene Bart. in eodem §. num. 3.* & est generale in quocunque fideicommissario non modo in constitutione dotis, verum etiam in restitutione, quia prius debet capere proprium, & postea alienum. *Doctor. in d. authent. res quæ Curt. iun. nu. 16. Angel. num. 5. Paris. cons. 63. num. 49. volum. 2. Aym. cons. 19. num. 16. Caste. cons. 77. num. 7. lib. 2. Marzas. cons. 1. num. 41. & fuit resolutum in causa Romana Dotium de Ioppis 19. Ianuarij 1593. diuers. dec. 737. par. 1.*

4 Quod autem mulier habeat aliunde quamuis debeat probari per dicentem, *Curt. sen. consil. 27. nu. 17. vers. ergo incumbet hæredibus. Aym. cons. 19. nu. 18. vers. cum autem incumbat onus probandi. Ferdinand. Loaz. in dicta repet. l. filiusfamilias. §. Diui, num. 138. ff. de legat. 1. versic. vnum tamen est notandum.* Tamen satis probatur in hoc casu, cum vigore sententiæ Rotalis Elisabetha habuerit quintam partem bonorum Hieronymi Patrui, & medietatem alterius fideicommissi. Iuliç de Spontonibus.

5 Non obstat, quod Pater tenetur dotare filiam, etiã quod filia habeat de proprio, *l. fin. C. de dot. promis. ibi.* Neque enim incognite sunt leges, quibus cautum est omnino paternum esse officium dotem pro sua dare progenie, & per verbum illud (omnino) magis communis opinio Doctor. est, quod Pater teneatur dotare, etiam quod filia habeat aliunde, *Soc. iun. in l. 1. nu. 156. vers. & hoc dico, & nu. 162. vers. cogitabis tamen.* Vbi quod non est recedendum à communi opinione *& nu. 164. vers. fateor tamen, vbi,* quod communis opinio magis sibi placet, *ff. solut. matrim.*

6 Respondetur enim quod dispositio *l. fin.* procedit in vita Patris, secus autem dicendum est post obitum Patris, quia filia vltra legitimam non debet tangere fideicommissum si habet aliunde, vt dicunt Doctor. superius allegati, & ratio differentiæ est, quia pater relinquendo filiæ legitimam satisfacit officio, suo, vt considerat *Peregr. de fideicommissi. art. 42. nu. 68. Alciat. de præsumpt. reg. prima. præsumpt. 26. num. 4. vers. quod potest procedere,* & ante hos omnes eleganter dicit *Cuman. in d. l. mulier. §. cum proponeretur. nu. 2. vbi expresse declarat tex. in d. l. fin. C. de dot. promis.*

7 Nec facit, quod bona transeunt ad hæredes cum sua causa, id est, onere dotandi *Bart. & Castr. in l. si marito, §. si voluntate, nu. 4. ff. solut. matrim. Cordub. de liber. agnosc. §. non tantum, num. 56.* Quia hæres tenetur vsque ad legitimam, quæ si non sufficit, tenetur quoque vltra, si filia non habet aliunde, secus autem si habeat vt declarat *Abb. cons. 12. num. 4. vers. ad vltimum contrarium, & nu. 5. vers. Tenetur ergo dictus Bernardus num. 1.*

8 Mi-

8 Minus officit, dum dicitur, quod mulier, non solum debet habere dotem, sed etiam Trebellianicam, vt innuit *gl. in d. §. cum proponeretur, in verb. hoc, & ibidem Iacob. de Aren. & Arius Pinell. in l. 1. part. 3. nu. 102. vers. sed receptissima consuetudo, Cod. de bon. matern. per text. in d. §. cum proponeretur*, intelligendo tamen pro Trebellianica legitimam, quia olim vtraque consistebat in quarta, & vsque ad quartam tantummodo, de qua *in l. parentibus, Cod. de inoffic. testamento*. Et ideo de Trebellianica sola fiebat olim mentio, quia consistebat in eadem quantitate cum legitima. *Iacob. de Beluis. in authent. de restit. & ea quæ parit in vndecimo mense, q. 2. vers. Sed olim vtraque col. 4.* Hodie verò fit mentio de legitima, quia regulariter est maior, quam quarta Trebellianica, quia est triens, vel semis, *Authent. nouissima, C. de inofficioso testamento*.

9 Nam respondetur, quod *text. in d. §. cum proponeretur*, non dicit, quod debeatur dos, & legitima, sed solum, quod si sufficiunt fructus rerum fideicommisso subiectarum pro dote non est deueniendum ad alienationem fideicommissi, *Cuman. ibidem in fin. Castr. nu. 6. Alex. num. 3. cum alijs Roman. cons. 232. circa fin. Molin. de Primogen. Hispan. lib. 4. cap 6. num. 15.* Nam authent. res quæ processit ista consideratione, quia licet legitima filiæ sit quarta, vel triens, tamen vbi euenit causa dotis, voluit Imperator augeri legitimam, quatenus est necessarium pro ista causa, & per hoc euenit mirabile, quod extenditur legitima, & fructus computantur, quamuis non computentur in primam legitimam sed in extensione, & ratio est, quia extensio fit, si fructus non sufficiant, *Cuman. in d. §. cum proponeretur, nu. 11. & 13. Bart. num. 3.* dicens, quod filia non debet habere vtrumque integrum, & ante eum dixit *Iacob. de Beluiso loco præcitato, vers. & quod vnica quarta detrahatur*, licet enim fructus percepti, testatoris, iudicio non computentur liberis primi gradus in quartam, *l. iubemus, Cod. ad Trebell.* bene computantur in omnem aliam causam, propter quam ipsum fideicommissum potest diminui. *Angel. de Perusin. in dicto §. cum proponeretur, num. 1.* dicens hunc esse verum intellectum illius text.

10 Non obstat, quod in ciuitate Bononiæ adsit statutum, quod mulieres debeant dotari arbitrio quatuor coniunctorum, quia dato etiam, quod statutum loqueretur in casu nostro, quod non fuit visum, propinqui stante dicto statuto, non debent arbitrari minus legitima, quia in ea non est excessus, vel si legitima, non sufficit, debent excedere, *Salic. in d. authent. res quæ in 2. not. ib.* Quare cum in præsenti casu Elisabetha habuerit legitimam, quæ sufficit pro dote, vt dictum fuit habemus effectum statuti. Vnde non est curandum de modo, cum modus scilicet arbitrium coniunctorum requiratur ad certum finem, *leg. si mater vbi gl. C. de inst. & substit. l. si quis mihi bona. §. sed si mandauit. ff. de acquir. hæred. Brun. in tract. de form. in tit. de imple. & obseruat. for. col. 15. in prima fallent. fol. mihi 75. Put. dec. 252. num. 8. cum seq. lib. 2. Cassad. decis. 2. de iudic.* & fuit dictum in causa Conpostellana Canonicatus 20. Iunij 1601. coram Reuerendissimo Domino meo Episcopo Pacen.

11 Minus facit aliud statutum quod vna soror debeat dotari, prout aliæ fuerunt dotatæ, nisi patrimonium sit diminutum, nam etiam dato, quod & huiusmodi statutum faceret ad præsentem casum tamen non potest fieri fundamentum in dote data alteri sorori Elisabethe, quia ipsa non fuit dotata à Patre, sed à Patruo qui potuit ad libitum de rebus suis disponere, vnde non potest fieri aliquod fundamentum in dicto statuto. Et ex prædictis fuit conclusum Elisabethæ aliquid non deberi vltra legitimam.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

D. CARD. PAMPHILIO.

Bononien. Fideicommissi de Zambeccarijs. 26. Ianuarij 1604.

ARGVMENTVM.

Legitima, & Trebellianica filijs grauatis restituere hæreditatem paternam ex fideicommisso debetur. Prohiberi tamen illis potest Trebellianica, dummodo verba necessario inferant ad prohibitionem, & quando Trebellianica detrahatur ex fideicommisso particulari, vel ex bonis particulariter alienari prohibitis.

SVMMARIVM.

Filio grauato debetur legitima, & Trebellianica, nu. 1.
Trebellianica potest prohiberi etiam filijs primi gradus, nu. 2.
Trebellianica non censetur prohibita ex verbis, quæ necessario hanc prohibitionem non inferunt, nu. 2.
Trebellianica non detrahitur ex fideicommisso particulari, num. 3.
Fideicommissum dicitur vniuersale, quando filij sunt substituti in omnibus bonis, num. 3. vbi propterea quod non restringitur per prohibitionem alienationis certorum bonorum ibidem.
Legitima, & Trebellianica non detrahitur ex bonis particulariter alienare prohibitis. Declara, vt num. 4.

DECISIO LXVII.

1 FVit dictum, heredes D. Æmilij posse detrahere legitimam, & Trebellianicam, quas notissimum est deberi filio grauato, *c. Raynutius, & cap. Raynaldus de test. cum notatis per Doctores ibi, & in l. quanquam C. ad l. Falcid.* & posse detrahi ab eius hærede quatenus antea detractæ non sint. *Paris. cons. 45. nu. 8. & nu. 15. lib. 2. & cons. 55. nu. 5. lib. 3. cum allegat.*

2 Et quamuis iuxta opinionem, quam seruat Rota Trebellianica possit prohiberi etiam filijs primi gradus, iuxta *decis. Cassad. quartam de testam. & Crescen. secundam eodem tit.* In hoc tamen casu nulla adest prohibitio, neque expressa, neque tacita cum verba prohibitionis id necessario non inferant, & possint habere alium sensum, & verificari in bonis, quæ veniunt in restitutione deducta Trebellianica, *Pau. de Cass. in authen. sed cum testator. num. 2. vers. Secus si possiunt. C. ad leg. Falcid. & cons. 28. num. 4. in fine cum seq. lib. 2. Aretin. cons. 19. num. 9. Mantic. lib. 7. de coniect. vltim. volunt. tit. 12. num. 10.*

3 Neque obstat, quod fideicommisso particulari non detrahatur Trebellianica *leg. mulier, §. finali. ff. ad Trebell. Bald. in leg. filium num. 27. Cod. de famil. ercifcun.* quia quamuis prohibitio alienationis sit restricta ad certa bona, filij tamen Testatoris, & eorum descendentes fuerunt vniuersaliter instituti, & substituti in omnibus bonis, & sic per fideicommissum videtur vniuersale. *Bart. in l. si quis seruum, §. fin. nu. 2.* & non restringitur pro prohibitionem alienationis factam respectu certorum bonorum, *Curt. iun. cons. 13. sub nu. 5.* Et non est inconueniens, quod aliqua bona ponantur sub duplici fideicommisso *Hier. Gabr. cons. 132. num. 19. in fine cum seq. lib. 1.*

4 Neque obstat, quod detractione non fiant ex bonis particulariter alienari prohibitis quia est verum, si adsint alia bona libera, quæ pro detractione sufficiant, *Doct. in leg. filius familias, §. Diui. vbi Ias. in 2. lectura. nu. 30. Rip. nu. 29. Grat. num. 15. & alij ff. de legat. 1.* cum allegatis in causa Romana Palatij, die 6. Nouembris 1597. Coram Cantuccio, & quia inter partes contro-

trouertitur an adsint bona libera, & cui incumbat onus probandi, fuit dictum, quod super istis particulariter partes audiantur. Et ita, &c.

REVERENDISS. P. D. COCCINO.

DECANO.

Burgen. Iurisdictionionis, Veneris 6. Februarij 1604.

ARGVMENTVM.

De vi, & potestate clausulæ Parito iudicato.

SVMMARIVM.

Clausula Parito iudicato suspendit iurisdictionem donec fuerit paritum. Et antequam paritum fuit gesta essent nulla, & sine iurisdictione num. 1.

Commissio seu rescriptum obtentum ab Antecessore quando afficiat successorem, nu. 2.

Expensæ factæ in partibus, possunt etiam taxari in Rota, num. 3.

DECISIO LXVIII.

1 FVit per Dominos resolutum, Reuer. Archiepiscopum Modernum non posse audiri, nisi refectis expensis, quia restitutio in integrū fuit commissa cum clausula, Parito iudicato, que suspendit iurisdictionem, donec fuerit Paritum, *cap. cum dilecta, de rescript. Paris. cons. 44. num. 8. lib. 4. Put. dec. 283. lib. 2. Caputaq. Dec. 150. par. 1.* Et ideo gesta ante purificationem huius clausulæ essent absque iurisdictione, vt in dictis locis, & per *Put. decis. 429. lib. 1. Staphil. de liter. Iustit. §. dicendum num. 42.* & fuit resolutum in causa Calaguritana Cappellæ S. Crucis de Negera 13. Ianuarij 1589. coram Orano, & in alia Pampilonen. Parochialis 4. Martij 1591. Coram Reuerend. Domino meo Decano.

2 Non obstat, quod huiusmodi rescriptum fuerit obtentum per antecessorem, quia cum suspendat iurisdictionem, afficit etiam Modernum archiepiscopum causam prosequi volentem, vt fuit resolutum in causa Vrgellen. iuris optandi 10. Decembris 1601. coram R. P. D. meo Ludouisio.

3 Minus etiam obstat, quod fuerit paritum quo ad expensas factas in Curia, & expensæ, quæ hodie petuntur fuerint factæ in partibus, quia cum fuerint factæ pendente causa in Rota, veniunt in condemnatione sub clausula coram nobis, & ideo potuerunt taxari, *Rota dec. 42. de sent. & re iudic. in antiq.*

REVERENDISSIM. P. D. COCCINO.

DECANO.

Montis Regalis Iurisdictionis, Lunæ 8. Martij 1604.

ARGVMENTVM.

Episcopus in Monachos Regulares suæ Cathedralis Ecclesiæ est loco Abbatis, & in eos habet omnimodam iurisdictionem, præterquam in concernentibus regularia instituta.

SVMMARIVM.

Episcopus est, caput in loco Abbatis Monachorum Regularium Eclesiæ Cathedralis, nu. 1.

Episcopus exceptis his, quæ concernunt Regularia instituta habet omnimodam iurisdictionem in Monachos Regulares Cathedralis Ecclesiæ, num. 2. & per totam decisionem.

Verba prout sunt, important causam, & non conditionē, quādo sunt prolata ab habente potestatem disponendi, nu. 3.

Exceptio firmat regulam In casibus expresse non exceptuatis. num. 4.

Dictio vel est ampliatiua præcedentis dispositionis, nu. 5.

Statutorum verba dubia recipiunt interpretationem à iure communi. num. 5.

Episcopus habet iurisdictionem etiam in monachos Regulares Sancti Benedicti, quando eorum Ecclesia est Cathedralis, & etiam quod procedatur in forma iudicij, nu. 6. & nu. 7. vbi quid in monachos Congregationis Cassin.

Vnio Ecclesiarum censetur facta sine præiudicio tertij, nu. 7.

Tertij præiudicium censetur reseruatum per clausulam sine præiudicio iurium, nu. 8.

DECISIO LXIX.

1 DVbitaui, An, & quam iurisdictionem habeat Reuerendiss. D. Archiediscopus in Monachos Monasterij Montis Regalis tam in Ecclesia, & Monasterio, quam extra. Et Domini vnanimiter censuerunt omnimodam illum habere iurisdictionem, & in omnibus casibus, exceptis ijs, quæ concernunt regularia instituta. Verba enim Bullæ Pauli III. visa fuerunt satis clara in §. Declarans etiam vbi dicitur, quod Archiepiscopus est Caput ipsorum Monachorum, declarando illorum exemptionem à visitatione, & correctione Archiepiscopi, quo ad regularia instituta tantum, & nō quo ad supradicta in Bulla, vel excessus perpetratos, vel perpetrandos in quibus visitationi, & correctioni Archiepiscopi, prout sunt subiecti sint, & esse censeantur. Et hæc quidem dispositio est conformis dispositioni iuris communis cum enim agatur de Ecclesia Cathedrali regulari, Episcopus est Caput, & loco Abbatis Monachorum, & ipsi loco Canonicorum, *Doctores in c. causam quæ, de iudic. il 1. Host. in princ. Io. And. nu. 3. Abb. antiq. nu. 2. Bellem. nu. 1. & 2. Butr. nu. 4. & 8. Imol. nu. 1. Dec. nu. 38. & Abb. qui loquitur expresse de Ecclesia Montis Regalis, num. 8. & seq.*

2 Et idem Episcopus etiam de iure communi, exceptis ijs, quæ concernunt regularia instituta, habet omnimodam iurisdictionem in Monachos Cathedralis regularis, *c. 1. ne sede vac. gl. fi. in c. nullus vers. vt Episcopus etiam secularis, de elect. in 6. vbi Anchar. num. 3. vers. sed aduerte Io. Andr. nu. 3. vers. in gl. vlt. Gemin. nu. 7. vers. in ea gl. ibi, Franc. num. 3. vers. in gl. fin. Corn. cons. 1[illegible]. nu. 4. lib. 2. vbi nu. 5.* apparet, de hoc non esse hæsitandum, cessantibus indultis, & consuetudinibus particularibus loci propter quæ in illo casu ipse consuluit contrarium, & hanc sententiam alias sequuta fuit Rota coram bon. me. Oradino in causa Perusina iurisdictionis 27. Febr. 1558. quæ & refertur, licet diuersis verbis, inter Miscellanea Cottæ, *sub nu. 56.*

3 Nec placuit Dominis verba Bullæ (prout sunt) esse intelligenda conditionaliter non causatiue: quia contrarium est verius, tū quia D. Archiepiscopus habet dispositionem iuris pro se, tum etiam quia huiusmodi verba sunt prolata ab habente potestatem disponendi in dispositione certa, & ideo important causam non conditionem *Felin. in c. 2. num. 10. de rescript.* & tenuit Rota coram bon. mem. Lauretano in causa Cauriense iurisdictionis 5. Nouembris 1576.

4 Et hoc etiam euidentissime apparet, cum monachi eximantur à iurisdictione D. Archiepiscopi, quo ad regularia instituta tantum: que exceptio firmat regulam in omnibus casibus expresse non exceptuatis, *Bar. in l. quæsitum, §. denique ff. de fund. instruct.* & *præscribit*, quod ad alia non expressa exemptio extendi, nequit, *l. qui in aliena, §. libertus, ff. de neg. gest.*

5 Nec placuit Dominis, verba Bulle esse intelligenda de iurisdictione quo ad Ecclesiam tantum, quia Bulla vlterius prosequitur, scilicet (vel excessus perpetratos vel perpetrandos, &c.) quæ dispositio non solum est gene-

generalis comprehendens omnia, sed etiam augumẽtatiua propter dictionem, vel, quæ ampliat dispositionem, etiam ad diuersa, *Crauet.consl.326.n.2*, quæ eo magis vera sunt, quia cum iure communi concordant, à quo verba statutorum interpretationem assumerent, vbi dubia viderentur. *l.2. C.de noxal. c. cum dilectus, de consuet. Alex. in l. nam quod §. non omnis. ff. ad Trebel. Ias. in auth. neuissima, n.24. C. de inof. test.* vnde non potest dici, vigore Bullæ iurisdictionem D. Archiepiscopi restringi, vltra quam ipsamet Bulla faciat.

6 Nec subsistit, quod Episcopus non habeat iurisdictionem, etiam quod procedatur in figura iudicij, cũ isti Monachi sint ordinis S. Benedicti. *Abb. in c. quanto de off. ord. Ro. consl.375. cum alijs:* nam, omisso, quod isti Doctores non loquuntur, quando Ecclesia est Cathedralis regularis, contrarium est verius de iure *c. cum personæ, de priuil. in 6. c.1. de off. ord. c. omnes basilicæ. 16. q. 7. & tenent in d. c. quanto. Innoc. n.2. Host. n.9.10. Andr. n.15. Anchar. n.6. Henr. Boich. nu.4. Bellem. n.4. vers. aut igitur. & Butr. n.20. dec. in c. sua nobis n.16. de confirm. vtil. vel inut. Firman. de Episc. lib.4. p.2. q.35. n.81. vers. & quia dixi Cappel. Tholos. decis.309.* & hanc opinionem, tanquam veriorem, & communiorem sequuta fuit Rota in causa Cesaraugustana iurisdictionis 27. Maij 1573. coram bon. mem. Oriolense, & in alia Cæsaraugustana exemptionis 13. Nou. 1587. & 28. Mart. 1588. & 12. Febr. 1590. cor. bon. mem. Orano.

7 Minus etiam subsistit, dum dicitur, quòd in omnem euentum cessat iurisdictio D. Archiepiscopi stãtibus priuilegijs Ven. Congregationis Casinensis, cui fuit vnita Congregatio Sicula, *d. c. cum personæ de priuil. in 6. Corn. d. consl.193. num.7. li.2. Capp. Thol. decis.309.* & censuit Rota in prædicta dicisione Cottæ. Nam fuit responsum, quod vnio intelligitur facta sine præiudicio tertij. *c.2. de relig. dom. Rebuff. in prax. tit. de erect. in collegiat. vers. & in hac erectione, circa med.* ibi, & hæ erectiones, *Put. dec.264. num.3. lib.2.* Vnde per talem vnionem non censet derogatum iurisdictioni D. Archiepisc.

8 Et cessat omnis difficultas; quia in Bulla erectionis Congregationis Siculæ, in cuius locum subrogata est Congregatio Casinensis, expressè legitur (sine præiudicio iurium Archiepiscopi,) quare huiusmodi priuilegia non possunt Monachis suffragari, dum degunt in Monasterio Montis Regalis iurisdictioni Archiepisc. subiecto. *c.1. §. in eos. de priuil. in 6.* ibi (nisi forsam ipsi Monachi:) *vbi Franc. in 2. not. & Gem. nu. 3. & 6. Capic. decis.59. in fin.*

9 Nec facit, quòd Monachi habeant mensam separatam, de qua disponunt; & quod negotia Archiepiscopi, & Monachorum sint separata; quia ex hoc non potest inferri ad non iurisdictionem D. Archiepiscopi, c. edoceri, de rescript. & videmus, quod Capitula secularium Ecclesiarum habent mensam separatam, & negotia separata, & non propterea iurisdictio Episcoporum eliditur, *tot. tit. de his, quæ fiunt à præl. sin. consil. Capit. Dom. in d. c. edoceri. de rescript.*

10 Neque etiam Monachis suffragatur dispositio *Sacri Concil. Trident. sess.21. c.8.* quia loquitur de Monachis existentibus in locis exemptis à iurisdictione Ordinarij, quales non sunt degentes in Monasterio Montis Regalis per supradicta. Et ita conclusum fuit, omnimodam iurisdictionem spectare in omnibus ad Reuerendissimum D. Archiepiscopum, præterquam quoad regularia instituta tantum.

D. P. D. PAMPHILIO.

Romana Palatij. Lunæ 15. Martij 1604.

ARGVMENTVM.

Permutatio bonorum Ecclesiæ an, & quando valeat sine beneplacito Sedis Apostolicæ. Quandoue quis se obligare censeatur ad omnia enunciatiuè narrata in instrumento suæ obligationis.

SVMMARIVM.

Permutatio bonorum Ecclesiæ regulariter requirit sedis Apostolicæ beneplacitum. nu.1. Declara, vt nu.23.
Permutatio bonorum Ecclesiæ euidenter Ecclesiæ vtilis non annullatur propter defectum Beneplaciti Sedis Apostolicæ. nu.3.
Successor in Ecclesia quando teneatur stare contractui facto per suum Prædecessorem. num.4. & 5.
Beneficium pensione grauatum acceptans videtur se obligasse ad solutionem pensionis. nu.5.
Acceptans contenta in instrumento censetur obligasse se ad omnia etiam enunciatiue narrata in instrumento. nu.6.
Enunciatiua verba prolata per modum causæ probant, & obligant. num.7.
Enunciatiua verba etiam incidenter, & propter aliud emissa inducunt dispositionem fauore piæ causæ, num.8.
Cameralis obligatio pro omnibus, & singulis in instrumento contentis refertur etiam ad verba enunciatiua. num.9.

DECISIO LXX.

1 ORta Controuersia inter Illustr. D. Archipresbyterum, & Capitulum Basilicæ S. Mariæ Maioris super restauratione Palatij, & constructione habitationis pro Cantoribus, & Pueris dictæ Ecclesiæ, ac eorum Magistris, iuxta formam cuiusdam permutationis factæ cum bon. me. Cardinale S. Sixti eiusdem Ecclesiæ tunc Archipresbytero, & causa introducta coram Auditore Cameræ proposui in Rota ex ordine Sanctissimi dubium an permutatio fuisset valida, & ex ea, an, & ad quid teneretur Illustr. Cardinal. Archipresbyter erga Capitulum. Et quo ad primam partem dubij censuerunt permutationem fuisse validam, non obstante defectu beneplaciti Sedis Apostolicæ, quod quamuis regulariter in permutatione bonorum Ecclesiæ requiratur, iuxta *c. sine exceptione, 12. qu.2. c.1. de rebus Ecclesiæ non alien. in 6.*

2 In hoc tamen casu eius defectus non obstat, cum Capitulum, seu Ecclesia cuius fauore ista solennitas est introducta velit stare contractui, qui claudicat ad eius fauorem *Innoc. in cap.1. in princ.* quem ibi sequuntur *Hostien. Io. And. in princ. Card. in 2. opposit. Butr. n.5. Imol. sub nu.2. & Abb. n.6. de his quæ fiu. à Præl. sine con. Capit. Ab. in c. diuersis fallacijs. nu.5. de cler. coniug. Put. decis.310. lib.1. Crescent. decis.1. de locat.* cum allegatis in causa Segobiensis præstimonij, coram bon. me. Cantuccio sub die 24. Octobris 1580. & fuit latissime deductum in vna Romana Domus 4. Decemb. 1592. coram Cardinale Mantica, vbi fuit responsum ad omnia, quæ in contrarium deduci possunt.

3 Præsertim concurrente vtilitate Ecclesiæ, cui fuit valde proficua ista permutatio, qua acquisiuit Casale contiguum alijs bonis Capituli pro Palatio, quod licet tunc esset maioris redditus, minabatur tamen ruinam, & fuit datum Archipresbytero, qui illud resarciret, & reddet habitabile, ac in eo construeret habitationes pro Cantorib. & Pueris Ecclesię, quod cedebat in magnum decorem Ecclesiæ, augmentum Diuini cultus, & sic in eius euidẽtem vtilitatem, quo fit vt eo facilius intret priuilegium Ecclesiæ, quod possit stare contractui, & claudicet ad eius fauorem. *l. Iulianus. §. si quis a pupillo. ff. de act. empt. Instit. de auct. tutor. in princ. Cardin. in d. cap.1. in 2. apposit. vers. Tamen si est*

si est alias, & ibi Butr. nu.5. in fin. de his quae fiunt à Praelat. Ias. & alij in l. cum hi. §. eam transactionem, sub num.2. ff. de transact. Put. dec.365. nu.5. lib.2.

4 Dicebant etiam Domini modernum Archipresbyterum teneri stari huic permutationi, quia fuit facta bon. mem. Cardinali S. Sixti, eius Praedecessore sub nomine dignitatis, cum acceptatione, & stipulatione pro se dum vixerit, & post obitum suum pro Archipresbytero pro tempore existente, & fuit etiā vtilis dignitati Archipresbyterali, quae in his de suo dedit, ex quo Casale fuerat emptum à praedicto Cardinale Sancti Sixti de suis proprijs pecunijs, & datū Ecclesiae pro Palatio quod dignitati acquisiuit, quo casu successor tenetur ex contractu praedecessoris, iuxta *not. in c.1. de solut. & in cap.1. ne praelat. vices suas Rota decis.1. de locat. in nou. Abb. cons.62. colum.1. vers. his non obstantibus, lib.1. Abb. cons.337. num.5. Thom. de Zan. decis.33. cum alleg.*

5 Et cessat difficultas, quia modernus Archipresbyter possedit Palatium per plures annos etiam cum perceptione fructuum, quo fit, vt censeatur illud acceptasse cum suis onerib. & consequenter se obligasse ad seruandum permutationem factam cum suo Praedecessore, *Bald. in l. contra iuris, §. si filius, num.4. & ibi Ias. num.11. ff. de pact. Put. dec.200. num.2. lib.2.* & de acceptando beneficium pensione grauatum, quod videtur se obligasse ad pensionem, & alia onera imposita super dicto beneficio, adest *decis. Veral.13. par.1. & 302. par.2. in impress.*

6 Dixerunt quoque Domini respondendo ad vltimam partem dubij, quod Modernus Archipresbyter tenetur ad omnia contenta in instrumento permutationis, nempe ad resarciendum Palatium, & illud non modo habitabile, sed etiam habitatum reddendum, & construendum in eo habitationes pro Cantoribus, & Pueris Ecclesiae inseruientibus, & illorum Magistri Grammaticae, & Musicae, prout haec omnia leguntur in dicto instrumento. Nec obstare, quod ita sint solum enunciatiue narrata, & in dispositiua instrumenti nulla adsit expressa promissio Cardinalis quia satis videtur se obligasse, quod acceptet Palatiū ad hunc effectum, & illud stipulatur pro se, & successoribus, & pro Scholis, & habitatione Magistrorum, Cantorum, & Puerorum, cum dictione, vt supra per quam censentur repetita omnia superius expressa in narratiua instrumenti, *l.1. §. deinde, & §. ex hoc edicto, vbi Bart. de postul. Paris. cons.40. nu.14. libr.2. Dec. cons. 127. num.3.*

7 Praesertim quod fuerunt prolata, per modum causae ipsius permutationis, quia Palatium minabatur, ruinam, & periculum erat, ne infructuosum redderetur, & Cardinalis Sancti Sixti intendebat illud resarcire, & reddere habitabile, & notissima est iuris conclusio, quod enunciatiue prolata per modum causae probant, & obligant, *Bart. in l. si socer. §. Lucius, num.4. ff. solut. matr. in l. ex l. ex hac scriptura. nu.5. ff. de donat. Ias. in l. his verbis, col.2. in 9. limit. C. de testa. milit. Dec. consil.513. num.8. Aym. de antiqu. temp. par.1. ampliat..... nu.32.*

8 Vltra quod versamur in pia causa, cuius fauore verba enunciatiua, etiam incidenter, & propter aliud emissa dispositionem inducunt, *cap. fin. cum ibi not. de succes. ab intest. Bald. in l.1. nu.76. C. de Sacrosanct. Eccles. Iason. in d. l. his verbis, col.2. in 5. limit. & procedit etiam in contractibus, Bart. in l. tale pactum, §. fin. num.4. de pact. Alex. cons.190. num.27. libr.6. Tiraqu. de priuil. Piae caus. priuil.86. vers. Nec quidem.*

9 Accedit etiam obligatio Cameralis pro omnibus, & singulis, quae refertur etiam ad enunciatiua, *Alex. cons.17. num.2. lib.3. Ruin. cons.137. num.6. lib.1. &* fuit resolutum in vna Romana dotis, 11. Februarij 1583. coram bon. mem. Cantuccio, & sic comprehendit etiam restaurationem Palatij, & constructionem, habitationis pro Cantoribus, Pueris inseruientibus Ecclesiae, & eorum Magistris Grammaticae, & Musicae, iuxta expressionem superius factam in instrumento. Et ita fuit conclusum per omnes Dominos, hac causa mature discussa, Capitulo tanto informante, quia Illustrissimus Archipresbyter citatus informare noluit.

REVERENDISS. P. D. PEGNA DECANO.

Barchinonen. Matrimonij. Veneris 15. Martij 1604.

ARGVMENTVM.

De Matrimonij dispensatione, An, & quando prolem inde subsequutam legitimam, praesumere faciat. Quando, & ex quibus Matrimonium praesumatur Clandestinum, vel non Clandestinum.

SVMMARIVM.

Filij nati ex matrimonio contracto inter Consanguineos praecedente dispensatione reputantur legitimi propter bonam fidem Parentum, etiam quod dispensatio non valeat, num.2.

Matrimonij quasi possessio colorata sufficit, ad legitimationem Prolis, num.2.

Bona fides causatur propter auctoritatem Superioris etiam quod erretur in iure, num.2.

Mandatum de dispensando differt à dispensatione, nu.3.

Clausula si ita est in dispensatione appopta requirit iustificationem contentorum in dispensatione, num.4. vbi tamen quis debeat probare narratorum iustificationem an Reus vel Actor.

Matrimonij legitima dispensatio praecessisse praesumitur ex diuturna Coniugum cohabitatione, numer.5. vbi etiam quanto tempore ista dispensatio praesumatur, & num.6. & seq.

Matrimonium praesumitur Clandestinum quando est contractum in gradu prohibito. Declara, vt nu.8. & seq.

Matrimonij Clandestinitatis praesumptio tollitur ex instrumento dotali, nu.9.

Matrimonij Clandestinitas tollitur per testes, affirmantes coniuges communiter haberi pro legitimis, nu.10.

Matrimonium praesumitur Clandestinum, quando non praecesserunt legitimae denunciationes in Ecclesia. Declarantur num.11.

Matrimonij Clandestinitas excluditur ex pluribus, de quibus, num.12.

DECISIO LXXI.

1 DOn Bernardus de Frerneda Episcopus Cōchensis & Commissarius Apostolicus Generalis in Regnis Regis Catholici bullarum Cruciatae, & Fabricae S. Petri de Roma die 25. Februarij anno 1564. concessit facultatem Petro Frigolae Abbati Monasterij S. Benedicti de Bages, vt posset dispensare in causis matrimonialibus, videlicet in casibus à iure prohibitis intra tertium, & quartum gradum consanguinitatis & affinitatis. Huius facultatis vigore idem Abbas sub die 29. Nouembris eiusdem anni 1564. Receptis ducatis sex pro compositione dispensauit cum Michaele de Masdouelles, & Eleonora de Clorach coniunctis in quarto consanguinitatis gradu, & mandauit Officiali seu Vicario Generali Episcopi Barchinonens. vt informatione praecedente praedictos Michaelem, & Eleonoram per verba de praesenti dispensaret, & similes dispensationes frequenter à substitutis, praedicti Commissarij Generalis concedebātur, & suum effectum sine cōtrouersia sortientes filijs

lijs ex talibus matrimonijs nati legitimi, & naturales quoad omnem effectum habebantur, & reputabantur. De prædicto matrimonio Michaelis,& Eleonoræ anno 1578. natus Ludouicus de Masdouelles parentum existens hæres illorum bona possedit. Anno 1594. Castellana de Masdouelles introducto iuditio super nullitate dispensationis produxit in actis dispensationem subscriptam à Clemente Calopa Notario Cruciatæ, quam die 28. Maij 1601. Rota pronunciauit non fuisse in forma probanti sed die 12 Octobr.eiusdem anni Rota censuit fidem fuisse adhibendam alteri dispensationi in actis productæ, subscriptam à Paulo Calopa Clementis filio,& Galcerodo Calope Notarijs Cruciatæ:Insuper vtraque parte informante concessa fuit remissoria D. Lodouico de Masdouelles ad probandum cõmunem opinionẽ, & reputationem,ac bonam fidem prædicti matrimonij contracti inter Michaelem,& Eleonorã Ludouici parentes, & reputationem, & famam facultatis Abbatis Frigolæ dispẽsandi in prædictis gradibus prohibitis.

2 Quibus ita gestis, & præparatis vtraq; parte informante datum fuit dubium an constaret de bona fide parentum Ludouici, vel alterius eorum ad effectum censendæ prolis legitimæ,& successionis de quo agebatur,eoque propositoRota de bona fide coniugum constare censuit, primo ex dispensatione obtenta à Petro Abbate Frigola qui communiter reputabatur habere facultatem dispensandi super 3.& 4. gradibus consanguinitatis, & affinitatis, & de communi reputatione deponebant testes.Vnde licet non habuisset facultatem dispensandi,communis tamen reputatio sufficiebat ad inducendum bonam fidem ad prædictum effectum, vt fuit resolutum in causa Panormitana illegitimatis.20.Iunij 1579.coram bo.mem.Bubalo,in simili dispesatione vigore Bullę Cruciatę vbi Commissarius qui dispensauerat solum habebat facultatem dispensandi in foro conscientiæ, & nihilominus Rota censuit propter bonam fidem dispensationem fuisse sufficientem, & quo ad legitimationẽ prolis sufficit quasi possessio matrimonij coloratæ,c. ex tenore vbi *Abb.n.7.& seq.& Præpos. nu.3. qui fil.sint legit.*quam decisionem, deinde Rota confirmauit die 27. Iunij,1584. & die 15. Februarij,& 22. Martij,anni. 1585.coram Vicecom. & iuxta illas fuerunt subsecutæ sententiæ Rotales,& potissima ratio fuit quia auctoritas superioris, licet erretur in iure, tamen causat bonam fidem, & fuit etiam nuper resolutum in causa Mediolanensis matrimonij coram me, die 29. Nouemb.anni 1602.vbi contra similem matrimonialem dispensationem opponeretur quod quidam Ecclesię Præpositus qui dispensationem executioni demanda uerat eo tempore non erat verus Præpositus; Rota respondit satis fuisse quod tanquam Præpositus erat habitus,& cõmuniter reputatus. *Ancar.cons. 409.n.8.ver.2.Lapus alleg.89.incip.factum super quo n.13. vers.vnde si Papa. Prosper.de S.Cruce alias Chisanen.dec. 38. alias 40.Incip.*dispensatio facta per illum, vbi Rota tenuit valere dispensationem factam per illum, qui communiter reputabatur habere facultatem dispensandi super matrimonio contrahendo inter prohibitos licet in veritate facultatem non haberet.

3 Neque prædictis obstabat, quod dispensatio Abbatis Frigolę non esset proprie dispensatio, sed mandatum de dispensando quod formaliter non videtur habere vim dispensationis, *vt in dicta deci.38.Prosperi de S.Cruce*. Sed hæc difficultas ex facto fuit sublata, quia Abbas Frigola antequam præcepisset Vicario Generali Barchinonens.quod prædictos Michaelem, & Eleonoram dispensaret per verba de præsenti visa illorum supplicatione dispensauit per hæc verba, y nos visa la dicha suplication y à quella benignamẽte admitida tuuimos por bien de hazer la dicha dispensacion,& consequenter Michael & Eleonora non obstante quarto cõsanguinitatis gradu postea legitime contrahere potuerunt. Et eo maxime, quia Abbas Frigola non remisit Michaelem,& Eleonoram ad Vicarium Barchinonens. vt cum illis dispensaret,sed vt postquam se informasset de narratis, videlicet quod essent in quarto consanguinitatis gradu coniuncti, per verba de præsenti eos dispensaret, siue legitimo matrimonio copularet, ad quem effectum idem Abbas cum illis in vtroque foro dispensauit, vt denuo contrahere possent, & in dicto matrimonio permanerent declarando filios, inde suscipiendos legitimos, & naturales,& de legitimo matrimonio natos, & procreatos ex quo dederunt nomine compositionis. 6. ducatos pro bello contra infideles.

4 Nec placuit Rotæ illa Informantium pro Castellana prætensio, quod non fuerint verificata narrata in dipensatione qua vtebatur Ludouicus,quæ stante clausula, si ita, est videbatur iustificanda. Quia fuit responsum à Ludouico reo, & possessore nihil fuisse iustificandum, sed Castellanam actricem, & prætendentem non fuisse verificata narrata teneri probari negatiuam in qua se fundat *Ces. de Gras. decis.1. nu.11. qui fil.sint legit.* quæ loquitur in his terminis.

5 Secundo principaliter placuit Rotæ aliud fundamentum deductum ex diuturna coniugum cohabitatione cum enim Michael, & Eleonora per decem annos, & vltra in figura matrimonij in Ciuitate, & diecesi bene constituta,& Catholica vixerunt legitima dispensatio interuenisse præsumebatur; c. illud. *vbi Felin.num.6. de præsumpt.Sarnen.in reg.de Triennal.q. 10.vers.sed aduertendum quod & 26 Rot. apud Achil.dec. 197.* alias prima,de præsumpt. incip. dispensationem, vbi voluerunt præsumi dispensationem ex communi reputatione cum cursu. 10. vel 20. annorum. Et ex his fuit responsum ad decisio. Paleott. in causa Messanensis illegitimitatis die 20. Maij 1560. ex qua Informantes pro Castellana conabantur inferre ad præsumendam dispensationem omnino requiri centum annos. Quia fuit responsum primo sicut patebat ex informatione illius causæ, ibi articulum versari in dispensatione quam Cartellana actrix produxit, & consequenter ex cursu etiam temporis in parentibus Ludouici præsumi posse aliam dispensationem. *Crescen.dec.21. nu. 2. & seq. de probat.* & fuit resolutum in Causa Cesaraugustana Parochialis de Maella die 8. Nouembris anni 1599. vers. nec placuit Dominis coram D. Pamphilio.

6 Secundo fuit responsum Doctores allegatos in dicta decisione Paleotti videlicet *Innoc. in c. veniens.n.2. de verb. sign. Afflict. decis.245. nu.3. Dec. cons. 231. n. 8. Crau.cons.146.n.3.*Nec dicere, quod ad præsumendam dispensationem ad minus requirebantur. 100. anni, quod non applicatur ad hanc materiam probationis matrimonij ac filiationis, & dispensationis in qua tempus antiquum dicitur tempus. 10. vel 20. annorum, vt in prædicta *decis. Achill.& tradunt Ferret.consil.49.n.3.vers.ad hoc respondeo. Barb.cons.68.n.4. vers.nec etiam lib.4. Cæs. de Gras. decis.6. n.11. qui fil. sint legit.*

7 Tertio fuit responsum in decis. Paleotti nihil videri firmiter stabilitum, & propterea standum alijs doctrinis,& decisionibus allegatis affirmantibus concurrente communi reputatione sufficere ad præsumendum dispensationem tempus decem, vel 20. annorum, & sic Dominis in simili causa Mediolanensis coram R. P. D. Mellino die 17. Iunij anni 1602. visa fuit illa decisio Paleotti multum dubitabilis propter decisionem *Put.257. lib.3.* & alias decisiones factas in similibus terminis.

8 Neque ad rem pertinebat quod stante gradu prohibito matrimonium hoc præsumendum erat clãdestinum, nisi probaretur in facie Ecclesię contractum Quia responsum fuit, primo clandestinitatem probãdum à Castellana quæ eam allegabat, *Abb. in cap. per uenit*

uenit sub num.4. qui fil. sint legit. Cæs. de Graf. decis.1. nu. 6. & 10. eod. tit.

9 Secundo respondebatur Clandestinitatem excludi ex instrumento dotali vbi coniuges promiserunt solennizare matrimonium in facie Sanctæ Ecclesiæ Romanæ.

10 Tertio dicebatur eandem excludi ex testibus affirmantibus, quod Michael, & Eleonora communiter habebantur pro legitimis coniugibus.

11 Postremo non obstabat quod non probarentur præmissæ denunciationes, sine quibus matrimonium dicitur Clandestinum *c. cum inhibitio. de Clandest. desp.* Quia fuit responsum primo istam negatiuam non apparuisse probatam per d. Castellanum. Secundo fuit responsum, omissionem denunciationum non reddere matrimonium Clandestinum, neque prolem illegitimam, vt censuit congregatio Interpretum *Sacri Conc. Trident. sess.24. super c. 10. de reformat. matrim. in verbo denunciatur.*

12 Denique prætensam istam Clandestinitatem plura in hoc casu excludebant videlicet præcedens dispensatio, mandatum directum Vice. Barchinonensi de dispensando per verba de præsenti, promissio coniugum de contrahendo in facie Sanctæ Matris Ecclesiæ, & denique communis reputatio, quod coniuges diu tanquam legitimi coniuges vixerunt. *Put. decis. 251. lib. 3. Veral. decis. 204. part. 2.* Et ita fuit conclusum.

REVERENDISS. P. D. ATTREBATEN.

Leodien. Collectæ. Die 19. Martij. 1604.

ARGVMENTVM.

Clericus, & Vniuersitas An, & pro qua causa possit sine scientia superioris imponere Collectas, & an ad illarum solutionem teneantur Equites Hierosolymitani.

SVMMARIVM.

Collectas etiam sine scientia Superioris ex causa necessitatis concernentis priuatum, & publicum vniuersitas imponere potest. num.1.

Vniuersitas ex causa communis vtilitatis, & necessitatis non potest, sine scientia Superioris imponere Collectas nisi etiam periculum, aut damnum sit ineuitabile, & quoad vniuersitatem Clericorum est necessarius consensus Papæ. num.2.

Clerus potest sibi, & suis imponere collectas pro suis, & proprijs necessitatibus, non autem pro vtilitate Reipublicæ absque Principis consensu. num.3. & seq

Ecclesia non debet contribuere ad Collectas laicorum etiam impositas pro aliqua necessitate nisi Clerus vna cum Populo conueniat, & consentiat, & alias prout. num.4.

Equites, & Milites Hierosolimitani sunt exempti ab omni iurisdictione, & superioritate ordinarij, & aliorum inferiorum. num.5.

Equites, & milites Hierosolimitani non tenentur soluere Collectas impositas à Clero. num.5.

Verba generalia non comprehendunt casum improuisæ, & ineuitabilis necessitatis declara vt nu.6. & 7.

Obseruantia non suffragatur contra constitutionem, seu Priuilegium quo remouetur contraria obseruantia num.8.

Soluens cum soluere non teneretur vigore alicuius priuilegij, non præiudicat in futurum suo priuilegio. num.9.

DECISIO LXXII.

1 Clerus Secundarius Leodien. pro liberatione Diœcesis illius ab incursionibus, & grassatoribus, quibus affici solet, occasione vicinorum bellorum pro rata sua collectas imposuerat, & pecunias in eum finem prænumeratas à singulis eiusdem Cleri membris recuperare volens inter ceteros à Commendatario Sancti Ioannis Hierosolymitani exactiones eo nomine petebat, hoc potissimum fundamento, quod ius commune permittit collectas sine scitu superioris ex causa necessitatis imponere, quæ concernit priuatum, & publicum, vel totam Vniuersitatem, cap. non minus, & ibi *Abb. num.20. versic. puto & Ioan. de Anan. num.11. Anchar. num. 8. & cap. aduersus. num.2. de immunit. eccles. & cap. 1. eodem tit. numero 8. in 6. glos. fin. in c. cum dilecta. de scrip. Bartol. in l. nullas. la secunda. Cod. de caus. publ. lib. 12. Ias. in l. si ex toto. num.45. de legat. 1. Castr. cons. 423. numero 4. lib. 2. Corn. consilio 72. num. 15. ad fin. lib.4. Purpur. 530. n.6. & consil. 543. num. 335 Æmil. Ferret. respons. 57. numero 19.* quod etiam procedit si collecta imponatur pro recuperatione pecuniæ sic expensæ, vel debitæ, *lib. 1. §. fin. & ibi glossa in verb. Proconsul. & Doct. ff. quod cuiusque vniuers. nomin. Bart. in l. 4. §. actor. numero 5. ff. de re iud.* Quin etiam priuilegia concessa per verba vniuersalia, & prægnantia cessant in casu huiusmodi necessitatis. *cap. peruenit versic.* alio modo, & ibi *Collecta. in principio. Innoc. ibidem, & Canonistæ communiter, de immunitat. eccles. l. ad portas, & l. ... la sacunda. Cod. de oper. public. l. ad instructiones, & l. iubemus nullam. C. de sacros. eccles. Tenuat. de Stat. de priuileg. §. 3. in princ. & num. 22. & sequent. qui in specie idem tradit de priuileg. milit. Hierosolymit. in §. si quispiam. num. 3.*

2 Quibus non obstantibus fuit resolutum contrarium, ad solutionem huiusmodi Collectarum non teneri Communitatem, etiamsi causæ in imponendo expresse essent visæ, de quo in facto multum controuertitur. Nec sufficit, quod agatur de communi vtilitate, ac necessitate, vt nonnulli Doct. allegati loquuntur, cum iste sit casus. *c. non minus, & cap. aduersus*, in quibus nihilominus requiritur consensus Papæ, sed quod in periculum propter damnum ineuitabile, & quod potest euenire Reipublicæ. In proposito autem, collecta non fuit imposita tempore præsentis periculi ad euitanda damna, & inconuenientia, quæ solent oriri ex hostilibus incursionibus sed ad extinguendum, & euitandum interusuria.

3 Quare poterat quidem Clerus pro suis proprijs necessitatibus, & debitis vrgentibus sibi ipsi, suisque non autem pro vtilitate Reipublicæ, absque Principis auctoritate hoc onus inducere. *c. innouamus de censib. l. vnic. C. de superind. l.1. §.1. glos. super ver. Proconsul. ff. quod cuiusque vniuer. l. omnes. C. de oper. publ. Bart. in repetit. l. placet num. 31. C. de sacrosanct. eccles. & in l.4. §. actor. ff. de reg. iur. & in l. vna. Cod. de mulier. & in quo loco. num. 24. libr. 10. & in l. cum neque. ff. de incol. Nicol. Fossat. de extinct. & collect. c.2. numer. 8.* Minus vero imponere potuit personis non subiectis *Bal. in l. ad instrit. C. de sacros. eccles. Castr. cons. 423. nu. 2. lib. 2. Alex. cons. 68. num. 1. lib. 2. Corn. cons. 72. num. 16. lib. 4. Cum impositio collectarum sit actus iurisdictionis Alex. consilio 78. numero 8. & in fin. lib. 6. Socin. cons. 129 numer. 1. circa med.*

4 Et facit, quod quantumcunque sit necessitas, tamen Ecclesia non debet contribuere ad solas deliberationes laicorum, sed oportet, quod populus, & Clerus vna, conueniant super tali vexatione redimenda, nec simplex deliberatio totius populi potest obligare Clerum, vt nec vice versa cum agatur de communi vtilitate, quia quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, & si clerici sine legitima causa nollent contribuere, potest populus implorare officium superioris Ecclesiastici, vt compellat Clerum ad consentiendum, ergo, *c. nullus de iur. patr. Panorm. in c. non minus. num.2. vers. aut necessitas, Tomat. de tract. §.3. num.25. paulo ante fin.*

5 Quo

5 Quo circa cum priuilegia Religionis Hierosolymitanæ eximant milites ab omni superioritate, & iurisdictione Ordinarij, & aliorum inferiorum, ita vt nullo casu remanent illis subiecti, vt fuit resolutum in his terminis in causa Brundusina iurisdictionis 9. Februarij 1579. coram Bubalo. Ideo consensus Cleri secundarij, non erat sufficiens ad obligandum commendatarium, sed erat necessaria auctoritas Sedis Apostolicæ, quæ sola retinet superioritatem in illos milites, & nemo illis derogare potest, nisi solus Papa propter decretum irritans, *c. cum inferior. de maior. & obed. clem. ne Romani de elect.*

6 Et quamuis in casu improuisæ, ac ineuitabilis necessitatis non sufficiant verba generalia, *Ripa in dicta l. si ex toto num. 16. & 17. ff. de legat. 1. vbi Doct. passim de communi testantur*. Tamen Domini considerarunt verba priuilegiorum amplissima à quibusuis impositionibus ex quauis causa, & ex quouis pretextu, ita vt apta sunt comprehendere istum casum. *Bart. in l. si fideiussor. §. meminisse, ff. de legat. 1. & in l. vxorem §. agri plagam. ff. de legat. 3. Natt. cons. 58. num. 12. & 13. Cephal. consil. 150. num. 8. Dec. respons. 51. num. 22. & seq. libr. 3.* Item considerarunt causas, & merita, propter quæ dicta priuilegia concessa fuerunt militibus, quia non modo facultates, & fortunas, verum etiam sanguinem, & vitam pro defensione Reipublicæ Christianæ prodigunt. *Dec. consil. 51. num. 25. libr. 3.* quæ priuilegia Thomat. non vidit, vel si vidit ad ea non respondit.

7 Non obstat capite peruenit. de immunit. eccles. quia non habet locum, quando extenditur etiam priuilegium, vt ibi per *glos. in ver. omnes, in fin.* vel saltem quando priuilegium habet verba apta comprehendere omnes casus, & quę sine violatione recti sermonis restringi nequeunt, vt iam fuit dictum.

8 Non obstat obseruantia quia tractatur de preiudicio totius ordinis, & priuilegia remouent obseruantiam contrariam, atque etiam præscriptionem.

9 Quare per solutionem si qua forte ab aliquibus Commissarijs facta est, non præiudicatur futuris solutionibus, minusque priuilegijs Religionis. *Felin. in c. cum accessissent, num. 29. in tertia limitatione, de constit. Ruin. cons. 228. num. 11. libr. 1. Natt. consil. 160. num. 46. volum. 1.*

REVERENDISS. P. D. COCCINO.

DECANO.

Bononien. Fideicommissi de Mongiolis. Die 26. Martij 1604.

ARGVMENTVM.

Prohibita bona alienari, si alienata fuerint, alienatio est nulla ab initio, impedit translationem Dominij, & repellit alienantem tanquam indignum à reuocatione rei alienatæ, & an facultas reuocandi bona alienata spectet etiam ad remotiores vocatos, & ad eos, qui tempore alienationis non erant nati.

SVMMARIVM.

Prohibitio alienationis facta per testatorem cum facultate cuilibet ex vocatis recuperandi bona alienata reddit alienationem nullam ab initio, impedit translationem Dominij, & repellit alienantem, tanquam indignum à reuocatione rei alienatæ, num. 1.

Clausula in fine posita refertur, ad omnia præcedentia, num. 2.

Bona vbi sunt probibita alienari à testatore, si fuerint alienata reuocari possunt à tertio possessore etiam à remotioribus vocatis, nu. 3. in fine.

Bona probibita alienari, si alienata fuerint numquid possunt reuocari à vocatis in casu alienationis, qui non erant nati tempore factæ alienationis, nu. 3.

Exceptio iuris tertij dari potest, quando in totum est exclusiua iuris agentis, nu. 4.

DECISIO LXXIII.

1 DVbitaui, an filij Comitis Melchioris possint agere ad recuperationem bonorum per Fasaninum detentorum. Et Domini affirmatiuè resoluerunt, quia cum in testamento Comitis Melchioris senioris cuius fideicommisso ea esse supposita iam firmatum est, adsit expressa prohibitio alienandi, & detur facultas cuilibet ex vocatis recuperandi, hec prohibitio reddit alienationem nullam ab initio, impedit translationem Dominij, & repellit alienantem, tanquam indignum à reuocatione rei alienatæ, *leg. filius familias, §. Diui, vbi Bart. num. 6. Castrens. num. 7. Ias. in 1. lect. num. 66. Ripa num. 47. Crot. num. 32. de legat. 1. Ruin. cons. 23. nu. 13. lib. 5. Tiraq. de leg. connub. gl. 7. num. 57. gl. 2. in l. cum pater. §. libertis. Castren. num. 4. de legat. 2. Et tenuit Rota coram bon. mem. Episcopo Lauretano in causa Romana Palatij 8. Martij 1577.*

2 Nec est verum, quod huiusmodi prohibitio sit facta respectu certorum bonorum particulariũ, quia refertur ad omnia bona, & postea ampliatiuè ad certa bona particularia, ibi, & specialiter, præsertim, & præcipue, & in fine prohibitionis datur à testatore supradicta recuperandi facultas, quæ tanquam in fine posita refertur ad omnia, *leg. 1. vbi Doctor. & post alios Ias. num. 3. & sequent. Cod. de libert. præter Bart. in leg. 3. §. filius, num. 7. ff. de liber. & posthum.* & fuit resolutum in causa Placentina euictionis 16. Ianuarij 1589. coram Reuerendissimo Domino Decano, & aliàs sæpius.

3 Non obstat, quod huiusmodi bona obuenerint in portionem Comitis Alexandri, fratris Comitis Melchioris, & ideo eorum recuperatio spectet ad filios ipsiusmet Alexandri etiam, quod sint nati, & concepti post purificationem dictæ conditionis. *Ruin. post alios, quos alleg. cons. 22. num. 9. vers. sed istis, & alijs, lib. 2.* Nam omissio, quod non constat concludenter de huiusmodi diuisione, & quod Ruin. moueatur ex coniecturata mente testatoris, realiter aliàs firmans regulam in contrarium, videlicet, quod illum qui vult admitti ad recuperationem necesse, est esse natum, vel conceptum tempore purificatæ conditionis, huius opinionis fuit author *Lambert. de Ramponibus, quem postea secuti fuerunt, Ioann. Andr. in addit. ad Specul. in tit. de testam. in rubr. col. 3. vers. Item Lambert. de Ramponibus, Castrens. consil. 16. num. 5. lib. 2. Alexand. consil. 13. num. 4. lib. 4. cum alijs per Alben. consil. 106. nu. 5. & 13. quos etiam latissime cumulat Tiraq. de retract. lignag. §. 1. glos. 9. num. 82. & seqq.* Dixerunt Domini non esse opus ingredi hanc quæstionem, quam dicit *Modern. Patau.* esse multum controuersam, & ratione, & auctoritate ostendit, in suo *tract. de fideicomm. artic. 22. num. 73. per tot.* quia de ea esset agendum inter ipsos filios Alexandri, & Melchioris, sed cum hodie agatur contra tertium debitorem, sufficit, quod testator voluerit per quemlibet ex vocatis bona alienata posse recuperari, quo casu admittuntur etiam remotiores, *Bald. in rubr. Cod. qui accus. non pos. in fin. Dec. cons. 619. num. 2. Decian. respons. 2. num. 2. & respons. 3. num. 1. lib. 2.*

4 Hæc facit, quod adsint filij Alexandri proximiores, quia dato etiam, quod possent agere, tamen Fasaninus non potest dare de isto iure tertij, *l. loci corpus, §. competit. ff. si seruit. vendic. & l. 2. cum glossa ff. si ager. vectigal. cum alijs.* Et quamuis regula non procedit, quando ius tertij est exclusiuum ipso iure iuris agentis. *Bartol. in dicto §. competit, & in leg. 2. de except. rei iudic. Alexand. consil. 137. num. 23. lib. 2.* Tamen

men cessat ista limitatio, quia istud ius tertij, non est exclusiuum iuris agentis, cum non constet filios Alexandri velle agere, & tamen requiritur declaratio, & cæter.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

D. CARD. LANCELLOTTO,

IVNIORE.

Ferrarien. Attentatorum. Lunæ 29. Martij 1604.

ARGVMENTVM.

Attentata lite pendente, & præsertim post factam inhibitionem reuocanda sunt, & quando ad hunc effectum lis pendere dicatur.

SVMMARIVM.

Lite pendente innouata dicuntur attentata, & reuocanda sunt. nu. 1.
Attentata, vt dicantur lite pendente sufficit litem motam esse super nullitate concessionis factæ ab Episcopo. n. 2.
Inhibitione Rotali iam facta innouari nihil debet, Iudexque inhibitus non habet cognitionem, an inhibitio comprehendat, vel non comprehendat casum, de quo agitur. n. 3.
Attentare non dicitur qui suam possessionem continuat. numer. 4.
Quasi possessio infeudandi an probetur ex infeudationibus factis. nu. 4.

DECISIO LXXIV.

1 CVm à sententia lata super inualiditate Inuestituræ, concessæ de anno 1577. quondam Lauræ de Contrarijs fuerit appellatum, & causa appellationis fuerit commissa in Rota, à qua etiam fuit inhibitum, Domini dixerunt concessiones, de quibus agitur, ab Episcopo factas de bonis in dicta inuestitura Lauræ comprehensis, fuisse attentatas vti factas lite pendente, *tot. tit. vt lit. pend. nihil innouetur. Clem. 1. & 2. & ibi gl. eod. tit. & vti post inhibitionem Rotæ, vt in decisione nostra 20. de appel. in nouiss. & 29. eod. tit. in antiq. Caputaq. dec. 93. par. 2.*

2 Neque obstare, quod lis esset solum super nullitate concessionis Lauræ, itaut non comprehenderet ius infeudandi, quod prætendit Episcopus. Tum quia illa lis sufficit ad effectum, ne Episcopus ea pendente possit infeudare, iuxta consilium *Castrensis 72. lib. 2. Felin. 32. num. 13. & tradit Gabr. de Iudic. concl. 4. nu. 24.* & fuit resolutum in causa Mantuana attentatorũ 1. Iulij 1583. coram Sanctissimo Domino Nostro.

3 Tum quia stante inhibitione Rotali debebat Episcopus abstinere, neque ad ipsum spectabat cognitio An inhibitio comprehenderet hunc casum, vel ne. *Achil. dec. 7. de attent. in manuscript. & 29. de appell. in impress. Accoramb. dec. 53. lib. 1.* & fuit ponderatum in allegata Mantuana. Tum etiam, quia Episcopus infeudando contrauenit pactis Inuestituræ, nedum concedendo bona vti liberè Mensæ Episcopali deuoluta, & recipiendo integrum Capisoldum, sed etiam non vocando Lauram, siue eius successores, nec adhibendo eam causæ cognitionem, quæ ex conuentione adhiberi debuisset.

4 Nec etiam obstare, quod Episcopus esset in quasi possessione infeudandi, ita vt illam continuando nõ dicatur attentasse, quia non constat de hac quasi possessione, quæ ei suffragari possit. Quamuis enim illa deducitur ex infeudationibus ab Episcopis factis ante annum 1577. & sic ante Inuestituram Lauræ huiusmodi concessiones non sunt ad istum effectum attendendæ. Nam Laura, siue eius successores ante dictum annum 1577. nullum habebant Ius, neque successerant in antiquis Inuestituris Dominorum de Contrarijs, prout neque eorum Inuestitura continet renouationem antiquarum, sed est penitus diuersa, vt de bonis ad Mensam Episcopalem deuolutis, ac ideo cum vltima Inuestitura, in qua Domini de Pepulis se fundant, sit noua concessio, & contineat pacta diuersa ab antiquis, non est attendendum quid ante illam ab Episcopis factum fuerit, *ad d. l. pacta nouissima. C. de pact.* Quatenus vero asserta quasi possessio deducitur ex instrumentis infeudationum de anno 1587. & 1590. nec etiam suffragatur, cum tales infeudationes non sint de bonis comprehensis in Inuestitura Lauræ, sed de diuersis, ex quibus ad bona concessa Lauræ inferri non potest ad *leg. Papinianus exuli. ff. de minoribus.*

5 Nec releuare, quod inuestituræ factæ fuerint cum præseruatione iurium, & eisdem personis, quibus iam erant factæ ab ipsis Dominis de Pepulis. Nam fuerunt solum præseruata iura antiquarum inuestiturarum, quibus Domini de Pepulis non nituntur sed nihilominus eis præiudicatum fuit, tam per receptionem integri Laudemij, quam ex quo de iure ipsorum non fuit facta aliqua mentio, quam etiam, quia non fuerunt seruata pacta inuestituræ, & in omnem euentum id non tollit, quin sint factæ lite pendente, & post inhibitionem Rotæ, & per consequens sint attentatæ.

R. P. D. LITTA.

Bononien. Præceptoriæ. Lunæ 5. Aprilis 1604.

ARGVMENTVM.

Possessio in antiquis probatur per famam, & per enunciatiuis diuersorum instrementorum, etiam emanatas à personis habentibus interesse, si fuerint adminiculatæ.

SVMMARIVM.

Possessio antiquissima probatur per famam. nu. 1.
Fama in antiquis plene probat. nu. 1.
Fama censetur probata ex pluribus enunciatiuis emanatis in diuersis instrumentis antiquis diuersarum personarum, & diuersorum Notariorum. nu. 2.
Enunciatiuæ etiam emanatæ ab interesse habentibus, si fuerint adminiculatæ, plene probant. nu. 3. & 4.

DECISIO LXXV.

1 FVit resolutum, constare de primo extremo spolij prætensi per Magnum Magistrum Religionis Theutonicæ, sub inuocatione Beatæ MARIÆ. Alamannorum sitæ extra portam stratæ maioris Ciuitatis Bononiẽ contra Capitulum Metropolitanæ, dictæ Ciuitatis: Nam cum agatur de probanda antiquissima possessione respectu eius, quod scilicet huiusmodi Præceptoria fuerit alias recta, & gubernata per Milites, & Commendatarios dictæ Religionis vti propria: non est dubium, quod sufficit fama etiam ad effectum spolij. *Put. dec. 78. lib. 1. & dec. 26. de restit. spoliat.* ea ratione, quia fama in antiquis plene probat secundum *Bart. in l. siquidem. num. 2. C. sol. matrim.* & opinionem, quam sequitur *Rota. Cassad. dec. 2. n. 2. & seq. de probat.*

2 Quæ quidem fama hoc in casu resultat ex pluribus & penè infinitis enunciatiuis in diuersis instrumentis antiquis etiam diuersarum personarum, & diuersorum

sorum Notariorum emanatis, de quibus in Summario iurium pro hac parte informante dato, *gl. in cap. cum olim in verb. instrumentis. de censibus Felin. in cap. cum causam. num. 5. in fine. de probat. late Aym. cons. 332. num. 2. Achill. dec. 5. de iur. patr. Mohed. dec. 12. eod. tit.* & fuit sæpe resolutum.

3 Et licet ex dictis enunciatiuis aliquæ emanauerint ab interesse habentibus, videlicet à præceptoribus ipsis, & commendatarijs dictæ Religionis; attamen cum sint adminiculatæ ex alijs quampluribus actib. de quibus in dicto Summario plene probant *Achil. dec. 1. de confess. Put. dec. 149. num. 2. lib. 3.*

4 Vltra quod non desunt quamplures enunciatiuæ emanatæ a personis non interessatis, cum quibus cõcurrunt etiam historiæ, & denominatio ipsius præceptoriæ vsque in hodiernum diem, quæ plurimum faciunt ex late deductis hic per Informantes, quæ non referuntur breuitatis gratia.

REVERENIDISSIMO P. D.

ATTREBATEN.

Comen. Decimarum. Die 3. Maij 1604.

ARGVMENTVM.

Decimæ regulariter, & de iure communi spectant ad Parochum, & qui illas ad se spectare ex præscriptione prætendit, debet præscriptionem probare, vel quadragenariam cum titulo, & bona fide, vel immemorabilem, & quomodo talis præscriptio probetur.

SVMMARIVM.

Parochus de iure communi habet fundatam intentionem pro consequutione decimarum. nu. 1.

Decimarum quasi possessio transfert onus probandi in eum, qui ius decimandi præscripsisse prætendit. nu. 2.

Præscriptio in exceptione decimarum debet esse quadragenaria cum titulo, & bona fide, vel immemorabilis. num. 2.

Præscriptio immemorabilis quomodo probetur per testes, & qualis debeant esse ætatis dicti testes. nu. 3.

Possessio generalis decimarum totius Parochiæ non comprehendit locum particularem ab alio possessum. nu. 4.

DECISIO LXXVI.

1 FVit resolutum, decimas de quibus agitur spectare ad Parochum Bregnani, non autem ad Præpositum Sancti Pantaleonis eiusdem loci, quia præterquam quod Parochus habet fundatam intentionem de iure communi. *cap. finali. de Parochis. cap. cum contingat. cap. cum in tua. cap. quoniam. de decim. cap. ad decimas. de restitut. spoliat. in 6. Put. dec. 169. lib. 3. Rebuff. de decim. q. 2. & q. 14. num. 2.*

2 Item Parochus est in quasi possessione exigendi decimas conuentuales ex Terris, de quibus controuertitur, *vt in Summario. num. 6.* Præpositus autem qui prætendit præscripsisse ius decimandi generale, probare debet, vel quadragenariam cum titulo, & bona fide, vel immemorabilem, *cap. 1. de præscript. in 6. par. 1. quintæ part. princ. q. 7. num. 13. Rebuff. de decim. quæst. 13. n. 5. & sequentib.* In quadragenaria non ponitur fundamentum, sed tantum in immemorabili, quam habet cum priuilegijs. *Card. cons. 88. nu. 21. in fine. Crescent. dec. 1. de decim.*

3 Verum hæc probatio visa est habere multas difficultates. Cum enim subtrahendum sit tempus litis motæ, & adsunt duæ lites, quarum vna mota fuit anno 1578. certis Parochianis, contra quos Præpositus obtinuit sententiam fauorabilem, altera vero ipsi Parocho, anno 1586. Nam satis expeditum est, a quo tempore faciendum sit litis initium, a quo capite pẽdent disceptata super ætate testium, de qua etiã principaliter partes dissentiunt, siue vnum, siue alterum tempus spectetur, an verò deducto tempore litis dictis testibus relinqui debeant anni 54. requisiti ad probandam immemorabilem. *Caput. dec. 290. part. 3. Gabr. de præscript. num. 53. Gemin. in dict. cap. 1. nu. 16. vers. sed quæritur.*

4 Quare non possunt in vniuersum esse decimales, cum in toto iure generi semper per speciem derogetur, & possessio generalis Decimarum totius Parochiæ non comprehendit locum particularem ab alio possessum. *Soc. cons. 89. col. 5. vers. optime, & col. penult. lib. 1. Rebuff. de decim. q. 54. num. 22. & fuit resolutum coram R. P. D. Coccino 17. Nouembris 1603. &c.*

REVERENDISS. P. D. COCCINO.

DECANO.

Lucana Iuris patronatus. Veneris 7. May 1604.

ARGVMENTVM.

Ius patronatus ex descriptione probatur facta in libro Ecclesiæ antiquissimo. Item ex publica voce, & fama, vna cum quadragenaria quasi præsentandi possessione.

SVMMARIVM.

Ius patronatus probatur ex illius descriptione in libro antiquo Ecclesiæ. nu. 1.

Ius patronatus probatur per testes deponentes de publica voce, & fama, in antiquis iuncta quadragenaria possessione præsentandi. nu. 2. & 3.

Iuris patronatus status non immutatur per Prouisiones Apostolicas. nu. 4.

Iuris patronatus quasi possessio non acquiritur per præsentationes non effectuatas. Declara, vt nu. 5.

DECISIO LXXVII.

1 VIsum fuit constare de iure patronatus familię de Anteiminellis. Primo ex descriptione facta ante annos 600. in libro nuncupato Martyrologium Ecclesiæ Lucanæ, ad tradita per *Bald. in consil. 310. lib. 5. Dec. in consil. 135. num. 2. Ripa in cap. cum Ecclesia Sutrina num. 97. de caus. possess. & propriet. Ferret. cons. 293. num. 9. lib. 2.*

2 Secundo ex testibus deponentibus de publica voce, & fama. Primo scilicet, & quarto, quæ in antiquis cum possessione quadragenaria præsentandi, probat ius patronatus. *Cassad. dec. 2. num. 4. cum sequent. de probat.* dicens Rotam tenere opinionem *Bald. in l. cum super. C. de rei vendicat. Achill. dec. 6. de iure patron. Put. dec. 60. in fin. lib. 1.* & fuit dictum in causa Barchinonen. Vnionis 5. Decembris 1597. coram bon. mem. Gipsio.

3 Hic autem cum præsupposito, quod hæc prima presentatio habuerit effectum, interuenit huiusmodi quasi possessio quadragenaria, nam de anno 1499. fuit præsentatus Ioannes Nicolaus Thomæi. Et quãuis huiusmodi quasi possessio sit de beneficio vacante per resignationem, tamen dubitari non potest, quin suffragatur, ac si esset præsentatio de vacante per obitum, vt reprobata opinione *Dec. in cons. 149. num. 4.* tenet *Rota, Mohed. dec. 10. de iur. patr. num. 3. & 4. Abb. in cap. 1. de religios. domib.* Et adest alia præsentatio de anno 1577. in personam Benedicti Leonardi, quæ habuit effectum cum per eius obitum fuerit prouisus de anno 1583. Ioannes de Ciotis vltimo loco defunctus.

4 Et

4 Et mouit etiam Dominos, quod medio tempore vsque ad annum 1577. adsunt duæ prouisiones Apostolicæ, in quibus derogatur iuri patronatus, & adest quoque alia præsentatio, & institutio de anno 1515. licet non doceatur effectum fuisse sortitam, quæ omnia dant magnum fumum continuationis præsentationum. Nec prouisiones Apostolicæ elidunt intentionem Patronorum, quia clarum est, ipsas non mutare statum beneficij. *Aegid. dec. 107. Achil. decis. 13. in cap. status beneficij. de iur. patr.*

5 Non obstat, quod requiruntur præsentationes effectum sortitæ spacio 100. annorum, prout declarauit Congregatio Conc. & tenuit Rota in dicta Barchinonen. quia hæc procederent si ex solis præsentationibus ius patronatus probari deberet, sed in præsenti casu adest descriptio in libro. Item fama cum quadragenaria quasi possessione præsentandi, quæ sufficiunt per supradicta. An autem ius patronatus spectet ad D. Lucretiam, erit particulariter videndum, &c.

REVERENDISSIMO P. D.

DAMASCENO.

Romana de Mutis. Lunæ 17. Maij 1604.

ARGVMENTVM.

Ex Summario sumas argumentum.

SVMMARIVM.

Res iudicata facit ius, quo ad omnes. num. 1. Declara, vt numer. 2.
Reus conuentus vti potest exceptionibus contrarijs. Declara vt num. 3.
Repræsentans duas personas an, & quando possit respectu vnius personæ contrarium declarare eius, quod declarat ex alia persona. nu. 4. & 5.

DECISIO LXXVIII.

1 Franciscus Scappuccius emit Casale ab Horatio Muto, quod fuerat in bonis Fuluiæ matris dicti Horatij, vtque posset se tueri à quadam donatione scutorum triginta millium facta de anno 1586. per dictam Fuluiam ad fauorem filiorum Fabricij seruatis seruandis, obtinuit per A. C. declarari validam aliam donationem factam vsque de anno 1550. per eandem Fuluiam ad fauorem Horatij. Cum autem Honofrius filius dicti Horatij prætenderet se esse vocatum in donatione de anno 1550. & propterea mortuo Horatio ageret ad recuperationem Casalis, Franciscus impugnabat & hanc donationem de anno 1590. Dubitaui an hoc sibi liceret facere, quod fuit per Dominos negatiuè resolutum, quia res iudicata, quam ipse Franciscus obtinuit respectu propriæ illius personæ, facit ius quo ad omnes. *leg. si seruus. §. si hæreditatis, vers. & cum ius. ff. de legat. 1. facit text. arguendo a contrario sensu in l. post legatum. versic. nec obtinuit. ff. de his, quibus vt indign. Felin. cap. Capitulum. nu. 9. col. 2. vers. sed si super impugnatione esset pronunciatum. de rescript.*

2 Non obstat glos. dict. l. verbo ad ipsius, quæ dicit, illam legem non loqui de illis sententijs, quæ faciunt ius quo ad omnes, quia non dicitur hic, quod ista sententia faciat ius in præiudicium omnium, vt in l. ingenuum. de stat. hom. ad quam se refert dicta gl. sed dicitur è conuerso dictam sententiam in præiudicium obtinentis dare ius omnibus.

3 Minus obstat, quod Conuentus possit vti exceptionibus contrarijs. *Alciat. reg. 2. præsumpt. 31. num. 3. cum seqq. Gabr. de act. conclus. 1. num. 12. cum similibus,* quia non loquuntur de exceptione, cuius contrarium excipiens obtinuit canonizari, quia tunc non potest contrarium in iudicium deducere. *Roman. consil. 347. nu. 9. vers. an instantia, cum alijs per Gabr. de reg. concl. 2. nu. 44. & 47.*

4 Non obstat, quod Franciscus oppugnet hanc donationem nedum ex persona propria, sed etiam ex persona creditorum Horatij, à quibus ipse habet cessionem, & ideo non esse inconueniens, quod ex persona creditorum sibi liceat id, quod alias ex propria non liceret. *leg. si frater. §. qui duos. ff. de adopt. l. cum quædam. Cod. de administrat. tutor.* cum multis ad eam rem cumulatis per *Euerard. in loco de tanquam siue respectiuis.* Quia dicta regula habet duas præcipuas limitationes. Prima est, vt non procedat in his, quæ sunt obiectus intellectus, quia in istis non potest quis aliud intelligere ex vna persona, & aliud ex alia, *gloss. in cap. si quis iusto. §. porro verb. nihil agat. de elect. in 6.* Vbi dicit, quod non potest quis vnum eligere tanquam meliorem nomine proprio, & alium nomine Domini sui. Similiter dicit *Felin. in cap. cum olim num. 3. de sent. & re iudic.* quod quis non potest, tanquam iudex delegatus ferre vnam sententiam, & tanquam sub delegatus aliam. Item non potest quis tanquam testis asserere vnum, & tanquam principalis aliud *Butr. post Innocent. in cap. super Inquisitionem. num. 17. de elect.* Et iste videtur casus, quia cum ex persona propria non possit Franciscus asserere dictam sententiam iniustam, minus videtur, quod hoc possit ex aliena, quia debet habere eundem intellectum ex vtraque persona.

5 Altera limitatio est, quod & in voluntarijs regula non procedat, si ex vtraque persona agit quis de proprio commodo; & ex vna iam declarauit voluntatem suam aliquo facto, quia tunc non potest velle contrarium ex alia. *leg. si non sortem. §. filiusfamilias, vbi not. Bartol. in Summario. ff. de condict. indebiti. leg. si proponas. §. 1. ff. de inoffic. testam.* & iste pariter videtur casus, quia Franciscus ex propria persona iam declarauit voluntatem suam, & licet tanquam Cessionarius faciat narratiuam nomine cedentium, tamen concludit in persona propria, vt dicit *Castrens. in leg. qui stipendia. num. 5. Cod. de procurat.* Et ideo debet sibi obstare factum proprium, iuribus allegatis, sicut alias agenti nomine cedentis obstat proprium æs alienum. *leg. in rem. ff. de compensat. cum alijs per Ruin. cons. 148. num. 3. lib. 1.*

REV.^mo P. D. COCCINO

DECANO.

Montis Regalis iurisdictionis. Lunæ 24. Maij 1604.

ARGVMENTVM.

De celebratione officij facienda per Monachos in Ecclesia Cathedrali, & de illius forma.

SVMMARIVM.

Debet verbum importat necessitatem. nu. 1.
Clerici sæculares tenentur interesse diuinis officijs, & Monachis eiusdem Ecclesiæ se conformare, non solum vigore Bullæ Pauli III. sed etiam de iure communi. nu. 1. & 2. & nu. 3. Vbi declaratur in quo consistat conformatio ista cum Monachis, scilicet vt diuina officia celebrentur secundum Regulam Monachorum.

Mona-

Monachi Cathedralis Ecclesiæ debent clebrare officium secundum ritum suæ Regulæ, & iuxta voluntatem Episcopi. Sed non potest Episcopus mutare formam, quam Canonici seruare debent. num.4. & 5.
Addendi facultatem qui habet, non potest in totum mutare præcedentem statum, sed iuxta illum continuare. nu. 5.
Vbi idem de habente potestatem minuendi.
Minuendi facultate concessa, non censetur concessa facultas tollendi in totum. num.5.
Episcopus non potest contra ius commune aliquid disponere. num. 5.
Episcoporum statuta non ligant successores, nisi fuerint confirmata à Papa num. 6.

DECISIO LXXIX.

1 FVit per Dominos vnanimiter resolutum, clericos sæculares teneri interesse diuinis officijs, & Monachis se conformare, per verba Bullæ Pauli III. ibi, quodque clerici, & presbyteri sæculares cum superpelliceis in inferioribus stallis dextri, & sinistri Chori sedere, ac omnibus, & singulis diuinis officijs vna cum dictis Priore, Decano, & Monachis interesse, & cum eisdem se conformare debeant. Et ideo omnino tenetur interesse, & se conformare cum Monachis; verbum enim, debeant, importat necessitatem. *l.1. §.1. ff. quod quisque iur. Bart. in repet. l.3. n.3. C. de pignorib.* & hæc est propria significatio huius verbi, *Bart. vbi supra: glos. in clem. attendentes, in ver. debeant. de stat. monach.*

2 Et quoad conformationem non modo monachi habent verba Bullæ, verum etiam dispositionem iuris communis, vt per *Vitalin. in clem. fin. num.52. & 53. de celebr. Miss.* & bene facit *tex. in c. fi. prope fin. in ver. præcipimus*, ibi, opportune obsequia in Monasterijs fideliter impendentes, & ibi gl. vlt. de stat monach. & hæc sententia fulcitur ex regula generali, quod quilibet debet se conformare moribus Ecclesiæ, in qua conuersatur. *cap. illa. vers. sic etiam tu. 12. distinct. cap. recolentes. versic. ceterum domus. & ibi gloss. in verb. coaptent. de stat. monach. Card. in d. clem. fi. num.1. vers. 4. not. Vital. num. 52. Albertus de Ferrarijs in tract. de horis canon. num. 36.*

3 Et huiusmodi conformatio est, vt diuina officia celebrentur secundum regulam B. Patris Benedicti, habent enim monachi pro se tam dispositionem Bullæ Pauli III. *vbi in §. denique*, quod Prior, expresse hoc præcipitur, quam etiam dispositionem iuris communis: nam cum Ecclesia Montis Regalis sit Cathedralis regularis, monachi iuxta ritum, & morem suę regulæ debent officiare, *ad tex. in cap. de ijs. §. Abbatibus. &c. fin.* ibi, neque monasteriorum consuetudines. *12. dist. Archid. in d.c. de ijs. num. 2. Ægid. in princ. de celeb. Miss. Summ. Tabien. in verb. horæ canonicæ n. 11.* & sunt etiam in hac possessione, pro qua eis per Dominos fuit concessa manutentio.

4 Non est verum, quod D. Archiepiscopus possit immutare huiusmodi statum, licet enim *in d.c. de ijs. dicatur*, quod debeat celebrare secundum ritum suę regulæ iuxta voluntatem sui Episcopi, tamen verba illa, iuxta voluntatem sui Episcopi, intelliguntur, quia Episcopus hoc etiam velle debet, non quod formam huius rei dare debeat, vel secundum voluntatem requisitam, etsi non habitam. *Archid. ibid. nu. 5. versic. secundum voluntatem. Card. de Turrecr. n.2. vers. hic est sensus.*

5 Nec minus verba Bullæ possunt ad hunc effectum suffragari Domino Archiepiscopo, in qua datur facultas pro tempore Archiepiscopis minuendi, & addendi; quia per talem facultatem non potest in totum tollere, & alterare; Additio enim non importat mutationem præcedentis status; sed potius continuationem, *ad text. in l. si proprietati. ff. de iur. dot. l. etiam C. eod. tit. cum alijs per Decian. resp. 11. num. 23. lib. 1.* imo secundum præcedentem statum regulatur *d. l. et iam. vbi Doct. l. inter socerum. §. cum inter. de pact. dot. Socin. sen. cons. 296. num. 5. in princ. lib. 2.* Et idem dicendum est de diminutione, quæ eiusdem iuris est, cuius est augumentum, *ad tex. in l. scribit. ff. ad Trebell.* & concessa facultate minuendi, non censetur concessa facultas in totum tollendi, quæ difficilius conceditur. *l. iuris gentium. §. adeo, ff. de pact. l. 2. C. de prec. Imp. off. Fulgos. cons. 210. in fin.* Eoque magis procedunt prædicta, quia cum Monachi habeant dispositionem iuris pro se, non potest D. Archiepiscopus in contrarium disponere, *Felin. in cap. quod super his. num.4. in 1. fall. & num. 11. vers. dixit etiam mirabiliter. de maior. & obed.*

6 Non obstat, quod predicta sint disposita particulari statuto Archiepiscoporum, quod non ligat successores, quia sumus in statuto confirmato à Sede Apostolica, & inserto in Bulla. Vnde non est amplius statutum Episcopale, sed Papale, quod ligat etiam successores, vt fuit resolutum in causa Visentina Iurisdictionis 28. Maij 1601. coram R. P. D. M. Sacrato, & in omnem euentum remanet dispositio iuris communis pro Monachis. Non intelligunt tamen Domini per prædicta impedire, quo minus Vicarius possit facere officium in diebus Resurrectionis, Natiuitatis, & alijs solennitatibus, *de quibus in eadem Bulla in §. quod nullus.*

ILLVSTISSIMO ET REVERENDISSIM D. CARD. LANCELLOTTO.

Sabinen. Hæreditatis de Vrsinis. Lunæ. 5. Iunij. 1604.

ARGVMENTVM.

Ex Summario sumas argumentum.

SVMMARIVM.

Testator dicitur habuisse respectum, & contemplationem ad suam familiam, quando feminas vocauit in casu quo nupserint alicui existenti de sua familia. num.1. & an isto casu dicatur etiam habuisse respectum ad feminam vocatam. num.2. & 3.
Legatum relictum feminæ, si nupserit cum aliqua certa persona, non admittitur si illa certa persona recusauerit ducere in vxorem Legatariam. num.2.

DECISIO LXXX.

1 POst factam resolutionem, quod Domini de Vrsinis filij Virginiæ, quæ in familia Vrsinorum nupserat, non essent aliquo modo vocati ad hæreditatem, & bona quondam Octauij dubitari contingit, An ex verbis testamenti, quæ præsupponebantur in dubio, posset colligi aliqua coniectura, quod testator aliquo modo contemplauerit fauorem prædictæ familiæ de Vrsinis vltra modum in supradicta decisione expressum, & Domini negatiuè resoluerunt, quia contemplatio fauoris familiæ non deducitur ex alio, quam ex conditione illa, sub qua posita est familia de Vrsinis, videlicet, dummodo feminæ in defectum masculorum vocatæ maritentur cum aliquo vel aliquibus de domo, vel familia nobilium de Vrsinis, etiam si ad secunda vota pluries transierint, per quam conditionem apparet testatorem habuisse solum rationem ad familiam de Vrsinis, eueniente casu quo femina in ea nupta esset, ac per eam voluisse solum reseruare ius succedenei ab intestato, vel ex testamento ijs, qui ex tali matrimonio nati fuissent. Hæc namque, & non alia contemplatio resultare potest

test ad fauorem familiæ in conditione positæ, ex glo. alias allegata, & communiter approbata *in l. Lucius, la secunda. ff. de hæred. instit.* ac inde circa huiusmodi contemplationem non potest alius effectus considerari, quam ponderatus in decisione, vt scilicet nobiles de Vrsinis sub spe prosperi euentus, & opulentæ hæreditatis inuitentur ad matrimonium cum illa femina contrahendum, & quod alio modo familia de Vrsinis contemplata non fuerit, satis constat ex eo, tum quia etiam si contigisset purificari fideicommissum in persona Virginiæ, non tamen ad fauorem familie aliud resultare potuisset, quam successio ab intestato, vel ex testamento, quatenus eidem Virginiæ visum fuisset, quæ nihilominus relicta filijs legitima, poterat de reliquis bonis disponere, cum ad fauorem filiorum ipsius non adsit aliqua substitutio, tum etiã quia si Virginia voluisset extra dictam familiam nubere Dominorum de Vrsinis, nihil ex dicto testamento consequi potuissent.

2 Vnde non obstat, quod quando testator reliquit filiæ si nupserit alicui, vel certo generi personarum, videatur contemplasse nedum personam filiæ, sed etiam illius, cui nubere, habet ex *Angel. cons. 34. in fin. Molin. Vasq. & alijs allegatis*, nam tale relictum respicit principaliter ipsam filiam, fauor autem illius cui nubere debet consideratur solum in consequentiam, & secundario, & non alio modo, nisi ad effectum, vt is sequutis nuptijs possit sperare prosperum euentum successionis, & sic nuptie in eius vtilitatem redeundent, & ideo videmus quod sequutis nuptijs legatum statim acquiritur filiæ absque aliquo onere restituendi marito. *l. cum fuerit. l. cum ita. l. pater Seuerinam. cum ibi nota. ff. de condit. & demonstrat.* & hinc est, quod persona a testatore electa, recusante nubere filia, nihilominus legatum lucratur. *vt in l. 1. Cod. de instit. & substit.* non sic econtra, quia si filia nubere non velit, persona illa nihil acquirit. *l. 2. Cod. de instit. & substit. & tradunt Doctores in d. l. 1.*

3 Nec etiam obstat, quod conditio de nubendo in familia de Vrsinis sit onus feminarum cum restringatur libera facultas nubendi, ita vt tale grauamen non possit dici impositum contemplatione illius, cui est adiunctum, quia hoc factum fuit pro honore femine vt certum sit, quod nuberet in familia nobili, sed quicquid sit, aut fauor, aut grauamen respectu feminarum, adest expressa vocatio cum tali onere nubendi in familia de Vrsinis, respectu autem dicte familiæ nihil aliud concurrit, nisi quod est in conditione posita, ex quo resultat solum coniectura contemplationis eo modo quo dictum est, & prout fuit deductum in decisione coram Illustrimo Domino meo Seraphino.

REVERENDISS. P. D. COCCINO DECANO.

Collen. Pensionis. Die 9. Iulij 1604.

ARGVMENTVM.

Plura continet hæc decisio, quæ per teipsum in Summario excipies.

SVMMARIVM.

Sententia à qua non fuit appellatum transit in iudicatum. num. 1.

Sententia lata partibus præsentibus intimari non debet, & tempus ad appellandum incipit currere à die latæ sententiæ. num. 2.

Sententia facit transitum in iudicatum, quando in termino præfixo à iudice, à quo ad docendum de prosequutione appellationis de ea non fuit doctum. num. 8.

Iudex à quo potest præfigere terminum appellanti ad docendum de procequutione appellationis. num. 3.

Impedimentum excusat à prosequutione appellationis. nu. 4.

Sententia data, prout in cedula est nulla si tempore termini seruati cedula non erat in actis. num. 5. Vbi tamen, quod isto casu non creditur Notario asserenti cedulam non fuisse in actis.

Notario non creditur, vbi agitur de condemnando iudicem. num. 5.

Sententias aliorum Tribunalium Rota non exequitur nisi sibi constito de earum iustitia. num. 6.

Resignatio ecclesiæ facta post assequutionem alterius ecclesiæ nulla, & inualida est. num. 6.

Beneficium semel vacatum ex persona vnius nouus Titulus iterum vacare ex eadem persona, nisi nouus Titulus superueniat. num. 6.

Subrogatus in ius Resignatarij nihil consequitur, non constito de iure Resignatarij. num. 7.

DECISIO. LXXXI.

1 DVbitaui, an constet de re iudicata, ita vt esset locus executioni. Et Domini affirmatiuè responderunt, quia Leander non interposuit appellationem infra decendium. *cap. quod ad consultationem. de re iudic. l. 1. C. si sæp. in integr. rest. Rot. decis. 5. de sent. excom. in nou. Aym. consilio 103. num. 1. Gaill. obser. pract. lib. 1. obseru. 139. num. 2.*

2 Non obstat, quod partes sint in confesso, quod in illis partibus, tempus ad appellandum incipit currere à die intimationis sententiæ, quia cum sententia fuerit lata partibus præsentibus, & talis intimatio non requirebatur, & tempus incipit currere statim à die sententiæ, *l. 1. §. vltimo. & ibi Bartol. ff. quand. appelland. sit. c. bidunm, §. si aduersus. 12. quæst. 6. Rota decis. 22. de appellat. in nou. Afflict. decis.* 344. *cum alijs late congestis per Tiraquel. de Retract. Lignag. §. 35. gloss. 4. numero* 10.

3 Et insuper intimatio fuit facta die 16. Ianuarij 1603. & appellatio interposita die 21. quæ fuit admissa cum præfixione duorum mensium ad prosequendam causam appellationis, & faciendam iudici fidem de prosequutione. Quare cum infra hoc tempus non fuerit doctum de appellationis prosequutione, sententia transitum fecit in iudicatum. Rota decis. 85. de appellat. in antiqu. & fuit resolutum in causa Venetiarum legitimitatis de Maurocenis. 13. Ianuarij 1603. coram Reuerendissimo D. meo Pamphilio Decano, & in alia Abulen. Cappellaniæ 17. Decembris 1599. coram Reuerendissimo D. Seraphiuno Patriarcha Alexandrino, qui ambo fuerunt hoc mane à Sanctissimo Domino Nostro Clemente VIII. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales creati, & hanc quidem præfixionem termini potuit iudex decernere tam ex Constitutione Conciliari, illarum partium, quam etiam ex dispositione iuris, *c. personas. c. cum sit Romana, & cap. reprehensibilis. de appellationibus. Rota decis. 25. de appellation. in nou. Moder. de attent. appellat. pend. cap. 12. limitat. 13. num. 1. & 3. & limit. 14. numero 1. & 8.*

4 Nec facit, quod in omnem euentum D. Leander venit excusandus, si infra tempus præfixum non docuit de tali prosequutione, stantibus impedimentis sibi præstitis à Domino Nereo, *ad dictam decis. 25. in fin. vers. quod intelligo verum. de appellal. in nou. Lancelot. de attent. dicta limit. 14. num. 6.* & fuit dictum in allegata Abulen. Cappellaniæ coram Illustrissimo D. meo Cardinali Seraphino, quia hæc impedimenta allegantur solum, non autem probantur, & cum sint quid facti, probari debent, vulg. iuribus.

5 Nec obstat, quod cedula non fuit data in actis eadem die 16. Ianuarij 1600. quia fuit pronunciatum, prout in cedula, & ideo sententia nulla, vt fuit resolutum

tum in causa Fauentina successionis 12. Nouembris 1601. coram Reuerendissimo Episcopo Pacen. quia neque de hoc constat, nisi per attestationem Notarij postea factam, cui non creditur, cum agatur de condemnando iudicem. *Castren. in l. Seia. num. 2. ff. ad Velleian. Ias. in l. iusiurandum. §. procurator. n. 26. de iur. iur. cum alij.*

6 Non obstat, quod Rota non exequitur sententias aliorum Tribunalium, nisi docto de iustitia. *Put. dec. 40. lib. 1. Chasan. dec.* 179. & est vulgatum, quia satis apparet de iustitia, cum iudex condemnet Leandrum ad restituendas pensiones, quas D. Nereus indebitè soluerat, toto *titul. ff. de condict. indebit.* Pensio enim non fuit validè reseruata, quia Leander post assecutionem Ecclesiæ Sanctæ Agnetis, non poterat resignare Ecclesiam Sancti Fidelis, quæ vacabat per alterius assequutionem. *cap. de multa. & ibi Abb. num. 16. Ancharan. num. 3. & alij communiter. de præbend. & in Extrauagan. Ioannis XXII. incip. Execrabilis. eodem titul. Clement. gratiæ, & ibi Vital. numer. 43. de rescript.* & fuit pluries resolutum. Data enim semel vacatione ex persona vnius, non potest iterum ex eadem persona beneficium vacare, nisi nouus titulus superueniat. *Felin. in capit. secundo. num. 23. de rescript. Roman. cons. 342. num. 1.* & ideo pensio ex hoc capite reseruata, tanquam ex falsa causa fuit nulla. *Caputaq. decis. 298. par. 2. num. 2. Gigas de pens. quæst. 22. nu. 8. & 9. & quæst. 5. nu. 5.*

7 Non obstat, quod D. Nereus sit subrogatus in ius Resignatarij, quia huiusmodi subrogatio conceditur, ne detur nouus collitigans, & est conditionalis, scilicet ad ius, quod habet, vel si quod habet. *Rebuff. in Prax. tit. de subrogat. num. 44.* Vnde cum non constet de iure Resignatarij, hæc conditio nihil ponit in esse. *Rebuff. loco præcit. Achill. dec. 9. nu. 3. & 4. de pens. Put. dec. 197. nu. 17. & seq. lib. 1.*

R. P. D. LITTA

Romana, Domorum de Valentinis. Mercurij 16. Iunij 1604.

ARGVMENTVM.

Iuramentum calumniæ petitum, si non fuit præstitum, reddit nullam sententiam, seu decretum subsequutum, etiam quod agatur vigore obligationis Cameralis summariè manu Regia, & velo leuato.

SVMMARIVM.

Iuramentum calumniæ petitum si non fuerit præstitum, reddit decretum iudicis subsequutum nullum. num. 1. & 2. vbi ampliatur etiam, quod agatur vigore Cameralis obligationis.

Iuramentum calumniæ fuit introductum, vt calumniæ via præcludatur, & ne veritas occultetur. nu. 3.

Iuramentum calumniæ præstandum est etiam, quod agatur summariè manu Regia, & velo leuato. nu. 4.

Iuramentum calumniæ præstitum post sententiam non validat nullitatem sententiæ. nu. 5. & 6.

DECISIO LXXXII.

1 FVit resolutum pro nullitate decreti Auditoris Cameræ, ob non præstitum calumniæ iuramentum, quod prius petitum fuerat præstari, & non alias procedi, protestando semper de nullitate ad *tex. in l. 2. §. quod si actor. C. de iureiur. propter calumn. dan. in cap. 1. de iurament. calumn. in 6. Rota dec. 2. eodem tit. in antiq. & fuit sæpe resolutum.*

2 Nec facit, quod ageretur vigore obligationis Cameralis, quia ex aduerso non docetur, quod obligatio Cameralis sit in hoc priuilegiata, vt agentes ex contractu tali obligatione vallato non teneantur iurare de calumnia, si petitum fuerit.

3 Imo ratio propter quam fuit introductum iuramentum calumniæ, vt scilicet via præcludatur calumnijs, *d. cap. 1. de iuramen. calumn. in 6.* & ne veritas occultetur, vt dicit *Put. dec. 398. in fin. lib. secundo.* Magis militare videtur in obligatione Camerali inuenta, vt parata esset exequutio sine mora faciendi processum ordinarium.

4 Et quod præstandum, sit, etiam si summariè, & manu Regia procedatur, tradit *Cott. in memor. in ver. iuram. calumniæ.* Hinc coram Gubernatore coram quo proceditur velo leuato, & manu Regia, præstandum esse si petatur, tradit *Put. dicta dec. 398. & Ant. August. in repert. tit. de iureiur. nu. 15.*

5 Nec placuit, quod fuerit præstitum per octo dies post decretum, & relaxatum mandatum, &c. quia tale iuramentum debet præstari ante sententiam respicit enim præsentia, & futura, non autem præterita. *Cyn. in l. 2. n. 11. C. de iureiur. propter calum. dan.*

6 Aliæ vero nullitates tanquam turbidæ, & respectiuè irreleuantes non fuerunt per Dominos habitæ in consideratione. Ex quibus fuit per Dominos conclusum, esse recedendum a decreto A. C. rationibus, de quibus supra, &c.

REVERENDISS. P. D. PEGNA DECANO.

Romana Vineæ, seu prætensi spolij. Lunæ 28. Iunij 1604.

ARGVMENTVM.

Breuis est decisio, & ex Summario Argumentum sume.

SVMMARIVM.

Constituti clausula transfert in emptionem veram possessionem. num. 1.

Possessio rei conuenti probatur per sustentationem litis. numer. 2. & 3.

DECISIO LXXXIII.

1 EMerat Alexandra filia Roberti de Allasibus vxor Ioannis Baptistæ de Martinellis, anno 1577. a Mario Fosco medietatem Vineæ pro Ducatis 200. quã Marius venditor nomine ipsius Alexandræ constituerat se possidere. Idem Marius cum moreretur eandem vineam reliquit in hæreditate, in cuius possessionem Praxedes Frangipania Marij vxor pro residuo suæ dotis immissa fuit, Praxede vita functa, vinea peruenit ad filios, & hæredes Marij, contra quos cum egisset Alexandra petendo se immitti in prædictæ vineæ possessionem, proposita causa in Rota dubitaui, An esset locus redintegrationi, & Rota vtraq; parte informate fuisse locum censuit, & Alexandram quasi spoliatam restituendam ad medietatem vineæ, quia de eius primo extremo constabat ex publico emptionis instrumento habente clausulam Constituti, per quem translata fuit in Alexandram emptricem vera possessio. *Alex. cons. 97. num. 4. vers. quia constitutum. lib. 1. Paris. cons. 122. num. 11. & 16. lib. 8. Capic. dec. 69. num. 27. gloss. in §. actionem. num. 139. instit. de act. Rimin. sen. cons. 90. num. 13. lib. 1. Tiraq. tract. de iure const. part. 1. num. 2. & par. 2. ampliat. prima. num. 20. Osasc. dec. 133. numero sexto.* Quam Marij possessionem filij, & hæredes ipsius, personam eius repræsentantes inficiari non poterant.

2 De secundo extremo constabat ex lite, quam in Curia Capitolina tenaciter sustinuerant Marij hæredes contra Alexandram, *Alex. cons. 73. in principio. lib. 3.* & sæpe fuit in Rota decisum.

3 Neque præiudicabat Alexandræ sententia lata ad fauorem Praxedis vxoris Marij pro residuo sue dotis propter quam Authore Prætore fuerat immissa in vineæ possessionem. Nam præterquam quod ex ijs, quæ proponebantur non satis constabat, Alexandrã fuisse personaliter citatam saltem tanquam creditricem hæreditatis, cum tamen sententiæ ad fauorem Praxedis, & mandatum vigore eius relaxatum loquerentur de bonis, & hæreditate quondam Marij, non potuit sine vitio spolij fieri executio super medietate vineæ ad Alexandram pertinente, quæ non erat ex bonis, nec in hæreditate Marij. Unde cum ex his de spolio clare constaret Alexandra veniebat restituenda, nisi sibi obstaret præscriptio, de qua Rota particulariter videre voluit.

REVERENDISS. P. D. COCCINO DECANO.

Montis Regalis Iurisdictionis, Lunæ 5. Iulij 1604.

ARGUMENTUM.

Clerici, & Presbyteri Sæculares in Ecclesia Cathedrali regulari tenentur celebrare officia secundum regulam Monachorum, & cum illis se conformare, & quid in hoc Episcopus disponere possit.

SUMMARIUM.

Clausula vna cum, denotat simultaneam congregationem. num. 1.

Clerici, & Presbyteri sæculares in Ecclesia Cathedrali regulari, debent in omnibus, & singulis diuinis officijs se regulare, & conformare cum Monachis. n. 1. & 2. vbi quod hoc habet locum non solum vigore Bullæ Pauli III. sed etiam de iure communi.

Clerici in vnum conuenire debent ad laudes Deo porrigendas. num. 2.

Clerici Sæculares, quod diuina solenniter celebrent vna cum Monachis iuri non repugnat. nu. 3.

Episcopus non potest facere, vt Clerici Sæculares in celebrandis officijs separentur a Monachis in sua Ecclesia Cathedrali. nu. 3.

Episcopus disponere non potest contra iuris communis dispositionem. nu. 4.

Statutum a Papa confirmatum numquid possit ab Episcopo reuocari. nu. 4. & 5. Ubi præsertim sine consensu eorum, qui in statuto interuenerunt, & authorizarunt.

Tacens non censetur consentire in his, quæ iuris diminutionem, seu actionis competentis sublationem respiciunt. numer. 5.

Confirmatio Papæ habet vim nouæ concessionis, quando adest clausula de nouo, & perpetuo statuimus, & ordinamus. nu. 6.

Generalis concessio non extenditur ad ea, quæ de facili concedi non solent. nu. 7.

Minuendi facultatem habens non potest in totum tollere. numer. 7.

DECISIO LXXXIV.

1 PAri voto per omnes Dominos fuit resolutum, Reuerendiss. D. Archiepiscopum non potuisse separare Clericos a Monachis ipsis chorum separatum a choro Monachorum statuendo. Nam expresse habetur in Bulla Pauli III. quod in ista Cathedrali regulari Clerici, & presbyteri sæculares, quibus cura Sacramentorum omnium administrandorum, ac Parochianorum, & aliarum personarum imminet animarum, cum superpelliceis in inferiorib. stallis dextri, & sinistri chori subtus Priorem, Decanum, & Monachos, &c. sedere, ac omnibus, & singulis diuinis officijs vna cum dictis Priore, Decano, & Monachis interesse, ac cum eisdem se conformare debeant. Quare sicuti propter verbum illud, debeant, quod importat necessitatem, fuit iam resolutum, Clericos teneri se conformare Monachis in diuinis Officijs, ita quoque debent interuenire in eodem choro, stantibus verbis dictæ Bullæ, ac omnibus, & singulis, &c. cum vtraque dispositio regatur à verbo, debeant, & ideo dispositum in vno, censeatur dispositum in alio *Bart. in l. prætor. la 2. §. eritque. in princip. ff. de vi bono. raptor.* Quod etiam suadetur ex clausula illa, vna cum, quæ denotat simultaneam congregationem. *l. fin. vbi Bald. num. 11. in 6. oppos. C. de impub. & al. subst. leg. fin. vbi gl. in verb. vna. ff. ad leg. Aquil. Alberic. in l. Lucius 90. §. quisquis. in princ. de leg. 2. Bene Paris. cons. 79. numer. 21. lib. 3.*

2 Attenta etiam dispositione iuris communis, Reuerendiss. D. Archiepiscopus non potuit facere hãc mutationem. Est enim antiquus mos Ecclesiæ, Clericos conuenire in vnum ad Laudes Deo porrigendas, ex *Concil. Magunt. de quo, in cap. 1. de vit. & honest. cler. Concil. Turonen. 2. can. 4. relat. in cap. sacerdotum de consecr. dist. 2. Iuo. par. 2. cap. 137.* iuxta modum scilicet alternatim canendi a *Flauiano, & Diodoro institutum. Histor. Tripar. lib. 5. cap. 32. Guliel. Durand. in ration. diuin. officior. lib. 1. cap. 1. num. 18. Siluan. de benef. quæstio. 5. numer. 44.* & propterea locus, in quo conueniunt, denominatur chorus a multitudine scilicet simul canentium, quæ chorus appellatur, quasi coæuorum cantus. *Strabus in Exodum capit. 15. super illis verbis*, cum tympanis, & choris, & fuit inuentus, vt hymnis, & canticis nomen Dei reuerenter, deuoteque laudetur. *Concil. Trident. sess. 24. cap. 12. versic. omnes vero. de reform.* & ideo in eo nulla debet esse dispersio, sed charissima vnitas. *Cassiodor. in Psalmum 149. super illis verbis, in choro.* latè ad materiam Ioannes *Stephan. Durandus de ritib. Eccles. Cathol. lib. 1. cap. 17. per tot.*

3 Nec est verum, quod Reuerendissimus Dominus Archiepiscopus potuerit facere prædictam separationem ex *tex. in clement. prima. de electio. quia ille tex.* non loquitur in terminis nostris, sed dicit, quod rationi non congruit, vt homines disparis professionis, vel habitus simul in eisdem Monasterijs socientur: & quamuis prædicta procedant etiam in clerico sæculari per rationem literæ; non tamen prohibetur, ne clerici sæculares iungantur Monachis, si habeant exercitium curæ populi, prout isti habent. *Butr. qui reperitur manuscriptus, in dicta clement. 1. in verb. disparis. Bened. Capra ibid. in repet. num. 28.* Quo casu Clerici sæculares debent se conformare Monachis, vt per *Vitalin. in clement. fin. num. 52. & 53. de celebr. Missar.* & fuit latè deductum in decisione in hac causa 24. Maij. præteriti. Nec etiam iuri repugnat, quod Monachi, & alij religiosi simul cum Clericis diuina solenniter celebrent. *Anchar. in cap. 1. num. 15. de celebr. Miss. vbi Butr. nu. 11. Card. nu. 4. Host. nu. 17. Io. And. num. 5.*

4 Non obstat, quod statutum confirmatum à Papa potest per Episcopum reuocari; quia, vltra quod adest dispositio iuris communis, quod Clerus in vnum conueniat ad psallendum, quæ, etiam si sublatum esset statutum, adhuc nihilominus remaneret, & contra eam D. Archiepiscopus non potest disponere. *Felin. in cap. quod super his. num. 4. in prima fallen. & num. 11. versicul. dixit etiam mirabiliter. de maior. & obed.*

Rom. cons. 325. *num.* 5. hæc conclusio procederet, si interueniret consensus legitimus Monachorum, qui in hoc casu non adest, & ita loquitur. *Dec. in cap. cum accessissent. nu.* 8. *& seqq. de constit.* præsupponit enim, quod statuentes possint reuocare statutum.

5 Quare aut consideramus Monachos, tanquam personas, quæ interuenerunt, & authorizarunt huiusmodi statutum *ex trad. per gloss. in cap.* 1. *in verb. constitutum. de his, quæ fin. a maior. par. Cap. Imol. in dict. cap. cum accessissent. in fin. versic. vltim. potes addere. de const. late Ruin. consil.* 130. *num.* 5. *&* 6. *volum.* 5. & Reuerendiss. D. Archiepiscopus non potuit illud sine ipsorum legitimo consensu reuocare, aut consideramus Monachos tanquam tertios, quibus ex dicta confirmatione sit ius quæsitum; & hoc casu, dato etiam, quod alias D. Archiepiscopus potuisset per se solus reuocare; tamen, stante iure quæsito Monachis, cessat illius potestas. *Felin. late in dict. cap. cum accessissent. num.* 4. *de constit.* & fuit late deductum in causa Vicentina Iurisdictionis 28. Maij 1601. coram R. P. D. meo Sacrato, & prius in causa Gerunden. anniuersariorum quinta Nouembris 1582. coram Illustriss. D. meo Cardin. Seraphino. Nec placuit, quod Monachi videntur consensisse ob taciturnitatem; quia taciturnitas quo ad alicuius iuris diminutionem, seu actionis competentis sublationem pro consensu non habetur. *leg. inuitum ff. de seruit. vrban. præd. leg. in eo. §. penult. ff. de rit. nupt.*

6 Et cessat omnis difficultas, tum quia agentes Reuerendissim. D. Archiepiscopi vsi sunt huiusmodi statuto non modo ad corroborandam, & tuendam, sed probandam illius iurisdictionem; tum etiam quia non sumus in statuto simpliciter confirmato a Papa, sed inserto etiam in Bulla cum clausula, de nouo, & perpetuo statuimus, & ordinamus, quæ habet vim nouæ concessionis, ac meræ, & simplicis dispositionis Papalis. *Bart. in l. more maiorum. num.* 5. *vbi Ias. num.* 33. *ff. de iurisd. omn. iud.* Quare Reuerendissimus D. Archiepiscopus nõ potest immutare huiusmodi statutum, cum ipse sit inferior *Papa. cap. inferior.* 21. *dist. cap. quod super his. de maior. & obed. cum vulg.*

7 Non obstat, quod D. Archiepiscopi pro tempore habeant in Bulla facultatem addendi, vel minuendi; quia ista generalis facultas non debet extendi ad ea, quæ sunt contra ius, prout est diuidere chorum. *Butr. consil.* 19. *num.* 9. & quod in generali concessione non veniant ea, quæ de facili concedi non solent, fuit resolutum coram R. P. D. meo Lancellotto in causa Valentina Decimarum 28. Nouembris præteriti. Vltra quod cum Monachi, & Clerici etiam vigore Bullæ simul conuenire debeant ad psallendum, Reuerendiss. D. Archiepiscopus non potuit propter dictam facultatem sibi concessam in totum tollere, & alterare, vt fuit late deductum in hac causa 24. Maij præteriti. Nam ex diminutione debet remanere salua forma rei. *Brun. de diminut. & deteriorat. conclus.* 1. *num.* 2. in hac vero totali immutatione non est inuenire diminutionem, imo differunt substantia, & natura, vt per *Angel. consil.* 271. *incip. visis, & examinatis, numer.* 3. *Brun. loco præcit. numer.* 3. & cum ista facultas addendi, vel minuendi importet idem, ac plus, & minus, non debet diuersificare speciem. *Bartol. in leg.* 1. *num.* 9. *in fin. ff. de acquiren. possess.* Et ita fuit resolutum, Reuerendiss. D. Archiepiscopum non potuisse separare Clericos à Monachis.

REVERENDISS. P. D.

DAMASCENO.

Romana de Montorijs. Veneris 12. *Nouembris* 1604.

ARGVMENTVM.

Dos propriæ domus data per fratrem sorori an, & quando videatur data ex propria persona.

SVMMARIVM.

Frustra petit quis quod intus habet. nu. 1.
Fictio non debet operari vltra suum casum. num. 2.
Pecuniæ dominium in aliquem non transit, nisi fuerit commixta cum alijs illius pecunijs. nu. 3.
Aequalitas inter fratres seruanda est. nu. 4.
Clausula arbitrio Rotæ minuit aliquid de rigore iuris. nu. 4.
Dos propriæ domus data per fratrem sorori an, & quando videatur data ex propria pecunia. nu. 2. *& seqq.*

DECISIO LXXXV.

1 Respectu partitæ scutorum quinque millium, Domini steterunt in decisis, quod Marchio non teneatur reassumere in se debita Federici pro æquiualenti summa, nempe quia Federicus non dedit in dotem Lauræ sorori scuta 5000. sed domum, quæ domus cum per mortem Lauræ iam reuersa sit ad Federicum, vel per eum stet quo minus illam habeat, vt pro nunc præsupponebant Domini, frustra petit Federicus, quod intus habet, iuris vulg. regula.

2 Non obstat, quod ex quo Federicus dedit in dotem propriam domum sorori, videatur breui manu recepisse pretium, & rursus ex propria pecunia dotasse sororem, ex tradit. *per Siluan. consil.* 102. *num.* 19. Quia Domini benè admittebant hoc ad effectum, quod debitum dotis dicatur extinctum, sed ad effectum, quod hoc possit dici factum cum pecunia numerata, & propria Federici negabant, tum quia verè non interuenit pecunia numerata, sed per quandam iuris fictionem, quæ non debet operari vltra suum casum vt in simili fuit dictum in *Regien. Pensionis coram Illustrissimo Seraphino, quæ est* 389. *numer.* 1. *par. prima, diuers.*

3 Tum, quia etiamsi interuenisset pecunia numerata adhuc non possit dici, quod vmquam fuerit effecta Federici, quia nec commixta fuit cum alijs eiusdem pecunijs. *l. si alienæ. ff. de solut.* & fuisset soluta, vt statim restitueretur. *l. qui sic soluit. ff. eod. tit.*

4 Vltra quod pro seruanda æqualitate inter fratres, iuxta *consil. Paris.* 92. *num.* 13. *lib.* 3. in alia decisione allegatum, & stante clausula, Arbitrio, quæ minuit de iuris rigore, vt sæpè fuit decisum, non videbatur æquum, quod Federicus, cum istis iuris subtilitatibus in hoc velit sentire lucrum, sed sufficere dicebant, quod ex hoc capite, non sentiat damnum, vt in alia decisione fuit ponderatum. Circa vero summam scutorum 350. fuit ordinatum, quod particulariter videatur.

R. P. D. LITTA.

Bononien. Præceptoriæ. Mercurij 24. *Nouembris* 1604.

ARGVMENTVM.

Ex Summario accipe argumentum

SVMMARIVM.

Possessio pro parte rei conuenti spolio censetur probata ex sustentatione litis concurrentibus adminiculis. n. 1.

DECISIO LXXXVI.

1 PRo Informante fuit capta resolutio, scilicet constare de secundo extremo spolij, quia ad illud probandum, sufficit sustentatio litis ex parte rei conuenti concurrentibus adminiculis. *Cæs. de Graff. decis. 4. n. 2. de restit. spoliat. Ant. Aug. in epit. tit. de vtroque extrem.* §. 5. & fuit pluries resolutum, vnde cum sustentatio litis hoc in casu non deficiat pro parte Capituli Ecclesiæ Metropolitanæ Bononien. & simul concurrant duo testes de auditu deponentes, & alter de scientia, & de fama, qui benè deseruiunt pro adminiculo, prout in proprijs terminis considerat Ant. August. vbi supra. Ideo, &c. An autem agenti spolio obstet præscriptio aliqua, Domini reseruarunt particulariter videndum, &c.

REV.^mo P. D. DAMASCENO

Lucana, Bonorum. Lunæ 29. Nouembris 1604.

ARGVMENTVM.

Restitutio in integrum ex capite iustæ ignorantię numquid detur aduersus quadragenariam præscriptionem, & qualis isto casu debeat esse ignorantia.

SVMMARIVM.

Restitutio in integrum numquid detur ex capite iustæ ignorantiæ aduersus lapsum quadraginta annorum. num. 1.
Ignorantia ad effectum, vt ex ea quis restituatur aduersus præscriptionem quadraginta annorum, debet esse ex omni parte excusabilis, & circa quam nulla interuenerit negligentia. num. 2.
Restitutio in integrum non datur vbi de læsione non apparet. num. 3.
Læsio considerari debet de tempore contractus, & non postea. num. 4.

DECISIO LXXXVII.

1 EX duplici capite fuit conclusum, filios non esse restituendos aduersus lapsum triennij constituti eorum Patribus ad redimenda bona, de quibus agitur. Primo, quia post lapsum dicti triennij quadraginta, & plures anni effluxerunt. Vnde admissa etiam illa opinione, quod aduersus lapsum quadraginta annorum detur restitutio in integrum ex capite iustæ ignorantiæ, cuius contrarium magis communem dicit *Socin. iun. cons. 145. num. 77. lib. 1.*

2 Tamen in hoc conueniunt omnes Doctores, quod ignorantia ad istum effectum debeat esse ex omni parte excusabilis, & circa quam nulla interuenerit negligentia, ita fuit dictum in causa Florentina iuris patronatus coram Sanctissimo Domino nostro, quæ est inter diuers. impress. *decis. 387. part. 1.* In casu autem, de quo agitur, tantum abest, quod appareat de probabili ignorantia, quod imo ex ijs, quæ recensentur pro parte Comitis pro suis appareat de scientia istorum de Lilijs, maxime ex productione concordię factæ vsque de anno 1598.

3 Secundum fundamentum fuit, quia non apparet de læsione, qua cessante cessat restitutio in integrum vt fuit dictum coram me in causa Cæsaraugustana fructuum 26. Iunij 1602. Non enim potest dici probata læsio ex eo, quod lapsum sit triennium, absque eo, quod Lilij redemerint, quia potest esse, quod bona per dictum triennium fuerint in tali statu, quod non interesset Liliorum facere huiusmodi redemptionem.

4 Non obstat, quod modo sit vtile Lilijs facere hanc redemptionem, quia læsio debet considerari de tempore contractus, vt per Scribent. communiter in *l. 2. C. de rescinden. vendit. Ias. consil. 54. numero 20. & sic* decisum coram me in Romana, Domus 3. Decembris 1601, coram me.

R. P. D. LITTA,

Compsana Iuris patronatus. Veneris 3. Decembris 1604.

ARGVMENTVM.

Iuris patronatus quasi possessio non suffragatur prætenso patrono aduersus prouisum Apostolicum in mensibus reseruatis, non obstante priuilegio prægnantissimis clausulis suffulto, quod ius patronatus habeatur, ac si ex dotatione, aut fundatione esset erectum.

SVMMARIVM.

Monasteria, & beneficia data in commendam cadunt sub regula reseruatoria octo mensium. num. 1.
Ius patronatus, quod non probetur ex dotatione, aut fundatione non derogat regulæ reseruatoriæ octo mensium. num. 1. & num. 8. & sequ.
Ius patronatus ex priuilegio concessum, quod habeatur perinde ac si ex dotatione, & fundatione esset erectum, non derogat regulæ reseruatoriæ octo mensium. nu. 2. & 3.
Fictio non habet locum in casu Regis. num. 3.
Priuilegium vt dicatur ex causa onerosa concessum spectari debet, an id, quod expensum fuit æquiualeat concessioni, quia vbi non æquiualet, priuilegium iudicari debet potius gratiosum, quam onerosum. nu. 4.
Regula reseruatoria octo mensium derogat indultis, & priuilegijs cum quibuscunque derogatorijs derogatoriarum, & fortioribus, & efficacioribus, ac insolitis clausulis. num. 5. & seqq. & num. 9.

DECISIO LXXXVIII.

1 REproposita causa super dubio alias resoluto sub die 23. Ianuarij presentis anni, stricte tamen ad regulam reseruatoriam 8. mensium, Domini steterunt in decisis, hoc vno tamen præsupposito, quod Monasteria, & beneficia data in commendam cadant sub dicta regula de quo erit particulariter agendum, moti, quia re vera hoc ius patronatus non est proprie ex dotatione, aut fundatione, quo fit, vt tanquam ex priuilegio competens sub dicta regula videatur comprehendi ex alias late deductis.

2 Nec obstat, quod Papa decreuerit huiusmodi ius patronatus censendum esse perinde, ac si esset ex dotatione, & fundatione. Quia ex eisdemmet verbis conuincitur illud non esse ex fundatione, aut dotatione, sed ex priuilegio, & gratia Papæ, qui ita disposuit, vt voluit Congregatio Concilij, & tenuit Rota in causa Placentina de Mirabel. coram bo. me. Orano. alias in alia decisione allegata.

3 Nec facit, quod Papa possit fingere, & facere, vt illud, quod non est, pro tali tamen habeatur respectu certi effectus. Quia non negatur propositio; sed dicitur illam non applicari respectu regulæ, cum semper verum sit dicere, id procedere ex gratia, & priuilegio Papæ, & non ex eo, quod ius patronatus sit vere ex dotatione, & fundatione, vt in simili de iure patronatus concesso cum clausula, quod sit perinde, ac si esset Regum, fuit dictum in Corduben. iurispatronatus 20. Nouemb. 1566. coram bo. me. Io. Aldobrandino, & cum dicta regula emanauerit per viam legis respectu illius fictio non potest sibi vendicare

locum

locum; sed dumtaxat veritas ipsa iuribus vulgatis.

4 Et ad illud, quod hoc priuilegium sit ex causa onerosa, fuit responsum hoc minime verum esse, cum ad hunc effectum spectari debeat, quod expensum fuerit an scilicet, illud æquiualeat concessioni, quia vbi non æquiualet, concessio ipsa iudicari potius debet gratiosa, quam onerosa, vt alias late deductum fuit. Vnde cum hic in claris versari videamur, quod expositum per Comitem Compsæ, non æquiualet concessioni, ex eo præsertim, quia admodum irrationabile videtur, quod pro scutis 1600. in circa in seruitutem redigatur Ecclesia tam insignis, & quidem notabilis valoris, etiam attento tempore dictæ concessionis, hoc est ducat. centum, & vltra, vt ex literis perinde valere postea expeditis de quibus in actis constat, & ex eo quod commendata fuit nepoti eiusdem Papæ, & Cardinali, cui ex Concilio Lateranen. non poterat prouideri, nisi beneficium excedere ducat. 200. ideo, &c.

5 Nec obstare dixerunt Domini clausulas concessionis Pauli III. Quia, etsi illæ sint amplissimæ, & adeo prægnantes, vt prima facie tolli minime videantur per clausulas appositas in regula reseruatoria ex deductis in causa Astoricen. coram Illustrissimo Seraphino, & in alijs per Informantes pro Comite allegatis: Attamen re maturius considerata hoc in casu ex pluribus non obstare dixerunt. Primo, quia in casu illarum decisionum fuerat præscripta certa forma, scilicet derogandi in futuris derogationibus, quod non posset derogari, nisi de toto tenore plena, specifica, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes esset facta mentio, quæ forma derogandi non præscribitur in literis Pauli III. sed solum adsunt clausulæ derogatoriæ derogatoriarum ad sequentes dispositiones, quæ omnes tolli videntur, ex eo, quod in regula reseruatoria expresse derogatur indultis, & priuilegijs, cum quibuscunque derogatorijs derogatoriarum, & fortioribus, & efficacioribus, ac insolitis clausulis, *ad dec. Putei 109. num. 4. vers. dixerunt tamen. lib. 1. cum alijs per Informantes pro Cardinale deductis.*

6 Nec vim fieri posse dictum fuit super clausula restitutoria, de qua in literis dictæ concessionis. Quia, licet sit maximæ efficaciæ, tolli tamen videtur ex eo, quod in regula derogetur etiam efficacioribus, & fortioribus clausulis.

7 Secundo, quia decisiones in dicta Astoricen. & in alijs causis in contrarium allegatis per Informantes pro Comite non emanarunt in terminis istius regulæ reseruatoriæ S. D. N. Sed in terminis regulæ Pauli III. seu aliorum Pontificum, non habentes clausulas, & derogatorias ita amplas, & efficaces, vnde non mirum, si de dictis casibus ad nostrum inferri minime potest, *vulg. leg. Papinianus exuli. ff. de minor. viginti quinque annorum.*

8 Tertio fuit responsum, quod omnes clausulæ de quibus in literis dictæ concessionis Pauli III. & signanter illa, quod prouisiones non possint fieri, nisi de consensu Patroni, sine quo non possit derogari, & si derogetur, derogatio non sufficiat: sed in pristinum statum reponatur: debent, ac commode possunt suum effectum sortiri in prouisionibus, quæ alias Papa in mensibus ordinarij faceret, ordinarium ipsum præueniendo, quod facere potest, cum sit ordinarius ordinariorum, & cum omnibus concurrat, iuribus vulgatis: non autem vendicent sibi locum in prouisionibus factis per Papam in mensibus reseruatis vigore dictæ regulæ, ea ratione, quia, cum hoc beneficium iuris patronatus ex priuilegio, sub dicta regula sui natura comprehendatur, non dicitur derogari dicto priuilegio, nec in aliquo eneruari clausulas illius per prouisionem, quam Papa facit de dicto beneficio, & minus per clausulas dictæ prouisioni adhærentes: sed totum præiudicium facit regula ipsa, & clausulæ in ea contente, cui in quam regulæ adeo subijcitur ius patronatus ex priuilegio, vt alia derogatio non sit opus, vt per *Mandos. super regula 1. reseruat. q. 10. nu. 3. Late Couar. pract. q. cap. 36. nu. 6. Dec. cons. 149. nu. 6.* & fuit tentum in causa Seguntina Dimidiæ Annatæ 26. Nouembris 1593. coram bon. mem. Orano.

9 Quarto, responsum fuit, quod cum hic non agatur de clausulis derogatorijs appositis in aliquo priuilegio, vel gratia particulari personæ concessa: sed de appositis in regula, quæ vim legis, seu constitutionis habet, merito ex eis censetur sufficienter derogatum clausulis quibuscunque etiam derogatorijs derogatoriarum contentis in dicta concessione Pauli III. *Roman. cons. 436. nu. 21. vers. respondeo illud verum. Couar. in rub. de testam. part. 2. nu. 19. vers. quartum nostræ quæstioni proprius, &c.* ita in proprijs terminis regulæ octauæ fuit dictum in vna Cameracen. Canonicatus 4. Iulij 1578. coram bon. mem. Cardinali Lancellotto. Imo cum inter clausulas dictæ regulæ adsit ista etiam, quod priuilegium contineat, quod beneficium sub reseruationibus non comprehendatur: necesse est fateri non posse aliquo modo tueri cōtrariam sententiam vigore clausularum contentarum in dicto priuilegio, qualescunque illæ sint, ne plus tribuatur tacito, quam expresso contra omnes iuris regulas.

REVERENDISSIMO P. D. DAMASCENO.

Lucana, Fructuum, Veneris 3. Decembris 1604.

ARGVMENTVM.

Ex Summarijs argumentum sumas.

SVMMARIVM.

Oblatio verbalis quando sufficiat ad constituendum quem in mora. nu. 1.

Mandatum speciale requiritur in eo, qui pro alio vult retrahere, nu. 2.

Mandatum præsumitur in eo, qui pro alio soluit, & exbursat magnam pecuniarum quantitatem. nu. 3.

DECISIO LXXXIX.

1 Concluserunt Domini deberi fructus Comiti, cum ipse satisfecerit requisitis per statutum Lucanū, titulo de recuperatione rerum in solutum datarum, c. 131. Nec obstat, quod statutum requirat veram, & realem solutionem, & Comes non soluerit, sed deposuerit quia stante recompensatione Dominorum de Lilijs sufficiebat nedum realis, sed etiam verbalis oblatio. *Franc. Marc. dec. 878. part. 1. Capic. dec. 19. num. 2. Ruin. qui de communi, cons. 113. num. 1. lib. 1.* & fuit allegata dec. Romana Vineæ 11. Aprilis 1603. coram Reuer. Patre Domino Millino.

2 Minus facit oppositio defectus mandati specialis requisiti in eo, qui vult retrahere pro alio. *Tiraq. de retract. lignag. §. 1. gl. 10. num. 97.* quia sufficiens visum fuit illud, quod exhibetur in Summario Comitis. num. 2. ibi, ad faciendum quodcunque depositum occasione cuiusuis litis, rei, vel causę, seu rerum, personarum, & bonorum tam liberum, quam conditionatum modo, & prout facti qualitas requirit, & prout dicto Procuratori libere videbitur.

3 Vltra quod etiam si non apparet de mandato, dicunt Domini illud fuisse præsumendum ex tam magna exbursatione, nempe scutorum 2330. *ad Cassad. decis. 3. numero 4. de procur.* Cui motiuo non obstat replica-

replicatio, quod hic adsit recompensa Prædiorum retrotrahendorum, & sic non applicentur illi, quæ alias dicuntur de præsumendo mandato ex magna impensa, quia est aduertendum, quod Procurator nullo modo poterat sperare, quod bona retrotrahẽda sibi applicarentur, quia statutum non dat priuilegium retrahendi procuratori, sed Domino, & ideo remanet firma præsumptio, quod iste deponens alias non implicasset tam magnam pecuniarum summam in alieno negotio, nisi hoc habuisset in mandatis, imo forte nisi etiam habuisset pecuniam in manibus ab eis quorum intererat fieri huiusmodi depositum.

4 Circa quantitatem fructuum, quæ pendet præcipue a rata temporis voluerunt Domini particulariter videre.

REVERENDISS. P. D. DAMASCENO.

Virdunen. Canonicatus. Veneris 17. Decembris 1604.

ARGVMENTVM.

Sententia excommunicationis numquid valeat sine citatione personali, etiam quod excommunicatus habuerit scientiam citationis.

SVMMARIVM.

Sententia excommunicationis sine citatione personali est nulla. num. 1. Vbi amplius, quod non sufficit sola scientia præsumpta citationis contra numer. 2. Distingue, & declara, vt numer. 4. quod scilicet sufficiat scientia citationis certa, & indubitata licet citatio non fuerit personalis.

Citationis scientia colligitur ex mandato speciali post citationem facto ad causam, pro qua fuit citatus. nu. 3.

Sententia diuersa, & separata dicitur, quando continet diuersa, & separata capita. nu. 5.

DECISIO XC.

1 Domini restringebant nullitates ad caput citationis, sed in hoc non erant concordes, quia aliqui dicebant fuisse omnino necessariam citationem personalem, cum agatur de sententia excommunicationis. *Rota. decis. 15. in fin. de sentent. excomm. in antiquis. Cassad. dec. 2. de pension.* & allegabatur decisio Boianen. attentatorum 6. Martij 1595. coram R. P. D. meo Iusto, nec alias sufficere dicebant scientiam præsumptam. Idem *Cassad. dec. 12. in fin. de rescript. Achill. 5. de citat. & 7. de dol. & contum. Tiraq. de retract. lignag. §. 9. gloss. 2. num. 4.*

2 Dicebant alij ex aduerso sufficere, quod scientia citationis sit certa, & indubitata, licet non fuerit personaliter exequuta. *Rot. decis. 11. de dol. & contum. in Nouiss. Cassad. dec. 6. num. 11. de caus. possess. & propriet.* ibi, sed citatio personalis, aut certa scientiam, & indubitata notitia est necessaria, & allegabatur decisio Lunen. Sarzanen. 23. Octobris coram Illustrissimo Cardinali Seraphino.

3 Hanc autem certam scientiam dicebant colligi ex mandato speciali ad hanc causam, quod fecit Sandrinus postquam bis eius procuratoribus, & semel ad valuas eius Ecclesiæ fuit facta citatio. *Aegid. dec. 538. & d. dec. 11. de dol. & contum. in Nouiss. Felin. in cap. cum sit Romana. num. 15. de appellat.*

4 Ad decisiones verò, quæ dicunt requiri personalem citationem respondebant non loqui priuatiuè ad certam, & indubitatam scientiam, & quæ dicunt nõ sufficere præsumptam, intelligebant de quadam ordinaria præsumptione, quæ solet sufficere ad alios effectus, non autem de certa scientia, quæ oritur ex constitutione Procuratoris in indiuiduo ad hanc causam tanquam pendentem coram Auditore Cameræ.

5 Verum quia Domini, vt dictum est, non erant concordes circa sententiam excommunicationis, fuit tãtum capta resolutio respectu immissionis, cum in hoc sententia contineat caput separatum, & ideo in hoc dicatur diuersa, & saparata sententia. *l. etiam. §. in causa, vbi Bart. & alij. ff. de minor.* Respectu verò immissionis adest sufficiens citatio ex prædictis.

REVERENDISS. P. D. COCCINO DECANO.

Feltren. Præbendæ. Lunæ 6. Iunij 1605.

ARGVMENTVM.

Beneficij titulus quanto tempore præscribatur: Quomodo per testes probetur: Et an per enunciatiuis instrumentorum.

SVMMARIVM.

Producens instrumentum fatetur contenta in instrumento. num. 1.

Beneficij substantiæ mutatio præscribitur specio 40. annorum cum titulo, & bona fide. nu. 1.

Præscriptio contra ius, aut debet esse immemorabilis, vel saltem quadragenaria cum titulo. nu. 1.

Bona fides præsumitur, & propterea sufficit eam allegare. numer. 2.

Enunciatiuæ antiquissimæ vltra centum annos probant titulum beneficij. num. 2. Vbi etiam quod sufficit esse enunciatiuas duorum instrumentorum emanatas a personis non suspectis.

Enunciatiuæ iunctis adminiculis sufficiunt ad plenam probationem, etiam quod emanauerint a personis suspectis. numer. 2.

Præscriptio quadragenaria cum titulo, & bona fide sufficit, etiam quod non constat de qualitate tituli, & etiam quod titulus sit inualidus. nu. 3. & 4.

Scriptura vna aliam declarat. nu. 5. & 6.

Beneficium quo titulo fuerit possessum probatur per testes numer. 7.

Testes de auditu probant in antiquis. nu. 7. & seq.

Probatio facta per scripturas præualet probationi factæ per testes. nu. 9. & seq.

DECISIO XCI.

1 Visum fuit Dominis, hodie non esse agendum simpliciter, An beneficium S. Margaritæ sit liberũ, & separatum a Canonicatu, cum constet de eius anteriori statu ex productione instrumenti facta per *Cadubrium, de quo in Sum. nu. 2.* quod ideo contra ipsum probat. *l. cum precum. C. de liber. caus.* Sed an cõstet, quod de beneficio libero sit effectum præbenda canonicalis ita vt recedendum sit a decisis, & affirmatiue fuit resolutum. Nam hic adest quadragenaria cum titulo, & bona fide, talis autem quadragenaria, aut immemorabilis requiritur, quando agitur de mutatione substantiæ beneficij, vt ex *trad. per Philip. de Perus. in cons. quod est inter cons. Fel. 2. nu. 1. 2. & 3. Rebuff. in tit. de vnion. n. 35. in fin. Rot. in antiq. decis. 9. & 10. de rebus Eccl. non alien. Andr. in reg. qui contra. n. 11. vers. mihi videtur. de reg. iur. in 6. Oldr. cons. 296. nu. 3. Hoied. de incompat. benef. p. 3. cap. 3. n. 13.* & fuit dictum in causa Perusina S. Beneuenutis. 13. Martij 1588. coram Illustriss. D. meo Card. Pamphilio, & regulare est, quod quotiescunque agitur de inducenda præscriptione contra ius, requiratur vel

vel immemorabilis, vel quadragenaria cum titulo. *c.1. de præscript. in 6. vbi Doct. omnes*.

2 Et quantum attinet ad bonam fidem, sufficit, quod allegetur, quia præsumitur. *l. pen. C. de euict. l. si adulterium cum incestu. §. idem. ff. ad leg. Iul. de adult. Bart. in l. 1. §. hoc interdicto. num. 12. ff. de tin. actuque priua.* De titulo autem constat ex duabus enunciatiuis antiquissimis vltra centum annos, quæ probant. *Bald. in l. cum aliquis. num.4. & ibi Ias. num.4. & seqq. C. de iur. delib. Alex. consil.75. num. 3. lib.4. Cassad. decis. 3. num. 3. de procu. Put. dec. 209. lib. 2.* quarum altera est in instrumento confecto de anno 1468. de quo in Sum. nu.2. in quo apparet, Canonicos, stante clausula, accedente consensu Canonicorum, fuisse contentos, vt gratia Apostolica haberet effectum, per quam indulgebatur Francisco de Mazzonatis, vt posset ex dicto beneficio S. Margaritæ de Longano erigere vnam præbendam Canonicalem pro Bartholomæo de Coquis eius nepote, quem Cannonici ex nunc, prout ex tunc, in fratrem, & Canonicum receperunt cum traditione possessionis, & assignatione stalli in Choro: altera vero est in instrumento optionis de anno 1476. vt in Sum. num.4. in quo enunciatur erectio huius beneficij in præbendam canonicalem, & quamuis prima enunciatiua emanauerit à Francisco, secunda verò à Bartholomæo, & sic à personis suspectis, & tamen ad effectum, quod enunciatiuæ antiquæ probent, requiritur, quod sint duorum instrumentorum, & quod emanauerint à personis non suspectis, *Aret. in c. cum causam. num. 21. & seq. & sequ. & ibi Felin. num. 4. de probat. Aym. de antiq. temp. par. 1. sect. 4. num. 14. 19. & seqq. Put. decis. 209. li. 2.* nihilominus quando concurrunt adminicula, vt concurrere in hoc casu ex infra dicendis apparebit; enunciatiuæ, etiamsi emanauerint à personis suspectis, probant. *Acchil. decis. 1. de confess. Put. decis. 149. libr. 3.* & fuit resolutum in causa Bononiensi præceptoriæ, 5. Aprilis 1604. coram R. P. D. meo Litta.

3 Neque ad hunc effectum necesse est, quòd constet de qualitate tituli, *Abb. in c. cum venissent, num. 8. per illum text. de instit. Capic. decis. 189. num. 10. cum non sit discutiendus, vt per gl. in d. c. 1. in verb. causam. de præscript. in 6.* & sufficiat titulus inualidus, & putatiuus. *l. Celsus, & ibi glo. & Doct. ff. de vsucap. glo. in c. de quarta. de præscript.* modo validus esset, tribuere ius. *glos. fin. in c. si diligenti, de præscript. Philip. de Perus. loco alleg. num. 14. Veral. decis. 361. num. 4. part. 2.* Et quod huiusmodi erectio, & acceptatio habuerit effectum, ita vt adsit quadragenaria, & longe vltra, euidentissime patet, cum postea Bartholomæus de Coquis, ad cuius fauorem fuit facta erectio, soluerit pro instrumento authentico erectionis dicti canonicatus certam pecuniarum summam, *vt in Sum. num. 3.* & adest insuper optio, de qua supra dictum est, alterius prebendæ facta de anno 1476. vt in Sum. num. 4. in qua apparet, quod d. Bartholomæus ob tenuitatem Præbendæ S. Margaritæ de Longano optat prebendam canonicatus S. Iacobi vacantem, & pro instrumento authentico dictæ optionis certum quid fuit solutum, vt in eodem Sum. nu. 3. & de eodem anno 1476. constituit Franciscum de Mazzonatis eius procuratorem ad defendendam optionem dictæ præbendæ, qui canonicatus S. Iacobi cum præbenda S. Margaritæ de eodem anno 1476. fuit collatus per Capitulum *Petro Basso. num. 5.* qui cepit possessionem, & præstitit iuramentum in manibus Capituli, *vt in Sum. num. 6. & 7.* & quamuis huiusmodi scripturæ continentes prouisionem Bassi fuerint reprobatę in sententia Vicarij Patriarchæ Venetiarum ex quo non fuerant recte compulsatæ, tamen hodie cessat hoc obiectum per productionem originalium, ex quibus iuribus bene probatur obseruantia, & qualitas beneficij, nam ex optione alterius præbendæ denotatur qualitas præbendæ relictæ, cum optio non nisi inter Canonicos cadat, *Rot. dec. 6. de consuet. in no. & dec. 8. num. 5. de sent. excom. in antiq.*

4 Accedit etiam, quòd de anno 1477. per resignationem cuiusdam Carpedonis fuit prouisus de huiusmodi præbenda Christophorus de Saraualle, & facta fuit permutatio dictæ præbende S. Margaritæ de Lõgano, & habuit possessionem, *vt in Sum. num. 8.* & hodie cessat obiectum compulsationis contra huiusmodi instrumentum, cum originale sit productum, & postea de anno 1480. vt in Sum. num. 11. ad instantiam dicti Christophori homines de Villa Longani denunciauerunt Potestati Bulleni omnes terras dictæ Ecclesiæ S. Margaritæ.

5 Non obstat, quod enunciatiua in huiusmodi instrumento videatur æquiuoca, vt dicitur in alia decisione cum non dicat, huiusmodi Ecclesiam S. Margaritæ esse membrum canonicatus, quia hodie cessat hoc obiectum, stantibus alijs scripturis, de quibus supra dictum fuit, & infra dicetur, cum vna scriptura aliam declaret. *Aym. consil. 231. num. 12.* & actus subsequens declaretur secundum suum titulum, & causam, *Osasc. dec. 167 num. 25. & seq.*

6 Prædictis addendum est, quod de anno 1482. quidam Mansionarius Ecclesiæ Feltrensis tradidit possessionem canonicatus, & prębendę S. Margaritæ de Longano Benedicto Bonuiagio prouiso Apostolico, *vt in Sum. nu. 12.* qui de anno 1484. optauit præbendam S. Matthæi dimissâ præbenda S. Margaritæ, *vt in Sum. nu. 14.* & hæc quidem iura ostendunt effectuationem: licet enim possessio canonicatus debuerit capi Capitulariter, nihilominus sufficit, quod post possessionem simpliciter captam Canonicus fecerit canonicales actus de consensu Capituli, *Cassad. dec. 8. de caus. poss. & propr.* prout in casu isto præsumitur fecisse, cum postea de consensu Capituli optauerit aliam præbendam.

7 Et cessat omnis difficultas, nam ab anno 1543. vsque ad litem motam, & sic per tempus fere 50. annorum fuerunt Canonici Ioannes Baptista Pinadellus, Firmus de Suffinis, & Peregrinus Mastorgius, vt constat in processu, qui omnes, vt deponunt testes, possederunt bona S. Margaritæ vti Canonici, & reddunt causam scientiæ, quia alij deponunt de notorietate, alij de publica voce, & fama, alij quia tanquam Massarij exigebant decimam in primo anno pro fabrica, alij quia erant coniuncti, & exactores Canonicorum & vnus dicit, quia Pinadellus non habebat aliud beneficium, alij quia semper vnus Canonicus post aliũ possedit, ad trad. per *Oldrad. in cons. 296. nu. 1. & seq.* & quod plus est, dicti testes concludunt de auditu ab anno 1533. quo tempore erat Canonicus Franciscus à Turre, cui successit dictus Pinadellus, & hæc probatio per auditum in antiquis sufficit. c. licet ex quadã. vbi *Butr. Io. And. Abb. & alij, de testibus.* Et ne quid intactum relinquatur, accedunt pro obseruantia alia iura producta ab anno 1570. vsque ad annum 1592. de quibus in *Sum. à num. 23. vsque ad fin.* quæ continent locationes, visitationes, decreta, & alia similia pertinentia ad huiusmodi præbendam S. Margaritæ, & sic clarè onstendunt obseruantiam, & vnitatem beneficij. *Oldrad. d. cons. 296.*

8 Denique prædicta corroborantur, cum in libris taxæ non reperiatur annotata Ecclesia S. Margaritæ de Longano, *vt in Sum. num. 16.* sed solum canonicatus S. Margaritæ, quod verisimiliter non esset, si canonicatus esset diuersus à dicta Ecclesia, vtrumque enim beneficium debuisset per se in censum referri. *l. forma. ff. de censibus Oldr. d. cons. 296. num. 2. verſ. & vna tantum datur decima.* & hoc euidenter suadetur, ex quo Ecclesia S. Margaritæ de Longano post impetrationem de ea factam vti de beneficio separato fuit de anno 1593. 9. Februarij annotata in prædicto libro taxæ tanquam

tanquam beneficium de nouo repertum, ex hac enim annotatione clare constat, quod antea in dictis libris non erat descripta.

9 Non obstant testes in contrarium examinati, super quibus est fundata alia decisio; quia cum hodie ex scripturis de nouo productis conuincantur, non est de eis habenda ratio, probatio enim facta per scripturas prævalet probationi factæ per testes, *Innoc. in c. cum Ioannes, nu. 6. de fid. instr, Aym. cons. 54. nu. 15.*

10 Vltimo loco non officit, quod adsint plures Ecclesiæ, sub inuocatione S. Margaritę, quia inde non potest oriri equiuocum, cum denominentur de Formegano, de Sartena, & de Longano, & iura prædicta loquuntur de Ecclesia S. Margaritæ de Longano, & si aliqua simpliciter loquantur recipiunt interpretationem ab istis, cum, vt dictum est, vna scriptura aliam declaret.

D. P. D. PAMPHILIO.

Placentina, & Caurien. Beneficiorum. Lunæ 6. Iunij 1605.

ARGVMENTVM.

Possessio beneficijs acquiritur per resignationem admissam à superiore; Et quid si resignatio est nulla.

SVMMARIVM.

Possessio instrumentalis, alio non existente in possessione manutenibilis est, nu. 1.

Possessio beneficij amittitur per illius resignationem à Superiore admissam, nu. 2.

Possessio auctoritate iudicis capta iuste acquisita dicitur, nu. 3. vbi præsertim alio eandem possessionem de facto non detinente.

Possessor possessione sua priuandus non est, etiam quod per viam actionis de nullitate opponatur, nu. 4.

Resignatio beneficij nulla non facit, quin possessio amittatur per resignantem, nec impedit quin illa resignatio aprehendenti acquiratur, nu. 5.

Possessio acquiritur etiam ex actu nullo, quando est deuentum ad executionem facti, num. 5.

DECISIO XCII.

1 PRo informante resolutum, mandatum de manutenendo concedendum esse Roderico, de cuius possessionem constat ex instrumento adeptionis illius, & licet sit mere instrumentalis alio tamen tunc in ea non existente est manutenibilis, *Rota dec. 21. de restit. spoliat. in antiq. Bisignet. decis. 8. eodem titul. Caput. 334. numer. 5. part. 2.*

2 Nec potest dici, quod Ioannes Baptista esset in possessione, quia per resignationem per ipsum factam ad fauorem Roderici, & per superiorem admissam, amisit omnem possessionem tam ciuilem, quam naturalem *glos. in cap. inter cetera. in ver. assignari. de præben. Rebuf. 38. num. 1. Sarnen. in reg. de publ. quæst. 18. nu. 2. Rota dec. 1. sub nu. 2. & dec. 2. de rer. permutat. in nou. Cassad. decis. 4. de restit. spoliat. Put. dec. 175. num. 2. lib. 3.*

3 Præsertim cum post dictam resignationem Rodericus fuerit auctoritate iudicis Executoris actualiter immissus in possessionem, *ad text. in l. iuste possidet. ff. de acquir. possess.* & non constat, quod Ioannes Baptista de facto postea incuberit saltem detentationem, iuxta *decis. Cassad. 4. num. 4. de restit. spoliat.* & fuit decisum in causa Hipporegien. Præpositure 11. Decembris 1587. & 1. Februarij 1588. coram bon. mem. Bubalo.

4 Non obstat, quod Resignans hodie det de nullitate resignationis, quia interim dum de nullitate legitime appareat per viam actionis, non est Resignatarius possessor sua possessione priuandus, iuxta tradita per *Fer. ret. cons. 7. num. 3. & seq. & cons. 1. num. 11. cum seq.*

5 Vltra quod Resignatio nulla non facit, quin possessio ammittatur per Resignantem, vt fuit decisum in causa Albiganen, Canonicatus, 9 Ianuarij. 1579. coram bon. mem. Cardinale Lancellotto. Nec impedit, quin Resignatario illam apprehendenti acquiratur, cum etiam ex actu nullo acquiratur possessio, quando est deuentum ad executionem facti, *leg. 1. §. si vxori, vbi Doctor, ff. de acquiren. possess. Put. decis. 511. libr. 2.* Et ita decisum fuit.

R. P. D. PAMPHILIO.

Placentina Voti. Lunæ 13. Iunij 1605.

ARGVMENTVM.

Sententiæ an dicantur conformes, & an earum executio danda sit, si in earum vna adest aliquod grauamen, quod in alijs non adest.

SVMMARIVM.

Sententiæ non dicuntur conformes quando in vltima sententia datur aliquod grauamen, quod non erat in duabus primis, nu. 1. & seq.

Executio trium conformium in facto principali an fieri possit, quando in vna sententia adest aliquod grauamen, quod non erat in alijs, nu. 2.

Sententia per appellationem dicitur suspensa, nu. 3.

DECISIO XCIII.

1 FVit dictum, non constare de tribus conformibus, Quæ veniant exequendæ. Nam licet omnes tres sententiæ conueniant in eo, quod de iure vox Episcopi tantum valet, quantum valet vox totius Capituli, tamen cum in duabus primis sententijs reperiatur reseruata consuetudo, si qua sit, & in tertia declaretur consuetudinem reseruatam in dictis duabus sententijs, esse intelligendam de præscriptione eamque pro parte Capituli non fuisse probatam ratione huius noui grauaminis, de quo in tertia sententia licuit appellare, *Glos. in Clem. vt calumnijs in Verb. alicuius de re iudic. Ang. in l. 1. sub nu. 1. C. ne liceat tert. pronoc. Aym. cons. 183. num. 4. Couar. pract. quæstion. c. 25. nu. 6.*

2 Qua appellatione pendente, non possunt dictæ tres sententiæ executioni demandari, quia executio nec in eo, in quo sententię sunt conformes permittitur, quando commode fieri non potest, *Couar. d. c. 25. sub nu. 26. vers. Ego vero,* quod intelligitur, quando illud, in quo sunt conformes, esset connexum cum isto nouo grauamine, a quo fuit appellatum ad tradita per *Lancel. de attent. appellatione penden. lim. 2. nu. 33. cum seq.*

3 Huiusmodi autem connexitas in casu isto satis patet, quia impossibile est dare executionem dictis sententijs nisi amouendo Capitulum, a sua quasi possessione, quam prætendit non solum ex dispositione iuris communis super qua adsunt tres sententię sed etiam vigore consuetudinis, seu præscriptionis super qua adest vltima tantentiam per appellationem suspensa, *l. furti, vbi gl. in Verb. inter famosos, Bart. num. 1. & 3. Angel. num. 2. Castrens. nu. 6. ff. de his, qui not. infam. gl. in l. 1. in verb. accepit. ff. de re iudic.*

Non enim videtur æquum lite pendente super præscriptione, quam semper Capitulum pro potissima sui defensione allegauit, illud eijcere a possessione exequendo sententias restrictas ad dispositionem, iuris communis.

R. P. D. PAMPHILIO.

Augustana Canonicatusl Lunæ 20. Iunij. 1605. AR-

ARGVMENTVM.

Terminus pro seruato habitus, an & quando circumducatur per alium terminum, postea etiam habitum pro seruato, iusque conferendi Canonicatus, & præbendas de iure communi spectat ad Capitulum.

SVMMARIVM.

Sententia habet pro se præsumptionem, quod iuste, & rite lata sit, num.1.
Terminus pro seruato habitus ad sententiam, non censetur circumductus ex alio termino postea seruato pro remissorialibus, nu.2.
Terminis citationis pro seruato habitus censetur circunductus propter non comparitionem Procuratoris coram iudice in die termini, nu.3.
Sententia lata contra procuratorem infirmum, quando sit nulla, num.4.
Ius Conferendi Canonicatus spectans ad Capitulum potest diuidi inter Canonicos per Turnum, nu.5. & 6.
Assertioni Episcopi credendum est in his, quæ respiciunt præiudicium ipsius Episcopi, num.6.
Producens scripturas censetur fateri omnia contenta in illis num.6. in fine.
Iura etiam non recognita deseruiunt pro adminiculo, num.7.

DECISIO XCIV.

1 DOmini dixerunt sententiam R. P. D. mei Ortembergij esse validam; habet enim præsumptionem pro se, quod sit iuste, & rite lata. *Speculat. in tit. de empt. & vend. §. nunc dicendum, num.5. versic. & breuiter scias. Imol. in leg. si qnis cum ali ter sub num.7. versic. licet etiam, ff. de verb. oblig. Iason. consil. 119. numer. 5. volum. 1.*

2 Nec obstare, quod opponebatur esse nullam ex eo, quod terminus ad sententiam fuit circumductus ex alio termino obseruato pro remissorialibus, quia tollitur hæc obiectio, ex processu, ex quo apparet sententiam fuisse latam die 16. Maij, & terminum Remissoriæ postea tentum die 23. eiusdem mensis. Ideo iste terminus tentus post sententiam, non solum, non potuit circumducere terminum sententię, quod imò ipse terminus remissoriæ remanet nullus tanquam obseruatus post sententiam, & sic postquam iudex functus erat officio, *l. iudex posteaquam, ff. de re iud.*

3 Vltra quod terminus Remissoriæ fuit circumductus propter non comparitionem Procuratoris coram iudice in die termini, *l. post edictum ff. de iudic.* & consequenter tanquam circumductus non poterat operari circumductionem alterius termini, ex regula, non præstat impedimentum, *de reg. iur. in 6.*

4 Nec placuit Dominis alia nullitas, quæ deducebatur, ex eo, quod sententia fuit lata contra procuratorem existentem infirmum, quia talis infirmitas non erat admodum notoria, nec fuit minus excusatus pro vt opus erat, *Mohed. decis.2. de appellat. Lanfranc. Bald. decis.16. cent.1.*

5 Quo verò ad iustitiam, illa satis iustificatur ex decisione R.P.D. mei Ortembergij, cui non obstat oppositio, quod iura in illa ponderata non sint in forma probanti, tanquam non legitime recognita, quia vltra quod ista oppositio posset habere difficultatem; Fuit per Dominos responsum pro iustificatione huius sententiæ sufficere iuris communis dispositionem iuxta quam ius conferendi Canonicatus, & præbendas in Ecclesijs Collegiatis spectat ad Capitulum. *Calder. in capit. cum Ecclesi.1. de elect. & ibi Abb. num. 8. post med. & versic. sed vbi præbendæ, & dec.4. de concess. præben. in nou.*

6 Illudque potest diuidi per Turnum inter Canonicos. *ad not. in c. fin. de præbend. in 6. gl. in cap.2. in Verb. alternis vicibus, & ibi Anchar. num. 13. de iure patron.* prout obseruatur in ista Ecclesia Sancti Mauritij, vt probatur ex teste pro parte Christophori examinato, *in summ. nu.4.* Item ex literis Primariarum precum Episcopi per eundem Christophorum productis, in quibus Episcopus asserit collationem Canonicatuum ad ipsum Capitulum, vel ad aliquem ex Capitulo spectare, quæ assertio multum facit in hac materia, vbi agitur de præiudicio ipsius Episcopi, *Rip. respons. 1. num.6. & 7. de caus. poss. & propriet. Rota dec. 10. de iur. patron. in nou. Paleot. decis.23. Incip. Ostendebantur, Put. dec.243. libr.2. &* præiudicat etiam Christophoro, qui huiusmodi literas produxit, & illis visus fuit, *Doctor. communiter in c. cum venerabilis, vbi Felin. num.22. Dec. nu.22. de except.*

7 Quod autem Christophorus Trippius, qui nominauit, & præsentauit Guilielmum, esset Canonicus Turnanus probatur ex collatione postea facta à Capitulo, in vim dictæ nominationis & adminiculantur tum ex vnico teste pro parte Christophori examinato, *in Summar. num.6.* Tum etiam ex alijs iuribus, in dicta decisione ponderatis, quæ licet paterentur aliquem defectum recognitionis, negari tamen non potest, quin deseruiant pro adminiculo, ad tradita per *gloss. in cap. cum olim. il primo, in Verb. fratrum de priuilegijs, Bart. in leg.2. num.25. vers. nam testis, ff. de appell. recipien. Veral. decision. 206. numer. 6. & 208. numer.8. par. 2.* Et ex his conclusum fuit pro validitate sententiæ, omissis alijs deductis, quæ bene tolluntur per Informantes.

R. P. D. PAMPHILIO.

Bononien. Bonorum. Lunæ 20. Iunij 1605.

ARGVMENTVM.

Ignorantia, & quælibet causa excusat à pena caducitatis nec sufficit scientia procuratoris, nec ratificatio actus ratificanti nocet, nisi habita plena, & specifica notitia omnium contentorum in actu ratificato cum omnibus suis qualitatibus.

SVMMARIVM.

Ignorantia excusat à pœna caducitatis, num.1.
Procurator presumitur certiorasse suum principalem de gestis per ipsum, nu.2.
Scientia præsumpta non sufficit, vbi agitur de amissione iuris, sed requiritur certa, clara, & specifica, cum omnibus suis qualitatibus, num.2.
Procurator, quantumuis generalis non potest facere pactum per quod Dominus incidat in pœnam, num.3.
Ratificatio actus vt ratificanti noceat, requiritur, specialis notitia omnium contentorum in actu ratificato, nec sufficit scientia simplex, & generica, immo requiritur quod ratificanti legantur, & notificentur, omnia in eo contenta, num.4.
Causa qualibet excusat à pœna caducitatis, nu.5.
Pœna vt euitetur, multa admittuntur, quæ alias non admitterentur, nu.5. in fin.

DECISIO XCV.

1 FVit per Dominos resolutum, non esse locum deuolutioni, quia pactum de obtinendo beneplacito Apostolico, alias bona essent deuoluta, pro cuius vigore prætenditur deuolutio, non fuit initum cum ipso Aldrouando, sed cum eius Procuratore, quo casu Aldrouandus potuit illud probabiliter, ignorare, quæ

ste, quæ ignorantia à pœna caducitatis excusat, *Guid. de Suzar. de iure emphyteut. num. 52, vers. præterea illud. Anchar. cons. 174. nu. 3. ad fin. cum sequent. Late Andr. Gail obseruat. libr. 2. obseruat. 48. numero, 4.* Et tenuit Rota in Romana Deuolutionis 15. Nouembris 1596. coram R.P.D. meo Litta, & alias sæpissimè.

4 Neque obstare, quod Procurator præsumatur de huiusmodi pacto Dominum certiorasse, & consequenter Aldrouandum de eo notitiam habuisse, iuxta *vulg. cons. Rom. 481. num. 7.* sæpius à Rota canonizatum, quia talis scientia tanquam præsumpta non sufficitit, cum agatur de auferendo iure ipsius aldrouandi, quo casu scientia non solum debet esse certa, & clara, sed etiam requiritur, quod sit specifica cum omnibus suis qualitatibus, iuxta glos. communiniter approbatam in *c. concertationi, in verb. sciuerit. de appellat. lib. 6. Alex. cons. 114. nu. 4. vers. accedit. lib. 1. Nat cons. 636. num. 192. Tiraq. de retract. Lignag. §. 36. glos. 2. nu. 30. & de legib. connubial. glos. 8. num. 183.* & fuit decisum in Romana Dotis. 10. Maij. 1602. coram Illustrissimo Pamphilio.

3 Vltra quod huiusmodi pactum fuit appositum à Procuratore absque sufficienti mandato, licet enim in mandato fuerit data facultas promittendi de obtinendo beneplacitum, & confirmationem Apostolicam, cum pactis, & conditionibus ipsi Procuratori benè visis, non tamen fuit data facultas apponendi caducitatem, quæ cum sit pena. *l. 2. C. de iur. emphyt.* non potuit apponi absque speciali mandato cum Procurator quantumuis generalis, etiam cum libera, non possit facere pactum, per quod Dominus incidat in pœnam. *l. si pater. ff. quæ in fraud. credit. l. si procurator, & ibi Iaf. num. 4. cum sequentibus. ff. de condict. in debiti. Bart. in l. 1. §. si procurator. num. 5. ff. si quis ius dicenti non obtemp. & in l. 3. §. si procurator. num. 3. ff. quod quisque iur. Alex. cons. 73. num. 8. lib. 1. late Felin. in cap. 1. num. 8. vt lit. non constet.*

4 Nec obstare, quod Dominus de Aldrouandis soluendo canonem, & restituendo quasdam petias Terræ iuxta formam transactionis, videatur illam cum omnibus in ea contentis ratificare, quia præterquam quod ista sunt specificata in mandato, & sic ex illis non potest inferri ad pactum extraneum in mandato non appositum, huiusmodi ratificatio quo ad pactũ non operatur, cum non constet Dominum de Aldrouandis, de eo habuisse notitiam, & tamen in ratificatione etiam expressa, requiritur specialis notitia omnium in actu ratificato contentorum, nec sufficit scientia simplex, & generica. *Ruin. cons. 91. num. 10. lib. 1. Card. cons. 44. num. 3. Tiraq. de legib. connub. glos. 8. num. 183.* Quinimo requiritur, quod ratificanti legantur, & notificentur omnia in eo contenta. *Castr. cons. 465. num. 5. l. 1. & cons. 12. num. 3. 4. 8. & 9. lib. 3. Aym. consil. 197. num. 14. vers. quinimo.*, & fuit decisum in causa Melphensis Affictus 11. Maij 1582. coram bon. mem. D. Lauretano.

5 Et eo magis Domini censuerunt locum esse excusationi propter decretum Vicarij Bononiens. qui durante termino ad petendum, & obtinendum beneplacitum decreuit, tempus non currere, quinimo postea parte presente illud ad quatuor menses prorogauit. Et quamuis huiusmodi decretum posset dici iniustum ex allegatis per informantes pro rectore, negari tamen non potest, quin præbuerit iustam causam executionis à pena caducitatis, à qua quælibet causa excusat. *Ruin. cons. 156. num. 21. lib. 1. Bero. consil. 149. in fin. lib. 1.* & facit, quod multa ad effectum euitandi pœnam admittuntur, quæ alias non admitterentur, vt dixit Rota in causa Rauenaten. Domus 2. Aprilis. 1576. coram Domino Lauretano. Et ita conclusum.

REVERENDISS. P. D. COCCINO DECANO,

Romana Census de Mutis. 27. Iunij. 1605.

ARGVMENTVM.

Bona prohibita alienari præterquam ex causa dotis possunt alienari pro lucro dotis.

SVMMARIVM.

Dictio nisi præcedens negatiuam ponit, & determinat affirmatiuam in causa nominato. num. 1.

Bona prohibita alienari, excepta causa dotis, possunt etiam alienari pro lucro dotis. num. 2. & 3.

DECISIO XCVI.

1 FVit resolutum Testamentum Paulinæ nõ obstare impositioni census factæ per Pompeium pro cõcurrenti quantitate dotium, & lucri dotalis Luciæ della Zeccha, & Hortensiæ Ruspulæ. Paulina enim expresse cauit, quod eius bona non possint alienari, nisi pro dotibus dandis, & recipiendis, quæ dictio nisi cum præcedat, negatiuam ponit, & determinat affirmatiuam in casu nominato. *l. actione. Vbi Bart. num. 1. & Bald. num. 2. C. de transact.*

2 Et huiusmodi facultas alienandi pro dote extenditur etiam pro lucro dotis, quod debitor vigore statuti. *Aymo cons. 186. num. 4. fere vsque ad finem*, vbi concordant allegata, & post eum *Dom. Phanuc. de Lucro dotis. glos. 10. num. 58.*

3 Et ideo cum prædictis Luciæ, & Hortensię successerit Pompeius, & propterea sit creditor super bonis subiectis, dicto fideicommisso pro dotibus dandi, & lucro dotali, merito pro illa rata potuit alienare bona nominata fideicommisso subiecta imponendo cẽsum, & hæc intelligebant Domini, nisi doceatur alias imposuisse dictas Luciam, & Hortensiam.

R. P. D. LITTA.

Bononien. Preceptoriæ. Lunæ 27. Iunij 1605.

ARGVMENTVM.

Agenti spolio an, & quæ obstet præscriptio.

SVMMARIVM.

Actio spolij spacio quadraginta annorum præscribitur. n. 1.

Possessio præsumitur ex titulo præambulo. n. 2.

Præscriptio immemorabilis, vel quadragenaria cum titulo requiritur ad effectum præscribendi vnionem. num. 3.

Agenti spolio obstat exceptio proprietatis, vbi talis sit, quæ iustificet possessionem rei conuenti, & debilitet ius agentis. num. 4.

DECISIO XCVII.

1 DVbium reseruatum in vltima decisione in hac causa facta, videlicet, An constaret de præscriptione, quæ obstaret Religioui agenti spolio, modicam penes Dominos difficultatem habuit, & ita hodie pro negatiua resolutum fuit. Nam dicebantur, quod si Capitulum Ecclesiæ Bononien. prætenderet prescripsisse actionem spolij, quæ spacio quadraginta annorum; iuxta opinionem quam nouissime firmauit Rota in causa Nullius, seu Mediol. remedij redintegr. 17. Maij, corã Illustr. Card. Seraphino inducitur.

2 Et

2 Et hoc casu excluditur pretensio per productionem vnionis obtentę à Greg. XIII. de ann.1576.à quo tempore desumendo initium possessionis (cum possessio præsumatur ex titulo præambulo, *l. quædam mulier.ff. de rei vendic. leg.2. Cod. de acquiren. poss. cum similibus*) vsque ad tempus motæ litis, quod fuit de anno 1601. non effluxit tempus sufficiens ad prescribendum,cum ex dinumeratione, annos tantum vigintiquinque decurrisse appareat.

3 Si vero prætenderetur, præscriptam esse vnionem, & idem sentiebant Domini, quia ad hunc effectum requiritur immemorabilis,vel quadragenaria cum titulo. *Put. decis. 238. libr. 1. cum alijs allegatis per Informantes*. In proposito,excludebatur immemorabilis ex productione tituli vnionis: quadragenaria,vero pariter ex præmissis non aderat. Et ideo non constare de aliqua præscriptione resolutum fuit.

4 Quia tamen exceptio proprietatis in hoc iudicio admittitur,vbi talis sit,quę debilitet primum extremum hoc est, vbi iustificet possessionem eius contra quem agitur,& debilitet ius agentis (vt fuit dictũ in vna Eugubina beneficij. 13. Iunij 1594. coram Illustriss.Card. Pamphilio, vbi aduersus agentem spolio dabatur de vnione effectuata per longum tempus) hinc bonum esse, de viribus productæ vnionis videre, censuerunt Domini, &c.

REVERENDISSIM. P. D. PEGNA. DECANO.

Montis Regalis Iurisdictionis Veneris. Prima Iulij 1605.

ARGVMENTVM.

Sententiæ dicuntur conformes quando sunt conformes in substantia, & qualitate principali aliter secus, & quando tertius veniens ad causam censeatur, omnia antea acta,& gesta sua facere.

SVMMARIVM.

Res iudicata constituitur ex tribus sententijs informibus in substantia, & effectu,num.1. 2. 3. & 4.

Sententiæ, vt non dicantur conformes opus est, vt difformitas sit circa substantiam,vel qualitatem principalem eius quod agitur, nu.4.

Tertius quando committit nouam causam non censetur acta, & gesta per prius sua facere,& ideo sententiæ prius latè non faciunt numerum, secus si veniat ad causam per viam appellationis,vel nullitatis, nu.5.& 6.& seq.

DECISIO XCVIII.

1 IN hac causa, quæ diu fuerat agitata, latæ fuerunt duæ sententię Rotales,prima à me,per quam pronũciaueram Ecclesiam Cataniensem, & illius Ciuitatem, & Diœcesim fuisse, atque esse de Prouincia, & Archiepiscopatu Montis Regalis, & Episcopũ Cataniensem pro tempore existentem, fuisse, & esse Suffraganeum,& immediatè subiectum Domino Archiepiscopo Montis Regalis pro tempore existenti, cui propterea licuerat, & licebat in Ecclesiam, & Episcopum Cataniensem, & in eius Ciuitatem, & Diœcesim Ius Metropoliticum exercere. Secundam primæ confirmatoriam tulerat R.P.D. Lancellotus, ex quibus altera in rem transiuerat iudicatam.

2 Interim Capitulum Ecclesię,& Ciuitas Cataniensis ad impediendam executionem literarum executorialium, vigore rei iudicatæ relaxatarum, pro suo interesse venientes ad causam opponendo de nullitate,& appellando à prædictis sententijs causam R.P.D.Millino committi obtinuerunt, coram quo multo etiã tempore litigarunt: qui tandem ad fauorem Domini Archiepiscopi,& contra Canonicos,& Capitulum eiusdem Ecclesiæ, atq; homines, & Vniuersitatem, Ciuitatis pariter Cataniensem, & alios litis consortes pronunciauit, & declarauit præfatos Canonicos Capitulũ, & Homines, & Vniuersitatẽ Cataniensem teneri,& obligatos esse recognoscere Archiepiscopum Montis Regalis pro tempore existentem in Metrpolitanum, illumque admittere debere in dicta Ecclesia, Ciuitate, & Diœcesi ad ius Metropoliticum exercendum, sicut in duabus prioribus sententijs fuerat pronunciatum.

3 Et quamuis, hæc sententia D. Millini esset tertia contra predictos appellante nihilominus ipsi pretendentes fuisse latam in prima instantia, ab ea etiam appellauerant: sed cum eorum appellatio fuisset reiecta in Signatura Iustitiæ, & fauorem Domini Archiepiscopi rescriptum eidem Auditori, vt constito sibi de re iudicata, vel quòd alias esset locus executioni, ad eam procederet. Idem D. Millinus vj. Iunij dubitauit,An constaret de re iudicata,seu quòd alias esset locus executioni contra Capitulum, & Ciuitatem Cataniensem, & quoniam tunc non fuit capta resolutio ex eo, quod ego qui erã primus Responsalis dubitaueram contra Dominum Archiepiscopum, cũ postea per promotionem eiusdem D. Millini ad Archiepiscopatum Rhodiensem, vt proficisceretur Nuncius Apostolicus ad Regna Hispaniarum, Ego in eius locum substitutus, idem dubium vtraque parte Informante proposuissem,Rota de re iudicata constare cẽsuit,quia vere aderant tres sententię Rotales ad fauorem Domini Archiepiscopi Montis Regalis, quæ in omni materia constituunt rem iudicatam.*l.1. C. ne lic. tertio prouoc.* & maximè in hoc casu, in quo prædictæ tres sententiæ respiciebant idem ius, & eandem causam iuris Metropolitici, ex quibus præcipuè constituitur res iudicata, *l. cum quæritur cum duabus sequentib.ff.de except. rei iudic. Veral. dec.93. p. 3.* & erant conformes in substantia, & in effectu subiectionis ad fauorem Archiepiscopi, quod sufficit ad effectum, vt sententiæ dicantur, & sint conformes, *Socin. iun. cons. 74. nu.1. & 2. lib.2. Ruin. cons.114. num.10.& 13.lib.5. Gabriel.tit. de execut.rei iud.concl.1. num.33. Thesaur.decis. 112.& dec.228.num.2.* & sæpe Rota censuit in pluribus causis,& signanter in vna Romana successionis,coram bon. mem. Orano die 23. Maij 1597. Atq; inde mox inferebatur locum fuisse executioni, *Clem.1.de sent. & re iud. Præpos.in c.sua nobis, num.2.de Appell.Crescen.dec.1. & dec.22. de sent.& re iud.*

4 Neque ad rem pertinebat,quòd tertia sententia lata à D. Rhodiensis non confirmabat expresse duas primas sententias: quia cum similiter esset ad fauorem Domini Archiepiscopi super Iure Metropolitico,& in substantia contineret idem, quod duæ priores, cum quibus conueniebat super facto principali,valida fuit & cum illis conformis,vt notabiliter dixit *Bald.in l.creditor, §. cum de sorte num. primo, ff. de solut.* Nam ad effectum, vt sententiæ non dicantur conformes,opus est quòd adsit difformitas circa substantiam,vel qualitatem principalem, *Alexand. cons.77. num. 3. versic. sicut ergo libr. 2.* & fuit resolutum in causa Romana successionis, die 23. Maij 1597. coram bona memor. Orano.

5 Ad potissimam oppositionem, qua vtebantur Interpositiones pro Capitulo Ecclesię Cataniensis, quę in alia huius causæ propositione contra Dominum Archiepiscopũ fecerat me dubitare,videlicet,quod licet antea fuissent latæ duæ sententiæ contra Episcopum Cataniensem,illæ tamen contra Capitulum, & Ciuitatem non faciebat numerum, prout in indiuiduo fuerat resolutum in hac causa die 27. Nouembris 1602.

1602. coram eodem D. Mellino, neque afficiebant eos non citatos. Fuit responsum, quod cum Capitulum à primis sententijs appellauerit, & de illarum nullitate dixerit, consequenter omnia acta, & sententias præcedentes fecit suas, ita, vt si alia lata fuerit sententia contra eos, illa, & tertia, & conformis cum alijs censeri debeat, *Achil. decis.13. de appellat. Put.decis.71. lib.3.* & fuit resolutum in causa Catanien. legitimitatis coram fel. rec. Clemente Papa VIII. tunc Rotæ Auditore die 7. Nouembris 1580. & die 13. Februarij 1581. quod etiam in hac causa fuit expresse decisum die 10. Iunij 1602. coram Domino Rhodiense. Quicquid enim dicendum esset, quando tertius committit nouam causam, quo casu venit, tanquam in prima, quando tamen venit per viam appellationis, vel nullitatis omnia acta, & antea gesta censetur sua facere.

6 Neque obstabat quòd Capitulum principaliter non appellauerat, sed solum de nullitate dixerat, quia præterquam quòd ex tenore commissionis apparebat principaliter appellasse, idem in effectu erat solum de nullitate dicere, quia qui committit causam nullitatis sententiæ sub assertione, quòd sua interest declarari nullam, indicat sententiam ipsum afficere, & sic facit illam suam, & sic in terminis fuit resolutum coram dicto Clemente Papa VIII. tunc Rotæ Auditore in dicta causa Catanien. legitimitatis die 13. Febr.1581.

7 Rursus non obstabat decisio alias in hac causa facta, quòd prædictæ sententiæ non afficiebant Capitulum non citatum ad effectum faciendi numerum: quia licet ex capite non citationis non afficerent Capitulum, bene tamen afficiebant ex alio capite, quia appellando, & opponendo de nullitate fecerat illas suas, & sibi imputare debuerat præiudicium, quod sibi intulerat appellando, & dando de nullitate, cum potuisset venire, tanquam ad nouam causam.

8 Ad protestationem procuratoris Capituli, & Canonicorum Ecclesiæ Cataniensis declarantis se voluisse vigore commissionis in actis præsentatæ, & clausulæ, & quas, experiri pro suis principalibus principaliter, non autem pro admissis ad causam in statu, & terminis in quib. reperiebatur. Fuit responsum istam cautelam non mutasse naturam causæ, neque effecisse, quod non fuerit appellatum neque, vt non fuerit cōmissa causa appellationis, & nullitatis.

REVERENDISS. P. D. PEGNA DECANO.

Neritonen. Pensionis. Veneris Prima Iulij 1605.

ARGVMENTVM.

Princeps non præsumitur donare cum tertij præiudicio, resque à Principe donata transit in donatarium cum onere suo.

SVMMARIVM.

Fructus beneficij sunt hypothecati pro pensione ex dicto beneficio soluenda. num.1. & 2.

Donata res à Principe transit cum suo onere. numer. 2. & num.4.

Pensio reseruata pro alimentis pensionarij soluenda omnino est. num. 3.

Princeps quando donat, donare præsumitur sine præiudicio tertij. num.4.

DECISIO XCIX.

1 Mense Aprilis 1577. fuit reseruata pensio scutorum sexcentorum super fructibus mensæ Episcopalis Neritonen. in duobus terminis persoluenda, videlicet in Natiuitate Sancti Ioannis Baptistæ, & in Natiuitate Domini. Anno 1596. Vacante Sede Neritonen. Nuncius Apostolicus in Regno Neapolitano deputato Oeconomo pro Camera Apostolica, omnes fructus exigit, & terminum pensionis in Festo Sancti Ioannis maturatum soluit. Die 19. Nouembris eiusdem anni. Reuerendissimus D. Lelius Landus eiusdem Episcopatus pacificam accepit possessionem, quo tempore iam nomine Cameræ Apostolicæ omnes fructus erant recollecti, quare superueniente termino Natiuitatis Domini, Episcopus iterum soluere recusauit, affirmando ad Cameram, quæ fructus omnes exigerat, solutionem illius termini pertinere. Ceterum quia Papa, omnes fructus dicti Episcopatu à Die 1. Iulij maturatos eidem Episcopo gratiose donauerat, prætendebat Dominus Cardinalis Madrucius, alterius senioris Cardinalis Madrucij hæres, prædicti termini solutionem ad Episcopum spectare.

2 Quare vtraque parte informante consulta Rota, an pecuniarum Episcopo donatarum esset habenda ratio ad prędictum effectum. Rota habendam esse rationem censuit. Nam cum fructus essent pro pensione hypothecati, *Felin. in c. ad audientiam. il 2.num.6.de rescript. Roman.cons. 388. num.2. Nat. consil.341. num. 6. lib.2. Surd.cons.343.nu.12.* ad Episcopum cum suo onere, & causa peruenisse censebantur, non obstante, quod largitione Principis fuissent sibi donati. *l.alienatio. ff. de contrahend. empt. l. Princeps. ff. de verb. signif. Cephal. cons.32.num.17. lib.1. Peregr. consil. 13. n.18.lib.1.*

3 Non obstat, quod ad manus Episcopi non peruenerint fructus hypothecati, sed pęcuniæ, quia fuit responsum ex pecunijs redactis de pretio fructuum soluendum fuisse terminum pensionis, sicut solutus fuisset à camera, si penes eam fructus, aut pecuniæ remansisset, prętertim cum pro alimentis pensionarij fuisset pensio reseruata. *Gigas de pens. q.51. nu.4. & 10.*

4 Denique non obstabat, quod cum Episcopus habuerit pecunias ex Principis donatione, non debebat ab aliquo molestari. Quia fuit responsum id procedere solum respectu bonorum, & fructuum donatorum qui ad Principem pertinebant in quibus cessionarius nec debet, nec potest molestari, vt fuit dictum in causa Sutrina Monasterij. 29. Aprilis 1598. coram bon. mem. Orano, non autem respectu fructuum hypothecatorum, sed aliquo onere grauatorum, quos Princeps donare censetur sine præiudicio tertij. *Pereg.lib. 6. de iure fisci.tit.de vendit. & empt.fiscal. num.18.& seq.* vbi sic dicit procedere *text. in l.bene à Zenone. C. de quadr. præscript.* quo vtebantur informantes pro Domino Episcopo Neritonen. vt donatio intelligatur facta sine præiudicio tertij. *c.olim. vbi Abb. num.7. de verb.signif. Ias.in l.beneficium. nu.20. ff. de constit.Princip.* Ex quibus omnibus fuit vt supra firmatum.

ILLVSTISSIMO ET REVERENDISSIMO D. CARD. LANCELLOTTO.

Romana Spolij Domorum, & fideicommissi. Lunæ 24. Octobris 1605.

ARGVMENTVM.

Fideicommissum quando transmittatur ad filios, & descendentes, mortuo substituto ante conditionis euentum.

SVM-

SVMMARIVM.

Substitutio, seu fideicommissum, quo ad descendentes mortuo substituto ante conditionis euentum, efficitur caducum. num. 1.
Substitutio reciproca fideicommissaria non extenditur ad Nepotes. num. 1.
Fideicommissum conditionale non transmittitur etiam ad liberos, nisi coniecturæ ex ipso testamento resultantes, & necessario concludentes contrarium suadeant. num. 2.
Filia posita in conditione ex statuto Vrbis censetur vocata respectu portionis patris, non autem quo ad portionem patrui, num. 3.
Fideicommissum non transmittitur ad filios, & hæredes suos substituto moriente ante euentum conditionis, quando alter substitutus est ex eiusdem testatoris descendentibus. num. 4.
Conseruandæ agnationis ratio non militat respectu feminarum per quas agnatio non conseruatur. num. 5.
Fideicommissaria substitutio iuncta cum iure accrescendi, numquid transmittatur cum ipso accrescendi iure. nu. 6.
Prohibitio alienandi consequutiua ad substitutionem illam non ampliat. nu. 7.
Filius in substitutionibus, & fideicommissis quando sub intret in locum patris. nu. 8.

DECISIO C.

1 CVm Gregorius, & Michael Angelus fuerint in testamento Ludouici patris ad inuicem vulgariter, pupillariter, & per fideicommissum substituti, quandocumque alter ipsorum decederet sine filijs, Dominis dixerunt, Lauram filiam Gregorij non fuisse vocatam ad tale fideicommissum respectu portionis Michaelis Angeli, & quod substitutio adeius fauorem facta fuit aduocata, nec est alicuius considerationis respectu Lauræ filiæ dicti Gregorij præmortui. *l. 1. §. fin autem. C. de caduc. tollen. Bursat. consil. 1. n. 3. & 4. lib. 1.* Nec reciproca fideicommissaria extenditur ad nepotes. *Paul. de Castr. cons. 36. incipit, Dubium facit, parte 1. secundum antiquam impressionem, Dec. cons. 465. nu. 10. Angusciola consil. 47. num. 4. lib. 6. & facit text. in §. non igitur. iuncta glos. Authent. de restit. fideicommissi. collat. 9.*

2 Neque in hoc casu est locus transmissioni, iuxta not. in *l. hæredes mei. §. cum ita. ff. ad Senatuscons. Trebellian. cum allegatis per Bursat. cons. 1. num. 4.* & facit regula generalis, quod fideicommissum conditionale non transmittitur etiam ad liberos. *l. in personam. C. de fideicomm. glo. & Doct. in l. vnica. C. de his qui ante aper. tabul. Bart. in l. 1. num. 8. vers. alia glos. ff. de legat. 1. Bald. cons. 49. num. 2. vers. & licet. lib. 2.* & sæpe decisum fuit. Coniecturæ autem per quas ab huiusmodi regula recedatur, debent esse necessario concludentes, & ex ipso testamento resultantes. *l. Lucius. §. tres hæredes. ff. ad Trebellian.* & fuit resolutum in causa Romana Hæreditatis. de Fossanis. 12. Februar. 1588. coram bo. me. Gipsio, quales non sunt illa, quæ deducuntur.

3 Quod enim Laura vti posita in conditione attento statuto Vrbis, censeatur vocata, non releuat, quia hoc bene procederet respectu portionis patris, nō autem quo ad portionem patrui. *Castr. in l. filiusfamilias. §. cum quis. num. 3. vers. nota. ff. de legat. 1. Ripa in l. hæredes mei. §. cum ita. num. 64. versic. 1. ff. ad Trebellian. & in l. 1. num. 8. vers. vltimo declarando. C. de pact. Bertrand. cons. 105. num. 1. vers. secunda ratio, lib. 3. Ruin. consil. 179. num. 1. & 181. num. 7. lib. 2. Gabr. cons. 115. num. 9. lib. 1.* & fuit resolutum in causa Senogallien. fideicommissi. 14. Maij. 1605. coram R. P. D. meo Decano, & ita intelliguntur Doctor. qui in contrarium allegantur.

4 Et ideo ista consideratio non potest deseruire pro coniectura ad hunc effectum. *Gabr. cons. 44. nu. 26. lib. 2.* vltra quod cum testator substituerit filias feminas proprias, non procedit prædicta coniectura, quæ habet locum, quando agitur de excludendo substitutum extraneum, qui non sit de descendentibus testatoris, non autem quando substitutus est de eius descendentibus, *Socin. sen. in l. hæredes mei. §. cum ita. col. 6. ff. ad Trebellian. Zancus in repet. d. §. nu. 39. secundum primam impressionem, cum alleg. per Menoch. cons. 200. nu. 111. Gabr. d. cons. 91. nu. 8.*

5 Quantum ad rationem conseruationis agnationis hæc ratio non militat respectu Laure per quam agnatio conseruari non potest. *l. pronunciatio. §. fin. ff. de verb. signif. lib. leze. de legit. hæred. Paris. cons. 83. num. 24. lib. 2. Illustrissimus Mantica de coniect. vlt. voluntat. lib. 6. tit. 15. num. 3.*

6 Nec obstat, quod fideicommissaria substitutio, quādo est iuncta cum iure suo accrescendi, transmittitur cum ipso iure accrescendi, quia hæc opinio est multū controuersa, & fuit dictum quod alias in contrariam sententiam inclinabant. nonnulli ex Dominis in vna Ciuitatis Castelli coram R. P. D. meo Ludouisio, quicquid dicendum sit in substitutione pupillari, in quibus terminis loquitur *l. qui patri. ff. de acquir. hæred.* in qua substitutione transmissio est necessaria, vt ibi per Doct. quæ ratio necessitatis cessat in substitutione fideicommissaria, sed nihilominus quando fideicommissaria substitutio iuncta cum iure accrescendi transmittitur, procederet ad excludendum extraneum, non autem quando est substitutus aliquis de descendentibus testatoris, vt per *Gabr. dicto cons. 91. nu. 14. & seq. & præsertim. nu. 24.*

7 Non obstat prohibitio alienationis, quia est consequutiua ad ipsam substitutionem, quam propterea ampliare non debet, iuxta consil. *Dec. 636. num. 7.* & fuit resolutum in causa Perusina fideicommissi de Farmugiolis coram R. P. D. meo Litta 15. Septembris. 1597. & 27. Aprilis 1598. alias sæpe.

8 Quæ dicuntur de repræsentatione non applicantur, quia repræsentatio procedit, quando concurrit patruus ad successionem, & filius est vocatus ad portionem patris, sed non patrui, tanquam proximiore potest concludi, *Gabr. consil. 2. num. 16. lib. 2.* Ideo vt nepos fiat æqualis Patruo, necesse est, quod intret in locum Patris sui, perinde ac si esset in eodem gradu, qui non corrumpitur, sed repræsentatur. *§. cum filius. Instit. de hæred. quæ ab intest. defer. auth. post fratres. auth. cessante. C. de legit. hæred.* vt in pluribus causis decisum fuit, & in terminis procedunt allegati in contrarium.

R. P. D. PAMPHILIO.

Tirasonen. Cappellæ. Lunæ 28. Nouembris 1605.

ARGVMENTVM.

Clericatus habilitas impetrantis beneficium, valor per non excessum, obitus, & quod Beneficium sit sine cura, quomodo probentur ad effectum iustificationis gratiæ.

SVMMARIVM.

Clericatus censetur probatus ex literis patentibus Ordinarij. num. 1.
Assertioni Papæ creditur circa identitatem, & honestatem impetrantis beneficium. nu. 2.
Valor beneficij per non excessum probatur vnico teste, & per famam cum adminiculo. num. 3. & num. 7. vbi quod etiam probatur per confessionem factam in supplicatione.
Mors beneficiati probatur per publicam vocem, & famam, & per confessionem aduersarij. num. 4. & num. 5. vbi quod pro-

probatur etiam per testes, & quomodo,
Mors alicuius probatur per testes deponentes, vidisse eum mortuum, & sepeliri, nu.5.
Mors probatur ex libro Parochialis Ecclesiæ, in quo mortui annotantur, nu.6.
Beneficia in dubio præsumuntur potius simplicia, et non requirentia residentiam, quam curata, num. 8.

DECISIO CI.

1 PRo informante, nempe gratiam Michaelis Blasco esse iustificatam, nam de eius Clericatu Constat ex literis patentibus sui Ordinarij, *c. 2. et ibi Abb. in 1. not. de cler. peregr. Felin. post alios in c. post cessionem, nu. 3. et 15. de probat. Gram. dec. 81. nu. 1.*

2 De alijs habilitatibus constat ex assertione Papæ asserentis illum fuisse examinatum, & idoneum repertum, & per ordinarium de vita, & moribus, & idoneitate commendatum, quæ sufficit, vt fuit ponderatũ in causa Burgen. Abbatiæ de Fonseca, de mense Martij 1592. coram bon. mem. Gipsio & in causa Nucerina Beneficij, 30. Octobr. 1592. coram Illustr. Pamphilio.

3 Quod Michael obtineret portionem sæcularis, & Collegiatæ oppidi nuncupati de Tudela, cuius fructus non excedunt valorem annuum Ducatorum 24. probatur ex 1. & 2. teste super 1. & 2. deponentibus per literas missiuas de partibus, & hoc etiam esse publicum, & notorium, quæ probatio sufficit ad effectum verificationis obtentorum, in quibus Rota contentatur quali quali probatione *Ægid. dec. 674.* etiam minori, quam semiplena, vt de vno teste de fama cum adminiculo tradit idem *Ægid. decis. 682.* & fuit sæpissime in pluribus causis resolutum.

4 Cappellaniam, de qua agitur sitam in Parochiali, vel allia Ecclesia S. Michaelis loci de Corella vacasse per obitum Hieronymi de Ocana deponunt duo testes, dicentes cum possedisse suam Cappellaniam vsq; ad eius obitum, & de publica voce, & fama, & fatetur Michael Turzeto, qui eadem vacatione nititur *Ægid. dec. 268. et dec. 563. Put. decis. 300. lib. 1.*

5 Obitus D. Hieronymi de Ocana de mense Iulij extra Romanam Curiam probatur tam per duos testes deponentes vidisse eum mortuum de dicto tempore, & sepeliri, per quam depositionem sine dubio probatur mors, etiam vbi agitur de grauissimo præiudicio, *Bart. in l. 2. §. si dubitetur, sub nu. 1. ff. quemadm. testam. aper. Alber. in l. conditionum, nu. 1. ff. de condit. et demonstr. Aufrer. ad decis. Tolos. 313. in princ. Menoch. de adipiscen. remed. 4. num. 675.*

6 Tum etiam ex partita extracta formiter vigore compulsarialium ex libro Parochialis Ecclesiæ, in quo mortui annotantur. *Imol. cons. 110. in fin. Rebuf. in 2. Tom. super Constit. Gal. in tit. de registr. baptism. et de sepult. Mandos. super reg. 18. quæst. 10. sub nu. 4. et fuit pluries decisum.*

7 Valor Cappellaniæ, quod non excedat Ducatos 40. abunde probatur ex confessione dicti Michaelis Turzeto, qui in sua supplicatione porrecta de eodem anno, ait, non excedere Ducatos, 30. *Ægid. dicta dec. 268.* fuit decisum in causa Bonon. Canonicatus 24. Maij 1591. coram Illustr. Card. Pamphilio.

8 Quod Cappellania sit sine cura, & non requirat residentiam, probatur ex confessione Michaelis Turzeto in sua supplicatione; vltra quod talis præsumitur, ex quo de iure beneficia omnia præsumuntur simplicia *Ægid. dec. 676. Staphil. in tit. de stat. et qualit. benefic. in princ.* quæ ex generali consuetudine residentiam non requirunt vt post *Card. et alios trad. Imol. in c. fin. nu. 9. de cler. non resident. Feln. in c. dilectus il 2. num. 1. de rescript. Alex. in cons. 1. num. 2. libr. 7.* & fuit resolutum in causa Conchen. Beneficij de Velz coram Illustr. Lancellotto, & alias sæpius. Et ita conclusum fuit pro iustificatione gratiæ Michaelis Blasco.

R. P. D. LITTA.

Vlixbonen. Iuris conferendi Veneris 2. Decembris 1605.

ARGVMENTVM.

Concursus numquid sit necessarius in electione Rectoris, seu Vicarij Ecclesiæ subiectæ Monasterio, aut annexæ, vel de illius Mensa.

SVMMARIVM.

Ecclesia Parochialis quando est subiecta Monasterio, aut annexa, vel de eius Mensa, non est locus Concursui, quia Monasterium nominat Rectorem, et Episcopus confirmat, num. 1.
Ecclesiam esse subiectam Monasterio, aut annexam, vel de eius Mensa potest probari per signa, et argumenta etiam quod non adsit instrumentum Vnionis, vel Annexionis, num. 2. vbi ponuntur etiam argumenta, et signa dictæ subiectionis, et annexionis.
Ecclesia ædificata in territorio alicuius Monasterij dicitur ratione dominij ad illud Monasterium spectare, numer. 2. et num. 8.
Decimarum exactio denotat dominium Ecclesiæ, cuius ratione decimæ exiguntur, nu. 3. et nu. 6. et 7.
Onerum solutio pro aliqua Ecclesia denotat dominium illius ecclesiæ pro qua soluuntur, onera spectare ad soluentem, nu. 4. et num. 6.
Vicarij deputatio in aliqua Ecclesia denotat, illius Ecclesiæ dominium spectare ad deputantem, nu. 5.
Concursus an sit necessarius in Vicarijs perpetuis, numer. 9. et 10.

DECISIO CII.

1 PLures sunt Ecclesiæ Parochiales in territorio de Alcobatia, ad quarum curam exercendam Commendatarius pretendit Vicarios per eum nominandos debere ab Archiepiscopo absq; concursu institui, cuius contrarium prætendit Archiepiscopus. Ideo hodie stricte dubitatum fuit, An constet Ecclesiam B. Mariæ de Alcobatia spectare ad Monasterium de Alcobatia, vt non sit locus concursui, & Domini partem affirmatiuam amplexi sunt: Quia quando Ecclesia Parochialis est subiecta Monasterio, aut annexa, vel de eius mensa tunc non est locus decreto *Concilij Trid. sess. 24. cap. 18. de Reform.* sed Monasterium nominat Episcopus vero sine concursu approbat, iuxta tradita *in cap. 1. de cappell. Monach. in cap. de Monachis de præben.* & fuit resolutum in causa Tirasonen. Iuris præsentandi 23. Maij 1388. coram bon. mem. Bubalo, & 13. Octobr. 1595. coram me.

2 Ecclesiam autem esse subiectam Monasterio, aut annexã, vel de Mensa, nõ est necesse probare per instrumentum vnionis, vel annexionis, sed potest etiam probari per alia signa, & argumenta, vt fuit decisum in causa Pampilonen. de Stella 14. Decembris 1598. coram Illustr. Cardinali Seraphino. In casu proposito Domini inter alia primo considerarunt, quod Monasterium ante ædificationem huius Ecclesiæ, erat dominus totius districtus de Alcobatia titulo donationis factæ per Alphonsum Primum Regem Portugalliæ Diu. Bernardo Abbati Clarauallen. & per Innocentium Papam III. Confirmatæ, vt in Summ. num. 1. cuius dominij ratione Ecclesiæ sibi ædificatæ dicuntur ad Monasterium spectare, *glos. et Doct. in d. cap. de Monachis in verbo prouentibus, versic. si vero ex donatione. de præben.*

3 Ex qua donatione iuncta perceptione decimarum, & fructuũ totius dicti Territorij, & in specie decimarũ spectantiũ ad Ecclesias existẽtes in dicto districtu, vt probatur ex concordia inita inter Archiepiscopũ

& Com-

& Commendatarium de ann.1335. de qua *in Sum.nu.3. in c.1.4. & 5. & ex testib.in Sum.nu.8.* Item ex sententia Regis *in Sum.n.5.* ex separatione mensæ conuentualis à mensa Abbatiali facta per Pium IV. in *Sum. nu. 4.* ex erectione huius Ecclesiæ in Vicariam perpetuam in *Sum. nu.9.* denotatur manifeste dominium esse penes eum, qui decimas percipit, ita vt Ecclesia dicatur de Mensa illius,& curam residere penes Abbatem,& Monasterium habitu, exercitium vero curæ penes Vicarium, *Card.in clem.1.num.10. q.9. de offic.Vicar. gl.in clem. frequens. in verbo ad Mensam, & ibi Vitalin. nu.83. & ceteri Doct. de excess. Prælat. Crescen. decis. 2. de decimis. Mohed.decis. vlt.eod.tit.Veral.decis.339.part.3.Capell.Tholos. decis. 109.& ibi Add. & fuit dictum in præcitat. Pampilonen. de Stella.*

4 Tertiò vltra donationem Territorij, & perceptionem fructuum, & decimarum fuit cōsideratum,quod Monasterium sustinet omnia onera Ecclesiarum in dicto Territorio existentium,tam quæ ratione visitationum,quam quæ pro reparatione,& fabrica earundem debentur, vt ex concordia anni 1294. in *Sum. n.2.* & ex alia anni 1335. in *Summ.n.3. c.7.* ex dictis testium. *Sum. nu. 8.* & ex visitationibus Archiepiscoporum iunctis effectualibus solutionibus, de quibus in *Sum. n. 10.* & in specie respectu huius Ecclesiæ in *Sum. n. 8.* ex solutione enim onerum per Monasterium facta pro Ecclesijs, de quibus agitur, satis colligitur Ecclesias ad ipsum spectare. *clem.1. de iure patr.& ibi Vitali. n.8. vers. vbi ergo totum est. c.1. & c.de ijs. de Eccles. ædifican. c.fin. de testib. Cæs. de Grass. decis.6. de præb.*

5 Accedit quod ante erectionem huius Ecclesiæ in Vicariam perpetuam,in hac Ecclesia deputabatur Vicarius amouibilis, vt probatur ex confessione ipsius Ordinarij in instrumento erectionis, quod est signum curam penes dictum Vicarium non resedisse, sed solum exercitium *ex alleg. in d. Pampilonen.* Et quia ille qui præsentatur, non est Rector, sed Vicarius, quod etiam denotat non curam, sed exercitium dumtaxat esse penes ipsum, vt trad. *Vital.in d.clem.1. nu.7.de offic. Vicar.* quamuis etiam si præsentationes loquerentur de Rectoribus, stantibus præmissis, non eo minus diceretur Ecclesiam spectare ad Monasterium,cum ista sint synonima, & sæpe vnum pro alio ponatur, *gloss. in clem.1.§. nonnulli quoque in verbo Rectoribus. & ibi Vital.n.35. de excess. prælat.* cum alijs in his terminis allegatis,in causa Vrgellen. Parochialis 13.Nouemb.1603. coram Illustr. Card. Pamphilio.

6 Nec præsentationes possunt censeri factæ vigore Iuris patronatus ex fundatione competentis propter perceptionem decimarum,sustentationem onerum,& assignationem Congruæ Vicario præsentato, quod subiectionem denotat. *d.c.de Monachis.& c.auaritiæ de præbend. Lambert.de iure patr.art.1.q.10.principali,in 3. p. 2.lib.nu.4.vers. quartum ponit modum, & num.7. & 8.cum alijs citatis per Informantes.*

7 Nec facit quod Archiepiscopus habeat ius decimandi. Quia in concordia solum dicitur, quod prætendebat ius percipiendi decimas; vltra quòd tale ius posset verificari respectu quartæ debitæ Episcopo etiam ratione Ecclesiarum ad monasteria spectantium iuxta dispositionem *c. conquerente. de offic. ordin.*

8 Non obstabat quod Ecclesia, de qua hodie agitur, fuerit constructa post Monasterium,ex quo non appareret descripta inter Ecclesias,quæ de anno 1384.fuerunt expræssæ reperiri intra limites Cauti de Alcobatia, vt in Sum.n.4. Quia fuit responsum, descriptionem esse restrictam ad Ecclesias existentes in districtu, non autem in Oppido de Alcobatia,vbi Ecclesia B. Mariæ,de qua agitur,sita est,vltra, quod etiāsi illud esset verum non per hoc tolleretur, quod esset annexa, vel de Mensa Monasterij,cui incumbebat vigore concordiæ ann. 1335.Ecclesias ædificare.Vnde existentia huius Ecclesiæ in Oppido de Alcobatia, quod cum eius territorio est de dominio Monasterij,iuncta perceptione decimarum sustentatione onerum,assignatione Cōgruæ &c. pro Vicario facit,quod Ecclesia ista in sui ortu vere nata sit subiecta, & nunquam fuerit in aliquo statu libertatis, sed originaliter annexa, & de mensa, iuxta tradita *per Butr.in c.eam te.n.11.Abb.eodem n.11.Abb.eod. num. vers. nota hanc gl.de ætat.& qual. Fel.in c.ex parte. il 2.nu.1. & seq. de rescr.* vbi etiam dicit, quod si cappella ædificaretur, vt esset beneficium de per se stans, de necessitate præsētari deberet Rector perpetuus, quod hic non fiebat, sed deputabatur Vicarius amouibilis, vt supra dictum ex confessione Ordinarij,& alias frustratoria fuisset erectio in Vicariam perpetuam.

9 Non obstat, quod in Vicarijs perpetuis sit necessarius concursus. Quia ad effectum,vt sit locus concursui,non inspicitur, An Vicarius sit perpetuus, vel ad nuttum amouibilis, sed attenditur,An Vicaria spectet ad Monasterium, & ei sit subiecta, vel annexa, ita vt cura penes Monasterium resideat, quo casu non est locus concursui, sed sufficit approbatio Ordinarij iuxta resolutionem Illustrissimorum Interpretū Concilij, super qua fundatur Breue obtentum per Commendatarium à fel.rec. Clemente VIII. Declaratio vero eorumdem Illustrissimorum data pro parte Archiepiscopi loquitur, quando cura transfertur in Vicarium, & non solum exercitium, vt in causa isto.

10 Non obstat, quod per erectionem in Vicariam perpetuam factam per Archiepiscopum potest dici translata cura in Vicarium perpetuum. Quia lectura instrumenti erectionis contrarium aperte denotat,dum ibi assignatur certa portio Vicario,& reliquum reseruatur Commendatario, penes quem remanent onera iuxta not. *per Hostien.et Io.And.in c.exposuisti de præben. et ibi Abb.in fi.* Hoc bene declarat *Fel.in c.postulasti nu.1. vers. aut perceptio fructuum.de rescript.Rebuf.de congrua. port.n.108.*& in ista erectione vltra reseruationem fructuum, & onerum Vicarius non nominatur Rector, & reseruatur Commendatario Ius præsentandi,quod stantib. præmissis debet intelligi,sicuti prius competebat, scilicet cum approbatione Ordinarij, & non præuio concursu, apparet enim in hac erectione Archiepiscopum noluisse alterare statum huius Ecclesie in alio,quod facere Vicarium de amouibili perpetuū, prout ei ex debito sui officij incumbit ex Decreto Concilij,& *c.1. de appel. Monach.in sexto.* maximè quod in dubio huiusmodi erectio ita facta intelligi debet,vt minus præiudicet Commendatario,quam sit possibile,& propterea ex eo, quod dicat erigere Ecclesiam in Vicariam perpetuam, & beneficium curatum inferri non debet ad curæ translationem in Vicarium, cum ista verba optime verificari possint ratione exercitij, & oneris administrationis Sacramentorum Vicario perpetuo incumbentium. Nec ex deputatione Vicarij perpetui Ecclesia desijt esse de Mensa, *Vital.in d.cle.frequens.n.35.et 84.de excess. prælat.* & fuit dictum in præcit. Vrgellen. Parochialis coram Illustr.Pamphilio.

REVERENDISS. P. D. PEGNA DECANO.

Venetiarum donationis. Veneris 9. Decembris 1605.

ARGVMENTVM.

Extensio obligationis Cameralis an, & quando requiratur,antequam ex ea mandatum executiuum relaxetur.

SVMMARIVM.

Factum decisionis recensetur. num.1. 2. et 3.

Auditor Cameræ potest dare executionem omnibus obligationibus, etiam rogatis extra statum Ecclesiasticum. in quibus partes consenserunt relaxatione mandati vnica tantum, vel nulla citatione præcedente. nu. 4. et 5.

Obligationis Cameralis extensio non est facienda, quando in est partes

est partes consenserunt relaxationi mandati vnica tantum, vel nulla citatione præcedente, nu.4.& 5.
Donatio de iure communi valet, etiam quod non sit subscripta à donatore, & a testibus, nu.6.
Insinuatio donationis aliud non est, quam donationem coram iudice ordinario publicè legere, vt publicè ad notitiam deueniat, nu.7. vbi etiam de forma insinuationis.

DECISIO CIII.

1 D. Rodulphus Pius præmissa narratiua fidei, & integritatis Dominici de Domo in regenda, & gubernanda eius, persona, & familia, & in alijs suis negotijs pertractandis, vt mutuæ beneuolentiæ aliquod signum exhiberet, Veneti s 1598. sub die 19. Decembris, titulo donationis irreuocabilis inter viuos eidem Dominico præsenti, & acceptanti, pro se, & eius hæredibus, & successoribus, annua Scuta 300. auri, ex quibusuis eius bonis extrahen. cum onere tamen cibaria præstandi cuidam Donnæ Iacobæ, & vni eius Pedissequæ vita dictæ Iacobæ durante donauit, ita vt prædicta scuta 300. libere ad eundem Dominicum pertinerent.

2 Die 5. Nouembris anni 1601. Antonius de Domo prædicti Dominici frater, & procurator Rodulphi procuratorem ad dicendum contra iura, & ad soluendum, alias ad videndum decerni, & relaxari mandatum in obligatione susceptum citauit, & adueniente termino prædictæ donationis instrumentum produxit, & die 6. eiusdem mensis productione facta, iterumque procuratore Rodulphi citato, ad soluendam prædictam summam iuxta formam iurium ab Auditore Cameræ, parte præsente decerni, & relaxari mandatum infra mensem obtinuit.

3 Ab eo decreto idem Rodulphus intra legitima tempora appellauit, & causa commissa in Rota dubitaui, An prædictum Auditoris Camere mãdatum esset exequendũ & Rota mandatum exequendum censuit, quia de validitate mandati non dubitabatur cum de iurisdictione, & citatione constaret *Verall, dec. 262. p. 2.* Nam respectu Rodulphi res erat clara, Ne dum enim ratione originis, sed etiam bonorum, quæ omnia fere consistunt in statu Ecclesiastico, subiectus erat Tribunali Auditoris Cameræ, in cuius etiam iurisdictionem ipse consenserat: Respectu Dominorum de Domo non aderat dubium, ex quo ipsi venerunt ad hoc forum tanquam forum rei, quem sequi tenebantur.

4 Iustitia vero patebat ex publico donationis instrumento Venetijs confecto obligatione Camerali vallato & corã Auditore Cameræ citata parte producto. Nõ obstat quòd ex quo instrumentum erat rogatum extra Tribunal Auditoris Cameræ, & statum Ecclesiasticum requirebatur extensio obligationis Camerlis, qua non extensa iudicium fuit nullũ, quia respondebatur nullitatem cessare ex clausula instrumenti, per quam fuit consensum in mandatum executiuum vnica, vel sine citatione iuxta quam clausulam inoleuit stylus, quod detur executio instrumentis extra Tribunal rogatis nullo etiam Iudicis decreto circa extensionem præcedentem, vt testabantur Practici, & Notarij eiusdem Tribunalis, quod videbatur de Summorum Pontificũ mente descendere in facultatib. concessis Auditori Cameræ, vt in Bullis Gregorijs 13. in Bulla Const.55. *vers. Ita vt tu. & Sixti V. in eius Bullar. lib.2. Const.28. nu.28. & Greg.14. n.4. eod. vers. Ita vt tu.* Vnde patebat Auditorem Cameræ posse exequi omnia instrumenta in quibus debitores etiam absque obligatione in forma Cameræ consenserunt in mandatum executiuum vnica, vel sine citatione, & quarum obligationum, vel consensuum vigore in alijs Tribunalibus executiue per relaxationem mandatorum proceditur,

5 Dicebatur etiam, quod quatenus hoc mandatum non sustinetur vigore obligationis Cameralis sustinebatur tamen vigore consensus in mandatum executiuum, cuius via fuit actum, cum citatio, cuius vigore fuit relaxatum mandatum, esset facta ad soluendum alias videndum decerni, & relaxari mandatum in obligatione susceptum.

6 Rursus non obstat, quod donatio non esset à partibus subscripta, quia de iure communi id non est necessarium. *Io. Andr. in addit. ad Specul. tit. de instrum. edit. §. porro. vers. donatio autem in verbo. subscripta. Anton. de Canar. tract. de insinuat. q. 20. num. 38.* vbi addit, nec esse necessarium subscriptionem testium, quando donatio est facta per publicam personam.

7 Similiter dicebatur non reddi inualidam donationem ex defectu insinuationis, quia cum insinuatio nihil aliud sit, quam donationem coram iudice ordinario publice legere, vt ad notitiam publice deueniat ex ritu Venetiarum insinuationi respondendo, fuerat sufficienter satisfactum, cum coram Magistratu officium Curiæ examinatorum, seu Procuratorum, nuncupatorum producta fuerit hæc donatio, mandatque per præconem stridari, id est preconizari, & per mensem affigi, expectarique, an aliquis contradicere vellet. Hæc enim formula, & praxis Veneta plenissimæ insinuationis substantiam continere dicebatur *Anton. de Canar. tractat. de insinuat. q.1. & 2. & 9. num.18.* Atqui ex his fuit conclusum, prædictum mandatum fuisse exequendum.

R. P. D. PAMPHILIO.

Interamnen. Hæreditatis de Paradisis. Lunæ 12. Decembris. 1605.

ARGVMENTVM.

Statutum excludens, à successione sororem defuncti propter fratrem censetur etiam excludere, ab eadem successione filiam fratris neptem, scilicet ipsius defuncti, & hinc plura notanda in hac decisione ponuntur circa interpretationem statuti excludentis feminas, propter masculos.

SVMMARIVM.

Statutum excludens à successione sororem defuncti propter fratrẽ censetur etiam excludere ab eadem successio filiam fratris neptẽ, scilicet ipsius defuncti n.1. & seq. per tot. dec.
Statuta exclusiua feminarum propter masculos non extenduntur de persona ad personam ex identitate rationis, extenduntur tamen ex maioritate rationis, nu.1.
Extensio ex maioritate rationis, non dicitur fieri in statutos sed potius comprehensio. nu.1.
Testator præsumitur minus diligere remotiores sibi, quam proximiores, nu.2.
Filia succedens in locum patris non dicitur succedere, nisi cum qualitate feminitatis, nu.3.
Fictio non potest plus operari, quam ipsa veritas, nu.3.
Statuta extenduntur secundum mentem statuentium, num.4.
Statuta excludentia feminas propter masculos dicuntur condita fauore agnationis, & propterea indistincte reputantur fauorabilia, n.4.

DECISIO CIV.

1 POst resolutionem factam, quod esset locus Ægidianæ, quo ad bona vrbis, & eius districtus, vt in decisione sub die prima Iulij proximi præteriti proposui dubium in illa reseruatum respectu bonorum Ciuitate, & territorio Interamnen. existentium. Et Domini non dubitarunt idem esse resoluendum, etiam quo ad ista bona ex rationibus in dicta decisione. Verum quia quo ad ea tota difficultas versabatur circa intellectum eiusdem statuti dictæ Ciuitatis, per quod femina a successione patris, patrui, fratris, vel matris excludatur, si fratres carnales, vel nepotes ex eis habue-

habuerit, fuit particulariter discussum super interpretatione huius statuti, an scilicet excludat neptem à successione patrui propter patruum, & sic fratrem defuncti. Et Domini re mature discussa affirmatiuè resoluerunt, moti ex eo, quod licet statuta exclusiua feminarum non extendantur de persona ad personam ex identitate rationis, vt per *Bald. & alios, in l. illam, C. de collat.* Id tamen non procedit quando maior ratio est in illa persona, quam in exclusa à statuto, *Bald. in l. quod vero, nu. 3. ff. de leg. Soc. cons. 9. n. 13. & seq. lib. 3. Gabr. cons. 14. nu. 14. 33. & 39. lib. 1. & cons. 15. num. 4. lib. 2. Cum alijs per Ant. Gabr. de stat. concl. 7. nu. 43. cum seq. Vbi n.* adest maior ratio potius dicetur comprehensio, quam extensio, *Alex. cons. 75. nu. 3. lib. 5. & cons. 49. num. 6. lib. 6.* Et in similibus terminis statuti Vrbis tenuit Rota in vna Romana Hæreditatis de Capranica 23. Iunij. 1581. coram Illustr. Seraphino.

2 In casu autem de quo agitur non potest dubitari, cum maior ratio exclusionis sit in nepte, quæ est remotior in gradu, quam in sorore, quæ est proximior *l. si vina matre. cum ibi not. C. de bo. mater.* Ideo dicendum est, dictum statutum voluisse excludere etiam Neptem à successione patrui, propter patruum, aliter enim sequeretur maximum absurdum, quod sorores Marcelli, quæ censentur magis dilectæ, fuissent exclusæ ab illius successione propter fratrem, vel nepotem, & constantia neptis, quæ tanquam remotior censetur minus dilecta admitteretur vna cum patruo exclusis amitis, *Socin. cons. 129. nu. 36. vers. 4. eam respondere potest lib. 3. Gabr. cons. 15. nu. 29. & seq. lib. 2.*

3 Præterea fuit consideratum, quod Constantia in casu isto non potuit succedere vna cum Patruo, ex suo gradu est enim remotior fratre, sed succedit subintrando in locum Patris per repræsentationem. *§. reliquum. Authent. de succes. ab intest. quod fieri non potest, nisi cum sua qualitate feminitatis Bart. in l. liberorum. num. 13. ff. de verb. signif. Alex. in l. venia. col. fin. & Ias. nu. 6. C. de in ius voc. Socin. iun. cons. 168. nu. 46. circa finem. lib. 2. Gabr. d. consil. 15. nu. 13. & seq.* Vnde sicut Constantia si vere fuisset in eodem gradu, fuisset exclusa à statuto propter hanc qualitatem feminitatis. Ita multo magis dicendum, est in præsenti casu fuisse exclusam cum in dicto gradu non potuerit constitui, nisi per fictionem, quæ non debet plus operari, quam veritas. *Nat. consil. 201. num. 2. in fine. Gabr. d. consil. 15. num. 14.* & fuit dictum in dicta Romana Hæreditatis de Capranica.

4 Prædictis accedat mens statuentium quæ facit, vt extensio admittatur. *Parif. cons. 66. num. 66. & seq. lib. 3. Aym. cons. 155. nu. 7. Socin. iun. cons. 129. num. 35. lib. 3.* In hoc enim statuto sicuti in alijs similibus, quæ feminas propter masculos excludunt certi iuris est, statuentes eam mentem habuisse, vt bona in agnatione conseruentur, & propterea dicitur edita fauore agnationis. *Ruin. de stat. art. 3. num. 11. Socin. iun. consil. 1. nu. 38. & seq. lib. 1. & consil. 167. num. 21. lib. 2. Gabr. d. consil. 15. num. 2.* & censetur indistincte hæc statuta fauorabilia, quamuis sint correctoria iuris communis, *vt latè per Brun. vbi supra, art. 4. num. 6. Socin. iun. consil. 20. num. 13. lib. 4. Gabr. d. consil. 15. nu. 3. & fuit resolutum in causa Nucerina Hæreditatis 29. Mai. 1602.* coram R. P. D. Sacrato. Ideo dum statutum ratione conseruandæ agnationis excludit sororem propter fratrem, eadem ratione dicendum est voluisse excludere filiam fratris à successione patrui propter patruum, in quo eodem modo conseruatur agnatio, vt per *Socin. iun. d. consil. 10. num. 13. ad fin.*

5 Et hoc etiam suadetur ex verbis ipsius statuti, quod expresse tollit actionem feminis dotatis etiam contra patruum, & consequenter in necessarium antecedens dicendum est voluisse tollere ius successionis, ex quo oritur ipsa actio ad *text. in l. ratio. ff. de sponsal. cum similibus.* Et ita resolutum fuit.

REVERENDISS. P. D. COCCINO DECANO.

Vrbeuetana fideicommissi. Veneris 27. Ianuar. 1606.

ARGVMENTVM.

Descendentes positi in conditione quando censeantur expresse vocati, & an per fideicommissum, an vero per vulgarem tantum substitutionem.

SVMMARIVM.

Filij positi in conditione respectu alicuius censentur etiam ad illius hæreditatem vocati. num. 1.

Descendentes vacati in substitutione, vel fideicommisso, an intelligantur de descendentibus testatoris, an vero descendentes grauati. num. 2.

Descendentes in conditione positi in vna parte testamenti censentur vocati, quando in alia parte expresse vocati sunt. num. 3.

Descendentes positi in conditione cum qualitate masculinitatis, censentur expresse vocati. n. 3. & 7.

Descendentes testatoris in conditione positi facilius censeri debent vocati, quam alterius, num. 3.

Clausula quando dicatur stare continuatiue, & quando aduersatiue, & de effectibus dictarum clausularum. n. 2.

Testator quando mandauit, vt eius hæreditas remaneat semper apud masculos feminis exclusis tunc in conditione positi censentur vocati. num. 4. & 5.

Clausula subsequens declarat præcedentem dispositionem, num. 4.

Consequens qui vult, censetur etiam voluisse necessarium antecedens. num. 5.

Moderator, & arbiter in re sua quilibet est, nu. 6.

Fideicommissum tacite inducitur, quando testator habuit respectum ad conseruandam agnationem. nu. 7.

Descendentes quando sunt vocati in testamento censentur vocati per fideicommissum, & non tantum per vulgarem substitutionem. num. 8.

Clausula in fine posita referri debet ad omnia præcedentia. num. 9

DECISIO CV.

1 Maior pars Dominorum censuit constare de Fideicommisso, ad fauorem descendentium Petrucij circumscripto pro nunc. An extendatur vltra pronepotes, & an adsit reciproca inter ipsos descendentes. Testator enim instituit ipsum Petrucium filium, & alios nascituros; Et si quis eorum decederet in pupillari ætate, vel postea quandocunque sine filijs masculis legitime ex se descendentibus substituit ei, & eis superuenientem, & superuenientes, & eorum filios masculos, & alios descendentes ex eis masculos. Vnde licet testator decesserit vnico tantum filio Petrucio relicto, & non appareat in hoc casu filios Petrucij fuisse expresse vocatos, tamen cum fuerint expresse vocati ad fideicommissum purificandum per mortem patruorum, censentur etiam vocati ad hæreditatem illius, cuius respectu fuerunt positi in conditione, *Gozzad. cons. 64. num. 10. vers. Quinto dico. Aymon. cons. 62. nu. 10. lib. 1. Ruin. cons. 160. num. 24. lib. 2. Ias. cons. 108. num. 19. & seq. lib. 4. Gabr. de fideicom. concl 4. num. 36. Et fuit dictum in causa Montis Falisci fideicommissi. 26. Nouembris. 1602. coram Illustriss. D. Card. Pamphilio, & alias sæpius.*

2 Maximè cum non adsit diuersa ratio quod voluerit substituere descendentes Petrucij alijs filijs, & non ipsi Petrucio, an casu quo solus Petrucius superesset de tempore obitus testatoris, vt bene per *Rimin. senior. consil. 189. nu. 11.*

189. *num.11. & seq.lib.1.* & concurrunt aliæ coniecturæ intra considerandæ in vocatione descendentium. Et propterea cum testator subdat, quod si aliquis ex filijs dicti testatoris, vel nepotibus masculis ex filijs, vel nepotibus, vel aliquis alius descendens masculus non superesset, substituit eis Vgolinum, & Leonellum, & alios masculos descendentes ex eis, dicendum est, siue ista clausula stet continuatiue, *iuxta tex. in l.2. & 3. ff. de const. pec. siue aduersitate, vt in l. quod si filius. ff. de capt. & postlim. reuers.* quod nihilominus testator intellexit de descendentibus Petrucij, quatenus ipso solo relicto decederet; Si enim clausula stat continuatiue, non est ambigendi locus, si stat aduersatiuè idem dicendum est, quia licet aduersatiua coniungat, & repetat superiora retento eodem themate, *Bart. in l.mariti. §. fin. ff. ad leg. Iul. de adult.* tamen cum testator in prima substitutione vocauerit filios Petrucij, quatenus decedat solo Petrucio relicto, vt dictum est, res est clara, quod in hac secunda substitutione pariter intellexerit de filijs, & descendentibus Petrucij in casu prædicto, maxime cum non adsit ratio diuersitatis vt dictum est.

3 Et quod descendentes positi in conditione in dicta clausula, quod si aliquis, sint ex coniecturis vocati, satis patet. Tum quia sunt exprese vocati in alia parte Testamenti, *vt per Gozzad. Iason. & alios supra allegatos.* Tum quia sunt positi in conditione cum qualitate masculinitatis. *Guid. Pap. q.184. num.2. Dec. in l.1. nu. 16. & Cur. iun. nu.14. C. de pact.* Et concurrit perpetua exclusio feminarum, vt infra dicetur. *Rip. in d.l.1. num.9. vers. ista coniectura. C. de pact. Curt. iun. consil.43. num. 8. vers. Tertium etiam reperio. Aym. cons.130. nu.4.* Et hæc eo magis sunt admittenda quia cum agatur de descendentibus testatoris sufficiunt leuiores coniecturæ. *Dec. cons.242. circa fi. vers. Et quoniam filij. Aym. 367. nu. 9. Et fuit dictum in causa Viterbien. fideicom.28. Decembris* 1600. coram R.P.D. meo Litta.

4 Et cessat omnis difficultas, quia testator conclusit testamentum per hæc verba. Ita quod hæreditas dicti testatoris nunquam ad filias, vel descendentes feminas deueniat, sed semper eius hæreditas remaneat apud masculos de stirpe testatoris, quod clausula, siue stet ampliatiuè, vt voluit post alios *Paris. cons. 90. nu. 26.27. & seqq. lib.2.* siue stet declaratiuè. Nihilominus declarat mentem testatoris, & regulat præcedentem dispositionem. *Socin. sent. cons.49. nu.2. vers. Aut dicemus, & num.5. vers. ad propositum. lib.1. Dec. cons.227. n. 6. Tiber. Decian. cons.33. nu.49. lib.1.*

5 Et ideo amplius dicendum est descendentes fuisse vocatos ad fideicommissum, quia alias bona non possent remanere apud masculos de stirpe. Vnde intrat regula quod qui vult consequens, necessario etiam vult antecedens. *Bal. in l. quamuis per illum tex. C. de fideicom. Dec. cons.23. num. 3. & cons. 637. num. 8. & bene Surd. cons.443. num.19. lib.3.* Et in simili fuit dictum in causa Firmana fideicom. secunda Aprilis. 1600. coram Illustr. Pamphilio, & in puncto videtur bonus *tex. in l. fideicommissa. §. hæc verba. ff. de legat. 3.* quo loci testastator dixerat filio suo, vt curam agrorum haberet, vt possent ad filios peruenire, & dicit *text.* quod licet illa verba non satis exprimant fideicommissum, sed magis consilium, quam necessitatem relinquendi, tamen quòd illa prædia post mortem patris vim fideicommissi videntur continere.

6 Et denique adest alia clausula (saluo quod) posita limitatiue, & declaratiue ad clausulam, ita quod, in qua datur facultas Petrucio, & alijs descendentibus masculis alienandi in vita sua, non obstante substitutione prædicta, s. facta de transuersalibus in euentum quod descendentes testatoris deficerent, quæ clausula exprese arguit vocationem vnius post obitum alterius, quia alias licentia alienandi fuisset superuacanea, cum in re sua quilibet sit moderator, & arbiter, *l. in re mandata. C. mandat. bene in simili, Socin. cons.1. nu. 20. vers. Verum vbi. lib. 3.* & regulæ sunt claræ, quod relaxatio præsupponit vinculum, *l. decem ff. de verb. obligat.* & licentia Prohibitionem. *c. licet, §. si vero, de regular.*

7 Prædictis accedat etiam mens testatoris, nam habuit respectum ad conseruationem agnationis, ex quo non solum semper exclusit feminas, sed filijs substituit descendentes masculos, & postmodum transuersales masculos, quos etiam exprese instituit, in euentum quod dictus testator moreretur sine descendentibus masculis. Et hæc ratio conseruandæ agnationis, etiam non expressa, sed tacita, & ex testamento elicita est sufficiens ad inducendum fideicommissum inter omnes decendentes masculos. *Cuman. cons. 2. num.4. vers. Ad hoc etiam facit. Dec. cons. 227. versic. Nam dum testator, & consil. 545. num.6. Grat. consil. 5. num.19. lib. 2. late Surd. cons.443. num.20. lib.3.* Maxime cum dixerit, quòd eius hæreditas semper remaneat apud masculos de stirpe, per quæ verba secundum vnum ex Dominis videtur imponere voluisse onus ipsi hæreditati, ita vt omnes videantur vocati, & grauati *Bald. in l. ab eo. num. 8. C. de fideicom. Paris. in puncto, dicto cons.90. num.43. & cons.92. nu.43. lib.2. & cons. 72. num.89. lib.4.*

8 Nec est verum, quòd descendentes intelligantur vocati per vulgarem, non autem per fideicommissariam, quia contrarium apparet ex predictis, nam cum testator vsus fuerit verbo communi, remaneat, & collectiuo, descendentes, & verbis tractum temporis in futurum denotantibus, scilicet semper, & nunquam, vocatio clare intelligitur per fideicommissariam, & non tantum per vulgarem, *Bart. in l. centurio. num.32. Ias. num.53. ff. de vulgar. Socin. in l. Gallus. §. quidam rectè. num.9. ff. de liber. & posthum.* Et fuit resolutum in dicta causa Montis Falisci, & si habuit respectum ad agnationem, bona non possunt in agnatione conseruari, nisi transeant de vno in alium, *l. peto. §. fratre. l. cum ita. §. in fideicommisso. ff. de leg. 2.*

9 Nec etiam est verum, quòd dicta clausula, ita quod, referatur ad institutionem trasuersalium immediate precedentem, quatenus testator decederet sine descendentibus. Quia non solum tanquam in fine posita ex vulgari regula debet referri ad omnia, *l.1. C. de lib. præter.* Sed repugnant huic intellectui verba sequentia, saluo quòd, &c. vbi datur facultas Petrucio, & descẽdentibus alienandi in vita, quæ facultas non fuisset necessaria, si clausula referretur ad institutionem antecedentem Vgolini, & Leonelli, cum instituantur quatenus testator decedat sine descendentibus.

10 Neque etiam dictæ clausulæ repugnat *tex. in l. pater §. fundum. ff. de l.3.* Quia ibi pater vetuit per hæredem fundum alienari, & in casum alienationis substituit fiscum, & subdit: Ita enim fiet, vt fundus de nomine vestro nunquam exeat. Quæ verba, vt ibi dicitur, non inducunt fideicommissum ad fauorem familiæ; & merito, quia sunt futuri euentus, & cuiusdam spei enunciatiua, & ideo nihil inducunt, *Bart. in d. §. fundum. vbi etiam Alber. Alciat. n.1. in fi. Rip. in l. filiusfam. §. Diui. n.110. vers. Declara tamen. de leg.1. Ruin. cons.158. n. 11. in fin. lib.2.* Quod secus est in casu isto, quia clausula (ita quod) declarat precedentem dispositionem.

R. P. D. PAMPHILIO.

Bouen. Vnionis. Lunæ. 13. Februarij. 1606.

ARGVMENTVM.

Antiquior possessor in possessione manutenendus est, non obstante iuniori possessione data à iudice nulliter procedente, possessioque instrumentalis alio non possidente prodest ad effectum manutentionis, restitutionis, & ad quoscunque alios effectus.

SVM-

SVMMARIVM.

Mandatum de manutenendo datur illi, qui de antiquiori possessione docet per instrumentum, nu.1.
Possessio iunior præsumitur clandestina, nu.1.
Possessio non amittitur per decretum iudicis, qui nulliter processit parte non citata, nu.2.
Interdictum retinendi datur possidenti ciuiliter contra occupantem naturalem possessionem, nu.3.
Possessio instrumentalis alio non possidente sufficit ad effectum manutentionis, & etiam restitutionis, & ad quoscunque alios effectus, nu.4.

DECISIO CVI.

1 PRo Informante, nempe dandum esse mandatum de manutenendo Capitulo Ecclesiæ Bouen. de cuius antiquiori possessione constat per instrumentum, *leg. prædia. ff. de acquiren. possess. & ibi Bart. leg. idcirco. & ibi Bald. Cod. de fid. instrum. Put. decis. 369. numer. 8. libr. 1.* non obstante alia possessione Ioannis Angeli, quæ tanquam iunior præsumitur clandestina, *leg. 1. in fin. vbi gloss. Angel. & alij. ff. vti possid. Bart. in leg. si duo, num. 4. eod. tit. Couar. pract. q.c. 17. circa fin.*

2 Non obstat, quod possessio Ioannis Angeli fuerit capta auctoritate iudicis executoris literarum Apostolicarum, quia cum nulliter processerit possessore non citato, prout requiritur, *capit. licet Episcopus, de præben. in 6. leg. fin. C. si per vim.* Vel alio modo dictum Capitulum non fuit priuatum sua possessione, *Abb. in c. conquerente, nu. 8. de restitut. spoliat.*

3 Et cum illud non habuerit se pro spoliato, dicitur retinuisse ciuilem possessionem, *leg. clam possidere, §. qui ad nundinas, ff. de acquir. possess.* cuius vigore datur sibi interdictum retinendi contra occupantem naturalem, vt tradit *Bart. in leg. 1. §. interdictum autem, nu. 1. & in leg. si duo. num. 1. ff. vti possid. Put. decision. 419. in fin. libr. 2.*

4 Non obstat, quod possessio Capituli fuerit mere instrumentalis, quia cum non constat alium tunc temporis possedisse, prodest ad effectum manutentionis, & etiam restitutionis, & ad quoscunque alios effectus, *Rota decis. 21. de restitut. spoliat. in antiqu. Bisignet. decis. 8. eodem tit. Fastol. dub. 41. Cassad. decis. 20. in fine de præbend. Mohedan. decis. 238. Veral. decision. 334. num. 5. part. 2.*

R. P. D. PAMPHILIO.

Vrbeuetana, Alimentorum. Veneris 17. Februarij 1606.

ARGVMENTVM.

Alimenta, & vsusfructus debita condemnato capitaliter & in confiscationem bonorum, numquid in fiscum transeant. Donata, confiscataque bona transeunt in donatariarium, & fiscum respectiuè cum suis oneribus.

SVMMARIVM.

Donata bona cum aliquo onere in quoscunque transeunt possessores transeunt cum suis oneribus, nu. 1. & 2.
Donatio facta delinquente ante delictum, & sine fraude non potest à fisco reuocari, nu. 3.
Confiscata bona transeunt, in fiscum cum suis oneribus, num. 4.
Cessionarius habet omnia iura actiua, & passiua, quæ cedens habebat, nu. 3. in fine.
Alimenta non veniunt in confiscatione bonorum, & debentur restituto ad gratiam, nu. 4. & 5.
Vsusfructus qui debetur condemnato capitaliter, & in confiscatione bonorum, & ante condemnationem sequuta condemnatione finitur, num. 5. & seq.
Restitutus ex gratia recuperat iura alteri acquisita per condemnationem, nu. 8. in fine.

DECISIO CVII.

1 DOminus Paulus Petrus Clementinus, de anno 1589. donauit inter viuos D. Cornelio eius fratri Germano suam portionem omnium bonorum, & iurium competentium tam ex testamento, quam ab intestato, & reseruauit sibi scuta 700. annua ex causa alimentorum, & scuta 2000. infra annum cum dimidio sibi per D. Cornelium soluenda, & etiam scuta 1000. ad effectum testandi, seu alias arbitrio suo disponendi, cum pacto expresso, quod si Paulus Petrus donator commorari voluerit in Ciuitate Vrbis veteris, tunc Cornelius Donatarius teneretur, & obligatus esset soluere idem Paulo Petro scuta 500. annua, & victum pro eo, & duobus famulis, & duobus Equis, & habitationem in domo ipsius Cornelij præstare, vt legitur latius in instrumento ipsius donationis.

2 Verum, quia D. Monaldus filius Cornelij possidet omnia dicta bona donata per dictum Paulum Petrum & prætendit non teneri ad præstationem alimentotorum, & aliorum in dicta donatione contentorum, fuit super hoc introducta lis coram Auditore Cameræ, ad cuius instantiam de partium consensu proposui dubium in Rota, quod fuit per Dominos vnanimiter resolutum ad fauorem dicti Pauli Petri, nempe dictum Monaldum non posse retinere dicta bona donata absque eo, quod soluat alimenta, & scuta mille, iuxta formam instrumenti dictæ donationis, quia dicta bona fuerunt donata cum onere alimentorum, & alijs dictis oneribus grauata, quo casu dictus Monaldus horum bonorum possessor, tenetur ad omnia prædicta onera. In quemcumque enim transeant ista bona, cum suo onere transire dicuntur *l. si conuenerit, §. si fundus, ff. de pignorat. act. leg. si debitor, Cod. de distract. pignor. Socin. consil. 26. colum. 3. versic. Quintò principaliter, libro 1. late Tiraquel. de retract. conuen. §. fin. num. 2. & sequent.*

3 Non obstat, quod dicitur, bona dicti Pauli Petri ob nonnullas imputationes sibi datas, fuisse confiscata, & consequenter D. Monaldum posse retinere ista bona vigore substitutionis factæ per Monaldum seniorem in casu confiscationij faciende, quia fuit dictum, quod bona ista iam ante dictam confiscationem fuerant sine vlla fraude donata dicto Cornelio, & propterea non veniebant in confiscatione propter, delictum postea commissum *leg. si quis posthac. & ibi Bald. num. 1. & 2. Cod. de bon. damnat. leg. post contractum, & ibi Bart. ff. de donat. Dec. consil. 235. n. 1.* Sicut enim non potuisset dictus Paulus Petrus bona donata post donationem in aliam transferre per contractum, vel vltimam voluntatem, ita non potuit illa transferre in fiscum per delictum *gl. fin. in leg. 1. Cod. de bon. libert. Peregr. de iure fisc. lib. 5. tit. 1. nu. 68.* Vnde sequitur non fuisse factum locum dictæ substitutioni, quæ reperitur tamen facta in casu, quo bona ab ipso testatore relicta venirent confiscanda, & fisco acquirenda, vt patet ex lectura ipsius testamenti.

Nec potest D. Monaldus dicta bona retinere ex iure cessionis sibi factæ per fiscum, qui per delictum Cornelij eius patris de anno 1592. confiscauit omnia bona ipsius Cornelij, & sic etiā ista bona donata, quæ tunc reperiebantur penes dictum Corneliū. Quia fuit responsum, huiusmodi bona transisse in fiscum cum dictis oneribus, *leg. 2. & leg. tutelas, §. fin. ff. de cap. dimin.*

min. & ibi Bart. & in l. 1. C. de fideiuss. Calcan. conf. 66. nu. 5. in fin. Clar. in Praxi crim. quæst. 78. num. 23. Grammat. dec. 85. num. 5. cum alijs per Surd. de aliment. tit. 1. quæst. 34. nu. 12. & tit. 8. priuileg. 59. num. 9. ita eodem modo transijsse in dominium Monaldi eius Cessionarij, vt per text. in l. 2. ff. de hæred. & action. vendit. Fuit resolutum in causa Bononien. alimentorum 28. Martij 1594. coram R. P. D. meo Decano, & facit, quod in cessionarium transeunt omnia iura actiua, & passiua, Bartol. in leg. 1. num. 22. ff. de action. & oblig. Rom. cons. 38. num. 1. Socin. iun. cons. 27. nu. 7. lib. 2. cum alijs per Riminald. iun. cons. 65. nu. 21.

4 Minus etiam potest prætendere propter delictum Cornelij se in dictis bonis successisse vigore dictæ substitutionis Monaldi senioris, & propterea non teneri ad ista onera imposita per Cornelium patrem. Quia respondetur quo ad portionem D. Pauli Petri non fuisse purificatam dictam substitutionem propter delictum Cornelij, qui vt dixi non successerat in portionem dicti Pauli Petri, propter illius condemnationem, & bonorum confiscationem, sed vigore donationis antea factæ, qua non potest dictus Monaldus frui, nisi cum suis conditionibus, & oneribus, ad quæ vigore donationis tenebatur ipse Cornelius Donatarius ex allegatis.

5 Nec subsistit, quod dicta annua præstatio per condemnationem ipsius Pauli Petri, & illius bonorum cōfiscationem cessauerit, & sic bona remanserint Cornelio libera, ad not. per Doct. in l. si finita. §. si de vectigalibus. ff. de damn. infect. cum allegat. nec censeatur postea per restitutionem ipsius Pauli Petri restituta, ex Ias. in l. si is qui pro emptore. num. 89. ff. de vsucap. Dec. cons. 625. num. 3. vers. prædictis tamen; quia hoc procedit in terminis vsusfructus reseruati, vt loquuntur prædictæ authoritates & aliæ allegatæ per Informantes pro D. Monaldo, quod non potest applicari casui, de quo agitur, in quo dictus Paulus Petrus in donatione non sibi reseruauit vsumfructum bonorum donatorum, sed illam annuam præstationem potius pro alimentis, quæ non veniunt in confiscatione, & debentur restituto ad gratiam Principis l. is cui. & ibi gl. & Bart. ff. de aliment. & cib. legat. Spec. in tit. de execut. sent. §. sequitur. num. 11. Latè Surd. de aliment. tit. 8. priuil. 59. num. 14. cum pluribus sequent. Peregr. de iur. fisc. lib. 5. tit. 1. nu. 123.

6 Vltra quod dictus Paulus Petrus fuit postea restitutus etiam ad bona Fisco non incorporata, prout non fuerunt incorporata alimenta, saltem futura, & scuta mille ad effectum testandi reseruata, quæ in omnem euentum fuerunt recuperata per compositionem factam per D. Marium Capizucum, qui composuit cum Fisco, non vt sibi, vel dicto Monaldo bona confiscata acquireret, sed vt obtineret remissionem ipsius D. Pauli Petri, & eius bonorum liberationem, vt clare legitur in instrumento inter D. Marium, & Fiscum celebrato in specie ex illo pacto expresso, per D. Marium, quod volebat se releuare pro scutis 2000. per ipsum Fiscum pro compositione solutis contra dictum Paulum Petrum, & ad huiusmodi effectum obtinuit a fisco cessionem, vt in dicto instrumento.

7 Quod etiam declaratur ex effectu subsecuto, nempe ex eo quod dictus Marius recuperauit dicta scuta 2000. a D. Paulo Petro ex quibus sequitur liberationem bonorum cedere debuisse ad fauorem Pauli Petri, & consequenter alimenta, & alia bona confiscata deberi eidem Paulo Petro.

8 Nec obstat, quod scuta 1000. possent confiscari, & consequenter statim, quod dictus Paulus Petrus fuit condemnatus, fuerunt acquisita Cornelio vigore substitutionis Monaldi senioris. Quia respondetur scuta mille in donatione reseruata esse libera ipsius Pauli Petri, ita vt posset de illis ad suum libitum disponere, tam inter viuos, quam in vltima voluntate, vt dicitur in dicto instrumento donationis, non autem subiecta fideicommisso, & sic benè poterant confiscari, prout fuerunt confiscata simul cum vniuersitate bonorum ipsius Pauli Petri, cui fuerunt postea restituta mediante dicta compositione facta per dictum Marium Capizucum, iuxta tradita per Doct. in l. Gallus. §. & quid si tantum. ff. de liber. & posthum. Roland. cons. 45. sub num. 19. ad fin. & num. 20. lib. 4. & ideo non potest super illis dictus Monaldus aliquid prætendere, sed debet illa soluere ad hoc, vt D. Paulus Petrus possit de eis disponere, iuxta formam instrumenti donationis. Et ita conclusum.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

D. CARD. BONONIEN.

Lucana prætensæ Confidentiæ. Lunæ 27. Februarij 1606.

DECISIO CVIII.

Et impressa inter Ludouisio.

DECISIO 238.

REVERENDISS. P. D.

LVGDVNEN.

Visen. Parochialis. Lunæ 27. Februarij 1606.

ARGVMENTVM.

Lis super beneficio quando dicatur extincta per mortem vnius ex litigantibus, & cessionem alterius etiam tacitam.

SVMMARIVM.

Lis non dicitur extincta per mortem vnius ex litigantibus. num. 1. & 2. Vbi ampliat etiam mortuo actore ad effectum, vt quis non dicatur pacificus possessor. ibid.

Lis dicitur extincta ex morte vnius ex collitigantibus, & cessione alterius etiam tacita. num. 3. Declara, vt nu. 4.

Cessio litis tacita ex quibus actibus inducatur. numer. 5. & 6. & 7.

DECISIO CIX.

1 CVm Dominus Georgius de Figueredo vellet examinare quosdam testes super iustificatione suę gratiæ, fuit oppositum pro parte Domini Francisci Ribeiro rei, & possessoris non esse locum examini obstantibus regulis de annali, & triennali, Ideo dubitaui, an prædictæ regulę obstarent Georgio, & dubio sæpius vtraque parte informante proposito, tandem Domini conuenerunt in sententiam negatiuam. Ratio fuit, quia prædictæ regulæ non defendunt nisi pacificos possessores, vt ex earumdem lectura patet. Quod autem Franciscus nunquam fuerit talis constat ex lite, quam in Rota diu agitauit contra Michaelem Cardoso reum, & possessorem, quæ lis etiam hodie censetur durare, cum non doceatur extincta. Nec enim releuat, quod eo tempore, quod fuit capta per Franciscum possessio Michael iam vita functus esset; Nam nihilominus durabat lis, quæ non extinguitur per mortem vnius collitigantis. cap. 1. & 2. vt lit. pend. in 6. dec. 10. eod. tit. in nou. Mohed. dec. 14. de caus. poss. & propr. Sarnen. super reg. de annal. q. 62. nu. 4.

2 In tantum vt nedum mortuo reo, & possessore, vt hic, quo casu nemo dubitat, sed etiam mortuo actore, lis superfit ad effectum, vt possessor non dicatur pacificus. Achill. dec. 8. vt lit. pend. Quamuis regulariter, & ad alios effectus mortuo actore lis dicatur finita.

nita, *Ioan. And. in cap. si hi possident. vt lit. pend. num. 1. Aegid. dec. 156.*

3 Non obstat, morte vnius ex collitigantibus, & cessione alterius litem dici extinctam, *& gl. in clem. 1. vt lit. pend. in vers. Moribus. not. Card. num. 21. & Imol. num. 23.* & quod sufficiat cessio tacita ex dec. *Cassad. 5. num. 4. vt lit. pend.* & fuit dictum in causa Conchen. Archipresbyteratus Lunæ 27. Februarij 1589. coram Illustrissimo Platto, quæ tacita cessio hoc casu elicitur ex subrogatione, quam in vita Michaelis Franciscus impetrauit.

4 Fuit enim responsum, quod non obstante subrogatione potuit Franciscus citatis interesse putantibus petere adiudicatoriam sicut regulariter potest superstes. *Cassad. dec. 1. de re iudic.* & petit canonizationem sui Iuris, vel Iuris Michaelis, ad quod fuit subrogatus vnde succedit *d. dec. Achill. 8. vt lit. pend.* vbi in finalibus verbis dicitur, quod si est in potestate superstitis prosequi litem, vel non prosequi non est iudicandus pacificus.

5 Nec tacita cessio elicienda est, nisi de animo, aut mente collitigantis superstitis constet, quod litem prosequi nolit puta, quia reuocauerit suos procuratores, quod aliud beneficium incompatibile cum litigio acceptauerit, aut alios actus similes exercuerit, *Achill. d. dec. 8. Mil. in vers. lite pendente quo ad litigantem in fin.* Hic autem Franciscus post obitum Michaelis capiendo possessionem declarauit se velle litem vlterius prosequi, vt ait *d. dec. 10. vt lit. pend. in nou. vers.* Ná hic actor, & in subrogatione post narratam litem cum Cardoso defuncto obtinuit se ad ius huiusmodi illiusque, nec non litis, & causæ prædictæ prosecutionem, & defensionem in ijsdem statu, & terminis, in quibus de præsenti reperitur admitti.

6 Non obstat decisio Conchen. coram Illustrissimo Platto, quia loquitur in cessione tacita necessaria, videlicet, quando collitigans superstitis obtinuerat aliud beneficium incompatibile per cuius assecutionem sicuti vacaret primum beneficium, si collitigans illud obtinuerit ita, & lis super illo dicitur extincta, & ita illam decisionem intellexit Rota in causa Compostellana Parochialis Lunæ 16. Decembris 1596. coram Orano.

7 Deinde loquitur quo ad effectum, vt Ordinarius beneficium si vacet conferre possit, quippe potest esse, quod beneficium non sit litigiosum, ita vt Ordinarius posset conferre, & tamen duret lis ad impediendam illiusmet beneficij pacificam possessionem, vt ex *Butr. in cap. 1. de confirm. vtili, vel inutili. Tradit Sarnen. in regul. de annal. quæstio. 44. num. 9. idemque ait Mobed. dec. 8. num. 2. vt lit. pend. & Achil. dec. 3. & 7. eodem titulo.*

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

D. CARD. LANCELLOTTO.

Ferrarien. Attentatorum. Lunæ 27. Februarij 1606.

ARGVMENTVM.

Ex Summarijs summas Argumentum.

SVMMARIVM.

Continuans suam possessionem dicitur attentare, quando continuatio est facta diuerso modo ab eo, quo prius quis possidebat. nu. 1.

Quasi possessio acquiri non potest sine scientia, & patientia eorum, de quorum præiudicio agitur. nu. 6.

DECISIO CX.

1 Licet infeudationes factæ ab Episcopo Leonio de anno 1587. admittantur esse de bonis comprehésis in inuestituræ Dominæ Lauræ, adhuc tamen Domini resoluerunt non cessare attentata, nec posse Episcopum se tueri ex eo, quod continuando non attentauerit cum continuatio fuerit facta diuerso modo super bonis scilicet à Laura non possessis, iuxta tradita per *Lancellot. de attentat. par. 2. cap. 4. num. 70. Bero. cons. 118. num. 8. & 24. lib. 3.* Quamuis enim de dictis bonis existentibus in Villa Campagnani, & Pissatulæ Laura fuerit inuestita, tamen illorum nunquam potuit assequi possessionem, cum mortuo Marchione de Contrarijs fuerint incamerata à Dominio Veneto, quod prætendebat deuolutionem, & in cuius Territorio existebant, ita vt de istis bonis non possit dici vere inuestita, *cap. 1. in princip. & ibi Afflict. num. 2. quid sit inuestitura.*

2 Quod autem bona, de quibus à Venetis fuit capta possessio, sint de comprehensis in inuestitura Lauræ, anni 1577. & sint illa, de quibus Episcopus anno 1587. inuestituit illos a Passu alias de Bressanis, & illos de Cobianchis, satis constat ex iuribus in actis productis, & clare deducitur in informatione facti Dominorum de Pepulis, in qua etiam bene probatur, quod Laura nunquam illa possedit, non obstante, quod tam ante inuestituram obtentam, quam post litem Venetijs prosequuta fuerit.

3 Non obstat, quid inuestituræ ab Episcopo factæ sint conformes inuestituræ D. Lauræ, quia immo in multis sunt contrariæ, vt in alia decisione visum fuit, in qua etiam fuit responsum ad id, quod hodie iterum deducitur, quod lis super nullitate concessionis Lauræ non impediret Episcopum, quin posset infeudare.

4 Nec obstat, quod fuerint reseruata iura Hæredum de Contrarijs, quia id nihil suffragabatur Lauræ, cuius iura reseruari debuissent, non autem hæredum de Contrarijs, & sic inuestiturarum antiquarum quibus Laura non nitebatur, vt etiam in alia decisione visum fuit.

5 Neque etiam obstat, quod inuestitura Lauræ fuerit renouatio antiquarum, non autem noua concessio, quia hoc etiam alias sublatum fuit, cum nullum verbum in inuestitura Lauræ de renouatione, sed concessio fuit facta vti de bonis ad Ecclesiam deuolutis, in quibus licet Laura vti soror, & hæres Marchionis habuerit prælationem, tamen hoc non tollit, quin fuerit noua concessio, sed cessat difficultas, ex diuersitate pactorum, siue inspiciantur inuestituræ antiquæ in quibus omnia fere pacta sunt diuersa, siue attendatur inuestitura, & transactio inter Episcopum, & Contrarios facta, in qua aderat pactum de non appellando, quod non adest in inuestitura Lauræ, & in ea admittebantur masculi tantum, in hac autem post masculos vocantur feminæ.

6 Non obstat inuestitura anni 1590. quia non est de bonis comprehensis in inuestitura Lauræ, nam respectu petij terræ existentis in fundo trecentæ nullus ex confinibus conuenit cum bonis descriptis in inuestitura Lauræ. Quo vero ad petium terræ appellatum la Grimalda in Fundo Pissatulæ in loco appellato Scardoara, cum sit in Dominio Veneto, & in loco, cuius possessionem Laura assequi non potuit, non potest ex hac inuestitura aliquid inferri, vt dictum est de inuestituris anni 1587. vltra quod cum respectu istius vnicæ sub infeudationis non constet de scientia Dominorum de Pepulis, non potuit contra ipsos sine eorum scientia, & patientia acquiri aliqua quasi possessio. *Bal. in leg. 2. num. 12. & 17. de seruit. & aqua Rip. in cap. cum Ecclesia Sutrina. num. 64. de caus. possess. &* pro-

propriet. Dec. conf. 126. in fin. Put. dec. 369. num. 10. par. 1, & fuit decisum in causa Cremon. pensionis 21. Nouembris 1572. coram bon. mem. Cardinali Lancellotto,& alias sæpe.

R. P. D. PAMPHILIO.

Lucana, Bonorum. Lunæ 27. Februarij 1606.

ARGVMENTVM.

Melioramentorum exceptio an, & quando impediat immissionem, seu manutentionem in possessione, & quando sufficiat verbalis oblatio. Scientia debet esse certa,& indubitata,quando agitur de amissione iuris, & quando in integrum restitutio executionem impediat.

SVMMARIVM.

Possessio iunior tanquam clandestina non impedit manutentionem antiquioris possessoris. nu. 1.

Iudex nulliter,& de facto procedens,non priuat aliquem sua possessione. nu. 2.

Melioramenta facta in re possessa bona fide restituenda sunt, antequam eiusdem rei Dominus in illius possessionem ingrediatur. nu. 3.

Melioramenta quando sunt restituenda vigore sententiæ, tunc non sufficit illorum oblatio, seu cautio de illis reficiendis,sed est necessaria actualis restitutio. nu. 4.

Melioramentorum refectionis oblatio debet intimari,& præcedere executionem. n. 5.

Possessio capta vigore executorialium illis non reproductis, neque seruatis quatuor terminis substantialibus post illarum reproductionem nulla, & inualida est. nu. 6.

Scientia debet esse certa,& indubitata, nec præsumpta sufficit, vbi agitur de amissione iuris. nu. 7.

Restitutio in integrū impedit executionem reiiudicatæ,etiam quod fuerit concessa post factam executionem, si executio nulliter facta fuit. nu. 8.

Nulliter factum nullum potest præstare impedimentum. nu. 8. in fine.

DECISIO CXI.

1 Dixerunt Domini mandatum de manutenendo in possessione bonorum,de quibus agitur,dandum esse Andreæ, quia constat de eius anteriori possessione,non obstante posteriori possessione Rectoris, quæ tanquam iunior, & clandestina non impedit Andreæ manutentionem. *cap. licet causam. cum ibi notat. de probat Bartol. in leg. si duo. num. 4. ff. vti possid. Couar. practic. quæstio. capit. 17. in fin.* præsertim, quod Andr. numquam habuit se pro spoliato. *Put. dec. 198. lib. 1. & dec. 419. lib. 2.*

2 Neque obstat, quod possessio Rectoris fuerit capta auctoritate iudicis, qui sine alia euictione priuat possessorem sua possessione,iuxta *not. per Ang. in l. qui vniuersas. §. item cum Prætor. in fin. ff. de acquir. possess.* quia hoc procedit, quando iudex rite,& recte procedit, non autem quando nulliter, & de facto. *Abb. in c. conquerente. nu. 8. de restit. spoliat.*

3 Prout in casu isto nulliter processit immittendo Rectorem in possessionem non facta restitutione bonorum compermutatorum, nec refectis melioramentis, quæ iuxta formam sententiæ Vicarij Lucani per Rotam confirmatæ erant restituenda, antequam bona de quibus agitur Ecclesiæ restituerentur. *Castr. cons. 270. num. 3. vers. breuiter,lib. 2. Neguz. de pignor. 4. membr. 5. part. principalis sub num. 10. in 3. concl. Capic. dec. 17. num. 6. Put. dec. 471. num. 3. lib. 2.* & fuit resolutum in causa Viterbien. Bonorum 10. Iunij 1602. coram R. P. D. meo Sacrato,& in causa Viterbien. Fideicommissi 6. Iunij 1603. coram Illustrissimo Pamphilio.

4 Neque etiam obstat, quod melioramenta non essent liquida, stante quod ex forma sententiæ ante restitutionem Bonorum erant reficienda, & pro illorū liquidatione debebat præfigi terminus Andreæ, nec erat locus oblationi, seu cautioni de reficiendo postquam fuissent liquidata, sed necessaria erat actualis restitutio. *Castr. d. cons. 270. num. 3. lib. 2. Put. dec. 471. num. 3. lib. 2.* Et fuit dictum in allegata Viterbien. coram Illustrissimo Pamphilio.

5 Et sic tollitur fundamentum, quod pro parte Rectoris fit in oblatione per eum facta,quia est merè verbalis, vltra quod non apparet, quod fuerit intimata Andreę,nec ei facta interpellatio ad recipiendum, neque quod fuerit facta ante executionem, & cum precedere debuisset, est probandum, executionem precessisse. *l. matrem. C. de probat. Bart. in l. non solum. §. sed vt probari. num. 2. ff. de non. oper. nunciat. Alex. cons. 16. num. 2. & 91. lib. 5. Soc. cons. 43. nu. 9. lib. 1.*

6 Placuit etiam Dominis nullitas deducta ex eo,quod fuit capta possessio vigore executorialium, illis non reproductis, neque seruatis quatuor terminis substātialibus post illarum reproductionem, iuxta stylum Rotæ requisitis. *Felin. in cap. ad probandum. num. 6. de re iudic. Cassad. dec. 6. num. 10. de caus. posses. & propriet. Lancel. de attent. lite pend. in præfat. num. 306. & seq. Vestr. in Praxi lib. 8. cap. 8. nu. 6. & seq.*

7 Nec visum fuit hanc nullitatem posse excusari ex prætensa taciturnitate *Andreæ ad dec. Crescent. dicto tit. vt lite pend.* Quia non constat Andream fuisse presentem apprehensioni possessionis factę per Rectorem, nec quod de intimatione postea facta, habuerit notitiam, quę debet esse certa, & indubitata, ita vt presumpta non sufficiat ex quo agitur de amissione iuris *iuxta gloss. communiter approbatam, in cap. concertationi, in verb. sciuerit. de appellat. in 6. Felin. in cap. quod ad consultationem. num. 32. de re iud. Put. dec. 6. de probat. Mohed. dec. 4. eod. tit.* maxime quod satis videtur constare de dissensu,ex quo statim Andreas iter arripuit ad Curiam pro defensione suę possessionis.

8 Non obstat, quod post rem iudicatam non detur manutentio, quia illius effectus fuit suspensus per commissionem restitutionis in integrum, & ideo nō potest impedire,quin interim possessori detur manutentio. *Cæs. de Grass. decis. 4. de caus. posses. & propriet.* & fuit resolutum in causa Venetiarum cęsus 22. Martij 1596. coram Illustrissimo Cardinali Arrigonio, & alias sæpe, non obstante, quod restitutio fuerit concessa post factam executionem, quia cum nulliter facta fuerit, nullum potest præstare impedimentum. *ad l. quartam. §. condemnatus, cum ibi not. ff. de re iud. cap. non præstat. de reg. iur. in 6.* Et ita conclusum fuit, &c.

R. P. D. LITTA.

Ianuen. Iuris patronatus. Lunæ 13. Martij 1606.

ARGVMENTVM.

Bastardi, & illegitimi quando sint capaces iuris patronatus.

SVMMARIVM.

Iuris patronatus illegitimi, & bastardi capaces non sunt, quando illud est honorificum, & fundatum ad fauorem descendentium,& quando fundator voluit patronum pro tempore debere esse clericum. nu. 1. & 2.

Bastardus regulariter est omnium iurium spiritualium incapax, omnique dignitate, & honore indignus. nu. 3.

Bastardus sine dispensatione non potest esse clericus num. 3.

Iuris patronatus fundatio pro lege haberi debet. num. 3. & num. 5.

num. 5. vbi propterea quod fundationis tenor semper attendi debet. nu. 4. & 5.

DECISIO CXII.

1 VIsum fuit Dominis non esse recedendum à decisione in hac causa facta sub die 30. Ianuarij proxime præteriti, & licet Informantes pro Dominis Io. Stephano Innocentio, & litis consortibus stricte scriberent super intellectu fundationi alias dato, & super illa quæstione, An illegitimus sit capax Iuris patronatus, tamen circa intellectum nihil fuit firmatum, Tum quia Domini non conueniebant, sed per maxime diuisi erant, Tum etiam quia ex alio capite in quo omnes concordes erant illegitimitatis scilicet filiorum Ibleti poterat ex late deductis in vltima decisione capi solida resolutio, & sic terminari præsens controuersia.

2 Et quod attinet ad illam conclusionem in ipsa decisione firmatam nempe quod illegitimus non sit capax Iuris patronatus. Dixerunt Domini eam non esse ita indistincte, & in abstracto intelligendam, prout consideratur per Informantes contra decisionem, & contrarium probare videntur iura, & Auctores ab ipsis citati, concludentes in summa quemlibet Christianum esse capacem Iurispatronatus *per text. in capit. piæ mentis. & in cap. Frigentius* 16. q. 7. sed esse intelligendam in concreto, & in hoc ipso indiuiduo casu, de quo agitur. Quando quidem cum tractetur de Iure patronatus honorifico à Cardinali fundato ad fauorem descendentium lineæ suæ Auitæ, & qui voluit inter cetera patronum pro tempore esse debere Clericum, & habere ius eligendi, ac conferendi, necesse est fateri illegitimum regulariter iudicari debere incapacem huius Iuris patronatus.

3 Tum quia bastardus regulariter est omnium iuriũ spiritualium incapax. *cap. si gens Anglorum. 56. distinct. & de iure, omni dignitate*, & honore indignus reputatur *gl. in clem. 1. de baptism. Abb. in cap. innotuit. de elect. cum alijs per Sarnen. in reg. de trien. q. 2. colum. 2. sub litera* B. Tum etiam, quia clericus esse non potest bastardus absque dispensatione, vt omnibus notum est; & lex seu Iuris patronatus fundatio, quæ pro lege seruari debet, secundum *Ancharan. in clem. quia contingit. in 9. not. de relig. domibus*, ad ea, quæ frequentius euenire solent, & non ad ea, quæ raro, & per viam dispositionis contingere possunt, adaptari debet. *Vulg. leg. nam ad ea. ff. de legib.*

4 Et prædictis non parum astipulantur cetera deducta in d. decisione vltimo loco facta, quæ hic non repetuntur breuitatis gratia.

5 Ex quibus clare constare videtur, quod tam attenta mente fundatoris, quæ in omni dispositione primum solet obtinere locum iuribus vulgaris, quam inspecto tenore ipsiusmet fundationis, qui semper attendi debet, vt tenet *Roch. de Curte in suo tract. de iure patr. in verbo ipse, vel is, a quo. num. mihi 19. Card. consil. 69. Bellon. consil. 56. num. 4. Barbat. consil. 35. num. 8. libr. 2.* Et tenuit Rota in Gerunden. Beneficij 27. Martij 1596. coram D. meo Iusto. in Papien. Parochialis 13. Maij 1598. coram bon. mem. Orano. & alias sæpè descendentes legitimos lineæ Auitæ ipsius fundatoris in successione istius iuris patronatus illegitimos ipsos descendentes excludere debere, & consequenter mortuo Ibleto patrono d. Ius patronatus de iure spectauisse ad filios legitimos Com. Io. Ludouici, & non ad filios illegitimos dicti Ibleti. & ita conclusum.

R. P. D. MANZANEDO.

Ferrarien. Lucri Dotis. Lunæ 13. Martij 1606.

ARGVMENTVM.

In hac decisione magistraliter declaratur an, & quando Gemmæ, & iocalia præsertim pretiosa, & magni valoris per maritum, seu sponsum vxori, vel sponsæ tradita censeantur animo donandi, an vero ad vsum tantum.

SVMMARIVM.

Iocalia, & Gemmæ traditæ sponsæ censentur donata, si animo donandi tradita fuerunt. nu. 1.

Iocalia, & Gemmæ per sponsum sponsæ tradita non censentur donata, quando ad vsum tantum tradita fuerunt. nu. 2.

Gemmæ, & iocalia per sponsum sponsæ tradita si sunt pretiosa, & magni valoris ad vsum tantum, & non animo donandi tradita præsumuntur in dubio. nu. 3. & seqq.

Donatio nunquam præsumitur vbi alia coniectura, quam donationis capi potest. nu. 4.

Necessario facere dicitur quis illud, quod facit ob verecundiam. num. 5.

Gemmæ, & iocalia in dubio præsumuntur vxori tradita ad vsum, & non animo donandi, non solum si a marito tradantur post matrimonium, sed etiam si a sponso sponsæ. nu. 7. & seqq.

Sponsa proprie loquendo intelligitur de futuro. nu. 8.

Sponsalia sunt futurarum nuptiarum promissio. nu. 8.

Gemmæ, et iocalia an præsumantur tradita animo donandi, quando non simpliciter traduntur, sed per verbum Dono. num. 10. et seq.

Donatio non inducitur per verbum præsentare. nu. 10.

Iocalium, et gemmarum donatio facta à marito vxori, et à sponso sponsæ an, et quando præsumatur ex nobilitate, nu. 12. et seq.

Diues an quis sit, aut nobilis, iudicis arbitrio relinquitur, numer. 13.

Donatio iocalium, et gemmarum facta à marito vxori præsumitur, quando maritus est ignobilis, et vxor nobilis Declara, vt nu. 14.

DECISIO CXIII.

1 DOmini dixerunt gemmas, de quibus agitur, non esse excomputandas, quia prout Doctores in hac materia distinguunt. Aut sponsus tales gemmas sponsæ animo donandi tradidit per se, vel per nuncium habentem commissionem ad donandum, & tunc donatæ intelliguntur, & non repetuntur ab ea, *per text. in l. mater. C. de donat. ant. nupt. leg. cum mihi status. §. 1. de donat. inter vir. et vxor. iuxta intellectum Bartol. in leg. pen. §. seruus. ff. solut. matrim. tenet Bald. in authent. ex testamento. num. 3. C. de collationibus*, & tunc nil refert, quod sint pretiosæ, cum etiam in pretiosis teneat donatio irreuocabiliter. *leg. quod adipiscendæ. et leg. nuper. ff. de donat. inter vir. et vxor. §. 5. tradit Rom. consi. 146. et Palacios in rubr. de donat. int. vir. et vxor. §. 5.*

2 Aut verò constat sponsum noluisse donare, nisi ad vsum prædictas gemmas, & tunc soluto matrimonio remanent viri. *l. mortis suæ causa. in fin. ff. de donat. inter vir. et vxor. leg. in commodato. §. sicut. ff. commod.*

3 Aut sumus in dubio, quia non constat de animo sponsi, quo casu in varias Doctores opiniones deuenerunt, vt constat ex traditis à *Bart. in l. penultima. §. seruus. nu. 2. ff. solut. matrim. et ab Ang. ibid. num. 3. et ab Imol. nu. 10. cum seq. Paul. de Castr. num. 4.* Sed communiter conueniunt in hoc, quod si gemmæ sunt pretiosæ, & magni valoris, prout istæ Dominis visæ fuerunt, & iudicis arbitrio relinquendum esse tradit *Affl. dec. 315. nu. 15. et Palacios. vbi supra. §. 11. num. 2.* & isto casu non censentur in dubio donatæ, sed tantum accommodatæ, & ad vsũ concessæ causa, & gratia ipsius mariti, & eius

hono-

honoris, & vt honestius, & magis honorifice sponsa incedat. *per text. in l. sicut certo. §. interdum. vers. 1. ff. commod,*

4 Tum etiam, quia quoties alia coniectura potest capi, nunquam præsumitur donatio. *leg. cum de indebito. ff. de probat. & ibi communiter Doct. leg. Procula eod. tit. leg. si cum aurum ff. de solution. & liberat. leg. 2. §. circa. ff. de dol. except. leg. Campanus. ff. de oper. libert. leg. si donatio. secundo respons. C. de collat. & facit singul. glossa vnica in leg. cum quid. ff. si cert. petat. quam ad hoc commendant ibi Bart. Bald. Castr.* & communiter Moderni, & reputat singularem. *Imol. in l. cotem ferro. §. qui maximos. ff. de Publ. & vectigal.*

5 Sed sic est, quod in traditione dictarum gemmarũ coniectura est, maritum illas tradidisse, vt magis ornata sponsa accedat ad ipsum, & propter pudorem verecundiæ, esset namque verecundum sponso illas non mittere, aut tradere sponsæ, violaret enim consuetudines, & posset redargui apud bonos, & graues, quod autem quis facit ob verecundiam necessario facere dicitur. *l. 2. ff. de aliment. & cib. legat. l. Quintus Mutius. ff. mãdati.* Nec fieri posse dicitur, quod læderet verecundiam nostram, vel offenderet bonos mores. *l. filius. ff. de condi. inst.* Ergo cum talium gemmarum traditio fiat ex prædictis rationibus, & ex prædicta quadã morum necessitate, non est præsumenda donatio.

6 Et pro ista sententia benè facit *text. in leg. sed si vir. ex lana. ff. de donat. inter vir. & vxor. & text. in leg. id vestimentum. ff. de pecul. & l. Quintus Mutius. ff. de auro, & argent. legato.* & hanc sententiam tenet, & sequitur *Bar. in dicta l. penult. §. seruis. num. 2. ff. solut. matrim. & ibi Angel. num. 3. & Castr. num. 4. & Imol. num. 10. & Alex. & communiter Doct. in leg. vsusfructus. §. 1. ff. ad leg. Falcid. idem Bartol. in leg. 1. §. nec Castrense. ff. de collat. bonor. num. 9. Bald. Paul. Salicet. & communiter Doct. in dicta leg. si vt certo. §. interdum. ff. commod.* & est communis fere omnium sententia *ex Corn. cons. 113. num. 7. lib. 4. & Bertrand. consil. 35. num. 8. lib. 1. par. 2.* eandem fatetur communem *Anchar. consil. 181. & Alex. cons. 155. in fine lib. 7. & Rolan. pluribus relatis consil. 10. num. 12. lib. 1. & Ant. Gomes. in l. 52. Tauri. num. 4. & Iul. Clar. lib. 4. recept. sentent. §. donatio. quæst. 10. num. 3. Menoch. de arbitr. cas. 218. Palacios Rubeos. vbi supra. §. 6. Surd. decis. 166. num. 25.* licèt ipse non acquiescat *Mathienzo. leg. 4. gloss. 5. num. 1. titul. 2. lib. 5. nouæ recompilationis Castillo. in dicta leg. 52. Tauri. in glossa in verbo, sed precioso. Gutier. pract. lib. 2. quæstione 19. num. 2.*

7 Et licet aliqui ex prædictis Doct. prædictam sententiam tenentes loquantur in vestibus, & gemmis pretiosis, traditis a marito vxori, quam plurimi tamẽ ex ijsdem indifferenter loquuntur de dictis gemmis traditis, siue à marito vxori, siue à sponso sponsæ, & præcipuè *Imol. vbi supra. nu. 12. vers. item attende. et Roland. num. 13. 14. 15. et 16. Iul. Clar. vbi supra. num. 3. vers.* & quod vestes prætiosæ, vbi prædictam communem intelligit, tam in traditis vxori a marito, quam a sponso sponsæ, & *Corn. d. cons. 114. num. 6. et 7.* loquitur expresse de sponsis de futuro. *Mathienzo. num. 2. vers. et si huiusmodi, et Doct.* de hac materia loquentes intelligunt in datis a sponso sponsæ, siue a viro vxori, *Castillo dicta leg. 52. gl. sea precioso. vers. vbi contendunt, et Corn. d. cons. 114. num. 6. et 7.* loquitur expresse de sponsis de futuro, & *Antonius Gomes. nu. 4. vers. ergo idem dicendum est,* loquitur etiam in sponsis de futuro, & pro hac parte adducit *tex. in l. hoc legatum in fin. de legat. 3.* vbi expresse dicitur, quod paria sunt, quod talia simpliciter dentur, & tradantur sponsæ ante matrimonium, siue vxori post matrimonium, quia vtroque casu videntur ad vsum tantum data, facit etiam *text. in l. si quid. eodem tit. de legat. 3.*

8 Quæ omnia Doct. dicta de datis a sponso sponsæ clarius intelligenda sunt de sponsis de futuro, cum de iure sponsa, proprie loquendo, intelligitur de futuro, cum sponsalia sint futurarum nuptiarum promissio. *cap. nostrates. 30. quæst. 5. l. 1. de spons.* & sic ante matrimonium. Illo autem perfecto, iam dicuntur maritus, & vxor. Tradit *Abb. in rubr. de spons. num. 3. et ibidem Butr. num. 2. 3. et 4. Couar. in 4. cap. 1. à num. 1. cum pluribus sequentibus, et præcipuè. nu. 4. vers. verum.*

9 Et quamuis in casu nostro *Anton. Gomes. vbi supra d. nu. 4. vers.* sed est aduertendum, sentiat contrarium, nempe prædicta procedere tantummodo in traditis à marito vxori, non autem a sponso sponsæ de futuro, motus fundamento de quo ibi, quod forsan disputationis gratia posset considerari, cum tamen non adducat pro se text. nec Doctor. standum est communi de qua supra.

10 Quibus non obstat dicere supradicta procedere, quoties iocalia simpliciter fuerunt tradita, prout loquitur *text. in dicta l. hoc legatum in fin. de legat. 3.* secus autem quando non simpliciter, sed per verbum (Dono) aut aliud simile fuerunt tradita, prout in isto casu ex literis Marchionis constat, dictas gemmas sponsæ præsentasse dum dixit. Per le gioie præsentateli, quod vulgari sermone, prout litera Marchionis fuit scripta, dicunt importare idem quod donare. Quam interpretationem Domini non admiserunt quin hanc dictionem præsentare æquiuocam esse, & diuersimode assumi censuerunt. Vnde ex illa non esse in dubio admittendam donationem censuerunt, præcipuè in ista materia, quæ de sui natura potius excludit præsumptionem donationis, ex supradictis.

11 Tum quia etiamsi ista dictio præsentare importaret idem, quod verbum (Dono) deberet impropriari, & gemmæ intelligi donatæ tantum ad vsum, cum essent magni valoris, & sponso verecundum esset illas sponsæ non tradere iuxta ipsius conditionem, ad tradita per *Imol. vbi supra. num. 12. vers. quod intellige, quando sunt magni valoris, Bartol. in dicta l. 1. §. nec castrense. nu. 10. Alexan. cons. 155. num. 11. volum. 7. Corn. cons. 114. in fin. volum. 4. Roland. vbi supra. num. 15. qui plures refert, Palacios Rubeos, vbi supra. §. 7. num. 1.* qui testatur de communi. *Honded. pluribus relatis, et affirmans istam communem, cons. 30. nu. 28. 29. 30. et 31. lib. 2.*

12 Non obstat, quod versemur inter nobiles, inter quos donatio iocalium præsumitur. *argum. tex. in leg. cum hic status. §. sponsus, et §. si quis sponsum, et l. si sponsus ff. de donat. inter vir. et vxor. Bald. in cap. iurauit. num. 12. de probat. Palacios Rub. vbi supra. §. 9. num. 18. Affl. dec. 315. nu. 7. Surd. dec. 166. num. 31.* quia vt ex eisdem Doctor. & ab ipsis relatis, & ex eodem *Palacios Rub. vbi supra. §. 8. et d. §. 9. num. 19. et ex adductis ab Honded. d. cons. 30. num. 19.* colligitur, ad hoc vt ex nobilitate possit induci dictorum iocalium donatio, debent concurrere cum nobilitate diuitiæ in sponso.

13 Domini tamen non iudicarunt dictum Marchionem attenta ipsius qualitate, & nobilitate, adeo diuitem, vt possit ex illius diuitijs prædictæ donationis coniectura desumi, & isto casu multum defertur iudicis arbitrio circa considerationem nobilitatis, & diuitiarum, vt notat *Affl. vbi supra. num. 3. et Palacios Rubr. vbi supra. §. 11. num. 11. per gl. in authent. prætcrea. verb. locuples. C. vnde vir, et vxor. communiter receptam, teste eodem Palacios Rubeos est bona gloss. in l. vbi adhuc. C. de iur. dot. et gloss. in l. fin. C. quando fisc. vel priu. Vnde Iacob. Butrig. in dicta authent. præterea.* dicit considerandam esse qualitatem personarum, quia nobilis, & qui nescit operari nõ dicitur diues de eo, de quo dicitur diues rusticus, facit *tex. in l. tam dementis. in princ. C. de episc. audien.* tradit *Honded. vbi sup. nu. 21. et 22.*

14 Et quod Doct. vltra prædicta ad inducendum donationis præsumptionem considerant de nobilitate, procedit quando maritus ignobilis duxit vxorem nobilem, quod notat idem Palacios Rubr. vbi supra. §. 10. quod nec in nostro casu partes allegant, nec intrare potest, cum tam ex parte sponsi, quam sponsæ

detur

detur maxima notabilitas, & quamuis posset præsumi donatio à sponso sene, erga sponsam iuuenem ad uot. per eundem. *Palacios Rub. dicto* §. 10. *& Honded. vbi supra. numero* 5. *&* 6. Nihilominus ex actis non constat de ætate sponsæ, nec sponsi, nec senectus dicitur incipere ante annum 50. iuxta gloss. & Ioan. Andr. in proœm. sexti decret. *& Menoch. qui plures adducit de arbitr. libro secundo. centur. prima. cas.* 59. *num.* 1. *Honded. dicto consilio* 30. *num.* 25.

REVERENDISS. P. D. LVGDVNEN.

Asculana Dotis, Veneris 7. *Aprilis* 1606.

ARGVMENTVM.

Solutio fieri debet in moneta currente tempore contractus, cetera sume ex Summarijs.

SVMMARIVM.

Solutio fieri debet ad valorem monetæ currentis tempore celebrati contractus. num. 1.
Transactio censetur facta ex illa causa, super qua præcedebat discordia. num. 1. *in fine.*
Donatio regulariter non præsumitur, num. 2.
Iudex interponendo decretum non præsumitur voluisse præiudicare minori contrahenti. num. 3.
Instrumentum factum pro exequutione capitulorum non debet augere, nec ampliare ea, quæ in capitulis conuenta fuerunt. num. 4.
Verba censentur potius posita ad demonstrandum, & declarandum, quam ad taxandum. num. 5.
Clausulæ quod fuerint oppositæ ex stylo Notarij potius, quam de concensu partium, probatur ex fide Notariorum. num. 6. *&* 7.

DECISIO CXIV.

1 CVm partes conueniant, quod stante ordinatione bonæ memoriæ Cardinalis Sancti Marcelli, solutio, de qua agitur, fieri poterat ante transactionem ad rationem baioccorum 45. pro singulo floreno, Domini dixerunt, idem etiam dici debere post transactionem, quia regula est, quod solutio fieri debet ad valorem monetæ currentis tempore celebrati contractus. *c. penult. de censib. clement.* 2. *& ibi glos. & Cardin. de decim.* & causam transactioni dedit non aliqua discordia circa qualitatem floreni, sed tantummodo erat controuersia super solutione terminorum decursorum dotis promissæ, ideoque ex illa causa debet censeri facta transactio, *ad text. in l. si de certa, & ibi Doct. C. de transact. & in l. cum dies.* §. *plenum. de arbitr.*

2 Maxime cum in capitulis concordiæ vulgari sermone per transigentes confectis, nulla fuerit facta mentio de florenis ad rationem baioccorum 50. quod tamen omnino exprimi debuisset, cum esset res magni momenti. Imò contrarium eos voluisse apparet ex relatione, quam ista capitula sæpius habent ad antiquam dotis promissionem, regulariter non præsumitur donatio. *l. fin. C. de nouat.*

3 Accedit, quod nulla potest considerari ratio, propter quam Honorius, qui tenebatur soluere florenos ad rationem baioccorum 45. voluerit illos soluere ad rationem baioccorum 50. sicque perdere scuta plus quam 300. *ad l. cum de indebito. de probat.* Neque iudex qui transactioni, vtputa per Honorium minorem factæ, interuenit, fuisset tale argumentum permissurus, ita temere factum; & sine causa, *Bald. Alexand. & alij allegati per Gabriel. de sentent. conclusione quinta. numero* 2.

4 Itaque non obstat, quod in instrumento concordiæ floreni exprimantur ad rationem baioccorum 50. pro floreno, quia cum instrumentum fuerit factum pro executione capitulorum, non debet augere, nec ampliare ea, quæ inter partes in dictis capitulis conuenta fuerint. *Natt. consilio* 263. *num.* 3. *Lapus allegat.* 15. *nu.* 5. *ibique Mandos. plures cumulat.*

5 Præterea illa expressio fuit facta non ad denotandam mutationem monetæ soluendæ, sed demonstratiuè ad dictam differentiam alterius floreni, vt alias in simili causa fuit consideratum in vna Cesenatensi pecuniaria. 14. Martij 1597. coram Domino meo Decano. Et facit regula, quod verba censentur potius posita ad demonstrandum, & declarandum, quam ad taxandum. *Aym. consi.* 205. *Cephal. consilio* 539. *num.* 91. *& sequentibus.*

6 Atque ex fide, quæ data fuit de stylo Notariorum Asculanorum, colligitur, quod illa expressio valoris floreni fuit apposita ex Notarij consuetudine, non autem ex conuentione partium. *Bald. consil.* 263. *num.* 2. *libro primo. Roman. consilio* 179. *num.* 5. *Abb. consilio* 119. *numero octauo.*

7 Denique ille valor ad baioccorum 50. potest referri ad florenum contractum in obligatione eo tempore, quo dos fuit promissa. Vnde cum de tempore transactionis vigore supradictæ ordinationis baioccorum 45. in nouis quatrinis, æquiualerent baioccis 50. in antiquis quatrinis, qui currebant, quando dos fuit promissa, satis etiam verbis instrumenti erit satisfactum, quando pro singulo floreno soluentur baiocci 45. cum isti virtualiter, & implicite contineant illos 50. Itaque fuit vtraque parte informante conclusum, solutionem fieri debere ad rationem baioccorum 45. pro singulo floreno, &c.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

D. CARD. LANCELLOTTO.

Romana de Capizucchis. Lunæ 10. *Aprilis* 1606.

ARGVMENTVM.

Fideicommissarius, quando dicatur legitimus contradictor ad effectum impediendi immissionem agentis interdicto, quorum bonorum ab intestato, & quando etiam fideicommissarius possit auctoritate propria, & non de manu hæredis fideicommissum capere.

SVMMARIVM.

Auia materna succedit ab intestato nepoti ex filia. nu. 1.
Interdictum quorum bonorum vtile competit venienti ab intestato. num. 1.
Interdictum quorum bonorum non solum datur hæredi, sed etiam hæredi hæredis. num. 1.
Interdictum quorum legatorum conceditur hæredi hæredis. num. 2.
Fideicommissarius ad hoc, vt dicatur legitimus contradictor ad effectum impediendi immissionem ex interdicto quorum bonorum, aut quorum legatorum; quæ requirantur. num. 2. *&* 10. *& sequent.*
Possessio fideicommissarij capta propria auctoritate, & non de manu hæredis dicitur vitiosa. num. 3. *vbi ampliatur etiam, quod restitutio fideicommissi fiat ipso iure.*
Fideicommissarius non potest propria auctoritate capere res fideicommisso subiectas, etiam hæreditate iacente. num. 3.
Mandatum de manutenendo non validat possessionem vitiosam. num. 4.
Mandatum de manutenendo conceditur etiam prædoni, & spoliatori. num. 4.

Consensus non inducitur ex aliquo tacito actu, qui necessario consensum non concludat. nu. 4.
Petitorium potest suspendi in qualibet parte iudicij, & in quacunque instantia. nu. 5.
Remedium adipiscendæ possessorium potest cumulari cum petitorio. nu. 5.
Renunciatio sub conditione non purificata conditione renunciaati non nocet. nu. 6.
Clausula non alias, &c. adimit consensum ab actore, ita quod non sequuta conditione perinde est, ac si nihil actum fuisset. num. 6.
Aequalitas inter contrahentes seruanda est. num. 7.
Renunciatio nunquam censetur inducta, nisi expresse dicatur, quia est stricti iuris. nu. 9.
Tacens ex taciturnitate sibi non præiudicat, quando sciebat ius ipsum sibi saluum esse. nu. 10.
Legitima, & Trebellianica licet sint certæ respectu quantitatis sunt tamen incertæ ratione rerum ex quibus detrahendæ sunt. nu. 11. & seq.
Interdictium quorum bonorum non competit ei, qui semel adeptus fuit possessionem. nu. 15. & 16.
Fideicommissarius quando in testamento dicatur à testatore habuisse auctoritatem capiendi fideicommissum propria auctoritate. num. 17.

DECISIO CXV.

1 RESolutum fuit DD. Valerio, & fratribus hæredibus D. Portiæ Cinciciæ dandum esse mandatũ de immittendo in possessionem bonorum q. D. Ioan. Antonij de Capizucchis: nam cum Portia tanquam Auia materna, & proximior d. Ioan. Antonij fuerit illius hæres ab intestato. *§. si igitur. il primo in authent. de hære. ab intest. venient. authent. defuncto. Cod. ad Tertull.* ei competebat vtile interdictum quorum bonorum. *l. 1. C. quor. bonor. glos. Bartol. & alij in l. 1. ff. eod. tit. & in Rubr. C. eod. Menoch. de adipisc. posses. remed. 1. num. 33. quæst. 4.* quod modo competit DD. de Cincijs dictæ Portiæ hæredibus, cum non detur solum hæredi, sed etiam hæredi hæredis, vt notant omnes *in leg. fin. Cod. de edict. Diu. Adrian. tollen. Bald. cons. 186. num. 7. lib. 1. cum alijs cumulatis per Tiraquel. in tract. le mort. saisit. par. 2. declarat. 5. num. 17. & 18. Menoch. de adipisc. posses. remed. 4. nu. 236. & sequentibus.*

2 Et licet hodie se opponant DD. Sorores de Capizucchis prætendentes esse vocatas ex fideicommisso quondam Hieronymi, super quo adsunt etiam nonnullæ decisiones Rotales, tamen contra fideicommissarium vniuersalem conceditur remedium quorum legatorum. *leg. 1. Cod. quor. legat. glos. Bart. Castr. & alij in leg. Paulus respondit. ff. ad Trebel. & plures cumulat Menoch. de adipiscend. posses. remed. 2. num. 23. quæstio. 8.* quod remedium conceditur similiter hæredi hæredis *leg. 1. §. hoc interdictum. ff. quor. legat. idem Menoch. vbi supra quæst. 2. num. 13. & quæst. 6. num. 29.* Neque istæ sorores etiam si possideant sunt legitimæ contradictrices, quia ad effectum, vt fideicommissarius possit dici legitimus contradictor ad impediendam hæredis immissionem non sufficit, quod possideat, nisi etiam possideat legitime, & non vitiose, & vlterius in continenti doceat de iure suo, quæ omnia copulatiue requiruntur *iuxta notat. in leg. fin. & ibi Dec. num. 48. Cod. de edict. Diui Adrian. tollen. Bartol. in leg. filiam, & ibi Alexand. ff. ad Trebellian. Soc. iun. cons. 75. num. 18. lib. 1.* & hanc opinionem perpetuo tenuit Rot. vt in causa Vrbeuet. hæreditatis 12. Decembris 1567. coram Illustrissimo D. Cardinali Seraphino, & in causa Rom. Casalis, seu pedicæ Sancti Matthæi 25. Iunij 1575. & 18. Maij 1577. coram bo. mem. Oriolen. & in causa Fauentina fideicommissi de Pasijs 24. Aprilis 1587. coram Illustr. Cardinali Seraphino, & in causa Ianuen. fideicommissi de Pallauicinis 19. Febr. 1590. coram Illustrissim. Card. Platto, & alias sæpe.

3 Illarum autem possessio tanquam capta propria auctoritate, & non de manu hæredis, prout requiritur, non est legitima, sed potius vitiosa. *l. 1. ff. quor. legat. Bar. Castr. & alij in d. l. filiam. ff. ad Trebellian. Dec. in d. leg. fin. num. 48. & ibi Zuccar. num. 379. C. de edict. Diui Adr. tollen. Idem Dec. cons. 84. colum. 2. versic. similiter. & cons. 424. num. 14. Rolan. qui alios cumulat cons. 78. num. 14. lib. 3.* quos probauit Rota in causa Romana de Salamonibus 14. Nouemb. 1575. coram Illustr. Card. Seraphino, & coram eodem in causa Vrbeuetana Castrorum 17. Nouembr. 1576. & in supradictis causis Romana Casalis S. Matthæi, & Ianuen. Fideicommissi, & vltimo loco in causa Ortana domus 24. Ianuarij anni præteriti, coram R. P. D. meo Ludouisio, quod procedit etiam, quando restitutio fideicommissi fit ipso iure, quia nihilominus fideicommissarius non potest propria auctoritate possessionem apprehendere, sed illam capere debet de manu hæredis. *glos. in leg. 1. §. quoties. ff. ad Trebel. Alex. cons. 82. num. 4. vol. 2. Dec. cons. 424. num. 15. cum alijs, quos citat Rolan. d. cons. 78. num. 15. Rimmal. iun. cons. 363. num. 21. Surd. cons. 73. num. 29.* Occupatio enim rerum fideicommisso subiectarum hæreditate iacente debet ab inuasoribus auocari, & dari hæredi, vt tenet *gl. Alex. Bart. & alij in l. non est dubium. C. de leg. & in l. Paulus. ff. ad Trebellian. Angel. in leg. extat. colum. 2. quod met. caus. Odofred. in l. 1. C. quor. legat. Alberic. in l. fin eod. tit.* cum alijs latè deductis in allegata causa Romana Casalis S. Matthæi 18. Martij 1577. coram Oriolen.

4 Neque obstat, quod vitium possessionis fuerit purgatum, vel ex mandato de manutenendo Sororibus fideicommissarijs à Iudice concesso, vel ex rescripto fe. re. Clem. VIII. cumulationis petitorij, & possessorij, vel ex consensu, siue approbatione, & taciturnitate DD. de Cincijs. Nam quantum ad mãdatum de manutenendo, omisso quod ab eo fuit appellatum, non validat possessionem vitiosam, cum concedatur etiam Prædoni, & Spoliatori. *Paleot. dec. 87. incipit,* Spoletana Parochialis, & fuit pluries resolutum, præsertim in causa Bononien. iuris macinandi 19. Aprilis 77. & 10. Martij 1578. coram Cantuccio. Et quantum ad rescriptum Clem. VIII. fuit reductum ad viam iuris per commissionem S. D. N. manu signatam, per quam fuit remotum dicti rescripti impedimentum, & obstaculũ. Quo vero ad consensum, & approbationem DD. de Cincijs nullibi adest, nam de expresso non constat, nec præsumitur. *Abb. in cap. ea noscitur in fin. de his, quæ fiunt à Prælat. sin consen. Cap.* & tacitus non probatur, cum nõ dentur actus, qui illum necessario concludant. *Bart. in l. Titium, aut Mæuium. ff. de administr. tuto. Dec. consil. 304. num. 6.* & in præiudicialibus omnis capienda est interpretatio, per quam consensus excludatur latè *Tiraq. in l. si vnquam, in vers. donatione largitus. num. 7. & seq. C. de reuoc. donat.*

5 Minus obstat, quod passi fuerint discuti de petitorio, quia vltra quod id factum fuit præcedente eorum protestatione, & quia aliter facere non poterant stante prædicta commissione Clementis VIII. hoc non impedit quo minus suspenso petitorio, quod potest suspendi in qualibet parte Iudicij, & in quacunque instantia. *Clem. 1. de caus. posses. & propriet. Caputaq. dec. 323. part. 2.* hodie possit peti immissio, cum præsertim admittatur cumulatio remedij adipiscendæ cum petitorio. *cap. pastoralis. cum ibi not. de caus. poss. et propriet. Rip. in l. naturaliter. §. nihil communc. nu. 142. ff. de acquirend. posses.*

6 Nec talis consensus potest elici ex compromisso, in quo fuit expresse renunciatum possessorio, & DD. Sororibus relicta medietas bonorum pro indiuiso, quia renunciatio non fuit facta simpliciter, sed sub conditione casu, quo concordia habuerit effectum, & non alias, & cum expressa conuentione, quod translatio medietatis possessionis pro indiuiso, &c. locum habeat in euentum, in quem compromissum suũ sortiatur

tiatur effectum, alias habeatur pro non facta, &c. Et ideo cum petitorium non fuerit terminatum, & compromissum expirauerit, renunciatio tanquam non purificata conditione nihil operatur, *leg. cedere diem. ff. de verb. signif. leg. si quis conditione. ff. si quis omiss. cau. testam. leg. itaque. ff. si cert. pet.* stante præsertim clausula non alias, &c. quæ admit consensum ab actu, quo non sequuto operatur perinde, ac si nihil actum fuisset, *gl. Bald. & alij in l. si quidem. de exceptio. Bald. in l. si aduersa, vers. ex prædictis C. de transactio. Grat. cons.* 138. *num.* 13. *Caputaq. dec.* 82. *num.* 4. *par.* 3. & fuit pluries resolutum in Rota. & sic omnia in compromisso contenta, & eius occasione subsequuta etiam euanuerūt, & res in pristinum statum in omnibus, & per omnia redacta fuit, ita vt sicut ante compromissum competebat hæredibus immissio, ita competere debeat post compromissum resolutum.

7 Nec placuit Dominis, quod clausula resolutiua, & pactum quod quatenus compromissum non habeat effectum, Sorores de Capizucchis remaneant in possessione, in qua ante compromissum existebant, & DD. de Cincijs teneantur ad restitutionem fructuū, sit apposita fauore ipsarum Sororum tantū, quæ possint propterea illis renunciare, & non vti, quia hæc fuerunt apposita fauore vtriusque partis, cum nō solum interesset Sororum remanere in earū possessione, & fructus recuparare, sed multo magis DD. de Cincijs reseruare sibi saluum remedium quorum bonorum, nec circa illud sibi in aliquo præiudicare, alias esset contra expressam mentem partium intendentiū quod expirato compromisso, & non sequuto laudo omnia reponerentur in pristinum, & contineret magnum absurdum, & repugnaret æqualitati, quod staret in facultate Sororum in casum, in quem petitoriū non esset per laudum terminatum, redire ad earum possessionem, & repetere fructus à Cincijs, ipsis vero in eundem casum non liceret prosequi possessorium: & tamen æqualitas inter partes est seruanda *iuxta notat. per gl. in l. si lege. §. si domus. ff. loca. Bero. cons.* 140. *nu.* 17. *vol.* 1. immo fieri debeat omnis interpretatio per quā actus sit conformis æquitati. *c. paratus.* 23. *q.* 1. *Aym. cons.* 259. *nu.* 8. *vers. & posito. Surd. cons.* 383. *num.* 22.

8 Nec dicatur non fuisse sufficienter adimpletum pactum compromissi, quia de contrario constat ex dimissione possessionis, & ex deposito fructuum, qui licet non fuerint Sororib. restituti, tamen circa hoc adest alia commissio Santissimi, in qua fuit narratum Papæ, quod Cincij vigore compromissi tenebantur fructus restituere, & nihilominus non obstante compromisso, & concordia mandauit fieri depositum, & eo facto in causa procedi, & sic in locum restitutionis faciendæ subrogauit depositum, & per consequēs DD. de Cincijs deponendo adimpleuerunt ex parte sua, & Papa per tale depositum inuestiendum ad vtilitatem Sororum cum derogatione compromissi, & concordiæ videtur in necessarium antecedens derogasse exceptioni ex compromisso resultanti.

9 Prout non obstat, quod expirato compromisso per biennium, & vltra DD. de Cincijs tacuerint, quia stante commissione Clementis VIII. aliud agere non poterant, nec possessorio iudicio experiri, & satis sibi consuluerunt petendo illius reductionem statim, atque eis id licuit, & nihilominus cum possent quandocunque redire ad iudicium possessorium ex taciturnitate non fuit inductus talis consensus, per quem renunciauerint interdicto quorum bonorum, cum renunciatio inducatur, nisi expresse, quia est stricti iuris. *Caputaq. dec.* 308. *par.* 3. *cum vulgaribus.* Nec dantur actus voluntarij, qui necessario concludant ad renunciationem iuxta notata per *Dec. cons.* 452. *nu.* 25. & *cons.* 460. *nu.* 7. *Put. dec.* 188. *nu.* 4. *lib.* 2. Ideo autem tacuerunt, quia sciebant ius ipsorum saluum esse. *l. sicut §. videtur. ff. quib. mod. pignor. vel hypothec. soluat. Rip. in leg. admonendi. post num.* 44. *ff. de iureiurand. Ruin. consil.* 161. *numer.* 38. *libr. primo. Cephal. cons.* 445. *nu.* 28.

10 Sed quatenus etiam vitium possessionis potuisset dici purgatum, cessat nihilominus aliud requisitum, quod fideicommissarius doceat in continenti de iure suo, quod est omnino necessarium ex auctoritatibus, & decisionibus supra allegatis. licet enim in testamento Hieronymi adsit substitutio ad fauorem Sororum de Capizucchis; nihilominus debent capere de manu hæredis, qui poterit in petitorio plura deducere, præsertim quia controuersum est, an de istis bonis Hieronymus disponere potuisset stantibus antiquis fideicommissis, quorum vigore ad huiusmodi bona prætenditur vocatus Io. Antonius, ita vt non potuerint postea ab Hieronymo grauari, maxime ob subsequutam sententiam Card. Sancti Clementis, per quam bona subiecta fideicommisso fuerunt separata ab alijs bonis liberis, quæ creditoribus Dominici patris Hieronymi assignata fuerunt, & ad effectum, vt fideicommissarius non dicatur legitimus contradictor, & satis est, quod contra fideicommissum aliquid colorate, vel probabile opponatur, iuxta trad. per *Bald. in leg. data opera. numer.* 90. *Cod. qui accusa. non poss. Franc. in cap. dilectus. quæstio.* 12. *in fin. de appell. Corn. consil.* 15. *volum. quarto. Aegid. decis.* 304. cum alij deductis in allegata causa Romana Casalis S. Matthæi coram Oriolen. sub numero 3. & 5. vbi etiam numero 15. dicitur, quod in dubio, vt hæredi restituatur possessio, præsumitur quod ei possit alia defensio competere.

11 Denique etiam, si fideicommissarius esset paratus in continenti docere de iure suo, & possideret sine vitio, adhuc tamen quando faciendæ sunt detractiones, prout hic non dicitur legitimus contradictor ad impediendam hæredis immissionem, vt post *Alex. Iacobi. & alios in leg. final. tradit ibi Zuccard. num.* 426. *cum seq. Ruin. cons.* 140. *num.* 7. *libr.* 5. *Boer. dec.* 156. *num.* 2. *Gabr. cons.* 45. *num.* 24. *lib.* 2. *Rolan. d. cons.* 78. *num.* 21. *Menoch. de adipisc. remed.* 4. *nu.* 638. & ita etiam tenet Rota, vt in allegata causa Romana de Salamonibus 14. Nouembris 1575. coram Illustrissimo Cardinali Seraphino, in Viterbien. hæreditatis. 18. Nouembris eiusdem anni coram Oriolen. & in causa Spoletana Bonorum 27. Maij 1585. & Firmana Bonorum 18. Maij 1583. coram bon. memoriæ. Bubalo, & in causa Ianuen. fideicommissi 1. Decembris 1589. coram Illustrissimo Cardinali Platto.

12 Non obstat, quod legitima, & Trebellianica sint certæ, cum constituant medietatem, & sint iam detractæ, tum quia licet legitima, & Trebellianica constituant certam portionem, cum sint semis, tamen sunt omnino incertæ ratione loci, cum ex possessione translata pro indiuiso quælibet pars in qualibet gleba haberet suam portionem. *leg. Mæuius. §. si duobus ff. de legat.* 2. *leg.* 3. *cum ibi notatis. §. incertam. ff. de acquirend. possess.* & ante liquidationem, & detractiones, ita dicitur incerta ratione loci, & quotæ, quod nullius rei possit possessio capi pro legitima, prout ex *Bal. & alijs deducit Surd. dec.* 333. *num.* 12. *in fin.* tum quia poterunt hæredes de eorum creditis docere post adeptam possessionem, cum dubium non sit, quin competant hæredibus aliæ detractiones, vt æres alieni, & generaliter deducere possint omne eorum creditum. *l. cohæredi. §. cum filiæ. ff. de vulgar. Alex. in l. ita tamen. §. si ex Trebelli. mo. ff. ad Trebell. cum alijs per Surd. cons.* 7. *nu.* 23. & *seq.* & *d. dec.* 333. *num.* 16. vbi enumerat plures deductiones, & respondit ad reg. dolo facis, &c. & ad aliam, quod circuitus sunt euitandi, quod etiam ex *Cardin. Ancharan. & alijs tradit Aym. consil.* 376. *numer.* 24. *Ruin. consil.* 160. *volumine* 5. certitudo autem, quæ deducitur ex *consil. Corn.* 232. *libr. quarto.* & alijs allegatis procedere posset, quando hæreditas non in corporibus, sed in pecunia consisteret, vt dixit Rota in allegata causa Romana

Romana de Salamonib. coram Illustrissimo Seraphino, vbi de his, quę dicit Corn. valde dubitauit, ad quod cons. Corn. pluribus respondet Surd. d. dec. 333.

13 Prætęrea non subsistit in facto, quod hic fuerit detracta legitima, & Trebellianica, cum nihil tale factu, nec dictum fuerit in compromisso, sed solum fuit cōuentum, quod donec petitorium fuerit per laudum terminatum, bona ab ambabus partibus communiter possiderentur pro indiuiso, & pro medietate, de separatione vero, seu diuisione legitimæ, & Trebellianicæ nullum verbum, immo narratiua compromissi, vbi referuntur prætensiones Portiæ, non est restricta ad legitimam, & Trebellianicam, sed in ea recensentur vlterius prætensio Clitię, super qua adsunt decisiones nec non aliæ prætensiones, quæ nondum sunt stabilitæ, ita vt talis possessio pro indiuiso non fuerit inuenta pro terminandis pretensionibus, & faciendis detractionibus, sed ad capiendum remedium prouisionale, durante compromisso, cuius effectus cessauit non sequuto infra terminum laudo, vt dictum est.

14 Et propter has detractiones alio modo tollitur allegata possessio fideicommissarium de voluntate heredum, de qua tamen, vt supra visum est, non constat, immò potius excluditur, & si aliqua interuenit, fuit solum per modum prouisionis durante compromisso, & quousque potuerit reduci ad viam iuris rescriptum Clementis VIII. nempe quod in omnem euentum voluntas, vt fideicommissarię possiderent, saltem non fuit ad istum effectum accomodata, vt de earum manibus heredes accipere deberent detractiones, quo casu nihil obstat restitutioni faciendę, vt per *Zuccard. in leg. fin. Cod. de edict. Diui Adr. tollen. numer. 428. versicul. si vero possideret de voluntate hæredis*, vbi prius adducit *textum in leg. 1. ff. quor. legato. quæ in contrarium allegatur*.

15 Neque officit, quod interdictum quorũ bonorum non competit ei, qui semel fuit adeptus possessionem, tum quia translatio possessionis in Cincios vigore compromissi fuit facta solum in euentum, in quem compromissum suum sortiretur effectum, & sic resolutum cōpromisso fuit resoluta dicta translatio possessionis, tum quia fuit facta pro indiuiso, quo casu nō potest dici ipsos aliquam partem bonorum possedisse, quę sit certa saltem ratione loci, vt dictum fuit.

16 Nec releuant deducta circa desertionem causę, quia ante rescriptum Clementis VIII. nulla adest desertio, nec etiam post propter impedimentum, quod habebant Cincij, quibus ex dicta commissione præclusa erat via agendi in possessorio: tanto magis: quia nunquam fuit pronunciatum DD. de Cincijs non esse immittendos, immo immissio fuit eis decreta, a quo decreto licet fideicommissariæ fuerint reposite, tamen hec repositio non importat denegationem mandati de immittendo, sed potius dilationem ad illud concedendum.

17 Postremo non obstat, quod sit data facultas a testatore capiendi fideicommissum propria auctoritate, quia quatenus talis facultas deducitur ex substitutione pupillari non applicatur; cum non venerit casus substitutionis pupillaris, ex quo Ioan. Antonius non decessit in pupillari ętate. *Surd. dict. dec. 333. num. 12.* quatenus vero deducitur ex clausula omni meliori modo, cum hęc non sit apposita in substitutione, neque in fideicommisso, nec in fine testamenti purè, sed sub conditione, si testamentum scilicet, non valeret iure fideicommissi, vel Codicillorum, & cum testamentum valuerit, defecit, conditio, & clausula nihil operatur. *leg. si quis sub conditione. ff. si quis omiss. caus. testa. Alexand. consil. 50. num. 11. lib. 7. Curt. iun. consil. 169. num. 7. Bero. consil. 118. numer. 29. lib. 2. Tob. Non. consil. 19. num. 25.* fuit dictum coram Domino meo Iusto in causa Reatina hereditatis 3. Martij 1600. Vltra quid talis facultas concluderet solum, quod possessio non fuisset vitiosa, non tamen quod constet in continenti de iure Sororum, neque excluderet, quod sit facienda restitutio propter detractiones, cum possint stare simul, quod possessio non sit vitiosa, & sit facienda heredi restitutio: censetur enim facultas concessa solum capiendi suam portionem, & sic postquam factę fuerint detractiones, non ante, *Zuccard. dict. nu. 428. vers. si vero possideret de voluntate testatoris.* Quod etiam late deducit *Surd. dict. dec. 333. num. 8. in fin.* cuius decisionis conclusiones verę sunt in iure, licet in casu illius, ex quo non erat certum, an essent faciendę detractiones, fuerit retardata immissio. Et ita conclusum, &c.

R. P. D. IVSTO.

Maceraten. Hæreditatis, Mercurij 10. Maij 1606.

ARGVMENTVM.

Fideicommissum vt habeat locum, & vt purificatum dicatur, an attendendum sit tempus facti testamenti an vero purificatę conditionis.

SVMMARIVM.

Casus propositæ quæstionis. nu. 1. et 2.

Substitutio, seu vocatio nulla adest ante purificatam conditionem, et stante incertitudine personæ vocatæ, illa persona vocata censetur, in qua verificatur conditio, et quę per euentum conditionis certificatur, et è contra. nu. 3.

Succedant verbum proprie actum succedendi, et non potentiam significat. nu. 4.

Substitutio facta ad fauorem superuiuentis, non superuiuens non dicitur substitutus, et non transmittit: nu. 4. et 5.

Incertum illud est, quod multipliciter intelligi, et multipliciter declarari potest, antequam declaratur. nu. 4. et nu. 7. et nu. 10. Vbi quando in testamento dicatur vocata certa, vel incerta persona. et num. 11.

Legatum conditionale non cedit a morte testatoris, sed a die existentia conditionis. num. 4. et 5.

Vocatus in fideicommisso secundo loco primo præcedente, non intrat quasi primus non fuerit vocatus, sed quia vocatio non potuit sortiri effectum Declara, vt nu. 7.

Fideicommissum ad fauorem familiæ, vel descendentium de iure admittit proximiorem grauato. Declara, vt num. 8.

Fideicommissum vt habeat locum, et vt purificatum dicatur an attendendum sit tempus facti testamenti, an uero purificatæ conditionis. nu. 9. et 12.

DECISIO CXVI.

1 PRoposui dubium die 15. Decembris 1603. An in testamento Matthei Vici Iuriscōsulti inceperit vocatio agnatarum feminarum tempore testamenti, vel solum a die purificati fideicommissi per obitum vltimi masculi: Effectus dubij erat, vt si non reperirentur in rerum natura agnatę tempore dicti obitus quo ad eas euanuerit fideicommissum, vel ne. Et tunc Domini pro maiori parte minori valde contradicente senserunt fuisse vocatas tempore testamenti, suspenso vocationis effectu ad tempus euenientis conditionis, & consequenter etiam si tempore obitus, vltimi masculi, nulla ipsarum agnatarum superfuerit, non tamen expirasse fideicommissum.

2 Veruntamen postmodum causa pluries reproposita, & non resoluta, quia vota Dominorum erant hinc inde paria, tandem die Mercurij 10. Maij huius anni 1606. Domini pro maiori parte contrariam sententiã amplexi sunt, scilicet incipere solum vocationem secundum testatoris voluntatem à die purificati fideicommissi per obitum vltimi masculi. Fundamentum con-

constitutum fuit super verbis testaméti, vbi Testator dixit, & si dicta mea linea masculina in totũ deficiat, volo quod succedant feminæ descendentes ex me, & linea masculina, siue femina. Illæ tamen, quæ erunt proximiores, illo tempore mihi, & sic stipiti, & eis nõ existentibus, illæ, quæ superextabunt proximiores illi, vel illis masculis, in quo, vel in quibus, deficeret dicta mea linea masculina, dummodo ipsæ feminæ succedentes, & earum mariti assumant nomen domus meæ, & de domo mea faciant se vocari, &c. In qua dispositione testator non considerauit certam aliquam feminam agnatam, cum supradicta verba intelligantur, quod succedant feminæ si plures adsunt, si vna tantum illa succedat, vt fuit resolutum coram Illustr. D. Cardinali Pamphilio in hac causa die 20. Februarij 1598. & sic adest incertitudo respectu personarum, quia est ignotum, & omnino incertum, & an vna tantum, vel plures successuræ sint, quæ incertitudo est etiam ratione temporis, nam dixit testator, illæ, quæ erũt proximiores eo tempore mihi, & sic sciri nõ poterat, quænam tempore deficientis lineæ futura esset.

3 Vnde succedit conclusio sumpta ex *tex. in l. commodissimè. ff. de lib. & posthum.* quod stante incertitudine personæ vocatæ, illa persona vocata censetur, in qua verificatur conditio, & quæ per euentum conditionis certificatur; Illa vero, in qua non verificatur conditio, & non certificatur per euentum conditionis, non est vocata, quoniam ista vocatio pendet à futuro euentu, & ante purificatam conditionem, verè nulla adest vocatio, vel substitutio, vt per *Bart. in d. l. commodissime. ff. de lib. & posthum. in 2. oppos. & ibi Aretin. & Castr. cui conclusioni rectè applicantur doctrinæ a Dominis consideratæ, videlicet glo. in l. cum pater. 77. §. à filia. in ver. electionem. ff. de leg. 2.* vbi dixit, quod filij eligendi per filiam Testatoris post mortem ipsius filiæ ante tempus mortis filiæ, non sunt substituti, quia sunt incognoscibiles. *Ægid. decis. 723. numero 16. versic. septimo quia*, vbi tradidit, quod dispositio generalis, quæ terminatur in vno, licet omnia supposita illius generis ex vi orationis videantur complecti. *l. Mæuius. §. duobus. ff. de leg. 2.* & hoc quasi sub declaratione futuri euentus, tamen secundum veritatem, nullum suppositorum determinatè sub ipsa dispositione comprehenditur. *l. si duo. ff. de verbor. obligat. l. qui Stichum. ff. de solut.* & solum ex illa generali intentione Testatoris inducitur quædam aptitudo in personis generaliter, & indeterminatè appositis, & quædam vocatio abstracta, vt in eis possit verificari substitutio exclusis omnibus alijs, qui nec determinatè, nec indeterminatè fuerunt in eiusdem testatoris mente, & possit cadere vocatio superueniente qualitate demonstrante, & certificante suppositum secundum voluntatem Testatoris.

4 Verum non videtur dubium testatorem in hoc casu habuisse præ oculis vocationem cum effectu separatam ab illa vocatione abstracta, quod conuincitur ex verbo (succedant) quo testator visus est, & quod de sui propria significatione denotat actum succedendi, vt in dicta *decis. Bellam. numero 15. versic. tertio probo.* vbi notabiliter distinguit habitum, & potentiam succedendi ab ipso actu, & *Bald. dixit in l. quidam elogio condito. numero 22. C. de iur. delib.* quod si testator dixit superueniente substituto: ista verba habent tacitam conditionem si superuixerit, quæ non demonstrat, nisi superueniente, vnde, qui non superuixit, non est substitutus, & sic non transmittit, & idem *Bal. in l. liberti. numero 15. C. de oper. liber.* vbi dicit, quod omne, quod potest multipliciter intelligi, & multipliciter declarari, illud est incertum, antequam declaretur, & interdum habet perpetuam causam incertitudinis, interdum temporalem, nam si non declaratur, & habens ius declarandi, decedit, efficitur nullum, si autem declaratur, tunc fit incertum antequam declaretur, & per consequens data illa prima vocatione in initio à die testamenti, quamdiu tamen manet incerta, non potest operari illum effectũ, de quo quærimus. Et *Cuiac. in l. vnica. C. de caduc. tollen. in §. sin autem. in princip.* incerta, inquit, cõditio, vel dies incertum legatum facit, hoc est facit incertum, an illud legatum debebitur, nam ita ius est, & fuit semper legati conditionalis diem non cedere statim a morte testatoris, sed cum conditio extiterit, hac ratione, quia fieri potest, vt hic dies non cedat viuo legatario, puta si is moriatur superstite hærede. *l. hæres. §. 1. ff. de condit. & demonst. l. si pecunia. §. fin. ff. de lega. 2.*

5 Pro quorum omnium confirmatione videatur *Tiraq. de iure primog. q. 40. num. 198. Bertran. consilio 124. ante nu. 1. & num. 8. volum. 2. par. 2. & consil. 146. in princ. & num. 4. volum. 6. Cephal. consil. 308. num. 75. lib. 3. Rimin. iun. consil. 781. num. 72. & 75. libro 7. & post allegatos late deducit Modern. Raudens. in tract. de Analogis. ca. 27. numero 51. & seq.* qui cum alijs illius temporis consuluit contra *Menoch. cons. 106.* & dicitur hanc sententiam fuisse approbatam à Senatu Mediolanensi, in causa de Triuultijs. Quæ optime declarantur ex enucleatione duarum legum scilicet *d. l. cum pater. §. a filia. ff. de leg. 2. & l. post mortem. C. de fideicommiss. qui textus videntur inter se contrarij, nam in §. a filia. dicitur*, quod si fidei hæredis commissum sit, vt aliquid restituat, cum morietur, id in vita hæredis factum non sustinetur, in *l. post mortem*. Contrarium determinatur, quod rogatur restituere post mortem, etiam prius potest restituere, & ibi *glos. concordat, quod in §. a filia. legatum erat incertæ personæ, in l. post mortem personæ certæ*, quam concordiam approbat ibi *Bal. n. 2. Salic. num. 2. Ang. Corn. & Ias. num. 7. qui de communi*.

6 Ex quibus cessant fundamenta maioris partis Dominorum, de quibus in alia decisione, & hæc sunt cõformia menti, & dispositioni Testatoris volentis primo loco conseruari domum, & agnationem per masculos descendentes naturaliter agnatos. Secundo per masculos ciuiliter agnatos, quia voluit, quod feminæ agnatæ superuiuentes, quæ succederent, assumerent nomen domus, & eorum mariti, vt fuit consideratum in hac causa in illa decisione coram Illustrissimo D. Cardinali Pamphilio, hoc enim pacto filij descendentes ex feminis agnatis, nascebantur ciuiliter agnati, quod esse non potest feminis agnatis non succedentibus, & cum eorum viris non assumentibus nomen familiæ. Tertio per agnatos transuersales deficientibus prædictis, qui moriente vltimo masculo post feminas agnatas, defecisse videntur, & hi sunt, qui hodie agunt ad fideicommissum, & hi vocati videntur, quia in defectum lineæ masculinæ testator vocauit proximiores sibi, & sic stipiti. Illis autem non extantibus, non vocauit filias illarum, sed alias feminas proximiores vltimo masculo, ex quo videtur necessario sequi, vt supra dictum est, testatorem habuisse præ oculis vocationem cum effectu non abstractam, & in potentia.

7 Ad ea, quæ adducebantur pro contraria opinione, respondebatur, & primo ad materiam *l. quam diu. ff. de acquir. hæred.* vbi 2. loco vocatus primo prædecedente, non intrat quasi primus non fuerit vocatus, sed quia vocatio non potuit sortiri effectum, & est *tex. in l. vnic. §. pro secu. C. de cad. toll.* vnde dicendum videtur vocatas esse nõ solũ filias proprias, sed omnes alios descẽdentes ex ipsis, finita linea masculorum, & illa verba apposita in testamento. Illæ tamen, quæ erunt proximiores eo tempore mihi, & sic stipiti, & eis non existentibus, illæ, quæ superextabunt constituere quendam ordiné succedendi, vt scilicet illa, vel illæ prius succedant cum effectu, quæ de eo tempore, hoc est finitæ lineæ erunt proximiores, & postea aliæ; Dicebant Domini non posse negari, & supra dictum est, quod in omnibus suppositis indeterminate consideratis verificetur initium vocationis, ex qua resultat aptitudo quædam

dam, sed non ideo actu est applicata vocatio. Et addebant, quod illa verba continent duo, Primo vocationem agnaturam, quæ superextabunt tempore deficientium masculorum, in quo nulla est declaratio ordinis succedendi, sed mera dispositio incerta, & indeterminata. Secundo loco modum, & ordinem succedendi ad tollendas controuersias inter ipsas succedentes, casu quo aliqua, vel plures ipsarum fuissent certificatæ, & hic ordo nullam certitudinem importat, aut demonstrationem personæ.

8 Secundo obstare dicebatur, quia hæc verba, Illæ tamen, quæ superextabunt eo tempore mihi, habent intellectum iuris communis, cum in fideicommisso ad fauorem familiæ, vel descendentium de iure admittatur proximior. *l. cum pater. §. in fideicommisso. l. pater. §. fratre. ff. de leg. 2.* & sic non debent esse tantæ considerationis ad prætensam incertitudinem inducendam. Quibus responsum fuit intellectum iuris communis esse, vt succedat ille, qui est proximior grauato secundum communem opinionem, quam Rot. sequitur iuxta decisionem coram bo. me. Robusterio, in causa Bononien. fideicommissi de Beroijs 5. Maij 1574. & sæpe alias. Hic autem Testator disposuit, vt post vltimum masculum succedat proximior sibi determinando illud tempus, quo persona, quæ succedere debet, est incerta, vt tunc verificetur, & antea non dicatur vocata. Et bene facit *Mandos. Alba. consil. 51. nu. 19.* qui ostendit plures effectus istorum verborum, vt non dicantur superflua, & inter alios, quod operetur effectum restrictiuum, vt vocentur viuentes tantum, non autem præmortui, vel eorum hæredes, vt tollatur disputatio, an ius fideicommissi conditionalis transmittatur, de qua *Doct. in l. cum filio. ff. de leg. 1.*

9 Tertio adducebatur dispositio *l. si cognatis. ff. de reb. dub.* vbi attenditur tempus facti testamenti, sed responsio fuit, quod in illo textu dispositio fuit pura, non conditionalis, & hic est communis intellectus. In hoc autem casu dispositio est conditionalis, vt fuit decisum in hac causa coram me, die 29. Octobris 1601. Et quæritur, An vocatio incipit a die testamenti, vel purificatæ conditionis, de quo non agitur in *l. si cognatis.* Item ibi certis personis legatum erat, nempe cognatis, qui tunc erant, in casu autem huius testamenti agnatæ sunt incertæ, cum natæ, & nascituræ vocatæ sint, sicut in fideicommisso puro loquitur *tex. in l. cum ita. §. in fideicommisso. ff. de leg. 2.* vbi vocantur omnes de familia, licet gradatim ab initio vsque in finem, nec est necesse ibi expectare aliquem casum, qui declaret, quisnam sub generali expressione vocatus censeatur, vel quod extet aliqua conditio, in quo consistit tota vis, & differentia a casu nostro.

10 Quarto loco dum respondebatur ad impugnandum argumentum incertitudinis, quod vocatio erat de persona incerta de certis, vel certa de incertis, id est de agnatis testatoris iux. trad. *in §. incertis, & ibi Aret. instit. de leg.* Replicabatur, quod in his terminis loquitur *tex. in d. l. commodissime. & in l. cum pater. §. a filia ff. de leg. 2. qui tex. in §. a filia.* loquitur in incertitudine respectu temporis, vt in casu hoc, vbi sunt vocatæ proximiores de eo tempore. Atque vocatione incerta de certis non minus necessaria est declaratio illius personæ incertæ ad inducendam vocationem, vt probatur in *l. vnum ex familia. §. rogo. ff. de leg. 2.* vbi filia rogata, vt quando moreretur restitueret fundum, cui vellet ex libertis, & sic legato relicto sub quadam conditione personæ incertæ ex certis, necessaria est declaratio illius incertitudinis, quæ contingat post conditionis euentum, interim, vt antequam moriatur filia, nemo ex libertis possit transmittere huiusmodi iura ad hæredes, nec ille etiam, quem filia viuens eligere vellet, vt est *tex. in d. §. a filia.* & ideo Doct. tenent communiter contra *Bar. in l. quidam relegatus. ff. de reb. dub.* scilicet, quod quando persona incerta de certis sub futuro euentu certificanda vocatur, tunc sine euentu inutilis redditur dispositio, vt de communi contra *Bar.* attestatur *Socin. num. 12. & Ruin. consil. 36. num. 8. & 9. lib. 2.*

11 Præterea non possunt ista applicari huic dispositioni, quia testator vocauit non solum agnatas, quæ erant testamenti tempore, vel quæ futuræ erant tempore mortis, sed incerta cogitatione comprehendit omnes quandocumque futuras, & per consequens illæ personæ omnino incertæ fuerunt, & de hoc est tex. expressus in dict. §. incertis. vers. sub certa vero demonstratione, vbi cum Imperator dixisset legari posse incertæ personæ de certis, dat exemplum, Illi ex cognatis meis, qui filiam meam vxorem duxerit, verum non dicit simpliciter ex cognatis meis, sed exprimit ex cognatis meis, qui nunc sunt, restringendo dispositionem ad illos, qui tunc erant, quia alias legatum relictum foret non incertæ personæ de certis, sed incertæ de incertis, vt benè explicat *Francisc. Connan. Comment. Iur. lib. 10. c. 3. n. 5.* circa fi. quæ ostendunt omnimodam incertitudinem præsentis dispositionis.

12 Ex quibus crediderunt Domini satis esse responsũ his, quæ late deducebantur per Informantes pro hæredibus, & esse opinionem iuri consonam, non quidem quod omnes agnatæ non habeant initium vocationis, & fuerint aptæ ad substitutionem, sed fuisse in suspenso, donec eueniente conditione, declararetur incertitudo, qua non verificata, cessat istarũ vocatio.

REVERENDISS. P. D. IVSTO.

Plocen. Decanatus. Lunæ 12. Maij 1606.

ARGVMENTVM.

Beneficij vacatio in Mense Episcopi quomodo probetur.

SVMMARIVM.

Beneficij vacatio in Mense Episcopi probatur per depositionem Parochi extraiudicialem, & per confessionem procuratoris in responsione positionum iuncta collatione Episcopi de beneficio in illo Mense vacante. num. 1.

Titulorum multiplicatio datur in beneficialibus. num. 2.

Confessio facta etiam in actu inutili præiudicat confitenti, num. 2.

DECISIO CXVII.

1 PRimo loco proposita fuit hæc causa die 13. Ianuarij huius anni: Et tunc dictum, quod Gaspar coadiuuaret probationem obitus in Mense, super qua solum remansit difficultas. Verum causa hac die secundo loco proposita, Domini concluserunt satis esse coadiuuatam intentionem Gasparis, & illi dandum esse mandatum de immittendo, quoniam ad vacationem in Mense deducta fuit de nouo depositio Parochi extra iudicialis, & responsio facta a Procuratore Ioannis Alberti ad Positiones, quæ licet non inducant probationem aliquam de per se, tamen concurrente collatione facta a Nuncio in illis partibus, tanquam de vacanti in Mense Ianuarij, & petitione possessionis Ioannis Alberti, qui hoc modo confitentur vacationem in illo Mense. Domini crediderunt esse probatam vacationem in *Mense, Felin. in c. olim limitat. 4. & 5. de rescript. cum alijs allegatis per Informantes.*

2 Nec placuit quod dicebatur, collationem Nuncij non fuisse productam a Ioanne Alberto, sed a Gasparo, & tamen Ioannes Albertus poterat, & potest habere alium titulum, super quo innitatur ad *Crescen. decis. 21. De probatio.* Datur enim in beneficialibus multiplicatio titulorum, *Cald. cons. 7. de elect.* Rota coram

coram Illustrissimo D. Card. Pamphilio, in causa Cæsaraugustana Parochialis 8. Nouembris 1589. & sæpe alias. Nam placuit responsio, quod his admissis, non tollitur confessio facta in prouisione à Nuncio obtenta, quæ præiudicat etiam in actu inutili. *Bart. in leg. decem stipulatus, ff. de verb. oblig. Put. dec. 6. de confess.* Quibus adduntur dicta testium, & quod procurator Ioannis Alberti in lite in partibus agitata, nunquam negauit obitum in Mense Ianuarij, ita vt de hac probatione non videatur hæsitandum. Itaque cum de facultate Nuncij non constet conferendi beneficia sic Papæ reseruata, conclusum fuit pro immissione.

REVERENDISS. P. D. PEGNA DECANO.

Montis Regalis iurisdictionis, Lunæ 5. Iunij 1606.

ARGVMENTVM.

Quando agitur de præiudicio Ecclesiæ non sufficit citare Episcopum, nisi etiam citetur Capitulum, & sententia contra Ecclesiam lata citato solum Episcopo est nulla, & inualida.

SVMMARIVM.

Ecclesiæ appellatione venit Capitulum, nu. 2.
Ecclesiæ defensio præsertim in arduis non pertinet ad Episcopum solum, sed etiam coniunctim ad Capitulum, n. 2.
Iura Ecclesiæ Cathedralis sunt communia, et communiter tenentur ab Episcopo, et Capitulo, nu. 2.
Iuramentum solius Episcopi non tenet in præiudicium Ecclesiæ, nisi etiam ad sit Capituli consensus, num. 3.
Alienatio rei Ecclesiasticæ facta à Prælato sine consensu Capituli est ipso iure inualida, num. 3.
Sententia lata contra Episcopum non citato Capitulo vbi agitur de præiudicio Ecclesiæ, est prorsus nulla, nu. 4.
Sententia est indiuidua, et ideo nulla quo ad vnam personam, et dicitur præiudicare quo ad alias num. 4.
Citari debet in iudicio semper is, contra quem iudicium dirigitur, num. 6.
Paria sunt venire ad iudicium appellando, vel dando, de nullitate, nu. 7.

DECISIO CXVIII.

1 SEntentiæ in hac causa latæ primum à me, & deinde à R.P.D. meo Lancellotto ad fauorem D. Archiepiscopi Montis Regalis, non solum condemnabant Episcopum Cataniensem, eum subijciendo prædicto Archiepiscopo vigore Iuris Metropolitici, sed etiam Ecclesiam, & Ciuitatem, *a*, Cataniensem, vt patebat ex illis sententiarum verbis Declaramus, *b*, Ecclesiam Cataniensem, & illius Ciuitatem, & Diœcesim fuisse, & esse de Prouincia, & Archiepiscopatu Montis Regalis: & rursus ibi, & eidem Archiepiscopo licuisse, & licere exercere Ius Metropoliticum in dictâ Ecclesiâ Cataniense, & in totâ eius ciuitate, & Diœcesim Vnde Informantes pro Episcopo Catanien. ex hoc potissimum fundamento prætendebant euertere præfatas sententias, tanquam nullas; quia fuit condemnata Ecclesia, & Ciuitas, quæ non fuerunt legitime citatæ, & quoniam ego propter hanc, & alias rationes multum semper dubitaueram nedum de decisione facta coram me die prima Iulij 1605. in qua fuerat dictum constare de re iudicata, Verum etiam de alia decisione, etiam coram me facta die 16. Decembris, eiusdem anni, quoniam videbantur valde vrgere rationes, quibus vtebantur Informantes pro Episcopo Cataniense: debiles autem responsiones quas dabant Informantes pro Archiepiscopo Montis Regalis: ideo decreui iterum proponere causam: itaque vtraque parte Informante, & plene causa in Rota discussa Domini pronunciarunt sententias Rotales in hac causa latas fuisse nullas ex infra scriptis.

2 Primò, quia condemnata fuit Ecclesia Catanien. quæ tamen non fuerat legitimè citata, cum non fuerit citatum illius Capitulum, *c*, cum non solum appellatione Ecclesiæ veniat Capitulum, *cap. cum Clerici vbi gl. in verbo Ecclesiæ Placentinæ, de verbor. signific.* sed etiam quia illius defensio præsertim in arduis, quale est, quando agitur de illius subiectione, non pertinet ad Episcopum solum, & in solidum, sed etiam coniunctim, *d*, ad Capitulum, *Felin. in c. edoceri. num. 3. vers. prima declaratio. de rescript. Innoc. in c. fin. in verb. requiratis, & ibidem Zabarel. in 2. oppos. & Anchar. not. 5. & Anton. de Butr. num. 9. & 27. & Abb. nu. 1. & 2.* & communiter Scribentes de maior. & obed. qui loquuntur in terminis de subiectione Ecclesiæ, idem tenent *Lap. alleg. 48. num. 8. versic. quæro quid in arduis, & Roman. cons. 369. num. 21. & Dec. in cap. causam, quæ num. 20. vers. expeditis notab. de iudic. Vnde vere dixit Innocent. ,e, in c. dilecti: paulo post princ. quem sequitur ibi Abb. nu. 3. de maior. & obed.* quod iura Ecclesiæ Cathedralis sunt communia, & communiter tenentur ab Episcopo, & Capitulo. Pro hac parte facit *text. in cap. fin. ,f,* de maior. & obed. vbi, quia agebatur de materia subiectionis, Papa mandauit, vt in prouisione per eum facta requireretur assensus Capituli, & ideo communiter ibi notant Canonistæ, & signanter *Abb. in 1. 3. & 5. not.* & deinde in toto discursu, quòd in materia subiectionis est necessarius Capituli consensus, & ibidem Innoc. docet, non tenere sententiam non vocato Capitulo saltem per edictum.

3 Pro eadem sententia *text. in c. dilecti. ,g, in fin. de maior. & obed.* vbi pariter agitur de materia subiectionis Ecclesiæ, & Papa dicit, Iuramentum solius Episcopi non tenere, *vbi Innoc. in vlt. verb.* quem ceteri sequuntur, affirmat, ideo non tenere, quia est in præiudicium Ecclesiæ, & ad idem ponderabatur *text. in cap. cum nos de his*, quæ fiunt à Prælat. sine consensu Capituli, arguendum ,*h*, de alienatione ad iudicium, vbi dicit text. alienationem factam à Prælato sine consensu Capituli, ipso iure esse inualidam, nisi capitulum illam ratificet, quod notant ibidem communiter *Canon. & signanter. Imol. notab. 1.*

4 Ex prædictis inferebatur sententias, latas contra Episcopum Catanien. non citato capitulo fuisse nullas, iuxta communem Theoricam, quam refert *Imol. in c. cum nos, nu. 13. vers. restat videre. de his, quæ fiunt. à Prælat.* Rursus prædictæ sententiæ merito censebantur nullæ, quia nominatim fuerant latæ contra ciuitatem ,*i*, Catanien. quæ nunquam fuerat citata, quod videbatur sufficere ad inducendam nullitatem, quo ad omnes, cum nullitas quo ad vnum propter indiuiduitatem præiudicet quo ad alios vt fuerat dictum in hac causa coram Domino meo Lancellotto.

5 Nec ad rem pertinebat dicere, Rotam in decisione facta coram Domino Millino sub die 27. Nouembris anni 1602. sensisse sententias in hac causa latas non fuisse inualidas respectu Episcopi Catanien. quoniam respondebatur. Rotam tunc non dixisse eas, fuisse validas in præiudicium Ecclesiæ, & ciuitatis, ,*l*, cum expresse dixerit non fecisse numerum quo ad capitulum & consequenter neque quo ad Ecclesiam propter indiuiduitatem.

6 Constituta nullitate ex prædictis non obstabant rationes alias deductæ pro D. Archiepiscopo Montis Regalis, & Primum doctrina *Bald. in l. ab eo. num. 17. C. quomodo, & quando Iud.* dicentis quod ad validitatem Iudicij sufficit citari illum, contra quem dirigitur petitio, & sic in hoc satis erat citasse Episcopum Caietan.

quia

quia fuit responsum hanc doctrinam facere contra D. Archiepiscopum, qui obtinuerat pronunciari contra Episcopum, & Ecclesiam, & Ciuitatem Cataniensem nam cum petitio, *m*, dirigeretur contra Ecclesiam, eam oportuit legitime citare, & consequenter Capitulum, vt patet ex prædictis. Eadem ratio suadebat Ciuitatem fuisse citandam propter notabile ipsius interesse, & præiudicium, nam cum vigore iuris Metropolitici subderetur D. Archiepiscopo Montis Regalis in multis casibus, prout iure constitutum est: poterant eius subditi trahi extra Diœcesim Cataniensem ad curiam Archiepiscopi Montis Regalis.

7 Ad aliud fundamentum, quòd paria sunt venire ad iudicium appellando, vel dando de nullitate propter decisionem in causa Cataniense illegitimitatis coram fel. rec. Clemente Papa VIII. tunc Rotę Auditore, responsum fuit, eum qui opponit nullitatem, & expresse de illa protestatur, prout in casu proposito, non facere sententias validas; cum verbis patentur declaret animum suum, decisionem, autem in causa Catanien. locum habere posse in suis terminis, videlicet in tertio, qui non fuerat necessario citandus pro substantia, & validitate iudicij, in hoc autē casu Capitulum, *n*, & Ciuitatem necessario fuisse citanda, vt patet ex prædictis. Atque ex his fuit conclusum pro nullitate sententiarum.

ADDITIONES.

a Sed etiam Ecclesiam, & Ciuitatem) Immo sententię condemnant solum Episcopum: vt patet ex verbis condemnatorijs ibi (prædictum Episcopum condemnandum fore, ac condemnamus) quæ verba sola sonant condemnationem, & sunt substantialia dictarum sententiarum: *Bald. in l. prolatam, num. 21. & in leg. eorum, C. de sent. & interloc.* & ibi (illi silentium perpetuum imponendum fore, ac imponimus:) quæ sunt *iuxta text. in l. diffamari, de ingen. manum.* cuius remedium fuit intentatum: & rursus ibi (dictumq; Episcopum in expensis condemnandum fore,) ac condemnamus: quę omnia verba condemnatoria in solum Episcopum diriguntur.

b (Declaramus Ecclesiam, Ciuitatem, & Diœcesim esse de Prouincia, &c.) Verba ista non condemnant, sed declarant, quæ declaratio influit in condemnationem, quæ subsequitur verbis condemnatorijs; nam cum Archiepiscopus diceret Episcopum sibi esse subiectum, quia Episcopatus esset de sua Prouincia, & è contra Episcopus exciperet se esse exemptum, quia Ecclesia, &c. esset libera, necessario oportuit huiusmodi declarationem fieri; quæ influit in prejudicium Episcopi, qui condemnatur *iuxta notat. per Bellam. in capit. cum olim. de testibus, in 5. q. sub num. 21. versic. sed numquid*, quo ad negotium principale, ibi) licet debeat pronunciare libertatem Ecclesiæ non competere,) & loquitur de modo ferendæ sententię inter Archidiaconum defendentem libertatem Diœcesis, & Archiepiscopum prætendentem subiectionem, & sic sententiæ fuerunt latę, & super eo, quod petitum fuit & exceptum, & super causa petitionis: & exceptionis quod fieri potuit *Bald. in marg. verb. sententia. colum. 7. vers. sententia fertur non solum.*

c (Capitulum) vera est distinctio alias per Dominos coram Reuerendiss. Rhodien. firmata sub die 27. Nouembris 1602. quod vt sententiæ præiudicent Capitulo, necessaria est illius citatio, & hoc est, quod considerant ipsemet *Roman. allegat. num. 21. in fine, & Felin. in d. cap. fin. de maio. & obed. num. 3. & 4.* sed vt sententia valeat sufficit citatio Episcopi, sic in terminis subiectionis, probant, *cap. exposuit de dilat. cap. fin. de dol. & cont. Bellam. vidend. omnino in d. cap. fin. in 3. not. & in c. fin. de maior. et obed. num. 9. in 3. oppos. in cap. cum tempore, de arbitr. Anchar. in dict. cap. exposuit, num. 12. iuncto 1. & 2. not. & in dict. cap. fin. num. 3. & in 4. not. Zabar. viden.* loquens, etiam in causa graui scilicet feudali, & in spolio prætenso contra Ecclesiam *in consil. 134. in 2. dub. Innoc. in dicto cap. exposuit sub num. 2. & in dict. cap. fin. de dolo & contum. Butr. in cap. dilecti, num. 18. de maior. & obed. Bald. in dicto cap. fin. sub num. 3. & ita seruare curiam Romanam, testatur Archid. in cap. fin. sub num. 3. 68. Bald. in capit. edoceri sub numer. 10. versic. & not. collect.*

Ratio autem quare non sit necessaria huiusmodi citatio Capituli est, quia magis principaliter interest Episcopi, & ad illum magis pertinet huiusmodi defensio *Bellam. in d. cap. fin. in 3. not. Butr. in capit. dilecti de maior. et obed. num. 17. Abb. in cap. cum olim. de testibus, colum. 5. versic. fateor* & pro validitate iudicij sufficit citare illum, cuius principaliter magis interest *Felin. d. cap. fin. de maior. et obed. num 3. et 4.* Sed & hoc non est omittendum, quod aliud est Episcopum facere aliquem actum, quo amittitur libertas Ecclesiæ, & Ecclesia inducitur in seruitutem, & tunc fauorem libertatis non amittendæ requiritur consensus omnium, & in istis terminis loquuntur omnia iura in contrarium allegata, & aliud est Episcopum facere actum, quo defenditur libertas Ecclesiæ, vt liberetur à seruitute, in qua reperitur constituta, vt hic, vbi iam seruitus erat cōstituta per subiectionem factam à Papa, à qua Episcopus nitebatur, se, & Ecclesiam liberare, & hoc casu fauore Ecclesiæ solus Episcopus, & quilibet alius admittitur ad vindicandam Ecclesiam à seruitute, *Io. Andr. in glossella marginal. in cap. cum olim. de testibus, et in com. num. 12. et hoc sentiebant Zabar. et idem Ioan. Andr. et Butr. num. 18. in cap. dilecti. de maior. et obed.* dum reprobando rationem Inn. dicentis Capitulum ibi admitti ad appellandum, quia iura Ecclesiæ sunt communia Episcopo, & Capitulo. Dicunt, rationem esse, quia cum ex reuocatione iuramenti melioretur Ecclesia, admittitur Capitulum, & quilibet alius de Ecclesia.

d (Coniunctim) Nec Fel. nec quispiam alius hoc dicit, bene verum est, quòd alij dicunt, quòd Episcopus non potest, alij quod non debet causas agere sine Capitulo. Vnde possumus dicere cum *Lap. alleg. 50. dicebantur in effectu. nu. 2. versic. ad tertium, et cum Bellam. in d. c. fin. de maior. et obed. num. 9. in 3. oppos. et Abb. in c. inter quatuor. eod. nu. 6. et Bald. in c. edoceri. n. 5. de rescr.* quod tutius fuisset citare etiam Capitulum, sed ex quo non fuit citatum, non tamen de nullitate dari potest, *Lap. et Bellam. ubi supra, et Felin. in d. c. edoceri in 3. declaratione sentit esse ualidum iudicium, et in cap. fin. de maior. et obed. nu. 3. et 4.* considerat solummodo præiudicium, sic *Rom. in alleg. cons. 369. nu. 21. in fin.* & ponderarunt Domini coram Reuerendiss. Rhod. vt in eius decis. 27. Nouembris 1602.

e (Innoc.) Vltra quòd ratio Innoc. reprobatur ibi per *Zabar. Io. Andr. nu. 15. et Butr. nu. 18.* vt supra dixi, addo, quod etiam si esset verum non propterea sequeretur, quod sententia lata cum Episcopo esset nulla, sequeretur quidem, quòd non afficeret Capitulum ex deductis per *Lofred. cons. 10. nu. 10. et 11. et Abb. in c. inter quatuor. nu. 6. de maior. et obed.* qui loquitur de subiectione cum aljs supra allegat.

f (*Cap. fin. de maior. et obed.*) Hic textus probat potius contrariū, dum apparet, quod dum res tractabatur per viā iudicij, non citantur alij, dū autem voluit tractari per viā cōpositionis, citantur omnes, quia transactio est actus vluntarius extra iudiciū, *sic dicit ibid. Bellam. n. 9. in 3. opposit. et in c. 1. de procur. et in c. cum tempore, de arbit. et in d. 3. opposit.* subiungit, canones de necessitate validitatis non requirere huiusmodi citationē, sic idē sēsisse videtur *Fel. in d. c. fi. sub n. 5. uers. demum non omitto.*

g (*C. dilecti,*) Hic textus non dicit iuramentum non tenere: sed dicit Episcopum non teneri ad illud in illis quibusdam articulis nouum inducentibus grauamen

men, & quod pro iuramenti validitate non requiratur Capitulum, experientia cancellariæ quotidiana docet, vbi iuramenta omnium Episcoporum sine Capitulo præstantur Sedi Apostolicæ, & tamen vnum, & idem iuramentum est hoc, & illud, quod præstatur *Metropolitano, d.c. dilecti, de maior. & obed. c. ego N. de iureiur.* Præterea quando etiam text. diceret iuramentum non tenere, aduertendum est ad æquiuocationem, siquidem non est verum, quod simpliciter diceret, iuramentum non tenere in omnibus, sed tantummodo in illis articulis, qui non probantur ab Archiepiscopo, & qui inducebant nouum Episcopi grauamen, & nouam seruitutem, in reliquis autem probatis valere, & tenere, & propterea Episcopus ab illis non fuit absolutus, sed remansit condemnatus, & obligatur, vt ibi apparet.

h (C. cum nos. arguendo de alienatione ad iudicium.) Non applicatur hoc argumentum, *Bellam. in d. c. fi. num. 9. in 3. opposit. Zabarel. d. consil. 134. in 2. dub. Isern. in c. si vasallus. col. 3. versic. item qui non possunt. Bald. in c. edoceri, supra, num. 9. vers. pondero vlterius. Pinel. in l. 1. part. 3. sub num. 49. vers. minusque obstat illud argumentum. C. de bon. matern.*

i (Contra Ciuitatem.) Sententiæ non sunt latæ contra ciuitatem, vt dixi in lit. A. & verba illa declaramus, &c. influunt in condemnationem Episcopi, vt supra dixi in lit. B. & quando etiam esset verum Ciuitatem etiam fuisse condemnatam, nihilominus valent sententiæ quo ad Episcopum. *Veral. decis. 190. par. 2. in impress.* & fuit dictum coram Reuerendiss. Rhodien. dicta die 27. Nouembris 1602. & tantum abest, quod decisio R. P. D. mei Lancellotti die 26. Nouembris 1601. dicat sententias esse nullas, quod imò dicit esse validas, sed propter indiuiduitatem rei exequutio impeditur.

l (Et Ciuitatis) Rota tunc bene dixit vtrumque, quod scilicet in præiudicium Episcopi sententiæ sunt validæ, & quòd vires preiudicij non extenduntur ad Capitulum, & ad alios non citatos: & hunc ipsum credo etiam fuisse sensum huius decisionis R. P. D. mei Decani.

m (Petitio) Cauendum est ab æquiuocatione, siquidem in facto ex commissione, & ex citatione apparet, petitionem fuisse directam contra Episcopum, doctrina igitur Baldi optime facit pro D. Archiepiscopo, & tanto magis quia remedium intentatum fuit ex *l. diffamari, de ingen. manum.* in quo potuit citari, & silentium imponi Episcopo, qui molestationes, & inquietudines præ se ferebat, de *quib. in d. l. diffamari. Alex. consil. 103. lib. 5. per tot. Gabr. de act. concl. 6. num. 4. in 3. ampl. Cap. decis. 18. sub num. 7. Blar. in d. l. diffamari. c. 3. in 7.* & sententia valet, & nocet etiam Ecclesiæ, siue ius Ecclesiæ fuerit discussum, siue remanserit indiscussum, *Abb. in c. accepimus. num. 6. de fid. instr. vers. item notabis.* Vbi inquit notandum esse, & ipsum hoc alibi non legisse.

n (Capitulum) Supra visum est pro substantia validitatis contra Episcopum non fuisse necessariam citationem istorum. Et sic sententiæ sunt validæ saltem contra Episcopum, sed non afficiunt Capitulum, & alios non citatos. *Lofred. cons. 10. nu. 10. & 11. Abb. in c. inter quatuor. num. 6. de maior. & obed. Veral. d. decis. 190. p. 2.* & in hac causa Rota dixit dicto die 27. Nouemb. 1602. coram Reuer. Rhodien. cum multis supr. allegatis.

R. P. D. PAMPHILIO.

Bononien. Dismembrationis. Lunæ 5. Iunij 1606.

ARGVMENTVM.

Spoliatus à possessione Ecclesiæ probatis duobus extremis, & colorato titulo restituendus est, quando, & quomodo hæc probata censeatur, & in dismembratione Ecclesiæ quæ requirantur solennitates.

SVMMARIVM.

Spoliatus ad possessionem, de qua spoliatus est, restitui debet probatis duobus extremis. num. 1.

Possidere dicitur Ecclesia rem, quæ eius nomine ab eius rectore possidetur. nu. 2.

Possessio probatur per instrumentum quo ad effectum restitutionis alio non existente in possessione. num. 3.

Dismembratio Ecclesiæ facta ab Archiepiscopo præsupponit possessionem Ecclesiæ ante dictam dismembrationem. numero 4.

Possessio rei conuenti probatur per sustentationem litis. numero 5.

Positionibus facta confessio probat contra confitentem. numero 5.

Titulus coloratus in beneficialibus probatur per vnionem factam à Vicario Episcopi etiam quod de eius facultate non constet. numero 6. Vbi præsertim quando concurrit obseruantia.

Solennitates omnes necessariæ præsumuntur interuenisse ex antiquitate temporis. num. 6.

Pluralitas rerum, seu bonorum in dubio non præsumitur. num. 7.

Parochiales duas retinere incompatibile est. num. 8. & seq.

Dismembratio Ecclesiæ facta sine solennitatibus tanquam nulla non impedit restitutionem in spolio. num. 11.

Dismembratio Ecclesiæ est species alienationis, & requirit omnes solennitates, quæ requiritur in alienatione bonorum Ecclesiæ. num. 12.

DECISIO CXIX.

1 R. P. D. Informante, nempe Ecclesiam Sancti Petri esse restituendam ad possessionem Ecclesiæ Sancti Andreæ, quia constat de vtroque extremo iuxta not. per *Doct. in c. cum ad sedem, vbi Abb. num. 17. de restitut. spoliat. Bald. in l. 3. num. 15. ad fin. C. si à non compet. iudic. Alex. cons. 6. nu. 5. lib. 3. Caputaq. dec. 69. lib. 2.* in manuscript.

2 Quantum enim ad primum extremum multa concurrunt, ex quibus visum fuit illud sufficienter probari, nam præter vnionem factam à Vicario Bononien. de anno 1464. quæ spacio centum annorum habuit effectum, adsunt duo testes, qui concludenter probant, quendam Vandinum qui fuit vltimus Rector Ecclesiæ Sancti Petri ante dismembrationem, vti Rectorem possedisse Ecclesiam Sancti Andreæ tanquam vnitam, quo mediante Ecclesia ipsa Sancti Petri possedisse dicitur, vt per *Innoc. & alios, in c. literis. de restit. spoliat. & ibi Abb. num. 3. & in c. cum super. nu. 21. de caus. poss. & propriet. Alex. cons. 81. num. 17. lib. 3. Natt. cons. 562. nu. 10. & seq.*

3 Præterea adest instrumentum possessionis cuiusdam tenutę captę de anno 1523. per Gerardum de Molica tanquam Rectorem ambarum dictarum Ecclesiarum, quod instrumentum probat possessionem etiam quo ad effectum restitutionis, vbi non constat, quod possessio tunc esset plena, & ab aliquo occupata, *Rota decis. 21. de restit. spoliat. in antiq. Bisignet. dec. 8. eod. tit. Fastol. dub. 41. Cassad. decis. 20. in nn. deprehen.*

4 Concurrit etiam dismembratio facta per Archiepiscopum de hac Ecclesia, quæ dismembratio presupponit possessionem Ecclesię Sancti Petri, à qua fuit dismembrata, vt fuit dictum in causa Spoletana Spolij 26. Martij 1590. coram R. P. D. meo Decano, & facit decis. Caputaq. 344. in fin. p. 3.

5 De secundo extremo non ambigitur, quia vltra sustentationem litis, quę sola sufficit pro illius probatione, iuxta *decis. Caput. 369. par. 2.* adest confessio Peniten-

nitentiariorum facta in responsione ad positiones, in qua fatentur se possidere Ecclesiam Sancti Andreę, & illius bona, *Rota decis.19. de restit.spoliat.in nou. Alex. cons.71.num.4. lib.3. Gab.de confess. conclus.4. nu.24.Cæsar. de Grass.decis.4. num.2. de restitut.spoliat.*

6 Pro titulo colorato requisito ad obtinendum redintegratione in beneficialibus affertur supradicta vnio facta à Vicario, de cuius facultate, licet non constet, tamen illa potest deseruire pro titulo colorato. *Mohed.decis.3.de offic.Vica.* Præsertim vbi adest aliqua obseruantia, *Sarnen.de Triennal. quæst.27.sub.num.5. vers. Tertius casus*, quia in casu isto adest antiquissima vltra centum annos, quo casu omnes solennitates necessarias pro illius validitate interuenisse præsumitur, *Roman.cons.275. num.3. Felin.cons.2.num.22.Afflict. decis.348. num.4. Boer. decis.345.nu.3.*

7 Obseruantia autem prædictæ vnionis deducitur ex pluribus, & primo ex collatione facta de anno 1478. in personam Peregrini de Ruffino Parochialis Ecclesiæ Sancti Petri de Castro Episcopi cum illius annexis, & licet in eo non fiat expressa mentio dictæ Ecclesiæ Sancti Andreæ, tamen illa verba, cum annexis, non possunt intelligi, nisi de Ecclesia Sancti Andreæ, quæ sola reperitur annexa Ecclesiæ Sancti Petri, & pluralitas in dubio non præsumitur. *l. omnium, vbi Bald.& Salicet. C. de testib. Dec. cons.146.sub num. 9. in fin. Aym.consil.73.num.38.*

8 Et hoc etiam clarius suadetur ex duobus inuentarijs factis per eundem Peregrinum sub 19. Iulij. 1528. de bonis vtriusque Ecclesiæ particulariter, in quorũ altero denominatur Rector Ecclesiæ Sancti Petri, in altero vero Rector Sancti Andreæ, quod ostendit istas Ecclesias esse in simul vnitas, cum alias sit incompatibile retinere duas Ecclesias Parochiales, c. de multa. & ibi communiter Doct. de præben. & probant.*text.in c. ordinarij. de offic. ordin. in 6. & in cap.cum singula, de præben. in 6. Hoied. de incompatibil. benefici. par.1. c.13. num.12.*

9 Secundo, ex mandato de immittendo concesso a Vicario de anno 1528. cuidam Gerardo de Molica, qui tanquam Rector Ecclesiarum Sancti Petri de Castro Episcopi, & Sancti Andreæ de Castigliono inuicem vnitarum immitterentur in actualem, & corporalem possessionem dictarum Ecclesiarum earundemque iurium, & ex instrumento possessionis postea captæ ab eodem Gerardo, qui tanquam Rector dictarum Ecclesiarum fuit immissus in possessionem cuiusdam Tenutæ, *vt in Summario. num.3. & 4.*

10 Itemque probatur ex mandato de prouidendo istas Ecclesias tanquam inuicem vnitas, Stephano Vandino, qui fuit illius vigore de anno 1575. prouisus, & immissus in possessionem dictarum Ecclesiarum, illarumque iurium, & pertinentiarum, & ista prouisio apparet effectuata ex eo, quod postea de anno 1593. per obitum d. Stephani, Ecclesia Sancti Andreæ fuit dismembrata ab Ecclesia Sancti Petri, *Oldrad.cons.229. nu.2. & fuit pluries decisum.*

11 Non obstat dicta dismembratio, quia illa fuit facta nullis adhibitis solennitatibus, & consequenter tanquam nulla non potest impedire restitutionem in spolio, *Bart.in l. si alienam. num. 3. & ibi Castren. num.3. ff. solut. matrim. & facit. Abb. in c. conquerente. num. 8. de restitut. spoliat. Felin. in c. dilectus. num.1. vers. Fallit secundo. de rescript. Aym.cons.18. num.8. Cæs.de Grass.decis. 1. num.4. de constitut.*

12 Nec est dubium solennitates fuisse necessarias, quia cum dismembratio sit species alienationis, *Achill. decis.1. de reb. eccles.non alien.* debebant in ea adhiberi omnia, quæ requiruntur in alienatione rerum ecclesiasticarum, *Rota decis.1. de reb.eccles. non alienan.in nou. Franc. in c.1. col.1. eodem tit. in 6. Rebuff. in compend. alienat. rer.eccles. num.68.* duo nempe solennitas, & iusta causa, nec vnum sine alio sufficit. *c.1. de reb.eccles. non alienan.in 6. clem. 1. eo. tit. Doctor. in c. sine exceptione. 14. quæst. 2. & ibi Laurent. de Rodulph. num. 17. cum alijs per Couar. variar. resolut. lib.2. cap.17. num.2.* & fuit resolutum in Marsicana dismembrationis 14. Februarij 1594. coram Illustrissimo D. Cardinale Pamphilio. Imo cum Ecclesia Sancti Petri tunc esset vacans, debebat ei constitui defensor, *de reb.eccles. non alienan.in 6.* & fuit dictum in dicta Marsicana.

ILLVSTISSIMO ET REVERENDISSIMO D. CARD. LANCELLOTTO.

Asten. Pascui Veneris 24. Nouembris 1606.

De testibus examinatis sine citatione, vel cum citatione pro singulis diebus, & horis.

SVMMARIVM.

Testes, qui examinati fuerunt sine citatione, vel extra diem citationis, nulliter examinati dicuntur, & non probant. num. 1.

Citatio pro singulis diebus, & horis vti nimis vaga, & speciem seruitutis inducens, est nulla. num. 2.

DECISIO CXX.

1 CVm intimatio ad comparendum in loco die 13. Iulij, & successiue singulis diebus ad videndum deferri iuramentum testibus non fuerit exequuta, nisi die 23. Iulij Domini dixerunt septem testes examinatos ante dictam diem 23. Iulij fuisse nulliter examinatos ex defectu citationis *l. si quando. C. de testib. cum vulg.* Prout ex eodem defectu citationis dixerunt nullum examen aliorum 30. testium, qui iurarunt die 30. Augusti, nec non aliorum septem, qui iurarunt die 27. Septembris.

2 Nec respectu istorum potest suffragari prædicta citatio exequuta die 23. Iulij, pro singulis diebus, nam talis citatio, vel vti nimis vaga, & speciem seruitutis inducens, est nulla, *Put. decis. 258. lib. 1. & 152. lib. 2. & 21. de iudic. Crescent. decis. 10. de dolo, & contum. Mohed. decis. 4. num.3. de testib.* vel saltem non sustinetur pro istis testibus, inter quos, & citationem intercessit mensis, & vltra.

3 An autem sustineatur pro testibus examinatis die 27. Iulij, videbitur quando agetur de huiusmodi examine, de quo Domini reseruarunt particulariter videre.

REVERENDISS. P. D. COCCINO DECANO.

Montis Regalis Iurisdictionis. Lunæ 27. Nouembris 1606.

ARGVMENTVM.

Episcopi habent priuatiuè ad superiores Regulares iurisdictionem in Monachos suæ Ecclesiæ Cathedralis præterquam in ijs, quæ concernunt regularia instituta, & hinc bene declaratur quando iurisdictio censeatur data cumulatiue aut priuatiue.

SVMMARIVM.

Episcopi habent priuatiuè ad superiores Regulares iurisdictionum in Monachos suæ Ecclesiæ Cathedralis præterquam in ijs, quæ concernunt regularia instituta, num. 1. & seq. per totam.

Episcopi de iure communi habent priuatiuè iurisdictionem in Canonicos suæ Ecclesiæ Cathedralis etiam quod non sit re-

sit regularis quando proceditur in forma iudicij, nu.2.
Iurisdictio censetur data priuatiuè, et non cumulatiuè, quando constat de mente concedentis, nu.3. et 4.
Iurisdictio regulariter censetur data cumulatiuè, & non priuatiuè, Declara, vt nu.4.

DECISIO CXXI.

1 DVbitaui, an Domini Archiepiscopi Montis Regalis pro tempore habeant priuatiuè, vel cumulatiuè ad superiores Regulares iurisdictionem in Monachos illius Ecclesiæ Cathedralis; & Domini censuerunt, priuatiuè, exceptis tantum ijs, quæ concernunt regularia instituta; quia in huiusmodi Cathedralibus, regularibus Episcopi sunt loco Abbatum Monachorum, vt generalem constituendo regulam dicunt *Io. And. Host. & alij, in cap. causam, quæ. il primo, de iudicijs*, & in specie de hac Ecclesia dicit *Abb. ibidem num. 8. & seq.* Et propterea cum ibi Archiepiscopi sint loco Abbatum, frustra quæritur, an iurisdictio eis competat priuatiuè, vel cumulatiuè, quia censentur subrogati quo ad omnia non excepta, vt bene per *Abb. in d. c. causam, quæ num. 10. Hinc gloss. fin. et Doct. in cap. nullus, de elect. in 6.* dixerunt ad Episcopum Cathedralis ragularis spectare omnimodam iurisdictionem in illius Monachos, & idem firmauit Rot. in hac causa 8. Martij 1604. coram me.

2 Et quando proceditur in forma iudicij, quod Episcopi habeant de iure communi iurisdictionem priuatiue, etiam quod Ecclesia Cathedralis non sit regularis, firmauit Rota per tres decisiones in causa Cesaraugust. exemptionis. 13. Nouembris 1578. & 28. Martij. 1588. & 12. Februarij 1590. coram bon. mem. Orano, & in hac causa *in d. decis. 8. Martij per text. in c. cum personæ, de priuil. in 6. Guid. Pap. dec. 559. colum. 4. vers. vbi vero* ageretur de crimine contra Monachum, cum alijs pluribus ibidem allegatis.

3 Hinc etiam, vltra dispositionem Iuris communis, in Bulla Pauli III. Monachi eximuntur à iurisdictione Dominorum Archiepiscoporum quo ad regularia instituta tantum, quæ exceptio firmat regulam in casibus non exceptuatis; & conclusiones sunt claræ, quòd quando constat de mente concedentis, iurisdictio censetur data priuatiuè, non cumulatiuè, vt per *Felin. in cap. pastoralis, colum. 3. in 1. limitatione. de offic. iudic. ordin. Rom. cons. 393. vbi Add. in lit. a, et communem dicit Ferret. in cons. 142. nu. 15. in princ. lib. 1.*

4 Preterea, licet in dubio regulariter iurisdictio censeatur data cumulatiuè, non priuatiuè, vt latè per *Rom. d. cons. 393. num. 1. et seq. et ibi Add. Felin. in d. c. pastoralis, num. 1. et seqq.* & tenuit Rota ex sententia Illustrissimorum Interpretum Concilij in causa Piscien. Iurisdictionis, 15. Iunij 1590. coram Illustrissimo Platto, tamen hæc conclusio intelligitur respectu illius, qui iam habet iurisdictionem, tunc enim si alteri concedatur, censetur concessa cumulatiuè, nisi appareat de contraria mente concedentis; & ideo in proposito non applicatur: quia Domini Archiepiscopi sunt suffecti loco Abbatis Monachorum, qui habebat iurisdictionem, & propterea iurisdictio, potuit dari priuatiuè tantum, quia non aderat, cum quo daretur cumulatiuè. Vnde conclusum iurisdictionem spectare ad Dominos Archiepiscopos pro tempore priuatiuè, non cumulatiuè.

REVERENDISSIMO P. D.

ATTREBATEN.

Papien. Pensionis. Lunæ 11. Decembris 1606.

ARGVMENTVM.

De translatione pensionis plura notanda, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Temporum coniunctio, & accessio in qua possessione pensionis exactæ à Transferente, & Translatario non fit quando non apparet de hac quasi possessione Transferentis, nu.1. Declara, vt nu.5. & nu.7.
Pensionis quasi possessio dicitur interrupta per sententiam latam super illius nullitate, nu.2. Declara vt nu.8.
Pensionis Translatio facit, vt antiqua extinguatur, et alia reseruetur, nu.3. Declara, vt nu.9.
Possessio Transferentia pensionem quando in Translatarium transferatur, nu.3.
Conditio probari debet, vt dispositio conditionalis locum habeat, num.4.
Solennitates necessariæ præsumuntur interuenisse ex cursu 30. annorum, nu.5.
Titulus præsumitur ex possessione 30. annorum, nu.6.
Antiquitas temporis facit præsumere omnia solenniter acta, num.6.
Pensionis exactio præsumitur facta de medio tempore quando constat illam fuisse exactam antea, et post nu.7.
Quasi possessio pensionis exigendæ probatur per quietantiam exigentis, nu.7.
Extraiudicialis fides si est verisimilis de facto proprio, et adminiculata, fidem facit, num.7.
Pensionis translatio facta intelligitur cum suis qualitatibus, et ideo Translatarius vtitur eodem iure, et priuilegio, quo vtebatur Transferens, nu.8.
Pensionis exigendæ quasi possessio nunquid transeat in Translatarium, num.11.

DECISIO CXXII.

1 CVm ista causa commissa esset cum clausula, sine retardatione, arbitrio Rotæ primo loco fuit datũ dubium, An intret arbitrium, quo proposito die 12. Iunij proxime præteriti visum fuit Dominis illud restringere, & videre an coniungẽda sint tempora Leonidæ Meltij, cui reseruata fuit pensio, de qua agitur 4. Kalend. Iulij 1566. & Hieronymi Meltij, in quem fuit facta translatio 14. Iunij 1590. vigore priuilegiorum à fel. rec. Sixto V. Militibus Lauretanis concessorum, & Francisci Meltij, in quem pariter eorundem priuilegiorum fauore fuit translata pensio prædicta anno proximè præterito, ad effectum quod literæ reseruationis censeretur iustificatæ, & consequenter, an sit locus arbitrio pro retardatione solutionis pensionis. Et proposito dubio multa fuerunt opposita propter quæ tempora non essent coniungenda.

Primò, quia non appareret de qua si possessione Leonidæ, & quatenus appareret non constaret de eius continuatione, & sic tolli accessionem, & coniunctionem temporum, *l. Pomponius, §. quæsitum, et ibi notat. ff. de acq. poss.*

2 Secundo, quia prætensa quasi possessio esset interrupta per sententiam latam anno 1584. super nullitate pensionis, *l. sicut l. cum notissimi. §. Imo, et illud, Cod. de præscript. 30. vel 40. annorum.*

3 Tertio, quia prima pensio, & translata non sint eædem, sed diuersæ, quia per translationem antiqua pẽsio extinguitur, & alia reseruatur, *Gigas de pens. q. 74. n. 1. et q. 88. nu. 8. Ferret. cons. 53. num. 10. ac ideo Cassad. dec. 10. num. 8. de rescript. et Vestrius in prax. cap. fin. num. 2. lib. 3.* dicunt, non esse dandam clausulam, sine retardatione, contra titularem ad fauorem Translatarij in vim literarum translationis, que secum afferunt exceptionem primæ pensionis extinctæ: fuit dictum in Brixien.

xien. pensionis 23. Maij 1594. coram Illustrissimo Cardinali Mellino, & in Nerittonen. Pensionis 5. Nou. 1601. coram bon. mem. Litta, possessionem transferentis non continuari in Translatarium, & annuam pensionem translatam esse diuersam prima. Facit quod Translatarius non habet causam, & ius à Transferente, sed à Papa, *Abb. in c. 1. in princ. de solut. Rota dec. 1. in fin. de locat. in nou. Sarnen. in reg. de trien. q. 11. num. 14. & 15. Gabr. cons. 186. num. 7. lib. 1.* ideoque non potest vti accessione Transferentis, cum ab illo causam non habeat *d. l. Pomponius, §. si liber. homo. gl. in l. si quis ædes, §. libertas, verb. integro. ff. de seruit. vrbanorum prædiorum, & ibi Castrens. nu. 1.*

4 Quarto fuit oppositum non fuisse iustificata priuilegia militum Lauretanorum, videlicet quatenus reseruatio fiat de clerico in clericum, & pensio non excederet 200. ducatos, quæ inducunt conditionem, quæ probari debet *Butr. Imol. & Abb. in cap. ex parte. de rescript. & ibi Felin. num. 15.* Vnde possessio fuit iniusta & cum mala fide, quæ accessionem impedit, *d. l. Pomponius, §. fin. & ibi Alex.*

5 Quibus non obstantibus resolutum fuit, tempora esse coniungenda, quia ad præsumendam iustificationem reseruationis sufficit cursus 30. annorum, ex quo cum obseruantia præsumuntur omnia necessaria interuenisse, *Mohed. decis. 9. num. 2. de caus. possess. & propriet. Gigas de pens. quæst. 47. nu. 3. post med. Caputaq. dec. 220. par. 3.* & fuit resolutum in Lucana Decanatus coram Clemente viij. 21. Maij 1578. quo est diuers. 534. par. 1. & in Romana domus 11. Maij 1592. coram Illustris. Mellino, & in his terminis *in d. Brixien.* coram eodem Card. Millino, & in d. Nerittonen. coram bon. mem. Litta, & in Lauden. pensionis 29. Martij 1599. coram R. P. D. Pegna.

6 Si enim ex possessione tanti temporis præsumitur, titulus, *Felyn. in c. licet. num. 10. de simonia.* tanto magis præsumitur verificatio ipsius tituli, quia ex antiquitate omnia præsumuntur solenniter acta. *Aym. de antiquitate temp. part. 3. §. vidimus in genere.* Et in hoc non fit discrimen, an sit vnus, vel plures possessores, sicut status beneficij probatur possessione 40. annorum, siue vnus, siue plures possederint, *glos. in cap. cum de beneficio. vbi Franc. nu. 3. de Præbend. lib. 6.* similiter alienatio rerum Ecclesiæ ex spacio 30. annorum cum obseruantia præsumitur solennis, & releuat ab onere iustificandi, nec attenditur an bona alienata fuerint possessa per vnam personam, vel peruenerint ad plures personas sucuessiue.

7 Non obstat, quod non constet de possessione Leonidæ eiusque continuatione, nam stante reseruatione pensionis de anno 1566. eiusq; actione de præsenti præsumitur eā semper medio tempore fuisse exactam. *Alciat. de præsumpt. regula 2. præsumpt. 21. num. 11.* fuit dictum in Bonon. pensionis coram Illustriss. Millino. Hic autem non solum constat de reseruatione Leonidæ, verum etiam de quasi possessione ex instrum. quietātiæ de anno 1567. in quo Notarius fatetur procuratorem Leonidæ habuisse à Lelio præsente vnum terminum pensionis, & in pecunia numerata solutos fuisse 15. ducatos: & hæc probatio adiuuatur per fidem Lælij, cum iuramento parte citata, quod ipse soluerit Leonidæ pensionem ab anno 1566. vsque ad annum 1590. & sic per 24. annos, & quod translata pensione per Leonidā illam soluit Hieronymo Translatario, quæ fides licet sit extraiudicialis, tamen cum sit verisimilis, & de facto proprio, multisque adminiculis suffulta facit fidem, *vt notatur in cap. cum in Ecclesijs, & ibi Butr. num. 15. Hostiens. nu. 4. Imol. num. 9. de maior. & obed. Felyn. in c. de testibus. n. 7. de testib.* De quasi possessione verò eiusdem Hieronymi primi Translatarij exigendi ab Antonio Suardo successore Lælij in præpositura constat per instrumentum Anni 1591. 22. Augusti, & à Cornelio Moderno Præposito, ex alio instrumento de anno 1595. & reuelationibus receptis in vim literarum monitorialium metu excommunicationis.

8 Non obstat quod dicitur quasi possessio interrupta per sententiam, quia illa sententia non iustificatur, & post eam per plures annos idem Titularis continuauit soluere, & in specie anno 1591.

9 Non obstat, quod translatio fit per modum extinctionis, quia ista extinctio est momentanea, & non fit ad finem amittendæ pensionis, sed acquirendæ alteri, & ideo non est in consideratione; sed ipsa translatio, & creatio propter quam principaliter fit extinctio, & secundum eam regulari debet prout notabiliter consuluit *Socin. cons. 53. num. 27. libr. 4. Put. decis. 519. num. 3. part. 2.* Contraria autem locum haberent, si Ecclesia semel à pensione, & grauamine esset liberata, quia tunc si altera similis iterum alteri assignaretur esset nouum grauamen, & requirerentur, omnia, quæ in prima reseruatione requiruntur, *Crescent. dec. 1. de reb. Eccles. non alien. quem sequitur Ant. August. in repertorio tit. de translatione pensionis.* In translatione autem non est noua pensio in substantia, nec dicitur nouum grauamen beneficij, vel personæ debentis soluere sed potius mutatio personæ & delegatio solutionis faciēdæ alteri, *Paris. cons. 5. nu. 86. lib. 4.* & fuit decisum in Segobien. pensionis 20. Maij 1598. coram Reuerendissimo Pacen. & in dicta Bononien. coram Illustriss. Cardinali Mellino, & in Terulen. pensionis 15. Decembris 1600. coram R. P. D. Sacrato, & fuit copiose deductum in Carpen toraten. Pensionis 29. Maij 1602. coram R. P. D. Lancellotto.

10 Accedit quod translatio intelligitur facta cum suis qualitatibus, *l. translatio leg. Caio, ff. de adim. legat.* ideo Translatarius debet vti eodem iure, & priuilegio, nec in plus grauari, quam esset grauatus transferens, cum ille succedat in ius alterius, & fit omnium rerum sui prædecessoris ignarus, iuxta regulam qui in alterius, *de reg. iur. in sexto. Simonet. dec. 85.* & fuit dictum in d. Bononien. 17. Maij 1593. coram Illustris. Cardinali Mellino, & in d. Neritonen. coram bon. mem. Litta.

11 Non obstat quod possessio tranferentis non transeat in Translatarium, cum sit quid facti, *l. cum hæredes ff. de acq. possess.* quia non agitur de obtinenda manutentione, vt in dicta Brixien. & Nerritonen. sed pro obtinenda executione literarum Apostolicarum, quæ concurrente longissima possessione transferentis præsumuntur iustificatæ quo ad omnia narrata in illis: & propterea quoq; non habet locum simile de triennali possessione; quia in regula de triennali tantum spectatur ipsa possessio: quia non potest continuari: nisi respectu vnius personæ, dum enim vacat beneficium datur interruptio, & medio tempus inter prædecessorem, & successorem, quo neuter eorum possedit, & ideo requiritur proprium factum ipsius successoris: In translatione autem penfionis non fit subrogatio in possessionem: sed in ius prædecessoris, & quamuis in beneficialibus successor in beneficio non censeatur succedere in iure competenti defuncto; sed illud extinguitur, & creatur nouum ius, quod incipit in persona successoris, hoc locum habet in simplici cessione: secus autem in subrogatione in ius, præsertim quando Papa hoc concedit, qui etiam respectu iuris in beneficialibus successorem dare potest, cum in illis habeat plenissimam potestatem, *iuxta c. 2. de præben. in 6. & in simili tradit Sarnen. de Triennali. c. 11. vers. secundus casus est.* Quod dicitur conditiones contentas in facultate transferendi non fuisse verificatas, non videbatur pertinere ad hoc dubium, &c.

R. P. D. IVSTO.

Romana Hæreditatis de Alberis Lunæ 11. Decemb. 1606.

AR-

ARGVMENTVM.

Testamentum coram Iudice conditum sustinetur absque testibus, non tamen sufficit, vt testamentum extra acta sine testibus, & postea in actis coram iudice producatur.

SVMMARIVM.

Testamentum factum coram Iudice sustinetur, & valet etiam sine testium numero. Declara vt. num. 1.

Productio testamenti facta à testatore in iudicio, & coram iudice an habeatur, ac si Testator de nouo coram iudice testamentum condidisset. n. 2. & 3.

Scriptura dicitur esse de actis, & in actis quando parte citata ad dicendum contra iura producta, & repetita, fuerunt à iudice admissa. num. 3.

Acta, quæ perempta instantia perierunt, renouantur per eorum repetitionem, & productionem. Declara, vt n. 4. & 5.

Confirmans quando dicatur de nouo facere. num. 5.

Donatio per insinuationem perficitur, licet ex insinuatione non inducatur noua donatio. nu. 6.

Testamentum secundum insinuatum apud acta, habet vim tollendi clausulam derogatoriam. num. 7.

DECISIO CXXIII.

1 DVbitaui extra Rotam, An Testamentum per D. Iulium Alberum conditum anno 1598. sit reuocatum in casu, & ad effectum, de quo agitur. Et cum primo loco proposuerim die 2. Iunij, & iterum 24. Nouembris huius anni, 1606. non fuit per Dominos capta resolutio; Sed mandatum, vt strictè informaretur super vi, ac virtute productionis, siue repetitionis coram Iudice illius actus, super quo Domini Alberi faciunt fundamentum, quod ex eo, primum testamentum fuerit reuocatum; Dicebant enim, quod licet deficiat testium numerus in testamẽto requisitus, suppletur presentia Iudicis, iuxta dispositionem *text. in l. omnium. C. de testam.* Ex aduerso respondebatur actum illum (circumscripta pro nunc voluntate Domini Iulij) non fuisse factum coram Iudice, sed solummodo coram Iudice productum, siue repetitum, in quibus terminis non quadrat dispositio *d. l. omnium.* Et super his informatis Dominis die 11. Decembris eiusdem anni, senserunt productionem, vel repetitionem, non producere nouum actum; Moti sunt hac ratione, quia dispositio, & forma tradita in *d. l. omnium.* est, vt testamentum fiat apud acta coram Iudice, alias si extra acta voluntas reducatur in dispositionem, non sufficit, quod postea per productionem, aut repetitionem fiat de actis Iudicis, & Iudicij, vt ibi per *Bart. num. 4. Bald. nu. 3. Castr. num. 3. Salyc. nu. 7. versi. Ego credo Alex. n. 4. qui attestatur de magis communi.*

2 Non obstat, quod immo si testator petat testamentum iam factum publicari, de nouo dicitur testari in actis, & procedit dispositio *d. l. omnium. Fulg. & Cor. in l. publicati. C. de testam.* cum alijs allegatis per Informantes. Et hoc videtur factum in hoc casu, vbi ille actus fuit repetitus coram Iudice, quæ repetitio debet effectum habere, vt dicatur reiterata dispositio prius facta perinde, ac si de nouo facta fuisse, & D. Iulius dixisset in actis se disponere de bonis suis, ad fauorem hæredis futuri ab intestato, siue ex testamento, *Oldr. cons. 132. num. 4. Aret. cons. 128. num. 4. Aym. cons. 135. num. 17. Ias. cons. 207. numero 5. lib. 2. Men. consil. 124. num. 61. ibi,* Nam repetitio operatur, ac si nominatim, & specifice, fuisset ita dispositum, vt dicunt allegati Doctores.

3 Respondebant enim Domini, quod materia *l. publicati.* non potest adaptari ad casum nostrum; Verum est enim de iure, quod Testamentum, & quilibet actus publicus, indiget publica persona, à qua possit publicari, sicut est Tabellio, vel Iudex, modo quando fit coram Tabellione pro ambigitur, quod requiruntur septem testes; quando verò fit coram Iudice procedit *l. omnium,* & primus actus, vel dispositio publicata à Notario dicitur publica, & authentica, Secunda verò dicitur iudicialis, vt per *Doct. in l. comparationes. C. de fide Instr. vbi Salyc nu. 12. & 13.* ita vt si de aliquo actu rogatus est Notarius, & publicauit, non agitur amplius de publicando actu, coram iudice, vt declarat *Ias. in d. l. publicati. in principio,* Sed si pars ad effectum iudicij, vel alium ponit in manibus Notarij Actuarij iudicis, & postea citat partem ad dicendum contra iura producta, & repetita, & admitti, & iudex admittit, tunc scriptura dicitur esse in actis, & de actis, & non prius, vt dixit Rota coram Illustrissimo D. Card. Pamphilio in Rom. Census 4. Decembris 1595. remanet autem scriptura publica, & authentica, vt prius erat, non autem fit iudicialis, alias omnia instrumenta producta, vel repetita coram iudice transirent in instrumenta iudicialia, quod nullibi reperitur dictum, vel scriptum; Et ideo iudex interponit simpliciter decretum suum, & admittit, si & in quantum, vt in hoc casu factum est, & additum, restitui dimissa copia collationata, quæ non fuisset restituta, si transisset in scripturam Iudicialem, & restitutio ostendit, quod remansit illius Notarij, à quo fuit publicata, & ab eo danda est partibus petentibus, in publicam, & authenticam formam, non à Notario actuario, à quo solum datur instrumentum productionis, vt in hoc casu datum est.

4 Non obstat doctr. *Fely. in c. venerabilis. num. 12. de iud.* cum alijs per Informantes adductis, nam est verum, quod perempta instantia omnia acta quæ perierunt, renouantur per repetitionem, illa autem acta repetita non propterea recipiunt nouam solennitatem deficientem, sed remanent in eodem statu validitatis, quinimo idem *Felyn. in c. cum venerabilis. num. 26. vers. intellige dupliciter. de except. post Abb. ibi. num. 3. & Bald. in l. alia. num. 3. C. de his quibus vt indign.* declarat terminum productionis, vt non dicatur operare effectum solitum confessionis, quando instrumentum productum, caret solennitate debita, tunc enim non sufficit veritas ex confessione resultans, *l. si veritas, C. de fideicom.* & exemplificat in testamento producto, quod postea appareat non solenne, & hoc videtur esse in terminis nostris.

5 Non obstat, quod propter repetitionem oriatur confirmatio actus in vltimis voluntatibus, *l. legata in inutiliter. in principio. ff. de leg. 1.* Qui autem confirmat, de nouo facit, præsertim quando dependet à mera voluntate confirmantis, quoniam id potest procedere respectu voluntatis, & non solennitatis, vt dictum est, ex *Bald. Abb. & Felyn.* Præterea procedit in repetitione eiusdem voluntatis, in actu valido ordinato ex se ad illum effectum, vt si inutiliter est factum legatum, quod postea repetitum est in codicillis, nam legatum remanet validum in codicillis, non in actus prius facto, secus est in casu nostro, vbi agitur, quod voluntas remaneat valida in actu prius facto, & restituto, qui caret solennitatibus, & est diuersum repetere, quod factum est in aliquo instrumento inualido per aliud instrumentum validum; quod est de nouo facere actum, adhibitis solennitatibus, ab eo quod est repetere in actis Iudicis, vt fiat de actis, quod non supplet solennitates deficientes in actu, vt dictum est, sed vim illam recipit, quam potest dare productio, scilicet, vt approbata dicantur, & confessata contenta in scripturis productis, & ita procedit *cons. Rom. 104.* Et est idem in effectu cum dicto *Inn. in c. cum in iure. nu. 6. de offic. deleg.* quod iura prod. sunt de actis, sed non eorum tenor, & fuit sæpe dictum in Rota. Et ista differẽtia colligenda est ex modo procedendi. *l. sed & si su-*

sceperit. §.1. ff. de iud. l. non codic. C. de test. l. si fundum sub conditione. §.1. vbi Ias. in 1. not. ff. de leg. 1. Bart. in l. societatem. §. arbitr. num. 12. ff. pro socio. Curt. cons. 7. col. 2. circa med. Si quis.n. vult testamentum inutiliter factum repetere, vt de nouo vtiliter faciat, tunc vel id faciendum est in alio actu valido. *vt in dicta l. legati inutiliter*, vel etiam coram iudice profitendo se facere actum iudicialem, & petendo actum iam factum confirmari, quia tunc est actus nouus, perinde ac si omnia rite, & solenniter peregisset, *Sichard. in d. l. publicati. num. 9. C. de test.* Hic autem apparet, quod fuerunt seruata tam à parte, quam à iudice, ea quæ sunt necessaria ad productionem tantum, vtendo instrumento prout confectum fuit extranea vero à contractu, vel instrumento iudiciali, fuit enim pars citata, & hoc demonstrat. quod agitur cum parte, & non cum iudice solum, præsertim cum citatio contineat clausulam, ad videndum mandari afficere, quod non requiritur in faciente Scripturam, & instrumentum Iudiciale, & tanto magis in testamento, quod in totum dependet à voluntate testatoris, absque aliqua iudicis interlocutione, *Ang. in d. l. omnium. num. 3. vers. Ego* addo aliud, vbi dicit, quod in actu qui expeditur coram iudice, nihil agitur cum parte, nec est necesse, quod iudex interloquatur, nec est necessaria præsentia partis, Ista autem fieri solent ab eo qui vult producere, vel repetere iura, quæ iudex admittit, & mandat afficere, & hi non sunt termini *l. hominum*, sed multum diuersi.

6 Nec est verum, quod quando insinuatur donatio in actis iudicis, sit noua donatio, neque id dicit *Canar. allegatus de Insin. part. prima, quæst. prima. sub num. 2.* Sed dicit, quod insinuare, est donationem facere, quia tunc perficitur, cum fit necessaria insinuatio, & postquam est insinuata suppletur omnis solennitas probatoria, vt per eundem *Canar. q. 18. num. 34.* & non fit ad substantiam validandam. *Canar. ibi. n. 21.* hic autem non negatur actum illum factum fuisse, prout factum fuit.

7 Neque propterea concluditur, quod scriptura, & instrumentum in actis productum, vel insinuatum à Testatore non habeat maiorem vim, & efficaciam, atque expressionem voluntatis testatoris, & propterea potest esse vera doctrina *Corn. in l. sancimus. num. 15. in fin. C. de test.* quod secundum testamentum insinuatum apud acta habeat vim tollendi clausulam derogatoriam, quæ erat in primo, quia hoc est supplere voluntatem, non solennitatem, quæ præsupponitur in secundo testamento, & idem videtur tenere ibi *Bal. nu. 10.* quod tamen non fuit firmatum, & est quæst. dubitabilis, vt ibi *per Alex. num. 5.* Ex quibus visum fuit Dominis scripturam informem quo ad solennitates non posse recipere robur, per productionem, vel repetitionem, in actis iudicis. Et ita decisum.

R. P. D. LVGDVNEN.

Ferrarien. Attentatorum. Lunæ 15. Ianuarij 1607.

ARGVMENTVM.

Ex Summarijs sume argumentum.

SVMMARIVM.

Attentata lite pendente reuocanda sunt. num. 1.
Concessio emphyteusis facta alicui tanquam de bonis deuolutis, si deuoluta non sunt, nihil valet. n. 2. in fine.
Inhibitio Rotalis an sit iusta, vel iniusta an, & quos comprehendat, non spectat ad iudicem inhibitum, sed ad Rotam. num. 5.

DECISIO CXXIV.

1 Fvit conclusum sententiam Rotalem esse confirmandam, vtpotè, quæ ex præcedentibus decisionibus optimè iustificetur. Cum enim lis fuerit introducta super validitate, vel inualiditate inuestituræ factæ de anno 1557. D. Lauræ de Contrarijs, eiusque successoribus concessiones, quas lite pendente, & post Rotæ inhibitionem fecit Reuerendissimus Episcopus Ferrarien. de bonis in dicta inuestitura comprehensis emanarunt spreto iure successorum Lauræ, & contra ipsorum inuestituram, ideoque fuerunt lites introductæ preiudiciales, & attentate, ex *Castr. Fel.* & alijs allegatis in prædictis decisionibus.

2 Siquidem de iure Dominorum de Pepulis successorum Lauræ nulla mentio in dictis concessionibus, quinimo illas Episcopus facit expresse de gratia speciali, & capisoldum totum ad se trahit, cuius medietas ex prædicta inuestitura spectabat ad Pepulos. Nec suffragatur clausula apposita in dictis concessionibus per Episcopum, saluis semper, & illæsis iuribus hæredum de Contrarijs. Nam vltra quod illi clausulæ contraria est prædicta totius capisoldi exactio, cum illius medietas etiam ex antiqua inuestitura pertineret ad Contrarios, adhuc Laura, eiusue successores non veniunt vti comprehensi in inuestitura Contrariorum, neque id prætendere possunt, sed veniunt ex noua inuestitura, & sub diuersis conditionibus sibi facta de illis bonis tamquam deuolutis ad mensam Episcopalem per obitum Marchionis Contrarij vltimi masculi. Vnde nihil mirum, si liberaliter illa commemoratio iurium hæredum de Contrarijs sæpius fuit repetita, quia certum erat, neminem ex illa inuestitura amplius venire posse. Et dicebat vnus ex dominis, istam reseruationem potius fuisse preiudicialem Lauræ successionibus: quia si aliquo modo durat Contrariorum inuestitura, inanis, & nulla est concessio facta Lauræ tamquam de bonis deuolutis, quæ tamen non erant deuoluta, *Castr. consil. 72. nu. 1. lib. 2. Dec. consil. 606. num. 15. Decian. consil. 73. num. 36. lib. 2.*

3 Et quod subinfeudationes ab Episcopo factæ ad antiquam Contrariorum inuestituram, non autem ad illam Lauræ recentiorem, habuerint relationem, manifestum est, ex quo factæ fuerunt iuxta Bullam Bonifacij Octaui, cum tamen ex conuentionibus cum Laura initis debuissent fieri conformes Bullæ Nicolai V. Et melius ex quo fit mentio specifica de inuestitura facta Nicolao, & Ambrosio de Contrarijs, & ad illam habetur relatio, demumque animus Episcopi elicitur ex præcepto, seu Monitorio facto subfeudatarijs, ad videndum declarari bona esse deuoluta Episcopatui Ferrariæ, & nihilominus ex lege inuestituræ non Episcopatui, sed Lauræ successoribus bona deuoluebantur.

4 Non obstat, quod etiam secundum inuestituram Lauræ potuerit Episcopus facere subfeudatarijs istas concessiones. Nam id procederet, si Episcopus habuisset relationem ad inuestituram Lauræ, non autem ad aliam, si fecisset inuestituras non sua sponte, & extraneis, sed liuellarijs bona recognoscentibus à Pepulis, si ijsdem Pepulis capisoldi medietatem reliquisset, si adhibuisset causæ cognitionem, an subinfeudatio esset facienda, vel potius, an Pepuli possent retinere, vel præferri, prout verisimiliter potuissent in casibus inuestiturarum, quæ datæ fuerunt in Pepulorum Summario, quibus casibus nullum capisoldum Episcopo debebatur. Atque hinc in inuestitura legitur expressum, quod Lauræ successores teneantur curare cum effectu, quod quicunque conducentes, & recognoscentes bona ab ipsis recipiant inuestituram iure feudi ab Episcopatu Ferrariæ, quid subinfeudationis conditiones erant prius tractandæ cum

dæ cum Lauræ successoribus, qui deinde subinfeudatarios mittere debebant ad Episcopum pro inuestitura capienda, non autem à conuerso debebat Episcopus facere inuestituras per se solus inscijs, & ignorantibus Lauræ successoribus, nullaque habita ratione, vel capisoldi, vel prælationis, vel aliorum iurium dictis successoribus competentium.

5 Atque vbi prædicta dubium aliquod admitterent. Tamen D. Episcopus potiùs abstinere debuerat ab istis concessionibus: quia Rotalis inhibitionis discussio, etiam quo ad comprehensiuam ad ipsum non spectabat, vt fuit in hac causa iam dictum, & sepe in alijs.

REVERENDISS. P. D. IVSTO.

Florentina fideicommssi de Dethis. Merc. 7. Februarij. 1607.

ARGVMENTVM.

Fideicommissum perpetuum quando à testatore inductum dicatur ex eo, quod ad eius successionem vocauit descendentes, & bona sua alienare prohibuit.

SVMMARIVM.

Descendentes vbi simpliciter à Testatore sunt vocati, censentur vocati per fideicommissum respectu primorum, sed inter se ipsos censentur vocati per vulgarem, non autem per fideicommissum reciprocum. Ita vt vno descendentiũ admisso, fideicommissum expirat. n.1. Declara, nisi in contrarium sint coniecturæ. nu.2. Item declara, vt num.10.

Fideicommissum perpetuum censetur inductum à testatore quando vsus est verbis importantibus tempus successiuum, secus quando vsus est verbis importantibus actum momentaneum. n.2. vbi etiã declaratur quæ sint verba importantia actum successiuum vel momentaneum, & nu.4.

Descendentium appellatione veniunt omnes ordine successiuo, & per fideicommissariam successionem censentur vocati. num.3.

Fideicommissum perpetuum an inductum dicatur, quando vocatio fuit per compendiosam verbis communibus concepta. num.4.

Fideicommissum perpetuum censetur inductum à Testatore per prohibitionem alienationis realem, & non personalem. nu.4. & nu.5. vbi de materia.

Fideicommissum perpetuum censetur inductum à Testatore, quando voluit bona sua alienari prohibita fore subiecta fideicommisso, ne dum in casu alienationis, sed etiam mortis cuiuscunque prædictorum. nu.5.6.& 9.

Quilibet dictio est distributiua singulorum supra positorum. numero 5.

Clausula vt supra est repetitiua præcedentium. num.5.

Fideicommissum perpetuum censetur inductum, quando vocatio est facta cum qualitate masculinitatis, et cum exclusione feminarum. nu.7.

Verba subsequentia an, & quando censeantur posita cum qualitate apposita in præcedentibus verbis. num.8.

Fideicommissum vnius rei singularis facilius à Testatore inductum censetur, quam vniuersalis hæreditatis. num.11.

DECISIO CXXV.

1 IN hac causa bis proposita, scilicet 11. Decembris anni præteriti, & 24. Ianuarij huius anni 1607. Non potuit habere resolutionem à Dominis, quia fuerunt diuersa vota; Tandem hac di e Mercurij 7. Februarij eiusdem anni resoluerunt Domini sententiam Nuncij Florentiæ commorantis esse confirmandam; Contra quam opponebatur quod cum Guido Testator, filius Thomę habens Ludouicũ filium, & Hormanoziũ fratrem Iureconsultum clarissimũ disposuerit mediante amplissima prohibitione alienationis prædij siti in populo S. Stephani in pane Comitatus Florentię, in loco, qui dicitur, à Pini, quod permanere deberet perpetuo in filios suos, & descendentes masculos; Et dificiente linea masculina legitima, & naturali testatoris voluerit bona præfata transire, & peruenire in descendentes masculos legitimos, & naturales d. Thomæ patris ipsius Testatoris à quo descendit ex persona d. Hormanozij Illustr. & Reuer. D. Cardinalis Dethus, sequi videtur quod cum sint vocati simpliciter descendentes, censeantur vocati per fideicommissum respectu primorum vocatorum, sed inter se ipsos per vulgarem, non autem per fideicommissum reciprocum, ita vt vno descendentium admisso, fidiecõmissum expiret, ex doctrina *Cumani in l. cum ita. §. in fideicommisso. n.4. ff. de leg.2.* quæ videtur plus quam communis ex latissime deductis per *Menoch. cons.85. n.54. & per Surd. cons.315. n.13. & 14. & cons.370. num.1. & 2. lib.3.* cum alijs congestis per Informantes.

2 A qua doctrina licet recedatur ex coniecturis, tamen in hoc casu nullæ adsunt coniecturæ pro fideicõmisso, sed potius vrget in contrariũ, quod quando testator in primo casu inducere voluit fideicõmissum per prohibitionem alienationis, vsus est verbis importantibus tempus successiuum, quia dixit, bona in filios, & descendentes esse, & perpetuo permanere. *l. Pure. §. fi. ff. de doli except. cum similibus.* Quo vero ad secundum casum de descendentibus ex Thoma, dixit, quod voluit bona in ipsos tramsire, & peruenire, quæ videtur habere significationem actus mometanei, & verificata fuisse statim, quando bona deuenerunt in vnum ex dictis descendentibus, *Alciat. in d. §. in fideicommisso sub. n.14. Cæph. cons.88. n.34. Rim. iun. cons.371. n.69. Ruin. cons. 92. lib.2.* cum alijs per Informantes adductis.

3 Veruntamen istis non obstantibus, sequentia visa sunt magis concludere collecta tam ex verbis Testatoris, quam ex ipsius mente. Et quo ad verba de natura illius verbi collectiui Descendentes, non adiectiuè, sed per se, venit, vt omnes ordine successiuo per fideicõmissariam successionem vocati censeantur, *Cyn. in Auth. Sed etsi quis vers. vlt. C. de secun. nupt. Alex. in add. ad Bart. in l. liberorum. sub litera Y. de verb. sign. Castr. in d. §. in fideicommisso. n.2. Dec. cons.584. n.6. Nat. consi.437. n.2.* cum multis alijs, qui allegantur, & hoc tenuit Rota coram Illustr. Seraphino in causa Bonon. fideicõmissi de Felicinis. 18. Februar. 1581. & in Perus. fideicommissi de Bigazinis. 14. Nouem. 1605. coram bo. me. Litta, & aliæ decisiones allegantur per Informantes.

4 Quibus additur quod vocatio fuit per compendiosam verbis communibus conceptam, s. transire, & peruenire. *l. fideicõmissa. §. hæc verba. vbi Bart. & alij. ff. de leg. 3* qui dicit esse sine dubio quando adiungitur rei singulari, vt in casu nostro; Maximè quia testator nõ fuit contentus verbo transire, quomodo fortasse verificari poterat in actu momentaneo, sed dixit transire, & peruenire *d. §. Hæc verba.* & geminatio in his vim addit *Dec. consi.33. n.100. lib.1.* vsus etiam fuit testator verbis, non personalitatem, sed realitatem denotantibus, Tam in prohibitione alienationis, ibi, prohibens testator, & expresse vetans alienationem prædij, siti in populo S. Stephani, & sic ista prohibitio est realis ex *Bar. in l. peto. §. fratre. n.2. vers. dic ergo. ff. de leg.2. Castr. in l. voluntas. in fi. C. de fideicom. Alex. in l.1. n.88. ff. de offic. eius. Alciat. in l. filiusfamilias. §. Diui. n.48. Crot. nu.43. Rip. n.66. Ias. in 2. lect. nu.25. ff. de leg.1.* Prohibitio enim facta est absque aliqua personarum commemoratione ex deductis per *Franc. Becc. cons.24. nu.24.* Quam etiam in Institutione fideicommissi, quia voluit bona prædicta perpetuo esse, & remanere, & bona præfata transire, & peruenire, quibus inducitur reale fideicommissum; quia tunc ipsa bona peruenire debent cum omne restitutionis. *Cur. Sen. cons.51. n.24. vers. Accedat ad præmissa. Dec. cons. 182. cum allegatis, Socin. cons.227. lib.2. late Cæphal. consil. 478. num.45. & sequ. Surd. cons.315. num.20. vers.* Et plurimuminterest.

coram Illustriss. D. Pamphilio, quod procedit etiam in feudo antiquo, vt per *Natt.cons.634.n.2.& sequentib.lib.3.* & etiam si per mille manus ambulauerit, vt per *Ceph.cons.4.num.45.& sequentib. lib.1.* & propterea admonentur nobiles, vt descendentiæ arbores in Archiuis custodiant, ne probationum inopia à feudis excludantur, vt per *Gail.lib.2.obseruat.149.lib.6.*

3 Et ratio est, quia primus stipes attenditur, cum illi succedatur, vt per *Mandel. cons.61.n.5.Menoch.cons.124. num.42. lib.2.* & talis successio ad stipitem, & non ad alium, qui non sit stipes refertur, vt per *Gail.d.obseruat.149.num.1.lib.2.Natt.consil.247.num.4.& d.cons.634.num.2.& 3.lib.3.*

4 Quæ procedunt tam in feudis ex pacto, & prouidentia, quam in mixtis, vt de feudo ex pacto tradit *Tho.de Marin.de feud. tit.2.num.15.in fi.Bal.& Laud.in c.1. de eo, qui sibi, & hæred.su.Nat. d. cons. 634. num. 2. lib.2. Rol.cons.32. num.22. lib.3.* & de mixto, tradit *Mobed. de feud. decis. 7.* & habetur in vna Paduana feudi, Lunę 4. Februarij 1602. & die 26. Ianuarij 1604. coram R.P. D. Lancellotto.

5 Nec obstare visum fuit, quod D.Pyrrhus probauerit eius descendentiam à Ceccho Balleonio, qui possedit dicta Castra feudalia, & à quo successit etiam D. Pyrrhus Senior Pater dictarum Dominarum Rearum, & ideo vti probata descendentia à communi stipite videatur satis legitimasse ipsius personam ad effectum obtinendi, iuxta *tex.in c. tua nos. de consang. & affin. & trad. per Lambert. de iure patron. lib.2. p.2. q.10. art. 4. numero 12.*

6 Quia negari posse visum fuit quo ad dicta Castra dictum Cecchum fuisse communem stipitem. Nam in feudis non accipitur pro stipite ille, qui possidet feudum, sed parens ille agnationis, qui feudum acquisiuit, *Nat.d.cons.634.num.4. & 247.sub nu.3.lib.2. vers.praeterea,& num.4.* Vnde cum dictus Cecchus non fuerit primus acquirens, nec à primo acquirente fuerit probatum descendisse pro stipite inseruire non potuit, stante maximè quod dictæ Dominæ de Balleonijs minimè fateantur, in dictis bonis successisse vti descendentes, & ex persona dicti Cecchi, nec ipsius iure nitantur: sed potius contrarium asserant, & ex infrascriptis instrumentis productis appareat dicta feuda origine habuisse in illos de Oddonis, Scholarijs, & Cortesijs, quibus in perpetuum concessa de iure præsumuntur, per *tex.in c.1. §.hoc quoque.in fin. de his,qui feud.dar.poss.& trad.Rimin.cons.267.num.29.lib.2.*

7 Vnde cum saltem possit esse, quod dictus Cecchus dicta Castra possederit alio iure, quam vti comprehensus in dictis inuestituris dicendum sequitur per possessionem dicti Cecchi non induci necessario ipsi in feudum fuisse concessa, nec de eis ipsum antiquitus inuestitum fuisse, & successiue huiusmodi probationem descendentis ab eo vti possessore, & sic vti feudatario tamquam non concludentem per necesse, nihil ipsi Domino Pyrrho suffragari ad not. in c. in præsentia. extra de probation. & *in l. non hoc. C. vnde legit.* & in terminis tradit *Paris. cons.23.nu.243. lib.1.*

8 Nec doctrina Lambert. habet locum in casu nostro, tum quia in proprijs terminis feudi DD. aliter loquuntur, vt supra dictum fuit, tum quia *Lambert.* loquitur in possessore, & quando plura alia concurrunt, quæ non possunt adaptari causæ dicti D. Pyrrhi, vt latius per eundem *Lambert. in part.1. lib.1.art.5. quæst. princ.8. num.41.& sequentib.*

9 Minus etiam obstare Domini dixerunt, quod cum non reperiatur prima inuestitura, debeat attendi secunda, quæ præsumitur facta secundum tenorem primæ, iuxta trad. per *Schrad. par.6. cap.6. nu.5.* Et consequenter, quod debeant attendi litteræ Eugenij. Quia præterquam quod alias decisum fuit à Camera dictas literas Eugenij non importare inuestituram, dicitur etiam nullibi probatum fuisse, dictam primam inuestituram minimè adesse, quod cum esset fundamentum ipsius D.Pyrrhi plene per eum probari debebat, licet esset negatiua, vt per *Gabr.in tit.de proba.concl.6.per totam, Tiraq.de retract.lign. §.1.n.94.& trad.Surd.decis.237. num.1.* vbi docet modum d. negatiuam probandi. Et maximè cum regulariter inuestituræ fiant, & præsumantur, immo sint necessariæ, vt per *Schrad. in d.tit. de feud.par.5.c.3.num.12.*

10 Nihil etiam obstare putauimus confessionem factam in precibus coram fel. mem. Pauli III. per olim D. Pyrrhum Seniorem Patrem dictarum Rearum, quod tale feudum tantummodo transeat ad Masculos, & consequenter, &c. Quia cum huiusmodi confessio se referat ad literas Eugenij, quas vt supra diximus, resolutum fuit, non importare inuestituram, necessario dicendum sequitur huiusmodi confessionem fuisse erroneam, & nullam vt referentem se ad inuestituram, quæ non aderat, vt per *Paris.cons.72. n.59. lib.1. & 133. n.5. & 12. lib.4.* & consequenter, quatenus opus sit, semper per hæredem posse reuocari, vt per *Surd. decis.130.n.1.& seq.* & per Rot. in vna Foroliuien. Census, die 3. Iulij 1589. coram Orano. Vltra quod prætensa illa confessio emanauit ad excusandum confitentem, & ideo quemadmodum illi præiudicare non poterat, vt *li. 1. Miscel. Cott. in Corduben.* dimidiæ portionis 23. Ianuarij 1561. coram Oradino, multo minus dictis mulieribus præiudicare debet, quas non probatur vti iure confitentis, nec tenentur docere de titulo earum possessionis, iuxta *tex.in l. cogi. possessorem. C. de petit. hær.*

11 Nec obstare denique visum fuit, quod ex resolutione facta à Camera sub die quarta Decembris 1594. & ex altera sub die 2. Iunij 1595. colligatur status feudalis dictorum Castrorum ante dictas literas Eugenij, & quod propterea feudum debeat præsumi rectum, & proprium, & ex pacto, & prouidentia, iuxta *tex. in c. 1. §. ad filias. de success. fratr.* Quia vltra supra deducta responderi etiam posse visum fuit ad effectum obtinendi non sufficere probationes, ex præsumptionibus, vt tradunt *Doct. in l. qui accusare. C. de eden. & in l. eum qui. ff. ad Trebel.* & in terminis agentis ad feudum antiquum tradit *Afli.decis.277.sub.nu.3.& Paris.cons.16. nu. 20. lib. 1.* & tanto maximè stantibus instrumentis annorum 1257. 1282. & 1382. & alijs in processu productis, ex quibus videtur dictam præsumptionem tolli per *text. & ibi gl.in l. siue possidetis. C.de probation.*

12 Vnde cum sufficiat præfatis Dominabus Reis conuentis vti possessoribus ad effectum excludendi dictum D. Pyrrhum, quod ipse non plene docuerit de iure suo absque eo, quod eæ aliquid de iurib. ipsarum doceant, iuxta *tex.in d.l.cogi.possessorem.de petit.hered.Rot. decis.419.in antiq.& decis.4. de re iud. in non.Cassad.decis.3. n.5. de restit. spoliat.* & probationes dicti D.Pyrrhi non concludant per necesse, prout de iure opus est: Ideo resolutum fuit dictum D. Pyrrhum non sufficienter legitimasse ipsius personam ad effectum obtinendi, & consequenter dictas Dominas Reas conuentas fore, & esse absoluendas per supra allegata.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. CARD. LANCELLOTTO.

Asten. Pascui. Veneris 16. Februarij 1607.

ARGVMENTVM.

Ex Summario sume Argumentum.

SVMMARIVM.

Testes examinati sine citatione ad videndum illos iurare, nulliter examinati dicuntur. num. 1.

Citatio

Citatio ad comparendum pro certa die, illa die elapsa non arctat citatum ad comparendum alia die. num. 2.

DECISIO CXXVIII.

1 EXamen testium, qui iurarunt die 27. Iulij, & examinati fuerunt diebus 28. eiusdem, 12. Augusti, 22. Septembris, & 3. Octobris, non potest sustineri ex defectu citationis ad videndum iurare testes, sine qua non tenet examen. *l. si quando. C. de testib. c. 2. cod. tit. & ibi Abb. n. 7. & 13. Fel. n. 6. Dec. n. 17.*

2 Non obstat citatio executa die 23. Iulij, quia cum iudex die 27. Iunij. 1575. mandauerit citari partem ad comparendum in ciuitate Albæ, & super loco differentiæ pro die 13. Iulij, & successiue singulis diebus, & horis, ad videndum deferri iuramentum testibus, & cum talis citatio fuerit executa die 23. Iulij, & sic postquam lapsum fuerat tempus à iudice præfixum ad comparendum, non ligabat, neque arctabat ad comparendum citatum, qui non poterat dicta die 13. Iulij iam elapsa comparere. Quando enim actus geritur aliter, quam dictum fuerit in citatione, citatio non arctat citatum. *Bar. in l. aut qui aliter. ff. quod vi, aut clam. Caputaque decis. 123. num. 20. part. 3.*

REVERENDISS. P. D. LVGDVNEN.

Mediolanen. Pensionis. Lunæ 5. Martij. 1607.

ARGVMENTVM.

Pensionarius pensionem quam habet regulariter extinguere potest, sed numquid eam extinguere possit in præiudicium sui creditoris, quem fecit procuratorem in rem suam ad pensionem exigendam.

SVMMARIVM.

Facti species colligitur. num. 1.

Procurator dicitur constitutus in rem suam, quando quis constituitur, vt sibi satisfaciat de suo credito. num. 2.

Actus quilibet debet semper intelligi secundum naturam rei, de qua agitur. num. 2.

Mandatum de exigendo pensionem tàm diu durat, quàm diu pensio exigi poterit. num. 2.

Pensionarius de iure regulariter pensionem extinguere potest. num. 2.

Mandatum factum à Prælato ad exigendum fructus beneficij toto tempore vitæ ipsius Procuratoris non valet. num. 3.

Vsusfructus extingui non potest in fraudem creditorum. n. 4.

Pensio numquid possit extingui in fraudem creditorum. num. 4. & 5.

Donatio facta in fraudem creditorem non valet, & de materia. num. 5. & 6.

Donatio in fraudem creditorum non dicitur facta nisi fraudandi animus adsit saltem ex parte donantis. nu. 5. & 6.

Actus non ab euentu, sed à causa iudicari debet. num. 7. & seq.

DECISIO CXXIX.

1 NIcolaus Soresinus die 26. Aprilis 1603. præstitit consensum resignationi cuiusdam Cappell. ad fauorem Hieronymi Reinæ cum reseruatione pensionis ducat. 50. ad fauorem Io. Andreæ Nicolai ex fratre Nepotis, cui reseruationi vicissim Hieronymus consensit. Biduo post Io. Andreas constituit Nicolaum procuratorem suum irreuocabilem ad exigendam dictam pensionem nomine constituentis, & pro eo, illudque mandatum, atque illam exactionem durare voluit, donec Nicolao esset satisfactum de scutis 2600. quorum Io. Andr. se illi debitorem agnouerat per instrumentum die 28. Februarij præcedentis, ac etiam de alimentis præstitis, & in futurum præstandis. Die 29. Aprilis A.C. ad instantiam Nicolai inhibuit, ne Reina solueret hanc pensionem alii, quam Nicolao, neve quid innouaret; demum die 19. Decembris eodem anno Io. Andr. præstitit consensum pensionis extinctioni factæ auctoritate Apostolica. Cum defuncto Nicolao hæredes illius illam pensionem à Reina, non obstante dicta extinctione peterent, causa extra Rotam pendente, fuit dubitatum, an Ioannes Andreas potuisset consentire extinctioni pensionis, & an Reina vlterius ad solutionem dictæ pensionis teneretur. Super quo dubio cum Rotæ sententia exquireretur, visum fuit Dominis Io. Andream potuisse consentire, & Reinam non teneri ad pensionis solutionem, cum intentionem fundatam habeat in cassatione facta in forma solita Apostolica, etiam auctoritate interueniente.

2 Atque admisso sine veri præiudicio, quod Nicolaus fuerit constitutus procurator in rem suam ex quo fuit constitutus ad effectum, vt sibi satisfieret de suo credito, vt per *Castr. in l. fin. num. 2. versic. & sic facta procuratio. ff. de donat. Aret. cons. 124. in 3. præmisso. & cons. 125. num. 1. & 2. Bero. cons. 187. num. 44. & 45. lib. 1.* Fuit responsum, quod sicut quilibet actus debet semper intelligi secundum naturam rei, de qua agitur, l. insulam. de præscr. verb. *l. damni infecti. & l. si vno. ff. locati,* ita istud mandatum debet intelligi secundum naturam pensionis, videlicet quam diu illa durauerit, & quam diu poterit exigi ad cumul. per *Seraph. de priuil. iuram. priu. 18. num. 31.* Clarum est enim quod per ingressum religionis, aut per contractum matrimonij, aut alio casu simili ista pensio poterat desinere deberi Ioanni Andreæ, & per consequens cessare etiam exactio pro parte Nicolai. Est etiam clarum, quod extincta legitime pensio amplius non debetur, & quod de iure regulariter pensionarius illam potest extinguere. *Gig. de pension. q. 45.*

3 Nec hoc casu Ioan. Andreas fuit aliqua conuentione prohibitus id facere, quia circa hoc non adest conuentio, & si adesset esset inualida, quia in effectu ex tali conuentione resultaret translatio istius pensionis in Nicolaum, quæ per conuentionem partium, absque Papæ authoritate fieri non potest. *Gig. de pension. q. 99.* Nec talis conuentio, seu prohibitio subintelligi potest facta, donec Nicolao esset satisfactum: Quia sic intelligendo, attenta debiti quantitate, quæ etiam indies augebatur, ista pensio fuisset inextinguibilis, saltem durante vita Ioannis Andreæ, & per consequens constitutio procuratoris fuisset inualida tanquam facta in Ecclesiæ præiudicium. *Abb. in c. peruenit. num. 2. de arbitr.* sicuti non valeret mandatum quo Prælatus pro toto tempore vitæ suæ constitueret aliquem procuratorem in rem suam ad exigendos beneficij fructus. *Rebuff. in compen. aliena. rerum Eccles. nu. 27. & Sacra Concilij Congregatio super 11. sess. c. 25. de reformat.* censuit locationes fructuum ad vitam esse perpetuas, ideoque inualidas.

4 Non obstat allegata decis. in causa Valentina coram Illustrissimo Millino, quia loquitur in quadam specie pensionis fiduciariæ, in qua notum est, quod habens mandatum irreuocabile, habet in veritate ius pensionis. Non obstat, quod sicut vsusfructus non potest extingui in fraudem creditorum. *l. 3. ff. de his, quæ in fraud. cred.* Ita nec pensio, quæ vsuifructui æquiparatur. Nam ista æquiparatio non facit, quod idem ius esse debeat, vbi est diuersa ratio, vt in hoc casu. Vsusfructus enim est in commercio nostro, & potest donari, vendi, & alienari, sicut extingui, non sic pensio, quæ est quidem in commercio nostro ratione perceptionis fructuum, & illius facti. *cap. peruenit. & ibi not. de fideiuss. non autem ratione iuris;* ideoque licet extingui; non tamen transferri potest sine Papæ authoritate. Itaque in vsufructu venditor habet obli-

bet obligatum ius, & propterea vsusfructus in eius fraudem extingui non potest, in pensione autem habet obligatos solos fructus, in quibus per extinctionem deficientibus deficit etiam fructuum obligatio sicuti contingeret in fructibus beneficij obligatis si dimitteretur, vel amiteretur.

5 Nec obstat, *l. fin. C. de reuoc. iis, quæ in fraud. cred.* Quia forsan illa loquitur tantum in fraudatore, id est in eo qui donauit, qui pensionem extinguit, non autem in eo cui donatum est, vel in cuius fauorem est extincta pensio: & hunc intellectum agnoscit tertio loco *gl. dict. in leg.* & eam aliter secundum recti sermonis rationem non posse intelligi dicit *Cuiac. libr. 12. obseru. cap. 5.* De quo quicquid sit, admisso pro nunc, quod is in quem titulo lucratiuo res aliqua translata est, siue ipse fraudi consenserit, siue non, teneatur tamen creditoribus saltem in quantum locupletior factus est, *l. qui autem, §. in his tamen. ff. quæ in fraud. cred. l. pen. l. fin. vbi Salyc. in pr. C. eod.*

6 Tamen id procedit, quando vltra fraudem re ipsa, quæ oritur ex translatione, fraudandi, etiam animus interuenit saltem ex parte donantis, vt probatur in *d. l. penult. & melius in l. 1. §. si alienatio. ff. si quid in fraud. patro. Vbi text. & glos. distinguunt*, an Libertus alienauerit cum animo fraudandi, an vero secus, licet re ipsa euentu fraus intercesserit, *ideoque leg. patronus, ff. de probat. dicit*, quod fraus est per patronum concludenter probanda. Hic autem ne dum, quod Reina, sed nec quod Ioan. Andreas animum fraudandi habuerit, aliquo modo dicetur.

7 Et non sufficeret docere de animo fraudandi Ioan. Andreæ, quia cum actus non ab euentu, sed à causa iudicari debeat, *l. verum, & l. qui iniuriæ. ff. de furt. leg. si seruus, §. etsi puerum, ff ad leg. Aquil.* & nemini iniuriam faciat, qui vtitur iuris beneficio, Reinę dolo imputari non debet locupletatio illi proueniens ex pensionis extinctione facta per Ioan. Andream, cum iure receptum sit, quod extincta legitime pensione, pensionarius amplius non teneatur. Accedit quod illa Reinę locupletatio non est habenda in consideratione, tanquam in consequentiam veniens, quandoquidem extinctio pensionis principaliter cedit in Ecclesiæ fauorem, cum pensio sit onus, & seruitus Ecclesiæ imposita. *Caccialup. de pens. q. 8. Gig. q. 45. nu. 7.*

8 Non obstat inhibitio, Nam sicut per mandatum pensio non fuit facta inextinguibilis, ita nec per inhibitionem vigore mandati obtentam. Atque ex his fuit conclusum Reinam non teneri.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

D. CARD. BONONIEN.

Bononien. Legati. Lunæ 19. Martij 1607.

DECISIO CXXX.

Est impressa inter Ludouisio.

DECISIO 301.

R. P. D. PAMPHILIO.

Perusina Fideicommissi de Bigazinis, Veneris 30. Martij 1607.

ARGVMENTVM.

Fideicommissarius agens ex edicto Diui Adr. sufficit, quod probet possessionem fideicommittentis tempore mortis etiam non probato dominio. Quomodo hæc possessio probetur, & quomodo etiam probetur identitas bonorum possessorum ab vno prius, & postea ab alio.

SVMMARIVM.

Fideicommissarius immittendus est in possessionem rerum fideicommisso subiectarum ex l. fin. Cod. de edic. Diui Adr. tollen. probata solum possessione fideicommittentis tempore mortis etiam non probato dominio, num. 1.

Possessio probatur per testes deponentes aliquem possedisse talia, & talia bona cum designatione confinium, num. 2. & num. 4.

Possessio probatur ex eo, quod quis ponebat, & eijciebat laboratores in fundo, fructus percipiebat, faciebatque alios actus possessorios, quos facere solent veri Domini, & possessores, num. 3.

Identitas bonorum possessorum ab vno, quod hodie possideantur ab alio, quomodo probetur, nu. 5. & 6.

Identitas bonorum possessorum probatur per identitatem nominis, num. 5.

Identitas bonorum possessorum probatur per identitatem confinium, nu. 6. & 7.

DECISIO CXXXI.

1 Solo Comite Ioanne informante, fuit resolutum constare infrascripta bona, que detinentur per D. Faustinam fuisse possessa per Comitem Hieronymum de tempore mortis, quod sufficit, vt Comes Ioannes fideicommissarius possit obtinere immissionem vigore *l. fin. C. de edict. Diui Adr. tollen.* absque alia probatione dominij, vel quasi, *Bald. consil. 352. num. 4. libr. 1. Guido Papæ decision. 442. Aym. consil. 61. num. 6. in fin. & consil. 306. num. 5. post med. versic. ideo saltem Marzar. in epitom. Fideicomm. quæst. 60. Peregrin. de fideicomm. artic. 44. num. 3. & 26. Hieron. Gabriel. consil. 44. num. 30. libr. 2.* & fuit resolutum in montis Falisci, fideicommissi 12. Maii 1607. coram Illustrissimo Pamphilio, & alias sæpius.

2 De possessione autem dicti Comitis Hieronymi fideicommittentis deponunt tres testes in Summario, num. 3. dicentes, eum dum vixit vsque ad tempus mortis possedisse predium nuncupatum *della Bartoluccia, la Castagna, Camazzetti, Casa nuoua detta la Cagiola, il Colle della Spinella, le vigne di Burano, le case de Coccarano, con Horti è Vigne,* & referunt diuersos fines à latere bona Pompei Castellini, Bona Scipionis, & Melchioris de Almenis Fossatum montis viridi, à capite bona Bertocci Petri Antonii, bona Comitis Gentilis Carbonarum, & bona Ecclesiæ Sancti Fortunati de Perusia à pede bona Canonicorum Assisien. bona Cæsaris Sorbelli, & flumen Clacii, quo casu bene probant possessionem, *Bald. in dicta leg. data opera. numer. 34. versic. item nota. Cod. de his, qui accus. non poss. in authent. qui iurat. num. 4. Cod. de bonis auctor. iudic. possid. Alexan. consil. 51. num. 6. volum. 1. Dec. consil. 302. num. 19. post med. versic. & pleniorem esse. Ruin. cons. 168. nu. 2. lib. 4.* & fuit dictum in dicta montis Falisci.

3 Præsertim cum dicti testes reddant bonam causam scientiæ, quia ipsi tanquam vicini videbant, quod Comes Hieronymus ponebat laboratores, eosque eiiciebat, percipiebat fructus, & faciebat alios actus possessorios, quos facere solent veri Domini, & possessores propriarum rerum, & ita communiter reputabatur ab omnibus, qui eum cognoscebant, *leg. Titia. vbi Bart. ff. de solut. l. litibus, Cod. de agric. & censit. libr. 11. Paris. consil. 107. num. 22. libr. 1. Aymon. consil. 107. numer. 2.*

4 Præterea iidem testes eo modo deponunt dictum Comitem Hieronymum possedisse, *Vn molino d'oglio al Palazzo, Contado d'Assisi. Item la meta d'vn predio pro indiuiso, cum Bartoccio di Pietro Antonio, nel*

nel distretto della Fratticciola, sotto vocabolo Vallata. Item le Valle di Marco, cuius fines referunt bona plebis Coccorani, bona hæredum Baptistelli, bona Iulii Simonis de Coccarano, & viam tendente ad molendinum. Item vn giardino con due pezzi di terra contigui, consistentes tra la forma del molino del Ponte nuouo, et la strada, et altri sodi del sudetto molino, & vt secundus, & tertius testes addunt, il giardino habere etiam fines il fiume Chiacio. Item la casa di Perugia, et la vigna della Concha existentes, tra le mura della Città, et li sodi della Concha.

5 Quod autem ista bona peruenirent in dictam Faustinam, & sint eadem, quæ hodie per ipsum D. Faustinam detinentur, benè probant iidem tres testes, qui super 2. 3. 4. 9. & 10. articulis dicunt supradicta bona possessa per Comitem Hieronymum fuisse post eius obitum possessa per Comitem Vgoccionum, & Bigazzinum eius filios, & postea per Comitem Franciscum, post cuius obitum peruenerunt in dictam Faustinam, quæ eadem bona possidet, *vt in Summario. num. 4. et seq.* Quæ depositio sufficit ad probandam identitatem rei *Bart. in tract. Test. num. 28, in vers. hanc eandem rem. Ruin. consil. 115. num. 10. vers. 2. de identitate. vol. 5.* & satis dicitur probata identitatas eo ipso, quod constat fideicommittentem possedisse bona in aliquo loco etiam, quod ascendentes possidebant bona in eodem loco, nisi nouus titulus exhibeatur. *Natt. consil. 235. numer. 17. Peregr. de fideicomm. articul. 44. num. 22. et cons. 48. numer. 2.* & fuit resolutum in Viterbien. bonorum 23. Februarii 1604. coram Illustrissimo Dom. Cardinali Pamphilio.

6 Vlterius dicta identitas comprobatur, tum quia conueniunt singularia nomina, videlicet Bartoluccia, la Castagna, Camazzetti, & reliqua, *gl. in leg. hac consultissima. in verb. et indicia. C. qui testamen. fac. poss. Vbi Bald. num. 4. Dec. cons. 13. num. 9. vers. secus in nominibus, cum aliis per Peregr. de Fideicom. artic. 44. num. 45. post med. vers. sed tamen fatetur,* tum etiam quia respectu plurimorum ex dictis bonis conueniunt fines, ex quibus rei identitas satis dicitur probata. *Gl. in leg. forma. in verb. vicinos. ff. de censibus Bartol. in leg. demonstratio. num. 14. in 7. quæst. ff. de condit. et demonstrat. Alexand. cons. 133. num. 5. libr. 1. Socin. in leg. in testamento. la prima. num. 2. ff. de condit. et demonstrat. et in consil. 89. num. 1. volum. 1.* & fuit pluries decisum.

7 Quo vero ad molendina, & alia bona descripta in primo, secundo, & tertio articulis, poterit particulariter videri, &c.

R. P. D. PAMPHILIO.

Oscen. Archidiaconatus. Veneris 4. Maij 1607.

ARGVMENTVM.

Impetrans beneficium in forma iuris narrando plura delicta commissa à beneficiato debet omnia narrata delicta concludenter iustificare, ita vt non sufficiat verificare vnum delictum etiam ad priuationem sufficiens, excommunicationisque insordescentia non incurritur sine animo indurato in contemptum clauium, qui quidem contemptus cessat in petente, & obtinente absolutionem, licèt nulliter, quia ab insordescentia quælibet causa, etiam iniusta, excusat, &c.

SVMMARIVM.

Restitutio in integrum nunquam datur aduersus sententias constito de earum iustitia, quæ excludit omnem læsionem. num. 1.

Restitutio in integrum nunquam datur sine læsione plenè, et concludenter probata. nu. 1.

Beneficium impetrans in forma iuris propter delicta à beneficiati debet iustificare omnia narrata delicta. nu. 2.

Illaque debet concludenter probare, nec sufficit probare vnum sufficiens ad priuationem. nu. 3. 4. et seq.

Beneficij vacationes plures narrans, illud impetrans sufficit vnam de iure verificare, et alias de facto. nu. 6.

Excommunicationis insordescientia non censetur probata ex sola perseuerantia in excommunicatione, nisi etiam sit probatus induratus animus in contemptum clauium. num. 7.

Excommunicationis insordescentia non procedit in eo, qui petiit, et obtinuit absolutionem etiam nulliter. n. 7.

Causa quælibet etiam iniusta excusat ab insordescentia in excommunicationem. nu. 7.

DECISIO CXXXII.

1 FVit resolutum, non constare de causis restitutionis in integrum aduersus sententias contra Ioannem latas, quia stante iustitia sententiarum remanet exclusa omnis læsio, sine qua nunquam datur restitutio. *cap. 1. et ibi Abb. num. 2. de restitut. in integr. Salicet. in l. 1. num. 8. et seq. C. si aduers. rem iudic.* vbi quod læsio debet plenè, & concludenter probari, quod etiam tradit *Innoc. in cap. tum ex literis. num. 7. et ibi Abb. num. 16. de restit. in integr. Benintend. dec. 85. nu. 8. cum seq.* & fuit sæpissimè dictum.

2 De iustitia autem harum sententiarum clarè apparet ex decisionibus in hac causa factis, in quibus fuit firmatum, Ioannem teneri, & obligatum esse ad iustificationem omnium delictorum, quæ narrauit fuisse per Paulum commissa, cum versemur in impetratione in forma iuris, in qua agitur ad priuationem beneficii, vt adiudicetur impetranti. *cap. olim. et ibi gl. in ver. ad omnia. et Abb. num. 3. de rescript. Aegid. in cap. inter ceteras. nu. 4. eodem tit. et dec. 735. circa fin.* & fuit in hac causa resolutum sub die 19. Octobris 1601. coram D. meo Lancellotto. Et tamen insordescentiam Pauli per triennium in excommunicatione inter alia narratam non iustificauit, vt fuit bis decisum coram eodem Domino meo Lancellotto, & postea coram Illustrissimo Seraphino, vt in decisionibus, quarum copia data fuit.

3 Nec placuit, quod pro parte Ioannis dicebatur sufficere vnum delictum sufficiens ad priuationem plenè, & concludenter iustificari, cetera vero narrata per leuiores probationes verificare, quia cum versemur in impetratione beneficii viuentis, quæ de sui natura est odiosa, debet gratia ex certis, & concludentibus probationibus quo ad omnia iustificari, *dicto cap. olim in fin. de rescript.* & fuit dictum coram Illustr. Seraphino 12. Decembris 1603.

4 Maximè, quod in istis impetrationibus plura delicta narrantur ad magis grauandum personam possessoris, & per consequens ad inducendum Papam ad facilius contra eum procedendum, & gratiam impetranti concedendum, vt per Ægidium dicta dec. 335. ad fin. adeo quod gratia respectu adiudicationis impetranti faciendæ dicitur fundata in omnibus delictis narratis quo casu requiritur plena, & concludens iustificatio.

5 *Aegid. dec. 675. Put. dec. 266. lib. 3.* & fuit resolutum in causa Marsicana Beneficiorum 10. Iunii 1577. coram fel. rec. Clemente VIII. relata, in impress. diuers. 268. num. 4. par. 1.

6 Minus etiam placuit, quod narratis pluribus vacationibus, sufficiat vnam verificare de iure, ceteras vero de facto, iuxta decisiones allegatas, quia fuit responsum hoc non applicari casui, de quo agitur. Nam ideo sufficit verificare vnam vacationem de iure, & aliam de facto, quia non possunt dari duæ vacationes de iure eiusdem beneficii, quod secus est in causis priuationis, in qua possunt concurrere plura delicta, ex quibus omnibus potest sequi priuatio.

7 Sed in omnem euentum in casu isto visum fuit Dominis insordescentiam nullo modo posse probari de facto cum ex sui natura includat perseuerantiam in excommunicatione cum contemptu Clauium coniun-

iunctam, ita vt non sufficiat probare solam perseuerantiam in ipsa excommunicatione, sed vlterius necesse sit probare animum induratum in contemptum Clauium, *cap. cum bonæ de ætat. & qualitat. cap. cum contumacia. de hæret. in 6.* cum alijs in decisionibus Domini mei Lancellotti, & Illustrissimi Seraphini allegatis, quæ probatio hic non solum non adest, quodam imo constat de contrario ex absolutionibus per Paulum à Papa, & Nuncio petitis, & obtentis, quæ excludunt animi obdurationem, & clauium contemptum, etiam data earum nullitate, cum ad istum effectum quælibet causa etiam iniusta sufficiat, ad tradita per *Couar. in c. alma mater. §. 7. nu. 6. de sentent. excommunicat. in 6.* cum alijs in decisionibus supra adductis, &c.

REVERENDISS. P. D. PEGNA DECANO.

Recanaten. Hæreditatis, Lunæ 14. Maij 1607.

ARGVMENTVM.

Filij positi in conditione non censentur vocati, nisi contrarium suadeatur ex coniecturis, & de quibus in hac decisione.

SVMMARIVM.

Filij positi in conditione non censentur vocati nisi ex coniecturis, contrarium suadeatur, num. 1. & sequent. vbi plures ponuntur coniecturæ, ex quibus filij in conditione positi vocati censentur, nu. 1.

Filij positi in conditione in vna parte testamenti censentur vocati, si in alia parte expresse vocati sunt, n. 2. & 3. vbi an hæc sola coniectura sufficiat ad extendendum fideicommissum.

Filij in conditione positi censentur vocati, quando aliter ex testamento, aut ab intestato succedere non possunt. nu. 4.

Filij positi in conditione, & vocati ad portionem aliorum filiorum decedentium censentur expresse vocati ad portionem patris in cuius conditione positi sunt, nu. 5.

Filij positi æqualiter in conditione diuerso iure censeri non debent, nu. 6.

Filij positi in conditione censentur vocati quando testator digressus est ad plures substitutionum gradus, numero 7. & 8.

Successio intelligenda est regulariter ordine successiuo, nu. 9. & sequentibus.

DECISIO CXXXIII.

1 Horatius Leopardus Anno 1600. condito, testamento tres filios masculos legitimos, & naturales Petrum Bernardinum, & Iacobum, & Hortensiam vxorem æquis portionibus hæredes vniuersales instituit addita conditione quo ad Hortensiam, quod si cum filijs habitare, & viuere non posset, filij eidem Hortensiæ, pro eius portione quorundam bonorum vsumfructum assignarent, prout ipse Testator assignauerat, ita vt post Hortensiæ mortem, ea bona ad filios, eorumque hæredes, & successores reuerterentur, quos hæredes, & successores ei vulgariter, pupillariter, & per fideicommissum æquis portionibus in stirpes, & non in capita substituit. Voluit insuper testator, vt prædictis Petro, Bernardino, & Iacobo, sine filijs masculis, aut feminis morientibus in portione præmorientis succederent superuiuentes aut eorum filij, vel filiæ in stirpes, & nõ in capita, quos inuicem in perpetuum substituit, vulgariter, pupillariter, & per fideicommissum, prohibuitque eisdem filijs, & hæredibus diuisionem bonorum hæreditariorum per quindecim annos post suum obitum.

Item quamlibet alienationem & dominij translationem applicando bona sic alienata permutata, aut aliquo modo in alios translata alijs hæredibus non contrauenientibus, nec alienantibus in stirpes. Testatore viuente obijt Iacobus vnus de tribus filijs testatoris relictis Lydia, & Magdalena filiabus legitimis, & naturalibus, quibus viuentibus, obijt etiam testator, Petrus autem, & Bernardinus nulla habita rationis Lydiæ, & Magdalenæ, Neptum testatoris, vniuersam hæreditatem occupauerunt, causa introducta in Rota super possessorio. Dubitaui an Lydiæ dandum esset mandatum de immittendo in portionem prædictæ hæreditatis debitæ Iacobo patri, & Rota vtraque parte Informante, censuit Lydiam fuisse vocatam ad portionem Iacobo patri obuenturam: quoniam testator in defectum Iacobi eam vocauerat ibi; *Voglio anchora, & comando, che morendo detti, Pietro Bernardino, & Iacomo, senza figli maschi, ò femine, succedano nella portione di simile decedente li soprouiuenti, ò loro figli, ò figlie per egual portione.* Nam licet regulariter positi in conditione non censeatur vocati, iuxta opinionem *gloss. in leg. Lucius ff. de hæred. institut.* quam Rota semper amplexa est, ex coniecturis tamen ab huiusmodi opinione recedere consueuit, propter quas positi in conditione censentur vocati. *Put. decis. 215. libr. 3. incip.* Nicolaus de Pasijs, & tenuit in Spoletana Bonorum die 21. Iunij anno 1599. coram Domino Cardinale Mellino, & Interamnen. Bonorum, seu fideicommissi, die 15. Nouembris ann. 1599. coram D. Cardinale Seraphino tunc Rotæ Auditori

2 Præcipua vero, & potissima coniectura est, quando positi in conditione in vna parte Testamenti in alia parte sunt expresse vocati, tunc enim censentur vocati in ea parte, in qua sunt positi in conditione. *Ias. cons. 108. incip. circa primum dubium, nu. 19. vers. non quoque obstat secundum caput, libr. 4.* & fuit sæpe decisum in Rota, & signanter in dicta Spoletana Bonorum, & in causa Viterbien. Fideicommissi die 18. Decembris ann. 1600. coram bon. mem. Litta.

3 De vocatione autem expressa Neptum Testatoris in alia parte testamenti aperte cõstabat ex illis verbis *succedano li soprauiuenti, ò loro figli, & figlie*, vnde filiæ filiorum testatoris in dicto casu erant expresse vocatæ, & licet sola vocationis coniectura in vna parte testamenti per se non sufficiat ad extendendum fideicommissum, quia ab vna substitutione non infertur ad aliam *Paris. cons. 44. num. 8. & seq. libr. 2. Soc. sen. cons. 116. incip. in causa filiorum num. 1. & 2. lib. 3. Ioseph. de Rustic. libr. 5. de filijs in cond. posit. cap. 4. nu. 5. in hoc casu concurrebant plures aliæ.*

4 Et secunda petebatur ex eo, quod feminæ in conditione positæ erant in successibiles, tum propter statutum exclusiuum feminarum, tum quia cum Iacobus esset præmortuus patri, filiæ Iacobi non videbantur admittendæ ad successionem. Vnde est locus communi doctrinæ asserenti, quod filij in conditione positi semper censentur vocati, quando aliter succedere non possent, neque ex testamento, neque ab intestato. *Cephal. cons. 251. incip. quoniam in hac causa num. 85. Socin. Iun. consi l. 158. num. 77. versic. vnde cum in proposito. lib. 2. Gabr. de fideicommiss. conclus. 4. num. 33.* Rota in vna Vrbeuetana Castrorum, die 21. Aprilis ann. 1578. coram Cardinale Blanchetto tunc Rotæ Auditore, & in terminis de vocatione per vulgarem. *Soc. iun. consil. 174. num. 24. lib. secundo, & Menoch. consil. 393. num. 31. in 6. coniectura.*

5 Tertia coniectura vrgens deducta fuit ex eo, quod in portione vnius ex filijs decedentis sine filijs, masculis, vel feminis testator substituit alios filios superuiuentes, siue illorum filios, & filias, & consequenter Neptes, erant substitutæ in portine patrui. Vnde consequenter inferebatur multo magis eas fuisse vocatas ad portionem patris, in cuius conditione positæ

sitæ fuerant. *Ruin. consil. 160. num. 24. lib. 2. Grat. 136. num. 8. lib. 2.*

6 Quarta & hæc coniectura multum mouit quosdam ex Dominis, quia istę Nepotes eodem modo quo Nepotes vocatæ, & substitutæ fuerant, vt apparet ex verbis, & tenore substitionum, vnde si dicerentur exclusæ necesse quoque erat excludere masculos filios Iacobi Nepotes testatoris, si Iacobus filios masculos reliquisset, quod cum esset absurdum, idem absurdum sequebatur si Nepotes dicerentur exclusæ, cum Testator in toto testamento æqualiter posuerit in conditione, & respectiue vocauerit masculos, & feminas, & consequenter non debebant diuerso Iure censeri. *l. iam hoc iure. ff. de vulg. & pupill.*

7 Prædictis accedebant digressus ad plures gradus substitutionum, & clausula omni meliori modo, & materia subiecta, agebatur enim de descendentibus à Testatore, quo casu sufficiunt leuiores coniecturæ *D. Card. Mant. libr. 11. de coniect. vltim. volunt. tit. 2. nu. 2. vers. sed ego considero.*

8 Neque prædictis obstabat, quod substitutio feminarum videretur facta casu quo omnes filij Testatoris decederent sinę filijs, quia hunc intellectum aperte respuebant illa testatoris verba Nella portione de simile decedente, quibus arguebatur vocatione fuisse in casu quo aliquis de filijs Testatoris decederet sine filijs masculis, aut feminis, nec fuisse spectandum euentum, quod omnes decederent sine filijs.

9 Rursus non obstabat, quod stante Statuto exclusiuo feminarum dotatarum, feminæ non succedant, licèt vocentur masculi, & feminæ quasi successio sit intelligenda ordine successiuo, ex latè traditis per *Peregr. de fideicomm. tit. 17. num. 3. & 4.* Quia fuit responsum, quod quicquid sit de ista conclusione satis controuersa, in casu proposito difficultas cessabat ex eo, quod masculi, & feminæ fuerunt positi in conditione quo ad portionem patris.

10 Præterea non obstabat, quod ex prædicta interpretatione sequeretur, quod Lydia, quæ habebat legatū auitum, & consequenter habitura foret maiorem portionem, melioris esset conditionis, quam masculi. Quia fuit responsum id parum vrgere, tum quia de expressa Testatoris voluntate constabat, tum quia Testator in Codicillis post mortem Iacobi quasi volens æquare portiones pingue legatum Bernardino reliquerat, Vnde etiam non contemnenda coniectura deducebatur, quod voluerat vocare feminas.

11 Propter vltimam oppositionem, quam faciebant Informantes pro Leopardis contra Lydiam, quod cum Iacobus decesserit adhuc viuente Testatore, & portionem suam acquirere non potuerit, consequenter illa effecta fuerit caduca. Domini particulariter videre voluerunt, An Lydia fuerit vocata per vulgarem, per quam succeditur in portione relicta, licèt non fuerit patri acquisita, *vt in leg. vnica. §. pro secundo C. de caduc. tollen.*

ILLVSTISSIMO ET REVERENDISS.

D. CARD. BONONIEN.

Romana Dotis de Trincijs. 21. Maij 1607.

DECISIO CXXXIV.

Est impressa inter Ludouisio.

DECISIO 317.

REV.[mo] P. D. LVGDVNEN.

Romana, seu Tiburtina, Castrorum. Mercurij 4. Iulij 1607.

ARGVMENTVM.

Possessio non amittitur per mandatum iudicis non ritè, & rectè procedentis, si possessor pro spoliato se non habuit. Iudex autem nulliter processisse dicitur, quando postquam fuit recusatus suspectus ad vlteriora procedit, & quando dat fidem exemplis instrumentorum non producto originali. Cętera sume ex Summarijs.

SVMMARIVM.

Procurator constitui potest per epistolam. nu. 1.

Possessio anterior præferenda est possessioni posteriori, & manutenenda est, etiam quod sit anterior per horam. nu. 1.

Possessor Castri dicitur is, quem vasalli recognouerunt in Dominum. nu. 2.

Possessio non amittitur per iudicis mandatum non ritè, & rectè procedentis, etiam quod illius vigore possessor sua possessione spoliatus fuerit, si se pro spoliato non habuit. numer. 3.

Procurator non docens de mandato parte opponente omnia, quæ agit, nulliter agit. nu. 4.

Iudex vbi fuit recusatus suspectus omnia ab eo gesta nulla sunt de iure ciuili, etiam quod non fuerit allegatus suspectus. nu. 4. Vbi idem, & multo magis quando vltra recusationem fuit addita appellatio.

Supersedere debet iudex de stylo Curiæ in expeditione causæ quando illi præsentatur fides Referendarij asserentis se habere commissionem proponendam in proxima Signatura. nu. 4. in fine.

Maritus est legitimus procurator vxoris in his, quæ competunt, & quomodolibet competitura sint ratione dotis sibi datæ. nu. 5.

Remedium l. fin. C. de edict. Diui Adr. tollen. non datur ex sola productione exempli testamenti, nisi producatur originale, etiam quod exemplum sit datum per ipsummet Notarium rogatum de testamento. nu. 6.

Instrumenti exemplum non probat etiam quod datum sit ab eodem Notario, qui instrumentum rogauit. nu. 6.

Testamentum interlineatum in parte substantiali non est sufficiens ad immittendum hæredem in possessionem hæreditatis, ex leg. fin. Codic. de edict. Diui Adriani tollend. numer. 7.

Scriptura Archiui data ab Archiuista non suffragatur nisi fuerit doctum de deputatione Archiuistæ, & nisi etiam fuerit seruata forma, de qua. nu. 8.

Instrumentum repertum in Archiuo non in Protocollo, sed in folio volante in facieulo scripturarum absque signo Notarij quantum probet. nu. 8.

Decretum Iudicis de immittendo aliquem in possessionem est indiuiduum. nu. 9.

Vtile per inutile vitiatur in indiuiduis. nu. 9.

Exequutio in parte nulla, est nulla in totum. nu. 9.

Possessio defuncti censetur continuata in hæredem vigore Statuti Vrbis. nu. 10.

Remedium l. fin. C. de edic. Diui Adr. tollen. non impeditur per exceptiones respicientes, vel possessorium ordinarium, vel petitorium. nu. 11.

DECISIO CXXXV.

1 Domini censuerunt, mandatum de manutenendo dandum esse Excellentissimo D. Duci Bracchiani quo ad Castrum Vicouarij, quo vero ad Castra Cantalupi, & Bordellæ dandum esse Illustrissimæ D. Catherinæ. Moti sunt quia, quo ad Vicouarium constat de anteriori possessione D. Ducis capta eius nomine per procuratorem, quem ipse per Epistolam constituerat, vt fieri potest, leg. 1. ff. de procur. ille enim procurator accepit possessionem die 19. Martij per horam ante ortum Solis, possessio autem D. Cathe-

Catherinæ capta fuit postea eiusdem diei hora 13. & clarum est, quod anterior possessio manutenenda est *cap. licet causam, & ibi DD. de probat. Bartol. in leg. si duo. num. 4. ff. vti possid. Menoch. de retin. remed. 4. num. 725.* quodque sufficit anterioritas per horam, imo, & in puncto *Doct. in leg. 1. ff. solu. matrim. & in cap. pastoralis. de rescr. Bald. in leg. de reb. num. 2. C. de don. ante nup. Cass. d. dec. 20. num. 1. in fin. de præben. Puteus, qui loquitur in possessione capta ante ortum Solis, doc. 372. lib. 2. Ferretus consil. 5. num. 8. libr. 1. latè Tiraq. de retract. lign. §. 11. gl. 1. num. 10.*

2 Quo vero ad Castra Cantalupi, & Bordellæ constat per publicum instrumentum, quod Procurator ad id specialiter à D. Catherina constitutus accepit illius nomine prædicta die 19. Martij illorum Castrorum possessionem, quæ est manutenibilis, alio non existẽte in possessione, prout tunc contigit, quandoquidem per obitum bon. mem. Io. Baptistæ vacabat possessio quo ad duas partes, quas ille viuus obtinuerat in dictis Castris. Accedit recognitio Vasallorum, & Colonorum, quæ sola satis est ad effectum, vt recognitus dicatur verus possessor. *Affl. dec. 325. nu. 3. Ruin. cons. 58. nu. 22. lib. 1.* & fuit dictum in causa Bonon. Bonorum. 14. Martij 1593. coram Illustr. Mantica.

3 Non obstat, quod D. Catharina fuerit sua possessione priuata, quando D. Dux fuit postea immissus in dd. Castrorum possessionem vigore mandati relaxati per D. Senatorem Vrbis, *Ang. in leg. qui vniuersas. §. item cum emptor. & in l. clam possidere. §. qui ad nundinas. num. 2. in fin. ibique Rom. num. 3. Alexand. num. 2. & alij passim. ff. de acquirend. possess.* Id enim locum haberet, si senator ritè, & rectè processisset. *Alexand. in dicta leg. qui vniuersas. num. 5. Corn. cons. 193. num. 4. lib. 3. Socin. consil. 18. num. 19. lib. 1.* Ceterum cum nec ritè, nec rectè processerit, & D. Catherina non acquieuerit eius decreto, nec se pro spoliata habuerit, non amisit suam possessionem, *leg. fin. C. si per vim, vel alio modo. leg. fin. Cod. Commun. Edist. Ruin. cons. 17. num. 5. lib. 5.* & saltem animo retenta ciuilis possessio sufficit hoc casu ad obtinendam manutentionem. *Iason. in d. §. qui ad nundinas. nu. 62. Menoch. ret. rem. 3. nu. 22.*

4 Quomodo autem D. Senator processerit liquet, ex quo cum ab initio fuisset oppositum, quicquid de iure poterat contra iura, & personas, nihilominus, is, qui pro D. Duce comparebat nunquam docuit de mandato. *Bald. cons. 122. num. 1. lib. 3. Alex. cons. 146. in fin. lib. 5.* Atque D. Senator processit, nedum post inhibitionem D. C. A. in actis productam, verum etiam postquam ipse Senator fuerat sæpius cum iuramento allegatus suspectus. Vnde ex iure ciuili, quod seruatur inter Romanos, & in Capitolio sequeretur nullitas gestorum post recusationem, etiam petitam sine causæ expressione, *gl. in l. apertissimi. in verb. recusare. C. de iudic. & de magis communi testatur. Alexand. cons. 89. num. 3. vol. 1. quem, & alios cumulat. Bursat. cons. 21 num. 20. lib. 1.* Sed hic vltra recusationem, fuit etiam addita appellatio in casum vlterioris processus, quo casu resultant omnino nullitas. *Lap. alleg. 1. Achill. dec. 3. de except.* adhuc causa fuit etiam satis expressa, dum fuit dictum ex causis Sanctissimo in commissione expressis, & ad Senatorem fuit transmissa fides Prælati, qui in proxima Signatura erat causam propositurus, atque hinc sequitur alia consideratio decretæ præcipitantis executionis, circa quam si non intrant, quæ dicuntur de gestis pendente relatione, vel recursu ad Principem *March. dec. 83. nu. 1. par. 1. Mod. de attent. rel. pend. cap. 8. n. 7. & cap. 19. nu. 6. & nu. 30.* saltem negari non potest, quin de stylo Curiæ, & attenta omnis officij ratione prima proxima Signatura Sanctissimi expectari debuerit.

5 Non obstat, quod ad recusationem Iudicis requiratur mandatum speciale; nam Procurator constitutus à D. Thoma marito D. Catherinæ habet in specie hoc mandatum, nec dubium est, quin D. Thomas hanc litem exercere potuerit, cum dotis nomine habuerit expresse omnia iura competentia, & in posterum competitura, quomodolibet D. Catherinæ in, & super his Castris. *l. doce ancillam. C. de rei vendic. leg. si dotis. C. de iur. dot.*

6 Sed magis perspicuè inualiditas istius exequutionis colligitur, ex quo Senator immisit Dom. Ducem vigore testamenti, de quo in actis constabat per simplex exemplum, quod non sufficit pro immissione. *Bartol. in leg. prima, §. si quis in duob. ff. de bonor. possess. secundum tabul. Castr. in authent. si quis in aliquo. numer. 4. Codic. de eden. & in leg. fin. numer. 4. Codic. de edict. Diui Adrian. tollend. ibique Dec. sub numer. 13. versicul. est, quod dicitur de testament. Roman. in leg. sciendum. numer. 70. de verb. oblig.* Atque hanc esse communem opinionem dicit *Grat. consil. 140. numer. 17. lib. primo*, & veriorem dicit *Dec. vbi supra, & dicit Bartol.* id procedere etiam si exemplum datum sit per ipsummet Notarium rogatum, de quo esse *tex. Sing. in d. §. si quis in duobus.* Bene animaduertit, Rom. vbi supra, quandoquidem Iurisc. ait, si vnum fecit testator, quasi testamentum, aliud quasi exemplum, siquidem id extat, quod voluit esse testamentum bonorum possessio petetur. Si vero id, quod exemplum erat bonorum possessio peti non poterit, sicque est ibi casus, quod tam originale, quam exemplum fuerunt confecta manu eiusdem, & tamen vigore exempli non datur possessio. Et quidem, quicquid dicendum sit in alijs materijs in terminis dict. leg. fin. validissima est ratio, quod cum testamentum debeat omni vitio carere, necesse est, vt à Iudice inspiciatur ipsum originale, quia forsitan erit abolitum, vel cancellatum, & tamen huiusmodi vitia in exemplo non apparebunt, vltra quod sicuti aduertit *Purp. in addit. ad Iason. in dicta leg. fin. sub num. 4.* cum *dict. leg. fin. requirat scripturam*, non sufficit exemplum nisi producatur originale, vt voluit *Bald. in rubr. de fid. instrument. quæstio. 21.* cuius opinionem idem *Purpur.* dicit communem *in dicta authent. si quis in aliquo. numer. 29.* & fortius ista procedunt in hoc casu, ex quo, vt dictum est, fuit oppositum quicquid de iure opponi potest, & parte opponente, esse omnino necessariam originalis productionem ad effectum istius immissionis tradit hanc dicens esse communem opin. *Bero. consil. 1. nu. 90. & cons. 55. nu. 5. lib. 2.*

7 Præsertim cum difficultatem augeat, quod originale, quod nunc exhibetur est interlineatum etiam in parte substantiali, videlicet in nomine hæredis. Vnde etiam si ab initio productum fuisset coram Senatore, vix tamen est, vt illius vigore confestim potuisset dari immissio. *Sic. in leg. fin. C. de edict. D. Adr. nu. 16. Menoch. post pract. Papien. quem alleg. adipiscend. remed. 4. nu. 708. & nu. 725.* Ideoque multo minus dari potuit vigore exempli. *Bald. cons. 14. nu. 4. lib. 1. bene Ias. in d. l. fin. sub nu. 6. vers. Sed audi.*

8 Atque ex his sequitur non suffragari D. Duci quod istud exemplum fuerit datum per Archiuistam, vltra quod non fuit doctum de deputatione istius Archiuistæ, neque quod in immittendo in archiuum istud originale testamentum, vel in extrahendo illud ex archiuo seruata fuerit forma requisita. *Corn. consil. 142. numer. 6. lib. 3. Decian. consil. 24. numer. 51. lib. 1.* Quin etiam, nec recognita fuit manus Archiuistæ. *Oldrad. consil. 1. num. 3. Alexan. consil. 166. lib. 2. Put. dec. 323. lib. primo*, & illud originale ex quo sumptum est exemplum, est satis de recenti, videlicet de anno 1591. & fuit repertum non in protocollo, sed in folio volante, in quodam fasciculo scripturarum absque signo Notarij. *Ang. consil. 220. cum alijs per Decian. dict. cons. 24. num. 35. lib. 3.* Vnde tanto magis sequitur, quod ipsum originale, vna cum fasciculo produci debeat, vt fuit dictum in causa Albanen. Fideicommissi de Sabellis 27. Martij 1566. coram bon. mem. Grato. & allegantur aliæ decisiones.

Deni-

Denique nec fuit recte processum, quia cum D. Catherina, tanquam filia, & hæres bonæ memor. Ioan. Pauli Vrsini, qui fuit frater D. Io. Baptistæ, possideret pro indiuiso tertiam partem istorum Castrorum, immissio data in totis Castris sine exceptione, vel reseruatione dictæ tertiæ partis, fuit iniusta, illiusque partis iniustitia influit in alias, quandoquidem tale decretum est indiuiduum, *leg. in hoc iudicio. ff. fam. ercisc. & in indiuiduis vtile per inutile vitiatur, leg. 1. §. item quæritur. & §. Trebatius, ff. de aqua quotid. & æsti. leg. Græcè. leg. illud. ff. de fideiuss.* atque executio in parte nulla, est nulla in totum. *Bart. Castr. & alij in leg. si non sortem, §. si certum, ff. de condit. indeb. Dec. consil. 403. numer. 21. Paris. cons. 81. nu. 24. lib. 2. Roman. cons. 454. nu. 12. in fin. Fulgos. cons. 137. Put. dec. 323. lib. 1.*

10 Nec de ista possessione D. Catherinæ potest dubitari, nedum quia ex Statuto Vrbis *lib. 1. cap. 147.* possessio Ioannis Pauli eius Patris in eam censetur continuata, verum etiam quia in effectu ipsa continuauit illam possessionem, & Rota in decisione facta coram bonæ memoriæ Gipsio die Ven. 11. mensis Maij, 1590. habuit illam pro posseditrice, atque vti talem absoluit per sententiam ab impetitis per ipsummet D. Ioannem Baptistam, de cuius hæreditate nunc agitur, ipseque Dominus Io. Baptista dum constituit dotem D. Catherinæ enumerauit dictam partem in istis Castris inter alia bona, quæ ad ipsam D. Catherinam spectabant, quæque dotis nomine data fuerunt. D. Thomæ eius marito.

11 Cetera quæ hinc inde copiose deducta fuerunt circa transactionem, & donationem, & clausulas in illis apposita respiciunt, vel possessorium ordinarium, vel petitorium, neque sunt in hoc Summarijssimo possessorio discutienda, vt dixit Rota in Romana Vineæ 23. Iunij coram bon. mem. Robusterio.

R. P. D. MANZANEDO.

Seguntina Dimidiæ Annatæ. Veneris 22. Iunij 1607.

ARGVMENTVM.

Obseruantia interpretatiua quomodo probetur, & quando sit attendenda.

SVMMARIVM.

Testes de vniuersitate non probant pro vniuersitate in his, quæ eorum commodum tangunt, vt singulos, nu. 1. & 2.
Testis in causa propria nullus admittitur, nu. 2.
Testes deponentes de sua credulitate, & per verbum videtur, minime probant, nu. 2.
Ignorantia præsumitur ex absentia, num. 3.
Obseruantia interpretatiua non requirit determinatum, & præscriptum tempus. Declara, vt nu. 6.
Testes deponentes super obseruantia numquid necesse sit, quod exprimant tempus obseruantiæ, nu. 6.
Obseruantia interpretatiua non intrat, nec operatur in constitutione, seu statuto cuius verba clara sunt, sed solum in dubijs, num. 9.
Obseruantia interpretatiua est illa, per quam contenta in constitutione effectuantur, non autem illa, per quam aliud diuersum, aut contrarium induceretur, numero 10. & 12.
Obseruantia fundata in titulo vitioso, dicitur vitiosa, & non attendenda, etiam si esset immemorabilis, nu. 12.

DECISIO CXXXVI.

1 CVm in decisione in ista causa facta 7. Maij huius præsentis anni fuisset resolutum, indultum Leonis X. non comprehendere beneficia isti Abbatiæ annexa, sicque de illis Abbatem non teneri ad dimidie Annatæ solutionem, fuissetque reseruatum de obseruantia interpretatiua prædicti indulti particulariter videri, Dubitaui, hodie An de prædicta obseruantia, quæ suffragaretur Capitulo constaret; Et Domini negatiuè respondendum dixere ex sequentibus. Primo, quia inspectis testibus pro Capitulo coram Ordinario Seguntino, & coram Nuncij Apostolici Delegato examinatis, talis obseruantia non resultat probata, Primus namque, tertius, quintus, & sextus testes coram Ordinario examinati sunt Canonici eiusdem Ecclesiæ, & quintus coram Nuncij Delegato est Portionarius, quos ista causa, illiusque commodum tangit, vt singulos, cum pars dimidiæ Annatæ spectet ad Capitulum, & sic ad Canonicos, & Portionarios, & ceteros Capitulares illius. Vnde non debet illis fides adhiberi, vt tradit *Ioan. Andr. in cap. cum nuncius, de testibus, et Felin. in cap. insuper num. 6. et ibi alij eodem tit. Bald. in leg. in tantum, ff. de rer. diuis. et Ang. in §. 1. Instit. eod. et Specul. in tit. de teste. §. 1. vers. sed numquid in causa. num. 21. Bart. in d. l. in tantum. §. Vniuersitatis, et hanc dicunt communem. Dec. in d. c. insuper. nu. 6. et Bald. in cons. 445. nu. 9. lib. 5. et Franc. Curt. in tract. de testib. concl. 3. nu. 1. et Couar. plures referens, practicar. q. c. 18. num. 4. et Villalobos in suo tract. commun. opin. litera T, num. 108. vers. secunda conclusio.*

2 Et est ratio, quia ex predicto interesse, causa est propria vniuscuiusq; ex capitularibus, & in propria causa nullus admittitur ad testificandum, *l. nullus, ff. de testibus, l. omnibus, C. eodem.* Vltra quod testes quatuor primi illorum examinati coram Nuncij Delegato deponunt de auditu, & aliqui se referunt ad partitam librorum capitularium. Vnde nihil releuans concludunt, *c. licet ex quadam, et c. super literis, de testib. l. testium C. eod. cum ibi notatis. Veral. dec. 279. par. 1.* Et alij respondent per verbum (credo) & alij per verbum (videtur mihi) Vnde illorum depositiones nihil faciunt, vt notatur *in l. diem proferre. §. si plures, ff. de arbit. Ang. in repet. l. sciendum, ff. de verb. signif. Nell. à Sanct. Gemin. de testib. par. 2. nu. 164.*

3 Nec obstat, quod Martinus de Matos Cappellanus in dicta Ecclesia secundus testis ex examinatis coram Ordinario super 3. artic. deponat administrasse dictas medias Annatas per decennium, & exegisse dimidiam Annatam beneficiorum vnitorum Archidiaconatui de Ayllon, illamque sibi soluisse Thesaurarium Vidobro nomine Don Philippi de Villauerde de Archidiaconi de Ayllon Romæ residentis, quia iste testis est vnicus, & deponit de vnico actu, & de solutione sibi facta non ab eodem Archidiacono de Ayllon, sed à dicto Thesaurario, quem non constat habuisse mandatum ab Archidiacono D. Philippo absente ad prædictam solutionem ad sui, & illius dignitatis præiudicium faciendam, quin & constat ex eadem depositione de tempore prædictæ solutionis dictum Archidiaconum esse absentem, & Romæ residentem. Vnde præsumitur in ipso tanquam absente ignorantia eorum, quæ in partibus in sui præiudicium fiebant, ad notata *in cap. cum in tua, vbi Butr. num. 4. et Abb. num. 3. et alij, qui matrimon. accus. poss. Bart. in leg. is potest. et ibi Ias. numer. 63. ff. de acquiren. hæred. Tradit Surd. decision. 246. num. 16.*

4 Vlterius, quia de ista exactione, & solutione de qua iste testis deponit, non reperitur aliqua mentio facta in partitis extractis ex libris, istarum Annatarum in ista causa productis; Vnde dubia, & non verisimilis redditur istius testis depositio, cum non sit verisimile quod si talis solutio fuisset facta, non fuisset in libris Annatarum prædicto Ecclesiæ notata, & postea pro parte Capituli extracta inter cæteras partitas in ista causa productas.

5 Minus obstat quintus testis Doctor Ioãnes Dominguez corã Delegato Nuncij examinatus, quatenus super

per 2. & 3. artic. deponit scire, quod dignitates, de beneficijs vnitis soluunt prædictam mediam Annatam Capitulo inter quas enumerat istam Abbatiam Sanctę Columbæ, quia vltra quod in sua depositione non cōcludit prætensam obseruantiam, ipse testis est Portionarius eiusdem Ecclesię, vt ipse in sua depositione declarat, & per consequens habet interesse in ista causa, vnde in illa non est idoneus testis ex supradictis.

6 Vlterius, quia huiusmodi testes non percutiunt certum tempus, & quamuis non requiratur ad obseruātiam interpretatiuam inducendam, determinatum, & præscriptum tempus iuxta doctrinam *Butrij in cap. fin. in 2. lect, nu.47. de consuetudine, & Aym. cons.118. nu. 2. & cons.201. nu.12. Paul. de Castr. cons.34. num.4. lib.1. Decian. cons. 51. num.58. & 84. libr.2. Alex. cons.8. nu.7. lib. 6.* Nihilominus, opus erat in isto casu tempus certum, & determinatum à testibus percuti, ad hoc, vt ex illo posset intelligi an obseruantia, de qua testes probare volebant, esset remota ab indulto, quo casu non iuuaret ex *Socin. cons.6. num.2. lib. 1. Rota diuers. decis.39. nu. 11. par.2.* quod non potest elici ex testibus certum, & determinatum tempus obseruantię non percutientibus, quin in nostro casu, inspecto tempore indulti Leonis Decimi de anno 1519. & inspecto tempore depositionis testium de anno 1604. & consideratis ipsorum depositionibus, etiamsi retrotrahatur per triginta annos, obseruantia, de qua deponere contendunt resultabit remotissima à tempore dati indulti, & per consequens non suffragabitur ex supradictis.

7 Quod si ad prædictam obseruantiam interpretatiuam inducendam consideremus partitas librorum, quæ sunt tredecim, ab anno 1531, vsque ad annum 1601. Ex quibus prima partita de anno 1531. continet onus iniunctum Oeconomo recuperandi à Decano dimidiam Annatam fructuum Cappellaniæ maioris, quæ Dignitas cum sit distincta à Decanatu, & cum illo incompatibilis, dignoscitur aperte, quod possidebatur ab alio, quam à Decano. Vnde quicquid solueret Decanus pro dimidia Annata Cappellaniæ maioris non nocet illius possessori, nec successori, cum non constet, Decanum habuisse mandatum à Cappellano maiori ad soluendum pro eo dimidiam Annatam. Et eadem ratio militat in secunda partita de anno 1532. & in tertia de anno 1534. quarta verò partita de anno 1539. qua iniungitur Oeconomo onus recuperandi ab hæredibus Decani dimidiam Annatam beneficiorum Decanatui annexorum, quæ vacauerant de anno 1524. demonstrat huiusmodi recuperationem annatæ non fuisse petitam per quindecim annos nec viuente Decano, qui poterat se defendere, vnde expectata illius morte ab hæredibus peti intentatum fuit, nec constat ab ipsis solutam; Nona verò partita de anno 1573. loquitur de Abbatia de Medina Celi, que quamuis habeat Sedem in Cathedrali, est prima post Pontificalem in Collegiata, ibique habet continuam moram habitationem, & residentiam. Vnde non dicitur consistere in Cathedrali ex notatis in *decis. 8. & 9. de præben. in antiq.* & in priori decisione in ista causa coram me facta. Vnde nimirum si ex dicta Abbatia soluatur dimidia Annata iuxta dictum indultum, quod non controuertitur. Quinta verò partita de anno 1543. & sexta de anno 1557. & septima de anno 1565. & octaua de anno 1568. & decima de anno 1574. & vndecima de anno 1576. & duodecima de anno 1599. quamuis quędam ex illis contineant aliquas locationes istarum dimidiarum Annatarum, & aliæ contineant onus Oeconomo iniunctum recuperandi huiusmodi dimidias, Annatas, & quamuis non constet dicto Oeconomo quicquam de illis fuisse excomputatum. Nihilominus non constat de aliqua reali solutione à prædictis Dignitatibus Oeconomo factam: vnde ex dictis partitis non potest dici concludenter probatam esse istam obseruantiam, prout Capitulo in ea fundanti suam intentionem, probare incumbebat.

8 Tum etiam, quia cum in ista Ecclesia sint Decanus, Prior, Abbas Sanctę Columbæ, Archidiaconus Seguntin. Archidiaconus de Ayllon, Archipresbyter, Cappellanus maior, habentes beneficia suis Dignitatibus annexa, non est verisimile, quod ab anno indulti 1519. vsque ad introductionem huius litis de anno 1604. non euenerint quamplures aliæ vacatione per obitum aut per resignationem, seu alio quouis modo, prædictarum septem Dignitatum, vltra vacationes contentas in prædictis tredecim partitis. Nec est verisimile, quod si in omnibus vacationibus prædictarum dignitatum fuisset soluta dicta dimidia Annata, quin Capitulum, in dictis suis libris, solutiones annotasset.

9 Et quamuis ex testibus, & partitis supradictis resultaret huiusmodi obseruantia interpretatiua probata; Nihilominus non suffragaretur Capitulo in nostro casu: quia cum verba indulti (ibi.) Non tamen in maiori Ecclesia prædicta consistencium, amplectantur clarè beneficia Dignitatibus, & huic Abbatiæ annexa, cum illa dicantur in maiori Ecclesia consistere, iuxta latè adducta in decisione 7. Maij huius præsentis anni in ista causa coram me facta, non videtur, circa prędictorum interpretationem attendendam esse aliquam obseruantiam sub secutam, quæ non intrat nisi in indulto, lege, vel statuto dubijs, vt satis colligitur ex *Bart. in leg. neque nu.2. & in leg. diuturna. in princ. ff. de legibus, & ex Pan. in cap. cum dilectus, num.7. de constitutionibus, & tradit Arct. in consil. 115. num. 2. & Natt. cons. 308. num. 1. & Surd. consil. 427. num. 44.* & tenuit Rota coram bon. memor. Cantuccio in vna Perusina Syluarum 23. Ianuarij 1577. & refertur *in decis.39. num. 11. part.2. diuers.* In claris enim non cadit interpretatio *leg. ille, aut ille. 7. in verbis, de legat.3. leg. continuus, §. cum ita in fin. ff. de verb. oblig. Bald. in leg. ancillæ. per illum text. Cod. de furtis, interpretatio namque admittitur solum in rebus dubijs Paul. de Castr. in l. hæredes palam, §. si quid post nu.1. ff. de testam. & in cons.340. nu.1. lib. 1. Becc. cons.3. num.44. & sequen.*

10 Obseruantia namq; interpretatiua esset, per quam contenta in indulto effectuarentur, non verò illa per quam aliud diuersum, aut contrarium induceretur. Hoc enim non esset interpretare indultum, sed quid contra illius dispositionem inducere, & tunc non diceretur vsus, sed contrarius vsus, quod non potest seruire pro interpretatione, ad notata per *Aret. vbi supra d. num.2.* Vbi tradit, quod si vsus inducat aliquid vltra mentem, & rationem indulti, non erit interpretatio declaratiua, sed, aut extensiua, prout in casu Aretini, aut restrictiua, prout in casu nostro. Vnde Rota coram eodem Cantuccio in prædicta causa Perusina 7. Maij 1576. & refertur *in decision. 37. num. 27. part. 2. diuers.* dixit, non posse fieri vim in obseruantia interpretatiua cuiusdam instrumenti, quæ illi erat contraria. Sed sic est, quod cum indultum clarè disponat non esse soluendam dimidiam Annatam, de beneficijs consistentibus in maiori Ecclesia, & de iure, & beneficia istis dignitatibus annexa, dicantur consistere in maiori Ecclesia, prout in dicta prima decisione, sequitur quod quæuis obseruantia subsecuta inducens, quod de prædictis annexis ista Annata soluatur, non interpretatur indultum, sed illi contrariatur.

11 Quibus non obstat, huius indulti dispositionem nō posse dici ita claram, vt obseruantia illius interpretatiua non veniat admittenda, cum Rota in illa Seguntina dimidiæ Annatæ 26. Nouembris 1593. coram bon. mem. Orano admiserit contrarium huius indulti intellectū: quia respondetur, quod prædicta decisio Orani nullatenus dubitauit de beneficijs annexis dignitatibus, nec admisit, quod de illis dimidia Annata solueretur, quin contrarium sensit, quatenus dixit, quod exceptio indulti intelligebatur de beneficijs habentibus

tibus suam dotem super mensa eiusdem Ecclesiæ. Vnde cum in prædicta prima decisione corã me latè fuerit ostensum, quod huiusmodi beneficia Dignitatibus annexa, & huic Abbatiæ vnita, dicantur consistere in Cathedrali, vbi dignior titulus Abbatiæ consistit, cui sunt annexa, sintque prædia illius, & de eadem mensa; sequitur, quod ista beneficia sic annexa, cum censeantur de eadem mensa, comprehendantur in prædicta exceptione huius indulti, iuxta eandem decisionem Orani, quicquid ibi decisum fuerit circa Cappellanias de quibus in illa decisione agebatur, quarum dotes peculiares intra, vel extra Ecclesiam existentes nullo casu de illius mensa dicuntur. Vnde ex prædicta Orani decisione non potest inferri, dubiam esse huius indulti dispositionem circa supradicta.

12 Vlterius, quia cum ex indulto constet illud fuisse concessum ad petitionem, & fauorem Capituli, & Dignitatum, & constet, vt dictum est, Dignitates non teneri de annexis ad istam dimidiam Annatam, & Capitulum, quod fundatur in istomet indulto debeat illud acceptare, etiam contra se. Sequitur, quod idẽ Capitulum prætendens contrarium, nempè de annexis prædictis dimidiam Annatam sibi solui, dicatur fũdari in titulo vitioso; & per consequens talis obseruantia sit vitiosa, quo casu non est attendenda, vt notat *Aym. in cons. 680. n. 5.* vbi etiamsi daretur immemorabilis non subsisteret dato titulo vitioso, quod etiam tradit *Couarr. in regula possessor. par. 2. §. 3. nu. 7. vers. quo fit, & Molin. de primogen. lib. 2. cap. 6. nu. 6. cum sequentib.* ratio est, quia cum constet de veritate infecti principij, & sic sumus in claris, cessat præsumptio, quæ resultat ex obseruantia etiam immemorabili. *Curt. iun. consil. 130. numer. 4. Verall. decis. 304. in princip. part. 3. Couarr. vbi supra. Ruin. consil. 28. numer. 22. libro quarto. Castrens. consil. 48. in causa quæ vertitur, etcæt. libro secundo. Alexand. consil. primo. libro quarto. in cap. quoniam contra. in fin. de probat.* Et hinc est, quod qui titulo vitioso nititur sit in mala fide, qua stante cessat quælibet obseruantia, vt tradit *Geminian. in capit. cum personæ. §. quod si tales. numero sexto. versic. sed pone, et ibi Franch. numer. 3. de priuileg. libr. 6.*

R. P. D. CAVALERIO.

Giennen. Portionis. Lunæ 5. Nouembris. 1607.

DECISIO CXXXVII.

Est impressa inter Caualer.

DECISIO 9.

R. P. D. SCOTTO.

Seguntina Expensarum, Lunæ 5. Nouemb. 1607.

ARGVMENTVM.

Lis vbi vertitur inter Canonicos, & Portionarios, non dicitur agi de interesse Ecclesiæ, secus si agatur inter Canonicos, & extraneos, ita vt primo casu Capitulum non teneatur ad expensas litis, secundo autem casu sic.

SVMMARIVM.

Canonici, et Dignitates Ecclesiæ litigando cum Portionariis non debent subministrare expensas litis ex massa communi cum ipsis Portionarijs. nu. 1.

Lis quando vertitur inter Canonicos, et Portionarios tunc non dicitur tractari de interesse Ecclesiæ, secus si Canonici litigarent cum extraneo, num. 1.

Dignitas maior debet in Ecclesia frui maiori honore. Declara vt num. 2.

Procurator constitutus à maiori parte Capituli consequi debet expensas ab ipso Capitulo, licèt lis sit cum singulis de Capitulo, nu. 3.

Electionis materia vbi tractatur, ibi dicitur tractari de iure, et interesse Ecclesiæ, nu. 3.

Consuetudo improbanda habenda non est in consideratione, num. 4.

DECISIO CXXXVIII.

1 DOmini censuerunt non esse recedendum à decisione facta sub die 12. Iunij 1606. coram bonæ memoriæ Litta, extensa per Reuer. P. Dom. meum Ludouisium, & consequenter expensas, quas faciunt Dignitates, & Canonici Seguntini litigantes cum Portionarijs eiusdem Ecclesiæ non esse extrahendas ex massa communi cum ipsis Portionarijs, ea præcipuè ratione considerata in decisione, quod nihil interest Ecclesiæ vel Capituli, quod antiquior Portionarius absentibus omnibus Canonicis, & Dignitatibus possideat in choro, vel quod Portionarius incedat ante Portionarium portantem Crucem secundum vtramque prætensionem Capituli cum agatur inter ipsos de Ecclesia non cum extraneis, vt in simili non tractari de interesse Ecclesiæ notant *Innocent. et alij in capit. ex literis. de probat.* vbi aliqui Canonici cum alijs litigant de iuribus præbendarum suarum, secus si cum extraneis, quia in primo casu non interesse Ecclesiæ, quod magis minus Canonicus, quam alter possideat, quia res ab Ecclesia non eximitur, secus in secundo casu, vt declarat *Dec. ibidem numer. 34. Lap. allegat. 50. numer. 6.*

2 Immo dicebant Domini prætensionem Portionariorum concernere magis interesse Ecclesiæ, & Capituli, quam prætensionem eiusdem Capituli, cum absentibus dignitatibus, & Canonicis honorabilius, honestiusque videatur, quod antiquior Portionarius presideat in Choro, quàm alius Clericus inferior, cum in Ecclesia ille maiori honore frui debet, qui maioris est dignitatis, vel si non est ibi dignitas, quæ maioris est ordinis, vel si sint æqualis ordinis, ille qui prius ordinatus est, *Innocen. in cap. 1. num. 1. de maior. et obed.* & idem dixerunt procedere respectu Portionarii, cum magis dicatur concernere dignitatem Capituli, si sedeat in inferiori loco laicus extraneus quam si præcedat ipsum Portionarium, qui dicitur, & est membrum ipsius Capituli.

3 Quibus dixerunt non obstare *glos. 1. in cap. cum inter de elect.* quæ voluit Procuratorem constitutum à maiori parte Capituli, consequi debere expensas ab ipso Capitulo, licèt sit lis cum singulis de Capitulo, quia ibi litigabatur pro iuribus Ecclesiæ, vt inquit *Abb. n. 6. vers. vnde possit, etc.* Eo ipso enim quod agebatur de materia electionis dicebatur tractari de iure ipsius Ecclesiæ, vt illũ haberet Pastorem, quem habere debebat, *Ang. cons. 295. n. 4. uers. quinimo interest. Feder. de Sen. cons. 119. nu. 1.* Et vt inquit *Bald. in cap. ut præteritæ. nu. 3. in fin. de elect.* huiusmodi negotium magis pertinet ad Ecclesiam, quàm ad eligentes, quæ quo ad hunc casum per supra dicta non possunt haberi in consideratione prout eadem ratione non illi applicantur, quæ de iustitia prætensionum dicuntur, & de bono zelo Capituli, quia illa procedunt vbi adest præsuppositum vtilitatis Ecclesiæ vt in distinctione *Abbatis in d. cap. cum inter nu. 6. in fin. de elect.*

4 Minus obstare dixerunt, quod Portionarii veniunt contra antiquas consuetudines Ecclesiæ, seu Capituli, quia huiusmodi consuetudinem esse corruptelam potius, & improbandam, censuit sacra Congregatio Rituum

Rituum & Rota, & consequenter nullo modo habendam in consideratione, vel seruandam, *Vital. in Clem. cum secundum, num. 47. de pæn. &c.*

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

D. CARD. BONONIEN.

Romana Spolij de Pinis, Mercurij 3. Nouembris 1607.

DECISIO CXXXIX.

Est impressa inter Ludouis.

DECISIO 336.

REVERENDISS. P. D. LVGDVNEN.

Visen. Parochialis 12. Nouembris 1607.

ARGVMENTVM.

1 Agitur in hac decisione de probatione obitus valoris beneficij presbyteratus, & habilitatis impetrantis beneficium ad effectum, vt gratia dicatur iustificata.

SVMMARIVM.

Mors beneficiati probatur per publicam vocem, & famam, num. 1.
Possidens præsumitur possedisse vsque ad obitum, num. 1.
Negatiua probatur per diligentias factas, nu. 2. in fine.
Mors alcuius probatur per testes dicentes vidisse aliquē ægrotantem, & in illa infirmitate mortuum, & audiuisse sonum campanæ ob eius obitum, nu. 2.
Valor beneficij per non excessum probatur per testes de publica voce, & fama, num. 3.
Presbyteratus probatur per testes, qui viderunt aliquem celebrare num. 3.
Assertioni Papæ creditur de habilitate impetrantis beneficium, num. 3.

DECISIO CXL.

1 IN magnam Francisci contumaciam informante solo Georgio, gratiam Georgij esse iustificatam fuit dictum. Vacatio autem Parochialis ex persona Michaelis probatur per plures testes de publica voce, & fama deponentes. *Mohed. decis. 1. de probat. Put. decis. 160. in fine libr. 3.* Et constat de prouisione illi facta ab ordinaria, de anno 1595. & de possessione tunc ab illo capta, in qua continuasse præsumitur vsque ad obitum.

2 Accedit sententia exequutoris impetrationis Francisci lata 7. Maij 1596. ad fauorem Michaelis, vti possessoris triennalis, quæ sententia transiuit in iudicatum ob non prorogationem fatalium per Franciscum cum à tempore dictæ sententiæ Georgij de anno 1600. quatuor anni lapsi fuerunt, ita vt euentus declarauerit collationem spectare ad Papam, ad reg. 8. Cancellariæ, atque demum ipse Franciscus petijt subrogari in ius, quod Michaeli competebat, & in possessionem, in qua existebat tempore obitus Michaelis in mense Februarij, probatur per confessionem Francisci in prædicta subrogatione. *Ægid. decision. 1603. & 595. Put. decision. 175. libr. 3.* & per testes de publiblica voce, & fama, iuncto secundo qui de scientia deponit, quia vidit Michaelem ægrotantem in illa infirmitate, in qua mortuus est, & audiuit sonum campanæ ob eius obitum. *Verall. decis. 288. part. 3.* quod tanto temporis spacio Parochialis vacauerit, vt iuxta constitutionem Sanctæ Memoriæ Pij Quinti, collatio esset ad Sedem Apostolicam deuoluta. Probatur quia non fuit infra quatuor menses significata electio, & approbatio Georgij, prout in dicta Constitutione requiritur pro forma præcisa, vt fuit dictum in Volaterana Parochialis 20. Maij 1591. coram bonæ memoriæ Gipsio, & in Toletana Parochialis 3. Iulij 1595. coram Illustrissimo Cardinali Seraphino. Et negatiua prout ex diligentijs in Dataria factis, vt post *Bart. & Doctores in l. is potest. ff. de acquir. hæred.* Tradunt *Cassad. super reg. 3. num. 5. & Mohed. decis. 5. num. 1. de causa possess. & propriet.* Et fuit dictum in causa Burgen. Canonicatus 19. Ianuarij proximè præteriti coram R. P. D. Ludouisio.

3 Valor beneficij, quod scilicet fructus non excedant ducatos auri de Camera 180. probatur per testes de publica voce, & fama deponentes, quę probatio sufficit. *Verall. decision. 674.* Presbyteratus per testes qui viderunt illum celebrare, & de alijs habilitatibus constat ex Papæ assertione. Ideoque alia iustificatione non indigeat, vt fuit dictum in causa Tirasonen. Cappellaniæ. 28. Nouembris 1605. coram R. P. D. meo Pamphilio, vbi aliæ decisione allegantur, & narrata Francisci intrusio non iustificanda, vt fuit sæpè decisum.

REVERENDISS. P. D. PEGNA

DECANO.

Compsana iuris patronatus, Lunæ 12. Nouemb. 1607.

ARGVMENTVM.

De Regula octaua reseruatoria octo mensium Sedi Apostolicæ plura notanda, de quibus in Summarijs.

SVMMARIVM.

Dispositionis verbum comprehendit etiam prouisiones per Commendas, nu. 1.
Regula reseruatoria octo mensium est subsidiaria, & comprehendit beneficia in alijs non comprehensa, nec non Monasterium, in quo ordinarius ad præsentationem patroni sibi priuilegio concessam haberet institutionem, num. 2.
Prouidere verbum est latissimum, & omnem prouidendi modum comprehendit, nu. 2. & per totam decisionem.
Beneficia non dicuntur de nouo vacare percessationem Commendæ, sed vacant vt prius, & reuiuiscit antiqua vacatio, nu. 3. Declara, vt nu. 4. & 5. & nu. 7.
Prælati regulares sit intra sex menses non conficiunt Prioratus, Ecclesias administrationes, aut quæuis alia beneficia ad eorum dispositionem spectantia cum vacant, prouisio deuoluitur ad Ordinarium, nu. 5.
Commendæ, et administrationes sunt velut tituli beneficiorum, et quid in Commendis datis ad certum tempus, num. 6.
Commendatarius non est verus Prælatus, sed rerum Ecclesiæ custos, et legitimus administrator. Declara hoc procedere in Commendatario temporali, secùs in Commendatario perpetuo, nu. 6.
Commendæ nunquid propriè vacare dicantur, nu. 7.
Commendæ veniunt sub regula reseruatoria octo mensium, num. 7.
Reseruationes plures concurrere possunt super eodem beneficio, num. 9.

DECISIO CXLI.

1 DVbium, An Monasterium Sanctæ Mariæ in Ilice Compsanæ Diœcesis, alias bona memoria Cardin. Gesualdo commendatum, quod vacauit, per obitum eiusdem Cardinal. extra, Curiam in mense

mense Februario Papæ reseruato, comprehenderetur sub Regula octaua, fel. re. Clementis VIII. reseruatoria octo mensium, sæpè fuit propositnm à bon. mem. Alexandro Litta, & à me. Et quia materia erat singularis, subtilis, & perplexa, tum propter Decisiones Rotales, tum propter dicta Doctorum implicata, sæpè indecisum euasit, donec tandem in hac propositione omnium Dominorũ suffragijs discussum, omissa præsertim disputatione in genere, & indistincte, concepta de quibuscunque beneficijs, & Monasterijs commendatis, An comprehendantur sub dicta Regula in hoc casu affirmatiuè fuit resolutum, videlicet hoc Monasterium sub dicta Regula comprehendi. Cum enim Regula octaua generaliter reseruat dispositioni Romani Pontificis omnia beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura, sæcularia, & quorumuis ordinum Regularia in octo mensibus, in ea expressis quocunque modo vacatura pertinentia ad collationem, prouisionem, præsentationem, electionem, & quamuis aliam dispositionem, quorumcunque collatorum, & collatricum sæcularium, & quorumuis ordinum Regularium. Et hoc Monasterium quotiescunque cessante Commenda per cessum, vel decessum Commendatarij vacare contingeret, vigore Indulti Apostolici ad præsentationem Comitis Compse possit Episcopus in titulum instituere, si sibi præsentaretur Clericus Regularis, & in Commendam si præsentaretur Clericus sæcularis, consequenter veniebat sub Regula comprehensum. Tunc enim cessante reseruatione vigore Indulti, per eandem Regulam sublati, vt per duas decisiones iam fuit in hac causa decisum, dispositio Regulæ hoc Monasterium comprehendebat. Quod non videbantur respuere prædicta verba Regulæ, & præsertim illa. Et quamuis aliam dispositionem. Quibus comprehendi etiam prouisiones per Commendas signanter voluerunt *Geminianus, in cap. nemo. num. 7. versic. credo posse concludi, & ibidem Francus, num. 5. versic. cum verbum prouisionis, de elect. libr. 6. & Rebuff. in Regula de publicandis Resignationibus Gloss. 16. in princip.* Rota in vna, Cremonen. Pensionis die 18. Maij 1584. vers. hoc etiam fundamentum.

2 Et cum regula octaua sit subsidiaria, & capiat beneficia in alijs non comprehensa, vt fuit in terminis decisum in causa Eugubina Præpositurae, die 13. Martij 1606. coram D. Ludouisio, merito comprehendit hoc Monasterium, in quo Ordinarius ad præsentationem Comitis haberet institutionem modo prædicto, & præsertim inspecta voluntate Papæ, quam arguunt tum verba supra ponderata, tum illa, cupiens pauperibus Clericis, & alijs benemeritis personis prouidere, omnia beneficia Ecclesiastica dispositioni suę generaliter reseruauit. Tum verbum prouidere, quod est latissimum, & comprehendit omnem modum prouidendi, *gloss. in Clem. fin. in verbo prouisioni de electión. Gemin. num. 10. & Francus, num. 3. in capit. 1. de elect. libr. 6.*

3 Non obstat, quod per cessationem Commendæ, beneficia non dicantur de nouo vacare, sed vacent, vt prius, & reuiuiscat antiqua vacatio, *Cassador. decis. 5. incip. commend. uerat Papa, num. 4. De Priuilegijs, Verall. decis. 144. incip. condemnatum beneficium, part. Mobed. decis. 4. incip. In curia vacauerat. de præbend. & decis. 16. incip. Monasterium quoddam. num. 1. de caus. possess. & propr.*

4 Quia fuit responsum primo, quod licet per cessationem Commendæ beneficia commendata non dicantur vere, & proprie vacare, vacant tamen improprie, siue largo modo, & datur aliqualis vacatio. *Gometius in Regula de verisimili notitia. quæst. 4. versic. non obstat,* quod per obitum, & in Regula de impetran. benefic. *vacan. per obit. familiar. quæst. 6. num. 4. & 5. versic. mortuo tamen Commendatario, & versic. quæ vacatio. venit largo modo*, quod bene applicatur ad hunc casum, in quo per cessationem Commendæ Episcopus ad præsentationem Patroni vigore Indulti Apostolici in hoc Monastrio habebat institutione quam Regula octaua sustulit, cum effectus reseruationis sit ligare potestatem inferiorum circa dispositionem reseruatorum. *Rota decis. 32. num. 2. de præbend. in antiq.* Doctore verò allegati pro D. Comite Compsano ad probandum, quod cessationem Commendæ, non contingat noua vacatio, omnes fere loquuntur, & intelligendi sunt de vacatione, de iure: non tamen excludunt aliqualem vacationem, & impropriè, siue largo modo contingentem per obitum Commendatarij.

5 Secundo dicebatur, quod licet beneficia commendata non dicantur vacare ita verè, & propriè, sicut beneficia, quę in titulum conferuntur: dicuntur tamen suo modo vacare, cum Commendatarij aliqualem titulum habere dicantur in Ecclesia commendata, licet non ita firmum, sicut habet ille, cui fit collatio. *Felin. in cap. cum olim. num. 6. versic. quia licet Commendatarius, de maior. & obed.* Quod videtur etiam probari ex *Clement. 1. de supplen. negligen. Prælat.* vbi si prælati Regulares intra sex menses non conferant Prioratus, Ecclesias, Administrationes, aut quæuis alia beneficia ad eorum dispositionem spectantia, cum vacant, prouisio deuoluitur ad Ordinarios. Vnde notabatur, administrationes dici vacare quo ad prouisionem.

6 Id hodie minorem dubitationem habet, cum Commendæ, & administrationes sint velut tituli Beneficiorum. *Milis in Repertorio in verbo. Beneficium va cans, gloss. in Pragmatica Sanctione tit. De pacif. possess. in princ. in verb. titulum.* Et licet in Commendis ad certum tempus datis, quas Doctores temporales vocant, id posset pati difficultatem, cum Milis in repertorio in verbo, Beneficium vacans reseruatum. *Alex. consil. 96. incip. visis narratis. num. 2. lib. 4. Socin. consil. 32. incip. ex his, quæ superius, num. 17. libro 1. Felin. in cap. cum olim, quæst. 11. num. 6. de maior. & obedien. Bertrand. cons. 235. incip. etiamsi commenda. num. 2. libr. 3. in antiquis. Stapileus in tractat. de literis gratiæ, & iustitiæ, in præfatione §. septima igitur forma. Bartholom. Chassan. consil. 20. incip. pro inspectione tituli. num. 8. & Gometius in §. fuerat. post. num. 7. Institut. de action.* communiter voluerint Commendatarium non esse verum Prælatum, sed rerum Ecclesiæ custodem, & legitimum administratorem, id de Commendatario temporali intelligendum est, vt prudenter obseruauit *Mandos. ad consil. Roman. 350. super verb. Glossa. litera B.* quia Commendatarij perpetui (quales sunt fere omnes hoc sæculo, nam Commenda temporalis multis ab hinc annis recessit ab aula, vt præcitato loco Mandosius annotauit) veri Prælati dici possunt, cum huiusmodi perpetuæ Commendæ, quæ ad vtilitatem Commendatariorum conceduntur, loco titulorum habeantur, verosque Prælatos, efficiant. *Alciat. in leg. pactum curatoris, colum. 5. versic. sed an id Commendatario. Cod. de pact.* Et ita pluries tenuisse Rotam testatur Gometius super Regula de infirmis resignantibus, *quæst. 13. num. 7.* Et super Regula de Annali. *quæst. 26.* paulo ante finem, & latissimè super Regula de Triennali. *quæst. 5.* Vnde cum Commenda perpetua largè sit titulus Canonicus, sicut alij, *Sarnen. super Regula de Triennali. quæst. 5. Gloss. Pragmatica Sanctione titul. de pacificis possessoribus, in princip. in verb.* Titulum, neque inepte dicitur vacare, nec minus apposite affirmatur, sub Regula 8. comprehendi.

7 Supradictis accedebat, quia in casu proposito, Paulus Papa III. cum huius Monasterij prouisionē, quando cessante commenda vacare contingeret, concessit Ordinario, verbo vacationis vsus fuit. Quamuis autē siue commenda sit temporalis, siue perpetua, Cancellaria, & camera semper retinuerint formam expedic-

di, & prouidendi per modum cessationis quocunque titulo fiat expeditio, vel quacunque appellatione vocentur, non tamen propterea immutatur ius Comendatariorum: quia vbicunque verbum vacare est proprie accipiendum, non intelligitur de Commendis, quæ propriè non dicuntur vacare. Nam licet largo modo sit titulus Canonicus, non tamen est omnino idem titulus cum illo beneficiorum, quę conferuntur in titulum. Et propterea in reseruatione *cap. 2. de præbend. lib. 6.* non venit Commenda, cum non dicatur propriè vacare. Secus autem est in hac Regula, vbi verba, quocunque modo vacatura, sunt amplissima: & ideo siue contingat vacatio ratione tituli, siue ratione administrationis, & Commendæ, quia non est alius modus vacandi, dummodo sit facienda aliqua prouisio, seu dispositio, continetur sub Regula. Quod apertius inferunt subsequentia verba Regule, ad collationem, prouisionem, & quamuis aliam dispositionem quorumcunque collatorum quomodolibet pertinentia. Quibus proculdubio comprehenditur ius, quod habet Episcopus in hoc Monasterio instituendi, & commandendi. Quia per hunc modum vacandi ille, ad quem spectat, potest facere prouisionem. *Rom. d. cons. 350. nu. 22.* ibi vacationem Præpositurę, quæ ad tit. Commendæ.

8 Nec ad rem pertinebat, quod Ordinarius non disponeret iure proprio, sed vigore Indulti Apostolici, quia idem erat in causa Eugubina Præpositure, & tamen Papa voluit non impedire vigore Indulti in suis mensibus. Et ideo dixit, quomodocunque spectantia quæ verba sunt magis ampla, quam illa, quæ vigebant tempore antiquarum decisionum Rotalium, & Doctorum, qui pro contraria opinione allegantur.

9 Demum non obstabat, quod cum Regula secunda, particulariter, & expresse reseruet Monasteria, frustra contendebatur hoc Monasterium comprehendi sub Regula 8. Quia dicebatur primo super eodem beneficio posse concurrere plures reseruationes, vt ex Cassadoro, Felino, & alijs tenuit Rota in causa Brundusina Archidiaconatus die 16. Ianuarij 1604. coram D. Card. Mellino, tunc Rotæ Auditore, & fuit etiam dictum in causa Eugubina Præpositurę, iuxta decisionem 32. de præben. in antiquis.

10 Secundo dicebatur intentionem Papæ in Regula 8. fuisse reseruare solum in illa beneficia, quæ ad suam prouisionem libere non spectabant, vt posset de illis Clericis pauperibus, & alijs benemeritis prouidere. Vnde oportuit Regulam octauam tanquam subsidiariam condere: hæc est enim ratio finalis Regulæ, vt patet ex eius procœmio, quæ cessat in beneficijs, alias Papæ reseruatis. *Ripa respons. 6. num. 3. & 4. de Constitut. Oradin. dec. 131. incip.* Die Lunæ 20. Aprilis, libro 1. in manuscriptis.

11 Tandem respondebatur, quod licet hoc Monasterium comprehenderetur sub Regula 2. & eius vigore collatio, siue prouisio spectaret ad Papam: quia tamẽ dubitari poterat, An Priuilegium Pauli III. cum clausulis amplissimis concessum Comitibus Compsę cum facultate data Episcopi instituendi in titulum, vel in Commendam, derogaret Regulæ secundæ, recurrere oportuit ad Regulam octauam pleniores, & copiosiores clausulas habentem, sub qua propterea veniebat comprehensum. *Oradin. dicta decis. 131. libr. 1. Accorambonus decis. 58. incip.* Mensis non est de necessitate exprimendus *in fin. libr. 2.* quibus cauetur quod quando Papa impediretur prouidere beneficia alias reseruata, tunc comprehenduntur sub regula octaua, quæ est subsidiaria. Et ita fuit resolutum in dicta causa Eugubina Præpositurę in eisdem terminis procedente.

REVERENDISSIMO P. D. ATTREBATEN.

Romana Grani, Lunæ 19. Nouembris 1607.

ARGVMENTVM.

Ex Summario sumas Argumentum.

SVMMARIVM.

Clausula si quid exequendum iustificari debet ex actis prioris instantiæ, nu. 1.

Personarum legitimatio facienda est in omni iudicio, quantumuis Summario. num. 2.

DEISIO CXLII.

1 FVit resolutum decreta A. C. in fauorem hæredum Catherinæ vxoris quondam Pompei Guarrinaccij contra D. Octauium Gabrielium esse nulla ad effectum mandandi illa exequutioni, quia non iustificantur ex actis Prioris instantiæ, quæ sola sunt attendenda ad hoc, vt sit locus clausulæ si quid exequendum, *Chis. dec. 179. Put. dec. 401. libr. 1.* & fuit dictum in Bononien de Budriolis 25. Nouemb. 1578. coram Illustrissimo Cardin. Seraphino in fin. & in Romana Census 4. Decemb. 1595. coram Illustris. Card. Pamphilio, quæ decidit casum nostrum.

2 In primis verò non fuit facta legitimatio personarum, quod essent hæredes Catherinæ, vt in omni iudicio quantumuis Summario necessaria est ad fundandum iudicium, *l. 1. §. si ea. vbi glos. in verb. vxor. ff. de vent. in poss. mitt. leg. vitia. ff. solut. matrim. l. vltim. & ibi Bald. num. 50. vers. octauo suadeat. Cod. de edict. Diui Adr. toll.*

3 Secundo non constat de obligatione D. Octauij de restituendo prioribus, & potioribus, nec de credito Catherinæ vti debet præsertim stante protestatione partis. Et ad prædictum effectum exequutionis non possunt decreta ex nouiter deductis iustificari, vt sæpe fuit per Rotam resolutum, quia facultas exequendi semel consumpta non reuiuiscit, &c.

R. P. D. MANZANEDO.

Florentina Fideicommissi, Lunæ 3. Decembris 1607.

ARGVMENTVM.

Fideicommissum perpetuum, & reale, an, & quando censeatur inductum per prohibitionem alienationis bonorum factam à testatore cum ratione, vt eadem bona perpetuo remaneant in familia.

SVMMARIVM.

Fideicommissum censetnr inductum ex prohibitione alienationis, quia voluit testator, bona perpetuo remanere in familia, num. 1. & 2. vbi quid si non est apposita dictio perpetuo.

Fideicommissaria dicitur substitutio, & non vulgaris, quando fideicommissum fuit institutum de re certa, & per verba communia nu. 3.

Fideicommissum vbi est constitutum in re certa, conditio adiecta in prima substitutione censetur etiam repetita in secunda, nu. 3.

Fideicommissum dicitur reale, quando verba testatoris sunt directa in rem, & non in personam, afficitque omnes personas, & quoscunqne possessores, nu. 4.

Fideicommissum factum per nomen descendentes quando est colle-

collectiuũ, comprehendit de sui natura omnes descendentes in infinitum si propterea in perpetuum ordine successiuo vocati censentur. numer. 5. & numer. 10. vbi respondetur contrarijs,

Descendentes masculi vbi sunt vocati in fideicommisso, præsumitur testatorem voluisse prospicere conseruationi agnationis. nu. 6.

Fideicommissum, in quo vocantur masculi censetur excludere feminas. nu. 7.

Qualitates in prima oratione expressæ per copulatiuam, non censentur repetitæ in secunda oratione, quando orationes sunt diuersæ, nisi contrarium ex præsumpta disponentis voluntate appareat, & nisi dictæ diuersæ orationes sint continuatæ, & coniunctæ. nu. 8.

Fideicommissum censetur inductum perpetuum inter omnes descendentes masculos, quando testator, voluit, bona alienari prohibita esse subiecta fideicommisso, nedum in casu alienationis, sed etiam mortis. nu. 9.

Participium respiciens verba generalia determinat, & restringit verbum principale orationis. num. 11. Declara, vt num. 12.

Fideicommissum quibus verbis censeatur perpetuo inductum per prohibitionem alienationis bonorum, vt ipsa bona remaneant in familia. nu. 13.

DECISIO CXLIII.

1 Lata sententia Rotali confirmante illam de partibus, & sic ad fauorem Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Cardinalis Deti, fuit ex aduerso appellatio ab illa interposita, & causa per Sanctissimum mihi commissa; dubitaui, An prædicta sententia veniret confirmanda, & Domini affirmatiuam amplexi fuere. Quia prout partes fatentur, & ex testamento Domini Guidi Deti, de quo agitur clare constat, Testator instituit, perpetuum, simplex, & absolutum fideicommissum, tam in casu alienationis, quam decedentiæ, ad fauorem filiorum, & descendentium masculorum legitimorum, & naturalium ipsius testatoris, de prædio controuerso, quod satis apparet ex prohibitione alienationis dicti prædij facta à Testatore, ea ratione, quia illud voluit perpetuo esse, & permanere in filios, & descendentes masculos legitimos, & naturales ipsius Testatoris. Ex prædicta namque ratione prohibitioni alienationis adiecta cẽsetur fideicommissum perpetuum, & absolutum inductum inter omnes descendentes etiam in casum mortis, vt tradunt *Bartol. & communiter Scribentes in leg. qui Romæ. §. cohæredes. ff. de verb. obligat.* & pluribus relatis tradunt *Couarr. in capit. Raynaldus. de testament. in princip. num. 9. & Molin. de primogen. lib. 1. cap. 5. numer. 16.*

2 Sed quia post supradictam de filijs, & descendentibus masculis Testatoris substitutionem factam, deficiente Testatoris linea masculina, voluit Testator in secunda substitutione simpliciter bona prædicta trãsire, & peruenire in descendentes masculos D. Thomæ patris ipsius, non adiecta dictione (perpetuo) prout in prima substitutione adiecta fuerat; Contendunt Domini de Philippis, inter descendentes masculos Thomæ, nullum perpetuum fideicommissum adesse, sed illos vocatos fuisse per vulgarem, taliter, quod vno admisso substitutiones quo ad ceteros expirauerint. Contrariam tamen sententiam Domini sunt amplexi ex sequentibus.

3 Primo, quia huiusmodi fideicommissum fuit institutum de isto vnico prædio, & sic de re certa, quo casu substitutiones quæcunque factæ per verba communia, prout sunt (transire, & peruenire) quibus descendentes masculi Thomæ fuerunt vocati, censentur semper fideicommissariæ, non verò vulgares, iuxta doctrinam *Bartol. in leg. his verbis. num. 2. vers. in contrarium. ff. de hæred. instit. & in leg. centurio. num. 33. & ibi Rip. num. 93. & num. 153. ff. de vulg. Bald. consil. 170. in princip. & in versic. solutio lib. 1. per text. in leg. cogi. §. & generaliter. ff. ad Trebell. latè Castr. consil. 16. num. 3. versic. quia fuit facta, lib. 2. Cornel. consil. 47. numer. 12. lib. 1. Bero. consil. 125. numer. 31. cum sequent. lib. 2. Decian. consil. 41. numer. 78. & 80. libro primo,* vbi de communi, & reddit rationem, quia cum non tractetur de institutione hæredis, & substitutio sit facta in re certa, remanentibus alijs portionibus hæredi scripto, prout est in nostro casu, tunc semper dicitur fideicommissaria, Tum etiam quia tali casu, quo sumus, in fideicommisso rei certæ, conditio expresse adiecta primæ substitutioni, censetur repetita in secunda, vt post *Bartol. Bald. Angel. & Imol. in leg. sub conditione. ff. de hæred. institut. tradunt, illis relatis, Corn. in leg. 1. §. pro secundo. num. 12. vers. ideò tertio dicas attestans de communi. C. de caduc. tollen. quam etiam sequitur, communem dicens, Dec. cons. 190. in fin. versicul. 3. non obstat.*

4 Secundo, quia licèt non essemus in fideicommisso rei certæ, sed vniuersali, nihilominus idem esset dicendum, cum Testator tam in prima substitutione suorum descendentium, quam in secunda descendentium Thomæ, fecerit reale fideicommissum, vt deprehenditur satis clare ex prohibitione alienationis, & ex verbis institutionis huius fideicommissi, tam in prima, quam secunda substitutione relatis, quæ omnia non in personas, sed in prædium fuerunt directa, prout & fuere verba inferius posita, ibi, quia voluit bona prædicta alienari prohibita, vt supra, fore subiecta fideicommisso, &c. quo casu prohibitio alienationis dicitur realis, & fideicommissum reale, ex *Bartol. in leg. peto. § fratre. num. 2. versic. dic ergo. de legat. 2. & ibi Cuman. num. 5. circa princip. Castr. in leg. voluntas. in fin. Cod. de fideicommiss. Alex. in leg. 1. num. 88. de offic. eius Dec. consil. 88. in fin. Alciat. in leg. filiusfamilias. §. Diui. num. 48. de legat. 1. & ibi Crot. num. 43. & Rip. num. 66. & Iason. in 2. lect. num. 25. idem Iason. in dict. leg. voluntas. num. 11. Paris. consil. 22. num. 49. lib. 3. Bec. consil. 24. num. 24. Petra de fideicommiss. quæst. 2. num. 2.* Et tale fideicommissum reale, efficit grauamen reale, & afficit omnes personas, & quoscunque possessores. *Bald. in leg. precibus. num. 49. & ibi Salicet. C. de impuber. & alijs. Paris. cons. 18. num. 50. & cons. 90. nu. 43. lib. 2. & plures, quos referunt Surd. cons. 315. num. 20. & Becc. vbi supra. num. 38. & Mandell. cons. 93. num. 2. & con. 97. num. 2. Et Decian. cons. 54. num. 26. & consil. 102. nu. 3. libr. 2.*

5 Tertio, quia substitutio ista de descendentibus masculis Thomæ fuit facta per nomen (descendentes) collectiuum, & comprehendens de sui natura omnes descendentes in infinitum. *§. 1. in authent. de hæred. ab intest. venient. leg. fin. Cod. de suis, & legit.* & ex eo denotat perpetuitatem, & in fideicommisso ordinato ad descendentium fauorem, omnes in perpetuum ordine successiuo per fideicommissariam vocati censentur, tradit *Crot. in repet. leg. filiusfamilias. §. Diui. num. 17. de legat. 1. Couar. var. lib. 3. cap. 5. num. 4. vers. secundum quod, & in cap. Raynutius. §. 2. in fin. de testam. Menoch. cons. 88. num. 10. libr. 1. & cons. 277. num. 3. libr. 3. Cephal. cons. 268. num. 25. & seq. lib. 2. Petra. vbi supra quæstio. 8. num. 38. & num. 506. cum seq.* & de communi, & magis communi vltra relatos, testantur. *Iaan. de Anan. consil. 46. numer. 1. & 2. Ruin. consil. 164. num. 3. lib. 3. Bero. consil. 102. num. 25. & 34. libr. 2. Natt. consil. 531. num. 25. Roland. consil. 70. numer. 20. & seq. lib. 3. Gabriel. cons. 101. num. 22. & sequent. lib. 2. Marzar. consil. 1. num. 13. & sequent. & cons. 40. num. 6. & 9. Decian. cons. 1. a num. 245. vers. quintus, & vltimus casus, & consil. 41. numer. 66. & sequent. lib. 1. Simon de Præt. tract. de interpret. vltim. vol. lib. 3. interpret. 2. dub. 6. solut. 9. numer. 46. Crass. in §. fideicommissum. quæst. 15. in fin. & quæstio. 16. num. 3. & seq.*

6 Quæ magis procedunt in nostro casu, vbi, descendentes cum qualitate masculinitatis vocantur, quæ qualitas damonstrat Testatorem prospexisse agnationis

nis conseruationi, *Bald. in c. 1. num. 3.* quemadm. feu. ad filiam pertin, idem *Bal. in l. maximum vitium, num. 2. C. de liber. præter. Cin. in l. 1. C. ad leg. Iul. de adulter. Paris. plures referens consil. 8. num. 9. cum sequen. lib. 3. Ruin. cons. 111. num. 15. lib. 2. Molin. plures adducens, vbi sup. lib. 1. c. 5. nu. 35. Ceph. qui plures adducit, & de communi testatur consil. 137. num. 12. Menoch. de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 71. num. 36. vers. declaratur secundo, Decian attestans de communi cons. 31. num. 96. & 99. lib. 1.* Quod fortius procedit data geminatione qualitatis masculinitatis prout in nostro casu, ad tradita per *Paris. cons. 90. num. 15. & seq. & num. 24. lib. 3.* Vnde censendum est fideicommissum inductum fuisse perpetuum inter descendentes masculos Thomæ sic vocatos ex supra adductis, alias, si primo descendente ex Thoma admisso, ceteri, quasi vocati per vulgarem censerentur exclusi, frustra testator desiderasset qualitatem masculinitatis in descendentibus Thomæ.

7 Vlterius, quia ex prædicta masculorum vocatione elicitur feminarum exclusio ad *tex. in l. cum ita. ff. de cond. & demonst. l. cum Prætor. ff. de iudic.* docet *Bar. in l. cum auus. num. 4. ff. de cond. & demonst.* quem refert, & sequitur *Barth. Socin. ibid. num. 76.* qui testatur de communi, & à nemine hanc vidisse reprobatam, & quamplures huius sententiæ, & illam dicentes communem adducit *Molin. vbi supra lib. 3. c. 5. num. 30. cum seq. & num. 37.* Vnde, cum propter descendentes masculos Thomæ, excluserit Testator non solum primum gradum feminarum descendentiæ Thomæ, quin & propter filias feminas ipsius testatoris, non potest dari alia ratio, quare hoc fecerit, nisi quia conseruare voluerit, non solum ipsius agnationem, sed etiam agnationem Thomæ, & quando vnica ratio dispositioni assignari valet, illa tanquam vnica, expressa censenda est, vt notat *Molin. dicto lib. 3. c. 5. num. 29. vers. ideoque.*

8 Quarto, quia quamuis prima substitutio descendentium Testatoris, & secunda descendentium Thomæ contineantur sub diuersis orationibus, quo casu, qualitates in prima oratione expressæ, per copulatiuam &, non censeantur repetitæ in secunda oratione, iuxta *tex. in l. qui fundum. de contrahen. empt. l. Seiæ. §. Gaio, & ibi Bart. ff. de fun. instruc.* Nihilominus contrarium est dicendum, quoties ex præsumpta disponentis voluntate, talis repetitio facienda elicitur, prout docuit *Bart. in d. §. Gaio. num. 2. vers. secundo casu*, sed sic est, quod prædicta testatoris tacita voluntas in nostro casu satis desumitur ex institutione fideicommissi realis, quin & in re certa, & ex vocatione descendentium, & ex alijs coniecturis infra dicendis; Tum etiam quia, & si sint duæ orationes, sunt tamen continuatæ, & coniunctæ per illa verba, & deficiente linea masculina testatoris, &c. cum ista copulatiua, &, sæpissime stet continuatiue, vt not. *Rebuff. in l. coniunctionem. 29. vers. 7. de verb. sign. per tex. in l. Senatoris filius. ff. de Senatorib. & l. & quia, de iurisdict. om. iud.* & tunc qualitates in prima oratione, & substitutione expresse censentur repetitæ in secunda oratione, & substitutione in illa contenta, vt in terminis tradit *Bal. consil. 17. lib. 2. & Anchar. cons. 361. num. 2. Crau. cons. 208. numero 6. Curt. iun. cons. 70. num. 1. Menoch. cons. 106. num. 291. cum sequ. Neuiz. consil. 72. num. 14. per tex. in l. fin. ibi, & coniuncta scriptura, &c. ff. de reb. dub. Thessaur. decis. 200. num. 10.*

9 Quinto, quia Testator post substitutiones suorum descendentium masculorum, & descendentium Thomæ illius patris, paulo inferius adiecit talia verba, nempè, quia voluit bona prædicta alienari prohibita, vt supra, fore subieta fideicommisso, nedum in casu alienationis, sed etiam decedentiæ cuiusque prædictorum, &c. quibus verbis expresse declarauit velle relinquere perpetuum fideicommissum inter omnes supradictos descendentes masculos sui ipsius, & Thomæ; prout illa verba, (fore subiecta fideicommisso) clare denotant, iuxta doctr. *Bart. in d. l. centurio, numero 38. vers. idem si testator dixit*, quam opinionem sequitur, & dicit communem *Paris. cons. 30. num. 9. & consil. 82. num. 13. lib. 2. & Port. cons. 55. num. 88. & Marzar. in Epitom. fideicommiss. par. 2. q. 28. Menoch. qui plures citat cons. 434. num. 1. lib. 5. & præsumptione 68. num. 2. lib. 4.* Præcipue, quia illa dictio, (vt supra) est relatiua, & repetitiua eorum, quæ in præcedentibus expressa fuerunt. *l. 1. §. ex hoc edicto, iuncto vers. deinde. ff. de postulan.* & ibi notatur. *Ruin. consil. 13. num. 8. lib. 1. Dec. cons. 182. num. 3. & consil. 227. num. 3.* Et illa verba (cuiusque prædictorum) amplectuntur omnes descendentes masculos, tàm testatoris, quàm Thomæ supra in substitutionibus expressos, quin & distribuunt in singulos prædictorum descendentium, iuxta *Bart. in l. hoc articulo. num. 3. ff. de hæred. instit.* & fuit latè alias in ista causa ponderatum.

10 Quibus non obstat doctr. *Cuman. in l. cum ita. §. in fideicommisso. num. 4. de legat. 2. & in l. Gallus. §. quidam recte. ff. de liber. & posthum.* tenentis, quod quando plures sub nomine collectiuo, veluti (descendentes) simpliciter sunt vocati, debent venire ordine successiuo per vulgarem, & non per fideicommissariam, quod etiam censuit. *Bart. in d. §. quidam recte. num. 11. & ibi Ias. num. 10. & 45. & Alcia. num. 10. & Castr. cons. 159. num. 4. & 5. par. 1. & Crauet. cons. 161. num. 9. Iul. Clar. receptar. lib. 3. §. testamentum. q. 80.* & plures huius sententiæ, & testantes de communi, referunt *Couar. in d. c. Raynutius. §. 2. num. 6. & 7. Molin. vbi supra. lib. 1. c. 5. numero 27. vers. secundo idipsum, & Surd. decis. 346. num. 18. quæ reperitur in fine, lib. 4. consiliorum.* Quia respondetur, quod quicquid sit de prædicta opinione, & licet tanquam communis admittatur. Nihilominus idem *Cuman. in eisdem locis* illam declarat non procedere, quoties verba in prædictis substitutionibus, tractum successiuum, seu perpetuitatem respiciunt, tunc enim vocatos non per vulgarem, sed per fideicommissariam in perpetuum ordine successiuo admittendos esse docet idem *Cuman. vbi supra*, & idem censuit in *l. peto. §. fratre. num. 5. de legat. 2.* quam sententiam amplectitur *Socin. in d. §. quidam recte. num. 8. vers. quartus casus, & ibi Ias. num. 45. & Alcia. num. numero 35. cum seq. & Ruin. consil. 92. numero 1. & 8. lib. 2.* Et pro ista parte plures illam tenentes adducunt *Couar. vbi sup. d. §. 2. num. 2. & Molin. d. lib. 1. c. 6. num. 15. & Mantic. de coniectur. vlt. vol. lib. 8. tit. 12. num. 11.* Vnde cum ex supradictis clarè constet, in huiusmodi substitutionibus, testatorem tractum temporis successiuum, & perpetuitatem inter descendentes masculos tàm ipsius, quàm Thome illius patris desiderasse, & quod bona ista, fideicommisso subiacerent, non videtur dubitandum, quod etiam, iuxta doctrinã Cumani sint descendentes Thome, ordine successiuo per fideicommissariam in infinitum vocati.

11 Minus obstat, quod ad exclusionem realis fideicommissi ex aduerso adducitur, nempè, prohibitionem alienationis factam fuisse per participium (prohibens, & vetans) positum in eadem oratione, qua Ludouicus fuerat institutus, & quod quando participia respiciunt verba generalia, determinant verbum principale orationis, Vnde in nostro casu, participium (prohibens) determinat verbum (instituit) & sic restringit prohibitionem ad personam Ludouici instituti, iuxta *Corn. consil. 60. num. 8. lib. 1.* Quia respondetur, quod quamuis istud participium regatur à verbo instituit, non respicit tamen prohibitionem omnium bonorum in vniuersali institutione Ludouici comprehensorum, sed tantum prohibitionem istius predij, & sic afficit omnes ad illud vocatos, nempè, descendentes masculos Testatoris, & Thomæ. Vnde prohibitio non potest dici restricta ad solam personam Ludouici hæredis.

12 Vl-

12 Vlterius, quia fideicommissi institutio non desumitur ex illis verbis (prohibens testator, &c.) sed ex sequenti clausula ibi (& prædictam prohibitionem fecit Testator, quia voluit bona prædicta perpetuò esse, & permanere in filios, & descendentes masculos ipsius testatoris) vbi non per participium proceditur, sed per nomen, prohibitionis alienationis prædij, cum redditione rationis (quia vult permanere perpetuo in descendentes, &c.) & sic prohibitio, & fideicommissi institutio respiciunt prædium, & afficiunt omnes ad illud vocatos, ex quibus, & ex supra in secundo fundamento adductis, necessario est fatendum, nos versari in fideicommisso reali.

13 Minus obstat differentia verborum in prædictis substitutionibus ex aduerso ponderata, cum in prima substitutione vsus fuerit Testator verbo (permanere) denotante perpetuitate, in secunda vero, verbis (transire, & peruenire) non inducentibus perseuerantiam, sed actum momentaneum, vt de verbo (peruenire) tradit *Menoch. consil. 376. num. 23. lib. 4. allegans Alciat. in l. cum ita. §. in fideicommisso, numero 14. versic. qua ratione, de legat. 2.* Quia respondetur, in Iure non esse differentiam inter permanere, & peruenire, vt docuit Vlpianus in *l. aliud. 71.* ibi, sicut peruenire proprie illud dicitur, quod est remansurum. *ff. de verbor. sign. vbi Rebuff. in verb. §. sicut, notat,* illud dici apud me peruenisse, quod apud me permansurum est, quod & idem *Vlpianus sensit in l. nomen. 164. §. habere. eod. tit.* ibi (habere, sicut peruenire, effectu accipiendum est) ex quibus clare patet, peruenire, & permanere, idem importare. Præcipue, cum illa propositio (per) de sui natura significet actus perfectionem, & temporis continuationem, vt post *Ioan. And. & alios quos refert, & sequitur, not. Rebuff. in l. vrbana familia. §. pernoctare. vers. notandum est. de verb. signif.* Vnde videtur Testatorem, per dictum verbum (peruenire) in substitutione transuersalium appositum, voluisse expresse dicta bona permanere cum effectu, & cum continuatione, & tractu temporis in descendentes masculos Thomæ, & *Menoch. quatenus vult in d. cons. 376. verbum* (peruenire) importare actum momentaneum, non solum loquitur sine lege, quia contra illam, & *Vlpiani responsum in d. l. aliud, & Alc. à Menoch. adductus in d. §. in fideicommisso,* nullatenus probat dictum Menochij, sed tantum dicit, quod si Testator iussit post mortem hæredis scripti, hæreditatem deuenire ad propinquiorem generis sui, tali casu fideicommissum, ad vlteriorem non extendi, sed non fundatur in verbo (peruenire) seu (deuenire) sed in eo, quod vocatio fuit facta de proximiori, quod est nomen vnius personæ, non autem collectiuum, vt apud eundem *Alciat. ibid. legitur.* Et quamuis vltra verbum (peruenire) adsit in secunda substitutione, verbum (transire) non obest, cum voluerit Testator, illo, significare sui voluntatem, nempe, quod deficiente linea masculina testatoris, de illa, ad lineam Thomæ bona transirent, & per istum transitum in illam peruenirent, & permanerent, & sic vsus fuit vtroque verbo (transire, & peruenire.)

14 Vltimo nec diuersitas personarum obstare videtur, cum ex ea non possit argui ad diuersitatem rationis conseruandæ agnationis, licet enim Testator prædilexerit sui ipsius descendentes, eorumque agnationis conseruationem desiderauerit, non ex eo sequitur, non dilexisse descendentes Thomæ illius patris, nec desiderasse illorum agnationis conseruationem, quin potius contrarium fuisse de voluntate Testatoris satis elicitur, cum etsi suorum descendentium prædilectionem declarauerit in eo, quod illos primo vocauit, iuxta *tex. in l. quoties. ff. de vsufruct. cum alijs per Crauet. consil. 62. numero 7. & Cephal. consil. 430. numero 3.* illis deficientibus vocando descendentes masculos Thomæ, dilectionem erga illos, conseruationemque agnationis ipsorum satis expressit, & nimirum, cum deficiente linea masculina Testatoris, nulla magis apta ad conseruationem illius agnationis, quam linea masculina Thomæ patris Testatoris, quamuis sit linea transuersalis, cum omnes de eadem agnatione essent. Ceteris ex aduerso adductis, satis ex supradictis satisfactum videtur, & illis non obstantibus, Domini pro confirmatione sententiæ Rotalis respondendum censuere.

REVERENDISS. P. D. COCCINO DECANO.

Vrbeuetana fideicommissi, Lunæ 10. Decembris 1607.

ARGVMENTVM.

Enumerantur in hac decisione nonnullæ coniecturæ, quibus præsumitur Testatorem Positos in conditione expresse ad fideicommissum vocasse.

SVMMARIVM.

Descendentes positi in conditione regulariter non censentur vocati. num. 1.
Substitutio facta in casu, quo Testator moriatur sine filijs expirat quando obijt vnico tantum filio relicto. num. 1.
Declara, vt num. 8.
Positi in conditione censentur vocati, quando ex coniecturis constat de mente Testatoris, quod eos vocare voluerit. num. 2.
Positi in conditione censentur vocati quando in eodem Testamento sunt expresse vocati ad portiones Transuersalium, & ad portionem relictam feminis. num. 3.
Positi in conditione censentur vocati, quando Testator progreditur ad plures gradus Substitutionum. num. 4.
Præsertim quando idem Testator feminas exclusit. ibid.
Positi in conditione censentur vocati, quando Testator voluit hæreditatem suam nunquam deuenire ad feminas, sed remanere apud masculos, & destirpe. num. 5.
Exceptio est de regula, & regulam declarat. num. 6.
Licentia aliud non est, quam collatio libertatis concessa ei, qui libertatem non habet ex se ipso, licentiatque prohibitionem ostendit. num. 7.

DECISIO CXLIV.

1 Iterum dubitaui, an constaret de fideicommisso ad fauorem descendentium Petrucij reseruato, vt vocatur. An extendatur vltra Pronepotes, & an adsit reciproca inter ipsos, & difficultas consistebat in eo, quia isti descendentes sunt positi in conditione, & ideo non censentur vocati iuxta glosam magis communiter approbatam in *l. Lucius. ff. de hære. instit.* quam etiam Rota sequitur, & quia Testator decessit vnico tantum filio Petrucio relicto, & tamen videbatur prouidisse solum in casum, in quem decederet pluribus filijs relictis cum instituit Petrucium filium, & alios nascituros, & si quis eorum decederet in pupillari ætate, vel postea quandocunque sine filijs masculis legitime ex se descendentibus substituerit ei, & eis superuiuentes, & eorum filios masculos, & alios descendentes ex eis masculos, subdens immediate, quod si aliquis ex filijs dicti testatoris, vel Nepotibus masculis ex filijs, vel Nepotibus, vel aliquis alius descendens masculus non superesset, substituit eis Vgolinum, & Leonellum, & alios masculos descendentes ex eis, & propterea cum non euenerit dictus casus, quod testator obierit pluribus filijs relictis videbatur dicendum substitutionem expirasse iuxta *consil. Oldr. 177. Io. And. in addit. Specul. tit. de testam. §. 1. in addit. mag. quæ incipit cum Patronus ver. occurrit casus nouissimus.*

2 His

2 His tamen non obstantibus maior pars Dominorum censuit contrarium, quia licet positi in conditione non censeantur vocati, secundum *gloss. in d. l. Lucius. tamen ab ista gl. receditur*, quando ex coniecturis constat de contraria mente testatoris, vt per Illustriss. Cardinalem *Manticam de coniect. vlt. volunt. lib. 11. tit. 2. numero 19.* prout Rota pluries recessit, *Put. decis. 215. lib. 3.* & in causa Spoletana Terrarum 21. Iunij 1599. coram Illustriss. D. meo Card. Mellino, & eodem anno 15. Nouembr. in causa Interamen. Bonorum coram Illustrissimo Domino meo Cardinale Seraphino, & passim recepit, prout etiam pluries recessit de hoc anno.

3 Hic autem adsunt plures coniecturæ: Nam vltra quod descendentes vocantur ad portiones transuersalium, & ad portionem relictam feminis, quatenus morerentur sine filijs, & ideo intrat coniectura, quod censeantur vocati dum ponuntur in conditione iuxta *cons. Ias. 108. num. 19. & sequentib. lib. 4.* pluries in Rota Canonizatum, quod plus est, testator post institutionem factam de filijs subdit, & si quis eorum decederet in pupillari ætate, vel postea quandocunque sine filijs masculis legitime ex se descendentibus substituit ei, & eis superuiuentes, & alios descendentes ex eis masculos, Vnde si in hoc casu voluerit substituere descendentes ex filijs alijs filijs ipsius testatoris, quatenus morerentur sine filijs, & sic transuersalibus, non est verisimile, quod noluerit eosdemmet descendentes substituere suis ascendentibus, & sic Petrucio, cum eos ponat in eademmet oratione, Cum subdat, quod si aliquis ex filijs dicti testatoris, vel Nepotibus masculis ex filijs, vel Nepotibus, vel aliquis alius descendens masculus non superesset, &c. Testator enim magis censetur diligere descendentem in portione ascendentis, quam in portione transuersalis, vt considerat *Rimi. sen. cons. 189. num. 11. & 12. lib. 1. Gozzad. cons. 64. num. 10. lib. 1. Aym. consilio 62. numer. 10. Ruin. consil. 60. numero 24. lib. 2.* & hanc coniecturam de plano procedere dicit *Modern. Eugubin. consilio 65. numero 33. versic. quæ sine dubio libro 1.*

4 Quæ coniectura corroboratur, & clare ostendit mentem testatoris, cum non extantibus dictis filijs, aut nepotibus, vel descendentibus substituat eis Vgolinum, & Leonellum, & alios masculos descendentes ex eis, & sic progreditur ad plures gradus substitutionum, ex qua progressione colligitur coniectura, quod voluerit vocare positos in conditione. *Anchar. consilio 74. num. 2. in fin. Alex. consil. 64. num. 5. vers. corroboratur. lib. 5. cum alijs per Illustriss. Card. Manticam de coniect. vlt. volunt. lib. 11. tit. 3. num. 13.* qui dicit hanc coniecturam vna cum alijs multum suffragari, & illam probauit Rota in causa Spoletana Terrarum 21. Iunij 1599. coram Illustriss. D. meo Cardinale Mellino, & de hoc anno 14. Maij in causa Ciuitatis Castelli fideicommissi coram R.P.D. meo Ludouisio, & etiam probauit Senat. Pedemont. vt per *Thesaur. decis. 96. num. 17.* & eo magis debet suffragari in isto casu attenta serie, & structura testamenti, concurrit insuper perpetua exclusio feminarum, & quod descendentes sunt positi in conditione cum qualitate masculinitatis, & quod agitur de descendentibus testatoris, quæ omnia multum coadiuuant, quod isti descendentes positi in conditione censeantur vocati, vt dicitur in alia Decisione.

5 Et videtur cessare omnis difficultas, quia post dictam substitutionem de Vgolino, & alijs in casu prædicto in euentum, quod testator moreretur sine filijs, & descendentibus, eosdem Vgolinum, & alios instituit, & filios filiorum ipsorum, concludens per hæc verba; Ita quod hæreditas nunquam ad filias, vel descendentes feminas deueniat, sed semper remaneat apud masculos de stirpe testatoris, quæ clausula, Ita quod, præbet vehementissimam coniecturam, quod vocauerit descendentes positos in conditione, quia si voluit, nunquam hæreditatem deuenire ad filias, vel descendentes feminas, sed semper remanere apud masculos de stirpe in necessarium antecedens censetur illos masculos de stirpe vocasse, vt per *Corn. cons. 22. nu. 9. lib. 2. Illustriss. Card. Mant. de coniect. vlt. volunt. lib. 6. titu. 15.* & fuit consideratum in causa Firmana de Fulchis coram Illustrissimo Domino meo Cardinali Pamphilio, qui enim vult consequens, per necesse vult & antecedens iuxta doctr. *Bal. in l. quamuis, C. de fideicom.*

6 Neque est verum, quod hæc clausula stet consecutiuè tantum ad institutionem Vgolini, & aliorum in euentum, quod testator moreretur sine filijs, quia hoc tollitur ex verbis immediate sequentibus, nempè saluo, quod dictus Petrucius, & alij filij dicti testatoris, & alij masculi descendentes ex eis possint in vita ipsorum, & cuiuslibet ipsorum de bonis ipsius testatoris ad eos pertinentibus libere facere velle ipsorum in toto, vel in parte, non obstante substitutione prædicta, nam si testator moderat clausulam, Ita quod, per clausulam saluo quod, in qua dat facultatem alienandi Petrucio, & descendentibus, ergo voluit, & eos esse comprehensos in clausula, Ita quod, Exceptio enim est de regula. *Calder. consilio 5. de iureiur. Gemin. cons. 65. numero 80. vers. Nam ex quo hic excipit*, & regulam ipsam declarat. *Bal. cons. 131. ves. super secundo, lib. 1.* alias exceptio esset derisoria. *Cast. cons. 79. nu. 3. lib. 1.*

7 Et ex hac licentia alienandi oritur, & alia coniectura, quod vocauerit dictos descendentes, quia licentia nihil aliud est, quam collatio libertatis concessa ei, qui eam non habet ex se ipso. *c. licet. de regular. Bal. cons. 290. ante finem. lib. 3.* ergo ista licentia ostendit prohibitionem. *l. fin. C. de iur. emphyteut.* per consequens etiam vocationem, quia quem non honoro, grauare non possum. *§. 1. Instit. de singul. rebus per fideicom. relict. l. planè filium. §. vlt. & l. vendendum. de leg. 2.*

8 Neque obstat secunda principalis obiectio, quod cum testator decesserit, cum aliquid non reperiatur principaliter dispositum in isto casu per *Consil. Oldrad. 177.* Nam fuit responsum, quod communis opinio est contra *Oldrad.* vt testatur *Ias. cons. 148. lib. 2. nu. 15. vers. septimo pro ista parte, & num. 16. vers. & sic est diligenter aduertendum.* Vbi dicit eam de iure esse veriorem, & est opinio *Bar. in l. quamdiu institutus. 68. num. 10. ff. de acquiren. hæred.* quam ibidem alij communiter sequuntur, vt dicit *Ias. loco proximè allegato*, communem etiam dicit *Pancirol. consil. 39. in fine. versic. non obstat consil. Oldrad.* & latè *Mazar. de fideicom. quæst. 13. per totam. & consil. 1. num. 1.* & pro ista opinione, & in isto casu videtur bonus *Textus in l. hæredes mei. §. cum ita. ff. ad Trebel.* vbi substitutio facta in euentum, quod omnes moriantur sine filijs habet locum etiam, quod vnus tantum sine filijs moriatur, si non ex verbis, saltem ex mente Testatoris, cum non adsit diuersitatis ratio, prout in casu isto, maximè cum ex supra ponderatis concurrat apertissima voluntas Testatoris, prout etiam considerat *Ias. in d. cons. 148. ante num. 10. vers. sed præmissis, cum sequentib.*

REVERENDISS. P. D. ATTREBATEN.

Cesenaten. Bonorum 23. Ianuarij 1608.

ARGVMENTVM.

Filij naturales quando excludant substitutum si sine filijs, &c. Et quando in fideicommissis, & substitutionibus veniant appellatione filiorum, & quid etiam si fuerint legitimati.

SVM-

SVMMARIVM.

Facti species. num. 1.
Vocatus in fideicommisso ad integram hæreditatem, multo magis præsumitur vocatus ad portionem hæreditatis. num. 2.
Pluralitas quando respicit diuersos effectus, tunc ex præsumpta mente testatoris resoluitur in singularitatem. num. 3.
Fideicommissaria substitutio operatur, vt in ea quilibet per se grauatus censeatur. num. 3. Quod præsertim procedit quando non superest persona magis dilecta à testatore, quæ ex illius mente substitutos excludat. num. 4.
Substitutio plurium decedentium in dubio, intelligitur facta discretiue de proprijs filijs, & descendentibus cuiuscunque instituentis, non autem de alijs. num. 5.
Substitutio reciproca non inducitur in fideicommissis, nisi vis verborum, aut aliqua necessaria coniectura vigeat. numero 6.
Filij naturales an, & quando faciant deficere conditionem si sine filijs, &c. & quando veniant appellatione filiorum ad exclusionem substituti. num. 7. et seq.
Filij naturales regulariter excludunt substitutum si sine filijs, & sic veniunt in fideicommissis appellatione filiorum. num. 8.
Filij naturales non excludunt substitutum, quando frater substitutus est cohæres grauatus. num. 9.
Filij naturales faciunt deficere conditionem in substitutione facta si sine filijs, &c. quando testator fuit homo honestæ vitæ, et honorabilis, aliter secus. num. 10.
Spurius nullo modo facit deficere conditionem in substitutione facta si sine filijs, &c. nec substitutum excludit. nu. 11.
Naturales filij qui dicantur. num. 12.
Filiorum appellatione in substitutionibus an veniant naturales arbitrio iudicis remittitur. num. 12. et 13. vbi etiam quod in hoc multum attenditur testatoris obseruantia.
Spurius quis potiùs præsumitur, quam naturalis. n. 13.
Filij naturales semel exclusi, semper habentur pro exclusis. num. 13.
Legitimatio post mortem patris, et post fideicommissum restitutum ius alteri acquisitum tollere non potest, etiam si fuerit facta à Principe de plenitudine potestatis. nu. 14.
Legitimati cum clausula sine præiudicio venientium ex fideicommisso non excludunt substitutum. num. 15.
Legitimatio facta non facta mentione alterius legitimationis non valet. num. 15.
Legitimari non possunt ab Archiuio Romano filij naturales in præiudicium vocatorum ex fideicommisso, aut testamento, aut quauis alia dispositione ex Bulla Pij IV. nu. 16.

DECISIO CXLV.

1 PEtrus Vrsinus Cesenaten. hæredes instituit Andream & Pamphilium filios naturales, & legitimos, eosque inuicem substituit vulgariter, & per fideicommissum, ita quod vno decedente sine filijs masculis eidem succedat alius superuiuens, & si ambo decederent sine filijs, voluit vt eius bona deuenirent ad suas filias feminas. Defuncto testatore vterque filius socceßit. Deinde præmortuo Andrea relicta Fuluia legitima filia, & Cornelio, & Camillo filijs naturalibus tantum, & post obitum patris legitimatis, successit ille Pamphilius eoque mortuo nata est controuersia de illius success. inter Cornelium & Camillum ex vna, & Iuliam & Galathæam filias legitimas testatoris ex altera.

2 Quare proposito sæpius dubio Domini resoluerunt factum esse locum fideicommisso ad fauorem filiarum, tàm quo ad portionem Andreæ primo defuncti, quàm quo ad portionem Pamphilij vltimo loco defuncti, & incipien. à portione Pamphilij mouebantur hac ratione, quia cum à testatore vocatæ fuerint ad integram hæreditatem in euentum, quod vterque filius decederet sine filijs, censendum est, quod illas etiam vocare voluerit ad portionem hæreditatis, quo casu vnus filius ex filijs decederet sine liberis. *arg. l. non debet. ff. de reg. iur. l. in actionib. ff. de in lit. iuram.* vbi ad hoc quod substitutus admittatur ad partem vacantem sufficit, quod in persona vnius hæredis interuenerit casus substitutionis etiam si alter hæredum cum filijs decesserit.

3 Et ratio est, quia cum pluralitas respiciat diuersos effectus ex præsumpto mense testatoris resoluitur in singularitatem, vt contingit in substitutione fideicõmissaria, in qua quilibet per se videtur esse grauatus. *Bar. in d. §. cum ita. num. 3. & iuncta l. pen. nu. 3. C. de impub. et alijs substi. Aym. cons. 109. n. 1. Corn. consil. 298. lib. 4. Illustriss. Mant. de coniec. vlt. vol. li. 11. tit. 5. n. 9.* & hanc dispositionem sæpe amplexa est Rota, vt in Romana supplementi legitimæ de Alterijs 26. Octobris 1584. quæ est *diuers. 804. n. 1. & per tot. par. 1.* & in Romana fideicommissi bonorum 26. Iun. Cor. Lancel.

4 Et procedit sine difficultate, quando non superest persona, quæ ex præsumpta mente Testatoris excluderet substitutos. *Ioan. de Anan. cons. 22. et 161. Bolognet. vers. sed. cupiens secundum membrum. Corn. dicto cons. 298. num. 1. vers. reuera autem. lib. 4. Illustriss. Mant. d. lib. 11. tit. 5. num. 29.* quando enim superest persona magis dilecta illa est præferenda, *iux. d. l. penultimam. C. de impub.* quæ ita interpretatur, & conciliatur cum dicto *§. cum ita. ibid. numero 3. vers. et aduerte. vbi etiam Bolognet. testatur intellectum Bartol. esse communem ibi, et sequ. lib. 8. respons. Papin. in d. §. cum ita. in fin.* per quæ circa portionem Pamphilij videbatur cessare omnis defficultas.

5 Et non obstat, quod pretenditur, nepotes testatoris post filios esse vocatos per reciprocam in illis verbis, & ipsis non obstantibus eorum filij masculi succedat, quia in dubio substitutio plurium decedentium intelligitur facta discretiue de propriis filiis, & descendentibus cuiuscunque instituentis, non autem de aliis. *Ruin. cons. 121. num. 4. lib. 2. et consilio 105. numero duodecimo, et consilio 134. numero 7. et consil. 141. numero 3. vers. postremo, et cons. 142. numero 5. lib. 3. Paris. consil. 18. nu. 6. lib. 2. Aciat. consi. 42. numero 2.* fuit dictum in Firmana fideicommissi 5. Maii 1593. coram Illustriss. Seraphino.

6 Nam reciproca non inducitur in fideicommissis, nisi vis verborum, aut aliqua necessaria coniectura vrgeat. *l. Lucius. §. tres hæredes. ff. ad Trebell. Ias. post Castren. in l. potest. ff. de vulg. Rip. in d. l. hæredes mei. §. cum ita. nu. 17. et 23. Zanch. par. 6. nu. 99. ad Trebell. Virg. Silu. apud Rimin. Sen. cons. 224. n. 56. Menoc. cons. 85. num. 65.* præsertim inter descendentes vnius lineæ ad alteram, vt inter partem & nepotes fuit dictum in dicta Firmana fideicommissi.

7 Quo vero ad portionem Andreæ pariter Domini dixerunt, illi filios naturales succedere non posse, quia defuncto Andrea ex dispositione Testatoris in ea successit Pamphilius exclusis dictis filiis naturalibus, & sic tota hæreditas fuit effecta vnum corpus. *Paris. consil. 5. nu. 27. vol. 2. Corn. d. cons. 229. nu. 5. lib. 3. Bar. in l. Scæuola. nu. 5. ff. ad Trebel. Ias. cons. 89. nu. 4. lib. 1.* & fuit decisum in Romana fideicommissi, de Quinque 12. mensis Nouemb. 1607. coram Reuerendiss. D. Bononien.

8 Non obstat quod naturalis faciat deficere conditionem si sine filiis, & quod veniat appellatione filiorum ad exclusionem substituti. *l. ex facto. §. si quis rogatus. li. 1. ff. ad Trebell.* etiam quod substitutus fuerit filius Testatoris naturalis & legitimus, vt ibidem de communi *Alex. numero 7. vers. item fallit 4. Ripa numero 24. testatur Angel. numero 2. Odd. in trac. de compend. par. 6. art. 6. §. an naturalis tantum. numero 7. Michael Graff. in §. fideicommissum 37. numero 7. Alex. consil. 94. numero 2. in fine, lib. 1. Dec. in c. in præsentia. num. 102. vers. ista ergo tacita conditio. de probat.* vbi dicit, non esse mirum, si naturalis excludit substitutum, quia sola existentia conditionis attenditur, & in ea conditione non est necesse, quod

quod liberi succedant, vt est *text. in leg. filiusfamilias. §. cum quis.de legat.1, Zanch. in repet. dictæ leg. hæredes mei. §.cum ita,par,6.num.8.vers.3.responderi potest.Io.de Anan. d.cons.22.circa med.* qui dicunt, quod in conditione merum factum attenditur, non autem an succedant, & tenuit Rota in Camerinen. bonorum, 25. Octobris coram Decano, quæ & si loquatur de naturalibus legitimatis, tamen Doctores præcitati qui in ea pleriq; allegantur loquuntur de naturalibus.

9 Nam prædicti Doctores considerarunt, quod etiãsi prædicta opinio sit Communis, multi tamen tenent contrarium, quando frater substitutus est Cohæres grauatus. *argumen.leg.fin.C.de instit. & substit.* quæ limitatio verissima esse dicitur. *Rip.vbi supra, post Saltcet. in leg.generaliter.§.cum autem.num.60.eodem tit.vbi refert ita consuluisse in facti specie, Ricard, & Salice. Illustr. Cardinalis Mantica de coniectu. vltim. volunt.lib.10.tit.9.nu. 17. in fin. Menoch.præsump.78.num.62.lib.4.Berous in d.capit.in præsentia.num.2.84.de probat.Io.Corrasius lib.1. Miscellan. cap. 7.* qui vltimi loquuntur generaliter etiamsi frater substitutus non sit cohæres.

10 Secundo considerabant, quod naturales faciunt deficere conditionem, limitatur, quando Testator fuit homo honestæ vitæ, videlicet honorabilis agnationis ita vt ei esset verecundia, si sua cognatio seu domus deueniret ad bastardos. *Bartol. in d.leg.cum ita. num.2.ibi Ang.num.2.in fin. Alex.num.5.vers.ita.& in cons. 94. num. 1.vers.3.probat.vol.1.& in cons.121.num. 4. vol.2. Salic. in leg.generaliter.§.cum ita.num.6.vers.2.quia opprobrium.Cuiac.ad Papinian.lib.8.in explicat.leg.cum frater filios.§.volo. de leg.2.Rolan.de testamen.& vltim.volunt.rubr. 26. nu. 12. Abb.in d.cap.in præsentia.nu. 18.de probat.* vbi dicit, quod si testator erat homo non inhonestæ conuersationis, & homo venerabilis, tunc naturalis non excludit substitutum quia non est verisimile, quod talis homo voluerit excludere substitutum.

11 Primo considerabant, quod Spurius nullo modo facit deficere conditionem si sine liberis, ad exclusionem substituti, *authen. ex complexu. C. de incest. nupt. in §.fin.Instit.quib. mo. nat. effic. sui Bart.in d.§.si quis rogatus.num.4.Illustr.Mantica de coniect.vltim.volunt.tit.9.nu. 22.lib.11.Dec.cons.434.num.17. Abb. in d. cap. in præsentia. nu. 19. de probat. & in cap. perpetuas. eo. tit.*

12 Quarto considerabant multa requiri ad hoc, vt quis dicatur naturalis, *iuxta §.planum est.in authen. quibus mo. nat.effic.legit.quæ refert Illustriss.Card.Mantic.d.lib.11.tit.9. num.22.* Denique hæc quæstio, an filiorum appellatione contineantur naturales, voluntatis est quæstio, vt tradit *Vlpian.in d.§.si quis rogatus.* Ideoque plus sit facti, quam iuris, & plurimum pendet ab arbitrio iudicis per ea, quæ tradit *Cuiac. ad Papinianum loco citato.*

13 Quibus stantibus in proposito multum tribuendũ censuerunt obseruantiæ. *Aym. consil. 101. nu. 3.* cumque naturales semel fuerint exclusi à Pamphilio patruo qui successit Andreæ ipsorum patri, attento quod testes deponunt, Petrum testatorem fuisse virum bonæ conditionis, & honestæ conuersationis, & non constat, Camillum & Cornelium esse verè naturales, & cum illis concurrere omnia requisita, de quibus supra, cum in dubio potius quis præsumatur spurius, quam naturalis. *Alciat.cons.52.num.5.lib.5.* vbi dicit illam esse legitimam præsumptionem quæ pro veritate haberi debet. *Menoch.in d.cons.281.num.11.& seq.lib. 3.* Vnde sequitur, quod cum semel fuerint exclusi semper habendi sint pro exclusis. *text.in cap.1.§. quia etiam in tit.de episcop.vbi Abb.Calderin.cons.4.de feud.Paris.consil. 22. nu. 15. vol. 1. & cons. 72. nu. 29. vol. 4.*

14 Neque suffragatur legitimario post mortem paternam, & post fideicommissum restitutum Pamphilio, quia talis legitimatio ius alteri quæsitum tollere non potest. *cap.susceptum.de rescr.lib.6.Calderin.cons.5. de feud.* etiamsi à Principe emanauit etiam de plenitudine potestatis, vt per *Alciat. cons. 5. n. 9. lib. 4.* vbi testatur ita communiter à Doctoribus approbari.

15 Et sic non est necesse ingredi disputationem de viribus legitimationis, tamen quia ex abundanti dixerunt Domini non suffragari ad effectum quid ipsi excludant substitutos ad sui commodum & fauorem. Isti enim fratres duas habent legitimationes vnam Comitis Palatini, in qua adest clausula expressa sine præiudicio venientium ex fideicommisso, quo casu filij legitimati non excludunt substitutos, alteram factam ab Archiuo Romano, in qua nulla fuit facta mẽtio prioris legitimationis, quæ minus tribuit, ideoque non valet per doctrinam *Innocentij in cap. veniens. num. 4.& ibi Abbas num.14.de præsumpt.Gabr.cons. 30. num. 19. lib.1.Honded.de communi cons.64.num.36.& seq. lib.1.Surd. cons. 552. nu. 49. lib. 4.*

16 Deinde obstat Bulla Pij IV. quæ cessauit & reuocauit omnes, & singulas legitimationes, & facultates legitimandi in præiudicium fideicommissariorum aliarum dispositionum ipsorumque vocatorum ex fideicommisso, aut testamento, aut quauis alia dispositione. Et quamuis Pius Papa V. qui Pio IV. successit, postea confirmauerit priuilegia Iulij II. Leonis X.& Pauli III. Indultorum Archiuo Romano, quod possit legitimare cum solita clausula sine præiudicio venientium ab intestato, tamen cum Pius V. non fecerit mẽtionem Bullæ Pij IV. cuius tenor de verbo ad verbum inserendus erat; illa simul stare possunt, vt Archiuum faciat suam legitimationem absque eo tamen, quod præiudicetur non solum venientibus ab intestato, verum etiam vocatis ex fideicommisso maxime cum ista clausula sine præiudicio venientium ab intestato cõprehendat etiam clausulam sine præiudicio venientium ex fideicommisso. *Ruin. cons. 3. num. 22. vers. nec istis obstat lib.1.& cons.206.num.8.lib.3.Ang.cons.264. num. 1.vers.si autem intellexisset.Alex.cons.107. num.12. versic. item potest intelligi,lib.5.Gabr.cons.22.num.7.lib. 2. Honded. cons. 64. num. 22. lib. 1.Capic.dec.22.num.3. versic.item responsum.* Et ita fuit decisum.

REVERENDISSIMO P. D. PEGNA.

Recanaten. hæreditatis. Mercurij 23. Ianuarij 1608.

ARGVMENTVM.

Discutiuntur in hac decisione plures conniecturæ ex quibus filij in conditione positi in testamento patris vocati censentur.

SVMMARIVM.

Filij positi in conditione censentur vocati, quando concurrunt plures coniecturæ, licèt vnicæ tantum non sufficiat. num. 1.

Filij in conditione positi in vna parte testamenti, quando censeantur vocati in ea, si in alia parte expresse vocati sunt. nu. 2. 3. et 4.

Filij in conditione positi quando censeantur vocati, si alites ex testamento, vel ab intestato succedere non poterant numer. 5.

Filij in conditione positi, et vocati ad portionem aliorum filiorum decedentium, quando vocati censeantur, et multo magis ad portionem patris. nu. 6.

Neptes vocatæ ad successionem eodem modo, quo vocati et substituti sunt nepotes non censentur exclusæ sicut nepotes non censentur, quia eodem iure censeri debent. n. 7.

Filij in conditione positi, quando censeantur vocati ex eo, quod Testator ad plures substitutionum gradus digressus est.

est. numero 8. & 9.
Neptes non debent esse melioris conditionis, quam filiæ Testatoris, Declara. vt num. 11.
Testator quando præsumatur dilexisse magis neptes, quam filios. num. 11. & 12.

DECISIO CXLVI.

1 Vtraque parte informante proposui iterum hanc causam super decisione facta die 14. Maij 1607. in qua ex coniecturis fuit resolutum, D. Lydiam de Leopardis fuisse vocatam, id est substitutam ad portionem Iacobo patri obuenturam, & Rota omnibus æqua lance ponderatis ex eisdem coniecturis, quibus aliquot alias addidit in decisis mansit. Et dum Informantes pro DD. de Leopardis singulas coniecturas confutantes à decisis recedendum contendebant, fuit responsum. Primo singulas per se, & separatim sumptas non habere illud pondus, quod simul iunctæ sustinebant, & propterea in hac materia locum esse regulæ, quod singula quæ non prosunt simul collecta iuuant. *Bero.consi.104.incipien.in hac Lucen.causa.numer. 13.libro secundo Grat.consilio 106. incip. in causa Testamenti. numero quadragesimo octauo. vers. & licet qualibet. lib. 2.* & fuit nuper resolutum in causa Ciuitatis Castelli Fideicommissi, die 14. Maij 1607. coram Domino Ludouisio.

2 Secundo, descendendo ad singulas coniecturas ab Informantibus pro Leopardis impugnatas. Primo Rotæ placuit prima ex eo deducta, quod istæ filiæ censebantur substitutæ, quia fuerant vocatæ in alia parte testamenti: & dum opponebatur de communi opinione contraria fuit dictum primo illam esse veram in facto ibi, *Li soprauiuenti, ò loro figli, ò figliuole*:

3 Secundo fuit responsum, quod licet Iosephus de Rusticis, *libro primo, cap. tertio. numero vigesimo sexto, ampliat. sexta, de fil. posit. in cond.* referat aliquos Doctores dicentes, quod quando liberi sunt positi in conditione in vno capite, & in alio prius, vel post sunt expresse vocati, minime dicantur vocati in illo capite in quo sunt positi in conditione, nemo tamen in his terminis testatur de communi, & pro contraria sunt insignes Doctor. *Iason consilio centesimo octauo incipien. circa primum dubium, numero 19. versic. non quoque obstat, & num. sequen. libro quarto.* vbi reddit rationem, quia vna clausula Testamenti declarat, & supplet aliam. *l. qui filiabus, & l. si seruus plurium. §. fi. vbi notant Doct. ff. de leg. 1. Ruin. cons. 160. incip. viso & perlecto. numero 24. vers. quamuis ergo libro 2. Eug. cons. 52. incip. Vincentius Fulginas. numero 28. Gozad. consil. 64. incip. in causa mihi transmissa. num. 10. vers. ergo dicamus, & num. 11.*

Tertio fuit dictum istam opinionem, & coniecturam cum alia iuncta à Rota tanquam veriorem semper fuisse probatam, & signanter in causa Vrbeuetana Castrorum die 21. Aprilis 1578. coram D. Cardinale Blanchetto tunc Rotæ Auditore, & in eadem die 2. Iunij eisdem anni coram eodem, & in causa Spoletana bonorum die 21. Iunij 1599. coram D. Cardinali Mellino, & in vna Interamen. Bonorum die 15. Nouembris 1599. coram D. Cardinale Seraphino tunc Rotæ Auditoribus, & in causa Viterbien. fideicommissi die 18. Decembris 1600. coram bonæ memoriæ Litta, & in terminis quod quando filij respectu patris sunt positi in conditione, & respectu patrui vocantur, quod censeantur etiam vocati respectu patris, fuit dictum in causa Vrbeuetana fideicommissi, die 27. Ianuarij 1606. coram D. Io. Baptista Coccino, & merito quia hæc oppositio est fundata in verisimili, & perpensa mente Testatoris, quem ex illa geminatione constat non abborruisse successionem feminarum, cum eas non solum in condition posuerit: sed alibi etiam expresse vocauerit, quod eo magis dici possunt substitutæ, in hoc casu in portione parentum, quia Testator vltra filios filiorum non cogitauit de conseruandis bonis in agnatione, quando autem non est considerata agnatio feminæ, facilius admittuntur, & fit locus regulæ, quod quando vocati sunt Testatoris descendentes sufficiunt leuiores coniecturæ. *Boer.decis.155. incip. & quo ad primum dubium. num.21. Franc.Card.Mant. lib.11. de coniect.vlt. volunt.tit. 3.num.3.*

5 Contra secundam coniecturam, quod quando feminæ in conditione positæ essent in successibiles censeantur vocatæ, opponebatur has filias non posse dici penitus exclusas à Statuto, ex quo erant dotatæ, & dos succedit loco legitimæ. Sed fuit responsum, Primo hanc coniecturam fuisse à Rota approbatam, tũ apud *Put.decis.215. incip. Nicolaus de Pasijs. nu.3.lib.3.* tum in dicta causa Vrbeuetana Castrorum die 21. Aprilis 1578. coram Domino Cardinale Blanchetto. Secundo fuit responsum, quod licet in casu proposito essent dotatæ, quia tamen poterant controuerti, An essent congruè dotatæ, ex quo testator legauit his puellis vltra gemmas solum scut. 1500. pro qualibet, quæ dos considerata dote relicta filiabus scut. 3500. poterat videri tenuis, ideo prædictã coniecturã bene subsistere.

6 Placuit etiam tertia coniectura ex eo deducta, quod cum in portione vnius ex filijs decedentis sine filijs masculis, vel feminis Testator substituerit alios filios superuiuentes, siue illorum filios, & filias, & consequenter Nepotes essent substitutæ in portione patrui, Vnde etiam inferebatur multo magis fuisse substitutas ad portionem patris, in cuius conditione positæ fuerant. Et dum contra hanc coniecturam opponebatur, quod non poterat ad hunc casum accommodari, quia portio patris Lydiæ erat effecta caduca ex eo, quod hæres præmortuus fuerat testatori, iuxta *text. in l. vnica. §. pro secundo. C. de caduc. tollen.* fuit responsum Imperatorem in dicta *l. vnica. §. & cum triplici.* distinguere tres casus, quando dispositiones testatorum caducantur, Primum quando testator relinquit illis, qui non reperiuntur in rerum natura tempore conditi testamenti, qui non pertinet ad hanc facti speciem. Secundum quando is qui aliquid ex testamento habuit, est spe (vt declarat ibi gloss.) decedit post testamentum: sed viuo testatore, prout in casu proposito, in quo vnus ex hæredibus post factum testamentum prædecessit testatori, quo casu ille defunctus dicitur esse in causa caduci, & portiu sua remanet penes testatorem, nisi ille defunctus haberet substitutum, vel coniunctum, vt declarat idem *text. in §. pro secundo.* ibi, nisi & in hunc casum vel substitutus, vel coniunctus eos antecedat. Hæc ad hanc facti speciem applicando, cum Iacobus prædefunctus reliquerit filias substitutas, videlicet in conditione positas, & consequenter vocatas ex antedictis, non est locus caducitati.

7 Quarta coniectura, quod cum istæ Neptes, eodem modo quo Nepotes, vocatæ, & substitutæ fuerant, si dicerentur exclusæ, necesse quoque erat excludere masculos filios Iacobi Nepotis testatoris, visa quoque fuit satis ponderosa, & dum contra eam opponebatur ex eo non subsistere, quod tempore obitus testatoris non aderant masculi ex Iacobo prædefuncto, qui ipsum repræsentaret, fuit responsum, quod cum testato disposuerit per alternatiuam, videlicet *Morendo Pietro, Bernardino, & Iacomo senza figliuoli maschi, ò femine*, satis erat alternatiuam in vno tantum verificari. *leg. is qui ducenta. §. verum. ff. de reb. dub. leg. si hæredi plures. ff. de condit. instit. Socin. consilio 113. incip. suprascript. insignes. numero septimo. versicu. sed clarum est. libro primo.* alioquin hæc alternatiua *maschi, ò femine*

ò feminę nihil operaretur quo ad feminas non extantibus masculis, & consequenter fateri oportebat fuisse substitutas.

8 Quinta, & vltima coniectura desumpta ex digressione ad plures gradus substitutionum breuiter impugnabatur negando plures gradus existere, ceterum impugnatio visa fuit sine ratione, cum ponderando illam testamenti clausulam, *de Petro, & Bernardino, sostituendo l'vno all'altro volgarmente, pupillarmente*, & per fideicommisso in perpetuo, apparebat nedum plures, sed plurimos fuisse factos substitutionum gradus, cum illa dictio, in perpetuum, habeat tractum successiuum in infinitum, vt in simili de verbo semper dixit *Bart. in l. 1. nu. 21. ff. solut. matr.*

9 Istis coniecturis sic confirmatis aliqui ex Dominis addebant duas alias. Primam deductam ex pupillari substitutione, quæ non poterat verificari in filijs testatoris, qui tempore conditi testamenti, & obitur testatoris erant maiores. Vnde necesse erat quod verificaretur in Nepotibus, & Neptibus eiusdem testatoris, quæ tempore obitus eius primum locum obtinuissent. Altera quia sicut in portione Iacobi potuissent succedere filiæ Petri, & Bernardini similiter imo multo magis in eiusdem Iacobi portione debebant succedere filiæ propriæ eius, & Neptes.

10 Neque ad rem pertinebat, quod Testator præsumeretur se conformasse cum statuto per quod feminæ dotatæ sunt exclusæ, quia cum vocauerit feminas illas ponendo in conditione, apertè significauit se voluisse à statuto recedere, quod licuit Testatori, cum in re sua quilibet sit moderator, & Arbiter.

11 Ad absurdum ex eo collectum, quod Neptes essent melioris conditionis, quam propriæ filiæ testatoris, quod *Ias. in l. Gallus. §. nunc de lege. num. 14.* dixit esse contra omnem æquitatem Mundi, fuit responsum non esse absurdum, quod aliquando Neptes sint melioris conditionis, quam filiæ, *Card. Mant. lib. 6. de coniect. vltim. volun. tit. 11. nu. 16.* vbi dicit hoc absurdum tunc magis cessare, quando testator filias in toto non excludit, sed suas dotes habuerunt, tunc enim non rectè infertur, filia, quæ dotem habuit, est exclusa à successione vniuersali, ergo etiam Neptes ab ea excludi debent, nam hoc casu Neptes melioris conditionis esse possunt, *Cephal. consil. 45. incip. Magnificus Dominus. num. 21. et consil. 46. incipiente adhuc videtur. numer. 28.*

12 Demum ad epistolam missiuam testatoris qua vtebantur Informantes contra Lydiam ad testatoris voluntatem declarandam, ex *Bart. in l. alimenta. num. 3. ff. de alimen. cibar. legat.* fuit responsum. Primo eam fuisse scriptam multo tempore ante conditum testamentum, & in eo testatorem mutasse voluntatem, cum ambulatoria sit hominis voluntas vsque ad mortem. Secundo fuit responsum ex ea epistola non potuisse deduci aliquam efficacem coniecturam contra dispositionem testamentariam, quia testator solum dixit prætendere, quod bona sua remanerent apud masculos, qui ex Iacobo nascerentur ex quo tamen non fuerunt nati masculi. Vnde commode poterat conciliari dictum in epistola cum dicto in testamento, videlicet quod epistola intelligeretur extantibus masculis, ex Iacobo eis verò non extantibus non perimebatur dispositio testamentaria, quod succederent feminæ.

ILLVSTISSIMO ET REVERENDISS. D. CARD. BONONIEN.

Ispalen. Matrimonij de Alcala. Lunæ 28. Ianuarij 1608.

DECISIO CXLVII.

Est impressa inter Ludouisio,

DECISIO 351.

REVERENDISS. P. D. COCCINO DECANO.

Pientina Iuris patronatus, Lunæ 28. Ianuarij 1608.

ARGVMENTVM.

Ius patronatus probatur ex antiquissima possessione præsentandi vna cum forma, quando præsentationes effectum habuerunt.

SVMMARIVM.

Ius patronatus satis probatur ex antiquissima possessione præsentandi vna cum fama, nu. 1.

Iuris patronatus quasi possessio antiquissima probatur ex multiplicatis præsentationibus effectuatis. nu. 1.

Iuris patronatus antiqua possessio ex præsentationibus inducta, non redditur turbida ex eo, quod semel præsentatio effectum habuerit per resignationem. nu. 2.

Enunciatiuæ emanatæ à personis suspectis, quando probent. numer. 3.

DECISIO CXLVIII.

1 Fuit resolutum, beneficium, de quo agitur, esse de Iure patronatus, quia satis probatur ex quasi possessione præsentandi antiquissima, vna cum fama, *iuxt. doctr. Bal. in l. cum super. C. de rei vendic.* quem *Rota sequitur. Cassad. dec. 2. num. 4. de probat. Put. decis. 60. in fin. lib. 1. Achill. decis. 6. de Iure patronatus.* De antiquissima autem possessione constat ex multiplicatis præsentationibus effectum sortitis, *iuxt. consilium Oldr. cons. 229. num. 2.* De fama vero ex pluribus enunciatiuis, quæ habent requisita, de quibus per *Aretin. in cap. cum causam. nu. 21. de probat.* & mouit etiam Dominos, quia ab anno 1345. vsque ad hæc tempora habetur mentio huius Iuris patronatus, siue in præsentationibus, licèt aliquas non constet habuisse effectum, siue in prouisionibus Apostolicis, vt fuit etiam consideratum in causa Lucana Iuris patronatus coram me.

2 Non obstat, quod vna ex præsentationibus ostenditur effectuata per resignationem quia non inde probatio redditur æquiuoca, quasi præsentatus potuerit resignare ius, quod habebat in beneficio, cum resignatio longe post presentationem fuerit facta, etiam cum reseruatione pensionis, quæ postea fuit soluta, vt fuit ponderatum coram me in causa Reatina Prædij 2. Maij 1603. Et quamuis vna etiam ex præsentationibus sit ad fauorem Salui Angeli de Asina longa, & prouisio pro obitum Angeli Salui de Asina longa, & propterea stante diuersitate nominis, non inde resultat effectuatio primæ præsentationis, tamen etiam dempta ista prima præsentatione, adhuc remanet antiquissima possessio præsentandi, licèt etiam negari non possit, quin oriatur ex serie verborum magna præsumptio effectuationis.

3 Minus releuat, quod enunciatiuæ emanarunt à personis suspectis, quia cum recipiant præsumptionem, & formentum ex actu, in quo fuit enunciatum, satis probat. *Achill. decis. 1. de confess. & dec. 7. de iure patron. Put. dec. 149. lib. 3.*

RE-

REV.[mo] P. D. LVGDVNEN.

Romana Pecuniaria, Lunæ 28. Ianuarij 1608.

ARGVMENTVM.

Procurator ad disdicendum societates Officij, & exigendum an, & quando possit dictas societates renouare, & quando renouatæ censeantur.

SVMMARIVM.

Societate officij per mortem Officialis finita, sors principalis restituenda est. nu. 1.
Probatio non concludens nihil releuat. nu. 2.
Contractus censetur factus nomine illius, qui contrahit, & non alieno. nu. 2.
Societas non præsumitur renouata per contractionem alterius societatis eiusdem summæ, & cum eisdem personis, nomine tamen alterius, nisi probetur primæ societatis extinctio. nu. 2. & seq.
Nouatio regulariter non inducitur nisi expresse dicatur. nu. 3. vbi declaratur.
Procurator ad disdicendum societates Officij, & exigendum, non potest easdem societates renouare. n. 3. & 4.
Tutor, & procurator habens mandatum cum libera, possunt etiam nouare. nu. 4.
Voluisse quis non præsumitur, quod non potuit. nu. 5.
Procurator ad exigendum conuertens exactas pecunias in sui commodum furtum committit. nu. 6.
Nouatione contractus nouatus ipso iure dicitur extinctus. num. 6.
Nouationis natura est extinguere præcedentem obligationem num. 6.
Scientia non inducitur nisi constet, quod quis sciuerit factum principale cum omnibus suis qualitatibus. nu. 7.
Ratificari non potest actus gestus alio nomine, quam ratificantis. nu. 7.
Creditor tacens, & negligens exigere suum creditum, sibi non præiudicat nisi per lapsum temporis fuerit inducta præscriptio. nu. 8.

DECISIO CXLIX.

1 PRo Informante, videlicet mandatum Auditoris Cameræ esse exequendum, quia iustificatur ex obligatione Camerali, & ex instrumento societatis, quæ cum fuerit dissoluta per mortem Officialis, eaq; mors fuerit intimata ei, qui pecunias acceperat, is procul dubio tenetur ad illarum restitutionem.

2 Non obstat, quod D. Aurelius ad cuius fauorem erat inita societas, constituerat de anno 1593. Penellum eius fratrem Procuratorem ad disdicendum illā societatem, sortemque & fructus illius exigendum, & de exactis quietandum, quia videbatur Dominis non constare, quod Penellus vsus sit dicto mandato, & societatem extinxerit. Quamuis enim reperiantur de anno 1585. contractæ per Penellum supradictū Procuratorem tres societates, quæ insimul iunctæ conficiunt summam, quæ erat in illa prima societate, & inita sunt cum iisdem personis, tamen non ex eo sequitur pernecesse extinctio primæ societatis. Ideoque talis probatio non concludit. *leg. non hoc. C. vnde legit. cap. in præsentia. de probation. Bald. consil. 220. num. 1. lib. 1. Aymon. consil. 313. num. 1.* & cum dictæ societates cantent ad fauorem non Aurelij, sed Penelli, dicendum est, quod Penellus pro se ipso, & suo nomine, non autem proprio contraxit. *Paris. consil. 72. num. 30. lib. 2. Corn. consil. 310. num. 2. lib. 3. Roland. consil. 9. num. 31. lib. 3.*

3 Atque vltra, quod regulariter non inducitur nouatio, nisi id expresse sit actum. *leg. fin. C. de nouat. §. præterea. Institut. quibus mod. tollit obligatio*, vel adsit talis repugnantia, vt societas prima non se compatiatur cum secunda. *Bald. in d. leg. fin. in princip. Dec. consil. 463. num. 6. & 464. num. 5. Dec. consil. 11. numer. 69. lib. 1.* adhuc in hoc casu, licèt Penellus esse Procurator ad disdicendum, & exigendum, non tamen poterat nouare. *l. non abstulit. C. de nouat. leg. non ideo. & l. si debitorem. ff. eodem l. si vnus. in princip. ff. de pact. l. quod stipulatus. ff. de nouat. Dec. cons. 543. num. 12. Surd dec. 181. nu. 52.*

4 Quibus non obstat, *text. in l. cui recte. ff. de nouat.* & similes, vbi dicitur, quod cui recte soluitur, is etiam potest nouare. Leges enim in hac materia inuicem pugnantes sic in concordiam reducuntur, vt nouare possit, qui iure suo solutum recipit, non potest autem qui nudum ministerium habet, & qui solutioni tantum adiectus est, & non obligationi, excepto tamen tutore, & Procuratore habente mandatum cum libera, vt optimè declarat *Cuiacius lib. 3. ad edictum Pauli, explicans d. l. si vnus. & Gothoffred. in d. l. cui recte.*

5 Sed neque dici potest, quod Penellus habuerit hoc casu animum nouandi, tum quia non præsumitur voluisse, quod non potuit. *Alex. cons. 122. num. 6. lib. 4. Ias. in l. Gallus. §. 1. num. 6. de liber. & posthum. Corn. cons. 102. n. 6. lib. 2.* Tum quia nouando illam primam societatem ad sui fauorem merebatur sibi notam infamiæ, & incidebat in crimen furti, ex traditis per *Surd. dec. 304. nu. 12. & sequentib.*

6 Non obstat, quod substitutus Notarij deposuit, Penellum quando contractæ fuerunt societates promisisse oretenus se iuraturum, vt prima societas cassaretur. Nam iste est testis vnicus, & potius excludit nouationem per quam fuisset ipso iure extincta prima societas. *Bar. in l. si cum dotem. §. si mulier. nu. 6. ff. solut. matrim. Bald. in l. auia. in fin. C. de iure dot.* Nouationis enim natura est, extinguere præcedentem obligationem, eamq; in sequentem transfundere. *l. 1. ff. de nouat. Surd. cons. 298. nu. 44.* Nec vero illa promissio Penelli, vel dicta prima societas fuisset extincta, vel Aurelius obligatus ad illius extinctionem.

7 Non obstat etiam prætensa ratificatio deducta ex sola scientia Aurelij. Nam scientia non probatur saltem talis, quæ sufficiat ad ratificationem, videlicet, quod Aurelius sciuerit totam rem gestam, cum omnibus suis qualitatibus. *Gl. in cap. concertationi. in ver. sciuerit. de appellat. in 6. Castr. cons. 965. num. 5. Tiraq. de retract. consanguinit. §. 36. gl. 2. num. 3. Surd. consil. 328. num. 28.* Et propterea non potest agi de ratihabitione, postquam sumus in actu, qui non fuit gestus nomine Aurelij. *leg. si pupilli. §. sed si ego. & ibi gloss. Bartol. & alij. ff. de negot. gest. Specul. de iudic. §. 2. vers. ratihabitione. Bald. in l. si quis seruo. in prima col. vers. sed venic. C. quod cum eo. & in l. mater. in 4. oppositione. Cod. de rei vendicat. Mohed. dec. 22. in fin. de præbend. Capr. de reg. iur. 55. per totum.*

8 Et quo ad hoc cessat difficultas, quia Aurelius vsque ab anno 1596. petijt coram A. C. sibi restitui capitale societatis, & fructus decursos solui, & licèt ab inde posteà siluerit, tamen id potuit contingere, quia alijs negotijs vrgentibus esset impeditus, & in omnē euentum, si sola taciturnitas in petendo sufficeret, frustratoriæ essent præscriptiones, & alias considerauit Rota in causa Romana extinctionis census, 7. Maij 1584. quæ est, inter impress. 788. par. 1. nu. 12. Atque ex his Domini dixerunt, mandatum Auditoris Cameræ esse exequendum, &c.

REVERENDISSIMO P. D.

ATTREBATEN.

Nucerina Emphyteusis. Veneris 8. Februarij 1608.

ARGVMENTVM.

Dominium emphyteoticæ rei debet plene, & concludenter probari ad effectum rei vendicationis, vel deuolutionis, & quomodo hoc probetur.

SVMMARIVM.

Dominium emphyteusis debet plene, & concludenter probari ad effectum rei vendicationis, vel deuolutionis, ita quod isto casu non sufficiunt locationes, seu concessiones emphyteoticæ, nu. 1. & 2.

Dominium emphyteoticæ rei non probatur ex eo, quod quis emerit rem tanquam emphyteoticam, & recognouerit ecclesiam, ac soluerit Laudemium. nu. 3.

Instrumentum quod non dicit, nec nos dicere debemus, nisi adsint aliæ probationes. nu. 4.

Emphyteusis an præsumatur esse tota illa, quæ reperitur intra confines designatos in contractu emphyteotico. num. 5.

Emphyteota tenetur designare bona ex quibus soluit canonem; sufficit tamen illi ostendere certam quantitatem canoni proportionatam, & qui maiorem prætendit, probare debet. nu. 6.

Laudemium de iure communi est quinquagesima pars pretij, pacto tamen, vel consuetudine variari potest. nu. 7.

DECISIO CL.

1 FVit resolutum, non probari totum prædium esse esse emphyteoticum ad effectum rei vendicationis, vel deuolutionis, quo casu requiritur plena, & concludens probatio, *leg. in rem actio. leg. officium. ff. de rei vendic. l. cum res. & ibi Bald. circa fin. C. de prob. not. in l. 1. C. de alienat. iudicij mutan. cau. fact. Ripa cap. sæpe. num. 5. de restit. spol. Specul. in titul. de emphyteut. §. nunc aliqua. num. 71. Aym. cons. 157. num. 53. lib. 1. Alexand. Rota coram Caputaq. dec. 280. part. 1.* & in Romana Domus, Sanctæ Agnetis. 19. Iunij 1589. coram bon. me. Orano, & in Gerunden. Vini, 5. Maij 1599. coram R. P. D. Decano.

2 Et in specie in iudicio rei vendicationis, vel deuolutionis, non sufficiunt locationes, seu concessiones emphyteoticæ. *cap. inter dilectos. prope fin. de fide instrumen. l. ad probationem. C. locati, & trad. Bartol. in l. legata. nu. 2. ff. de adimend. legat. Ias. in l. 2. num. 178. C. de iure emphyt. Alex. in l. si alienam. nu. 3. ff. solut. matr. & cons. 12. num. 4. vol. 4. Aym. cons. 157. num. 6. & 7. Curt. iun. cons. 41. nu. 8. Ruin. cons. 26. nu. 1. & cons. 47. nu. 6. libro 1. Caputaq. d. dec. 280.* & fuit dictum in dicta Romana Domus Sanctæ Agnetis.

3 Et quod ad effectum caducitatis non probetur Dominium, etiam si quis emerit rem tanquam emphyteoticam, & recognouit ecclesiam, ac soluerit Laudemium, fuit resolutum in Romana deuolutionis Vineæ 13. Nouembris 1602. coram Illustrissimo Domino Cardinali Seraphino.

4 Minus vero probari dixerunt Domini quantitatem cum in instrumento emphyteusis nulla quantitas expressa legatur, & quod instrumentum non dicit, nec nos dicere debemus, nisi adsint aliæ probationes. *Bald. consil. 298. nu. 6. in fin. lib. 1.* & fuit dictum in ciuitatis castelli bonorum 4. Iulij 1590. coram Illustrissimo D. Cardinali Pamphilio.

5 Non obstat, quod huic prædio dati sint certi fines, vnde totum præsumitur emphyteuticum. *Ias. in dict. l. 2. num. 173. C. de iure emphyteut. lib. 2. Ruin. consil. 50. num. 14. volum. 1. Socin. consil. 167. num. 20. lib. 1. Gabr. conclus. 3. num. 5. de feudis.* Respondebatur enim non præsumi emphyteoticum quicquid intra fines continetur, vt post *Hostien. in cap. nimis. nu. 4. de iureiur.* De communi testatur *Affl. in cap. 1. n. 12. de controu. inter mascul. & fem. Et in dec. 267. nu. 4.* Bellon. *cons. 10. n. 11. Clar. in §. feudum. q. 18.* Et tenuit Rota in Asten. Feudi de Solano. num. 1584. coram bon. mem. Bubalo, quæ allegatur in dicta Ciuitatis Castelli, & ibidem traditur alia solutio, quod videlicet præsumptio pro emphyteusi cessat, vbi apparent notæ, & vestigia diuersitatis, & hinc quoniam instrumento concessionis nominantur aliquæ Terræ, quæ possidebantur per ipsos recipientes, & dantur pro confinibus; absque eo quod constet quantum se extendant, nisi quod apparet ea fuisse notabilis valoris cum fuerint vendita 900. & 1000. ac amplius scutis.

6 Secundo non obstat, quod emphyteuta tenetur designare bona ex quibus soluit canonem. *Ias. in d. l. 2. num. 173. C. de iur. emphyt. Ruin. cons. 50. num. 14. libr. 1. Roland. consil. 66. nu. 4. & 6. lib. 3.* Nam responsum fuit satis esse, quod emphyteota ostendat certam quantitatem, quæ si est proportionata canoni, petens maiorem quantitatem probare tenetur. *Specul. in dicto §. nunc aliqua. num. 79. de emphyt. Afflict. cap. 1. §. illud nu. 22. in fin. de prohib. feud. alienat. Roland. consil. 66. num. 1. 2. & 7. lib. 3.*

7 Veruntamen Domini existimabant probari prædium, de quo agitur esse emphyteoticum pro duobus cuppis, quod ex aduerso non negatur, & demonstratur ex solutione Laudemij, quod antiquitus erat quatuor florenorum, æ posterioribus duodecim scutorum ad rationem quinque pro quolibet centenario, iuxta quem calculum pars emphyteotica ascenderet ad 240. scuta per *gl. magn. in l. semper in stipulationibus. circa medium, de regul. iur. Dec. cons. 43. num. 5. Aym. consil. 310. num. 3.* Nam & si de iure communi Laudemium sit quinquagesima pars pretij. *l. finali. vers. & ne auaritia. C. de iur. emphyt.* tamen pacto, vel consuetudine potest variari, vt deducitur ex dicta l. fin. ibi, si nulla pactio fuerit interposita. *Hostien. in Summa tit. de locat. §. quod si de natura, vers.* & Dominus, & fuit dictum in Lauden. deuolutionis. 26. Iunij 1596. coram Illustrissimo Pacen. Quo ad ceteras partes relinquitur Cornelio facultas melius probandi, &c.

R. P. D. ORTOMBERGO.

Romana Dotis de Trincijs. 5. Martij 1608.

ARGVMENTVM.

Deserta causa appellationis, non per hoc dicitur deserta causa nullitatis. Nec Rota attendit sententias, & res iudicatas, quando constat de earum iniustitia etiam non notoria, reique iudicatæ censetur renunciatum per discussionem super iustitia sententiæ.

SVMMARIVM.

Deserta causa appellationis ob non prorogata fatalia expirat iurisdictio iudicis ad quem. Declara vt non per hoc non possit cognosci de causa nullitatis, & notoriæ iniustitiæ. nu. 1. & 2.

Iniustitia æquiparatur nullitati, & nunquam transit in iudicatum. nu. 3.

Rei iudicatæ censetur renunciatum ab eo, qui patitur disputari super iustitia sententiæ. nu. 4.

DECISIO CLI.

1 FVit resolutum sententiam esse confirmandam. Nam de iustitia, & validitate constat ex duabus decisionibus coram R. P. D. meo Ludouisio factis. Nec placuerunt nullitates, quæ contra eam fuerunt appositæ, quarum prima est, quod fuerit lata deserta causa appellationis ob non prorogata fatalia, quo casu expirat iurisdictio. Clem. si appellatione, & ibi *gloss. in verb. appellationis. de appellat.*

2 Fuit

2 Fuit enim responsum, quod deserta causa appellationis adhuc durat causa nullitatis, & notoriæ iniustitiæ, æquè principaliter commissa, cuius instantia durat per 30. annos *Andr. Gazl. obseruat. 135. num.6. lib. 1.* fuit dictum in Salamantina Abbatiæ, 14. Ianuarij 1545. coram *Peregrino, quæ est diuers. 33. numero 6. lib. 3. par. 3.* & in Placentina Parochialis de Malpartida. 6. Nouembris 1602. & in eadem 1. Decembris 1603. coram bo.me. Litta. Quare stante notoria iniustitia, sententia potuit reuocari etiam post lapsum fatalium in causa appellationis. *Marsyl. sing. 473.* & fuit decisum in Corduben. Statutorum. Vener. 21. Iunij 1585. coram bo.mem. Gipsio.

3 Nec obstat res iudicata. Nam Rota prout alia suprema Tribunalia non attendit res iudicatas, quando constat de illarum iniustitia etiam, quod non sit notoria, & ratio est, quia iniustitia æquiparatur nullitati, & nunquam transit in iudicatum. *Felin. in c. super literis. num. 15. de rescript. Cæs. de Grass. decis. 2. num.7. de solut.* & fuit dictum in Bononien. de Pipinis 8. Nouembris 1577. & in Gaddicen. Statutorum 19. Nouembris 1580. coram Illustriss. Cardinali Seraphino, quarum prior est *decisio 311. num. 2. par. 2. altera 644. par. 1. diuers.*

4 Constat autem de iniustitia sententiæ, quia fundatur in Statuto populi Romani confirmato per Pium Quintum, quod postea fuit reuocatum per noua Statuta Vrbis, composita auctoritate Gregorij XIII. quã iniustitiam, cum creditores passi fuerint detegi non obijciendo de prima sententia ad impediendum litis ingressum, sed tolerauerint discussionem super prima sententia opponendo contra iura generalia declarando velle stare simplici copiæ, & disputando dubia super meritis, videtur renunciasse rei iudicatæ. *Put. decis. 202. lib. 2.* nec non appellationi ab vlteriori processu, quo casu non solum confirmari, verum etiam infirmari potest. *Felin. in c. inter monasterium. numero 23. de senten. & re iudic. & Aret. in cons. 73. num. 4. vers. præterea. Dec. in l. res iudicata. num. 4. ff. de reg. iur.* & fuit dictum coram me in Valentina Mercedis, Lunæ 6. Iunij 1605. Ideoque causa grauaminis fuit nulla, friuola, & calumniosa, & merito R.P.D. Ludouisius dedit refutatorios. *Put. decis. 400. num. 2. lib. 3.*

R. P. D. CAVALERIO.

Romana Domus de Vsazzis. Mercurij 5. Martij 1608.

DECISIO CLII.

Est impressa inter Caualerio.

DECISIO 20.

REVERENDISS. P. D. LVGDVNEN.

Bononien. Census. Lunæ 17. Martij 1608.

ARGVMENTVM.

Statutum Bononiæ sub rubrica de contractibus cum minoribus, & filijs familias faciendis requirens certas solennitates numquid habeat locũ quando minor, & filius obligat se, & contrahit ad patris fauorem.

SVMMARIVM.

Facti species narratur. num. 1.
Minores contrahentes sine solennitate à statuto requisita non obligantur. num. 2. & 4.
Statutum ligat extra territorium suos subditos contrahentes, quando sic in eo expresse disponitur. num. 2.
Iuramentum non firmat contractum minoris celebratum sine statutaria solennitate, quando illius vires annullantur à Statuto. nu.3. & 13. vbi de materia, & num. 14. Vbi quod nec etiam iuramentum firmat hunc contractum nullum, quando adest enormissima læsio.
Proœmium Statuti declarat mentem statuentium. nu. 4.
Statutum comprehendit etiam forensem, quando respicit certam formam, seu solennitatem contrahendi, secus si respicit personam contrahentis, illamque inhabilitat. num. 5.
Communitas fungitur vice, & priuilegio pupilli. nu. 6.
Minor prohibetur à Statuto contrahere sine certa solennitate, nec etiam contrahere potest sine dicta solennitate cum alio minore, si in contractu læsus fuit. nu.6.
Patria potestas amittitur per maximam capitis diminutionem num. 7.
Statutum requirens in contractu minorum consensum, seu præsentiam alicuius, non suppletur per præsentiam, seu consensum illius, qui habet commodum, & interesse in contractu. num. 7.
Statutum prohibens minorem contrahere sine certa solennitate habet locum etiam in minore contrahente cum patre, quando in contractu euidenter est læsus. num. 8.
Donandi animus non præsumitur. num. 9.
Paria sunt quod duo simul alienet, vel quod vnus alteri alienanti consentiat. num. 10.
Filius obligare potest se, & etiam fide iubere pro excarceratione patris. num. 10. Declarat, vt num. 11.
Statutum requirens in contractu minorum certam solennitatem, & illius euidentem vtilitatem, non suppletur per vtilitatem sine solennitate, nec per solennitatem sine vtilitate. num. 11.
Statutum requirens in contractu minorum certam solennitatem, procedit etiam quando filius obligat sed ad fauorem patris, & pro illius excarceratione. num. 12.

DECISIO CLIII.

1 CVm Theodorus Ciuis Bononiensis ob dilapidatam Regiminis Bononiensis pecuniam detineretur carceribus Vrbis, fuit de anno 1600. inter ipsum, & dict. Regimen. inita concordia, in qua Theodorus cum promissione solutionis residui debiti, si vmquam ad pinguiorem fortunam rediret, cessit prædicto Regimini quendam annuum censum librarum trecentarum & viginti, qui erat pars dotis Isabellæ prædefunctæ ipsius vxoris, illique cessioni Hannibal filius Theodori, & Isabellæ tunc impubes pubertati proximus præstitit consensum cum iuramento, & cum authoritate curatoris, ad id specialiter sibi deputati, & cum decreto iudicis, renunciauitque priuilegio minoris ætatis, atque promisit contentis in illo contractu nunquam contrauenire, elapsis postea aliquot annis cum idem Hannibal vti filius, & hæres Isabellæ petiisset fructus census ab Alexandro antiquo illius debitore qui iam illum extinxerat mediante solutione librarum quatuor millium facta Regimini cessionario, fuit inter dictum Alexandrum, & Cameram Bononien. ex vna parte, & Hannibalem ex altera introducta lis in partibus, vnde cum auocata, & mihi commissa fuisset.

2 Dubitaui an prædicta cessio, & extinctio census obesset Hannibali, & dubio vtraque parte informante proposito Rota respondit negatiue, & mota est potissimum ex commissione formæ, seu solennitatis statutariæ, quæ in ista alienatione rei ad minorem spectantis requirebatur, siue consideremus locum Census alienati, & originis, ac domicilii Hannibalis, siue locum celebrati contractus. Statutum enim Bononiæ subdit de contractu cum minoribus, & filiis familias faciendis expresse prohibet suis subditis etiam extra Ciuitatem, & districtum Bononiensem contrahere,

here, nisi sub quadam forma, quæ hic seruata non fuit Ideoque clarum est, quod iuxta terminos illius statuti cessio Hannibalis non est habenda in consideratione, & licèt dubitari soleat, an statutaria dispositio liget suos subditos extra suum forum: Tamen illa dubitatio tollitur, ex quo statutum Bononiæ procedit vlterius, tollendo fidem scripturis, & instrumentis aliter confectis etiam extra territorium, ad latè tradita per *Tiraq. de legib. connub. gl. 8. num. 219.* & Rota in causa Bononien. Terrarum 29. Maij 1579. coram Cantuccio, quæ est dec. 104. par. 2. diuers. dixit dictum statutum esse indubitanter obseruandum.

3 Quo stante non est facienda vis in iuramento Hannibalis, quia illud annullatur à dicto statuto auctoritate Apostolica confirmato, & fides dempta est contractui, ita vt contractus non probetur, nec etiam probatur iuramentum contentum in contractu. *Bart. in leg. omnes populi num. 25. de iust. et iur.* fuit consideratum in dict. dec. coram Cantuccio, & in similibus terminis in statuto Vrbis de præscriptione sexdecim annorum apud *Mohed. decis. 16. de præscrip. et Put. decis. 116. lib. 1.*

4 Quod si dictum Bononiæ statutum non vendicat sibi locum in ista causa, quoniam disponere videtur, quando adest suspicio, quæ in isto casu omnino cessauit, videlicet quod minor se contulerit extra districtũ, vt fraudem faceret statuto, sicuti colligitur ex proœmio, quod declarat mentem statuentium. *Bartol. in leg. fin. de hæred. Instit. Oldrad. cons. 105. num. 1. ibique add. Rom. cons. 436. num. 10.* & ex quo alias minor Bononiensis vix contrahere posset alibi quam in districtu Bononiensi quicquid sit de ista consideratione, quam Domini nõ firmarunt, tamen propterea obstabat *Hannibali cessio, quia succedit ad eius fauorem statutum Vrbis lib. 1. cap. 113.* quod in alienationibus faciendis rerum ad minores spectantium dat certam formam, quæ cum in cessione census non fuerit seruata, præsertim in deputatione duorum Curatorum, ideò sit locus verbis, & dispositioni dicti statuti, quòd talis alienatio nulla, & inualida censeatur.

5 Et quidem non est dubium, quin dictum statutum comprehendat minorem forensem, contrahentem in Vrbe, cum respiciat solennitatem, seu formam sub qua minor debet contrahere non autem illius personam inhabilitet, *iuxta doctr. Bart. in leg. 1. num. 13. et 14. C. de sum. Trin. et fid. Cath.* quam omnes sequuntur, vt dicit ibi *Ias. et de communi testatur Purpur. ibid. num. 98. et quam plurimos refert Lambertengen. de contr. mulier. gloss. 2. num. 26. et sequent.* Et est regula generalis, quod in respicientibus formam contractus, & solennitates forenses litigantur statutis loci in quo contrahunt *Gabriel. de consuet. concl. 2. num. 4. Surd. cons. 257. num. 1. et 3. Caputaq. decis. 206. et 215. part. 3. Cæs. de Grass. decis. 2. numer. 16. de donat.*

6 Non obstat, quod iste minor contraxerit cum communitate Bononiæ, quæ fungitur vice, & priuilegio pupilli, *leg. nihil. ff. ad municip. leg. respublica. Cod. ex quibus caus. maior. leg. rempublicam. Cod. de iur. reip. lib. 10. Bartol. in leg. nulli. num. 4. ff. quod cuiusque vniuers. nom. Cora, consil. 189. num. 4. lib. 3.* Quia etiamsi dictus minor ad alterius minoris fauorem obligasset se, & ius remisisset, suum, haberet nihilominus locum statuti dispositio quandoquidem inter duos priuilegiatos contrahentes potior est causa eius, qui in contractu insimul inito læsus est, aut damnum sensit, *arg. cap. auditis, de restitut. in integr. leg. fin. ff. ex quibus caus. maior. leg. 1. C. si aduers. fisc. et ad hoc plures cumulat Lamberteng. in d. tract. de contractat. mulier. in fin. num. 125. et sequentib.*

7 Non obstat, quod propter præsentiam patris non fuerit necessaria deputatio alterius Curatoris. Quia omisso quod dicitur Theodorum passum fuisse maximam capitis diminutionem per quam finita fuerat patria potestas. *§. cum autem is. Instit. quibus mod. ius patr. potest. solu.* Ad huc non potuit ad sui proprium commodum authorizare filij personam, vt in his terminis esse veram opinionem respondit *Bald. consil. 213. in princip. tradit Ias. cons. 69. in 2. dub. lib. 1.* vbi ait hanc opinionem esse tenendam, & sequendam in iudicando. *Paris, cons. 97. nu. 21. et sequent. libr. 3. latè Tiraq. de legibus connub. gl. 8. n. 115. et Ascan. Clement. de patr. potest. cap. 6. effectu 10. nu. 6.*

8 Nec obstat, quod stante statuto, vt minor sine certa solennitate contrahere non possit, filius tamen sine dicta solennitate possit contrahere cum patre illique donare, vt ex magis communi opinione dicit *Gabriel. conclus. 2. de statut. num. 1. et 5.* Nam quicquid sit veritati illius opinionis sufficit, quo ad præsentem inspectionem, quod illa fundata est in præsumptione quod pater capiat pro filio bonum consilium. Ideoque non procedit, quando damnum filij est euidens, vt hic idem *Gabriel. d. conclus. 2. num. 7. post Bart. Iason. et Dec. quos allegat.*

9 Deinde Hannibal non donauit censum Theodoro suo patri, sed potius alienauit dictum censum ad fauorem Regiminis, quia & consensus non præsumitur ad donandum, sed ad validandum contractum. *Bald. in l. mater tua. C. de rei vendic.* & idem est, quod duo simul alienent, vel quod vni alienanti, alter consentiat. *Surd. post Bald. et alios quos allegat. cons. 15. num. 20. lib. 1. Dec. cons. 111. nu. 2. Alex. cons. 23. nu. 4. Tiraq. de legib. connub. gl. 7. nu. 24.*

10 Non obstat, quod causa istius concessionis, seu consensus fuerit Hannibali necessaria propter *text. in authent. si captiui. C. de episcop. et cler.* sicut in simili filius fideiubens pro patre excarcerando non restituitur *Salyc. in leg. 1. num. 4. C. de filiofam. minor. ibique Alber. Castr. et alij*, & dixit Rota in causa Bonon. pecuniaria, 9. Iulij 1603. coram R. P. D. meo Ludouisio. Nam fuit responsum, primum quod tex. in d. authen. non compellit præcise filium ad liberandum patrem, sed solummodo sub comminatione exhæredationis, & sic loquitur *dec. 63. part. 2. diuers.* ex prædictis autem patet non fuisse cur Hannibal extimesceret de paterna exhæredatione.

11 Secundo, quod ille tex. loquitur in maiore annis 18. sicut colligitur ex illius lectura, & notauit ibi *Bald. in 3. not.* Tertio, non est recurrendum ad ius commune dum versamur in terminis statuti, quod quidem vltra euidentem vtilitatem minoris alia duo requirit solennitatem videlicet, & causam expressam, ac plene cognitam, ita vt vno deficiente alterum corruat, quia vnum altero non suppletur. *leg. ad testamentum. §. 1. leg. cum hi. §. si prætor. in princip. et ibi gloss. ff. de transact. leg. item veniunt. §. prætor. de petit. hæred. leg. non enim. de adoptio.*

12 Vnde admisso, quod pietas erga patrem deseruiat pro legitima causa alienandæ rei ad minorem spectantis, deficeret tamen alterum statuti requisitum, videlicet solennitas, & iste defectus vitiat contractum. *l. testamentum. C. de testam. ibique Bald. l. qui Romæ. §. Flauius Hermes. ff. de verb. oblig.* & in his terminis liberationis patris, quod solennitas statuti sit indistincte seruanda, dicit *Bald. in præalleg. cons. 213.* sicuti etiam de iure communi præter causam alienandi requiritur solennitas in alienatione bonorum ecclesiæ. *cap. 1. de reb. eccles. non alien. in 6. Idemque est in rebus minoris. Affl. dec. 249. Put. dec. 205. libr. 3. et notatur in tit. C. de prædijs, et alijs rebus minor. non alien.* Hinc patet responsio ad decisionem in causa Bononien. Pecuniaria. Quia ibi fuerant seruatæ solennitates statuti, & nihilominus Rota posteà censuit illum minorem fore audiendum super enormissima læsione.

13 Non obstat, quod dictum statutum in cap. 113. non disponat in casu iurato. Nam vltra quod dici potest, iuramentum esse sublatum per aliud statutum. *c. 151. eod. lib.* & dari istorum statutorum concursum, vt in hoc

hoc vnum ab altero suppleatur, quod Rota non annuit in causa Romana Fideicom. de S. Crucæ, Lunæ 3. Decembris proximè præteriti coram R. P. D. meo Sacrato, & potest habere magnam rationem cum sæpius fuerit resolutum illud statutum habere locum in omnibus contractibus, in quibus minor lædi potest, vt copiose deducitur in Decisione Rom. releuationis indemnitatis 22. Martij 1692. coram R. P. D. meo Ortembergo, & in Rom. argentorum 27. Iunij coram R. P. D. meo Ludouisio.

14 Fuit præterea responsum, quod statutum, vt prædictum est, præter solennitatem, & causam alienandi requirit etiam euidentem vtilitatem minorum, quæ nedum hic non probatur, quia potius constat de læsione illius enormissima. Illa autem conclusio, quod propter iuramentum de non veniendo contra contenta in contractu excludatur quis à remedio sibi competente contra talem contractum si non fuisset iuratus, quam dicunt communem *Couar. in c. quamuis, pactum, de pact. in 3. par. q. 4. num. 4. in princ. & Pinell. in repet. l. 2. C. de rescind. vend. §. 3. c. 1. nu. 1. & sequent.* non procedit quando interuenit enormissima læsio. *Cassad. decis. vnic. de empt. & vendit. alios allegans d. §. 4. num. 5. & lib. 2. var. c. 4. num. 5. & communem dicit Molin. de primogen. Hispan. libr. 2. cap. 3. num. 18. optimè Corn. cons. 288. num. 16. lib. 3.*

15 Hic autem fuit enormissime læsus Hannibal, quia nulla aderat spes reualendi se ab ista cessione, quæ ratio fuit considerata in dicta Romana argentorum coram D. Ludouisio. Atque ista non spes vltra quod ab euentu fuit confirmata, apparebat etiam in limine contractus, quia in illo pinguior fortuna, sicque vmquam contigisset Theodoro, erat præoccupata, & obligata Regimini Bononiæ. Vnde nec obstat vtilitas considerata ex quo pro libris duobus millibus solutæ fuerint solummodo libræ quatuor mille. Quia nec id procedit absolute, & respicit solum patris vtilitatem non autem minoris, Atq; ex his Domini censuerunt cessionem non obstare Hannibali. Dixerunt tamen, quod Agentes pro Camera Bononiæ iterum audiantur, si voluerint, quia materia est larga, & exemplaris.

REVERENDISS. P. D. PEGNA DECANO.

Ferrarien. Prioratus. Lunæ 17. Martij 1608.

ARGVMENTVM.

Subrogatio gratiosa vt iustificata dicatur ad Effectum obtinendi immissionem quænam probanda sint.

SVMMARIVM.

Subrogatio gratiosa obtenta à Papa ad ius, & possessionem defuncti vt iustificata dicatur ad effectum obtinendi immissionem tria sunt probanda, obitus scilicet defuncti in possessione, Clericatus impetrantis, & quod beneficium sit reseruatum, aut litigiosum, nu. 1.

Episcopus quod acceptauerit alternatiuam, probatur ex libro alternatiuarum Datariæ nu. 2.

Beneficium an sit regulare, vel sæculare attendenda est quasi possessio, & vltimus status, num. 3. Declara, vt num. 4. & sequent.

Ius patronatus per allegantem probari debet iuxta requisita à Concilio Tridentino in illis personis, in quibus adest præsumptio vsurpationis, nec sufficiunt enunciatiuæ, confessiones, aut assertiones Ordinarij. nu. 8.

Ius patronatus fortiores exigit probationes, quando constat, alias beneficium fuisse à Papa collatum absque consensu prætensi patroni, num. 9. & seq.

Beneficia Iuris patronatus Laicorum sub regula reseruatoria non comprehenduntur, nu. 11. & seq.

DECISIO CLIV.

1 PRioratum Regularem Sancti Leonardi, Ordinis S. Augustini vacantentem per obitum Pauli Silingardi, de Mense Augusti 1603. Reuerendiss. Episcopus Ferrariensis, tanquam beneficium sæculare sub alternatiua comprehensum cōtulit Dominico Campio Clerico sæculari, sub die 26. Augusti eiusdem anni, eundem à fel. rec. Clemente Papa VIII. commendari sibi obtinuit R. P. D. Alphonsus Giliolus, Mense Februario, anno 1604. cum gratiosa subrogatione ad ius, & possessionem defuncti: & quia Dominus Giliolus vigore gratiosæ subrogationis, petebat se immitti in possessionem. Dubitaui, an subrogatio gratiosa esset iustificata, & quoniam ab obtinendam immissionem, vigore talis gratiæ tria sunt probanda, videlicet obitus defuncti in possessione, & Clericatus impetrantis, & quod beneficium sit reseruatum, aut litigiosum, vt sæpè Rota censuit, & signanter in causa Miranden. Parochialis, die 17. Maij 1600. coram me, & duobus primis non dubitaretur tota difficultas reducebatur ad reseruationem Prioratus, quam Informantes pro D. Giliolo ex quatuor potissimum capitibus deducere conabatur, Primo, ex vacatione in Mense Augusti. Secundo, ex Regularitate. Tertio, Commenda, vnde resultat affectio propter appositionem manus Papæ, cum alias probaretur fuisse commendatum. Quarto, quia non erat liberæ collationis Episcopi, cum prætenderetur, esse de Iure patronatus.

2 Quantum ad primum de vacatione in mense Augusti, licet hic mensis sit de octo reseruatis, tamen quando Episcopus acceptat alternatiuam fit mensis ordinarij Episcopum autem Ferrariensem acceptasse alternatiuam constabat ex fide Notarij affirmantis se in Dataria ex libro alternatiuarum Clementis Papæ VIII. extraxisse partitam ibi scriptam continentem, D. Ioannem Fontanam Episcopum Ferrariensem die 8. Maij 1592. acceptasse alternatiuam, & consequenter reseruatio deducta ex vacatione in mense Augusti non suffragabatur D. Giliolo. Neq; obstabat, quod non probaretur præsentia Episcopi in Diœcesi Ferrariensi, quoniam contrarium apparebat ex prouisione Episcopi, quam fecit in villa Sabloncelli, & in Palatio Episcopali, & sic intra limites suæ diœcesis. Vnde cessabat obiectio de decisione in causa Illerden. Cappellaniæ, coram me, in quo casu non erat probatum, quod tempore collationis Episcopus esset in diœcesi.

3 Quantum ad secundum, de regularitate, quamuis hic Prioratus esse regularis videretur, tum ex plurib. enunciatiuis, etiam antiquis, vnde probatur regularitas: tum ex alijs actibus ex quibus constabat, quod vsque ad annum 1509. fuerat in statu regularitatis. Ceterum hęc regularitas ideo minus prouiso Apostolico suffragabatur, quia vltimus status erat secularitatis cū ab anno 1561. vsq; ad vltimam vacationem, tanquam beneficium sæculare fuisset in titulum collatum: Vnde licet à sua primæua origine Prioratus fuisset regularis nihilominus cum ad sustinendam hanc collationem, & ad effectum, vt includeretur, vel excluderetur reseruatio attendendā sit ista quasi possessio, & vltimus status beneficij. *Calder. cons. 23. incip.* An si Papa reseruat beneficia de præbendis, *Rot. dec. 2. incip. fuit dubitatum, num. 2. de præb. in nou. Simonet. tract. de reseruat. q. 70. Put. decis. 206. incip. coram D. Marsicano libr. 1. Tanis. decis. 3. incip.* An indulta, & fuit sæpè alias in Rota decisum, & signanter in causa Vicen. Beneficij, die 19. Nouembris 1599. coram D. Card. Pamphilio, tunc Rotæ Auditore, & in causa Parmen. Prioratus, die 14. Aprilis 1600.

1600. coram me, consequenter, ad effectum, de quo agebatur vltimus status faciebat silere regularitatem, & eo præsertim nomine, quia non agebatur principaliter inter Collatores de statu beneficij; sed incidenter inter prouisos de validitate collationis ad quem effectum sufficit quasi possessio conferendi, cum collatio sit fructus iuris conferendi, qui spectat ad possessorem. *Abb. in cap. consultationibus, num. 3. de Iure patron.*

4 Nec refert, quod ista quasi possessio, & vltimus status non sint sufficientes ad mutandum statum beneficij, & ad transferendum, de regularitate ad sæcularitatem, quia Rota non censuit mutatum fuisse statum antiquum, & nouum impressum, hoc enim alterius est inspectionis suo loco, & tempore discutiendæ, sed solum sensit istum vltimum statum qualiscunque sit, considerari debere pro sustinenda collatione facta ab ordinario, illumque potissimum inspiciendum, tam ad inducendam, quam ad excludendam reseruationem, siue reseruationis effectum, iuxta dictum *cons. Calder. 23. de preb. & decisiones supra citatas.* Decisiones autem allegatæ pro contraria sententia locum habere possunt, quando agitur inter Collatores de pertinentia Collationis, secus autem quando agitur ad sustinendam collationem, ad quem effectum sufficit quasi possessio.

5 Respectu tertij capitis, vnde prætendebatur, ideo hunc Prioratum remansisse affectum, quia alias à Papa fuerat commendatus, cum remaneat affectio, donec Papa de eo prouideat in titulum dicebatur. Primo verum fuisse in facto, quod ab anno 1509. vsque ad annum 1561. iste Prioratus fuerat commendatus.

6 Secundo, dicebatur, quod ab anno 1561. fuerat collatus in titulum, & signanter à fel. record. Clemente Papa VIII. anno 1598. quo tempore ex causa resignationis illum contulerat Paulo Silingardo, per cuius obitum demum vacauerat.

7 Tertio, dicebatur per istam Apostolicam prouisionem affectionem fuisse consumptam, & cum Paulus fuerit triennalis possessor, locus erat allegationi Lapi 89. quod contra validitatem sui tituli non posset opponi, nec successor teneatur ad illius iustificationem, quamuis titulus esset inualidus. *Cassad. decis. 4. de cau. possess. & propr.* & quamquis collatio facta de sæculari non consumeret vacationem beneficij regularis, secus tamen est considerato vltimo statu, & possessione triennali, & effectu, ad quem potissimum dirigebatur præsens disputatio.

8 Circa quartum, & vltimum caput, quod hic Prioratus non pertineret ad liberam collationem Episcopi, ex quo erat de Iure patronatus Ducum Ferrariæ dicebatur. Primo oportuisse probare Ius patronatus, iuxta requisita à Concilio Tridentino in illis personis, in quibus adest presumptio vsurpationis, nec sufficere enunciatiuas confessiones, aut assertiones ordinarij.

9 Secundo respondebatur, ideo exigi fortiores probationes in hoc casu, quia constabat olim hunc Prioratum fuisse regularem, & à Romanis Pontificibus sine consensu Ducum solitum fuisse commendari.

10 Tertio, dicebatur, quod licet probaretur Ius patronatus Ducis, non tamen constabat, quodam illud ei competeret ratione Ducatus, ita vt Ducatus ad Sedem Apostolicam deuoluto ipse successisset, etiam in Iure patronatus, quia potuit Ius patronatus spectare ad hæredes Ducis.

11 Postremo respondebatur, quod ex probatione Iuris patronatus causa reddebatur magis difficilis contra R. P. D. Giliolum, quoniam constituto Iure patronatus Ducis clarius erat probanda reseruatio, cum beneficia Iuris patronatus laicorum, sub regula reseruatoria non comprehendantur.

12 Non obstabat dicere, quod ad effectum subrogationis gratiosæ satis sit beneficium non spectare ad collationem Episcopi ex deductis in decisione Miranden. Parochialis: quia fuit responsum, neque decisionem in causa Miranden. Parochialis, neque alias similes id dicere: sed solum affirmare opus esse ad effectum subrogationis gratiosæ, quod beneficium sit reseruatum reseruatione clara. Vnde licet beneficium non spectaret ad collationem Episcopi, non propterea inferebatur esse reseruatum, cum posset pertinere ad collationem alterius, & sufficit reo, & possessori excludere Actorem per non ius Actoris.

13 Postremo non obstabat, quodam ad probandam regularitatem proponebatur de vltimo possessore Prioratus, qui detulerat signum T. quia præterquam, quod, vt vulgo dici solet, habitus non facit Monachum, testes affirmabant ipsum semper remansisse Presbyterum sæcularem, non autem regularem: sed difficultatem superabat titulus ipsius, quia erat de beneficio sæculari. Et ex prædictis fuit conclusum subrogationem gratiosam, non fuisse iustificatam.

R. P. D. IVSTO.

Ianuen. Iuris patronatus. Veneris 18. Aprilis 1608.

ARGVMENTVM.

Ius patronatus quando transeat ad illegitimos in defectum legitimorum, & de faudo per feminam acquisito in defectum masculorum, an superuenientibus masculis ad eas deferatur.

SVMMARIVM.

Iuris patronatus qualitas, & quænam fuerit intentio fundatoris, attendenda est. num. 1.

Ius patronatus non transit ad illegitimos stante linea legitima. num. 3

Iuris patronatus capacitas attenditur tempore delationis, & admissionis ad Ius patronatus præsentandi duraturum in successores. num. 4. Declara, vt num. 5.

Feudum non transit ad feminas donec superest masculus. numaro 5.

Feudo vbi quis semel exclusus est, semper exclusus reputatur. num. 4. & 5.

Feudum vbi iam transit ad feminam propter defectum masculorum numquid superueniens masculus feminam à feudo auferat. num. 6. & 7.

Feudum quod ad feminas defertur in defectum masculorum, si semel fuit acquisitum ab vna femina non debetur alijs feminis, si masculi superueniant. num. 8. & 9.

DECISIO CLV.

1 IN propositione istius causæ Dominis visum fuit opportunum distinguere, & particulariter disputare super Decisione R. P. D. mei Lancellotti, facta die Veneris 25. Mensis Iunij præteriti. Vnde primo loco dubitatum fuit, An dicta Decisio quo ad primum caput, & fundamentum, sit confirmanda, vel reuocanda; Et Domini consideratis omnibus hinc inde deductis, crediderunt esse confirmandam, tamquam iustam, & standum in decisis. Pro quorum præcipuo fundamento firmarunt, quænam fuerit intentio Octoboni tituli Sancti Adriani Cardinalis Flisci, qui postea Adrianus Papa V. fuit nuncupatus in fundatione, & dotatione Præpositiuræ S. Adriani de Trigaudio Ianuen. Diœces. Quoniam ab intentione, & voluntate fundatoris est sumenda regula. *l. pen. ff. de leg. 1. l. hæredes mei. §. cum ita. ff. ad Trebbell. §. sed non vsque inst. de leg. l. cum virum. de fideicom.*

2 Voluit igitur constituere, & constituit Ius patronatus familiæ de Fliscis, ita vt post obitum suum, & Perci-

Perciuallis fratris, idem Ius patronatus spectaret, & pertineret ad descenden. Nicolai, & Federici suorum fratrum, qui essent Clerici iuxta ordinem personarum præscriptum in instrumento fundationis respiciendo magis personas in familia Clericatu qualificatas, quam vnam, aut alteram lineam, aut earum personas, non eo modo qualificatas in eadem familia, quia voluit quod ex vna linea in aliam transiret, & reuerteretur vbicunque deficeret, & denuo Clericus superueniret, dixit enim quod non existentibus Clericis in linea Nicolai; Ius patronatus deuolueretur ad lineam Federici, quo vsque in linea Nicolai adessent Clerici, Quæ verba postea in alijs similibus casibus, etiam repetijt, & alia deducuntur per Informantes in facto.

3 Quo fundamento firmato, In disputatione, quinam sit instituendus, An scilicet Ludouicus præsentatus à Com. Francisco, qui hodie superuenit clericus legitimus ex linea legitima, An vero Innocentius præsentatus à Ioanne Stephano, qui successit Laurentio descendenti ex illegitimo, & qui anno 1575. præsentauit propter defectum Clerici ex linea legitima: Dixerunt esse aduertendum, quod linea illegitimorum non fuit expresse vocata, nec successiue, nec copulatiue à fundatore: sed vocatis legitimis, de iure per prius veniunt ipsi legitimi, & legitimis non existentibus, interpretatiuè fit transitus ad illegitimos, iuxta Doctr. *Imol. & Alex. in l. ex facto. §. si quis rogatus. ff. ad Trebel.* Et fuit decisum in hac causa coram eodem *Domino meo Lancellotto. 12. Februarij. anni præteriti.* Et vlterius quod quando Laurentius ex linea illegitima præsentauit, non deficiebat linea legitima vocata, sed masculus Clericus in linea, & sic concedendo, quod persona deficeret, deficiebat persona, non linea. Et hodie non agimus de excludendo Laurentium à Iure præsentandi, quod erat ei quæsitum, cum effectu. Sed quæritur, an pateat aditus ad præsentandum, quando adest legitimus, qui est Clericus, & capax Iuris præsentandi.

4 Ex his sequitur, quod licet attendatur capacitas tempore delationis, & admissionis ad ius præsentandi duraturum in successores. *l. non oportet. ff. de leg. 2. Paul. de Castr. cons. 16. Viso puncto, & dubio. nu. 5. lib. 2. Feder. cons. 26. Aym. cons. 212. Molin. de primog. lib. 3. c. 10. n. 38. cum seq. Et eodem lib. c. 4. num. 13. & 14.* Rota coram bo. me. D. de Rubeis in causa Cauallicen. Baroniæ de thoro 14. Nouembris 1575. Et linea semel exclusa, semper remaneat exclusa. *c. 1. de natur. succ. feud. Tiraq. de primog. q. 12. num. 13. cum alleg.*

5 Nihilominus isti non sunt termini huius disputationis, quia hic non fuit, exclusa linea: sed, vt supra dictum est, persona, sicut eodem modo persona Laurentij, & non linea fuit admissa, vnde si duraret in successoribus, sequeretur contra voluntatem, & intentionem testatoris, quod personæ vocatæ, & qualificatæ in linea legitima excluderentur à persona lineæ illegitimæ, quod non est dicendum. *l. non ad ea. ff. de cond. & demonstr.* quia non fuit simplex exclusio. *Paris. cons. 72. num. 100. cum seq. lib. 4. cum alijs alleg. per Molin. vbi supra c. 6. num. 22. sub vers. Hæc autem regula.* facit bene Illustriss. Mant. *de coniect. lib. 8. tit. 18. vers. secundo respondeo. num. 7.* sed causa exclusionis fuit, quia non aderat Clericus in linea legitima, quæ iam cessauit superueniente Clerico legitimo, & cessat exclusio, & dicendum est, quod licet deficiente Clerico legitimo ad illegitimum facultas præsentandi transiuerit, quo ad factum præsentationis tunc necessarium, attamen Ius patronatus suam primæuam originem, & naturam retinet, iuxta fundatoris voluntatem ex ratione decidendi expressa, in *c. 1. de eo qui sibi, vel hæred. suis,* quia sicut ibi non patet locus feminæ in Feudi successione donec masculus superest, ex eo qui primus de Feudo fuerit inuestitus, ita in hoc Iure patronatus non patet locus illegitimis, donec legitimus supersit. Et sicut in illo tex. non obstat, quod feudum videatur factum femineum, quia per feminam est ad posteros propagatum: Ita in hoc casu non obstat, quod vnus ex linea illegitima semel præsentauerit, nam non ideo minus suam primæuam naturam obtinet, vt Clerici legitimi ex his, qui primo loco ius patronatus acquisiuerunt, adhuc retineant, vt dicitur inferius.

6 Et multo magis in hoc casu, quia secundum terminos dicti *c. 1.* feminæ habent ex inuestitura Domini, & copulatiue sunt vocatæ, hic autem non ex inuestitura: sed ex sola Iuris interpretatione, vt in allegata decisione, in hac causa facta, quæ interpretatio non debet confundere voluntatem, & intentionem fundatoris, Illustriss. Mantica. *de coniect. dicto tit. 18. nu. 7.* Et licet multum esset dubitandum si ageretur de tollendo Iure Laurentij semel quesito, in quo multi Doct. insignes possent allegari pro affirmatiua, qui tenent, quod vna ex feminis superstite, quibus erat feudum acquisit. filius masculus superueniens aufert *gl. in d. c. 1.* loquens in matertera. *Andr. Isern. Mart. Laud. & Affl. nu. 12. Feder. SchencK. nu. 5. & 6. Iacob. à S. Georg. in inuestitura feud. in vers. feminis. n. 17. Cels. Vgo. cons. 26. num. 48. Bursat. cons. 63. nu. 13.* intelligentes, quod illa verba, *tex. in fi. ibi,* Donec masculus superest intelligantur etiam de postea nato, vt non absolute, sed conditionaliter feminæ censeantur acquisiuisse, quamuis *tex. in d. c. 1. non loquatur de hoc casu,* vt similie ius filiæ auferatur per masculum postea superuenientem.

7 Et idcirco sunt multi Doct. in contrarium tenentes partes affirmatiuas, qui allegantur per *Clar. de feud. q. 80. & Schrad. de feud. par. 2. c. 4. n. 82. & vltimo loco per Fachin. controuers. Iur. lib. 7. c. 41.* qui dicunt hanc esse communem opinionem. Et in his terminis loquuntur Doct. qui per Informantes per Innocentium allegantur in contrarium, Nihilominus in casu nostro cessat difficultas, vbi Laurentius non est amplius in rerum natura, nec agitur de succedendo Laurentio, sed de succedendo stipiti stante qualitate Clericatus in legitimo, vt in simil fact. fuit coram bo. me. Lauretano in causa Calaguritana Bonorum 23. Martij 1579.

8 Nec est eius quæsitum Laurentij successoribus: sed remanet prima origo, & natura, & Clericus legitimus adest, in quo potest intentio fundatoris suum effectum sortiri, sicut scriptum est in feudo semel acquisito per vnam feminam, quod non debetur alijs feminis, si masculi superueniant. *Philip. de Casatis inter cons. Bal. 137. lib. 2. quod fuit subscriptum à sexdecim Doct. vt ibi dicitur. Cald. cons. 13. de feud. Castr. cons. 176. num. 2. par. 1. Decian. cons. 93. num. 8. lib. 3. Illustriss. Mant. de coniect. lib. 8. tit. 18. num. 6. vbi alios adducit, & vltimo loco Schrader. de feud. par. 7. c. 4. n. 61.* quos sequuta est Rota in causa Paduana feud. 26. Ianuarij 1604. coram eodem D. meo Lancellotto non obstante opinione *Ang. qui contrarium tenuit. cons. 321. & Rob. de Saly. inter consil. Bal. 205. vlt. col. vers. igitur ex eo. lib. 5. & Illustriss. Mant. vbi supra latè extendit ad fideicommissa.* Qua propter idem dicendum est in Iure patronatus in quo seruatur idem ordo. *Bald. cons. 1. in fin. lib. 3.*

9 Nec obstat, quod aliqui ex allegatis Doct. loquantur in masculis descendentibus ex femina, iux. dispositionem *tex. in d. c. 1. Cephal. cons. 31. n. 47. lib. 1.* & in his terminis fit illa Paduana feud. Nam fundamentum Doctrinæ, & decisionis est, quia masculus descendit ab eodem stipite: & hæc sunt verba *tex. in d. c. 1. in fi.* ibi donec masculus superest ex eo qui primum de feud. fuerit inuestitus. Et ita declarat Cephal. allegatus, & sic siue à femina descendat, siue à masculo, eadem est ratio, immo maior ratio si descendat à masculo, quia pinguius habet qualitatem requisitam. Ex quibus placuit primum caput Decisionis, & iterum fuit decisum in specie.

REVE-

REVERENDISSIMO P. D.

ATTREBATEN.

Calaguritana, seu Nullius Iurisdictionis. Lunæ 5. Maij 1608.

ARGVMENTVM.

Episcopus præsumitur habere iurisdictionem in quolibet loco suæ Diœcesis, & alia ad huiusmodi materiam, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Iurisdictio probatur per annuas solutiones. num. 1.
Iurisdictio probatur per testes. num. 3.
Episcopus præsumitur habere iurisdictionem in sua Diœcesi. num. 4.
Exemptio personarum non facit locum exemptum. nu. 6.
Ecclesia exempta non desinit esse de Diœcesi. num. 6.
Abbas licet habeat iurisdictionem cumulatiuam cum Episcopo, adhuc tamen Episcopus remanet verus Diœcesanus. num. 7.

DEISIO CLVI.

1 PRoposui dubium, an D. Episcopus Calaguritanus sit manutenendus in quasi possessione iuris Diœcesarum, quo ad oppidum Nagera, quod affirmatiue resolutum fuit, Cum enim pendeat ex eo an sit in Diœcesi Calaguritana id iam bis decisum fuit, 4. Iulij 1603. & 16. Iunij 1604. coram R.P.D. Decano, & 26. Iunij 1604. coram me. Idemque confirmatur ex deductis in hac positione. Nam in concordia inita anno 1412. eique subsecuta Confirmatione Apostolica, in qua vtraque pars se fundat, enunciatur hoc oppidum Diœcesis Calaguritanę eademque enunciatiua habetur in priuilegio Innocentij VIII. producto ex parte Abbatis. Deinde Abbates soliti sunt Episcopo vigore dictæ concordiæ soluere duas prouisiones annuas, quæ arguunt iurisdictionem eius, cui soluuntur. *tot. tit. de cens.*

2 Et inter cetera in concordia ordinatum fuit, & quoties Episcopus accederet ad monasterium solenniter reciperetur, & campanæ compulsarentur, quando de nouo eligitur, vel à Curia Romana reuertitur, quos honores non est verisimile exhibitos fuisse ratione Parochialium Ecclesiarum, quas monasterium habet in diœcesi Calaguritana, quia hoc fuisset expræssum, prout etiam tempore concordiæ si oppidum Nagera non fuisset de Diœcesi Calaguritana. Abbas non prætermisisset hoc allegare. Nam illa solla allegatione poterat se liberare ab omnibus prętensionibus Episcopi. Præterea cum oppido de Nagera adsit Parochia Sancti Iacobi, de qua non controuertitur quin sit de Diœcesi Episcopi Calaguritani, idem de toto oppido præsumendum est.

3 Accedunt testes Episcopi deponentes, Episcopum semper exercuisse iurisdictionem ordinariam in oppido Nagera tàm contra laicos, quâm contra clericos exemptis Clericis, & beneficiatis Parochiarum Sanctæ Crucis, & Sancti Michaelis, quæ pertinent ad monasterium. Idem deponunt testes Abbatis, qui dicunt Abbatem fuisse, & esse in quasi possessione exercendi iurisdictionem saltem contentiosam cumulatiue cum Episcopo.

4 Concurrentibus itaque tot probationibus consequenter visum fuit Episcopo competere mandatum de manutenendo vti Diœcesano ex sola iuris assistentia. *cap. cum persona. de priuil. in 6. Caputaque decis. 306. par. 1. & 201. par. 2.* & ad hoc sufficit Episcopo possessio vniuersalis, quam habet in sua Diœcesi. *Rot. decis. 2. num. 3. de præscript. in Nou. Felin. in c. auditis. num. 2. eod. tit.*

5 Non obstat, quod oppidum Nagera olim fuit Ciuitas Episcopalis, hoc non suffragatur attento statu pręsenti, cum non probetur, quod tota iurisdictio, & totum ius etiam Diœcesanum illius quondam Episcopatus translatum fuerit in monasterium.

6 Non obstat etiam exemptio Beneficiatorum Parochiarum Sanctæ Crucis, & Sancti Michaelis, quia exemptio personarum non facit locum exemptum. *c. per exemptionem. de priuileg. in 6.* Fuit dictum in Salamantina Iurisdictionis. 18. Aprilis 1581. coram bo. mem Lauretano. Vltra quod Ecclesia exempta non desinit esse de Diœcesi. *c. cum Episcopus, de offic. ordinarij. lib. 6.*

7 Non obstat, quod Abbas habeat iurisdictionem cumulatiuam cum Episcopo. Hoc enim non impedit quo minus Episcopus remaneat verus Diœcesanus etiam si prescripsisset iurisdictionem Episcopalem priuatiuè. *Abbas in c. nimis. num. 1. de iureiur. & in cap. irrefragabili. & ibi Felin. numero primo. de offic. ordin.*

8 Postremo non obstat priuilegium Innocentij Papæ Octaui, quia illud eximit monasterium ab Abbate, & ordine Cluniacen. & licet adsit clausula, & ordinariorum, illa intelligenda est de Ordinarijs superioribus ordinis Cluniacen. Verisimiliter nominasset, eum tanquam digniorem, prout nominauit Abbatem Cluniacen. minus dignum.

9 Declararunt autem DD. mandatum de manutenendo quo ad actus iurisdictionales Episcopo vti Diœcesano dandum esse restricte ad terminos concordiæ.

R. P. D. IVSTO.

Maceraten. Hæreditatis. Mercurij 28. Maij 1608.

ARGVMENTVM.

Ex Summario Argumentum elicitur.

SVMMARIVM.

Fraternitas probatur per mutuum Tractatum, quem inter se inuicem faciunt fratres. num. 1.
Probatio, quæ afficit aliquem, afficit etiam habentem causam ab eo. num. 1.

DECISIO CLVII.

1 DOmini dixerunt sufficienter probari Benedictum, & Matthæum fuisse fratres. Primum ex instrumento anni 1503. quod est productum, vbi Benedictus, & Matthæus cum Cassandra sorore, tanquam hæredes viti fratris Prædefuncti, solidant quasdam rationes, & sic non solum adsunt enunciatiuæ, sed mutuus Tractatus fraternitatis, vnde probatur fraternitas. *Bar. in l. non nudis. in prima lectura. num. 1. C. de prob. Castren. consil. 151. lib. 1. Alb. consil. 83. num. 21.* præsertim, quia agitur de succedendo Matthæo, & inter successores illius, qui instrumentum celebrauit. Quapropter sicut sine dubio probant in præiudicium Matthæi, ita probant in habentibus, vel habere prætendentibus causam ab eo. *Aym. cons. 29. num. 1.* cum allegatis per eum; Deinde quia concordat instrumentum anni antecedentis 1502. vbi eijdem fratres interuenerunt in quodam instrumento, tanquam proximiores Cassandræ. Concurrit quod in literis Doctoratus Matthæi constat, illum fuisse filium Antonii, & ex pluribus enunciatiuis, quod etiam Benedictus fuit filius Antonii, quæ & si sunt de recenti, faciunt tamen adminiculum, & in eis

in eis habetur quod Matthæus, & Benedictus erant fratres viti, & quod Cassandra erat soror Benedicti, & Matthei, cum quibus concurrit dictum Quinti testis in Summario, nu. 5. qui saltem facit adminiculum. Quo ad alios gradus Domini dixerunt esse videndum. Et ita decisum.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

D. CARD. LANCELLOTTO.

Papien. Prioratus. S. Michaelis. Merc. 6. Iunij 1608.

ARGVMENTVM.

Gratia facta per Papam alicui vti Clerico est nulla, & inualida ipso non existente Clerico, nec Clericatus qualitas superueniens gratiam validat, nisi expresse à Papa fuerit reconualidata, & de materia.

SVMMARIVM.

Fructus beneficij per Papam reseruati alicui Clerico, censentur illi reseruati vti Clerico, & sic clericatus expressio stat taxatiuè, & non demonstratiuè, nu. 1.

Reseruatio Fructuum facta alicui vti clerico, illi non suffragatur, quando tempore reseruationis non erat clericus, num. 2. & 3. Vbi etiam quod clericatus superueniens, non validat reseruationem, & gratiam.

Clericatus qualitas superueniens non validat gratiam alicui factam tanquam clerico. num. 3. Etiam quod clericatus superuenerit ante expeditionem literarum. nu. 7. & sequent. Vbi ampliatur hæc conclusio. Declara, nisi gratiæ defectus fuerit per Papam sanatus, nu. 5.

Clericatus character non est iterabilis, num. 4.

Clericum quem non esse de tali tempore probatur ex literis clericatus expeditis post dictum tempus, nu. 4.

Papa vt censeatur validasse gratiam nullam, necesse est, quod bene sciuerit defectus, & nullitates gratiæ, nu. 6.

Gratiæ reconualidatio facta à Papa quo ad vnum defectum, non extenditur ad alium, nu. 6.

Literarum Apostolicarum expeditio in forma rationi congruit non tribuit ius de nouo. nu. 7. 8. & 9.

Fructus percepti ante expeditionem literarum Apostolicarum sunt nulliter percepti, quando in gratia adest decretum, vt percipiantur, vigore literarum Apostolicarum desuper conficiendarum, nu. 10.

Forma dispositionis non seruata dispositio non habet locum, num. 10.

Confessio nulla maior est probatio, num. 11.

Confessio facta in vno iudicio probat etiam contra confitentem in alio iudicio, nu. 11.

Confessio extraiudicialis de æquitate canonica, & secundum magis communem opinionem plene probat contra confitentem, nu. 11.

Confessio extraiudicialis adminiculata plene probat, nu. 12.

Negatiua quod aliæ literæ non fuerint expeditæ probatur per diligentiam factam de mandato iudicis parte citate de reperiendo illas, & quod non fuerint repertæ, nu. 15.

Clerici beneficia obtinentes excedentia valorem Ducatorum 60. debent incedere in habitu, & tonsura, nu. 16.

Valor beneficij probatur ex testibus, ex locationibus, ex confessionibus partium, & ex visitatione Episcopi, num. 17. & 18.

Valor beneficij numquid minuatur propter onera præparationis Ecclesiæ, & solutionis decimarum nu. 20.

DECISIO CLVIII.

1 Domini vtraque parte informante resoluerunt, reseruationem fructuum Prioratus Sancti Michaelis per fel. record. Gregorij Decimi Tertij anno 1583. concessam Domino Thomæ Rotario, ei non suffragari ex pluribus. Primum fundamentum resolutionis fuit, quia fructus reseruati fuerunt loco pensionis Thomæ vti clerico, vt patet ex ipsa reseruatione, ibi supplicant S. V. Secundinus, & Thomas Clerici, vbi cum Thomas fuerit nominatus Clericus, apparet Papam voluisse reseruare fructus Clerico. *Gig. de pensio. quæstione 22. num. 8.* idque sufficit ad effectum, vt fructus dicantur ei vti clerico reseruati, ac expressio clericatus stat taxatiuè, non demonstratiuè, vt fuit resolutum in causa Romana pensionis 29. Martij 1574. coram Illustrissimo Cardinali Blanchetto, quod comprobatur ex vsu, & stylo Curiæ, qui facit ius, & pro lege habetur, quo attento fructus huiusmodi, & pensiones non reseruantur nisi Clericis, vt etiam attestatur *Gig. de pensio d. quæstion. 22. nu. 14.* & fuit dictum in causa Terulensis pensionis 15. Nouembris 1596. coram Reuer. Patre Domino meo Decano.

2 Ex quo sequitur, quod reseruatio fuit inualida, cum de tempore reseruationis Thomas non esset Clericus, *cap. cum adeo. cum ibi notat. de rescript. cap. 2. de institutio. Gig. d. q. 22. nu. 8. & seq. Grammat. de offic. & potestat. legat. de late. lib. 6. nu. 337. Peregr. dec. 50. quæ est inter impressas 20. lib. 3. par. 3.*

3 Nec Clericatus superueniens validitat gratiam, cum habilitas requiratur de tempore datæ *cap. eam te. de rescript. cap. si eo tempore. eo. titul. lib. 6. cap. dudum. de electio. cum vbique notatis per gloss. & Doct. Gig. d. quæst. 22. num. 16. Peregrin. dict. decision. 50. Rebuff. de pacific. possess. num. 190. Lambert. de iur. patron. par. 1. lib. 2. quæst. 7. artic. 7. num. 7.* & fuit resolutum in causa Vercellen. Canonicatus 23. Ianuarij 1598. coram Reuerendissimo Pacen.

4 Quod autem Thomas non esset Clericus probatur ex literis sui Clericatus pro eius parte productis, ex quibus apparet ipsum suscepisse clericalem tonsuram die 25. Maij 1584. & tamen reseruatio fructuum habet datam per annum ante, nempe Calendis Aprilis, 1583. & hic est verus modus probandi, quod ante non erat Clericus, quia cum actus iste non sit reiterabilis, *cap. 1. & cap. fin. cum vtrobique notatis de Sacram. non reiter.* satis constat, quod ante non erat Clericus. *Peregrin. dict. decis. 50.* & fuit resolutum in causa Elnen. beneficij. 5. Nouembris 1594. coram Illustriss. Cardinali Pamphilio, & in allegata causa Vercellen. coram Reuerendiss. Pacen.

5 Non obstat, quod post clericatum Thomæ superuenerit nouus consensus Papæ, cum Secundinus die 3. Martij 1585. obtinuerit restitutionem in integrum aduersus lapsum tempus ad publicandam resignationem cum narratiua reseruationis fructuum ad fauorem Thomæ, & quod literæ non fuerant expeditæ, quia talis gratia respicit ipsum Secundinum solum supplicantem, & titulum Prioratus ad illius fauorem resignatum, non autem potest suffragari Thomæ respectu reseruationis fructuum ad sui fauorem, ex quo Thomas nihil supplicauit, nec petijt reualidationem suæ reseruationis, aut narrauit defectum dicti clericatus, prout necesse fuisset in gratia reualidatoria, & restitutoria, per quam non sanantur defectus, qui non exprimuntur, vt per *Rebuff. in praxi tit. de rescript. etiam & perin. vale. nu. 37.* prout etiam non est dicendum Papam sanasse, aut voluisse sanare defectus quos ignorabat adesse. *l. sed si hac. §. patronum. ff. de in ius voca. Bald. in c. super literis. nu. 7. de rescript. Castr. cons. 84. n. 4. lib. 2. Paris. cons. 143. nu. 25. lib. 4.*

6 Et sic cessat, quod dicitur, validitatem resignationis fuisse correspectiuam ad reseruationem fructuum, ita vt reualidata resignatione, censeatur etiam reualidata ipsa reseruatio ex allegatis, quia cum Papa ignorasset nullitatem reseruationis ex defectu dicti clericatus non potuit illam reualidare, vt dictum est, nec etiam tacitè dispensare censetur, cum ad hunc quoque effectum præcedere deberet certa, & indubitata scien-

scientia defectus, Felin. in cap. præterea. num. 7. & 9. de test. coge. Bene, Gabr. consil. 189. num. 1. & 2. lib. 1. nec revalidatio quo ad vnum defectum extenditur quo ad alium defectum non expressum, sicut per remotionem vnius obstaculi non censentur remotum aliud, de quo non est facta mentio, cap. ex tuarum de auctorita. & vsu palli capit. pastoralis de priuileg. Geminian. consil. 33. num. 8. & fuit resolutum in causa Terulen. pensionis, 2. Iunij 1593. coram R. P. D. meo Decano, & in causa Montis Falisci, Beneficij 31. Ianuarij huius anni coram me.

7 Nec etiam obstat, quod pensio esset exigenda post literarum expeditionem, & non ante, & Thomas de tempore expeditionis esset effectus clericus, quia clausula vigore literarum desuper conficiendarum, &c. respicit exactionem, & executionem, non autem ipsam reseruationem, quæ confert ius, ita vt propterea habilitas requiratur de tempore reseruationis, quæ non suspenditur, neque est conditionalis, sed pura, licet resolubilis in euentum exactionis ante literarum expeditionem, iuxta cons. Oldrad. 285. num. 8. Paris. consil. 11. num. 37. libr. 1. Rota decis. 12. de concessio præb. in nou. Cassad. decis. 3. num. 11. versic. item secus, de præb. Gig. de pensio. quæst. 40. numer. quarto, & sæpissime decisum fuit.

8 Nec potest fieri vis in expeditione literarum in forma rationi congruit, quia talis expeditio non tribuit ius de nouo. Rebuff. in praxi. tit. de gratia rationi congruit. num. 19. & fuit resolutum in allegata causa Veron. pensionis, 1. Iulij 1592. coram Illustrissimo Cardinali Mellino.

9 Prout non obstat clausula, de qua in supplicatione; scilicet, liceat eidem Thomæ: postquam ad illum idoneus repertus fuerit liberum habere accessum, & ingressum, &c. quia hoc procedit respectu tituli Prioratus in casu molestiarum, non autem respectu reseruationis fructuum, quæ fuit facta vti clerico, & quæ propterea cum de illo tempore Thomas non esset clericus, fuit nulla, vt dictum est, vltra quod dicta clausula, postquam idoneus repertus fuerit respicit executionem gratiæ, non eius substantiam, nec facit gratiam conditionalem, vt fuit resolutum in causa Burgen. Canonicatus 28. Aprilis 1597. coram Illustrissimo Cardinali Pamphilio. Et ex isto solum capite dixerunt Domini dictam reseruationem nullam, illamque suffragari non posse D. Thomæ.

10 Secundum fundamentum decisionis fuit decretum appositum in ipsa reseruatione fructuum, qui erant percipiendi vigore literarum Apostolicarum desuper conficiendarum, & non ante, alias reseruatio huiusmodi nulla sit eo ipso, vnde cum Thomas ante literarum expeditionem contra formam talis decreti fructus perceperit, vtique reseruatio nulla remansit, vt in his terminis sæpè decisum fuit in Rota, vt in causa Veronen. pensionis, 1. Iulij 1592. coram Illustrissimo Cardinali Mellino, & in alia Sabinen. pensionis 11. Iunij 1594. coram Illustrissimo Cardinali Mantica, & in vna Brixien pensionis 11. Decembris 1600. coram R. P. D. meo Decano, & est decisio 142. inter collectas Chiroghe, cum enim decreto sit apposita clausula annullatiua, quæ inducit formam. Bald. in l. 1. ff. de liber. & posthum. sequitur quod forma non seruata pensio sit nulla, l. 1. §. si quis ita ff. de verborum obligat. l. cum hi. §. prætor. ff. de transact. Cassad. decis. 10. de rescript. & faciunt decisiones Put. 199. libr. 3. Cresc. 18. de præben. Ioan. Paul. 128. Arago. 29.

11 Fructus autem fuisse à Thoma perceptos ante literarum expeditionem constat ex eius propria confessione, qua nulla potest dari maior probatio. cum superat omnes alias probationes leg. 1. Cod. de confess. l. vltim. Cod. de fideicomm. nam ipse coram Nuncio Sabaudię vti deputato à Thesaurario, Generali spoliorum collectore medio iuramento fassus fuit, se percepisse fructus Prioratus S. Michaelis antequam de eo Cardinalis Sancti Clementis prouisus fuisset, & id per aliquod tempus subdens, quod hanc recuperationem fructuum, aut pensionem de tempore quo ipse erat absens de eius ordine faciebant Secundinus eius frater, & alij eius agentes, quæ confessio Thomæ, licet in alio iudicio, contra ipsum, probat etiam in isto. Bald. in l. 2. num. 25. Alex. num. 28. Dec. num. 62. Cod. de edend. Caputaq. decis. 190. par. 1. in impress. vbi dicit, quod non conuenit bono viro, vt quod semel dixit postea reuocet. & decis. 58. libr. 1. in manuscript. Cas. de Graff. decis. 1. num. 17. de exceptio. Rota decis. 4. num. 2. de confess. in anti. quod saltem procedit in vim extraiudicialis confessionis, quæ de æquitate canonica, secundum magis communem opinionem, quam, & Rota sequitur, plenè probat contra confitentem, Felin. in cap. si cautio. num. 27. & ibi Butr. Card. & Imol. de fide instrum. cum alijs latè allegatis per Gabriel. de confess. conclus. 1. nu. 47. & in dec. Ispalen. iuris votan. 16. Martij 1575. coram Cantuccio quæ est 4. nu. 4. par. 2. inter impress.

12 Quod nullam habet difficultatem in hoc casu, quia dicta confessio est admodum adminiculata ex protestatione facta à procuratore Thomæ, quando prouisus fuit Cardinalis Sancti Clementis, in qua dixit, quod Thomas erat in possessione percipiendi fructus Prioratus, quæ protestatio fuit ab ipso Thoma in actis producta, & sic acceptata; item ex testibus pro parte eiusdem Thomæ examinatis deponentibus, quod Secundinus nominæ Thomæ, & de eius ordine fructus percipiebat, tum quia est iurata; nam propter iuramentum confessio facta etiam parte absente semper probat contra confitentem. Felin. in dict. cap. si cautio. num. 4. cum alijs per Gabriel. dicta conclus. prima, numero 41. & per Seraphin. de priuileg. iuramenti. priuilegio 93. num. 4.

13 Cum autem Secundinus decesserit de anno 1597. & eodem tempore fuerit prouisus bon. mem. Card. Sancti Clementis, vt constat ex literis prouisionis dicti Cardinalis, & ex testibus, literæ verò Thomæ fuerint expeditæ de anno 1599. clarè patet, quod fructus exacti ante obitum Secundini, & prouisionem Cardin. Sancti Clementis percepti fuerunt ante literarum expeditionem.

14 Nec dicatur, quod literæ fuerint expeditæ ante annum 1599. quia licèt habeant datam diei Coronationis Pontificis, tamen hoc prouenit, quia in omnibus literis, quæ in forma rationi congruit expediuntur, apponitur data Coronationis, vt patet ex attestationibus Solicitatorum, & Practicorum Cancellariæ, & ex regula 9. Cancellariæ ibi, vt moris est, & nihilominus ex solutione taxarum, & annatarum, & appositione nominum Officialum, sine quibus non plumbantur literæ quarumuis prouisionem Apostolicarum, quæ per Cancellariam expediuntur, vt fidem faciunt alij Practici, & Officiales Cancellariæ, constat literas non fuisse ante plumbatas; cum taxæ, & annatæ non fuerint solutæ, nisi de anno 1599. vt apparet ex literis, Officialium Cancellariæ, quorum partitæ fuerunt à Cappellanis, & alijs deputatis extractæ.

15 Nec obstat, quod literæ potuerint bis, aut pluries expediri, & expeditio facta anno 1599. non concludat quod alias non fuerint expeditæ, quia cum Thomas istas produxerit cessat præsumptio aliarum ad consil. Ægid. 10. numer. 20. versic. præterea. Aym. consil. 129. nec est verisimile, quod voluerit alias literas expedire soluendo nouas taxas, & annatas, cum in omnem casum potuisset sumere sumptum priorum, quatenus expeditæ fuissent ad leg. cum de indebito. ff. de probatio. sed nihilominus cessat obiectum ex diligentijs de mandato Iudicis, & parte citata factis, ex quibus constat non fuisse alias literas expeditas, quam de anno 1599. ex quibus diligentijs bene probatur negatiua non

non expeditionis aliarum, *Bartol. in l. fin. C. de reb. eo. Cassad. dec. 5. num. 5. & 6. & decis. 8. nu. 2. super reg. Caputaq. dec. 45. p. 3. Achill. dec. 9. n. 4. super reg. de triennal.* & sepissime decisum fuit in Rota. Et ex isto etiam solo secundo capite dixerunt reseruationem suffragari non posse D. Thomæ.

16 Tertium quoque fundamentum fuit, quia Thomas nunquam incessit, nec de præsenti incedit in habitu, & tonsura Clericali, quinimmo semper vsus fuit, sicut etiam modo vtitur habitu, & armis militaribus, & inseruiuit pro Duce, & militum ductore in pluribus bellis, & hodie etiam eandem artem militarem exercet, vt constat, tam ex pluribus testibus, quam ex eius propria confessione, vnde cum talis reseruatio fructuum excedat valorem Ducatorum 60. de Camera vigore constitutionis fe. re. Sixti Quinti super habitu & tonsura per clericos beneficia obtinentes deferendis, fuit absque aliqua citatione, monitione, aut iudicis decreto ipso facto hac pensione priuatus, vt expresse disponitur in eadem constitutione.

17 Quod autem valor fructuum reseruatorum excedat Ducatos 60. probatum est ex testibus in curia examinatis deponentibus Prioratum deductis oneribus reddere ad minus computato vno anno cum alio Scuta auri 200. ex quibus si detrahantur Ducati 40. pro titulari non est dubium, quod remaneant pro Thoma longe vltra Ducat. 60.

18 Cum his concurrunt locationes factæ à Cardinali Sancti Clementis pro duplis Hispanis 104. confessio eiusdem Thome de Scutis 200. auri, depositio testium pro parte Thomæ examinatorum, attestatio conductorum, concurrit denique visitatio Episcopi, ex quibus omnibus simul iunctis resultat sufficiens probatio. *gl. in leg. 2. in verbo legitimis. ff. de excusat. tuto. Dec. cons. 146. num. 14. vers. 6. & vlt. Gabriel. de probat. conclus. 1. num. 1.* præsertim quando probatio non est facilis, prout est quando agitur de probanda quantitate fructuum, & valoris. *Alexand. consil. 24. num. 42. lib. 2. Bald. cons. 325. nu. 5. lib. 2. Natt. consil. 336. nu. 5. lib. 4.* & fuit dictum in causa Auximana bonorum, 7. Iunij 1591. coram Illustr. Cardinali Seraphino.

19 Non obstant onera, quæ allegantur ad minuendum valorem fructuum, tum quia onus celebrationis Missæ quotidianæ non constat adesse, immo ex visitationibus ab anno 1567. vsque ad annum 1602. apparet de contrario. Et quatenus tale onus extaret, illud spectaret ad Titularem, nec computatur inter onera, neque est ex fructibus deducendum, quia respicit seruitium, quod à Rectore, seu Priore præstandum est, cum pro eo detur beneficium, vt fuit resolutum in causa Romana pensionis 13. Maij 1602. coram Illustrissimo Cardinali Pamphilio. Et hoc modo procedit reseruatio, quod onera spectent ad reseruatarium, quia intelligitur de alijs oneribus, quatenus extarent, non de isto, quod est ab ipso titulari præstandum.

20 Alia onera deducta pro reparatione Ecclesiæ, & Domorum, solutione decimarum Ducalium, & similium non sunt attendenda, cum talia onera non sint perpetua, sed incerta, & variabilia, quæ non minuunt valorem beneficiorum. *Put. decis. 202. lib. 3.* & in hoc casu cessat etiam difficultas, quia dum testes deponunt de valore Scutorum auri 200. dicunt deductis oneribus, & impensis, ita vt remaneat sufficienter probatus dictus valor, & sic remanent pro Thoma longe vltra dictos Ducatos 60. & consequenter dictæ Bullæ locus est iuxta notata *per Felin. in cap. ad aures 12. conclus. de rescript. & per Sarnen. in reg. de valo. q. vlt.* Et ex his ita conclusum.

REVERENDISSIMO P. D.

ATTREBATEN.

Calaguritana de Alberitæ. Lunæ 16. Iunij 1608.

ARGVMENTVM.

Ex Summarijs capias Argumentum.

SVMMARIVM.

Caducitatis pœna, de qua in Authentica hoc amplius, C. de fideicommissis non incurritur non præcedente monitione, nu. 1. Vbi quod d. Authen. habet locum solum in vltimis voluntatibus, non autem in contractibus.

Promissa in contractibus adimpleri debent intra illud tempus, intra quod commode adimpleri possunt, nulla præcedente monitione. nu. 1.

Pœna conuentionalis incurritur à non adimplente promissa intra tempus præfixum. nu. 2.

Transactio quando effectuata dicatur. nu. 3.

Obseruantia triginta annorum facit precurrere confirmationem Sedis Apostolicæ. nu. 4.

Confirmatio Sedis Apostolicæ supplet omnes defectus. nu. 5.

Ratificatio ex lapsu temporis annorum triginta præsumitur, num. 6.

DECISIO CLIX.

1 Proposito iterum, atque iterum Dubio, An sit necessaria Monitio, iuxta Authent. Hoc amplius. C. de fideicomm. ad effectum caducitatis, Domini non dubitarunt illam non esse necessariam in terminis concordiæ inter beneficiatos, & Leonellam consanguineum fundatoris ad quam præsens disputatio restricta fuit. Tum quia dicta Authentica non habet locum in contractibus, sed tantum in vltimis voluntatibus. *Gozad. consil. 34. num. 7. Molin. de Primogen. Hispan. lib. 2. cap. 14. numer. 24.* Nam in contractibus conditiones, ac modi intra illud tempus, intra quod commode adimpleri possunt, implendi sunt. *DD. in leg ita stipulatus, & in dict. leg. insulam. ff. de verb. oblig.* Tum quia in concordia adest pœna conuentionalis, cum præfixione termini vnius mensis, & sic non est necessaria aliqua monitio. *l. magnam. C. de contrahen. & committen. stipulat.* Et in hoc partes conueniunt.

3 Quare fuit ordinatum, vt stricte videretur de viribus concordiæ circa quas fuit resolutum, concordiam esse validam, nam illa tantum modificat contractum præcedentem absque vlla alienatione iurium, vel rerum Ecclesiæ, quin etiam illius vigore fuit remissa caducitas à Leonello prætensa, & non solum medietas quæ antea sola pertinebat ad beneficiatos penes eosdem remansit, quo casu concordia dicitur vtilis, & valida. *Abb. in cap. contingit. nu. 3. de transact. Franc. in cap. fin. num. 2. in fin. de pact. in 6.* Verum etiam illis fuit acquisita altera medietas, antea possessa per Religiosos Sancti Sepulchri, quam vsque in hodiernam diem possident. Vnde apparet effectuatio concordiæ, cum de alio titulo non doceatur. *Alciat. de præsumpt. reg. 2. præsump. 23. Menoch. eod. tract. lib. 6. præsumpt. 67.*

4 Accedit obseruantia 30. annorum, & vltra ex qua præsumitur confirmata per Sedem Apostolicam, etiamsi in ea non fuerit enunciata, nec reseruata. *Put. dec. 355. nu. 2. lib. 1. & dec. 365. nu. 3. & 4. lib. 2.* fuit resolutum in Neapolitana Fundaci, prima Iunij 1579. coram bon. mem. Robusterio in Mediolanen. rescissionis permutationis 10. Ianuarij 1597. coram Illustrissimo Cardinali Pamphilio, & in Ianuen. si in euidentem 16. Iunij 1606. coram Reuer. P. D. Lancellotto.

5 Et hæc præsumpta confirmatio Sedis Apostolicæ supplet omnes defectus, quatenus aliqui in concordia ad fuissent, vt fuit dictum in præallegata Ianuen. & operatur, quod concordia etiam liget successores. *Gemin. consil. 87. numer. primo, versicul. in contrarium. Ruin. consil. 63. libro primo*, fuit dictum in Vicen. Iuris ordinandi in Ecclesia 24. Ianuarij 1601. coram bo. mem. Litta.

6 Non obstat, quod concordia fuit facta tantum à tribus beneficiatis, cum non constet, quod tunc alij adessent, qui possent interuenire prout requiritur ad huiusmodi effectum, & iura Ecclesiæ possunt residere penes duos, vel tres, vbi constat alios non adesse, & quatenus tunc alij adiuissent, eorum ratificatio ex lapsu tanti temporis præsumi posset. *Dec. cons. 298. nu. 4. Gozad. cons. 11. num. 16. Menoch. cons. 1. 82. lib. 1.* Quod fabrica fuerit vocata ante consanguineos non est præsentis inspectionis.

7 Non obstant aliæ concordiæ factæ post illam Leonelli, quia fuerunt factæ super alijs rebus, vt super reductione onerum in testamento oppositorum, & sufficit quod concordia Leonelli per illas non fuerit reuocata.

REVERENDISS. P. D. PEGNA.

DECANO.

Farfen. Territorij. Veneris 20. Iunij 1608.

ARGVMENTVM.

De probatione Territorij per verba enunciatiua reperta in vno de pluribus instrumentis.

SVMMARIVM.

Status controuersiæ enarratur. nu. 1. cum quatuor seq.
Enunciatiua unica quamuis antiqua reperta in instrumento, non probat Territorium spectare ad aliquem. num. 6.
Res gesta inter personas interressatas non probat contrarias per sonas. num. 7.
Probatio non concludens non probat. num. 8.
Enunciatiuæ non antiquæ, & prolatæ a persona interesata, non probant num. 9.
Referentis probatio inconstans est, nisi constet de relato. nu. 11.
Testes examinati ad perpetuam rei memoriam adminiculantur alias probationes nu. 12.
Enunciatiuæ duæ inuicem contrariæ quando existunt, vna conquassat aliam. nu. 12.

DEISIO CLX.

1 Antiqua extabat controuersia inter Communitatem Castri Montopoli, & Abbatem Farfen. ex vna, & inter Communitatem Castri Turritæ, & Dominum eiusdem Castri ex altera parte, super certa parte Territorij Castri cuiusdam diruti Tribici, nuncupati citra flumen Tiberis posita, sed iuxta Tiberim vsque ad viam nuncupatam la Stradella, & alios confines in planta descriptos. Quam Territorij partem Mõtopolitani prætendebant ad suum Castrum Montopoli pertinere, & de Territorio eius existere, & sub directo Abbatiæ dominio contineri, ex eo quod de illo fuissent superioribus seculis ab Abbatibus Farfen. inuestiti, prout in Inuestituris de Territorio diruti Castri Tribici, dum Abbates vniuerunt Territorium Cribici, cum Territorio Montopoli.

2 Contrarium prætendebant Turritani affirmantes totum illud Territorium controuersum, quamuis positum citra flumen Tiberis esse de Territorio Castri Turritæ, & propterea ius pascendi, & alia competentia, ratione Territorij ad Communitatem, & Dominum Castri Turritæ pertinere.

3 Super ista controuersia anno 1562. mota lite à Mõtopolitanis contra Turritanos, ad quam etiam tanquã Dominus directus venerat Abbas Farfensis, plures Decisiones Rotales prodiderunt coram bonæ mem. Petro Francisco Gipsio, qui tandem, anno 1594. lata sententia, pronunciauit, prædictum Territorium ad Turritanos spectare, in gradu appellationis causa introducta coram bon. mem. Orano, dum die 24. Aprilis 1598. disputaretur, An Sententia Rotalis esset confirmanda, vel infirmanda, quia multæ difficultates vtrinque excitabantur, quæ non facile poterant vnica propositione definiri. Rota mandauit restringi causam, & primo disputari quando cœperit lis, & resolutum inter Communitates prædictas litem cœpisse anno 1562. sed quando cœperit cum Abbate licet sæpius fuerit dubium propositum nunquam tamen fuit resolutum.

4 Quoniam autem in discussu causæ, Montopolitani diuersa Instrumenta produxerunt continentia Vniones Territorij Tribici cum Territorio Montopoli de annis 1390. & 1467. & 1489. & 1535. & 1536. vita functo bon. mem. Orano de istis, & eorum fide cœpit disputari coram D. Cardinale Millino tunc Rotæ Auditore, & deinde coram me, & conclusum fuisse in forma probante, & cum Monopolitani ex istis potissimum Instrumentis, & enunciatiuis in eis contentis prædictam sententiam Rotalem prætenderent reuocandam. De ordine Rotæ proposui dubium, quod iam alias Superioribus annis fuerat datum: Qui essent fines Castri Tribici, & quo se extenderet ad effectum, de quo agebatur, videlicet: An probaretur, locum controuersum, citra flumen Tiberis positum pertinere ad Territorium Montopolitanorum, vel potius ad Territorium Turritanorum. Et vtraque parte informante, post diligentem discussionem, Rota censuit non probari fines antiquos Tribici.

5 Ratio potissima fuit, quia probatio Montipolitanorum, & Abbatis Farfen. non videbatur concludens, neque sufficiens, ad effectum præfatum, & ad excludendum intentionem, & probationem Turritanorum reorum, qui existebant in possessione, & super petitorio habebant sententiam Rotalem, quæ transiuerat in iudicatum. Vnde solum supererat respondere motiuis, in quibus se Montopolitani fundabant.

6 Quatenus ergo primo loco deducebatur enunciatiua, siue vnio antiquissima anni 1390. fuit dictum, eam ex pluribus non releuare. Et primo quia cum esset vnica, & sic insufficiens, quamuis antiqua, non suffragabatur. *Crot. cons. 34. incip. viso*, & diligenter examinato. *num. 17. vers. hoc enim casu. lib. 1.* & fuit decisum in causa Astoricen. Beneficij, die 4. Nouembris 1585. coram Domino Cardinale Pamphilio tunc Rotæ Auditore, & in alijs pluribus causis. Nam ad minus debent esse duæ. *Aretin. in cap. cum causam. nu. 23. vers. sed potest responderi. de probat.* Rursus non loquebatur de toto Territorio, sed de parte, immo non specificabat saltem duos confines, & consequenter per eam non poterat reddi certus locus vnitus iuxta prætensionem Montopolitanorum *per doctr. Bart. in leg. demonstratio. num. 54. ff. de condit. & dem. Alexand. consilio 73. incipien.* videtur prima consideratione dicendum. *nu. 6. lib. 3.* & fuit iam in hac causa dictum die 9. Maij ann. 1594. coram Gipsio.

7 Supradictis accedebat, quia licet, hæc vnio contineret confinia, & comprehenderet totum Territorium controuersum, adhuc non releuaret, ex quo erat facta ab Abbate Farfensi persona videlicet interessata, & suspecta cuius intererat dilatare suum Territorium. Item quia fuit facta Communitati Montopolitanorum, quorum intererat restringere Territorium Turritanorum. Vnde tanquam res gesta inter personas inte-

interessatas non probabat. *Aret. in d. c.cum causam, nu. 13. vers. circa tertium articulum, de probat. Socin. cons. 194. incip. Subtiliter, nu. 9. lib. 2. Loffred. cons. 44. incip. in causa mota, num. 6. in fin. Natt. cons. 672. incipit, vertente iam diu. nu. 41. lib. 4. Hieronymus de Monte tract. de finib. cap. 60. num. 13.*

8 Secundo loco pro Montopolitanis adducebatur enunciatiua vnionis ann. 1467. sed visa fuit æquiuoca, ita vt non concluderet, Territorium controuersum comprehendi in vnione Territorij Tribici, ex quo non coniungebat limitem Pontichi cum secundo limite Riui Cancelli per medium tertij limitis ipsius Tiberis, cum simul stare posset, quod isti tres limites essent confines Territorij Tribici, & tamen non includerent, locum controuersum. Probatio autem ad effectum, vt releuet, debet esse concludens, capite in præsentia, de probat.

9 Tertio loco Monopolitani vtebantur enunciatiuis vnionum annorum 1487. & 1489. circa quas, Rota omissa illa inspectione, An huiusmodi probationes concluderent respectu totius loci controuersi, censuit non probare. Tum quia emanauerant ab Abbate Farfensi interessato, tum quia non erant antiquæ vltra centum annos, prout requiritur ad effectum, vt haberent vim famæ, & probarent in antiquis quia ad effectum probationis erat deducendum tempus litis, quicquid dicendum esset ad effectum recognitionis, super quo articulus pendet indecisus in causa Tiburtina Castri Sancti Angeli. Dum vero prætendebatur, Abbatiam non fuisse in lite de anno 1562. vt ipsius respectu concluderetur, Iura esse antiqua. Respondebatur, id nondum fuisse decisum, & quatenus Abbas, vel Montopolitani in hoc se fundarent particulariter erat discutiendum.

10 Quarto loco Montopolitani nitebantur Instrumētis vnionum de anno 1535. & 1536. quæ clarius specificabant istam coniunctionem confinium. Cæterum præterquam, quod erant de recenti, patiebantur easdem exceptiones, quia emanauerunt à personis interessatis, & videbantur inuerisimiles. Nam si primæ vniones fuissent factæ de toto territorio Tribici, non fuisset opus istis posterioribus, & augebatur suspicio, quia si primæ vniones fuissent validæ, & effectuatæ, respectu totius territorij Tribici, non potuisset postmodum Abbas bona intra dictum territorium comprehensa particularibus personis locare.

11 Vlterius ista specificatio confinium habebat relationem ad regestum antiquū, cuius nondum fuit in Rota firmata fides. Nam quando non constat de firmo relato, inconstans est fides, & probatio referentis, cui propterea non statur, *Authent. si quis in aliquo. vbi Doctores. Cod. de eden. Bald. in l. in ciuile. nu. 7. ff. de legibus, Roman. cons. 305. incip. Quo ad septimum, num. 6. versic. breuiter dicendum. Alex. cons. 3. incip. in causa, & lite, num. 1. lib. 2.*

12 Demum dicebatur, quod licet prædicta Instrumēta, & enunciatiue in eis contentæ aliquem gradū probationis facerent ad fauorem Abbatiæ, & Montopolitanorum, illa tamen nedum elisa, sed sublata etiam videbatur ex probationibus Turritanorum quorum plures testes de certa scientia, & etiam de publica voce, & fama probabant Castrum Turritæ habere territorium, citra, & vltra flumen Tiberis distinctum, & separatum ab alijs territorijs conuicinis, quorum testium fides fuit approbata in decisione in hac eadem causa facta die 17. Februarij 1590. coram bon. mem. Gipsio, quibus aliquod veritatis adminiculum conferre putabantur testes ann. 1520. & 1558. ad perpetuam rei memoriam examinati. *Bartol. in leg. admonendi num. 45. ff. de iureiur. vbi Iason. in 2. lect. num. 242. Abb. in capite quamuis, num. 3. de sent. & re iudic. Afflict. decis. 376. incip. ex quo probatum est. numer. 1.* Concurrebant præterea antiquissimæ scripturæ ducentorum fere annorum, in quibus ista pars territorij citra Tiberim posita enunciabatur de territorio Turritæ. Vnde valdè obscurabatur probatio Montopolitanorum, quia saltem hic inde istæ enunciatiuæ conquassabantur, prout de duabus famis dixit *Bart. in l. is potest. num. 23. ff. de acquir. hæred. Dec. in capit. 1. numer. 2. versic. 5. de appell.* & fuit decisum in causa Maioricen. Sacristiæ, die 5. Nouemb. 1603. coram D. Cardinale Pamphilio, tunc Rotæ Auditore.

13 Magni quoque momenti putata fuit illa consideratio veritate suffulta, quod intra istos fines includebantur plura prædia, videlicet Planum Nazani, Galeotti, Villæ Caprolæ, tenuta Hilarij Vrsini, & alia quæ non comprehendebantur sub territorio Tribici, Nec Montopolitani eorum dominium prætendebant vt fuerat consideratum in Decisione in hac causa facta coram bon. mem. Gipsio die 9. Maij 1594. Atque ex his fuit conclusum, non probari fines antiquos Tribici ad effectum, vt territorium intus comprehensum spectaret ad Montopolitanos.

R. P. D. CAVALERIO.

Fauentina Successionis. Veneris 20. Iunij 1608.

DECISIO CLXI.

Est impressa inter Caualerio.

DECISIO 31.

R. P. D. LVGDVNEN.

Romana Pretij Vineæ. Mercurij 27. Iunij 1608.

ARGVMENTVM.

De iniustitia mandati relaxati à iudice recusato suspecto & pro Summa indebita, & de exceptione non implementi, quod reppellat agentem à iudicio.

SVMMARIVM.

Iudicis suspecti recusati omnia gesta post recusationem de iure ciuili sunt nulla, num. 1.
Mandatum relaxatum à iudice in plus in eo, quod debetur nullum, & inualidum est, nu. 2.
Exceptio non adimplementi repellit agentem à iudicio, nu. 3.
Procurator constitutus ad vendendum, non censetur constitutus ad consentiendum, nu. 3.

DECISIO CLXII.

1 FVit dictum mandatum Cellesij esse reuocandum. Primo, quia relaxatum à iudice de cuius deputatione non constat, qui præterea in quolibet actu fuit recusatus, & iuratus suspectus, ideoque ex dispositione iuris ciuilis, quæ in hac causa vigore Statuti Vrbis seruare debuit, omnia fuerunt nulla. *gl. in l. apertissimi. in vers. recusare. Cod. de iudic. Bald. in leg. cum speciali. num. 14. in fin. & Franc. num. 46. de appellat. & de magis communi testatur. Alexandr. consil. 89. num. 1. volum. 1. quam & alios cumulat Bursat. consil. 21. numer. 20. libro primo.*

2 Secundo, quia ad computum pretij. Vineæ Michael Angelus iam soluerat Canonicis Sanctæ Mariæ, & alijs quibusdā, aliquas pecunias debitas ab Hyeronimo, quæ cum in mandato relaxato non fuerunt excōputatæ sequitur, quod talis relaxatio facta in plus debito fuerit nulla. *Bar. Castr. & alij in l. si non sortem, §. si autē de cōd. indeb. Ruin. cōs. 136. n. 5. lib. 1. & cons. 160. n. 20. lib. 2. Paris.*

Paris. cons. 81. nu. 24. lib. 2. Tiraquel. de retractu lignag. §. 23. gl. 1. nu. 23. Put. dec. 323. lib. 1.

3 Tertio, quia Hieronymus, qui pro parte sua non adimpleuerat, non potuit agere, multo minus obtinere debuit mandatum relaxatum aduersus Michaelem Angelum *l. Iulianus, §. offerri. de act. empt. Corn. cons. 79. num. 17. lib. 1. Aym. cons. 151. num. 10. Put. dec. 357. lib. 3. Verall. dec. 127. par. 3. Galles. de obligat. Cameral. 4. par. q. 1. num. 7.* Non implementum autem ex parte Hieronymi clarum est, nedum quia non fuit datum cannetum liberum cum suis ingressibus, & egressibus, & quia imo super hoc adhuc pendet lis, sed etiam, quia promissa obligatio vxoris Hieronymi non fuerit præstita nisi cum clausulis impertinentibus sine præiudicio suarum dotium, & post relaxationem mãdati, quod non potest iustificari ex implemento subsequuto. Item creditores quorum etiam consensum exhibere tenebatur Hieronymus consenserunt mediante procuratore constituto non ad consentiendum, sed ad vendendum, quæ sunt diuersa, ex latè adductis per *Tiraq. de retract. lignag. §. 1. glos. 9. nu. 107.*

4 Quæ autem dicuntur de notoria iniustitia indigent particulari inspectione si ex illo capite mandatum esset reuocandum. Et ita fuit resolutum.

REVERENDISS. P. D. PEGNA DECANO.

Ferrarien. Prioratus, Lunæ prima Decemb. 1608.

ARGVMENTVM.

In Beneficialibus quando attendatur vltimus Status ad effectum, vt ex eo beneficij qualitas demonstretur.

SVMMARIVM.

Contingentia facti colligitur, nu. 1.

Enunciatiuæ repertæ in pluribus instrumentis antiquis vltra cursum centum annorum, & inter diuersas pesonas, habent vim famæ, & probant beneficij qualitatem, nu. 2.

Beneficij vltimus status non attenditur, nisi fuerit legitime præscriptus, quando constat de anteriori statu contrario legitimo, nu. 3.

Beneficiis Status non mutatur per collationes facta à non habente potestatem mutandi beneficij Statum, & nisi mutandi animo factæ fuerint, nu. 4.

Apostolica prouisio non mutat Statum beneficij, num. 5.

Beneficium seu præceptoria quod soleat commendari, probatur ex pluribus commendis effectuatis.

DECISIO CLXIII.

1 IMpetrauerat R. P. D. Alphonsus Giliolus à fel. rec. Clemente Papa VIII. Prioratum, seu Præceptoriam S. Leonardi de S. Antonio nuncupatum, & narrauerat, quod per obitum Pauli Silingardi de mense Augusti anno 1603. extra Romanam Curiam vacauerat, qui alias tanquam Ord. Sancti Augustini Regularis Clericis sæculatibus auctorite Apostolica commendari consueuerat, temporis vero successu tanquam sæcularem & sine cura per plures Clericos sæculares in eo institutos Rectores continuè, & pacificè forsan gubernatum fuisse, vt naturam sæcularis assumpserit. Dubitaui an ista narratiua, & gratia esset iustificata, & Rota vtraque parte informante iustificatam esse censuit, quo ad Regularitatem, & quod Prioratus esset solitus commendari.

2 Respectu Regularitatis iustificatio deducebatur ex eo, quod vsque ad annum 1561. fuit in statu Regularitatis, quod constaba ex diuersis enunciatiuis antiquis vltra cursum centum annorum, quæ cum emanassent à diuersis personis, & in diuersis scripturis continerentur, habebant vim famæ, & consequenter probabant beneficijs qualitatem. *Aretinus in cap. cum causam num. 9. & nu. 20. & seq. de probationibus, & ibi Felinus nu. 4. Puteus decis. 209. incip. in vna Bonon. libr. 2. Crauet. de antiquitat. temp. par. 1. §. ampliatur. nu. 7.* & fuit sæpè in Rota decisum, & signanter in causa Nouarien. beneficij, die 5. Nouembris 1586. coram Domino Cardinali Pamphilio, & tunc Rotæ Auditore.

3 Nec refert, quod ab anno 1561. vsque ad annum 1598. Episcopus Ferrariensis ad præsentationem Ducis Ferrariæ instituerit Clericum sæcularem ad titulum huius beneficijs quasi quod propterea Prioratus de Regulari fuerit effectus sęcularis, quia dicebatur, quod cum de legitimo statu anteriori regularitatis patenter constaret, non poterat dici ille status mutatus nisi probaretur sequens status sæcularitatis patenter constaret, non poterat dici ille status mutatus, nisi probaretur sequens status sęcularitatis legitime præscriptus spacio quadraginta annorum cum bona fide, *c. cum de beneficio, de præbend. lib. 6. vbi Geminianus, nu. 8. & 9. & Francus nu. 5. & 9. Felinus in c. in nostra, nu. 43. de rescript. Rota dec. 2. incip. fuit dubitatum, in principio. de præben. in nouis*, & fuit decisum in causa Parusina Sancti Benuenatis, die 19. Maij 1588. & 17. Maij 1589. coram Domino Cardinale Pamphilio tunc Rotæ Auditore, & in causa Florentina commendæ, die 26. Iunij 1589. coram Domino Comitolo, tunc Rotę Auditore, postea Episcopo Perusino.

4 Quibus accedebat, nec prædicta sufficere ad mutandum statum beneficij de Regulari in sæcularem, cum amplius requiratur, quod collationes fuerint factæ ab eo, qui habet potestatem mutandi statum illius beneficij, & quod insuper fuerint factæ eo animo, & intentione status mutaretur *Felinus in dict. cap. in nostra num. 41. de rescript.* & fuit in terminis decisum in causis Perusina beneficij, & Florentina commendæ, & nuper in causa Vrgellen. Parochialis, die 13. Ianuarij 1606. coram R. P. D. Marcomontio, vbi nominatim fuit dictum, quod Episcopus non potest mutare statum beneficij.

5 Præterea non fuerat mutatus status istius prioratus de Regulari in sęcularem anno 1598. propter vnã prouisionem Apostolicam ex causa resignationis ad fauorem illius, per cuius obitum vltimo loco vacauit. Quia prouisio Apostolica non mutat statum beneficij *Decius cons. 126. incip. in causa D. Francisci Gentilis, num. 4. Achiles dec. 13. incip.* status beneficij in principio de iure patronat. *Verallus dec. 189. incip. status vltimus, in principio part. 3.* & fuit sæpè dictum, & decisum in Rota, & signanter in causa Bononien. parochialis die 23. Maij 1587. coram bon. mem. Gipsio, & in causa Imolen. Iuris patronatus die 26. Martij 1593. coram Domino Cardinale Pamphilio tunc Rotæ Auditore.

6 Ex prædictis inferebatur, Prioratum nec mutasse statum, nec acquiuisse alium talem statum, qui suffragaretur Domino Episcopo Ferrariensi ad effectum alternatiuæ, cum præter regularem nullus firmus, & stabilis status, nec vlla quasi possessio libertatis, & liberæ collationis considerari posset, nec illa possessio Ducis præsentandi clericum sæcularem possedisse, poterat Episcopo cum illa potius ex vsurpatione, quam ex legitimo titulo præsumeretur.

7 Remansit ergo, & durauit semder status Regularitatis attendendus ad effectum de quo agebatur, Nam ex institutione ad presentationem Ducis nullus emersit considerabilis status, qui operetur ad fauorẽ Episcopi, vt Prioratus possit venire sub alternatiua, nec in persona Episcopi potest cõsiderari aliqua quasi possessio cõsiderabilis, cũ nũquã solus cõtulerit hũc Prioratũ.

8 Quod verò idem Prioratus clericis sæcularibus cõsueuerit commendari, ex pluribus cõmendis effectuatis, quæ proferebantur, constabat de annis 1508. & 1529.

1529. & 1532. ex istis enim pluribus actibus censebatur sufficienter probata narratiua, quod prioratus, seu Præceptoria ista consueuerit commendari, ad tradita per Decium post alios *in Rubr. de consuet. num. 4.* Atque ex his fuit conclusum, gratiam iustificatam, & quo ad regularitatem, & quo ad narratiuam, quod Prioratus Clericis secularibus esset solitus commendari.

R. P. D. CAVALERIO.

Leodien. fideicommissi. Lunæ 1. Decembris 1608.

DECISIO CLXIV.

Est impressa inter Caualerio.

DECISIO 34.

REV.^mo P. D. BONONIEN.

Perusina Donationis. Veneris 12. Decembris 1608.

DECISIO CLXV.

Est impressa inter Ludouis.

DECISIO 391.

R. P. D. IVSTO.

Pampilonen. Illegitimitatis. Veneris 5. Decembris 1608.

ARGVMENTVM.

De filio ex incestuoso coitu nato an, & quando per subsequens matrimonium ex dispensatione Papæ legitimatus dicatur.

SVMMARIVM.

Filius natus ex incestuoso coitu per subsequens matrimonium non legitimatur, nu. 1.

Filius natus ex incestuoso coitu nunquid potest legitimari per subsequens matrimonium ex dispensatione Papæ, num. 1. & sequen.

Filius natus ex incestuoso coitu non legitimatur, per subsequens matrimonium ex dispensatione Papæ, quando tempore conceptionis copula non fuit affectu maritali, & quando iste affectus, seu consensus maritalis præsumitur, num. 1. 2. 3. 4. & 5.

Filius natus ex incestuoso coitu potest per subsequens matrimonium legitimari ex dispensatione Papæ, nu. 5.

Papa habet amplissimam potestatem in his, quæ à iure humano & positiuo prohibentur, num. 5.

Papa exceptio nullus potest se ingerere de matrimonio. nu. 6.

Dispensatio trahitur etiam ad accessoria, & consecutiua, nu. 6.

Mandatum procuræ probatur etiam ex testibus num. 7.

Matrimonium contractuum coram Sacerdote de licentiæ Episcopi valet, etiam quod ille Sacerdos non esset Parochus nu. 8. & 9.

Excommunicatus absolutus etiam ignorans absolutionem potest eligere, & electio valet. num. 10.

Principis restitutio suffragatur restitutio etiam restitutionem ignoranti, nu. 10.

Executor ante præsentationem literarum procedere non potest num. 11. & 12.

DECISIO CLXVI.

1 PRo illegitimitate Martini iunioris plura deducebantur per Informantes; Primo, quod Martinus natus sit ex coitu incestuoso, cum parentes essent tertio consanguinitatis gradu coniuncti capite non debet. de consang. & affinit. Vnde non fuit effectus legitimus per subsequens matrimonium *Abb. in cap. tanta, num. 14. qui fil. sint legit.* Et in his terminis Rota coram felic. record. Clemente VIII. tunc Auditore, in causa Siracusana legitimitatis 19. Octobr. 1573. iudicauit. Nec sufficit dispensatio, quia non potest operare hûc effectum, cum non sit in radice matrimonij, quia tempore conceptionis Martini copula non fuit affectu maritali *Ancharan. consil. 409. sub num. 4. versic. sed est discutiendum. Abb. in cap. per venerabilem, num. 21. qui fil. sint legitimi Put. decision. 483. quæ incipit Matthæus Gabella libr. 2.*

2 Ad hec responsum fuit, quod legitimitas probatur ex subsequenti matrimonio celebrato iuncta dispensatione Papæ. Non obstat oppositio, quod Martini, & Vrsulæ copula non fuerit affectu maritali, & sic dispensatio nõ tangit radicem matrimonij: Nam tollitur primo, quia affectio maritalis affuisse ab initio præsumitur, nam qui hodie nuptias contraxit, ex qua antea liberos susceperat, regulariter præsumitur eũdem ab initio animum habuisse matrimonij contrahendi, *Caccher. dec. Pedemont. 154. nu. 4.* contra quam præsumptionem nihil est probatum in casu nostro, & est negatiua probanda ab heredibus aduersarijs, vt in dec. R. P. D. mei Cauallerij in hac causa facta.

3 Nec facit, quod tunc præsumitur consensus, & affectus maritalis, quando de facto, & nulliter contractum est matrimonium, & subsequuta copula, in quibus terminis procedit Rota in dicta decisione Siracusana, & ponit exemplum *Ioan. Andr. in dicto capitulo per venerabilem, num. 30. vers. si vero proles.* Nam Doct. dicunt, quod legitimatio non fit in radice matrimonij nisi in prole genita ex coitu matrimoniali saltem ex affectu, vel consensus, ita dicit *Anchar. allegatus d. cons. 409. sub num. 4. post Ioan. Andr. in dict. cap. per venerabilem, num. 13. & ibi Abb. sub num. 22.* repetit eadem verba, saltem consensu, & affectione, sine quibus non est matrimonium de facto, & non potest suppleri consensus, & ita fuit intelligendi alij Doctor. Vnde cum satis sit, coitum fuisse ex affectu vel consensu maritali in hoc præsumitur affuisse, & adfuit, licet non sint publice celebrari actus matrimoniales, de qua publicitate non loquuntur Doctor.

4 Neque ista negatiua probatur ex narratiua dispensationis, vbi habetur quod Martinus, & Vrsula scientes se tertio consanguinitatis gradu esse coniunctos, non se cognouisse, vt crimine admisso facilior esset dispensatio, sed sola vesana libidine victi, ergo non secreto affectu maritali. Nam vis huius narratiuæ est, reddere Papam faciliorem ad concedendam dispensationem, quæ fuisset difficilior, si ea intentione, vt facilius dispensationem impetrarent, se cognouissent sed est preter omnem intentionem velle excludere consensum, & affectum maritalem in copula, de quo nullum verbum, & qui esse poterat coniunctus cum illa vesana, & incestuosa libidine, ante obtentam dispensationem.

5 Secundo non obstat oppositio, quia dispensatio prolis per subsequens matrimonium sine solennitatibus iuris Ciuilis est ex indulgentia *Iuris Canonici in d. c. tanta. Couar. in 4. decret. 2. p. c. 8. §. 2. nu. 18.* vbi subdit Papã reuocare posse, si iusta ratione placeret, sicut igitur Papa Constitutione vniuersali decreuit prolẽ susceptam legitimã esse per subsequens matrimoniũ nõ intelligẽdo de suscepta ex coitu incestuoso, ita nihil prohibet

quo minus ex iusta causa possit etiam prolem ex isto coitu susceptam legitimam decernere, & Ius Canonicum extendere, & maiorem vim tribuere matrimonio, quam habeat de Iure; & Papa hoc pacto imprimit qualitatem effectui producto ante esse matrimonij, vt dicit *Antonius de But. in dicto capit. tanta. in princip.* quod à iure non erat indultum, & hoc patet, siquidem Martinus, & Vrsula exposuerunt Papæ coitum incestuosum, prolem ex eo susceptam, & alia, quibus non obstantibus Papa concessit mandatum de dispensando, cum decreto legitimationis prolis susceptæ, & suscipiendæ, quod sufficit. *Mareschi. in c. 1. num. 128. de const. in 6.* & operatur vbique effectum suum contra sententiam. *Prepos. in dicto c. tanta, colum. 68. in fi.* & secundum communem, & veriorem opinionem de qua per Illustrissimum *D. Cardinalem Manticam de coniect. lib. 11. tit. 12. num. 14. post Couarr. in dicto c. 8. §. 2. num. 8.* vbi in specie in contrarium allegat, & reprobat *Præpos. & Ang. & eosdem reprobat Gabr. consil. 21. num. 14. lib. 1.* qui multos adducit, alias nimium esset restricta facultas dispensandi secuta copula, & prole suscepta, non celebrato palam matrimonio de facto, quæ tamen vt plurimum est necessaria ad euitanda scandala, quorum timor remaneret in prole non legitimata. Vnde falsum est dicere quod deficiat potestas, vel intentio Papę in his dispensationibus, quo ad legitimationem prolis præterquam quo ad spiritualia, vt dicunt *Moder. Cordub. de matrim. lib. 8. disput. 7. nu. 14.* Nam quo ad potestatem in his, quæ à iure humano, & positiuo prohibentur, qualis est casus propositus, absque alicuius dubitatione Romani Pontifices amplissimam habent potestatem. *c. proposuit. §. licet autem. de conces. præben. Ferdin. de Lopez in tract. de matrim. Regis Angliæ, dubit. 2. in respons. ad 1. partis negatiuæ fundamentum. num. 1. vers. in his enim, & in respon. ad 6. argum. post Abb. in c. per venerabilem. num. 22. vers. aut non tenuit impediente lege Canonica, qui fil. sint legit. & ibi omnes.*

6 Quibus accedit quod nullus alius præter Papam potest se ingerere de matrimonio, & consecutiuis, vt dicunt Doct. allegati per *Gabriel. dicto consil. 21. num. 14.* & addit neminem de hoc dubitare, quinimo vt dicit idem *Lopez vbi supra dub. 10. num. 26.* dispensatio ad accessoria, & consecutiua trahitur, vt voluit *glos. notab.* quam ibi Doctor. communiter sequuntur in c. quia in tantum. de præben. *Anton. de Butr. Abb. & Doct. in c. cum in cunctis. de elect. Soci. consil. 136. incipit Quæstio principalis lib. 2.* Et de intentione dubitari non potest, vbi sunt verba clara, *l. ille aut ille. ff. de legat. tertio.* Intentio enim principalis est dispensare super matrimonio non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & consecutiue prolem susceptam, & suscipiendam legitimam decernere, vt legitur in literis, siue mādato de dispensando, quia abstulit impedimentum canonicum, respiciendo principium, quando affuisse præsumitur affectus maritalis, & si illicitus tunc, vt dictum est supra.

7 Secundo loco opponebatur contra mandatum illius, qui matrimonium celebrauerat cum Vrsula tanquam procurator Martini, quia nullibi reperitur, & non præsumitur ex allegatis, sed fuit responsum sufficere probationem mandati ex testibus *l. in exercendis litibus. C. de fid. instrumen. c. 1. de procur. Boer. decis. 281. in princip.* vbi plures allegat. Et de mandato deponit frater Thomas, vt in Summario *nu. 4.* & dicit illud vidisse, & legisse, & idem tertius testis in summario, *num. 6.* qui concordat cum Fratre Thoma, quibus adminiculantur testes ibidem deponentes de auditu, & multum facit, quia pro hæredibus Marie dicitur, dum impugnant mandatum, quod continebat conditionem de eo non vtendo, nisi de tempore, quo Vrsula viuere non posset, nec ostenditur, quod in alio casu sit vsus procurator, & satis est, quod Vrsula tūc erat in graui periculo mortis cōstituta.

8 Tertio dicebatur matrimonium non fuisse contractum coram Parocho iuxta formam *Concilii Tridentini sess. 24. c. 1. de reform. matrim.* Sed placuit responsio, satis fuisse satisfactum Concilio per assistentiam Sacerdotis de licentia Illustris. D. Cardinalis Zappatę tunc Episcopi Pampilonen. & ita decreuit Sacra Congregatio Concilij.

9 Licentia vero probatur ex depositione ipsiusmet Domini Cardinalis, qui licet non recordetur de explicita licentia ad hoc data Fratri Thomæ, Tamen deponit de licentia petita ad illos coniungendum in matrimonio, non præcedentibus monitionibus propter periculum quod erat in mora, & quod ei responderat quod dabat licentiam, & dedisset cuicumque presbytero, vt coram ipso celebraretur dictum matrimonium, & quod Frater Thomas intelligere potuit, quod illa dabat, qui est vir doctus, & bene intelligens, & idem Frater Thomas testatur se habuisse.

10 Quarto oppugnabatur matrimonium, vt inde excluderetur legitimas, quia constabat, quod die 26. mensis Iulij anni 1599. hora octaua de mane fuerat concessa dispensatio in Ciuitate Pampilonen. vt in summario hæredum, *num. 6.* & eadem die fuit data licentia contrahendi, & matrimonium contractum post duas horas in circa, cum tamen locus contracti matrimonij in oppido Sancti Sebastiani distet à Ciuitate Pampilonen. per 40. milliaria, & sic erat inuerisimilis notitia dispensationis; Cui obiectioni responsum fuit, quod de matrimonio contracto post dispensationem constabat: probatum tamen non fuit, de iure necessariam esse notitiam, saltem verisimilem; quinimo contrarium videtur probari posse exemplis, nam eligentes qui erant excommunicati, si eligunt post absolutionem, quam ignorabant, valet electio. *Archid. in capitulo quanto, in fine. & ibi Gemin. 1. quæ. 4.* & Rota tenuit coram Illustris. D. Cardinali Seraphino in causa Calciaten. Canonicatus 6. Martij 1589. Idem dicitur ante notitiam prodesse restitutionem Principis, parique modo libertatem concessam. *l. eius qui in prouincia. §. final. ff. si certum pet. Bart. in l. fin. nu. 5. C. de sent. pass.* & collatio beneficij facta à Collatore vacationem ignorante valet. *Rot. decis. 36. de præbend. in antiqu. Ioan. Monach. in c. si tibi abscenti, nu. 5. & 6. & ibi Prob. nu. 5. 6. & 7. Gemin. num. 9. de præben. in 6.* Ita in hoc casu valet matrimonium, etiamsi coniuges nondum sciuerint sententiam exequutoris, quia habebant intentionem contrahendi, quatenus esset exequuta gratia dispensationis, vt per *Monach. supra allegatum in simili.*

11 Non obstat executorem nulliter procedere ante præsentationem literarum suæ facultatis. *Cassad. super regu. Decis. 33. num. 3. & de restitutione spoliat. Decis. 8. num. 10.* quoniam ibi executor debet esse certus pro exercenda iurisdictione inter partes, cuius qualitates scire debet ex rescripto. In casu nostro in hac dispensatione gratia dependet à facto executoris, qui vigore mandati de dispensando concessit licentiam de contrahendo dicto matrimonio, post cuius concessionem statim factæ fuerunt personę coniugum, materia legitima ad contrahendum.

12 Reliquæ obiectiones subreptionis, & non verificationis mandati de dispensando fuerunt visæ minus releuantes, & bene euacuatæ in dicta decisione Domini mei Caualerij, & in responsionibus datis pro Martino iuniore. Vnde fuit resolutum per dominos sententiam Rotalem esse confirmandam.

REVERENDISSIMO P. D.

LVGDVNEN.

Toletana Canonicatus. Mercurij 10. Decembris 1608.

ARGV-

ARGVMENTVM.

Puritas sanguinis an præsumatur, à quo, & quomodo probanda. Plura de testium fide, & approbatione presertim in probatione fraternitatis, & malæ famæ, & an qualitas in Statuto probanda.

SVMMARIVM.

Statutus controuersiæ, super qua decisio facta fuit, recensetur à nu. 1. vsque ad 7. inclusiue.
Testes non reddentes rationes sui dicti fraternitatem non probant. nu. 8.
Fraternitas non probatur per testes, nisi expresse dicant, quod talis est frater talis vtrinque coniunctus. nu. 9.
Testis sibi varius, & contrarius nihil probat. nu. 10.
Testis dicitur sibi varius, & contrarius, quando primo dixit se nescire, & postea dicat se scire. nu. 10. & 11.
Testis primo dicto standum est potius, quam secundo, licèt primum debilitetur per secundum. nu. 10.
Testis qui primo dicit se non recordari non dicitur varius, si postea dicit se melius recordari. nu. 11.
Fraternitas licèt probetur per testes deponentes, quod sic communiter vti fratres reputabantur, non tamen probant nisi addant sic vti fratres fuisse tentos, & reputatos ab ijs qui illos cognoscebant. nu. 12.
Testis vnus de visu, & certa scientia non coniungitur cum Testibus deponentibus de publica voce, & fama ad præficiendam probationem in causa graui, & ardua. nu. 13.
Causa dicitur magna, & ardua, quando agitur de incurrenda infamiam. nu. 13. in fine. & sequentib.
Filiatio probatur per confessionem partis, quæ tamen confessio nocet tantum confitenti non alijs. nu. 16.
Confessio qualificata acceptari debet, prout iacet, nec potest diuidi. nu. 17.
Identitas personæ in causa graui, & ardua non censetur probata per identitatem proprij nominis, nisi concurrant aliæ demonstrationes cognominis, & similes. numer. 18. & sequent.
Fama mala probat in antiquis, in quibus veritas aliter haberi non potest. num. 23.
Famæ probatio non admittitur, nisi fuerit perpetua, constans, illæsa apud omne, nec allegationibus contrarijs debilitata, & conquassata. nu. 24. & sequentib.
Testibus deponentibus de bona fama magis credendum, quam deponentibus de mala. nu. 27. & 28.
Testes plenè probant contra producentem. nu. 28.
Fama est populi vana vox, & non attendenda. numer. 29. & sequent.
Puritas sanguinis, & originis præsumitur, & qui aliquem impurum dicit, probare debet. num. 31. & seq. num. 39. & sequent.
Paria sunt aliquid non esse, vel esse, & non apparere. nu. 35.
Negatiua oratio vbi præcedit, tunc an, & à quo probanda sit qualitas in oratione expressa. num. 36. & sequentibus.
Qualitas negatiua in statuto apposita à quo probanda sit. nu. 36. & seqq.
Dispositio semper accipienda est de casu dubitabili. num. 36. in fine.
Negatiuæ duæ faciunt vnam affirmatiuam. nu. 37.
Negatiua habens affirmatiuam implicitam à quo probanda sit. nu. 38. & seq.
Præsumptio violenta habetur pro certitudine, donec contrarium probetur. nu. 40.
Mortuus in terris Christianorum præsumitur baptizatus, & Christianus. nu. 40.
Pœna ab aliqua Constitutione imposita non habet locum, nisi verificatis qualitatibus in Constitutione expressis. nu. 40.
Innocentia potius præsumitur, quam delictum. nu. 41.
Esse non dicitur, quod non reperitur. nu. 42.
Citatus quod quis non fuerit probatur eo ipso, quod citatio non reperitur in processu. num. 42.
Negatiua actorum probatur eo ipso, quod acta non reperiuntur in processu. nu. 42.
Antiquum dic tur, quod excedit centum annos, etiam in qualibet materia ardua, & stricta. nu. 43. & seq.
Antiquum dicitur, quod transit per plures generationes. numer. 43.
Puritas sanguinis probatur per publicam vocem, & famam. num. 49. & seq.
Fama probatur per duos testes, pro quibus interpretatio capienda est, vt varietas excludatur. nu. 52. & seq.

DECISIO CLXVII.

1 PRoposui Dubium datum de ordine Rotæ, An Domino Ludouico de Ouiendo obstet Statutum Ecclesiæ Toletan. Et vtraque parte informante, Domini vno consensu dixerunt. Non obstare. Totamque hanc disceptationem ad tria Capita reduxerunt, videlicet: An ex informatione per Capitulum capta probetur aliqua macula, quæ originem D Ludouici inficiat? An ex eadem informatione teneatur D. Ludouicus affirmatiue probare puritatem suæ originis? Denique. An illam probet.

Quod attinet ad primum Caput, licèt circa illud nō fuerit in specie informatum per Agentes pro Illustr. & Reuerendiss. DD. Decano, Canonicis, & Capitulo Ecclesiæ Toletan. Qui neglecto Dubio à Rota, bis vtraque parte informante, decreto restrinxerunt se ad duo posteriora Capita. Tamen pro illorum parte fuit in genere dictum, Originem D. Ludouici esse infectam pluribus maculis. Et vltra quod in principio processus de partibus legitur memoriale, seu Summarium verificatum per Dominum Decanum Toletanum, & per quinque ex Dominis Canonicis, inter quos erat etiam Dominus Commissarius, qui fecit informationem Domini Ludouici, in quo memoriali continentur ea, quæ pro Domino Ludouico, & contra eum probata prætenduntur in dicto processu. Adhuc fuerunt data in Summario Capituli dicta aliquot Testium, quibus veluti digito intento ad fontes indicatur, quibus maculis asseratur infecta origo D. Ludouici. Discussis igitur illis testibus, alijsque quos ex processu, iuxta prædictum memoriale extractos, ipse D. Ludouicus dedit in Summario suo, Rota censuit, non probari aliquam maculam.

3 Et quidem, de quo ad lineam paternam, certum est, Dominum Ludouicum descendere à nobilibus antiquis Christianis puris, & id non controuertitur. Sed linea materna prætenditur infecta, ex quo Beatrix della Cadena vxor Baccalaurei Alphonsi de Spinosa, & proauia materna Dom. Ludouici fuerit filia Menciæ de Portalegre, quæ in Sancto Inquisitionis Officio dicitur fuisse condemnata, de anno 1502. Quod autem Beatrix fuerit filia istius Menciæ deducitur, præsupposito in primis, quod dicta Beatrix fuerit soror Ioannis de Castillos, vt deponunt duo testes examinati per dictum Dominum Canonicum Commissarium.

4 Hac fraternitate præsupposita, constat ex actis, quæ idem D. Commissarius habuit ex Sancto Inquisitionis Officio, quod de anno 1552. cum in Ecclesia Parochiali loci de Casarubios fuisset appositus quidam habitellus Sambenitus, cum hac inscriptione, Mencia de Portalegre vxor Didaci Lopez Falcon condemnata, comparuit coram Sancto Officio prædictus Ioannes de Castillo, dixitque se esse filium Didaci Lopez de Ocana, & Menciæ de Portalegre coniugum defunctorum, & conquestus fuit de supradicta inscriptione asserens, quod licèt eius mater fuisset carcerata à Sancto Officio, non tamen fuerat condemnata, quodque illa quæ condemnata extiterat, fuerat vxor Didaci Lopez Falcon. Et super ista querimonia Ioannis de Castillo fuit formata per Sanctum Officium Informatio, fuit-

fuitque decretum, prædictam inscriptionem delendam esse, vti appositam per errorem, & loco illius apponendam esse aliam inscriptionem, quæ simpliciter, & absque nomine Mencie de Portalegre, diceret vxor Didaci Lopez Falcon condemnata.

5 Hinc infertur, quod Ioannes de Castillo matrem habuit Menciam de Portalegre, & per consequens, quod eadem Mencia fuit mater Beatricis della Cadena, cum Ioannes fuerit frater vtrinque coniunctus Beatricis. Idque confirmatur ex depositione quarti Testis examinati in dicta informatione capta per Sanctum Officium, qui dicit, quod Baccalaureus Spinosa erat gener vxoris Didaci Lopez de Ocana. Cum autem sit in confesso quod Baccalaureus Spinosa fuit maritus Beatricis della Cadena, Si iste Baccalaureus fuit gener vxoris Didaci Lopez de Ocana sequitur quod Beatrix fuit filia dictæ vxoris Didaci Lopez, quæ fuit ista Mencia de Portalegre.

6 Huic assertæ maculæ fuit responsum pluribus modis. Primo, non probari istam fraternitatem inter Ioannem de Castillo, & Beatricem della Cadena. Prædicti enim duo Testes qui de illa deponunt, fuerunt in hac causa bis examinati per D. Commissarium, & primus quidem, qui in suo primo examine est duodecimus testis, & habetur in processu folio 205. dicit affirmatiue non cognouisse Gabrielem de Spinosa, nec Agnetem Lopez eius vxorem, nec scire, neque dici audiuisse cuius filius sit dictus Gabriel, nec habere notitiam alicuius prædecessoris eius, tam ex parte patris, quam matris. In secundo autem suo examine, quod habetur in processu folio 800. & ibi est Testis 91. dixit, quod in prima depositione dixerat, se nescire cuius filius esset dictus Gabriel, nec quinam essent illius ascendentes, sed postea recurrit ad suam memoriam, & pro suæ conscientiæ exoneratione dicit, se habere notitiam de Baccalaureo Alphonso Spinosa, & scire, quod ille Baccalaureus matrimonium contraxit cum vna sorore Garsiæ, & Ioannis de Castillo, quodque ex isto matrimonio natus fuit Gabriel de Spinosa. Et prædicta scire, non quod ipse illos cognouerit, sed de auditu à Nicolao Delgado patre ipsius testis, qui erat veluti repertorium familiarium loci de Casarubios, & à Ioanne de Castillo Iuniore, & à Baptista Gallego, & sic iste testis in hac secunda sua depositione, licet non exprimat nomen Beatricis della Cadena, nihilominus deponit in effectu quod illa fuerit soror Ioannis de Castillo.

7 Alter verò testis qui in sua prima dispositione est decimus, & habetur in processu folio 188. asserit, cognouisse prædictum Gabrielem de Spinosa, & Agnetem Lopez illius vxorem, & audiuisse dictum Gabrielem fuisse filium Baccalaurei Alphonsi de Spinosa, & Beatricis della Cadena eius vxoris, ne scire cuius loci esset naturalis, nec cuius filia esset dicta Beatrix, nec habere aliquam notitiam aliorum eius ascendentium. In secunda verò dispositione, quæ habetur in processu folio 774. Ibique est testis 87. dicit cognouisse Ioannem de Castillo valde bene, & audiuisse pro valde certo illum habuisse vnam sororem vtrinque coniunctã vocatam Beatricem della Cadena, & nescire quorum filij fuerint dicti Ioannes, & Beatrix.

8 Istis duobus testibus potest opponi in primis, quod non probant, quia nullam reddunt rationem ex qua possit inferri ad fraternitatem Ioannis, & Beatricis. *Aymon. consil. 249. numer. 2. Ancbar. consil. 52. numer. 7. cum sequent. Decian. consil. 254. numer. 1. & 4. Tiraq. de retract. consang. §. 1. gloss. 16. in ver. declarari le lignag. numer. primo.*

9 Sed magis distincte procedendo primus testis, non dicit quod Ioannes fuerit frater vtrinque coniunctus Beatricis, ideoque non infertur concludenter ex illius depositione, quod Beatrix fuerit filia Menciæ, nec quod macula Menciæ pertineat ad Beatricem. *Ang. in auth. vt lic. matr. & aui. §. 1. vers. ad hæc. in fin. Alexand. in l. sæpe. num. 51. vers. idem etiam sentit Ang. ff. de re iud. Tiraquel. de nobilit. cap. 12. num. 3. Cott. in memor. in ver. sententia dicta pro vno ex multis fratribus.*

10 Deinde iste primus testis fecit duas depositiones manifeste sibi inuicem contrarias, cum in prima dixerit, se nescire ex quibus parentibus natus esset Gabriel Spinosa. In secunda autem dixit, se scire, quod idem Gabriel fuit filius Baccalaurei Alphonsi de Spinosa, & Beatricis della Cadena. Ideoque vel neutri dicto credendum est: *Bart. in l. eos. ff. ad legem Corn. de fals. num. 1. commune dixit. Ruin. cons. 57. num. 8. versic. nec obstat lib. 1. magis communem. Alex. consil. 2. num. 8. lib. 7. & cons. 19. num. 3. lib. 4.* vel standum est priori dicto ita tamen, vt aliquatenus debilitatum remaneat per secundum. *gloss. in cap. venien. il secundo. in vers. pars. versic. sed illi. de testibus, gl. fin. in cap. cum causam. in versic. sed si quis testis. eod. tit. Innoc. in cap. præterea. nu. 2. de testib. cogen. Corn. cons. 27. nu. 15. lib. 3. Dec. cons. 175. vers. non obstat. 8. & cons. 189. nu. 6. & 10.*

11 Nec facit, quod in secunda depositione dixerit, se melius recordari: *ad not. per Bartol. in l. qui bona fide. §. si quis stipulatus. in princip. ff. de dam. infec.* vbi apostilla in verb. interrogari. dat concordantes, & attestatur de communi. Conclusio enim procedit, quando in primo examine testis dixit, se non recordari, quia postea bene potest recordari, & ita *Bart. declarat Alexand. cons. 191. in fin. lib. 7. & cons. 56. nu. 7. lib. 2. Aretin. cons. 71. sub num. 1.* Secus autem quando testis ab initio dixit se nescire, vt in hoc casu. Tunc enim cum ista scire, & nescire, habere notitiam, & non habere, non se compatiantur inuicem, testi non potest adhiberi fides maximè quia non reddit rationem, quare melius recordetur. *Aymon, qui alios allegat cons. 75. num. 33. Couar. variar. resol. lib. 2. cap. 13. Menoch. de arbit. cas. 208. num. 7.* Nec desunt Doct. qui fidem abrogarunt testi ita deponenti. *Innoc. in d. cap. præterea, nu. 2. de testibus cog. Host. num. 3. Card. num. 1. Ioan. And. nu. 9. Abb. nu. 4. Felin. nu. 10. Rot. dec. 19. de testib. in nou. Cæs. de Grass. dec. 1. de restit. in integr. nu. 10. & dec. 3. nu. 7. de except. Clar. in §. fin. nu. 14. vbi de communi. Gabr. de malef. q. 29. nu. 30. & 38.*

12 Alter autem testis, sicuti non debet dici sibi contrarius, ita non potest dici omni exceptione maior: dum adeo confidenter deponit de ista fraternitate, quam nec leuiter quidem in sua prima depositione attigerat. In qua etiam specie interrogatus de Beatrice dixerat, vt supra relatum est, nescire cuius loci esset, nec cuius filia, nec ex quibus descenderet. In secundo autem examine interrogatus: An cognouerit Ioannem de Castillos, respondit, valde bene cognouisse. Deinde absque alia interrogatione subdit nescire, vtrum dictus Ioannes fuerit vxoratus, nisi quod dici audiuit pro valde certo, illum habuisse vnam sororem patris, & matris, quæ fuit vocata Beatrix della Cadena, quæ fuit coniugata cum Baccalaureo Alphonso de Spinosa. Perseuerat nihilominus in eo, quod non habet aliquam notitiam de patre, vel matre, nec de ascendentibus Beatricis. Ideoque mirum est, quomodo istam fraternitatem, & quidem vtrinque coniunctam adeo bene & pro valde certo adiuerit. Præterea deponit de solo auditu absque requisitis, *textus in cap. licèt ex quadam. de testibus.* Nec dicatur illum deponere de publica voce, & fama. Quod enim dicit tale fuisse publicum, & notorium in Oppido de Casaruuios, non pertinet ad fraternitatem Ioannis, & Beatricis, sed ad tractatum consanguinitatis inter descendentes vtriusq; Ad fraternitatem verò pertinet quod idem deponit, illud dici audiuisse à suis omnibus prædecessoribus, & maioribus. Ex quibus verbis nihil elici potest, nisi reputatio priuata vnius familiæ. Sed cõcesso, sine veri præiudicio, quod deponat, Ioannem & Beatricem fuisse publice habitos, & tentos pro fratribus,

tribus; tamen id non vrget, cum non addat fuisse tentos ab ijs, qui illos cognoscebant, *ad text. in d.c. licet ex quadam, ibique gloss. in vers. suis, latè Hippol. Rimin. cons. 363. nu. 139. Corn. cons. 78. nu. 5. & 7. lib. 3. Surdus cons. 151. num. 76. & seq. li. 2. Aym. de antiq. temp. par. 1. §. vlt. nu. 6.* Fuit dictum in causa Toletana Portionis 27. Ianuarij 1595. coram Illustriss. Mantica.

13 Postremo est vnicus testis, qui nihil probat, nec probatio compleri potest per illum testem in Sancto Officio examinatum, cuius dictum supra relatum fuit. Nam illa non loquitur de ista fraternitate, vltra quod est etiam vnicus in illo dicto, quodam emanauit obiter, & non reddita illius aliqua ratione. Demum quia fuit examinatus in alia causa, ad alium effectum, & inter alias personas. Non suffragatur etiam fama, quatenus per alios testes probata existat, quod descendentes Ioannis & Beatricis se tractauerint, vti consanguineis, talis enim probatio esset nimis vaga, cum illa consanguinitas potuerit aliunde, quam ab illa fraternitate oriri. Præterea in causa graui, & ardua, vnus testis etiam de visu & certa scientia, non coniungitur cum alijs deponentibus de publica voce, & fama ad perficiendam probationem, *Bal. in c. veniens. il 1. col. 1. de testibus, ibique Decius num. 29. Gabriel de probationib. nu. 10. Alexan. cons. 149. num. 4. lib. 1. Specul. tit. de not. restit. §. 3. vers. si agenti. Cappel. Tholosana, decis. 172.* Fuit dictum in causa Ciuitaten. habitus, 6. Iunij 1607. coram R. P. D. meo Ludouisio; & multo minus potest coniungi iste testis de auditu, *gloss. in c. tam literis. de testibus. Hippol. de Marsil. in l. de minore. §. plurium quoque, nume. 87. de quæst. vbi allegat. Ioannem de Imola. in c. licet ex quadam, de testib.* nec dubitari potest, quin ista causa sit grauissima, cum agatur non solum de repellendo D. Ludouicum à Canonicatu insignis Ecclesiæ Toletan. sed etiam de incurrendo ipsi, & omnibus eius consanguineis, notam & maculam acerbissimam impuritatis, *ad text. in l. isti quidem, §. quod si dederit, ff. quod met. caus. l. iusta causa. ff. de manumiss. vindic. l. propter litem. de excus. tutor. Oldrandus consil. 97. Couarr. var. resolut. lib. 1. c. 11. numer. 4. & in c. peccatum. par. 1. num. 6. de regul. iur. in 6.*

14 Eodem loco habenda est fama impuritatis, qua asseritur onoratum esse nomen, & familiam de Castillos. Et si enim concludentissime probaretur, tamen esset omnino inefficax quo ad probationem prædictę fraternitatis, ratio est, quia dato iuxta intentionem Capituli, quod Ioannes, & Beatrix fuerint frater, & soror, quodque communem habuerint matrem Menciam, ex cuius persona transiuerit impuritatis nota in familiam de Castillos, sequeretur, quod eadem mala reputatio transire debuisset in familiam de Spinosa, quæ per lineam maternam descendit à prædicta Beatrice, filia Menciæ, & sorore Ioannis, & nihilominus in informatione capta per Dominum Commissarium, nullus testis deponit, quod familia de Spinosa sit infecta, imo plures deponunt de illius nobilitate, & puritate.

15 Est etiam aduertendum, quod si qua impuritatis suspicione laborat dicta familia de Castillos, ea potuit oriri ex prædicta Sambeniti appositione, cuius inscriptio, licet postea deleta fuerit, tamen non est inconueniens, quod in vulgus, vel etiam inter eos, qui mutationem inscriptionis ignorarunt, macula, & sinistra existimatio permanserit, vel potuit dicta fama impuritatis oriri ex carceratione Menciæ de Portalegre: quæ sola, etiam sine condemnatione, fuit sufficiens materia enutriendæ huic suspicioni. Itaque ex tali reputatione non potest recte inferri, quod illi de Castillos orti sint ex Mencia condemnata, minusque quod origo D. Ludouici ad illam referenda sit.

16 Secundo fuit principaliter responsum, quod etiã si probaretur fraternitas inter Ioannem de Castillos, & Beatricem *della Cadena*, nihilominus quamdiu mater eorum ignoratur, confessio Ioannis, quod ipse fuerit filius Menciæ de Portalegre, præiudicat soli Ioanni, non autem Beatrici absenti, vel descendentibus Beatricis, *l. si duobus, §. 1. vbi Ias. de iureiu. idem Ias. consil. 106. num. 2. & seq. lib. 1. Afflic. decis. 245. num. 11. Natt. consil. 438. num. 9. Tiraqu. de retract. conuont. §. 4. gloss. 6. numero 9.*

17 Tertio fuit responsum, quod confessio Ioannis debet acceptari prout iacet, nec potest diuidi. *Bart. in l. Aurelius. §. idem quæsijt, ff. de libe. legat. Cyn. in l. 1. quæst. 3. de confess. Alciat. cons. 88. lib. 1. Barbat. consil. 3. num. 34. vol. 2. & alij per Surd. consil. 258. num. 4.* Ioannes autem non dixit simpliciter, se filium Menciæ de Portalegre, sed addidit, quod dicta Mencia fuit quidem carcerata in Sancto Officio, sed non condemnata, & quidem non est verisimile, quod si mater Ioannis fuisset à Sancto Officio condemnata, ipse Ioannes extitisset adeo perfricatæ frontis, vt coram ipsis Sancti Officij Iudicibus ausus esset comparere, & asseuerare, matrem suam non fuisse condemnatam. Et minus est verisimile, quod Iudices illius Sacri Tribunalis, qui summa cum eruditione, religione, & diligentia omnia inquirere, & considerare solent, deuenerint ad huiusmodi actum, mutandi inscriptionem vnius Sambeniti, idque ad querimoniam, & petitionem Ioannis, nisi iustificata in primis querimonia, & petitione.

18 Hinc sequitur quarta responsio, videlicet, non probari, quod Mencia de Portalegre vxor Didaci Lopez de Ocana, & mater Ioannis de Castillos, fuerit in Sancto Officio condemnata. Id enim non probatur ex confessione Ioannis, cum is dixerit illam fuisse carceratam, non autem condemnatam, non etiam ex inscriptione Sambeniti, quia ex dicta inscriptione fuit deletum nomen Menciæ de Portalegre, instante Ioanne de Castillos, vt dictum est, vltra quod dicta inscriptio loquebatur de vxore Didaci Lopez Falcon, non autem de vxore Didaci Lopez de Ocana. Non denique ex sententia Sancti Officij de anno 1502. quia illa sententia lata est contra Menciam Rodriguez, non contra Menciam de Portalegre. Vt habeatur autem personæ identitas, præsertim in causa tanti præiudicij, non sufficit nomen proprium Mentiæ, quod commune esse potest pluribus. Sed requiruntur præterea aliæ demonstrationes cognominis, & similes. *Bart. in l. demonstratio ista, num. 14. de condi. & demon. Paris. in c. auditis, num. 26. & seq. de præsc. Afflict. decis. 245. num. 6. Specul. de testium edit. §. breuiter.* at in hoc casu nedum desunt demonstrationes, sed adest etiam expressum cognomen Rodriguez, quod est omnino discrepans à cognomine de Portalegre.

19 Alia mascula in origine Domini Ludouici, & quidem duplex, prætenditur ex persona vxoris Didaci Lopez Falcon, cuius mortuæ ossa fuerunt combusta, vigore sententiæ latæ in Sancto Officio de anno 1487. Prior macula contexitur ex quo, dictorum Didaci, eiusque vxoris, dicitur fuisse filius Garsias Lopez *del Rincon*, qui fuit pater Didaci Lopez *del Rincon*, qui Didacus iunior, fuit maritus Menciæ de Portalegre condemnatæ, vt prætendi iam dictum est de anno 1502. Vnde infertur, quod ille Didacus maritus Menciæ, fuit etiam Pater Beatricis *della Cadena* proauæ Domini Ludouici, & consequenter quod dicta Beatrix habuerit descendentiam à prædicta vxore combusta. Omissis alijs, huic assertioni satisfacit responsio iam data, quod non probatur Beatricem *della Cadena* fuisse filiam illius Menciæ de Portalegre, nec etiam probatur eam fuisse filiam istius Didaci Lopez *del Rincon*.

20 Posterior mascula deducitur, ex quo Agnes Lopez *del Rincon*, auia materna Domini Ludouici, fuit proneptis dictæ Garsiæ Lopez *del Rincon*, qui dicitur fuisse filius prædicti Didaci Lopez Falcon, cuius vxoris

ris ossa fuerunt combusta. Ad hoc probandum, datur illemet testis iam allegatus in informatione capta per Sanctum Officium de anno 1552. qui deponit se cognouisse Didacum Lopez de Ocana, & Alphonsum Lopez de Ocana, & Gundisaluum Lopez de Ocana, omnes tres fratres, & quod dicebat se esse filios Garsiæ Lopez de Ocana, & nepotes Didaci Lopez Falcon. Fuit responsum, quod iste est testis de auditu, & vnicus, & patitur alias exceptiones iam enumeratas. Vltra quod dum dicit illos fratres fuisse nepotes Didaci Lopez Falcon, potest intelligi de nepotibus ex fratre, & intelligendo proprie de nepotibus ex filio, adhuc non concludit per necesse pro intentione Capituli, quia non exprimit, quod sint nepotes ex illa vxore condemnata, & potuit Didacus Lopez Falcon ex alio matrimonio filios procreasse. Nec ex rationibus supra consideratis coniungi possunt cum isto teste, si qui forsan alij testes habentur, qui de ista descendentia per publicam vocem, & famam deponant.

21 Secundo fuit responsum, depositionem illius vnici testis omnino infringi ex dictis duorum testium, qui habentur in informatione per Capitulum capta. Etenim 63. testis in processu folio 603. dicit habere notitiam Alphonsi Lopez del Rincon, & Agnetis Nunez de Medina eius vxoris, quæ fuerat prius coniugata cum quodam N. de Frias, quodque illa ex secundo matrimonio, cum dicto Alphonso habuit filios, Alphonsum, Didacum, & Garsiam Lopez *del Rincon*, qui Garsias fuit ille qui ex Oppido de Ocana se contulit, vt resideret ad Oppidum de Casarubios, quodque hæc audiuerit à parentibus, & patruis suis, qui decesserunt valde senes. 60. autem testis processu folio 579. dicit, quod habet magnam notitiam de auditu à prædecessoribus, & maioribus suis de Garsia Lopez *del Rincon*, qui iuit residere ad Oppidum de Casarubios, ibique vxorem duxit, & fuit oriundus ex Oppido de Ocana, quodque dictus Garsias erat filius cuiusdam Alphonsi Lopez *del Rincon*, & N. de Medina, quæ prius fuerat maritata cum quodam N. de Frias, & audiuit, quod dicta N. de Medina erat de Cantabria, nescit cuius filius esset dictus Alphonsus, nisi quod erat naturalis de Ocana, & quod dictus Garsias habuit fratres Didacum Lopez *del Rincon*, & Alphonsum Lopez *del Rincon*.

22 Stantibus istis depositionibus claris, & distinctis, quod Garsias fuerit filius Alphonsi, & Agnetis, & stante etiam diuersitate cognominum Falcon, & *del Rincon*, non potest constare ex illo vnico teste, quod idem Garsias fuerit filius Didaci Lopez Falcon, eiusque vxoris combustæ. Præsertim cum dictis depositionibus aliquod adminiculum præbeat testis 66. folio 623. qui dicit habere notitiam Agnetis Nunez de Medina, quæ fuit primum vxor Ferdinandi de Frias, & in secundo matrimonio fuit coniugata cum quodam N. Lopez *del Rincon*. Nec vim faciet, si forsan dicetur, prædictos Gundisaluum, Didacum, & Alphonsum, potuisse esse nepotes Didaci Lopez Falcon, eiusque vxoris combustæ per lineam maternam, id est, ex aliqua filia dictorum Didaci, eiusque vxoris: quia id nullibi probatur. Quinimo octauus testis examinatus per Dominum Commissarium in processu folio 166. deponit audiuisse à Garsia *del Castillo* patruo suo, quod dictus Garsias Lopez *del Rincon* contraxerat matrimonium cum quadam filia Mareschalchi de Noues.

23 Rursus opponitur alia macula, ex testibus deponentibus de mala fama cognominis Lopez *del Rincon*: quia in antiquis admittitur hæc probatio, cum veritas aliter haberi vix possit, *argum. l. si arbiter. ff. de probat. gloss. in c. 1. de præsumpt. in 6. Hostien. in c. quod per nouale. de verbor. signific. Bald. in l. 3. C. de probat. Franc. Aret. cons. 37. num. 1. & seq.*

24 Fuit responsum, quod cum fama sit tam ficti, prauique tenax, quam nuncia veri, id genus probationis, non passim & indifferenter admittitur; sed ita demum si fama est perpetua, & constans, & illæsa apud omnes, si apparet illam ex aliqua probabili causa potuisse oriri; & si non est contrarijs allegationibus debilitata, & conquassata. *c. 2. & ibi glossa in versiculo populi. de electio. l. Decurionum. C. de pœnis. Barto. in l. de minore. §. plurimum. num. 31. ff. de quæst. Rolandus cons. 30. num. 48. lib. 1. Alex. consi. 173. num. 11. lib. 6. Corn. cons. 130. num. 6. lib. 4. Paris. consil. 11. num. 120. lib. 2.* fuit dictum in causa Oueten. Canonicatus 21. Iunij 1607. coram R.P.D. Caualerio, & sæpe in alijs causis.

25 Hæc autem requisita nullo modo concurrunt in hoc casu: Nam in primis non datur aliqua persona in specie, ex qua istud malum nomen oriri potuerit: Item nedum non datur aliqua probabilis causa, sed nec vlla omnino datur, propter quam ita generaliter vniuersum illud cognomen Lopez *del Rincon*, ista mala fama premidebeat. Imo apparet de falsa causa huius sinistræ reputationis, nempè dum putabatur istos Lopez *del Rincon* descendere à Didaco Lopez Falcon, eiusque vxore, cuius ossa combusta fuerunt, atque in informatione per Dominum Commissarium capta. Tertius testis folio 114. deponit audiuisse dici, quod hoc malum nomen erat illatum istis Lopez *del Rincon*, eo quod emissent quædam bona Didaci Lopez Falcon. Deinde ista fama adeo generica, non sufficit ad inficiendam particularem descendentiam Domini Ludouici, non solum propter deducta in causa Oxomen. statuti 27. Iunij 1601. coram R. P. D. meo Decano, sed etiam, quia cum Garsias Lopez Rincon, à quo iuxta intentionem Capituli, descendit Dominus Ludouicus, venisset ad Oppidum de Casarubios, & reliquisset in Oppido de Ocana patria sua, duos fratres suos, Alphonsum, & Didacum, ex Didaco fuit genitus Rodericus, & ex Roderico Baccalaureus Didacus Lopez Ciruelo, qui per sententiam Sancti Officij fuit combustus in dicto loco de Ocana, vbi etiam hodie in Parochiali Ecclesia dicitur extare illius habitum Sambenitum. Ideoque admodum probabile est, quod malum nomen illius familiæ, inde originem habuerit, quæ non debet nocere Domino Ludouico, quia dicto Didaco non descendit.

26 Item, mala fama istius nominis non est constans apud omnes: nam in informatione per Capitulum Toletanum, capta super admissione Domini Augustini de Aldana ad portionem in Ecclesia Toletana, habentur depositiones plurimorum testium, qui dicunt, illos qui habent cognomen, Lopez *del Rincon*, fuisse communiter habitos tentos, & reputatos pro descendentibus à Christianis antiquis, & illi testes licet non habeantur in processu Domini Ludouici, quia non contingit illos examinari per Dominum Commissarium, tamen sunt in alia causa producti in Rota, eo quod etiam Dominus Augustinus à denegata sibi possessione appellauit. Qui Dominus Augustinus cum descendat etiam ex illis Lopez *del Rincon*, eadem linea, eodemque ramo, quo Dominus Ludouicus, potest Dominus Ludouicus vti dictis testibus ad hunc effectum, vt prædicta mala fama non possit dici perpetua, & constans, maxime quia in informatione Domini Ludouici, reperiuntur examinati super isto malo nomine, Lopez *del Rincon*, aliqui ex illis testibus, qui de dicta fama mala deposuerant in informatione Domini Augustini.

27 Et cum præter testes tunc examinatos, legantur in ipsa informatione Domini Ludouici aliqui testes, qui dicunt, illum per vtramque lineam paternam, & maternam descendere à Christianis antiquis, vt infra dicetur, sicque includant etiam impuritatem nominis, Lopez *del Rincon*, sequitur quod in isto duplici concursu bonæ famæ cum mala, magis standum est bonæ, *c. cum in tua. vbi Abbas. num. 3. de sponsal. Baldus in l. final. versic. ex hoc deciditur. ff. de fer. & in l. Diuus, versic.*

versic. 4. est argumentum. ff. de milit. testam. Felin. in c. contingat. num. 2. vers. item intellige dictum Bart. de rescript. Corneus consil. 176. num. 10. vol. 4. Puteus decis. 2. lib. 3. Cuman. consil. 136. num. 4. Spedal. tit. de inquis. §. nunc tractemus, versic. quod si testes. Alexan. consil. 143. num. 7. lib. 2.

28 Demum illa mala fama nominis Lupez *del Rincon*, remanet prostrata expluribus, quæ in contrarium concurrunt: nam asseritur, quendam Licentiatum Ioannem de Rojas, qui erat ex prædicto nomine fuisse Consultorum Sancti Officij Inquisitionis, & hoc deponunt secundus testis folio 87. & tertius folio 114. contra quos testes vix est, quod Capitulum possit aliquid opponere, cum ab ipso, siue à Domino illius Commissario inducti, & examinati fuerint. *l. si quis testib. & ibi Doctores. C. de testibus. Abbas in c. præsentium. num. 6. & 7. de testibus. Aym. consilio 188. num. 5. Socinus iunior cons. 69. num. 12. lib. 1. Roman. consi. 104. num. 6. Surd. decis. 284. num. 14.* Fuit dictum in causa Tolet. Portionis 2. Maij 1594. coram Illustrissimo Mantica, & ex quadam informatione extracta per Dominum Commissarium, quæ habetur folio 971. resultat, quod de anno 15[illegible]6. cum Rodericus filius Francisci Lopez *del Rincon* patris Agnetis auiæ Domini Ludouici, vellet promoueri ad Sacros ordines, fuit directa quædam commissio Commissario Sancti Officij Inquisitionis, qui examinauit tres testes inductos à dicto Roderico, & postea ex Officio plures alios, qui omnes iuxta interrogatorium puritatis deposuerunt, Rodericum, eiusque parentes, & auos fuisse puros Christianos antiquos. Item in alia informatione præsentata eidem Domino Commissario, quæ habetur folio 987. continentur plurimi testes, qui concludenter deponunt super puritate sanguinis Gundisalui filij Garziæ Lopez *del Rincon*, quem Garziam Capitulum habet pro proauo Agnetis auiæ Domini Ludouici, & eum habent pro homine honorato, & principali, & pro Christiano antiquo, non descendente ex Iudæis, nec Mauris, & si aliud esset, quod ipsi illud scirent, vel dici audiuissent. Additur fuisse litigatum in Cancellaria Granaten. super nobilitate, & puritate descendentium Alphonsi Lopez *del Rincon*, ibique fuisse examinatos aliquot testes, quorum depositiones datæ in Summario Domini Ludouici. *num.* 22. continent, quod illi descendentes Alphonsi veniebant à pura generatione de Hijos dalgo, & secundum probationes illas nobilitatis, & puritatis dicitur fuisse iudicatum, & concessas literas executoriales.

29 Vnde prædicta colligendo, dicendum est, quod vel mala fama nominis Lopez *del Rincon* cœpit ab illo Didaco Lopez Ciruelo combusto, vel ab illo teste vnico examinato in Sancto Officio de anno 1552. vel quod dicta fama, est vana vox populi non attendenda. *c. parentela. il secondo 3. quæst. 6. Bald. in l. 2. de excusat. tut. Specul. tit. de notab. crim. §. fama. versic. sed quid. Bart. in l. 1. §. idem habeo. ff. de aqu. plu. arcen. cum consil. 78. num. 3. late Rimin. d. consil. 363. num. 144. & Io. Gast. de nobil. glos. 18. §. 1. nu. 13.*

30 Superest alia asserta macula in origine D. Ludouici ex persona Marinæ Manuel, quæ fuit mater supradictæ Agnetis Lopez *del Rincon*, & proauia Domini Ludouici, & ista macula deducitur ex testibus deponentibus, quod ista familia de los Manueles in Oppido de Illescas, communiter reputatur de confessis, & impuris. Sed id facile tollitur, ex quo constat etiam ex informatione per Capitulum capta folio 747. quodam illius Marinæ frater fuit Alphonsus Manuel, qui vxorem habuit Mariam de Sancto Petro, quæ de anno 1492. fuit per Sanctum Officium reconciliata, & condemnata ad carcerem perpetuum. Vnde cum ex persona dictæ Mariæ de Sancto Petro, fama impuritatis potuerit peruenire in nomen, & familiam de los Manueles, non debet talis reputatio nocere ascendentibus, nec transuersalibus Alphonsi, nec descendentibus ab ipsis, sicque nec Domino Ludouico, qui est quidem pronepos dictæ Marinæ Manuel, sed non descendit ab Alphonso, neque à Maria de Sancto Petro illius vxore reconciliata. Atque ex his Rota censuit non probari maculam, quæ obstet Domino Ludouico.

31 Deueniendo autem ad secundam principalem inspectionem, circa quam Informantes pro Capitulo fecerunt maximam, & potissimam vim, Domini non existimauerunt recedendum esse à Decisionibus sæpissime in hac materia factis, quæ semper liberarunt ab onere probationis Prouisos pro sua admissione instantes. Ita enim fuisse resolutum constat, nedum in similibus statutis aliarum Ecclesiarum Hispaniæ, vt in causa Oueten. Canonicatus 24. Ianuarij 1578. coram Illustrissimo Seraphino in Legionensi denegatæ possessionis 8. Martij 1593. coram Illustriss. Blanchetto in Oxomen statuti 27. Iunij 1601. coram R. P. D. meo Decano in Legionen Canonicatus tertia Iunij 1602. coram meo Coccino, sed etiam in statuto Toletano in causis Toletan. Portionis 7. Maij 1568. coram Illustrissimo Seraphino, & 2. Maij 1594. atque 27. Ianuarij 1595. coram Illustrissimo Cardin. Mantica.

32 Et id quidem maxima cum ratione. Primum ob difficultatem probationis, quæ fuit considerata coram Illustrissimo Seraphino indicta Toletan. Portionis. Nam & probatio semper est onus, & in hoc casu præcipue, in quo licet puritas possit probari per publicam vocem, & famam: tamen cum ista fama debeat percutere totam ascendentiam non facile occurrunt testes, qui de illa affirmatiuè deponere possint in priuatis familijs, de quibus satis est, quod nil mali, seu impuri probetur. Secundo, quia cura, modusque capiendæ informationis spectat ad solum Capitulum, à quo deputatur Commissarius, qui absente, & ignorante Prouiso recipit probationes, quas, & quam diu sibi videtur, nec Prouiso licet inducere aliquos testes, quodam esset admodum durum si illi incumbere onus aliquid probandi. Est enim difficile, quod Commissarius quam tumuis fide, & diligentia præstans, possit cognoscere testes informatos, quemadmodum eos cognosceret ipsa Prouisus. Atque ex supradictis apparet, quod illi Lopez *del Rincon*, circa quorum impuritatem potissimum permitur bene, & nobilitatem, & puritatem suam probauerunt, quod illis licuit inducere testes, aliasque diligentias adhibere. Tertio, propter concurrentem præsumptionem idoneitatis, & puritatis. Quarto, quia cum id oneris statutum expresse non imponit Prouiso, neque nos illum grauare debemus ea probatione, cum statutum istud contra ius sit interpretandum strictissime. *c. statutum, il secondo. de hæred. lib. 2. Put. decis. 400. & 526. lib. 2.* fuit dictum in prædicta Toletan. Portionis 27. Ianuarij 1593. coram Illustrissimo Mantica.

33 Enimuero nullum in statuto legitur verbum de probatione facienda, sed solummodo disponitur, quod capiantur informationes impensis illius, qui petit admitti: & additur fauore Capituli, quod illæ informationes capiantur per ipsum Capitulum, ne videlicet per alios forsan caperentur minus exactæ, sicque daretur ingressus alicui impuro. Itaque dum Statuentes neminem probatione onerarunt, videntur hanc habuisse mentem, vt qualitas admittendi, discuti, & expendi debeat ex illis informationibus, ita vt si constet de puritate, Prouisus sit sine dubio admittendus, si contra de impuritate constet, sit repellendus omnino, quod si neque de puritate, neque de impuritate constet, tunc remanet res in dispositione iuris communis. *arg. l. commodissime. de liber. & posthum. & simil.*

34 Neque per hanc interpretationem lædantur illa verba statuti, donec de qualitate admittendorum ex dicta informatione constiterit, non admittantur. Si qui-

quidem cum statutum recipiat passiuam interpretationem à iure communi. *Ægidius dec.729. nu.19.* Constat ex Iuris regulis ad hunc effectum sufficienter de qualitate admittendi, quando ex informatione non constat, quod sit impurus, vt mox dicetur.

35 Et quidem, cum tam ex statuto, quam ex illius Apostolica confirmatione appareat, id potissimum fuisse consideratum, tam à statuentibus, quam à Summo Pontifice confirmante, vt ab Ecclesia multis nominibus insigni, arcerentur illi omnes, quorum origo aliqua impuritate esset maculata, hunc profecto effectum consequitur Capitulum, quoties ex informatione capta, vel constat de puritate admittendi, vel non constat de masculis: quia paria sunt quid non esse, & non apparere. *cap. solennitates. de consecrat. d. 1. l. in lege fundi. ff. de contrahen. emptio. Abbas consil.18. in princip. lib. 2. Decius consil.1. num. 132. lib.1. An h. consil.190. n.1.* præsertim, quando detegendis maculis solicita, & exacta, adhibita diligentia est, quia non præsumitur verum, quod tentatum est probari, & non fuit probatum. *l. duo sunt Titii. ff. de testam. tutela. Castrens. cons.136. nu.7. libr.1.*

36 Non obstat, quod statutum videatur ponere qualitatem puritatis affirmatiuæ: Ibi non admittantur nisi Clerici, qui ab antiquis Christianis originem ducunt per regulam, quod quando præcedit oratio negatiua, dictio nisi ponit id, quod negatum est. *Odoffr. in l. si cum §. qui iniuriarum, ff. si quis caut. Bart. consil. 46. libr. 2. Decius cons. 132. num. 1.* Vnde infertur, quod onus probandi istam qualitatem affirmatiuam puritatis incumbit illi, qui vt admittatur ad Canonicatum fundat se in statuto. *leg. actor. Cod. de probat. & simil.* Nam vt amoueatur hæc obiectio, quæ summarie comprehendit quicquid pro parte Capituli dictum fuit, est aduertendum statutum principaliter disponere negatiue non admittantur. Et exceptio non est simpliciter affirmatiua, nisi qui descendant ab antiquis Christianis sed cum additione negatiua, nulla Hebræorum, Saracenorum, aut Hæreticorum macula infectis, quæ additio est illa, quæ qualificat dispositionem, & quę aperit, & explicat mentem statuentium, qui intellexerunt descendere ex in antiquis Christianis illos, quorum origo nulla ex prædictis maculis infecta est. Alias enim statutum esset de indubitabili in illa exceptione affirmatiua, quandoquidem non poterat cadere dubium, quin Clerici descendentes ex antiquis Christianis essent admittendi ad beneficia Ecclesiæ Toletanæ. Sed dubium erat duntaxat, an infecti maculis prædictis admitti deberent. Itaque de hac qualitate negatiua intelligendum est stat utum, quia dispositio semper accipienda est de casu dubitabili. *leg.1. in fine. ff. de municip. glos. in l. quod Labeo. ff. de Carbonian. edict. Bald. in l. voluntas, num.3. Cod. de fideicommiss.* & in illis, quæ dubitationem non habent, non est opus, lege *leg. scire opportet. §. sufficit. de excusat. tutor. Surdus consilio 227. numer.17.*

37 Secundo est aduertendum ad tollendam, omnem æquiuocationem, quod sicuti datis maculis, statim sequitur impuritas, ita ex doctrina contrariorum, non datis maculis sequitur puritas, & sicuti manifestum est, illum habere ortum à Christianis antiquis, cuius descendentia non est infecta maculis: Ita etiam in iure verum est, quod qui non est impurus, est purus, quia duæ negatiuæ affirmant, *l. 1. C. de seru. fugit. Bart. in l. femina, ff. de Senat. Clementina 1. & ibi Cardinalis, de officio delegat. Abbas in cap. & si Christus, num.9. de iureiur.* Ratio est, quia cum sit de natura negationis, vt destruat quicquid inuenit, perimitur prima negatiua per secundam, vt bene *Signor. consil.34. vers. aut absurdus intellectus.*

38 Tertio est aduertendum, quod statutum non imponit Prouisio petenti admitti onus alicuius probationis, licet enim exigat, quod non sit impurus, tamen non consistit ibi dispositio, sed vlterius progrediendo vult, quod capiatur informatio per Capitulum expēsis Prouisi, & dum additur in statuto, quod donec ex tali informatione constet de qualitate admittendi, nō admittatur. In quibus verbis prætenditur esse datam formam, ita vt ex dicta informatione constare debeat de qualitate admittendi. Est considerandum, quod quicquid sit de dicta forma: vnum est, quod illa non datur adimplenda Prouiso, quæ illi imponitur onus faciendi constare de suis qualitatibus, ideoque nec illum manet aliqua necessitas probandi, sed sufficit, quod paruerit statuto eo ipso, quod se obtulit, atque supposuit informationi capiendæ, quæ post quam capta est, si Capitulum prætendit, quod ex illa non constet de qualitatibus requisitis, & si denegat tradere possessionem beneficij, sub prætextu, quod prouisus vti non qualificatus excluditur à statuto; Certum est incumbere Capitulo onus iustificandi sua denegationem, & docendi, ex quo capite Prouisus sit exclusus per statutum, *l. ab ea parte. ff. de probat. leg. nec codicillos. Cod. de codicillis.* Præsertim, quia ista denegatio habet assertionem implicitam, quod prouisus est impurus, vel non est purus, quæ cum sapiat obiectum est concludenter probanda, *cap. super his, de accusat, c. accedens, de elect. c. 1. & c. vt circa lib.6. iuncta Clemen. constitutionem eodem tit. Rota dec. penultima, & vltima, de except. in nou. Besignett. dec. 2.* & ita fuit dictum in prędictis Legionen. & Toletan. coram Illustrissimis Blanchetto, & Mantica.

39 Non obstat motiuum recens excitatum per Informantes, quod Capitulum satis probat non esse satisfactum statuto. & non constare de qualitatibus Prouisi, eo ipso, quod non est ex informatione probata Prouisi puritas. Nam respondetur ex supradictis, quidam qualitas, de qua constare debet, non explicite, & absolute, quod quis descendat ab antiquis Christianis, sed sufficit id implicite & negatiue constare. Quia nulla Hebreorum, Saracenorum, vel Hæreticorum macula infectus. Ideoque retorquetur obiectio, quod quinimo requisitum statuti, videlicet, non infectio, siue non impuritas est probata eo ipso, quod ex informatione per Capitulum capta, non constat de maculis. Idque propter iuris præsumptionem, quæ in dubio stat pro exclusione macularum, & pro non infectione, vt fuit dictum in prædictis Legionen. & Toletana, ita vt regulariter transferat onus probandi in eum, qui dicere velit contrarium *Specul. tit. de probat. §. probari. nu.7. 8. & 11. Oldrad. cons.261. in fine. Menoch. lib. 6. præsumpt. 13. nu.6. Dec. cons.546. nu.11.*

40 Neque ea iuris præsumptio in dubiū reuocari potest. Quia non solum quilibet presumitur bonus, & purus *cap. vlt. de præsumpt. capit. qualiter, & quando de accusat. leg. merito. ff. pro socio. l. omnimodo. Cod. de inoffic. testament. gloss. notat. in leg. si vero. §. qui pro rei. ff. qui satisdat. cogan.* Verum etiam, quia in hoc casu concurrit præsumptio adeo violenta, vt habeatur pro certitudine, quam diu non docetur contrarium, quod parentes, & maiores Prouisi, qui conuersati sunt in Regnis, & Prouincijs Christianorum, fuerunt Christiani, & baptizati. capite veniens, *in fin. de præsbyt. non baptiz. vbi Abbas ante num. 1. Cardinalis. num. 2. & 6. Anchar. in num. 6. Butr. num. 5.* & quod vbi agitur de mortuo in terris Christianorum, præsumitur eum fuisse baptizatum, dicit *gloss. not. in capit. præsbyteris. dist.68. & in c. si eos 148. de consecr. dict. 4.* Non obstat dictum Ioannis Andreæ *in cap. 1. §. sacri. de homicid. in sexto.* dum in terminis illius textus dicit, occisum non præsumi Christianum, nisi concludenter probetur. Nam vltra, quod Clarus in §. Assasinium. dixit hanc esse subtilitatem non recipiendam. Respondetur præterea, illud dictum fundari in regula, quod vbi agitur de imponenda pœna alicuius Constitutionis, oportet verificari omnes qualitates in constitutione expressas, alias

pœna

pœna non committitur. *Clarus in §. finali. quæst. 85. verſ. vbi agitur. Caſtrenſ. conſ. 236. lib. 2. num. 4. optime Afflict. ſuper Conſtit. Regni, lib. 1. rubric. 27. num. 68.* Ideoque non applicatur iſtis terminis, quia non eſt eadem ratio fauoris, & odij.

41 Nec facit, quod etiam Chriſtiani baptizati potuerint eſſe hæretici iudaizantes, aut quid aliud æque deteſtandum, vel quod potuerint habere originem à Iudæis, aut Saracenis: quorum olim colluuies, cum in aliquibus Hiſpaniæ locis conſederit, excluditur illa generalis præſumptio de puritate commorantium in terris Chriſtianorum. Nam reſpondetur, quod iſtę obiectiones non bene procedunt, quandoquidem vel ſupponunt in defunctis crimina grauiſſima ſine cauſa, & ſine probatione, quod ſuppoſitum ius improbat, ita vt etiam in conflictu boni, & mali faueat innocentiæ, & excluſioni delicti. *l. ſciant. C. de probat. c. abſit 11. quæſt. 3. c. eſtote. de regul. iur. Aymon conſil. 60. nume. 7. Rolan. conſil. 96. num. 8. lib. 2. & conſil. 11. num. 38. lib. 3.* vel contra, *l. neque natales. C. de probat. & ſimil.* aſſerunt, fuiſſe id, quod potuit non eſſe, quia deſcendentia, tam potuit habere ortum à bonis Chriſtianis, qui in Hiſpania ſemper permanſerunt, quam à Saracenis, vel Hebræis, & ſemper verum eſt, quod in dubio præſumitur in meliorem partem pro puritate, & pro bona origine.

42 Sed quod tollit difficultatem eſt, quod propter iſtud dubium puræ, & impuræ originis ſtatutum vult, quod capiatur informatio. Quando igitur capta fuit informatio à quibus, & quam diu Capitulum voluit, & ex illa informatione non conſtat de impuritate, tunc præſumptio iuris, quæ militat pro non impuritate, reducitur in certitudinem, nedum quia, quod non reperitur, dicitur non eſſe, vt iam deductum eſt, & not. *Bald. per illum tex. in l. cum ita. §. ſpecies, de legat. 2.* Sed etiam quia cum ſtatutum velit, quod ex informatione conſtet de qualitate Prouiſi, ſequitur concluſio, quod negatiua coarctata ad aliquam informationem probatur eo ipſo, quod ex illa informatione non conſtat de affirmatiua; ſicuti dicitur illam negatiuam, quod quis non fuerit citatus, probari, ex quo citatio non reperitur in proceſſu, & negatiuam fideicommiſſi probari, ex quo fideicommiſſum non legitur in teſtamento. *not. in l. fin. vbi Baldus in 4. oppoſ. C. de reb. cred. idem Baldus in l. cum teſtamento. in principio. C. de manumiſſ. teſtam. Bart. conſil. 80. Alexand. conſilio 59. num. 7. lib. 4. Ripa in l. 4. §. condemnatum. nume. 12. ibique Iaſ. num. 15. Dec. conſil. 217. num. 6. & conſil. 483. num. 4.* ita in propoſito conſtat de qualitate negatiua deſcendentiæ ab impuris, & maculatis, eo ipſo, quod ex informatione non conſtat de affirmatiua talis deſcendentiæ, præſertim quia Dominus Commiſſarius, quando deſijt informari, declarauit coram Notario, quod attento examine teſtium, & alijs diligentijs per ipſum factis, ſibi videbatur adimpleuiſſe contentum in ſua Commiſſione. Et iſta conſideratio ſatisfacit obiectioni, quæ fit, quod vbi requiritur aliquid pro forma, non ſufficit probatio per præſumptiones. Quatenus enim dicta obiectio hoc caſu procederet, ſatis tamen concludenter remanet probata non impuritas ex prædictis.

43 Non obſtat, quod dicitur ſtatutum ſecundum iſtum intellectum nihil operaturum, & quemlibet proiectum, & filium terræ, cuius parentes ignorantur fore deinceps admittendum in Eccleſia Toletana. Nam reſpondetur, quod ſatis operatur, dum Prouiſus non admittitur, niſi facta informatione, & dum licet Capitulo extrahere iura, & examinare teſtes ſibi beneuiſos, ſine interrogatorijs, ſine citatione, ſine ſcientia Prouiſi, & vſque in infinitum perquirere familiarum maculas, ſi quæ adſint, quas longa forſan annorum ſeries contexerat. Et quod plus eſt, dum idem Prouiſus expellitur, ſi ex informatione legitime conſtet de maculis. Præterea non ſolet Rota diſputare dubia in abſtracto, & in caſu de quo agitur, præſumptio eo facilius procedit, cum conſtet de aſcendentibus Domini Ludouici paternis, & maternis per plures gradus, qui omnes Chriſtiani fuerunt, & nobiles, ita vt cum magna ratione bene etiam de eorum maioribus præſumi poſſit. In tantum quod etiam ſi Domino Ludouico incumberet neceſſitas probationis affirmatiuæ, & explicitæ, quod deſcendat à Chriſtianis antiquis, talis probatio poſſet dici data in hoc caſu, cum ex informatione conſtet de eius aſcendentibus Chriſtianis vltra centum annos. In qualibet autem materia etiam ardua, & ſtricta, antiquum intelligatur, quod excedit centum annos. *Puteus deciſione 112. lib. 1. Veral. deciſ. 28. parte 1. de communi teſtatur. Iaſ. in l. admonendi. nume. 203. de iureiurando. Alexander in l. cum aliquis. C. de iure deliber. Nat. conſilio 383. nume. 5. Decian. conſil. 7. num. 3. lib. 3. Aym. de antiq. temp. parte 1. in principio. num. 2. aliſque paſſim. Et antiquum dicitur, quod tranſiuit per plures generationes. Bald. conſilio 310. nume. 4. & 370. num. 4. lib. 3.*

44 Quod ſi dicatur, Chriſtianos antiquos non intelligi in ſtatuto, prout intelligerentur de iure communi, ſed intelligi ad differentiam eorũ, qui deſcendunt à Saracenis, vel Hebræis, aut Hæreticis. Reſpondetur, quod etiam eo modo ſatisfacit ſtatuto Dominus Ludouicus, quia vt dictum eſt, dat probationem negatiue concludentem, quod eius deſcendentia non eſt infecta huiuſmodi impuritatibus. Sed ſi Capitulum vult ita intelligere ſuum ſtatutum, vbi loquitur de Chriſtianis antiquis, neceſſe eſt etiam, quod agnoſcat vim diſpoſitionis conſiſtere, non in qualitate affirmatiua deſcendentiæ ab antiquis Chriſtianis, ſed in negatiua deſcendentiæ ab infectis.

45 Prædictis addebant Domini inhærentes deciſioni ſupra allegatæ in cauſa Oueten. Canonicatus coram Illuſtriſſimo Seraphino, quod in caſu ſimilium ſtatutorum, is qui petit admitti ad Canonicatum, aut aliud beneficium, non ſe qualificat deſcenden. ex antiquis Chriſtianis, neque petit admitti vti talis, neque vigore ſtatuti, ſed vigore gratiæ, & prouiſionis ſibi factæ, quã tamen Capitulum excludere poteſt, ſi ex informatione capienda conſtiterit de impuritate: & propterea non intrat *l. actor.* neque applicantur, quæ dicuntur de allegante nobilitatem, vel de ſtatuto requirente probationem nobilitatis. Quia ſtatutũ non exigit à Prouiſo aliquam probationem, ſed ſollũmodo dat Capitulo curã explorandi, & inquirendi, an ille Prouiſus ſit impurus.

46 Atque ita ſenſiſſe ipſos Dominos Canonicos Toletan. colligitur, ex quo in memoriali, ſeu Summario, quod in principio huius deciſionis allegatum fuit, notarunt maculas nulla facta mentione, quod non eſſet probata puritas affirmatiue. Id autem nullo modo fuiſſet omiſſum, ſi in partibus habuiſſent iſtum defectum, pro idonea, & ſufficienti ratione denegandæ admiſſionis: Neque dicendum eſt, id fuiſſe omiſſum, quia notorie apparebat puritatem non eſſe probatam; nam de hoc infra videbitur. Interim iſta reſponſio excluditur, ex quo vt plurimum, exceptio quo magis notoria, eo potius, & citius notatur, & allegatur. Deinde cum dictum memoriale factum fuiſſet de ordine Capituli ad effectum, vt Domini Capitulares antequam ad ſententiam ferendam deueniretur, haberet compẽdioſam cognitionem eorum omnium, quę ex informatione reſultabant, eſt penitus inueriſimile, quod talis omiſſio contigerit alia ex cauſa, niſi quia obſeruatur in huiuſmodi caſibus, vt conſiderentur maculæ, & impuritates, non autem quod animaduertatur ad defectum probationis puritatis, & quod in inferenda ſẽtentia contra D. Ludouicum habita fuit conſideratio illius memorialis, conſtat ex votis multorum Capitularium, qui cenſuerunt dictum memoriale coniungendum eſſe cum proceſſu, ſicuti & factum fuit.

47 Non obstat, quod prouisio Domini Ludouici habeat clausulam. Postquam statuto satisfeceris. Fuit enim statuto satisfactum ex parte D. Ludouici, quando is numerauit nummos pro faciendis expensis informationis, & quando suos parentes, & ascendentes paternos,& maternos indicauit; & multo magis quando ex informatione per Capitulum capta nulla detegitur macula, quæ natales eius inficiat. Atque ex his fuit dictum onus probandæ puritatis, non incumbere D. Ludouico.

48 His stantibus tertia inspectio potest dici superflua: Attamen, quia Informantes pro Capitulo illam attigerunt. Placuit Dominis etiam huic articulo satisfacere. Dixerunt igitur ex abundanti, quatenus necessaria foret probatio affirmatiua, & explicita puritatis originis Domini Ludouici, illam sufficienter resultare ex informatione per Dominum Commissarium capta. Etenim vltra testes optime deponentes de tota linea paterna, & de materna, quo ad familiam de Spinosa, & etiam vltra quosdam testes,qui aliquid dicunt de puritate familiæ Lopez *del Rincon*, sufficiunt 23. testes folio 289. & 30. folio 357. qui deponunt, de publica voce,& fama, D. Ludouicum descendere,tam ex latere patris, quam ex latere matris, a Christianis antiquis ex puro sanguine, absque stirpe, vel macula Iudæorum, Maurorum, Hæreticorum, & pro talibus fuisse habitos, tentos, & reputatos communiter, absque eo quod testes prædicti audiuerint aliquid in contrarium.

49 Non est autem dubium, quod ad probandam puritatem sanguinis sufficiat publica vox, & fama. *Bartol.in l.1.num.101. C.de dignit. lib.11. Guido Pap.decis.196.Socin. cons.246. num.3. lib.2. Veral. decisione 6. par. 3. Chassan. cons. 54. num. 17. & sequenti. Tiraq. de nobil. c. 10. num. 8.* & fuit decisum in pluribus ex præallegatis causis, & nuper de anno proxime præterito in causa Giennen. Portionis coram R. P. D. Caualerio. Nec etiam dubium est, quin publica vox, & fama probetur per duos testes. *gloss. in l. 3. §.* eiusdem quoque de testibus. & *in l. final. C.famil.erciscund. in l.si quis ex argentarijs.§.1. ff.de edendo. Bart.in l.admonendi, colum.12.de probat. Abbas in c.inquisitionis,§.fi. de accusat.& alij per Hippol.de Marsil. in d.§. plurimum quoque. num.93.*

50 Non obstant aliqui testes, qui de contraria publica voce, & fama deponunt; videlicet, quod Dominus Ludouicus, eiusque mater descendant à Confessis. Enimuero omisso, quod Dominus Ludouicus, quando habuit notitiam de testibus examinatis, proposuit contra plerosque ex illis multas exceptiones admodum releuantes, si veritate nitantur. Sufficit,quod iam supra firmatum fuit in concursu istarum reputationum,standum esse bonæ. Deinde est aduertendum, quod ex quinque testibus datis in Summario Capituli, ad probandam illam malam famam, quatuor illam desumunt ex cognomine Lopez *del Rincon*, & solus vndecimus testis, qui est quædam mulier, facit mentionem de los Lopez *del Rincon*, & de los Castillos. Vnde cum ex supradictis debilitata, & prostrata remaneant, quæ aduersus illud nomen de los Lopez *del Rincon* prætenduntur, tanto magis amplectenda est bona fama,quę etiam habet concursum violentę præsumptionis iuris, vt dictum est. Nec spernenda est illa consideratio, quod cum illi de Ouiedo,& de Spinosa essent nobiles, & honorati, vt deponunt testes,non est facile credendum,quod vxores accipere voluerint, ex familijs, quæ ducerent originem à Confessis, ad not. per *Tiranquel. de legib. connub. l.5. num.17.& l.7. per tot. præcipue num.13. in fin.*

51 Non obstat, quod dictus 30. testis, qui deponit de fama puritatis, interrogatus postea in qua opinione habeat cognomen Lopez *del Rincon*, respondit, se nescire, neque audiuisse dici, an sint boni, vel mali. Nam hic testis tria deponit. Primum super puritate Domini Ludouici, eiusque parentum, & auorum vtriusque lineæ. Secundum, quia interrogatus de proauo materno, & alijs nonnullis, dicit, quod nescit, nec audiuit,quod essent Mauri, vel Iudæi, aut Confessi, vel Pœnitentiati: Sed Christiani antiqi. Tertium interrogatus de cognominibus Lopez *del Rincon*, & Castillos, dixit, se nescire, An essent boni, vel mali quo ad puritatem: Ideoque se adhærere meliori parti, habendo eos pro bonis. Sed istud vltimum dictum intelligi potest de gradibus vltra parentes, & auos Domini Ludouici, ideoque testis non debet dici contrarius.

52 Et ista interpretatio capienda est, nedum ex ordine responsionum dicti testis, sed etiam vt excludatur omnis varietas. *c. cum tu. de testib. c.cum expediat. de electio. in 6. Bartolus consil.92. num.7. late Aym. consil.7. num. 5.* & dixit *Baldus in l. de quibus. circa finem. ff. de legib.* quod dictum testis non est calumniandum, sed iuuandum.

53 Vltra quod etiam intelligendo vltimam istius testis responsionem, de omnibus, qui habuerunt illud cognomen Lopez *del Rincon*, teneri posset, eius depositionem subsistere, quia potuit scire quo ad vniuersalem famam publicam puritatis parentum, & auorum Domini Ludouici, licet nihil sciuerit bonum, neque malum quo ad veritatem meriti particularis vnius cognominis, quod inter illos auos reperitur, ideoque bene adhæsit meliori opinioni: & sic penes eum integra remansit bona fama vniuersalis. *Specul.in præalleg. titul. de not. crimin. §.fama. in fine. Bartolus in dicto §.si plurium. in penultima colum. versic. quero* quid si testis interrogatus. *Alaxand. consil. 185. num. 5. volumine 7.facit Castrens. consil.151. versic.7. posset. lib.1. Ioan. de Anan. consil. 76. in princip. vbi Apostill. Dec. consil.100. num.4. versic.8. dicitur.*

54 Sed in omnem euentum, quo ad illud nomen Lopez *del Rincon*, sunt multi testes in informatione Domini Augustini Aldanæ, qui deponunt de publica voce, & fama, qui cum in ista etiam Domini Ludouici informatione examinari potuissent, debent in eius fauorem, & in Capituli præiudicium haberi pro examinatis, vt ex decisione *Peregr. 49. lib.1. cum similibus.* fuit resolutum in causa Boyan. præcedentiæ 3. Iulij 1595. coram bo.mem. Gipsio. Et per consequens, puritas D. Ludouici est abunde probata, quatenus talis probatio requireretur. Itaque ex omnibus prædictis conclusum fuit, Statutum Ecclesiæ Toletan. non obstare Domino Ludouico.

R. P. D. IVSTO,

Illerden. Visitationis. Veneris 12. Decembris 1608.

ARGVMENTVM.

Episcopus Illerden. vbi vult facere visitationem generalem sine solenni inquisitione non tenetur adhibere Coniudices, secus si vult procedere in forma iudicij vigore concordiæ cum Capitulo initæ.

SVMMARIVM.

Episcopus Illerden. vbi vult facere visitationem generalem sine solenni inquisitione non tenetur adhibere Coniudices, secus si vult procedere in forma iudicij vigore concordiæ cum Capitulo initæ. num. 1.

Assistentiæ verbum varijs modis accipitur secundum subiectam materiam. num. 2.

Visitatio generalis spectat ad Episcopum ex propria iurisdictione. num. 2.

DECI-

DECISIO CLXVIII.

1 ITerum Domini persiterunt in decisis sub die 13. Nouembris 1602. & sub die 26. Iunij 1606. videlicet, quod, vbi Episcopus vult facere visitationem generalem sine solenni inquisitione, non tenetur adhibere Coniudices. Secus si vult procedere in forma iudicij. Et in hoc dixerunt verba concordiæ esse clara, requirentia solum assistentiam Canonicorum, & eorum præsentiam, non autem consensum, vel consilium. Quæ quidem assistentia non remanet sine effectu; quia visitatio ea mediante fieri videtur magis decenter; Et Episcopus potest ab essistentibus recipere informationem, vt in decisionibus, vbi fuit responsum his, quæ in contrarium adducebantur.

2 Non obstant testes examinati vigore Remissoriæ; quia, licet dicant vidisse Episcopum associari à duobus Canonicis, non tamen dicunt, quod illi duo Canonici præstarent consensum, vel adhiberetur per Episcopum eorum consilium in visitatione; quod erat necessarium concludere pro intentione Capituli. Et sic intelligendum est verbum assistentia, quod varijs modis accipitur, secundum subiectam materiam. *Felin. in c. non potest. num. 7. de sent. & re iud.* Si quidem visitatio generalis spectat ad Episcopum ex propria iurisdictione, *c. 1. §. hanc autem. de cens. in 6.* & eius officium concernit, *vt in Concilio Tridentino. c. 3. sess. 24. de reformat.* Quapropter non videtur subiecta materia pati à Canonicis deberi præstari consensum, quorum in visitatione conscientia non requiritur ad integrandam personam Episcopi, vt per Felin. allegatum.

REV.[mo] P. D. COCCINO DECANO.

Vrbeuetana Fideicommissi. Lunæ 15. Decemb. 1608.

ARGVMENTVM.

Obseruantia contraria fideicommisso qualis esse debeat, vt ex ea fideicommisso derogatum censeatur.

SVMMARIVM.

Obseruantia declarat testamentum, & fideicommissum in eo contentum. num. 1.
Hæres non potest venire contra factum testatoris, nisi hæreditatem repudiasset. num. 1.
Hæreditaria bona, quando diuiduntur inter fratres vni ex fratribus non reclamanti possunt assignari bona subiecta fideicommisso, alteri vero libera. num. 2.
Enunciatiua vnica etiam in antiquis non probat. num. 2.
Transactio vt valeat sufficit, quod adsit timor litis. num. 3.
Clausula saluis iuribus competentibus reseruat ius eorum, quibus iura reseruata sunt. num. 4.
Obseruantia contra fideicommissum non inducitur ex aliqua donatione, quæ effectum non habuit. num. 5.
Confessiones facta in testamento pro exoneratione conscientiæ multum faciunt. num. 6.
Obseruantia nulla suffragatur, vbi adest mala fides. num. 6.
Spolio agere non potest, qui culpa sua à possessione cecidit. num. 7.

DECISIO CLXIX.

1 POst resolutiones factas, quod constabat de fideicommisso ad fauorem descendentium Petrucij, quia pars asserebat obseruantiam esse in contrarium, & ex ea prætendebat declarari testamentum iuxta not. per *Aym. consil. 101. numer. 3. Menoch. consil. 349. num. 15. lib. 4. Decian. resp. 124. num. 15. lib. 3.* ideo super dicta obseruantia volui particulariter videre, & per Dominos fuit resolutum dictam obseruantiam non adesse, nam dum primo deducebatur, ex quo Vgolinus nepos Petri testatoris ex Petrucio filio de anno 1365. disposuerit de fructibus salicis legando cuidam Religioso raserios 50. tritici tamen non inde potest inferri ad aliquam obseruantiam destructiuam fideicommissi cum Vgolino ex persona patris competeret ius detrahendi, & propterea cum ista obseruantia de necessitate non concludat contra fideicommissum non releuat, iuxta *not. in cap. in præsentia. de probat.* & tanto magis, quia cum instituerit hæredem Franciscum vnicum fratrem, dictus Franciscus non poterat venire contra factum testatoris, nisi hereditatem repudiasset. *l. cum à matre. C. de rei vend.* & hoc legatum, nec etiam sufficeret ad ostendendum obseruantiam, nisi doceretur de illius effectuatione. *Gemin. consil. 14. num. 5. vers. quo ad secundum. Alex. cons. 32. in princ. lib. 6.*

2 Nec etiam dum secundo deducitur, quod inter filios dicti Francisci fuit facta diuisio bonorum, & in portione alterius ex fratribus obuenerunt bona subiecta fideicommisso, in portione vero alterius bona libera, vt constat ex infeudatione dictorum bonorum, quæ datur, potest induci aliqua obseruantia, quia certi iuris est, quod in diuisione alteri ex fratribus non reclamanti possunt assignari bona subiecta fideicommiso, alteri vero libera, vt not. *Modern. de fideicom. art. 52. num. 62. & 63.* prout nec etiam inducitur obseruantia, ex quo Rodulphus vnus ex filijs dicti Francisci instituit hæredem Vgolinum iuniorem fratrem, quia vltra quod hoc non probatur, cum allegetur vnica tantum enunciatiua, quæ licet antiqua, cum sit vnica, non probat, *l. non nudis. l. non epistolis. C. de probat.* tamen & si hoc probaretur, nec releuaret, quia non apparet, quod disposuerit de bonis subiectis fideicommisso, & hoc deberet probari, & non sufficeret, nisi etiam ostenderetur dispositionem habuisse effectum, iuxta not. per *Gemin. & Alex. locis superius allegatis.*

3 Et pari modo etiam non suffragatur, quod Imperia neptis dicti Francisci ex Carolo filio de anno 1527. per viam transactionis cesserit iura sua, quæ habebat super Castro Corbariæ vigore successionis, & promissionis dotis, quia non inde oritur aliqua obseruantia contra fideicommissum, quia cum fuerit actum per viam transactionis sufficit ad eius validitatem, quod adesset timor litis. *Rom. consil. 244. nume. 2. Angel. Aret. consil. 38. num. 16.* & operatur, quod promissum illius vigore fit debitum etiam, quod vere non sit. *l. 2. C. de cond. indeb. Aym. consil. 717. num. 26.* sed propterea non potest inferri per necesse, quod bona non fuerunt habita tanquam subiecta fideicommisso, & similiter etiam parum refert, quod de anno 1460. Io. Franciscus, & filij dicti Vgolini iunioris diuiserint bona sua, & postmodum voluerint ea esse cōmunia inter se, & successores suos, quia hæc verba sunt intelligenda secundum subiectam materiam, vt comprehendant hæredes sanguinis, non quoscunque hæredes, ita vt censeatur derogatum fideicommisso. *Gabriel. de verb. signific. conclus. 2. num. 7. Rolan. consi. 96. num. 8. lib. 1.*

4 Itidem etiam non potest induci obseruantia, ex quo defunctis Ioan. Francisco, & Nicolao filijs dicti Vgolini iunioris superstite ex Io. Francisco Mamphilia de anno 1484. Camera cepit possessionem omnium bonorum, quæ postmodum de anno 1488. fuerunt restituta Mamphiliæ, quæ possedit vsque ad annum 1514. de quo tempore ea donauit Nicolao, & Cæsareo filijs, & defuncto Cæsareo de anno 1528. confirmauit eandem donationem ad fauorem dicti Nicolai, &

lai, & Bandini Nepotis ex Cæsareo prædefuncto, quia si attenditur restitutio facta per Cameram non nocet; quia non ostenditur tunc fuisse ventilatum fideicommissum, & restitutio fuit facta cum clausula, saluis Iuribus alijs competentibus contra Mamphiliam, quæ clausula præseruat Ius Comitum vocatorum, quibus Papa noluit præiudicare. *Oldrad. cons. 137. in fi. versic. 3. quia Ang. Aret. consil. 101. num. 23. & sequentibus. vers. ex quo sequitur, & num. 28. vers. quod maxime patet*, & propterea verba illa in fine restitutionis, quod Mamphilia molestari non possit quouis prætextu, & alia verba similia concilientur cum dicta clausula saluo iure, &c. Ita vt per ea non censeatur præiudicatum illis, quibus ius fuit reseruatum, vt per *Osasc. decis. 164. num. 6. & 7. & sequentib. vbi num. 9. testatur de communi*.

5 Et quantum attinet ad prædictas donationes, neque etiam faciunt, quia necesse esset ostendere, quod habuerint effectum habita notitia fideicommissi, & eo casu stante dubietate nõ reclamantibus, & non alijs fuisset præiudicatum. *Socin. sen. consi. 12. num. 20. lib. 3. Paris. consil. 11. num. 39. libro 3. Decian. respons. 87. num. 22. lib. 2. Menoc. cons. 337. in fin. lib. 4.*

6 Et cessat omnis difficultas, quia de anno 1539. eadem Mamphilia donauit eademmet bona Hieronymo, & fratribus filijs Dulcij Senioris descendentibus per rectam lineam à Raynutio fratre dicti Vgolini Iunioris, & in eadem donatione asseruit eam facere pro exoneratione suæ conscientiæ, quia bona erant subiecta fideicommisso ad fauorem masculorum de familia, vigore dispositionum maiorum, & præsertim Comitis Petri antiqui, & asseruit fecisse donationem filijs per vim, & metum. Et quamuis de anno 1543. eadem Mamphilia in publico instrumento dixerit, velle valere donationem factam filijs ad fauorem Portiæ, & Lucretiæ filiarum Bandini Nepotis, & ipsam fuisse seductam ad donandum dictis Hieronymo, & fratribus, tamen de anno 1581. cum esset ætatis 85. annorum condidit testamentum, & in eo repetijt dicta in donatione facta Hieronymo, & fratribus, & pro exoneratione suæ conscientiæ reuocauit donationem factam filijs, quia varijs vijs, & modis sciebat, ac ex relatione maiorum, quod bona spectabant ad Comites masculos de familia, & non ad feminas, & præsertim vigore testamenti Comitis Petri Senioris, quæ confessiones pro exoneratione conscientiæ factæ in dicta declaratione, & in testamento, contra proprias proneptes, multum faciunt, iuxta not. per *Socin. sen. in d. consil. 12. num. 20. lib. 3.* quia non agitur de validitate, vel inualiditate donationum, sed agitur ad ostendendam malam fidem Mamphiliæ, qua stante non potest induci aliqua obseruantia, quæ suffragetur, iuxta not. per *Bald. in consil. 118. num. 4. & per tot. lib. 5. & bene Io. de Imol. consil. 73. num. 4. & 7.* maxime quia constat de reclamatione Comitum, cum de anno 1543. dicti Hieronymus, & fratres, non modo commiserint causam super donatione sibi facta à Mamphilia, sed etiam super fideicommisso, quam causam non modo prosecuti fuerunt dicti Hieronymus, & fratres, & eorum descendentes contra dictas Portiam, & Lucretiam, sed etiam contra Iuliam Cæsarinam Matrem, & hæredem ab intestato dictarum Portiæ, & Lucretiæ, & eam etiam hodie prosequuntur contra D. Liuiam Capranicam Donatariam Dominæ Iuliæ.

7 Vltimo loco non suffragatur sententia obtenta per Dominas Portiam, & Lucretiam contra Mamphiliam, quia fuit sententia absolutoria ab obseruatione iudicij, & merito, quia Mamphilia egerat spolio, quo iudicio agere non poterat, ex quo facto suo mediante donatione ceciderat à possessione. *Socin. in l. rem, quæ nobis. num. 8. ff. de acq. possess.*

REVERENDISS. P. D.

DAMASCENO.

Romana Casalis. Lunæ 12. Ianuarij 1609.

ARGVMENTVM.

Ex Summarijs sumas Argumentum.

SVMMARIVM.

Euictionis promissio intelligitur non solum de sorte principali, sed etiam de damnis, & interesse. num. 1.

Pretium, seu valor rei non ex vendentium singularibus affectibus declaratur, sed ex communi æstimatione. num. 2.

Venditio facta ad corpus, & sub vnico pretio, dicitur vnica, & indiuidua. num. 2.

Præscriptione 30. vel 40. annorum omnis actio præscribitur. num. 3. in fine. & sequenti.

DECISIO CLXX.

1 IN hac Romana Casalis fuit dictum, non esse impletum pro parte Comitis. Primo respectu fideiussionis de euictione. Nam etsi Comes inuestiuerit pretium sibi solutum in locis Montium non vacabilium ea conditione, quod stent pro euictione Casalis, & paratus sit eodem modo inuestire residuum, non propterea videtur satisfecisse suæ promissioni, quia ex dicto inuestimento Dominus Marchesius redditur tantum tutus respectu sortis, non autem respectu damnorum, & interesse, quæ, & ipsa veniunt sub promissione de euictione. *l. euicta re. l. venditor. l. si in venditione. ff. de euictionib.* Vnde cessat esse verum, quod fuerit impletum per æquipollens, iuxta decisionem in causa Auximana Bonorum, 2. Iunij 1591. coram Illustriss. D. Cardinali Mellino.

2 Secundo fuit dictum, non esse impletum respectu traditionis bonorum, quia non fuit consignatum Cannetum, & quatenus replicatur Comitem esse paratum diminuere de pretio, quanti dictum Cannetum fuit venditum ab euincentibus. Respondetur primo, dictam venditionem nõ probare verum valorem, quod ex communi existimatione, non autem ex singularibus vendentium affectibus declarandum venit, iuxta notata in *l. pretia rerum. ff. ad leg. Falcid.* Secundo vltra pretium venire damna, & interesse orien[s] ex cohærentia, quam habebat Cannetum cum Casali vendito. Tertio quatenus Dominus Marchesius recuset pretium Canneti, & mallet recuperare pecunias solutas cum damnis, & interesse, erit videndum, An possit cogi, stante quod venditio fuit facta ad corpus, & sub vnico pretio, Vnde dicitur vnica, & indiuidua. *l. si pluries. ff. de ædilit. edict.* & fuit in hac eadem causa dictum coram Illustrissimo Domino Cardinale Pamphilio.

3 Circa scripturas promissas per Comitem in instrumento venditionis, quatenus Comes sit paratus restituere pecunias, quas Dominus Marchesius docebit se erogasse in expeditione Breuis Clementis VIII. Domini in reliquis inclinabant esse satisfactum, excepto Motu proprio Pauli IV. super quo aliqui dicebant, non esse satisfactum, quia Motus proprius qui exhibetur pro parte Comitis non continet facultatem concessam quondam Iacobatio dandi in solutum bona creditoribus obnoxia, vt fuit promissum per Comitem in instrumento venditionis, sed tantum bona obnoxia fideicommisso quondam Cardinalis Iacobatij, vnde licet Motus proprius remoueat obstaculum fideicommissi, non tamen remouet obstaculum creditorum. Alijs tamen videbatur

tur hoc idem virtualiter contineri in dicto Motu proprio, dum Papa mandat bona assignari cuicumque creditori pro concurrenti quantitate sui crediti, & quod illa facta Iacobatius, & fideiussores sint liberati, & datio insolutum minime impugnari possit, sed obseruari debeat prout fuit obseruata spacio quinquaginta annorum, quo tempore omnis actio anteriorum creditorum, si qui adfuissent, præscripta esset, *tot. tit. de præscript. triginta, vel quadragita annorum*.

4 Circa aliud quod Comes vendiderit Casale Seminatum, & Dominus Marchesius coactus fuit soluere colono partem colonicam, replicatur pro parte Comitis, quod in venditione casalis Seminati minime comprehendebatut pars colonica, visum fuit Dominis, quod ista difficultas possit differri ad aliud tempus, quia super hoc non tenetur Comes aliquid agere, sed si fuit iudicatum eum teneri, poterit Dominus Marchesius in solutione pretij excomputare illud, quod legitime docebit soluisse colono.

REVERENDISSIMO P. D. ATTREBATEN.

Calaguritana, seu Nullius Iurisdictionis, Lunæ 12. Ianuarij 1609.

ARGVMENTVM.

Episcopus de iure communi habet fundatam suam iurisdictionem in tota eius Diœcesi, & condemnatus in aliquibus petitis, quando in alijs absolutus censeatur.

SVMMARIVM.

Episcopus de iure communi habet fundatam iurisdictionem in tota sua Diœcesi. num. 1.
Casus omissi remanent in dispositione iuris communis. num. 2.
Verba sententiæ interpretanda sunt contra fundantem se in illis, num. 2. in fine.
Sententia condemnatoria in parte, in alijs quando censeatur absolutoria. num. 3. & 4.
Clausula impositionis perpetui silentii, & aliæ clausulæ in sententia positæ, restringi debent ad ea, de quibus actum fuit. num. 3. & 4.

DECISIO CLXXI.

1 IN sententia arbitrali, de qua agitur, fuit pronunciatum, quod monasterium de Nagera teneatur soluere singulis annis Episcopo Calaguritano duas procurationes in recognitionem, & reuerentiam Pontificalis dignitatis sine aliqua visitatione. Secundo, quod Prior & Conuentus teneatur recipere solenniter Episcopum cum processione, & Campanarum pulsatione, quando Episcopus nouiter venit ad Episcopatum, aut si quando contigerit Episcopum venisse ex Curia Romana. Tertio, quod Priori competat iurisdictio priuatiue in Clericos, & Cappellanos Ecclesiarum Sanctæ Crucis, & Sancti Michaelis oppidi de Nagera. Quarto, & vltimo, quod tàm Episcopus, quàm Prior habeant in omnibus casibus iurisdictionem cumulatiuam, & prætensiuam tam in dictis duabus Parochijs quàm in Parochia Sancti Iacobi, & in alijs Parochijs dicti oppidi.

2 Vnde contigit dubitari, an actus, non expressi in dicta sententia pertineant ad Episcopum duntaxat, vel potiùs ad Abbatem, & in fauorem Episcopi resolutum fuit. Cum enim iam decisum fuerit 4. Iulij 1603. & 16. Iunij 1604. coram R. P. D. meo Decano, & 26. Iunij eiusdem anni, & nouissime 5. Maij 1608. coram me, monasterium esse in Diœcesi Calaguritana Episcopus habet fundatam suam intentionem de iure communi. *cap. omnes Basilicæ. 16. quæstione 7. cap. conquerente. de offic. ordin. cap. cum venerabilis. §. quia igitur. de relig. domib.* & fuit regula, quod casus omissi remaneant in dispositione iuris. *dicto cap. cum venerabilis, & l. commodissime. ff. de liber. & posthum.* cum sententia sit stricti iuris. *Achill. dicta decisione 21. num. 3. de restitut. spoliat. Afflict. decis. 215. maxime arbitralis. l. 1. C. si plures vni sent. fuer. condemnati.* & dispositio illius est exorbitans, ideoque restringenda, & in dubio facienda interpretatio contra Priorem in ea se fundantem. *c. in præsentia. de probat. cap. quæ à iure communi. de reg. iur. in 6.*

3 Non obstat, quod dicitur Episcopum fuisse actorem in hoc iudicio, & in eo deduxisse totum ius, quod ipse prætendebat, & tamen solum ipsi fuerunt adiudicata prædicta cum impositione perpetui silentij in reliquis, ideo nihil amplius ab illo peti posse. *Innocen. in cap. conquerente. numero 7. in fin. de offic. ordin & in cap. accepimus. numero 3. & 4. de priuileg. Franc. post. Ioann. Andream in cap. per exemptionem. numero 3. versic. licet secus sit. eod. tit. in 6. Bart. in l. si minoris. num. 2. ff. de admin. tut.*

4 Respondebatur enim ex tenore sententiæ apparere, quod Prior, & Conuentus potiùs erant actores, quoniam ipsi proposuerunt suam petitionem se pati nonnulla grauamina sine causa ab Episcopo, quæ erant, &c. vel certe, quod vtraque pars actrix, & vtraque rea, & sententia non est simplex absolutoria, sed canonizatoria vtrinque deductorum. Controuersia vero non erat super omnimoda iurisdictione, sed quibusdam casibus, qui sigillatim exprimuntur, & quod ad hoc non solum est considerandum, quomodo iudicium cæptum, & propositum fuerit. Verum etiam & magis quid in sententia dispositum, & conclusum. *Dec. consilio 248. numero 11.* quare clausula impositionis perpetui silentij, & aliæ clausulæ, in sententia positæ restringi debet ad ea, de quibus actum fuit. *Card. consilio 59. numero 1. Anchar. consilio 284. in fin. Alex. consilio 22. numero 29. libro 3. Surd. consilio 418. numero 11.* deinde silentium pariter impositum fuit Priori, & Conuentui, & quidem verbis magis expressis, quod sint contenti his, quæ per concordiam sunt illis adiudicatæ, & vltra ea non se extendant vllo modo.

REVERENDISS. P. D. COCCINO DECANO.

Recanaten. Hæreditatis. Veneris 16. Ianuarij 1609.

ARGVMENTVM.

Substitutio directa inducitur ex coniecturis ex verbis testamenti desumptis.

SVMMARIVM.

Substitutio vulgaris directa induci potest ex coniecturis desumptis ex verbis testamenti, secundum magis communem opinionem. num. 1. & num. 2. Vbi referuntur contrariis, & illis respondetur.

DECISIO CLXXII.

1 CVm die 28. Aprilis 1608. vtraque parte informante hæc causa proponeretur, propter multas, & graues difficultates tunc vtrinque excitatas, causa fuit restricta ad aliquot particulares inspectiones;

nes; Et prima fuit, quæ esset magis communis opinio in illo articulo inter Doctores controuerso, An substitutio vulgaris directa possit induci ex coniecturis. Et quoniam bifariam poterat disputari, vel generaliter respectu coniecturarum, quæ deducuntur tàm ex verbis testamenti, quàm aliunde; Vel intelligendo solum de coniecturis, quæ desumuntur ex verbis testamenti, stabilitum fuit primo agendum de coniecturis deductis ex verbis testamenti, hæc enim inspectio proprie respiciebat propositam facti speciem. Et articulo mature discusso Rota censuit, secundum magis communem opinionem substitutionem vulgarem directam induci ex coniecturis, quando sunt desumptæ ex verbis testamenti.

2 Nam pro hac parte facit primo *tex. in l. Titius, & Seius.* cum duabus proxime sequentibus *ff. de hæred. instit.* vbi Celsus, & Vlpianus pronunciauerunt institutioni videri inesse tacitam substitutionem, quam *gl. ibid.* interpretatur vulgarem. Inde Bal. Paul. de Castr. Cuman. Rom. & Io. de Imola collegerunt esse quandã sub stitutionem tacitam, quę colligitur ex verbis, & mente Testatoris, quãuis expresse facta nonfuerit. Et rursus *tex. in l. 3. C. de inoff. testamen.* huc referri potest, ibi per coniecturas maternæ pietatis.

Et plures Doctores idem affirmantes, in quibus sunt.

3 *Bar. cons. 69. siue 71. secundum aliam impressionem incip. pater fecit testamentum, col. 2. ad fin. versic. remaneamus ergo. lib. 2.* non obscure videtur profiteri eandem sententiam, cum dixit, Posito quod compendiosa facta per verbum commune sine distinctione temporis sit omni tempore fideicommissaria, illud debet intelligi, nisi de mente testatoris appareat aliquibus legitimis coniecturis, quod voluerit facere substitutionem directam.

Idem cons. 75. incip. in quæstione vers. sed licet de hoc, & cons. 78. incip. viso testamento. vers. sed in proposito.

2 *Bal. in l. Titius. 24. ff. de hæred. instit. qui docet adesse substitutionem tacitam, quæ idem operatur, quod expressa, si ex mente Testatoris, & ex aptitudine verborum colligatur. Idem im l. Titia Seio. §. Seia libertis circa fi. de leg. 2.* vbi dicit in hoc proposito non esse faciendam differentiam inter directam, & obliquam.

3 *Ias. in l. potest. ff. de vulgar. vbi cum numer. 8. & seq. lat. materiam examinasset, num. 10. & 11.* testatur communiter reprobari differentiam inter fideicommissariam, & directam substitutionem, quod altera coniecturis induci possit, altera vero non possit.

4 *Alex. in d. l. potest. num. 5. ver. ista ratio.* dum firmat in directa substitutione sufficere coniecturatam mentem, dummodo personæ exprimantur. *Idem consil. 91. incip. ponderatis his. num. 9. vers. & licet quidam dicant,* vbi expresse tenet ad directam substitutionem inducendam attendi coniecturas.

5 *Aret. in eadem l. potest. vers. sed ista vbi loquitur in casu,* quando coniecturæ colliguntur ex testamento.

6 *Dec. in l. penult. not. 4. C. de impub. & alijs substit.* vbi declarat. *Bart. in l. quidam testam. ff. de vulgar. & pupillari,* & præsupponit eius dictum procedere in substitutione vulgari.

7 *Socin. sen. in l. hæredes mei. §. cum ita. num. 7. in fin. vers. & adde. ff. ad Trebell.* vbi affirmat substitutionem pupillarem posse per coniecturas induci: idem in *l. qui duos. num. 4. in fi. ff. de reb. dub.* vbi dicit directam extendi de cesu ad casum ex coniecturis. Idem in indiuiduo de filijs in conditione positis, quod ex coniecturis possint censeri vocati per vulgarem substitutionem tenuit *cons. 116. incip. in causa filiorum. num. 5. vers. sed contra. hoc lib. 3.*

8 *Io. de Imola in l. Titius. 24. ff. de hæred. instit. num. 7. Bald. refert, & probat.*

9 *Hieron. Zanchus in d. l. hæredes mei. §. cum ita. par. 3. nu. 75.* & secundum aliam impressionem. *num. 498. vers.* attamen in contrarium est, vbi refert, & sequitur *Aret. & testatur de communi.*

10 *Andr. Alciat. lib. 3. de verb. signif. reg. 4. num. 25. vers.* quod vt manifestius fiat. vbi inter directam, & fideicommissariam non admittit differentiam, si mens aliquo modo ex verbis accipi possit.

11 *Aquilinus, qui loquitur in eisdem term. in l. Gallus. §. & quid si tantum. num. 35. ff. de lib. & posth.*

12 *Crau. cons. 62. incip. Nobilis Vrbanus. num. 15.*

13 *Rimin. Sen. consilio 256. incip. viso themate præd. num. 24. lib. 2.* qui loquitur in substitutione, & præsupponit testatorem implicite exposuisse nomen hæredis.

14 *Sim. de Pret. consil. 61. incip. viso testamento Lucæ. num. 48.* aperte profitetur coniecturas autendi ad inducendam directam.

15 *Socin. iun. cons. 100. incip.* præsupponitur in facto. *col. 3. lib. 1.* qui loquitur in puppillari, & quando coniecturæ desumuntur ex testamento. *Idem consil. 174. incip. visa prædicta. num. 28. lib. 2.* qui loquitur in terminis positorum in conditione. *Idem consil. 29. incip. circa propositam quæstionem. num. 3. lib. 3.* vbi similiter loquitur de filijs in conditione positis, & testatur hanc fuisse opinionem. *Socin. sen. in alleg. consilio 116.*

16 *Rimin. iun. consi. 21. incip. Illustriss. comes Franciscus. nu. 48.* vbi præsupponit positos in conditione vulgariter esse substitutos, vbi alias ab intestato, neque ex testamento Patri succedere possint.

17 *Io. Vinc. Honded. cons. 51. incip. causa, quæ pendet. num. 88. vers. tamen solet. lib. 2.*

18 *Io. de Monte Sperello. cons. 267. incip. viso testamento Antonij. num. 11.* vbi dicit in substitutionibus mentem coniecturari. *Idem in cons. 258. incip. viso testamento Ioannis. num. 5.* vbi quod in substitutionibus testator habet intentionem prouidendi casibus, qui possunt occurrere, & ideo lex adiuuat illius voluntatem vltra cogitata in specie.

19 *Iac. Menoch. de præsumpt. lib. 4. præsump. 64. nu. 4. & seq.* vbi dicit esse veram hanc opinionem, quando coniecturæ desumuntur ex ipso testamento.

20 *Petrus à Petra tract. de fideicom. q. 9. nu. 24.*

21 *Hieronym. Torniellus in d. l. hæredes mei. §. cum ita. num. 28.* huic sententiæ subscripsisse videtur dum concludit, quod concurrente aliqua verborum significatione, directa inducitur ex coniecturis.

22 *Franciscus Ripa in l. 1. num. 83. ff. de vulgar.*

23 *Andreas Facchineus lib. 4. controuersiarum Iur. c. 79. vers. ego sane non dubito.*

Demum pro hac sententia extat decisio Rotæ in causa Bononien. de Solimeis coram bo. me. Domino de Bubalis, die 25. Nouembris 1585. in qua iam nostri maiores expresse firmauerant substitutionem directam, non solum ex verbis, sed etiam ex coniecturis induci posse.

Neque obstare Doctores allegatos ab Informantibus pro DD. de Leopardis, qui vt *num. ad 70.* circiter augerent multos cumulauerant, qui solum de materia loquentes non accedebant proxime ad articulum, de quo agebatur. Vnde confusio potiùs, quam veritatis dilucidatio oriebatur; & ideo visum fuit eos in suas quasi classes, & ordines redigere, vt tandem constaret ex deductis pro D. Lydia de Leopardis magis communem extare opinionem.

Prima ergo classis fuit eorum, qui loquebantur non de substitutione, sed de institutione, quorum proptérea auctoritates non pertinebant ad propositum dubium, quales sunt,

Glos. in l. iubemus in verbo ex voce. C. de testament. vbi communiter DD. videlicet *Bart. num. 2. in fin. vers. hic in institutione.*

Bal. num. 1. in fi. vers. secus in hæredis institutione.

Salic. num. 2. vers. solue, quod ibi in legatis.

Ias. num. 10. vers. 3. & clarius.

Alexander. num. 4. vbi loquitur de testamento facto per nutum.

Corn.

Corn. num. 8. vbi agit de testamento pro parte valido, & pro parte non.
Alber. ibidem. num. 4. vers. ad §. propositum posset respon-deri, & nihilominus firmat contrarium de æquitate Canonica.
Glos. in l. cum proponebatur. in verbo quæreretur. ff. de leg. 2. quæ se remittit ad gl. in d. l. iubemus.
Dominus Franc. Card. Mantica lib. 12. de coniect. vltim. volunt. tit. 4. nu. 2.
Ferdin. Vasquius de success. creat. lib. 2. §. 15. nu. 52. & seq. & §. 17. nu. 51.
Alexand. Trentacinqu. tract. de subst. part. 4. cap. 11. num. 28. in fin.
Ioan. Crot. consil. 363. incip. circa tertiam dubitationem. numer. 11. lib. 3. vbi numer. 14. firmat contrarium in substitutione.
Ludou. Rom. in l. si cum dotem. in princ. n. 38. ff. solut. matr.
Ang. in leg. antequam. C. com. de success. loquitur de institutione, dum dicit, quod ex substitutione nepotis filius non intelligitur institutus, vbi animaduertendũ lecturam videri corruptam, dum reddendo rationem dicit, quod ex substitutione vnius non intelligitur aliquis substitutus, nam vt ratio dicto subseruiat, legi debet institutus.
2 Classis est eorum, qui non loquuntur de hoc articulo, sed de illo an ex eo solo, quod filij fuerint positi in conditione, censeantur vocati, nam ex eo solo non censeri vocatos profitentur.
Gl. in l. Lucius. 85. verbo libero. ff. de hæred. instit. & ibid. Io. Imol. nu. 2. vers. in gl. finali.
Ang. num. 4. qui etiam loquitur in alia quæstione, quid ex sola substitutione facta vltimo morienti, non inducatur reciproca substitutio inter institutos.
Corn. cõs. 118. incip. videtur primo aspect. n. 8. vers. 2. facit lib. 2.
Michael. Crass. in §. institutio. q. 17. nu. 2.
Franc. Card. Mant. lib. 5. de coniect. vlt. vol. tit. 3.
3. Classis est eorum, qui dicunt ex sola substitutione facta vltimo morienti, non induci reciprocam substitutionem inter institutos nisi etiam sit facta omnib. & in tota hæreditate, sic enim censuerunt.
Ang. in d. l. Lucius. nu. 4.
Dyn. in leg. Titia Seio. §. Seia libertis. super gl. in verbo vendatis. vers. in eadem gl. in ff. de legat. 2.
Io. Coras. in l. penult. C. de impub. & alijs substit.
Fulgos. in l. vel singulis. ff. de vulg. & pupill. prout allegatur à *Menoch. lib. 4. præsumpt. præsump. 61. nu. 3. vers. ceterum contrariam opinionem.*
4. Classis est eorum, qui nihil, vel parum pertinent ad propositam facti speciem, quales sunt.
Franc. Bursat. cons. 67. incip. cum nuper. nu. 21. lib. 1.
Rim. Sen. consil. 109. incip. quia in facto præsupponitur. nu. 12. & cons. 110. incip. in presenti difficultate, vbi loquitur de institutione facta ad interrogationem alterius.
Ioan. de Imol. cons. 43. incip. in casu præmisso. nihil dicit. nec habitur. nu. 27. vt ex aduerso allegabatur.
Thanuc. tract. de inuentario. par. 6. nu. 9. & 43.
5. Classis est eorum, qui nihil aperte firmant, quales sunt.
Ias. in l. penult. nu. 7. C. de impub. & alijs substitut.
Hieron. Zanchus in §. cum ita. nu. 146.
Ant. de Butr. cons. 6. incip. an sententia dationis in solutum. nihil dicit.
Grat. consil. 5. incip. & si hoc responsum. nu. 38. lib. 2. non negat absolute substitutionem directam deduci posse ex coniecturis, sed non ita facile.
Io. Baptista Cost. tract. de scientia, & ignorantia. cent. 1. dist. 64. in cons. ibidem inserto. nu. 25. admittit fauorem filiorum reciprocam substitutionem induci ex cõiecturis.
Bald. in l. posthumorum. ff. de iniust. rupt. testam. non facit pro Leopardis, licèt Informantes pro illis conarentur inducere per argumẽtum à contrario sensu, quod non habet locum in dictis glossarum, & Doctorum. *Ossasc. dec. 58. incip. mater suscepta tutela. nu. 30. Surd. dec. 258. incip. confessionem eius. nu. 9. vers. & si dicatur.*
6. Classis est eorum, qui perfunctorie loquuntur, quales in hac classe memorantur.
Rip. in l. Centurio. nu. 35. ff. de vulgar. & pupillari.
Caccialup. inter cons. Alex. cons. 14. incip. super quæst. proposita. nu. 18. lib. 4.
Socin. iun. in l. hæredes mei. §. cum ita. nu. 20. ff. ad Trebell.
Ex hac distinctione Doctorum patebat, paucos extare, qui loquantur pro Leopardis in terminis propositæ questionis, plures vero recenseri ab Informantibus pro D. Lydia, affirmantes substitutionem vulgarem directam induci ex coniecturis.
Ad decisiones verò Rotales pro alia opinione ponderatas, *Achillis de Grass. 2. Put. 9. Crescent. 1. titul. de testam.* & ad illam in causa Sabinen. Castrorum die 30. Martij 1575. coram bonæ memoriæ. Aldobrand. vnica responsione fuit satisfactum, quia non loquuntur de hoc articulo, sed de illo quando vulgaris est expressa in testamento, in quo etiam est expressa conditio si sine liberis decesserit. Vtrum dicta conditio referatur etiam ad substitutionem vulgarem expressam, vel solum ad fideicommissariam. Vnde cum non loquantur in terminis controuersiæ propositæ, sed præsupponant adesse substitutionem vulgarem expressam in specie, vel contentam in compendiosa, non faciunt ad hoc propositum, in quo particulariter quærebatur, quæ esset magis communis opinio.
Et ex prædictis fuit conclusum secundum magis communem opinionem, substitutionem vulgarem directam induci ex coniecturis desumptis ex verbis testamenti. Doctores vero allegatos pro Dominis de Leopardis in hoc articulo non constituere numerum cum ex prædicta Classium distinctione constet, quosdam non loqui de hac facti specie. Alios perfunctorie de illa fuisse loquutos. Multos versari in terminis simplicis institutionis, iuxta terminos *tex. in leg. iubemus, C. de testam.* Plures vero ad vagas coniecturas recurrentes, non de illis, quæ desumuntur ex verbis testamentorum, sed de alijs, quæ extra testamenta petuntur, fuisse loquutos, &c.

R. P. D. CAVALERIO.

Assisien. Hæreditatis. Veneris 30. Ianuarij 1609.

DECISIO CLXXIII.

Est impressa inter Caualerio.

DECISIO 42.

REVERENDISSIMO P. D.

DAMASCENO.

Cæsaraugustana Iurisdictionis. Mercurij 5. Februarij 1609.

ARGVMENTVM.

Regulæ de Iure quæsito non tollendo, etiam quod non sit derogatum, Gratia facta à Papa præiudicat in pluribus casibus, de quibus in hac decisione.

SVMMARIVM.

Gratia de sua natura præiudicialis, prout ex emptio est, & similia tertio præiudicant etiam, quod in ea non sit expresse derogatum Regulæ de iure quæsito non tollendo. nu. 2. & 3. Vbi de eadem materia.
Papa non dicitur præiudicare iuri Tertij, nisi vltra scientiam etiam deroget Regulæ de iure quæsito non tollendo

De-

Declara, vt numero 3.
Archiepiscopus de iure communi habet iurisdictionem criminalem procedendi contra Capitulares, etiam sine adiunctis, num. 4.
Argumentum de parte ad totum valet, imo facilius limitatur iurisdictio in parte quam tollatur in totum, num. 5.
Derogatio Regulæ de iure quæsito non tollendo, non est necessaria in gratia, quæ fit ad publicam vtilitatem cui ius Tertii particulare cedere debet. nu. 7.
Regula de iure quæsito non tollendo, non habet locum, nisi in iure pleno quæsito, & radicato. nu. 8.

DECISIO CLXXIV.

1 FElic. record. Clemens Papa VIII. per suas literas directas Nuncio Apostolico in partibus Hispaniarum iussit Ecclesiam Cæsaraugustanam, quæ erat Regularis Ordinis Sancti Augustini ad statum sæcularem reduci mandando inter cetera, quod archiepiscopus super quibuscunque criminibus, excessibus, & delictis personarum Capitularium eiusdem Ecclesiæ Cæsaraugustanæ non nisi adiunctis sibi duobus de gremio Capituli, & à Capitulo duntaxat quoties opus fuerit nominandis, & alias iuxta formam *à Concil. Trid. cap. 6. sess. 25.* traditam etiam si forsan ipse Archiepiscopus antea in dictas personas Capitulares maiorem, & omnimodam haberet iurisdictionem, procedere possit, & debeat. Hæc sunt verba formalia: Quibus quidem literis per Nuncium Apostolicum exequutioni demandatis, & dicta Ecclesia iam in statu sæculari existente, Dominus Archiepiscopus prætendit dignitatem Archiepiscopalem in multis grauatam, & præcipue circa cognitionem causarum criminalium in personas Capitulares, & obstare Regulam de iure quæsito non tollendo cui nō reperitur in literis Apostolicis expresse derogatum, & super hoc orta Controuersia inter Dominum Archiepiscopum ex vna, & Capitulum ex altera de consensu vtriusque paris dedi dubium, An obstaret Capitulo Cæsaraugustano Regula de iure quesito non tollendo. Et Domini restringendo disputationem ad Coniudices non obstare resoluerunt.

2 Primo, quia licet ardua fuerit semper quæstio in Rota, per quem modum censeatur derogatum Regulæ de iure quæsito non tollendo: attamen Domini in eo residere visi fuerunt, quod in gratijs de sui natura præiudicialibus, vt sunt exemptiones, & similia non requiratur formalis derogatio, idque ex eo quod ex quo Papa intelligit gratiam non nisi cum præiudicio Iuris Tertij posse verificari, & nihilominus illam concedit censeatur per necessarium antecedens, illi Iuri velle derogare. Rota in causa Nullius de Stepa 19. Nouembris 1586. & in Burgen. Quindenniorum 5. Decembris 1601. coram Illustriss. Seraphino, in Oscen. Indulti 10. Decembris 1599. coram Illustriss. Mellino, & in Illerden. præeminentiarum. 26. Iunij 1602. coram illustriss. Seraphino, ad idem tendit *decisio. Cassad. prima de priuileg. Caputaq. decis. 265. incipit priuilegium, libr. 1. in manuscript. Rota in causa Fanen. Pensionis coram Aldobrandino relat. inter diuers. impress. dec. 240. nu. 22. par. 1. bene Dec. cons. 113. nu. 17. vers. non obstat Corn. cons. 83. num. 16. vers. 3. respondetur lib. 4.*

3 Non obstat quod non sufficiat scientia Papæ, sed vlterius requiratur derogatio regulæ. *Cæs. de Grass. dec. 3. de rescript.* Rota in Cæsaraugustana Iurisdictionis 13. Iunij 1594. coram Illustriss. Seraphino cum alijs quæ allegantur, quia non loquuntur de scientia, quæ oritur ex natura ipsius rei, quæ geritur, sed ex scientia desumpta ex narratis, circa quæ Papa facilius potuit decipi ob inuolucrum verborum. Item gratia, quę de sui natura non est præiudicialis, non habet tantam repugnantiam cum Regula sicut ipsamet gratia præiudicialis, cum enim præiudicium in illa sit accidentale stante protestatione, de qua in Regula, potest dici quod Papa intellexerit facere gratiam si, & quatenus cesset præiudicium Tertij. Verum in gratia de sui natura præiudiciali non potest cadere ista interpretatio, quia sublato preiudicio cessat omnino gratia, & consequenter cum veniant in concursum protestatio, & factum necesse est, vt protestatio cedat facto omnino contrario ad tradita per *Bar. & alios, in leg. non solum, §. §. morte. ff. de noui ope. nunc. & per Canon. in cap. cum M. Ferrarien. de constitut. Corbul de caus. priuat. ob alienat. ampliat. 30.*

4 Quod autem gratia in hoc casu sit de sui natura preiudicialis patet, quia per necesse aufert potestatem, quam alias habebat Archiepiscopus in procedendo sine adiunctis, quæ quidem potestas illis competebat de iure communi cum esset loco Abbatis illius Capituli Regularis, vt latè fuit dictum in causa Montis Regalis Iurisdictionis 27. Iunij 1607. coram R. P. D. Coccino. Et Papa, qui habet omnia iura in scrinio pectoris, non præsumitur tale ius ignorasse *c. 1. cum ibi notat per Scriben. de constit. in 6.*

5 Non obstat, quod ista non sit totalis exemptio à iurisdictione Episcopi, in quibus terminis videntur procedere allegate decisiones, sed tantum quædam limitatio, quia valet argumentum de parte ad totum, *leg. quæ de tota. cum sua materia. ff. de rei vendic.* Imo facilius limitatur iurisdictio quo ad partem, quam tollatur in totum. *Bald. de præscript. quintæ par. principalis. par. 1. §. 8. num. 7. & in terminis Regulæ Mandos. super dicta regula, q. 12. vers. contraria.*

6 Et predicta eo magis visa fuerunt admittenda stantibus verbis importantib. derogationem iuris Archiepiscopalis, ibi etiam si forsan ipse Archiepiscopus antea in dictas personas Capitulares maiorem, & omnimodam haberet iurisdictionem, quæ verba idem sonant, ac si Papa dixisset, Non obstante maiori, & omnimoda iurisdictione, quam Archiepiscopus haberet. *Gemin. consil. 120. nu. 8. versic. litis pendentia non obstante.*

7 Secundo fuit dictum, non obstare regulam, quia Papa fecit sæcularizationem ob bonum publicum, & reformationem Ecclesiæ Cæsaraugustanæ, vt legitur in proœmio sæcularizationis, ex quo colligitur causa finalis, *l. 1. vbi DD. ff. de hæred. instituen.* In dispositione, autem, quæ fit ad publicam vtilitatem, non est necessaria derogatio regulæ, quia per d. Regulam non censetur præseruatum ius particulare in concursu publici, cui cedere debet, latè *Gabr. tit. de iur. quæsit. non tollen. concl. 2. num. 1. & in terminis Regulæ Sarnen. super d. Regula. q. 19. Rebuff. super d. regula verbo etiam si motu proprio nu. 30.* Rota in d. Nullius de Stepa, coram Illustriss. Seraphino, & in Salamantin. obseru. coram Cantuccio *relat. inter diuers. impress. dec. 759. nu. 1. par. 1.* Non obstat, quod Archiepiscopus non impugnet sæcularizationem, sed partes sibi præiudiciales, quia Papa voluit facere vnum negotium non plura, & motus fuit ex vnica causa ad facienda omnia, de quibus in suis literis, nempe ex bono publico, & reformatione Ecclesiæ Cæsaraugustanæ. Non obstat, quod per sæcularizationem non immutetur subiectio Ecclesiæ secularizatæ. *Innoc. & alij in c. 2. verbo Monialium de Cap. pel. Monach.* quia hoc procedit in dubio, sed si Papa hoc expresse facit, non applieantur illæ doctrinæ.

8 Tertio, principaliter visum fuit non obstare Regulam, quia respectu Moderni capituli contra quod modo vellet Archiepiscopus procedere sine adiunctis ipse nullam vnquam habuit iurisdictionem, & consequenter non potest dicere, quod Papa dando iurisdictionem limitatem super dicto capitulo aliquid sibi de suo iure abstulerit. Certum autem est regulam non habere locum nisi in iure pleno quæsito, & radicato, vt sonant verba Regulę, & tradit *Sarn. super illa quæst. 4. Put. decis. 264. libr. 2.* Rota in dicta Salamantina coram Cantuccio. num. 4. Quod autem Archiepiscopus nullam

nullam vnquam super hoc capitulo habuerit potestatem, apparet ex eo, quod Papa non simpliciter sæcularizauerit antiquum capitulum, sed nouum constituit ibi, nec non in dicta Ecclesia viginti quatuor Canonicatus, & totidem Præbendas pro viginti quatuor Clericis Sæcularibus futuris illius canonicis, quos omnes Capitulum Seculare ipsius Ecclesiæ faciant, & constituant auctoritate prædicta, &c. erigas, & instituas.

9 Non obstat, quod hoc nouum capitulum sit subrogatũ in locũ antiqui, quia aut deducitur ad hoc, quod subrogatio censeatur facta cum eisdem qualitatibus, & sic cum omnimoda subiectione Archiepiscopo, & obiectum tollitur ex verbis Summi Pontificis, qui voluit Archiepiscopum, non nisi cum adiunctis contra istos nouos capitulares procedere posse.

Aut deducitur ad hoc, quod subrogatio debuerit fieri cum eisdem qualitatibus, & sic cum omnimoda iurisdictione Archiepiscopi, & non propterea sequitur, quod si non fuerit facta, fuerit sublatum aliquod ius iam quæsitum Archiepiscopo, super hoc nouo capitulo. Quod si prætenderet Archiepiscopus, extinctionem antiqui capituli fuisse nullam ob non factam subrogationem istius noui capituli in locum antiqui esset alterius, & forte nullius indaginis propter multa quæ in contrarium dici possent. Interim verum est quod super hoc nouo capitulo Archiepiscopus nunquam habuit omnimodam iurisdictionem, & consequenter quod capitulo dicenti ipsum contra personas capitulares, non nisi cum adiunctis procedere posse obstante regula de iure quæsito non tollen. Et ita fuit conclusum.

REVERENDISS. P. D. LVGDVNEN.

Granaten. Professionis. 9. Februarij 1609.

ARGVMENTVM.

Professio monachi ante annum Nouitiatus nulla, & inualida est, idem non seruata forma Constitutionis Sixti V. vel si per vim, & metum paternum emiserit, aut alias ante decimum sextum annum perfectum emanauerit.

SVMMARIVM.

Professio monachi ob non seruatum annum probationis intra Claustra monasterij dicitur nulla numero 1. & 2. vbi quod in hoc anno Nouitius non debet extra monasterium vagari ibidem.

Professio monachi dicitur nulla, quando fuit facta non seruata forma Constitutionis Sixti V. videlicet capta prius diligenti informatione de parentibus, patria, vita, & moribus, eademque informatione relata, & approbata in Capitulo Generali, vel Prouinciali. num. 3. 4. & 5.

Forma à lege, seu Constitutione data ab homine mutari non potest num. 4.

Professio monachi dicitur nulla, si fuerit facta per vim, & metum etiam paternum. nu. 5.

Metus semel illatus incidit in omnes sequentes actus durante eadem causa metus, nu. 5.

Professio monachi facta ante annum decimum sextum expletum est nulla defectu ætatis. nu. 6.

Anni mentio, quando fit ab aliqua lege, vel Constitutione intelligi debet de anno perfecto, & completo, & quid si ad perficiendum annum, vnus tantum dies deficiat, numer. 7.

DECISIO CLXXV.

1 Domini dixerunt esse standum in decision. 12. Maij 1600. coram Illustrissimo D. Cardinale Pamphilio tunc Rotæ Auditore, videlicet professionem D. Didaci de Zuniga, & Aguilera, quam in Monasterio Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis captiuorum ciuitate Granatensi sub nomine fratris Sebastiani emiserat fuisse nullam ex pluribus.

2 Primo, quia Didacus non stetit continuo per annum probationis seu Nouitiatus intra claustra Monasterij, sed sæpius egressus est, & moratus in domo Patris vbi ne dum aliquoties eum pernoctasse concludenter probatur, sed etiam quod vna vice ibi permanserit per spacium vnius mensis deponit vnus testis, atque Prælati ordinis, qui hodie informant, non negant Didacum aliquando abfuisse. Sed dicunt id contigisse ex causa infirmitatis, & de licentia Superioris. Præsupposito autem, quod labente anno probationis debet Nouitius permanere continuo intra Claustra Monasterij iuxta resolutiones Illustrissimorum Interpretum Sacri Concilij Tridentini, non potuit istud tempus frangi, seu discontinuari, sub quouis prætextu, quia in illis, quæ sunt de forma seruatur rigor, vt per *Ruin. in Rubr. de nou. oper. nunc. numer.* 9. Et rigor Iure optimo in hac materia inductus est, quia cum annus probationis detur in subsidium humanæ fragilitatis, & in fauorem tam Nouitij, quam Monasterij, vt & ille experiatur Religionis asperitates, & cum illi suas vires metiatur, & Monasterium eiusdem Nouitij animum, & mores inspicere, & cognoscere possit, *capit. ad Apostolicam de regul. & cap. cum non solum eodem tit. in* 6. Manifestum est, non satisfieri dispositioni Iuris quam diu procul à regulari disciplina, & à Prælati oculis Nouitius in domo paterna blande, & beneuole habetur, & forsan illis diebus, & noctibus, quibus extra Monasterium degit occurreret in Religione aliqua asperitas, quam ferre, vel nollet, vel non posset, & propter quam decerneret non profiteri.

3 Secundo, quia non fuit reseruata constitutio. fel. record. Sixti V. super capienda diligenti informatione de parentibus, patria, vita, & moribus. Non obstat, quod dicitur illam informationem non fuisse necessariam in Didaco, qui cum Religionis habitum in patria sua susciperet bene cogniti, & noti erant eius parentes nobili genere nati, nec quo ad mores ipsius quidquam erat inquirendum, cum vix adhuc pubertatis annos attigisset. Sicuti nec obstat, quod illa informatio fuerit capta in voce per duos fratres Monasterij, quidamque ceteris conuentus fratribus fuerit visa sufficiens.

4 Nam vltra, quod ista omnia non probantur, fuit etiam responsum, quod prædicta constitutio vult informationem captam approbari in capitulo Generali, vel Prouinciali, & vlterius procedit annullando professiones aliter factas, ideoque non potuerunt fratres hanc formam immutare. *Bald. in leg. si institorem. in fin. ff. si cert. petat. Angel. in §. tripli. num. 8. Institut. de actio. Iason. in leg. non dubium in 8. notat. C. de legi. Surd. decis. 122. num. 3. Dec. consil. 466. numer. 19. latè alios cumulans Franc. Becc. consil. 12. num. 16. & seqq.* & fuit in terminis huius constitutionis dictum coram eodem Illustr. D. Pamphilio, in causa Toletana Professionis 27. Februarij 1595.

5 Atque ista informatio eo magis requirebatur in hoc casu, quia ex testibus examinatis resultat fuisse incussum Didaco metum ab ipsius Patre homine rigido, & seuero, & solito minas executioni demandare. Qui metus omisso pro nunc, an fuerit talis, vt solus sufficeret ad annullandam professionem Didaci, ad *notat. per gloss. & Bartol. in leg. 1. §. quæ onerandæ. ff. quarе. act. non de.* & latè discussa in causa Valentina susceptionis ordinum de anno 1574. coram bon. mem. Ces. de Grassis. Vnum est, quod fuit sufficiens ad excludendam illam spontaneam professionem; quam informantes contra Didacum colligunt ex quo dictæ professioni interfuerunt pater Didaci, & alij quamplures

plures ab ipso Didaco inuitati. Siquidem malum initium metus illati ante professionem influit in omnes actus, durante eadem metus causa, id est viuente patre factos, qui actus quo magis præ se tulerunt libera voluntatem, & lætum, iucuudumque animum, eo magis metum confirmarunt *Abb. in Antiq. in capit. super hoc, vers. filia cuiusdam. de renuncia. vbi etiam Io. Andr. Imol. & Abb. Alexand. cons. 99. num. 8. lib. 3. Barba. consil. 54. num. 5. Paris. cons. 53. nu. 7. lib. 4.* & fuit dictum in causa Neapolitana professionis. 26. Iunij 1598. coram Orano, & nuper latissime in causa Hispalen. matrimonij 15. Decembris 1608. coram R. P. D. meo Ludouisio.

6 Quarto, ista professio fuit nulla cum ex dispositione *Conc. Trid. cap. 15. sess. 25. de reforma.* professio non possit fieri ante annum decimum sextum expletum. Didacus tamen, qui natus erat 25. Septembris 1577. illam emisit die 19. Septembris 1593. Sicque per sex dies ante expletum annum decimum sextum habito respectu ad decem dies restituendos ob demptos totidem in reformatione Calendarij à fe. rec. Greg. XIII.

7 Etenim cum illius Summi Pontificis, qui dictam reformationem edidit, ea fuerit mens, ne ex illa decem dierum subtractione cuiquam fieret præiudicium, vt legitur in constitutione super hoc edita, & considerauit Rota in causa Prænestina Castanearum 15. Septebris 1597. coram R. P. D. meo Decano; iure merito prætendit Didacus habendam esse illorum dierum rationem in computandis ad istum effectum suę ætatis annis, quia quoties lex certi anni, vel certorum annorum mentionem facit, intelligi debet de annis perfectis per lapsum 365. dierum, vt bene notauit ex illo text. *Alciat. in l. anniculus, 134. de verb. signific.* Et hoc in tantum procedit, vt quamuis in certis casibus satis sit vltimum diem esse cœptum, nec requiratur, quod omnino exactus sit, tamen id procedit in his duntaxat, quæ fauorem respiciunt, puta in vsucapionibus, in testamentis, in libertatibus, in honoribus consequendis. *l. & ideo. de vsucap. l. de ætate. de testam. leg. ad Rempublicam. ff. de municip.* Quod si de re odiosa, vel præiudiciali agatur, puta in lege Ælia Sentia. *in lege Iulia, de Adult.* in præscriptionibus, in deneganda restitutione, computatio fit de momento ad momentum, nec sufficit cœptum esse diem vltimum, nisi exactus sit. *l. in omnibus. de actio. & oblig. leg. 3. §. minorem. ff. de minor. Alciat. vbi supra Cuiac. in dict. §. minorem. & in leg. 5. ff. qui testament. fac. possess.* Atque ex his fuit vtraque parte informante dictum, professionem Domini Didaci fuisse nullam.

R. P. D. MANZANEDO.

Maceraten. Hæreditatis. Veneris, 13. Februarij 1609.

ARGVMENTVM.

Plura de probatione filiationis, & præsertim an, & quando filiatio probetur ex verbis enunciatiuis plurium instrumentorum.

SVMMARIVM.

Filiatio probatur ex pluribus enunciatiuis in pluribus instrumentis repertis diuersis temporibus, & coram diuersis Notarijs rogatis. nu. 1.

Enunciatiuæ repertæ in pluribus instrumentis etiam non antiquis faciunt maximam, & vehementem præsumptionem. num. 1. præsertim factæ parte præsente. num. 2. Declara, vt num. 3.

Præsens alicui instrumento, & non contradicens videtur consentire omnibus enunciatiuis in dicto instrumento. numer. tertio.

Filiatio probatur ex verbis enunciatiuis in aliquo instrumento appositis præsente filio, de cuius filiatione agitur. numer. 4.

Instrumenti assertio veritati non præiudicat, eique statur, donec oppositum probetur. nu. 4.

Contractus inter præsentes celebrantur, & ad eorum essentiam personarum contrahentium requiritur expressio, & præsentia. nu. 4.

Enunciatiua verba, quando propter alind, & quando principaliter emissa dicantur. nu. 4.

Enunciatiua verba in instrumentis reperta probant concurrentibus adminiculis. nu. 5.

Nepotes in iure dicuntur filij filiorum, sed ex communi loquendi vsu etiam filij fratris dicuntur nepotes. nu. 6.

Consanguinei, & affines præsumuntur scire iura sanguinis, & veritatem. nu. 6. in fine. & seq.

Probatio æquiuoca, & non concludens non probat. nu. 8. vbi quod isto casu recurritur ad coniecturas. ibid.

Identitas personæ probatur ex identitate parentum. nu. 9. & sequentib.

Filiatio, & filiationis quasi possessio probatur ex tractatu patris. nu. 13. & 14.

Filiatio probatur per testes. nu. 15. & 16.

DECISIO CLXXVI.

1 PRoposito dubio, An sit legitimata persona D. Ascanij Vici, sub 28. Maij anni proximè præteriti per Dominum meum Iustum, & coram ipso resoluto sufficienter probari Benedictum, & Matthæum testatorem fuisse fratres, & quod de reliquis videretur, hodie prosequendo disputationem eiusdem dubij illud repropos ui, vt de ceteris gradibus de Benedicto in Cæsarem, & de Cæsare in Cecchonum, & de Cecchono in D. Ascanium discuteretur. Et Domini respectu omnium prædictorum graduum, personam Ascanij legitimatam esse dixere, & quo ad gradum de Benedicto in Cæsarem, & quod iste fuerit illius filius, illud probari videtur ex quamplurimis enunciatiuis in viginti instrumentis ab anno 1517. vsq; ad annum 1545. diuersis temporibus, & coram diuersis Notarijs rogatis, in quibus Cæsar Benedicti filius enunciatur, quæ enunciatiuæ, licèt non sint antiquæ, ita vt centum annos attingant, plures tamen ex illis ad sexaginta, & septuaginta annos ascendunt, & sic quamuis tanquam non antiquæ plenè non probent, non potest dubitari, quin ex illis maxima præsumptio oriatur, *ad trad. per Dec. in cap. 1. num. 18. in fine. de appellat. & Crauet. de antiquit. tempor. §. incipienti. Ampliatur. nu. 15. quos refert, & sequitur Decian. cons. 32. num. 90. cum seq. lib. 2. & vt tradit Paul. de Castr. in leg. cum aliquis. num. 6. C. de iur. delibera.* talis enunciatio plurium instrumentorum producit vehementem præsumptionem, & *Ias. consil. 114. nu. 22. lib. 1.* ex multis instrumentis enunciantibus quem esse filium alterius, respondet maximam præsumptionem filiationis resultare, & tantus numerus instrumentorum enunciantium Cæsarem filium Benedicti, etiam si non simus in antiquis, inducunt verisimilitudinem istius veritatis, & quod non sit credendum toties fuisse hoc enunciatum in diuersis instrumentis, & temporibus, & inter diuersas personas, nisi veritas sic se haberet, vt ponderat *Soc. cons. 187. nu. 16. vers. confirmantur prædicta. lib. 2.*

2 Quæ roborantur ex eo, quod in pluribus dictorum instrumentorum Cæsare præsente fiunt prædictæ enunciatiuæ, cuius præsentia in tot instrumentis sic enunciata inducit maximam veritatis præsumptionem in his, quæ in talibus instrumentis de personis præsentibus enunciantur, *vt not. Innoc. in capit. cum in iure. nu. 5. de offic. deleg. quem refert, & sequitur Æmilian. cons. 94. nu. 20.*

3 Et quamuis prædicti Doctores hoc intelligant, quando enunciatum est ad grauamen, non autem ad hono-

honorem personæ in instrumento præsentis, hoc optimè potest nostro casui applicari, cum Cæsar per tot vices præsens, & audiens in dictis instrumentis se filium Benedicti enunciari, & nominari, non est verisimile, quod illud tulisset, nisi ita veritas se haberet, cum nimis sit graue, & contumeliosum quem consentire passim, & in publicis instrumentis sibi alium patrem, quam legitimum adscribi, quin & quoties aliquo præsente, licèt non contrahente, verba aliqua in instrumento sunt prolata illum præsentem tangentia, præsumuntur vera ex notatis à *Ioan. Andr. in dict. cap. cum in iure. num. fin. & Anchar. in clem. 1. num. 4. & 7. in fin. de probation.* & verba Notarij semper videntur esse de assertione partium, & eis nocent secundum *Bald. in rubr. C. de priuileg. dot. ad fin & in leg. ab exequutione. n. 16. versic. tamen quia. Cod. quor. appellat. non recip. trand. Lanfranc. in repetit. cap. quoniam contra. in verb. de instrument. product. num. 478. vers. quæro vtrum per illa verba. in fin. de probation.*

4 Et faciunt tradita ab *Aretin. in cap. per tuas. versicul. circa illum articulum. de probat.* vbi circa probationem filiationis notat, quod quando quis enunciatur filius propter aliud, non probat filiationem, nisi enunciatiua emittatur ipso præsente, tunc enim dicit filiationẽ probari per *text. in leg. quidam. circa med. ff. de probat. vbi Bald. summando illum text.* dicit, quod assertio instrumenti non præiudicat veritati, sed ei statur, donec oppositum probetur, & quod magis est, prædicta verba, Cæsare præsente, & in pluribus ex dictis instrumentis contrahente, non videntur enunciatiua emissa propter aliud, sed potius assertoria, & effectiua emissa principaliter, & necessário propter se, quod probatur, nam ad essentiam instrumenti, & contractus requiritur expressio, & præsentia personarum contrahentium. *leg. optimam. & ibi Bald. num. 5. Cod. de contraben. & commit. stipulat.* & ad certificationem, & demonstrationem alicuius personæ, semper est adijciendum nomen patris in instrumentis, & sic obseruat vsus, & communis consuetudo, vt notant Scribentes *in leg. nominatim. ff. de condit. & demonstrat.* Ex quibus sequitur, quod cum dicta verba enunciantia Cæsarem præsentem Benedicti filium, sint de substantia actus, & sint principaliter emissa propter se ad demõstrandam certitudinem personæ, non debent censeri enunciatiua propter aliud emissa, sed assertoria, & effectiua, vt *not. Æmilian. vbi sup. nu. 15. & seq.*

5 Quæ magis procedunt, cum saltem non possit negari, quin verba enuncintiua probent, concurrentibus adminiculis. *Ruin. cons. 167. num. 25. lib. 1. Grat. consil. 104. num. 5. lib. 1. Rimin. iun. cons. 314. nu. 17. Achil. dec. 6. ad fin. de Iure patr. Rot. diuers. decis. 130. num. 2. part. 2.* Pro adminiculis autem, valet considerari maximus numerus instrumentorum enunciantium, Cæsarem Benedicti filium, & quod probatur per instrumenta de anno 1491. & 1493. & 1503. & 1505. & 1511. & 1516. & 1517. quod Iulia fuit vxor Benedicti, & in instrumentis duobus de anno 1516. enunciatur, Cæsarem fuisse filium Iuliæ vxoris Benedicti, & etiam constat ex instrumentis de anno 1502. & 1503. quod Cassandra fuit soror Matthæi testatoris & Benedicti, & in instrumento de anno 1517. Cæsar, tanquam principalis contrahens enunciatur non solum filius Benedicti, sed etiam nepos Cassandræ, & pro illa soluit florenos centum quibusdam creditoribus Cassandræ.

6 Et quamuis in iure nepotes dicantur filij filiorum. *l. 1. ff. de gradib. leg. liberorum. de verb. signific.* Nihilominus ex communi vsu etiam filius fratris dicitur nepos, vt trad. *Barbat. in leg. cum acutissimi. C. de fideicommiss. & Bart. in leg. si instituta. §. de inofficioso. num. 1. ff. de inoffic. testam. & ibi addit Fulgos. in cons. 68. in fin. Cremens. singular. 92. facit text. in cap. tua nos, & ibi Abb. nu. 2. de consang. & affinit. Alex. consil. 49. nu. 8. & seq. lib. 1.* Et in alio de annn 1528. Cæsar, & Dominicus enunciantur filij Benedicti, & faciunt inuentarium tanquã Tutores, & Curatores Francisci filij Hieronymi quondam Matthæi testatoris, & in alijs septem instrumentis de anno 1534. Dominicus, & Cæsar enunciantur filij Benedicti, & Patrui, & Proximiores Francisci filij dicti Hieronymi, & vti tales interuenerunt contractibus factis per Franciscum minorem, illisque suum consensum adhibuerunt. Quæ enunciatiuę ab affinibus factæ, non solum deseruiunt pro adminiculis, quin & per se probant. Nam quamuis sint prolatæ à Notario, censentur verba partium, vt supra probauimus, & sic prolatæ ab ipsis partibus affinibus, quæ præsumuntur scire iura sanguinis, & veritatem, quo casu enunciatiuæ probant, vt trad. *Ruin. cons. 141. nu. 10. lib. 5. quem refert, & sequitur Cephal. cons. 192. nu. 38. & Hippol. Riminal. d. cons. 315. nu. 16. lib. 3.*

7 Quibus non obstant in contrarium adducta, & in primis diuersitas familiarum de Vicis, cum non probetur ex instrumentis, ex quibus deduci prætenditur altero de anno 1491. in quo in diuisione facta inter Mattheum testatorem, & Dominicum de Vico, enunciatur vnum petium terrę, iuxta res hęredum Stephani Vici Caldararij: & altero de anno 1458. in quo enũciatur venditio cuiusdam petij terræ facta per Sanctẽ Vici Francisco Mathiolo de Pisauro ementi; Ex istis namque in instrumentis magis apparet Stephanum Vici Caldararij, & Sanctem Vici esse de ista familia de Vicis, cum omnes eiusdem familiæ cognomine appellentur, quam quod sint diuersæ familiæ, & nihil facit illud nomen (Caldararij) cum potuerit esse impositũ Stephano, aut illi ratione officij competere, & ex hoc non potest inferri ad diuersitatem, & multiplicitatem familiarum de Vicis.

8 Nec etiam obstat ad fuisse duos Benedictos de Vicis, vt apparet ex testamento Benedicti Vici, de Sancto Georgio, alias Frappatore, condito de an. 1514. & ex alio instrumento de anno 1513. in quo Parochiani Ecclesię S. Pauli præsentarunt ad illam quendam Virgilium, inter quos Parochianos leguntur Benedictus de Vico, & Benedictus alias Frappatore; Ex quibus prætenditur æquiuoca probatio Benedicti de quo agitur, & sic non concludens *ad text. in leg. duo sunt Tity. & ibi Doct. ff. de testam. tutel.* Quia respondetur, quod data prædicta nominis æquiuocatione, deueniendum est ad coniecturas, ad trad. per *Bart. in d. l. duo sunt Titij. in fin. & per Sarnen. in regul. de annal. quæst. 32. num. 7.* quin & ad qualitates, & demonstrationes in vno, non autem in alio concurrentes. Et vt trad. *Bart. in leg. demonstratio falsa. num. 14. & seq. ff. de condi. & demonst.* Si ostenditur nomen cum duabus demonstrationibus, seu duabus accidentijs congruit tali personæ, ipse habet fundatam intentionem, & quicquid vltra illas demonstrationes necessárias adijcitur, frustra est, & non vitiat. *l. 1. §. fin. de dot. præleg.* Sed sic est, quod in præsenti habemus plures demonstrationes destruentes, dictam prætensam æquiuocationem. In primis namque Benedictus frater Testatoris, de quo agimus, fuit filius Antonij, vt constat ex pluribus enũciatiuis contentis in instrumentis, de quibus supra, & specialiter in illis de an. 1491. & 1493. & 1503. & 1505. & in duobus de anno 1516. & in alijs duobus de anno 1517. & non constat de patre alterius Benedicti Frappatore.

9 Vlterius constat, quod Iulia fuerit vxor Benedicti fratris Matthæi, & mater Cæsaris ex enunciatiuis instrumentorum proximè supra relatorum. Demonstratio autem, & identitas personæ probatur tam ex matre, quam ex patre, vt notat *Bart. in l. 3. in prin.* quem ibi refert, & sequitur *Paul. de Castr. num. 2. ff. de libe. & posthum.* alter vero Benedictus Frappatore habuit vxorem nomine Vannam, vt in prædicto illius testamento de anno 1514. vbi illam nominauit, & reliquit Tutricem, & Curatricem filiarum ipsius testatoris. Nec potest dici istum Frappatorem duas vxores, Iuliam, & Van-

& Vannam habuisse, cum illi vtraque superuixerit, vt quo ad Vannam probatur superuiuentia ex prædicto testamento sui mariti Frappatoris, dum, vt diximus, illam tutricem reliquit; De superuiuentia autem Iuliæ constat ex duobus instrumentis de anno 1516. in quibus ipsamet contraxit, vnde necessario sequitur Iuliam, & Vannam diuersorum Benedictorum vxores fuisse.

10 Vlterius iste Benedictus Frappatore viuebat de predicto anno 1514. quo testamentum condidit, Benedictus autem Matthæi testatoris frater, & maritus Iuliæ obijt ante annum 1506. vt constat ex instrumento de mense Iulij 1505. in quo Iulia enunciatur vxor quõdam Benedicti Antonij Vici, quæ enunciatio etiam reperitur in alio instrumento de anno 1511. Tum etiam Benedictus filius Antonij, vt supra latè demonstrauimus habuit filium masculum Cæsarem: iste autem Frappatore non videtur, quod habuerit filium masculum, cum in dicto suo testamento instituerit duas filias feminas, nulla de aliquo masculo mentione facta.

11 Facit etiam, quod, vt supra diximus, Cassandra fuit soror Matthæi testatoris, & Benedicti, & in instrumenti de anno 1517. Cæsar enunciatur filius Benedicti, & nepos Cassandre, & vt supra demonstratum est, nepos ex communi vsu loquendi dicitur filius fratris. Ex quibus apparet plures demonstrationes euidentissimas, & qualitates dari, & concurrere in isto Benedicto filio Antonij, quæ non reperiuntur in altero Benedicto Frappatore, & sic constat, diuersos fuisse istos Benedictos, & prætensam ex aduerso æquiuocationem cessare.

12 Nec quicquam facit instrumentum de anno. 1572. in quo legitur Benedictus Cæsaris Vici, quia iste Benedictus non potest esse ille, de quo agitur frater Matthæi Testatoris, quem ex supradictis constat obijsse ante annum 1506. &, vt æquiuocatio detur, debet esse de eodem tempore, sed hic distat vna enunciatiua ab alia plus quam per annos 60. & iste enunciatus in dicto instrumento anni 1572. potuit esse filius Cæsaris, de quo agimus, cum accidere potuerit quod Cesar fuerit filius Benedicti, & pater alterius Benedicti, non enim est nouum, nepotes nominari auorum proprio nomine. Nec etiam aduersatur, quod aliquando nominetur Benedictus de Venetijs, aliquando verò de Pisauro, cum hoc possit contingere, habito respectu ad diuersa tempora, vel ad diuersas origines. Vnde idem Matthæus in suo testamento vocatur Matthæus F. q. Antonij de Vico Venetus origine propria, & Pisauren. origine paterna.

13 Quod autem ex prædicto Cæsare processerit Cecchonus ipsius filius probatur ex instrumento de anno 1595. in quo Cæsar constituit se debitorem in quadam pecuniarum summa pro Ceceho ipsius filio, ex quo instrumento non solum dicitur enunciatiua huius filiationis, quin & tractatus patris, qui inducit talem præsumptionem pro filiatione, vt valeat quem constituere in illius quasi possessione, & vere filius credatur nisi contrarium probetur, vt notant *Abb. Felin. & alij in c. per tuas. de prob. & Bart. in l. quod Senatusconsultum, §. item per contrarium, ff. de liber. agnoscen. Alex. consil. 88. num. 7. lib. 7. Gozad. cons. 12. num. 17. & cons. 13. num. 24. Rolan. dicens communem cons. 22. lib. 3. trad. Mandell. cons. 83. nu. 21. ex plurib. relatis. Menoch. de arbitr. iudic. lib. 2. centur. 1. cas. 89. num. 69. & de præsumpt. libr. 6. præsumpt. 53. num. 21.*

14 Vlterius eadem Cechoni filiatio probatur ex enunciatiuis instrumentorum anni 1552. & 1570. in quibus Cecchonus prædicti Cæsaris filius enunciatur.

15 Et quod Ascanius fuerit filius Cecchoni apparet ex instrumentis de anno 1566. & 1570. & 1573. coram diuersis Notarijs, in quibus filius Capitanei Cecchoni enunciatur, & in alio eiusdem anni 1570. enunciatur Ascanius nepos Cæsaris Vici de Ciuitanoua, qui erat pater dicti Cecchoni, & quo ad prædictos duos vltimos gradus Cecchoni, & Ascanij, adsunt testes de illis deponentes, ex quibus istæ filiationes valent probari ad tradita per *Decium consil. 272. num. primo, & Gozadin. dict. consil. 13. num. 34. & Alex. consil. 82. num. 6. lib. 1. & Mandel. dict. consil. 83. num. 18.* quin & ad istum effectum possunt coniungi istę testium depositiones cum supradictis instrumentis, vt notat. *Bald. in cap. pastoralis, §. quia vero, num. 16. de off. deleg. & Iason. consil. 114. ante num. 23. vers. sed quod fortius, lib. 1. & Mandel. dict. cons. 13. num. 19.*

16 Nec etiam obstat quod opponitur, duos fuisse Antonios, alterum filium Matthioli, ex quo fuit natus Matthæus testator, alterum verò filium cuiusdam Vici de Vico, ex quo potuit nasci prædictus Benedictus pater Cæsaris, quod probare intendunt ex duobus instrumentis de anno 1493. & de anno 1517. in quibus enunciatur Benedictus Antonij Vici de Vico Ciuitanoua, quasi ille genitiuus, Vici, denotet nomen proprium patris Antonij, & ex eo reddatur æquiuoca filiatio ab Antonio procedens. Sed respondetur, quod ex supradictis satis constat Matthæum Testatorem, & Benedictum fuisse fratres, & filios Antonij, quod autem istemet Antonius sit ille enunciatus in supradictis duobus instrumentis, probatur ex alio instrumento de anno 1495. in quo nominatur Benedictus Antonij Vici de Vico, & Matthæus Antonij Vici de Vico Aduocatus Curialis. Ex quo instrumento, & alijs duobus in contrarium adductis, satis elicitur Patrem istius Antonij, nempe Matthiolum, vocari aliquando Vicum de Vico, & vtcumque sit, ex dictis instrumentis constat, quod Antonius pater Matthæi testatoris, & Benedicti, de quo agimus, fuit filius Vici de Vico, qui vocabatur Matthiolus, Ex quibus fuit resolutum legitimatam esse personam Domini Ascanij Vici.

REVERENDISS. P. DOMINO LVGDVNEN.

Bononien. Census. Veneris 20. Februarij 1609.

ARGVMENTVM.

Minor, seu filiusfamilias prohibetur à Statuto contrahere & se obligare sine certa solennitate numquid sine Statutaria solennitate potest contrahere & se obligare ad fauorem patris pro eius excarceratione, & alia ad materiam Statuti requirentis certas solennitates in contractibus minorum, & filiorumfamilias.

SVMMARIVM.

Statutum Vrbis lib. 1. cap. 151. requirit in contractibus filiorumfamilias minorum vltra patris præsentiam consensum duorum propinquorum, num. 1.

Statutum vrbis requirens consensum duorum proximiorum in contractibus minorum, habet locum etiam in filio contrahere cum patre. nu. 2. vbi etiam declaratur, quando filius dicatur contrahere cum patre.

Impugnans actum debet restituere, quod ex actu impugnato recepit. Declara, vt nu. 3.

Minor non tenetur restituere quod recepit ex contractu nullo, nisi probetur ex eo factus locupletior. nu. 3.

Minor ad sui vtilitatem potest contrahere etiam sine solennitatibus statutarijs. Declara, vt nu. 3.

Filiusfamilias fideiubens pro patre dicitur læsus, & restituitur, num. 4.

Carcerato pauperi præstanda, sunt alimenta à creditore, numero 4.

Minor

Minor non potest contrahere sine solennitatibus statutariis, etiam quod obliget se pro excarceratione patris. nu. 5. & n. 6. & nu. 8. & seq.

Uxor potest fideiubere, & obligare suam dotem pro excarceratione mariti. nu. 7. vbi etiam, An in tali obligatione requirantur solennitates statutariæ.

Statutum requirens certas solennitates in alienationibus minorum non habet locum in alienatione ex causa necessaria, & quando alienatio dicatur necessaria. nu. 8.

Filius pauper non tenetur alere patrem. nu. 10.

Mulier an, & quando obligare se possit ex causa dotis. n. 11.

Minor obligans se sine solennitatibus statutarijs, nec etiam naturaliter obligatus remanet. nu. 12. Et ideo indebite solutum repetere potest. nu. 13.

Solutum indebite an, & quando quis repetere posset. n. 13.

DECISIO CLXXVII.

1 DOmini steterunt in decis die 17. Martij proxime præteriti, videlicet cessionem, & extinctionem census non obstare Hannibali, ex rationibus in decisione deductis. Quibus non obstat, *quod statutum Vrbis lib. 1. cap. 113.* loquatur in minoribus patre carentib. nam quinimo generaliter loquitur. Ideoque generaliter de quibuscunque minoribus debet intelligi, & si quæ subesset ambiguitas illa declaracur *per aliud statutum eodem libro cap. 151.* vbi in contractib. minoris constituti in patria potestate requiritur vltra patris præsentiam concursus, & approbatio duorum coniuctorum ex linea materna. Quod enim illorum statutorum detur concursus, alias Rota sentit, vt fuit dictum in decisione.

2 Non obstat, quod dispositio statutaria non habeat locum in patre contrahente cũ filio. Nam vltra quod contraria opinio forsan est magis communis, & magis vera, ex deductis per *Ias. cons. 89. n. 5. & seq. lib. 1. & in l. pactum. nu. 5. C. de donat. Bened. in c. Raynutius. versic. duas habens filias. nu. 256. de testam. Chassan. super consuetu. Burgun. Rubr. 4. §. 1. in ver. contractus extre les vi. n. 37. Bor. super consuetud. Bituricen. tit. 1. §. 4. gl. 6. versic. sed quid si pater. Alciat. de præsumpt. regul. 1. præsump. 2. nu. 5. Tiraq. de leg. connub. gl. 8. n. 115.* Remanet præterea data in dec. responsio, quod Hannibal non contraxit cũ patre, sed consensit patri contrahenti cum Camera, & ad hoc vltra allegatos bene *Eugen. cons. 88. nu. 51.* cuius dictum probauit Rota in his terminis in causa Romana releuationis indemnitatis. 22. Martij 1602. coram R. P. D. meo Ortembergo.

3 Non obstat, quod prætenditur contractum fuisse vtilem Hannibali. Ideoque non posse per ipsum impugnai, nisi restitutis receptis. Nam regula habet locum vbi agitur de rescissione, secus autẽ quando actus ex nullitate impugnatur, vt fuit sæpè decisum. Deinde minor non tenetur restituere quod recepit, nisi probetur inde factus locupletior ex cumul. per *Rim. iun. cons. 5. nu. 76.* sed in isto casu cessant ista omnia, quia Hannibal nihil recepit, nec illi fuit vtilis contractus, vltra quod illud quod dicitur contractum vtiliter a minore gestum esse validum absque solennitatib. procedit iuxta receptiorem opinionem, minore ita volẽte. *Put. dec. 2. lib. 1. Gabr. qui alios allegat. cons. 20. n. 66. & seq. lib. 1.* Atque in omnem euentum, vtilitas debet esse euidens, vt fuit consideratum in causa Camerin. prædij. 10. Nouembris 1597. coram bonæ memoriæ Cardinale Seraphino.

4 Hic autem tantum abest, quod detur euidens vtilitas Hannibalis, quia potius filiusfamilias regulariter eo ipso, quod simpliciter pro patre fideiussit dicitur læsus, & restituitur. *l. 1. C. de filiosamil. minor. Socin. iun. cons. 47. nu. 7. & 8. Prædroc. cons. 26. nu. 6. & 7.* & quomodocumque consideratur cessio, quam tractamus, fuit minori enormiter læsiua. Neque vtilitas reperitur alibi, quam ex parte Cameræ Bononiensis, quæ cũ haberet debitorem, qui nullo modo erat soluendo, & qui iam capitis maximam diminutionem erat passus, ita vt fuerem, siue existimationem spectemus, nihil proficeret Camera illum in Carceribus retinendo, sed potius damnum sentiret ex alimentis illi de necessitate præstandis. iuncta *gl. in l. fin. in ver. agnoscere C. de erogat. mili. anno. lib. 11. Bald. in tract. carcer. Affl. dec. 71.* Excogitauit nihilominus modum, per quem ex tenuissima filijfamilias minoris substantia aliquam sui crediti partem consequeretur, quam, nec sperare quidem potuisset ex paternis facultatibus, licet insuper, & ad abundantiorem cautelam sibi etiam meliore millarum casum, & Theodosij debitoris pinguiorem fortunam reseruauerit, & obligauerit, quo nomine magis etiam læsiua existit Hannibalis cessio cum adempta illi foret omnis spes indemnitatis.

5 Non obstat, quod filius fideiubens aut alienans bona pro patris excarceratione exercet officium pietatis, & facit actum, quem quilibet paterfamilias, & maior faceret. Ideoque non est restituendus. *Aret. in l. 1. circa fin. C. de filiofam. mino. Odd. de restit. in integr. q. 23. n. 52.* etenim non concludit ista illatio, cessat restitutio de iure communi: ergo non intrat dispositio statuti; quia cum statutum procedat annullando contractum minor non indiget restitutione. Nec hodie prætenditur, quod causa cessionis iusta non fuerit, sed dicitur vltra illam iustam causam requiri etiam solennitates statutarias, quæ hic deficiunt, & si laudatur Hannibal quod liberando suum patrem fecerit id quod fecisset quilibet bonus paterfamilias, non debet illi vitio verti, si iterum eandem personam boni, & prudentis patrisfamilias assumens seipsum liberare ab egestate cõtendit, & si vtitur sorte sua qua effectum est, vt in hoc contractu Camera sibi non satis cauerit adhibendo solennitates à statuto requisitas.

6 Solet quippe dari regula, quæ probatur *in leg. non solum. §. fin. ff. de ritu nupt.* non esse satis in rebus minorum aliquid recte fieri, nisi etiam rite fiat, & in terminis huius controuersiæ fuit in decisione allegatus *Bald. consil. 213. lib. 2.* vbi ad validitatem obligationis à filio factæ pro patre excarcerando dicitur, quod præter illam iustam, & rationabilem causam requirebatur etiam solennitas sic etiam si pupillus fame laboret poterunt vendi bona eius, sed non sine debitis solennitatibus, *vt per Surd. de alim. tit. 8. priu. 45. num. 2. vbi ait, ita loqui gloss. in leg. ob æs. Cod. de præd. minor. & bene aduertit Odd. d. quæst. 23. num. 56. & seq.* quod licèt considerato fine actus sit laudabilis ratione tamen modi potest esse factus imprudenter, & iuueniliter. Ideoque operæ pretium est, vt omnia examinentur coram iudice, & cum præsentia earum personarum quas statutum requirit, & quidem si cessioni fuissent præsentes consanguinei Hannibalis, qui nouerant conditionem, & facultates patris, & filij forsan Camera non fecisset suas conditiones adeo bonas, nec sine aliqua ratione Hannibal minor, qui Bononiæ consentire poterat, fuit adductus Romam, vbi consanguineos non habebat.

7 Non obst. *Crot. consil. 74. num. 8. & seq.* vbi dicitur, non obstante statuto prohibente dotis alienationem mulierem posse suæ dotis partem alienare pro marito excarcerando. Omisso enim quod *Crot. in fin.* dicit, illo casu non fuisse alienationem, ideoque non fuisse contrauentum statuto, adhuc est aduertendum, quod ibi non dicitur alienationem dotis fieri posse absque solennitatibus statutarijs. Totum enim illud consil. fundatur in hoc duntaxat quod statutum esset irrationabile, si adimeret absolute mulieri omnem facultatem subueniendi suo viro in necessitate constituto. Id autem non applicatur casui nostro, quia non repugnat rationi naturali, quin filius, qui vult alienare sua bona pro patre excarcerando, id facere debeat cũ debitis solennitatibus. Stant enim simul, quod causa alie-

alienandi sit iusta; & alienatio nihilominus sub certa forma fieri debeat, vt est receptissimum in contractibus Ecclesiæ, minorum, mulierum, & similibus.

8 Non obstat, quod dispositio statuti super solennitatibus non habet locum vbi adest causa necessaria. *Veral. dec. 199. part. 3. Put. dec. 226. lib. 1. & 160. libr. 3. Alexand. consil. 215. num. 6. lib. 6.* Quodque in hoc casu causa excarcerandi patris esset necessaria cum à pari procedant præstatio alimentorum, & excarceratio ex *alleg. per Surd. decis. 86.* Fuit enim responsionibus iam datis additum necessariam causam ad hunc effectum intelligi eam, quæ continet propriam, & præcisam necessitatem ad quam compelli quis possit, *ex trad. per Tiraquel. de legibus connub. gloss. 8. num. 197. & seqq. & Gabriel. consil. 20. numer. 50. & seqq.* Talis autem necessitas non aderat in hoc casu, quia non reperitur iure cautum, quod filius præcise cogatur patrem excarcerare, siquidem lex laudat quidem, & commendat pietatem filij liberantis suum patrem à carcere, sed absolute filium ad hoc faciendum non obligat, vt bene *Bald. in leg. sed etsi ideo. in fine. ff. solut. matrim. nec glossa in cap. Quintauallis. in ver. exhæredare. de iureiuran.* aliud dicit, nisi quod filius potest exhæredari, si patrem non liberauerit. Ideoque idem *Bald. in authent. si captiui. numer. 8.* dicit, nulla alia pœna, aut compulsione, cogi, sed solummodo priuari successione. Et *Castr. consil. 443. volum. 1. in princip.* dicit patrem teneri redimere filium necessitate causatiua, quia alias priuatur illius successione.

9 Nec in prædicta decis. Surd. Statui potest aliquod fundamentum, non solum, quia ipse Surd. in fine. dicit illam resolutionem sibi non placuisse, sed etiam, quia ibi fuit petita facultas à Iudice alienandi dotem, & sic presupponitur fuisse seruatas solennitates, quarum solo defectu nititur in hoc casu Hannibal, vt sæpè dictum est. Insuper nec illa paritas rationis inter alimenta, & excarcerationem facile admittenda est, quandoquidem Doctores per Surd. allegati dicunt quidem causam excarcerationis in genere esse piam, & in hoc potest procedere paritas cum alimentis. Verum quod vtraque causa sit æque necessaria, hoc non dicunt dicti Doctores, neque dicere possunt propter differentiæ rationem manifestam, *ad trad. per Cæpol. consil. 27. num. 5. & seqq.* Constitutus enim in carcere cum habeat alimenta à publico, vel à creditore, non habet illam præcisam necessitatem famis, quæ in necessaria alimentorum causa consideratur, quando bona stabilia minoris permittantur alienari. Præterea, defuerunt DD. qui illam iustam alienationis causam intellexerunt in necessitate, & fame solius filij, vt aduertit idem *Surd. de alim. titul. 8. priuileg. 37. vbi prætere a. sub numer. 6. tradit post Azo. in Sum. Cod. de bon. quæ liber. num. 12.* & alios ipsum patrem in quouis casu necessitatis, non posse bona filij minoris alienare sine iudicis decreto.

10 Ex quibus omnibus probatissimum remanet, quantumuis iusta fuerit causa cessionis per Hannibalem factæ, non posse tamen euitari illius nullitatem, seu inualiditatem, ex quo solennitas statutaria seruata nõ fuit, Nec prætermittendum est, consanguineorum, præsentiam eo magis in hoc casu fuisse necessariam, quia cum ipse Hannibal vix haberet tot bona, ex quibus ipse alere se posset multo minus tenebatur illa bona alienare, ne dum vt patrem excarceraret, sed nec vt illi præstaret alimenta. *ad l. preces. C. de seruit. & aqua. l. Iulia ff. si quis omis. causa testam. Bar. in auth. res, quæ. n. 4. C. communia. de legat. Affl. dec. 290. n. 9. gl. in l. si quis à liberis. §. fin. in ver. liberto. ff. de liber. agnosc. Cordub. in repet. eiusdem l. in princ. nu. 40. & 42.*

11 Non obstat, quod in causa dotis non sint notoriæ solennitates statutariæ, vnde infertur idem esse dicendum in excarceratione, & alia qualibet causa pia, vt *per Calcan. cons. 13. num. 4. & seqq.* Vltra enim quod in dote versatur fauor publicus, fuit dictum, prædictam conclusionem procedere in muliere maiore dotante, non in minore, vt latè per *Gabr. d. cons. 20.* & illius conclusionis ratio non est, quia dos non veniat in generali dispositione, sed quia est in iure specialiter priuilegiata, vt pro illa mulier se obligare possit. *l. promittẽdo. de iur. dot. l. fin. C. ad Velleian.* Id autem in minore dispositum non reperitur. *Lamberteng. de contract. mulier. gl. 21. nu. 4. & 5. Put. dec. 160. lib. 3.*

12 Non obstat denique, quod per contractum cessionis Hannibal fuit naturaliter obligatus, ideoque solutum tanquam indebitum repetere non potest. Nam fuit responsum, quod minor contrahens sine solennitatibus, nec etiam naturaliter obligatur ex cumul. *per Tiraq. de legib. gl. 4. nu. 12. Lambert. d. tract. de contract. mulier. gl. 16. q. 3. n. 5. & seqq. vel saltem impeditur effectus naturalis obligationis. Ias. in l. si non sortem. n. 3. ff. sol. matr. Ruin. iun. cons. 160. nu. 10.*

13 Ideoque minor non impeditur solutum repetere. *Lamber. d. tract. in fin. n. 151.* Accedit quod regula, quæ habet obligationem naturalem impedire repetitionem indebiti soluti, non procedit in eo, qui soluit per errorem iuris, aut facti probabilis. Latè alio cumulans *Lambert. vbi supra num. 150.* Error autem iuris in isto minore est probabilis, quia præsumitur. *Late Menoch. præsumpt. 23. n. 19. lib. 6. excusatur Anchar. cons. 393. in fin.* Præcipuè cum agatur de damno vitando. *Surd. cõs. 349. nu. 15. & 16. Rim. iun. cons. 162. n. 4.* Atque ex his iterum Domini firmarunt cessionem, & extinctionem census non obstare Hannibali.

REVERENDISS. P. DOMINO LVGDVNEN.

Mediolanen. Decimarum. Lunæ 9. Martij 1609.

ARGVMENTVM.

Decimæ prædiorum existentium in Territorijs Cappellarum Parochialium pertinent ad illarum Rectores, non autem ad Ecclesiam Matricem.

SVMMARIVM.

Ecclesiæ Parochiales, & illarum Rectores habent fundatam intentionem super decimis terrarum existentium intra limites Parochiarum. nu. 1.

Decimæ noualium debentur Parochialibus Ecclesiis, & non collegiatæ, nisi contrarium probetur. nu. 2.

Ecclesia quod sit matrix quibus signis dignoscatur. nu. 3.

Decimæ prædiorum existentium in territorijs Cappellarum Parochialium pertinent ad illarum Rectores, non autem ad Ecclesiam Matricem. nu. 5.

DECISIO CLXXVIII.

1 FVit dictum intentionem Ecclesiæ Collegiatæ Sancti Victoris non esse fundatam super decimis Noualium, de quibus agitur. Et ratio decisionis fuit, quia noualia, quæ dicta Ecclesia Collegiata decimare prætendit, sunt sita intra limites certarum Parochiarum, quæ habent distinctum territorium, distinctos Parochianos, & distinctos Rectores administrantes Sacramenta. Ideoq; cum illæ Ecclesiæ Parochiales, siue Rectores illarum habeant de iure fundatam intentionem, sicuti in decimis. *cap. cum contingat. cap. cum in tua. de decimis. ita & in noualib. cap. quoniam. eod. titul.* non potest esse locus intentioni prædictæ Collegiatæ.

2 Non obstat, quod illa percipiat decimas in territorijs dictarum Parochiarum. Quia in primis hoc controuertitur. Deinde etiamsi clarum esset, non impediret

ret tamen quin decimæ noualium debeantur ipsis Parochialibus Ecclesijs quamdiu Collegiata non ostendit rationabilem causam, per quam appareat etiam noualium decimas ad ipsam pertinere, *vt est text. in d. cap. cum contingat, de decim.* Ista autem rationabilis causa hoc casu non ostenditur, cum nec priuilegium, nec immemorabilis, nec quadragenaria cum titulo probetur, *ad dec. Crescen. 1. n. 3. de decim. Rebuff. eod. tit. q. 13.*

3 Nec obstat, quod Collegiata prætendat se matricem. Nam id nullo modo probatur imo nec etiam constat, quod dicta Collegiata sit antiquior istis Ecclesijs Parochialibus. Et circa hunc articulum quæcunque deducuntur, vt accessus processionalis, receptio sacri olei, & Chrismatis, atq; vocatio ad Synodum, vltra, quod asseruntur paucis ab hinc annis maioris duntaxat commoditatis causa fuisse instituta; adhuc respiciunt potius præeminentias Ecclesiæ Plebanæ competentes, *iuxt. text. in cap. his quæ. de maior. & obedien. & in cap. 2. de cappell. Monach.* quam recognitionem Ecclesiarum filialium erga Matricem, & Parochialem totius Plebanatus.

4 Non obstant alia data in Summario Collegiatæ videlicet sententia, recognitio, & descriptiones in Catastris. Quia illa omnia sunt facta à personis priuatis, & inter priuatos, & ideo tanquam res inter alios actæ, & in quibus nullus Rector interuenit, non nocent Parochialibus Ecclesijs, maximè cum nec de effectuatione constet.

5 Sed dato etiam quod Ecclesia Collegiata esset Matrix, tamen ex magis communi, & magis vera opinione quidquid in contrarium senserit *Io. Andr. ad Specul. titul. de decim. §. 1. verb. vnica. in litera A.* decimæ prædiorum existentium in territorijs Cappellarum Parochialium pertinent ad Rectores illarum, non autem ad Ecclesiam Matricem. *Anchar. inter cons. Calder. cons. 2. de decim. Abb. in d. cap. cum contingat. nu. 8. eod. tit. & cons. 58. lib. 1. Chassan. cons. 34. num. 17. Paris. consil. 73. num. 1. lib. 4. Rebuff. de decim. q. 6. num. 16. & 18. Card. cons. 26. nu. 3. Lap. alleg. 66. nu. 5. Menoch. cons. 56. n. 20. Rim. Iun. cons. 169. nu. 18. lib. 2. tenuit* Rota coram R. P. D. meo Sacrato in causa Comen. decimarum 28. Iunij 1602. & 27. Nouemb. 1606. Quod multo magis dicendum est respectu noualium, *vt in d. cap. cum contingat. & c. cum à nobis. de decimis.*

R. P. D. CAVALERIO.

Zamoren. Pecuniaria. Veneris 20. Martij 1609.

DECISIO CLXXIX.

Est impressa inter Caualerio.

DECISIO 53.

R. P. D. CAVALERIO.

Bonon. de Bonsignoribus. Veneris 3. Aprilis 1609.

DECISIO CLXXX.

Est impressa inter Caualerio.

DECISIO 58.

REVERENDISS. P. D. COCCINO DECANO.

Vrbeuetana Fideicommissi. Veneris 3. Aprilis 1609.

ARGVMENTVM.

Descendentes in conditione positi, quando vocati censeantur, substitutioque, seu fideicommissum alicui factum, si sine filijs decesserit, quando expirat eo cum filijs decedente.

SVMMARIVM.

Descendentes positi in conditione ex communi sententia non censentur vocati. Fallit, quando testator voluit, vt sua hæreditas nunquam transeat ad feminas, sed semper remaneat apud masculos de stirpe. nu. 1. & 2.

Substitutio alicui facta, si sine filijs decesserit expirat etiam vnico tantum filio relicto. nu. 3.

Fideicommissum factum alicui, si decesserit sine filijs, expirat eo decedente cum filijs. Declara, vt nu. 4.

Fideicommissum dicitur perpetuum, quando testator habuit rationem conseruandæ agnationis, vtputa si post descendentes vocauit transuersales. nu. 5.

DECISIO CLXXXI.

1 Petrus testator instituit Petrucium filium, & alios filios masculos nascituros, & si quis eorum decesserit in pupillari ætate, vel posteà quandocunque sine filijs masculis legitime ex se descendentibus, substituit etiam, ex eis superuiuentem, & superuiuentes, & eorum filios masculos, & alios descendentes ex eis masculos: Quod si aliquis ex filijs dicti testatoris, vel nepotibus masculis ex filijs, vel nepotibus, vel aliquis alius descendens masculus, non superesset, substituit eis Vgolinum, & Leonellum, quos etiam substituit in euentum, quod ipse Petrus testator decederet sine filijs, concludens testamentum, ita quod hæreditas dicti testatoris nunquam ad filias, vel descendentes feminas deueniat, sed semper remaneat apud masculos de stirpe dicti testatoris, saluo quod dictus Petrucius, & alij filij testatoris, & alij masculi descendentes ex eis possint in vita ipsorum, & cuiuslibet ipsorum de bonis ipsius testatoris ad eos pertinentibus libere facere velle ipsorum in totum, vel in parte, non obstante substitutione prædicta.

2 Vnde stante tenore huius testamenti Rota tertia vice resoluit constare de fideicommisso ad fauorem descendentium Petrucij, etiam respectu ipsius Petrucij reseruato tamen, vt videatur particulariter, an extendatur vltra pronepotes, & an adsit reciproca inter ipsos, & vltra deducta in alijs decisionibus particulariter considerabant Domini; quod licèt in clausula, quod si aliquis, &c. descendentes sint positi in conditione, & propterea ex communi sententia non censeantur vocati: Tamen contrarium dicendum est in casu isto stante alia clausula, Ita quod hæreditas dicti testatoris nunquam ad filias, vel descendentes feminas deueniat, sed semper remaneat apud masculos de stirpe, per quæ verba per necesse dicendum est, descẽdentes fuisse vocatos, quia cum expresserit rationem ita, quod bona semper remaneant apud masculos de stirpe, & sic pro conseruatione agnationis, videtur etiam voluisse vocare descendentes quos posuit in conditione, & hæc est firma, & communis conclusio, vt dicit *Paris. in consil. 6. num. 16. vol. 3. latè Illustrissim. Mant. de coniect. vltim. volunt. lib. 11. titul. 3. num. 15.* & hoc etiam manifestissime ostenditur ex facultate alienandi concessa descendentibus in dicta clausula, saluo quod &c. quæ cum denotet exceptionem dispositorum, & sit de regula. *Signorol. consil. 75. num. 8. vers. sed Aduocatus,* & importet limitationem, & exceptionem, vt ea, quæ sunt salua, non veniant in fideicommisso, vt bene per *Ancharan. in consil. 27. numer. 5. & 6. vers. accedit ad hoc,* per necesse dicendum est cum fuerit

rit data facultas descendentibus Petrucij alienandi, quod fuerint vocati ad fideicommissum, quia ista exceptio est de regula, & venit limitatoriè ad dispositа, ergo in dispositione veniunt etiam descendentes, quibus data est hęc facultas, iuxta not. per *Anchar. & Signorol. locis præcitatis.*

3 Neque est verum, quod prædicta procederent si testator decessisset pluribus filijs relictis, sed cum decesserit vnico tantum filio relicto, prædicta non habent locum, iuxta *cons. Oldr.* 177. quia vt fuit dictum in alijs decisionibus, communis sententia est contra *Oldrad. & Doctor. sequuntur sententiam Bartoli in l. quam diu institutus* 68. *num.* 10. *ff. de acquir. hered. vt dicit Ias. in cons.* 148. *nu.* 15. *lib.* 2. *Marzar. de fideicommiss. quæstione* 13. *per totum, & cons.* 1. *nu.* 1.

4 Neque etiam facit, quod in omnem euentum expirauit fideicommissum, quia substitutio est facta si quis decederet sine filijs. Vnde cum Petrucius obierit cum filijs, expirauit fideicommissum, *iuxta consil. Oldr.* 21. & eius filij, & descendentes, ex eo quod sunt vocati, non ideo infertur, quod sint grauati, quia non bene infertur de vocatione actiua ad passiuam, *Marzar. cons.* 6. & 7. *Paris. cons.* 31. *nu.* 28. *lib.* 2. & fuit dictum in causa Romana hæreditatis de Fossanis 12. Februarij 1588. coram bon. mem. Gipsio. Nam consilio Oldr. non habet locũ quando constat de contraria mente testatoris, etiam per coniecturas. *Corn. cons.* 146. *nu.* 7. *& seq. libr.* 2. *Dec. cons.* 477. *n.* 4. *Curt. Iun. cons.* 121. *n.* 15. *Soc. iun. cons.* 1. *n.* 70.

5 Et in specie non habet locum quando testator habuit rationem conseruandæ agnationis, vt per *Curt. in dict. cons.* 121. *num.* 15. *cum sequentib. Marzar. cons.* 4. *num.* 11. *& consil.* 7. *num.* 11. *Rimin. iun. consil.* 456. *num.* 32. prout in casu isto, quia non solum semper vocauit descendentes masculos, exclusis feminis, sed post descendentes vocauit agnatos transuersales. *Aym. consil.* 98. *sub num.* 1. *& consil.* 326. *num.* 16. *vers.* 3. *concurrit. Gabr. de fideicomm. concl.* 7. *num.* 7. *Guid. Pap. quæst.* 531. *num.* 6. *vers.* 1. *quia est*, & ex hac responsione tollitur etiam quod dicitur non inferri ex vocatione ad grauamen, quia conclusio non procedit quando ex coniecturis, constat de contrario, vt admittunt Doctor. præcitati, prout in casu isto, quia vocatio qualificata, & declaratur, ita quod bona semper remaneant apud masculos de stirpe, & nunquam ad filias feminas deueniant, vnde ex ista ratione conseruandæ agnationis videtur inductum fideicommissum inter descendentes iuxt. *cons. Cuman.* 2. *num.* 4. *versic. ad hoc etiam facit, Dec. cons.* 227. *versic.* nam dum testator, & fuit ponderatum in alijs decisionibus.

6 Quæ inculcabantur circa obseruantiam contra fideicommissum non egent responsione, quia sunt sublata ex vltima decisione particulariter super hoc facta, cum qua transierunt Domini, cum nihil de nouo deduceretur.

R. P. D. MANZANEDO.

Pacen. Puritatis. Lunæ 6. Aprilis 1609.

ARGVMENTVM.

Fama siue bona siue mala quantum, & quando probet præsertim sanguinis puritatem, vel impuritatem.

SVMMARIVM.

Sanguinis puritas, & impuritas probatur per publicam vocem, & famam, nu. 1. *& nu.* 9. *Declara, vt nu.* 5.

Sanguinis puritas præsumitur, & qui impuritatem allegat probare debet. num. 4.

Fama de facili falli, & fallere potest, & sæpe fallax, & mendax est, num. 5.

Fama nullam facit probationem nisi sit constas, perpetua, generalis, & vniuersalis apud omnes, sine varietate, & contrarietate, habeatque originem ex probabilibus causis, nu. 5. *&* 6. *& num.* 8.

Summaria in quo differat à fama. nu. 6.

Fama in antiquis tantum probat, quantum nihil in contrarium adest, ex quo illa debilitetur, num. 7.

Testes contra producentem plenè probant, ita vt contra eos producens nihil opponere possit, nu. 7.

DECISIO CLXXXII.

1 Lata sententia in ista causa per Ordinarium Pacen. Iudicem Apostolicum, & Executorem ad fauorem D. Alphonsi Salgado, & causa per appellationem Capituli introducta in Rota, & per Sanctissimum mihi commissa, opponente Capitulo contra prædictam sententiam de nullitate ex defectu citationis, & recursu habito pro illius sanatione per D. Alphonsum ad Signaturam Sanctissimi fuit rescriptum; Idem Auditor constito de bono iure, reiecta nullitate prædicta procedat, vt petitur. Vnde 19. Ianuar. proximi præteriti dubitaui, An de bono iure D. Alphonsi constaret. Et quia illud ex duplici capite resultabat, quorum alterum erat puritas Alphonsi propter statutum prędictę Ecclesiæ illam exposcens, ideo Domini dubium restringendum dixere ad caput puritatis, respectu cuius tantummodo hodie reproposui prædictum dubium, & Domini quo ad puritatem, constare de bono iure D. Alphonsi respondendum dixere. Contrarium verò Capitulum nitebatur demonstrare, Primo ex testibus à Capitulo examiminatis de publica fama impuritatis Alphonsi, & suorum maiorum deponentibus, quæ fama, & communis reputatio probat tam puritatem, quam impuritatem præcipuè cum simus in antiquis *Glos. in l.* 1. *ff. de probat. notatur in l. si arbiter, argumento illius tex. ff. eod. Host. in c. quid per nouale. nu.* 5. *versic. talis probatio. de verb. sign. Aret. cons.* 37. *nu.* 1. *Alphons. de Castr. in trac. de iusta hæreticorum. punitio. lib.* 1. *c.* 7. *Auendan. in suo Dictionario ver. Iudæus, quem refert & sequitur Azeuedo in l.* 22. *nu.* 3. *tit.* 8. *lib.* 1. *nouæ recompilation.*

2 Secundo fundatur Capitulum in eo quod pretendit ex suis testibus resultare originem prædictæ famæ ortum habuisse ab Isabella Gonzalez proauia paterna D. Alphonsi, quam nititur ex suis testibus elici, fuisse Mauram Captiuam, vulgo Slaua, & ferro in facie signatam, de quo plures testes Capituli de auditu deponunt, & quinque, sextus, vigesimus tertius, vigesimus quartus, vigesimus quintus, quadragesimus sextus addunt illud audiuisse à personis, quæ cognouerunt dictam Isabellam, & illam in facie ferro signatam viderunt.

3 Tertio fundatur capitulum in eo, quodam Sebastianus frater D. Alphonsi non fuerit admissus ad Officium Notariatus S. Inquisitionis, quod prætendebat, quasi hoc fuerit sibi denegatum propter impuritatem.

4 Quibus tamen non obstantib. Domini pro puritate D. Alphonsi responderunt, tum quia ipsa habet iuris pręsumptionem pro se *l. ab ea parte. ff. de prob.* & in simili casu & statuto fuit dictum in vna Toletan. Portionis 2. Maij 1594. coram Illustris. Mantica, & alias pluries. Vnde Capitulo deneganti possessionem pretextu statuti non admittentis impurum in illa Ecclesia, incumbit onus demonstrandi impuritatẽ, ob quam possessionẽ ille denegauit, vt tenuit Rota in vna Oueten. Canonicatus 24. Ianuarij 1578. coram bon. mem. Card. Seraphino, & est inter impress. decis. 176. num. 1. & 2. par. 1. diuers. & in prædicta Toletan. Portionis coram Illustriss. Mantica, & nouissimè in Toletan. Canonicatus x. Decemb. 1608. proximi præteri coram R. P. D. meo Marcomontio, quibus aliæ Decisiones referuntur inter quas illa est coram bon. mem. Litta in causa Toletan. puritatis 10. Martij 1604. vbi asseritur, eo ipso quod Capitulum non probat impuritatem, intentione pro-

ne prouisi esse fundatam, idque sæpissime Rotam resoluisse.

5 Dominis autem visum fuit, capitulum impuritatem D. Alphonsi non probasse. Primo enim ex mala fama à capitulo pretensa nō resultat huius impuritatis probatio in nostro casu. Nam cum fama de facili falli, & fallere possit, & sæpè fallax, & mendax sit, vt notat *Nat. in consil.* 473. *nu.* 15. & sæpè à veritate discordet, vt tradit *Affl. dec.* 178. *nu.* 11. *circa fin.* iura probationes per famam non indifferenter admisere, sed plurib. consideratis ad *tex. optimum in cap. de parentela. el* 2. 35. *q.* 6. ibi, in quibus omnibus, nec varietas, nec contrarietas vlla reperiri debet, & iuxta receptam sententiā de qua per *Io. Garci. de nobilit. Gl.* 18. §. 1. *num.* 13. famā tunc demum facit veram probationem quando est cōstans, perpetua, generalis, & vniuersalis apud omnes sine varietate, & sine contrarietate, debetq; hæc fama trahere originem ex probabilibus causis. *Bart. in leg. de minore.* §. *plurimum. nu.* 31. *ff. de quon. Bald. in l. diffamari n.* 2. *C. de inge.* & *manumis. Alex. cons.* 72. *n.* 9. *in fin. lib.* 1. *per tex. in l. Decurionum. C. de pœnis.*

6 Consideratis autem testib. capituli de ista mala fama deponentib. apparet ex illis istam famam non esse constantem, cum quinq; ex testibus eiusdem capituli optimè de puritate D. Alphonsi, & suorū Auorū ex vtroque latere deponant, habētes illos pro Christianis antiquis, & ex eisdem minus dici valet generalis, & vniuersalis, sine varietate, & contrarietate. Præcipue cum Testes capituli de illa deponēte, alij à 14. alij verò à 15. annis, alij à 16. & vnus à 30. alius autem vnicus, nempè quedā mulier à 40. annis deponant, audiuisse infectionem generis D. Alphonsi ex latere paterno. Ex quibus apparet istam famam non esse perpetuam, sed paucis ab hinc annis ortam, nec omni tempore vniuersalem. Et vt notat *Fel. in cap. cum contingat n.* 2. *vers. sed intellige. de rescr.* fama debet durasse longum tempus, & sic potius dicetur in nostro casu probatus rumor, quam fama, cum vt notat *Alciat. in parerg. iur. lib.* 1. *cap.* 6. *rumor est*, qui de recenti emanauit, & per ora hominum circumfertur, fama verò est de antiquo. Faciunt tradita ab *Arch. in c. si duo. n.* 4. 35. *q.* 6. & maior pars Testium à 14. vel 15. annis ab hinc tantum, & de hac macula loqui audiuit.

7 Vlterius quia talis fama quantumcunque in antiquis in tantum probat, in quantum nihil in contrariū adest, ex quo illa debilitetur, vt dixit Rota in supradicta *dec.* 176. *num.* 6. *par.* 1. *diuers.* & *in alia Giennen. Portionis* 25. *Iunij* 1607. *coram D. meo Caualerio*, & *in illa Toletan. Canonicatus coram R. P. D. meo Marcomontio*. Sed sic est quod in nostro casu fama de qua deponunt testes capituli debilitatur, quin & omnino eneruatur ex sequentib. Primo à prædictis quinque testibus eiusdem capituli qui contrarium deponunt, & probant contra producentem, adeo vt contra illos vix est, quod capitulum possit aliquid opponere. *l. si quis testib. et ibi Doct. C. de testib. Abb. in c. præsentium. n.* 6. & 7. *cod. tit. Aym. cons.* 188. *nu.* 5. *Rom. cons.* 104. *n.* 6. *Surd. dec.* 284. *n.* 14. & dixit Rota in supradicta Toletan. Portionis 2. Maij 1594. coram Illustr. Mantica, quod procedit, etiamsi essent nulliter examinati. *Verall. dec.* 268. *par.* 3. qui alios citat. Item vt ex eisdem quinque testib. resultat, & ex alijs pluribus pro parte D. Alphonsi examinatis, istam mala fama originem traxit a quodam Saluatore Perez Portionario eiusdem Ecclesiæ inimico D. Ioannis patris D. Alphonsi, occasione cuiusdam litis inter ipsos ventilatæ, quo casu non solum nō constat de iusta origine istius famæ, quin & de iniusta procedente ex dicta inimicitia quæ est sufficiens causa debilitandi prædictam famam sufficiensque obstaculum, ne illi sit danda fides, nec iuxta illa iudicandum, prout optimè perpendit *supradicta decisio.* 176. *nu.* 6.

8 Tum etiam ex eo, quod in contrarium concurrat Didacum fratrem D. Alphonsi fuisse in eadem Ecclesia per capitulum illius ad Cappellaniam admissum, præcedente informatioæ testium de illius puritate examinatorum per Commissarium capituli ad illud deputatum, ex qua informatione puro reperto capitulum processit ad illius admissionem, quin etiam Sebastianus eorundem frater fuit etiam per idem capitulū admissus ad Cappellaniam eiusdem Ecclesiæ, attento quod per informationes factas quando fuit promotus ad Sacros Ordines constabat de illius puritate. Vnde cū isti tres sint fratres vtrinque coniuncti, & omnes descendunt ex illorum proauia Isabella Gonzalez, facit optimè pro D. Alphonso informatio puritatis Didaci capta per capitulum seu illius Commissarium, præcipuè adhunc effectum, vt prædicta mala fama possit dici debilitata, & non perpetua, nec constans, vt optimè fuit consideratum in supradicta Toletan. Canonicatus coram meo Marcomontio, vers. item mala fama. Quibus non obstat statutum prædictæ Ecclesiæ non requirere puritatem in Cappellanis recipiendis, quia satis est, quod capitulum assueuerit informationes puritatis Cappellanorum admittendorum prius recipere, aut saltem quod illas receperit per suum Commissarium deputatum, antequam Didacum fratrem Alphonsi admitteret, & quod iudicaret informationem puritatis Sebastiani sufficientem pro illo admittendo saltem ad effectum debilitandi prædictam malam famam, prout supra dictum est.

9 Tum etiam ex plurib. testibus pro parte D. Alphōsi examinatis, & de illius & suorum maiorum puritate ex vtroq; letere optimè deponentibus per publicam vocem, & famam, qua vt supra probauimus puritatem probari, non est dubium, & plures refert *Ioan. Garsia de nobilit. d. gl.* 18. §. 1. *nu.* 6. *quo casu istis* & *bonæ famæ est magis standum cap. cum in tua*, & *ibi Abb. num.* 6. *de sponsal. Bald. in l. fin. num.* 15. *vers. ex hoc deciditur. ff. de ferys.* & *in l. Diuus. num.* 1. *vers.* 4. *est argumentum. ff. de mili. testam. Fel. in cap. cum contingat. num.* 2. *vers.* & *dicit Bald. de rescript. Corn. consil.* 176. *num.* 10. *libr.* 4. *Cuman. consil.* 136. *num.* 4. *Alex. consil.* 143. *num.* 7. *lib.* 2. *Put. dec.* 2. *lib.* 3. *Crau. consil.* 275. *num.* 12. *Rolan. cons.* 63. *num.* 39. *lib.* 2. & fuit dictum in prædicta Toletan. Portionis coram Illustr. Mantica, & in illa Toletan. Canonicatus coram Dom. meo Marcomontio.

10 Quibus non obstat, quod testes capituli dicant Isabellam proauiam D. Alphonsi fuisse Mauram ferro in facie signatam, cum illud de auditu tantum referant, & ex prædictis quinque testibus capituli, nempe septimus affirmet cognouisse darentes, Auos, & Proauos paternos, & maternos D. Alphonsi, & semper illos habuisse pro Christianis antiquis sine progenie Maurorum, nec Iudæorum, aut nouiter conuersorum, Vnde iste testis, qui de visu deponit cognouisse Isabellam Proauiam paternam D. Alphonsi, facit semiplenam probationem pro illius puritate, & est præferendus alijs de auditu, dicentibus illam fuisse Mauram ferro in facie signatam, præcipuè stantibus alijs tribus testibus, licèt feminis, pro Alphonso examinatis deponentibus dictam Isabellam cognouisse, illamque non Mauram, sed ex sanguine puro fuisse, nec vllo ferro in facie signatam reddentibus optimam rationem, quia illam sæpius tractarunt, & viderunt facie discooperta, & nunquam in illa tale signum viderunt, nec cognouerunt, & istarum testium duæ sunt septuagenariæ, alia verò ascendit ad 85. annos, & tertia ex istis testibus deponit etiam vidisse brachia dictæ Isabellæ nuda absque aliquo signo ferri, ex quo colligi potuisset fuisse Sclaua. Quid autem isti testes pro D. Alphonso deponentes fuerint nulliter examinati prout capitulum opponit, de hoc poterit particulariter videri.

11 Tandem non obstat, quod Sebastianus frater Alphonsi non fuerit admissus ad Officium Notariatus Sanctæ Inquisitionis, cum testes loquantur de auditu et non exprimant fuisse repulsum ratione impuritatis & non

& non sufficit, non fuisse admissum, nisi probetur concludenter repulsam prouenisse ex causa impuritatis, vt in eisdemmet terminis dixit Rota in prædicta Tolletan. coram Illustrissimo Mantica, quod magis procedit cum certum sit potuisse, non admissionem euenire ex alia causa, siquidem ad Officium Notariatus Inquisitionis, non sufficit quem esse purum, nisi alia concurrant, tam circa mores, quam circa habilitatem requisitam ad officium Notariatus, & potuit non admitti ex aliqua prædictarum qualitatum deficientia, aut quia alius concurrebat ad eandem pretensionem, cui Domini Inquisitores maluerunt gratificare, & non ex eo sequitur, quod non admissus sit impurus. Ex quibus Domini dixerunt constare de puritate dicti Dom. Alphonsi, & quo ad illam de illius bono iure.

R. P. D. CAVALERIO.

Romana Concordiæ Sanct. Petri. Veneris 3. Aprilis 1609.

DECISIO CLXXXIII.

Est impressa inter Caualerio.

DECISIO 57.

ILLVSTISSIMO ET REVERENDISS. D. CARD. CAMERARIO.

EXTRA ROTA.

Romana Retractus Vineæ. 11. Aprilis 1609.

ARGVMENTVM.

Retractus, & ius congrui vigore Bullæ Gregorij XIII. non habet locum in venditione necessaria, facta scilicet per subhastationem ad instantiam creditorum. Nec minus prodest conductorib. fundi rustici etiam existentis intra mœnia Vrbis.

SVMMARIVM.

Retractus, seu ius congrui vigore Bullæ Gregorij XIII. habet locum in venditione necessaria, facta scilicet per subhastationem ad instantiam creditorum. num. 1. & seqq. Contra num. 8. & seq.

Venditio facta per subhastationem ad instantiam creditorum dicitur voluntaria. nu. 2. vers. Si quidem venditio. & n. 4. contra. nu. 8. & seq.

Datio in solutum non est proprie venditio, retractus quæ in ea locum non habet. nu. 3. Declara, vt nu. 13.

Voluntas coacta voluntas est. nu. 4. Declara, vt nu. 9.

Retractus, seu ius congrui vigore Bullæ Greg. XIII. habet locum etiam in venditione fundi existentis intra mœnia Vrbis. nu. 5. & seqq. Contra nu. 15. & seqq.

Vrbanum prædium iuxta propriam significationem dicitur, siue intra Ciuitatem, siue extra, destinatum tamen in genere personarum, & non fructuum. nu. 6.

Publica vtilitas dicitur illud, quod respicit ciuium particularium diuitias, & commodum. nu. 7.

Velle dicitur is, qui potest, & nolle. nu. 8. & sequent.

Retractus an sit fauorabilis, vel odiosus. nu. 11.

Factum iudicis procedentis ad instantiam partis, censetur factum ipsius partis. Declara, vt nu. 12.

Appellare non licet à grauamine tam iudiciali, quam extraiudiciali post decem dies nu. 14.

Inquilini dicuntur illi, qui conducunt Vrbanas domos, non qui conducunt rustica prædia. num. 17.

Vrbanum, vel rusticum prædium dicitur secundum patrisfamilias destinationem. nu. 18.

DECISIO CLXXXIV.

1 VInea, vel potius Hortó Cinararum, seu Carciofolorum existente in Vrbe sub Testaccio posito ad publicum incantum ad instantiam creditorum per Curiam Capitolinam, obtulerunt Vincentius Manetus extraneus, & Ambrosius Præuostus Affictuarius, & remansit Vicentio vltimo, & plus offerenti, cui ab eadem curia fuit factum instrumentum venditionis, & datum mandatum de immittendo, prout immissus extitit. His peractis Ambrosius accessit ad Nos, & via monitorij cum inhibitione inserta in forma petijt vigore Bullæ iuris congrui Greg. XIII. se tanquam inquilinum præferri dicto Vincentio. causaque longe lateque discussa pluribus hinc inde informantibus, & voce, & scriptis res deducta est ad duo dubia. Primum, An retractus in casu, & ad effectum, de quo agitur, habeat locum in re vendita per subhastationem. Alterum. Num hæc constitutio concedes in §. 9. retractum inquilino locum habeat in affictuario, seu conductore in casu, & ad effectum eundem.

2 Quo ad primum pro Ambrosio Actore deducebatur, *quod licet in §. 8.* Bullæ videatur colligi retractum vicino non competere nisi pro re Domino volento sponte vendita, & consequenter, nec inquilino per extensionem §. 9. nihilominus accommndetur dispositio huic casui, ipsique competat ex infrascriptis. Siquidem venditio facta subhasta dicitur voluntaria, quia debitor non coactè, sed sponte æs alienum conflauit, & bona sua ære alieno obnoxia esse voluit, sicq; dicit procedere ex voluntate partis inspecta origine, & clarum videtur quicquid consequitur ex voluntate voluntarium censeri. *Bald. consil. 306. circa medium, in 1. gloss. & DD. in leg. 1. C. de natur. liber.* & tanto magis cum fuerit facta ex decreto Iudicis, cuius factum dicitur factum partis. *leg. sio b causam: C. de euict. l. si pignora. eod. tit. gl. in l. id quod nostrum. in §. oppos. ff. de reg. iur. Vrsil. ad Afflict. dec. 191. nu. 3.*

3 Item quia nos non sumus in datione in solutum facta creditori, in qua cum illa non sit proprie venditio, Doctores voluerunt retractum locum non habere, sed in venditione facta Vincentio extraneo plus offerenti, quo casu ijdemmet Doct. senserunt, retractum competere, *Tiraq. de retract. lignag. §. 1. gl. 14. nu. 8. Afl. & ceteri allegati per Bar. de iure protomis. ad Bullas Apostolicas q. 12. nu. 4. & 6.*

4 Et quamuis debitor fuerit coactus à Iudice vendere, voluntasque eius propterea dici possit coacta, non sequitur, quod voluntas non sit, quia voluntas coacta voluntas est, *l. si mulier. §. 1. ff. quod met. cum vulg.* quinimo potest & spontanea appellari, ex quo procedit ex facto proprio debitoris ad differentiam alterius venditionis, ad quam quis tenetur absque facto proprio *sup. ex §. 6.* ad cuius differentiam videntur potius posita huiusmodi verba Domino volète sua sponte &c. quam quod voluerit Summus Pont. statuere, dispositain venditione simpliciter posita non habere locum quando sit facta per subhastationem. Quæ verba & si importarent geminationem, non viderentur facere difficultatem, nisi ostenderetur, quod alias essent superflua, quod ex mox relatis satis constat dici non posse. *Paris. cons. 71. nu. 20. lib. 3.*

5 Ad secundum dicebat Ambrosius, quod cum hortus huiusmodi sit intra mœnia Vrbis cadit sub fundo vel solo Vrbanis, de quibus loquitur §. 8. ibi, sed & cum aliqua domus, siue fundus, aut solum vendendù erit, & propterea conductor non dicitur colonus, sed inquilinus, *gloss. in leg. re pignoris. ff. de acq. possess. in leg. emptorem. in verb. colono. Codic. locati. & in §. Item Seruiana,*

tiana, *in verbo coloni. Institut. de action.* consequenterque intra dispositio Bullæ, *in §. 9. de inquilino loquentis.*
6 Nec refert, quod Vrbanum prędium iuxta propriam significationem denotet prędium destinatum in genere personarum, non fructuum siue intra Ciuitatem, siue extra. Quoniam satis esse videtur, quod Bulla vbi de rusticis agit, in §. 12. intelligat rustica prædia esse, quæ sunt extra Vrbem, ibi intra tria ab Vrbe milliaria. Quia dictio ab excludit. *Bald. in leg. 1. in principio sub nu. 3. vbi Castren. sub num. item 3. Alex. num. 16. Ias. nu. 24. ff. si quis cautionibus.*
7 Et licet in casu isto non possit considerari aliqua ratio ornatus Vrbis, tamen sufficiat, quod possit considerare ipsius Ambrosij commoditas, quę respectu omnium inquilinorum in genere potest appellari bonum publicum, prout dicitur publicum interesse, quod ciues sint diuites, quamuis sit Ciuium ipsorum particularis vtilitas. *Bart. in leg. 1. sub num. 25. vbi Ripa, & alij. ff. solut. matrim.* & præter id concurrit aeris salubritas, & consideratis fructibus, qui percipiuntur, concurrit etiã ciuium vtilitas, ad quæ prospexit Bullla nostra, dum in principio retulit tres rationes, ex quibus moti sunt Summi Pontifices ad condendum constitutionem huiusmodi, Vrbis scilicet, & illius districtus ornatum aeris salubritatem, & priuatorum commoditatem, nec aliter possèt intelligi §. 9. inquilino retractum concedens, cum ipse non teneatur nec ornare, nec fabricare Quare casus iste satis videtur comprehensus sub Bulla si sub illius ratione comprehensus ostendatur, *Dec. cons. 372. nu. 7. cum vulg.*
8 His tamen non obstantibus fuimus in voto absoluendum esse Vincentium à petitis ab Ambrosio moti, quo ad primum punctum ex eo, *quod Bulla in §. 8. ad quem refertur. §. 9.* velit ad hoc, vt sit locus retractui quod domus solum, vel fundus sint vendita à Domino volente sua sponte vendere, per quæ verba ad literam excluditur venditio facta per subhastationem mediãte Iudicis decreto ad instantiam creditoris; Velle enim dicitur, qui potest, nolle. *leg. eius est nolle. vbi Dec. ff. de reg. iur.* sponteque factum dicitur, quod nulla necessitate cogente fit, quod Motu proprio, quod libere, non autem coacte, vel ad petitionem. *Ancharan. in cap. præsenti. in 5. notabili. de censibus. Dec. in l. velle non creditur, sub num. 6. in fin. ff. de reg. iur.* quod non contingit in casu isto.
9 Et cum vtrumque copulatiuè requiratur, quod scilicet Dominus velit, & sponte velit vendere, non sumus in puris terminis geminationis, in quibus nihilominus adessent angustiæ pro Ambrosio ex cumulatis per Illustriss. Card. Tuscum *pract. concl. tom. 4. in vers. geminatio. concl. 28. per totum.* Sed fortioris declarationis, quod voluntas omnino, & ex omni parte sit libera, si spontanea debet esse. Qui enim se constituit debitorem alterius sub hypotheca bonorum facultate etiam data creditori alienandi, licet libere, & sponte recipiat, non sic tamen facultatem sua bona alienandi præstat, quia potius necessitate ductus, vt pecunias, vel res, quibus indiget habere possit, alias non habiturus; & propterea necessario inferri non potest in puncto, quod debitori, qui erat Dominus horti, quando obligauit creditori bona sua, placuerit, libere, & sponte, quod iste hortus sic in indiuiduo venderetur ad publicum incantum cum aliquo suo dedecore, & grauibus expensis, voluit quidem, sed necessitate ductus, & licet voluntas coacta sit voluntas, non tamẽ dici potest, quod sit volũtas spontanea, quã requirit cõstitutio nostra, sed dicitur voluntas qualificata, vt post *Abb. & alios dicit notab. Dec. in dict. leg. velle non creditur sub num. 6. vers. 4. & vltim. de reg. iuris*, quæ non est propriè voluntas, sed secundum quid, vt bene dixit idem *Dec. in dict. leg. velle non creditur, num. 3.* voluntarium enim regulariter non dicitur, quod fit ex Iudicis, vel legis dispositione, vt post *Alberic. & Anchar.* dicit *Sebast. Medic. tract. de fortuit. casibus part. 1. quæst. 1. num. 25.* quinimo actus voluntarius nec dicitur, quando fit ab eo, qui poterat compelli, cum paria sint, aliquid fieri coacte, vel timore coactionis. *Bald. not. per illum textum leg. nouissime, num. 2. vbi latè, ff. quod fals. tut. auct. Dec. eademmet leg. velle non creditur. sub num. 2.* & si voluntarium dicatur, erit causatiue, & non præcise, vt requirit Bulla nostra *Grat. cons. 133. n. 19. in priu.*
10 Et in terminis, quod retractus non habeat locum in venditione facta ex causa necessaria, siue per subhastationem, siue per dationem in solutum, voluerunt *Spec. tit. de emptione. §. nunc dicendum est de rescindendis, num. 20. vers. sed bene qui*, & si loquatur de datione in solutum, non innitur tamen soli rationi, quidam datio in solutum non sit propriè venditio, vt per Informantes ex aduerso considerabatur, sed inter alias rationes hanc deducit, quod necessitate ductus in solutum dederit Ioan. Andr ibidem dicens, quod licet cõtrahere dicatur voluntatis, persistere tamen dicitur necessitatis. *Alberic. de statut. lib. 1. q. 88. & q. 110. num. 4. Roman. latè cons. 107. per totum* loquens in alienatione facta vigore laudi. *Alex. cons. 52. per totum libr. 1.* loquens in adiudicatione facta per Iudicem absque subhastatione, *& consil. 76. num. 10. in 5. volum. Afflict. de iure protomij. §. 3. num. 6. testans, quod ita practicatur. Gui. Pap. decision. 257. in fin. Grat. dict. consil. 133. per totum lib. 1. Neapodan. ad Consuetud. Regni Neapolit. tit. de iure congrui, in verbo, emit. num. 5. & sequent.* loquens tam de adiudicatione, quam de immissione ex iudicis decreto & ibi addentes alios citant, & post *Chassan. in con. uet. Burgun. Arnel. Ferran. ad consuet. Burdegalen. Massuer. in prax. iudic. Asin. de executione. §. 4. cap. 3. num. 1. Carpan. super Stat. Mediolan. cap. 417. num. 143.* ex quibus apparet, quod hæc est communis opinio in terminis, consuetudinum, & constitutionum concedentium retractum in re vendita simpliciter, vt non intelligatur concessus, si sit vendita ex causa necessaria, vt eo magis admittenda sit in constitutione nostra disponẽte concedi retractum, si vendita si sponte à Domino vendere volente, quod non intelligatur concessus, si vendita sit per subhastationem ad instantiam creditoris, ea scilicet ratione, quod vbi vẽdatur res sub hasta sit consultum vicino, & inquilino, illam habere per aliam viam, quam retractus, claram, & apertam, & verisimiliter magis vtilem creditori. Quibus adstipulatur regula desumpta ex *l. pen. §. prædium, ff. de l. 2. cum alijs simil.* Quod dispositio de aliquo actu facta non ad necessarium, sed ad voluntarium refertur.
11 Confirmatur, quia non accommodantur venditioni per subhastationem, alia pro forma requisita à Bulla nostra *in d. §. 8.* & inter cetera, quod intimata venditione iurent, tam emptor, quam venditor apud acta illam veram esse, in eaque ac illius pretio non interuenisse dolum, vel simulationem aliquam, vnde casus iste remanet sub iuris communis dispositione, & licet ratio commoditatis priuatorum habita sit in cõsideratione à Bulla, non ita tamen quod possit ampliari, & extendi dispositio pro inquilino, vt fieri posset pro vicino ratione publici ornatus, cuius solius causa habemus ampliorem facultatem, & arbitrium maius, *vt ex §. 10. & ex §. 20. constat*, exclusa enim ratione publici ornatus, quæ est fauorabilis, constitutio hæc non est latè interpretanda *cap. priuilegia. 3. distinct. cap. sanc. vbi Abb. num. 1. & 3. de priuileg. Afflict. decis. 21. num. 12.* & propterea dicebamus, quod deducta pro Ambrosio fuisset efficaciora, & magis arrideret si pro vicino non pro inquilino proponeretur, quodque ratio salubritatis aeris non potest hic esse in maiori consideratione pro Ambrosio quam pro Vincentio, quod aliter esse possèt, si alter esset vicinus, & secundum terminos Bullæ vellet venire, & ampliare ad aeris quoque salubritatem.
12 Non intrat *leg. si ob causam, Cod. de euic. cum concor.*

ex ad-

ex aduerso allegat. quod scilicet factum Iudicis procedentis ad instantiam partis censeatur factum ipsius partis, quia sic potius hæc venditio diceretur facta à creditore, ad cuius instantiam vendidit Iudex, quam à debitore, & licet verum sit fingi venditionem factam à Iudice esse factam à debitore, non est ob id vere facta à debitore, & aliunde id procedit quinimo faceret pro Vincentio, quod dispositio Bullæ loquens de venditione vere facta à Domino rei; non habeat locum in ficte facta. *l.3. §. hæc verba. vbi glos. in verb. hæreditatem. ff. de neg. gest. cum vulg.*

13 Nec quicquam facit, quod dicebatur de differentia inter dationem in solutum, & venditionem sub hasta. Quia *Tiraquel. Afflict. Bard.* qui relinquit cogitandum, & alij loquuntur in terminis consuetudinis, & constitutionum disponentium simpliciter de venditione facta absque alia adiectione, vt ostenditur. Nostra autem constitutio loquitur in terminis præcisis venditionis voluntariæ, & spontaneæ. Vnde ea ratione, qua venditio simpliciter capta secundum eos non comprehendit dationem in solutum, quia non est proprie venditio, eademmet ratione, venditio quæ debeat esse voluntaria, & spontanea non comprehendit venditionem factam sub hasta, quia non est proprie talis, sed vt supra diximus, alia quoque ratione moti sunt plerique ex Doctoribus præfatis ad denegandum retractum in datione in solutum ex eo scilicet, quod datio in solutum proueniat ex causa necessaria, & ipsimet Doctor. in contrarium citati, aut inferunt causam necessitatis pro excludendo retractu, & causam proprie voluntariam pro concedendo, aut illum concedunt Domino directo, cui competit ius prælationis, & caducitatis de iure communi aduersus emptorem rei emphyteuticæ ex causa necessaria, vt concludunt *Capicius decisi.99. in fi.* & alij quod non facit ad casum nostrum.

14 Tandem cum minori difficultate in hanc sententiam venimus. Quia in subhastatione huius rei Ambrosius obtulit semel, & iterum, & eligendo hanc viam, quæ sibi patebat, consensit superari à Vincentio vltimo, & plus offerente. Non solum etenim proclamata, quæ fiunt in subhastatione requirunt, & citant omnes, sed signanter ex oblatione probatur offerentis scientia iudicialis, rem scilicet esse vendendam cum pactis, & capitulis ibi expressis, & inducitur declaratio, quodam noluerit pro maiori pretio, quam obtulerit. Vnde sibi imputari debet, quod superari voluerit etiam cum aliquali præiudicio saltem verisimili Domini rei vendendæ. Si enim Ambrosius oblationem auxisset, idem de facili postmodum fecisset Vincentius, cum euidenti vtilitate Domini. Et quia prima Ambrosij oblatio fuit sub die 1. Octobris, secunda vero sub die decimo. Monitorium autem ad illius instantiam fuit executum contra Vincentium die 28. eiusdem, fuit etiam consideratum, quod ne dum id fuit post decem dies, post quos solent omnia conquiescere, siue grauamen fuerit illatum iudicialiter siue extraiudicialiter, *Marant. in Spec. par.6. & quandoque appellatur vers.3. principaliter. n.213. & 325.* sed vltra 15. dies expressos à Bulla, & quod facilius audiri potuisset, si nullo modo obtulisset. Non protestando etenim infra decem dies consensisse videtur. *Facit l.1. & 4. C. de remis. pign.*

15 Secundum dubium visum est minorem habere difficultatem, si quidem etsi *ex §.8.* Bullæ admittatur vicinus ad retrahendum, ne dum domum sed fundum, vel solum, quæ fuerint vendita: tamen inquilinus non vocatur ad retractum, nisi quando domus vendatur, vt sunt clara verba. §.9. quæ pluries fuerunt considerata, & hic agitur de venditione non domus, sed vineæ, vel horti, super quo non adest aliqua domus, licet in extrema illius parte adsint quidam parietes tecti, qui non sunt destinati ad vsum habitandi, vt ex visione apparuit, & in his nec cadit ratio, quæ considerari potest in apothecis, & magazenis, in quibus saltem per totam diem, & partem noctis commorari solent inquilini, nec in vineis habentibus domos, in quibus continue habitent vineas colentes, vel eas in affictum conducentes.

16 Nec potest concedi, *quod in §.* sit expressa domus exemplificatiue, vt per Informantes pro Ambrosio dicebatur, cum nulla adsint verba id indicantia, quinimo intuenti constat, quod dispositiue, & geminate est posita, vt possint intrare, quæ de geminatione supra annuimus.

17 Augetur facilitas resolutionis. *Quia §.9.* vocat tantummodo inquilinum, qui proprie dicitur in vrbanis *l. emptore. cum glo. in verb. colono. C. locati*, non autem colonum, qui dicitur in rusticis. *l. re pignoris. vbi glos. in verb. possidere. ff. de acquiren. possess.* Et quia nos sumus vere in re rustica, ex qua percipiuntur fructus venales, vt mox dicetur, & pro rusticis habemus *in §. 12.* Bullæ particularem dispositionem, qua vocantur solummodo vicini ad ius congrui verbis expressis pro vineis, & cannetis, & ad retractum per interpretationem, comprehensiuam à maioritate rationis, quæ hic non concurrit, non autem coloni, vel conductores, cessat omnis scrupulus, maxime cum non ita ample possit fieri interpretatio, prout posset, si ageretur pro vicino, qui teneretur vnire, & ad publicum ornatum, seu decorem fabricare, vt supra tetigimus.

18 Nec visa est obstare consideratio subtiliter facta ab altero ex DD. Informantibus pro Ambrosio volente vi Bullæ, quicquid est intra mœnia, esse prædium Vrbanum, quicquid vero extra, intra tria tamen ab Vrbe milliaria rusticum propter dictionem ab. Quoniam cum de iure sit attendenda destinatio patrisfamilias, vt ipse quoque Dominus Aduocatus sentit, vt scilicet quicquid est in Vrbe vel extra dicatur vrbanum, vel rusticum secundum patrisfamilias destinationem. *l. vrbana predia. ff. de verb. sign.* cum vrbanum prædium, non locus, sed materia faciat; dicit ibi Iurisc. & in puncto rustica prædia dicantur, quæ fructuum percipiendorum causa fiunt, vt est hortus iste Cinararum controuersus. *l. eo iure. §. stabula. ff. quib. mod. pig. tacite contrah. Cæpol. de seru. vrb. c.11. num.2. & nu.4.* vbi in terminis de horto satis constat, quod Bulla vtens illis verbis ab Vrbe, nil aliud intellexit, nec voluit, nisi restringere, quod pro rusticis prædijs non omnibus quidem, sed pro vineis, & cannetis competeret ius huiusmodi intra tria tantummodo ab Vrbe milliaria, & non vltra, siue sint intra, siue extra mœnia non habita vlteriori ratione, vt subiecta materia indicat, alioquin domus, quæ sunt positæ, ne dum extra portam Populi, & de Caualli leggieri, & alias portas, in quibus continue habitant hospites, & aliæ personæ non rusticæ, etiam milites. Sed omnes existentes trans Tyberim extra mœnia inhabitatæ à pluribus viris nobilibus essent rusticæ, quod est absurdum.

REVERENDISSIMO P. D. LVGDVNEN.

Toletana Canonicatus. Veneris 23. Aprilis 1609.

ARGVMENTVM.

Puritas sanguinis præsumitur, & qui impuritatem sanguinis allegat, eam probare debet, statutumque reijciens eos qui sanguinis puritate non gaudent, non censetur repellere eos, de quorum sanguinis impuritate non constat.

SVMMARIVM.

Puritas sanguinis præsumitur, & qui impuritatem allegat, illam probare debet nu.2. & 3. vbi respondetur contrarijs.

Super-

Superfluum non dicitur, quod in sensu contrario post operari aliquid, quod in directo non operaretur. num.3.
Prooemium in dispositionibus obtinet rationem causæ finalis, & lumen præstat ad repellendas omnes subsequentes ambiguitates. nu.4. in fi. & nu.5. & 6.
Argumentum à contrario sensu validissimum est in statutis præsertim quando statutum disponit in casu à iure non prouiso. num.7.
Inclusio vnius probationis excludit aliam. num.8.
Edictorum publicatione crimina detegi possunt. nu.10.

DECISIO CLXXXV.

1 QVamuis hæc secunda huius dubij propositio decreta fuisset ad maximam instantiam Dominorum Agentium pro Capitulo: tamen cum illi expectati per tres, & amplius menses, & contiguis solicitati citationibus, non tamen se paratos præberent ad informandum: fuit, solo Domino Ludouico informante, facta dicta propositio. Et Rota censuit, standum esse in resolutis, sub die 10. Decembris proxime præteriti, ex rationibus longa serie deductis in Decisione.

2 Aduersus quam Decisionem, cum illa, quæ oretenus opposita fuerunt, respiciant præcipue interpretationem datam Statuto, visum fuit Dominis, frustra pro parte Capituli excitari querimonias, quasi rumpatur Statutum, vel illius dispositio, excogitatis recens intellectibus, eludatur: cum potiùs tam insignis Ecclesiæ Statutum Apostolica auctoritate confirmatum in suo antiquo robore, & legitima obseruantia permanere Rota percupiat, &, quantum in se est, enitatur. Atque ex resolutionibus in hac materia sæpissime factis appareat, quod in hac causa Rota censuit, id fuisse nobis quasi traditum per manus Antecessorum nostrorum, dictamque interpretationem perpetuis, & constantibus suffragijs, & olim, & nunc receptam fuisse. Et quidem vltra Decisiones alias cumulatas, nouissime fuit in causa Toletana puritatis sanguinis. 10. Martij 1604. coram bon. mem. Litta disertis verbis dictum, eo ipso, quod Capitulum non probat impuritatem, intentionem prouisi esse fundatam, ideoque sæpissime Rotam resoluisse.

3 Impugnatur etiam minus æquè Decisio, cum asseritur, illam patefacere aditum proiectis, & terræ filijs ad beneficia Ecclesiæ Toletanæ. Id enim alienissimum est, vt à mente Dominorum, ita à verbis Decisionis, quæ proiectorum mentionem fecit, non vt ad eorum fauorem aliquid disponeret, sed vt proponeretur obiectio, quæ pro parte Capituli fuerat facta, quod, iuxta Rotæ intellectum, dispositio Statuti esset superflua, & inutilis, quodque etiam terræ filij forent in Ecclesia Toletana admittendi. Quæ obiectio nullo modo subsistit, quia Statutum satis operatur, dum preter Iuris communis dispositionem, excluditur prouisus, si eius origo detegatur consperla aliquibus impuritatis maculis. Ad quod optime facit illa Iuris conclusio, quæ habet, non dici superfluum illud, quod in sensu contrario potest operari, quamuis indirecto nihil operaretur, vt similibus, & allegationibus ad hunc casum valde accommodatis, tradit *Alciat. præsumpt.3. reg.3.* Quod autem attinet ad proiectos, manifestum est illos non posse satisfacere Statuto, quia cum patrem indicare non possint, deficit fundamentum informationis capiendæ, ideoque cum omnis disputatio præsupponere debeat terminos habiles, non bene infertur ab illis, quorum noti sunt natales, ad populi filios, & terræ progeniem. Et propterea Decisio non immerito huic obiectioni nullam aliam responsionem dedit, nisi quod in Rota dubia non disputantur in abstracto. Quodque hic non agitur de proiecto, sed de prouiso nobili, cuius pater, & maiores Christiani, & nobiles ex ipsa informatione probantur.

4 Ceterum vt intellectus Statuti in tot causis datus conformis omnino appareat menti, & verbis tam statuentium, quam Papæ confirmantis, placuit Dominis considerare circa hoc magis ex proposito, quod strictim in Decisione fuerat dictum. Leguntur igitur in prooemio Apostolicæ confirmationis hæc verba. Dum earum cætui aliqui, quorum genitores Christianæ Religionis tramites nefarie sunt transgressi, se temere aggregare curant, varia scandala, & dissensiones passim oriri intuentur, ne similia subsequantur, non modo in eos iuris rigorem obseruare, verùm seuerius agere dignum duci, &c. Ex quibus verbis apparet, huic Statuto causam dedisse descendentes ex genitoribus Christianæ Religionis tramites transgressis, mentemque Statuentium, & Papæ confirmantis fuisse, repellere ab ingressu Ecclesiæ Toletanæ non illos, qui puritatem positiue non probassent, hoc enim nullibi legitur, sed eos, qui descenderent ex parentibus, aut maioribus infectis, quos Statutaria dispositio repellere voluit, nedum iuxta iuris rigorem, puta intra gradus expressos, quo ad descendentes Hæreticorum in *c.2. §. Hæretici. c. vt commissi, &c. Statutum. il 3. de Hæret. lib. 6.* Sed etiam seuerius, hoc est omnes in infinitum, quocumque gradu descendentes. Non est autem dubium, quod in dispositionibus prooemium obtinet rationem causæ finalis, & lumen præstat ad repellendas omnes subsequentes ambiguitates. *Bald. in l. cum quid. ff. si cert. pet. Bart. & Doct. in l. fin. de hæred. instit. late Io. Garzi. de nobil. in diuisione. nu. 2. & seq.*

5 Id comprobatur ex narratiua per Archiepiscopum, & Capitulum Summo Pontifici facta, Quod licet Ecclesia Toletana sit multis nominibus insignis, contingebat nihilominus ex illius Capitularibus aliquos, præsertim de infecta Hebræorum progenie descendentes, tanquam de crimine hæresis suspectos, à Sancti Officij Inquisitoribus capi, & puniri, in ipsius Ecclesiæ non leue dedecus, quibus inconuenientibus occurrere cupientes statuerunt, &c. quæ narratiua demonstrat causam finalem Statuti fuisse, ne infecti maculis admitterentur.

6 Idem etiam colligitur ex ipsius Statuti parte dispositiua, in qua postquam dictum est, vt non admittantur, nisi descendentes de antiquis Christianis, statim subditur, nulla Hæreticorum, Hebræorum, vel Saracenorum macula infectis. Quibus verbis explicarunt statuentes, quos intellexerint descendere ex antiquis Christianis, illos videlicet, qui prædictis maculis nullo modo essent infecti, vt fuit iam late consideratum in Decisione. Pro cuius corroboratione fuit insuper ponderatum in hac propositione, quod in Hispania, vulgari sermone, Christiani noui dicuntur, qui infecti sunt macula Hebræorum, vel Saracenorum. Ideoque illa verba Statuti, Non admittantur, nisi ducentes originem ex Christianis antiquis, idem important, ac si dictum fuisset, non admittantur descendentes ex Christianis nouis, id est infecti maculis, sicque verba, nisi ex Christianis antiquis, incidunt in idem cum verbis subsequentibus, nulla macula infectis, quæ non fuerunt adiecta, tanquam diuersa, nec diuersam significationem à præcedentibus habentia, sed vt magis, & magis Statuentes suam mentem, impuros excludendi, aperirent. Et per consequens tota illa clausula non duas qualitates in admittendis, sed vnam tantum requirit, videlicet, quod admittendi non ducant originem à Christianis nouis, id est, quod illorum origo non sit infecta, quod & ipsa res suadet, cum & idem sit descendere ex Christianis antiquis, aut non descendere ex nouis, & idem sit non descendere ex nouis, aut non descendere ex infectis Hebræorum, vel Saracenorum maculis.

7 Demum ipsummet Statutum vlterius, & consecutiue progrediens seipsum optime declarat ibi, Et si admis-

admissi ex certa, & vera informatione, quod de Hebræorum, Saracenorum, aut Hæreticorum progenie descenderent reperti fuissent, statim ab eadem Ecclesia repellerentur. Disponit enim Statutum ex iam receptis illos expellendos, qui reperti fuissent originem ducere ab infectis, non autem dicit repellendos esse eos, qui non fuerint reperti positiuè descendere ex puris, & antiquis Christianis. Igitur in qualitate positiue requisita à Statuto in expellendis, clare constat de qualitate desiderata in admittendis. Quia si Statutum repellit descendentes ab infectis, sequitur à contrario sensu, quod non descendentes ab infectis admittit. Quod argumentum in iure est validissimum, iuxta *text. in l. 1. §. huius rei. ff. de offic. eius cui mand. est iurisd.* & procedit, non solum in verbis legis, sed & in Statutis locum sibi vendicat, præcipue quando, vt in hoc casu, Statutum disponit in casu à iure communi non prouiso, *Bart. in l. omnes populi. in 6. q. princ. ff. de iurisd. om. iud. Alex. & Ias. in d. §. huius rei. Felin. in cap. significasti, de for. compet. & alij per Euerard. in loco a contrario sensu. versic. & quia supra plene.*

8 Itaque cum ex supradictis appareat euidenter, Statutum requirere probationem descendentiæ ex non infectis, remanet exclusa intentio Capituli, quo ad necessitatem probandæ descendentiæ ex puris positiue. Quia inclusio vnius necessitatis probationis excludit aliam, *arg. tex. in l. cum Prætor. in princ. ff. de iudic. trad. Dec. in l. 1. in 3. lectura. num. 64. circa med. ff. si cer. pet. Menoch. de arbitr. lib. 2. cent. 5. casu 420. num. 44. facit tex. in l. cum ita. vers. qux enim. ff. de cond. & demonstr.* Et faciunt, quæ notat *Bart. in l. cum auus. num. 4. ff. eod.* Et per consequens, qui ex probationibus à Commissario Capituli factis reperitur non descendere à genitoribus macula infectis, ille habet qualitatem puritatis à Statuto desideratam, iuxta ipsius mentem, & verba, & iuxta Decisiones alias in similibus causis istius Statuti, & Ecclesiæ in Rota factas.

9 Sed & in hoc casu habentur ex abundanti aliqui testes, qui de puritate affirmatiua, seu positiua etiam ex publica voce, & fama deponunt, vt in Decisione dictum fuit, in qua etiam fuit expressum, quod aduersus testes de impuritate deponentes D. Ludouicus proposuerat plures exceptiones, quas Domini Capitulares non censerunt attendendas. Sunt etiam consideratione dignæ contrarietates, & varietates, quibus inuoluta reperiuntur dicta quorundam ex illis testibus, qui de impuritate originis maternæ D. Ludouici deposuerunt. Quippe ijdem testes in qualitate eiusdem descendentiæ, aliud in informatione Domini Licentiati Aldanæ, aliud in ista Domini Ludouici dixisse arguuntur.

10 Quod attinet autem ad ea, quæ deducta fuerunt contra modum procedendi, quo tam Dominus Commissarius, quam Domini Capitulares vsi fuerunt, visum est ea prætermittere, cum omnia dicantur ex abundanti, & aliqua etiam non probentur ex Actis, Sed & si quid seuere aliquantulum, aut dure factum fuisset, Domini tamen, nisi persuadent, omnia gesta fuisse ex causis rationalibus, quas vel negotij qualitas, vel Regionis stylus, vel Capituli obseruantia exposceret. Veruntamen animaduerterunt D. Ludouico suffragari debere, quod posthabitis exceptionibus per ipsum propositis, & derelictis illis testibus, qui de puritate originis ipsius in prædicta Aldani informatione deposuerant: demumque facta informatione, tam exacta, & exquisita, vt rei veritas quæsita fuerit, etiam mediante publicatione edictorum cum censurarum comminatione, qui est modus detegendi criminis. *Clar. in pract. crim. q. 27. lib. 5. Foller. in pract. crim. Ganon. fol. 119. num. 27.* atque in informationibus, & visitationibus Ecclesiasticis non laudatur. *Pauin. de visit. par. 1. q. 5. n. 4. & seq.* nihil tamen detectum fuit, ex quo vere, aut legitime dici possit, quod eiusdem D. Ludouici origo aliqua macula infecta sit. Hoc enim stante, bene intrant regulæ in Decisione firmatæ, quod paria sunt, Non esse, & non apparere, quodque non præsumitur verum id, quod tentatum est probari, & non fuit probatum.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

D. CARD. LANCELLOTTO.

Bononien. Præceptoriæ. Veneris 15. Maij 1609.

ARGVMENTVM.

De probatione valoris beneficij per testes, & per listam reddituum.

SVMMARIVM.

Valor beneficii non probatur per notulam illius reddituum factam ab interesse habentibus. num. 1.

Notula redditum Ecclesiæ dicitur defectiua si in ea non sunt descripti omnium bonorum redditus. num. 2.

Valor narratus per modum negatiuum non probatur per testes deponentes per modum affirmatiuum. num. 3. & num. 5. & 6.

Fama, quæ ortum habuit à personis interessatis, nihil probat. num. 6.

DECISIO CLXXXVI.

1 CVm ad tollendas difficultates excitatas in decisione sub die 4. Iunij 1607. fuissent pro parte Capituli coadiutæ probationes alias factæ super valore Prioratus, seu Præceptoriæ de tempore vnionis, præcipue autem post reportatam remissoriam, fuerit etiam examinatus in Curia vnus testis causa proposita 9. Maij 1608. & 1. Decembris eiusdem anni, & vltimo loco die supradicta, Domini considerantes, quod non agitur de simplici narratiua, quæ fit in prouisione beneficij, sed tractatur de perpetuo præiudicio Religionis, quæ in perpetuum Præceptoria, & Hospitalitate pauperum Alamannorum priuaretur, & quod non sumus in materia antiqua, sed recenti, nempe in facto viginti quatuor ab hinc annorum, resoluerunt ex deductis non esse iustificatam gratiam quo ad valorem. Quatenus enim ad illum probandum adducitur primo loco quædam lista reddituum istius prioratus facta, vt dicitur ex ordine bon. mem. Cardinalis Paleotti, tunc temporis Archiepiscopi Bononiensis, & reperta in Archiuo eiusdem Archiepiscopatus, illa nihil concludit. Nam vltra quod fuit facta à personis Ecclesiæ, & de ordine Archiepiscopi, quorum intererat vnionem fieri ad augendos redditus Ecclesiæ, & non probatur rite fuisse immissam in Archiuo, nec fuisse factam tempore vnionis, cum vnus testis dicat illam fuisse præsentatam per aliquot annos antequam fieret vnio, nihilominus non probat ex duobus.

2 Et primo, quia apparet, quod non est fidelis, cum in ea non fuerint descripta omnia bona. Nam constat, quod Prioratus vltra descripta in lista, habebat etiam domum, hortum, & viridarium, quæ licet prætendatur esse modicæ considerationis, & deseruire pro habitatione Rectoris, tamen ostendunt esse defectiuam listam, in qua sicuti ista omissa fuerunt, ita potuerunt omitti alia maioris considerationis.

3 Secundo cum in lista ponantur redditus Prioratus affirmatiuè, ex ea non potest dici probatus valor per modum negatiuum, nempè per non excessum, prout fuit narratum. Stant enim simul, quod Prioratus habeat redditus in lista contentos, & quod etiam habeat alios, quia lista non excludit quin alios habere possit, & sæpe

& sæpe decisum fuit in Rota, quod valor narratus per modum negatiuum, non probatur per testes deponentes per modum affirmatiuum.

4 Quantum ad primum testem, nihil etiam probat: tum quia non concludit ad tempus vnionis, sed restringit se ad tempus examinis, tum quia fatetur se nescire redditus, & introitus istius Ecclesiæ, tum quia dum deponit de publica voce, & fama, illam deducit ex auditu à Rectore, & Visitatoribus Ecclesiæ, qui erant personæ interessatæ, ita vt hæc fama non habuerit originem à personis non suspectis. Sed cessat difficultas, quo ad hunc testem, quia expressè profitetur, se semper referre ad dictam listam, quæ sicuti non probat, vt dictum est, vtique neque probat testis, qui in ea se fundat, ne magis credatur copiæ, quam originali.

5 Secundus testis probat solum de auditu, & de auditu à personis Ecclesiæ, & quod plus est, deponit per modum affirmatiuum, quod prioratus valebat, non autem probat per non excessum.

6 Tertius testis similiter non probat per non excessum, deponit de auditu, & restringit publicam vocem, & famam ad personas interessatas, nempe Canonicos Ecclesiæ.

7 Remanet solum testis in Curia examinatus, qui licet dicat, quod de tempore vnionis publice dicebatur, quod redditus non ascendebant ad maiorem summam, quam 300. scutorum monetæ Bononiæ, nihilominus dicit etiam non posse affirmare quos introitus haberet Ecclesia ab anno 1570. vsque ad 1577. & nescire onera, & expensas illius. Et in omnem euentum esset vnicus, qui non sufficit maxime cum detur fumus maioris valoris, nedum pro parte Religionis, sed ex secundo teste Capituli dum dicit, quod Commendatarius Maluetius precipiebat plus, quam ducentos Ducantos, quibus si addatur pensio 150. & salarium, quod Cappellano soluebatur, vtique valor erit plus, quam 300. Ducatorum.

REVERENDISSIMO P. D. DAMASCENO.

Romana Casaletti. Lunæ 18. Maij 1609.

ARGVMENTVM.

Frumentum in agro à colono seminatum agro postea vendito, an spectet ad emptorem, vel ad ipsum colonum.

SVMMARIVM.

Fructus pendentes sequuntur fundum, neque colonus ante illorum perceptionem efficitur dominus illorum, sed sibi tantum datur actio personalis contra locatorem. num. 1. 2. & 3. Vbi quod hæc conclusio procedit tam in colono partiario, quam in conductore nummis, & num. 5.

Colonus alicuius agri, in quo granum seminauit, an sit Dominus recollecti frumenti, quando agro vendito emptor sciuit prædium sibi locatum. num. 4.

Venditio rei alienæ valet. num. 6.

Relatum venit in referente cum omnibus suis qualitatibus. num. 7.

Dictio dictum est relatiua, & repetitiua præcedentium cum omnibus suis qualitatibus. num. 7.

DECISIO CLXXXVII.

1 CEnsuerunt Domini in venditione Casalis fuisse comprehensum totum granum, prout erat seminatum de tempore venditionis, non obstante, quod illud granum non fuisset seminatum ab ipso venditore, sed ab alio, qui conduxerat Casale ante venditionem, & consequenter venditorem teneri pro toto eo, quod expendit emptor pro habendo grano.

2 Fundamentum decisionis fuit, quia fructus pendentes sequuntur fundum, neque colonus ante illorum perceptionem fuit Dominus illorum, sed tantum competit sibi quædam actio personalis contra eum, qui sibi dedit agrum ad colendum, vt late per *Roman. cons. 309. per totum*, quem sequuntur *Alex. in l. si filiofamil. §. si vir. num. 17. ff. solu. matrim. Ias. in l. cum filius famil. nume. 180. & seqq. ff. de leg. 1. vbi etiam Socin. iun. §. vlt. num. 75. Cephal. cons. 181. num. 16. lib. 2. Mandell. cons. 138. per totum. Bursat. cons. 71. num. 26. & 27. lib. 1. Ioseph. Ludouic. decis. Perusin. 83. per totam. Viu. opin. 127. nu. 4. Thessau. decis. 55. num. 3. Surd. decis. 265. num. 8. & latius. num. 53. Caroc. de locat. par. 4. q. 25. num. 18.*

3 Neque videtur posse constitui differentia inter colonum partiarium, in quibus terminis loquuntur plerique ex allegatis Doctoribus, & conductorem nummis prout est casus, de quo agitur, quia ratio quod fructus sequantur fundum æque militat in vtroque casu, & ob id differentiam non esse constituendam aduertit. *Surd. d. decis. 265. nu. 53.* Quinimo terminos esse fortiores in colono partiario, quam in simplici conductore notat Roman. huius opinio. *Antesignanus in d. cons. 309. num. 1. versic. qua ratione dicunt quidam.*

4 Sicut etiam parum refert, quod prædicta opinio limitetur si emptor sciuit prædium emptum per prius fuisse alteri datum ad colendum, ita *Ias. d. num. 180.* qui tamen in hoc reprehenditur à *Socin. iun. d. num.* & latius à dicta *decis. Perus. 83.* & rursus istorum reprehensionem impugnat *Thessaur. d. decis. 55. numero 4.* quia difficultas cessat ex facto, ex quo in casu proposito non constat de scientia emptoris, & cum sit factum alienum præsumitur ignorantia. *l. fin. ff.* pro suo. & admittunt in specie *Ias. loco supra citato. & alij eum sequentes.*

5 Ex quibus patet decisionem Pedemontanam Cacher. 82. quæ in contrarium allegatur non esse tutam, & fundari in falsis rationibus, nempè quod colens agrum acquirat Ius reale super fructibus, quod nullo iure cauetur, & contrarium probat *Roman. d. consil 309. cum aliis allegatis.* Item ex eo, quod melius fit colono insistere ipsis fructibus, quam actioni contra illum, qui dedit agrum ad colendum, quod non negatur, sed exinde non sequitur, quod colonus habeat tale ius insistendi, nisi probet hoc alias fuisse sibi à iure indultum.

6 Prædictis accedebat, quod in casu proposito venditor in narratiua instrumenti venditionis asseruit ad se spectare Casale ad præsens grano seminatum, postea in dispositiua dicit, quod dictum Casale cum suis iuribus vendebat D.N. vnde ipsum granum seminatum videtur in specie venditum, quod potuit fieri, etiamsi dictum granum in totum, vel pro parte ad alium spectasset, Notissimi enim iuris est, rem alienam vendi posse. l. rem alienam. vbi *Bart. & alij. ff. de contr. empt. l. iusto errore. §. constat. ff. de vsucap. Glos. in c. nonne. verb. tacendo. de præsumpt. Card. cons. 78. num. 1.*

7 Nec subsistere videbatur responsio, quod mentio grani seminati fit in narratiua tantum, quæ non attenditur ex allegatis, quia cum in dispositiua adsit dictio relatiua, ibi dictum Casale vendit, &c. perinde est, ac si in dispositiua esset facta specialis mentio de grano seminato, relatum enim venit in referente cum omnibus suis qualitatibus. *Barto. in l. sanctio legum. numero 7. vers. præterea. ff. de pæn. Roman. consil. 301. num. 14. Dec. consil. 647. num. 3. Crauet. consil. 4. num. 4. Socin. sen. consil. 89. num. 9. vol. 1.*

REVE-

REVERENDISS. P. D. REGNA DECANO.

Ferrarien. Prioratus, Lunæ 25. Maij 1609.

ARGVMENTVM.

In Beneficialibus attenditur vltimus nisi constat de antecedenti legitimo statu contrario Tunc enim non attenditur vltimus status, nisi fuerit legitime præscriptus.

SVMMARIVM.

Vltimus Status in beneficialibus attenditur, nisi constat de contrario statu legitimo præcedente, Tunc enim non attenditur vltimus status nisi probetur legitime præscriptus, numer. 1.

Iuris patronatus quasi possessio non attenditur, quando constat de alterius proprietate, nu. 1. & 2.

DECISIO CLXXXVIII.

1 Contra decisionem in hac causa factam die prima Decembris 1608. in qua fuerat resolutum, gratiam R. P. D. Alphonsi Gilioli fuisse iustificatam, quo ad regularitatem, & quo ad narratiuam, quod Prioratus Clericis sæcularibus esset solitus commendari, acriter agebant Informantes pro D. Antonio Maria Parolario Prætendentes eam non posse subsistere, & propterea ab illa omnino fuisse recedendum, ex duobus potissimum fundamentis, primo quia iustificatione gratiæ debet attendi vltimus, seu præsens status secundo quia licet vltimus status non sit præscriptus sola quasi possessio sufficit; Vnde tandem inferebant collationem Episcopi Ferrariensis non autem Papæ prouisionem fuisse attendendam, & ideo iterum proposita causa super iustificatione gratiæ Domini Gilioli vtraque parte informante, articulo bene discusso, Rota in vltimo loco decisis mansit, Ratio fundamentalis, & firma fuit, quia cum ante annum 1561. constaret de huius Prioratus regularitate nec mutatio status de regularitate ad sæcularitate esset probata, vltimus status non suffragabatur Antonio Mariæ, quia licet verum sit vltimum statum attendi debere, id non habet locum quando constat de legitimo statu præcedenti, tunc enim non attenditur vltimus status contrarius, nisi probetur legitime præscriptus, & mutatus, vt fuit decisum in causa Salamantina Vicariæ die 15. Martij 1596. coram Domino Cardinale Blanchetto tunc Rote Auditore, & iterum in simili in causa Ostunen. Capellæ die 17. Decembris 1599. coram R. P. D. Lancellotto, & est in terminis decisio Rotæ 2. num. 2. de præbendis in nouis, vbi dicitur sufficere vltimum statum sæcularitatis, dummodo non probetur alium statum legitimum præcessisse, quam sententiam probant etiam Doctor. quorum auctoritate vtebantur Informantes pro Antonio Maria, nempe Nicolaus de Milis, in verbo beneficium, vers. beneficium si est impetratum tanquam sæculare. *Et Felinus in cap. in nostra. num. 44. de rescriptis*, & tradunt communiter Doctores *in cap. cum de beneficio. vbi Geminian. num. 8. & Franch. num. 5. de præbend. libr. 6.* Et probatur etiam in cap. consultationibus, de Iure patronat. vbi quando constat de proprietate non attenditur quasi possessio, quæ alias semper inspicitur ad effectum validitatis præsentationis, vt fuit sæpè decisum, & signanter in vna Mileuitana Iuris patronatus. Die Veneris 18. Aprilis 1608. coram R. P. D. Marcomontio. Cum ergo in hac facti specie constaret de anteriori statu regularitatis vsque ad annum 1561. nec deinde probaretur inductus status sæcularitatis legitime præscriptus spacio 40. annorum cum bona fide. *capit. cum de beneficio, de præbendis, libr. 6.* detracto tempore prouisionis Apostolicæ, quod non facit statum, nec Domino Episcopo Ferrarien. ad effectum alternatiuæ, nec Antonio Mariæ ab Episcopo instituto iste vltimus status suffragabatur.

2 Prima decisio in hac causa facta, qua vtebantur Informates pro Antonio Maria, quod ad sustinendam collationem ordinarij, & excludendam reseruationem attendenda sit quasi possessio, & vltimus status beneficij, iuxta *consil. Calderini 23. de præbend.* sæpe à Rota approbatum, non refragabatur vltimæ decisioni in hac causa factæ neque his, quæ modo à Rota constituta fuerunt, quia verum est sufficere probare vltimum statum ad hoc, vt dicatur beneficium consuetum regi per Regulares, vel Sæculares, quia agitur de mutatione vsus, sed fallit, si probetur contrarium statum præcessisse, & ideo prouisus ab Ordinario ad suam prouisionem sustinendam astringitur hoc casu ad probandum statum sæcularitatis fuisse seruatum per 40. annos, quia tunc primus status non tollitur, nisi per contrarium statum legitime præscriptum vigore quadragenariæ præscriptionis, & ita limitauit regulam de qua agitur quod vltimus status sit attendendus, *Rota in prædicta decis. 2. de præbendis in nouis, & Felinus in d. c. in nostra. de rescriptis.* Quare cum Dominus Giliolus prouisus Apostolicus sufficienter probauerit præcedentem statum Regularitatis, & quo ad illum gratia ipsius fuerit iustificata, prouisus ab Ordinario non potest eam expugnare, nisi concludenter probet mutationem status, iuxta formam dicti *c. cum de beneficio, de præbend. lib. 6.*

R. P. D. CAVALERIO.

Romana Concordiæ S. Petri. Veneris 5. Iunij 1609.

DECISIO CLXXXIX.

Est impressa inter Caualerio.

DECISIO 65.

R. P. D. CAVALERIO.

Bononien. de Bonsignoribus. Veneris 15. Iunij 1609.

DECISIO CLXXXX.

Est impress. inter Caualer.

DECISIO 70.

R. P. D. IVSTO.

Pampilonen. Illegitimitatis. Mercur. 10. Iunij 1609.

ARGVMENTVM.

Papa potest ex dispensatione filium ex incestu natum secuto matrimonio legitimare. Quando sic dispensatum dicatur, & an à principio requiratur maritalis affectus seu consensus, poteitque Papa principaliter, & in consequentiam in toto mundo respectu spiritualium, & temporalium legitimare.

SVMMARIVM.

Filius natus ex incestu per subsequens matrimonium ex dispensatione Papæ dicitur legitimatus, quando à principio aderat

aderat promissio de contrahendo matrimonium, numero 1. & 5.
Filij ex incestuoso coitu nati non dispensantur per subsequens matrimonium ex dispensatione Ecclesiæ, nisi verba dispensationis aliud disponant. nu. 2. vbi etiam quando dispensatio dicatur hoc disponere, & num. 3. vbi bene declaratur materia, & nu.4. & per totam.
Legem limitare in vno, vel pluribus casibus facilius est, quam in totum abrogare. num. 7.
Papa potest vbique hæreditatem deferre, & auferre, nu.7.
Dispensationes matrimoniales duplici causa conceduntur, videlicet propter prolem susceptam, & euitationem scandali, num.8.
Dispensationes vnius verba aliam non declarant, sed attendenda sunt singulariter cuiuscunque dispensationis verba, num.9.
Papa potest principaliter, vel in consequentiam legitimare spurios in toto mundo tam respectu spiritualium, quam respectu temporalium, num. 12. contra num. 13. Declara, vt numer.14.

DECISIO CXCI.

1 ITerum proposui hanc causam super prima parte decisionis iam factæ, & Domini diligentissime visis omnibus, & discussis, remanserunt in decisis, tam ex doctrina Ioann. Andr. in capite per venerabilem, *nu.30. qui fil. sunt legit.* cum turba sequacium, quam ex priori sententia Hostien. ibidem, & aliorum de quibus infra. Non enim negari potest decretum legitimitatis, de quo tractatur esse occasione matrimonij, & in eius initio, & radice. Tum quia in querela Vrsulæ de Sarastume, contra Martinum de Vrnieta exponitur ipsum Martinum Vrsulam deflorasse sub promissione, (quia erant in gradu prohibito) impetrandi dispensationem à Sede Apostolica, & cum ea matrimonium contrahendi. Quapropter petebatur Martinum condemnari, vt formaliter adimpleret promissionem, & contraheret cum ipsa, vel competenter dotaret, vt condemnatus extitit, & in literis ad supplicationem partium expeditis siue mandato de dispensando exposìtum est, & petita ab vtroque parente legitimatio prolis susceptę, & suscipiendæ: Et sic adest promissio vsque à principio postmodum exequutioni demandata. Tum etiam, quia sufficeret affectio, vel consensus in matrimonium elicitus ex præmissis, videlicet ex petita dispensatione post copulam, & prolem, & ex subsequuto matrimonio, quæ sunt tantæ vis, & virtutis, vt dicendum, sit non adfuisse impedimentum à principio, & tunc vere contractum fuisse matrimonium. *Alciat. cons.52. sub nu.6. vers. & loquitur. præfatus lib.9. per text. expressum in l. cum quis, §. cum enim. Cod. de natur. lib. Osasc. decis. Pedem.154. num. 4. & fin. Rimin. iun. consil. matrim. 77. num.10. Surd. latè cons. 213. num. 17. & seq. libr.2.*

2 Et consequenter non potest considerari aliquod impedimentum interuenisse, vti dicitur in dispositione, *cap. tanta. qui fil. sint legitim.* in quo filij incestuosi non dispensantur per subsequens matrimonium ex dispensatione Ecclesiæ, sunt tamen attendenda verba dispensationum, quæ impetrantur secundum, *Ioan. Andr. ibi num.5. vers. credo verba dispensationum esset attendenda Abb. num. 14. ibi.* Nisi aliud in dispensatione dicatur, *Præp. num.11. vers. sed putat Ioann. Andr. Card. in fin. num. 9.* sed dispensatio potest esse talis, quod sic. *Alexan. de Neu. num.33. Bald. in capit.1. §. naturales, num.12. in fin. versic. vltimo scias, si de feud. fuer. controuers. Mars. sing. 12. num.1. Alex. cons.70. num.2. libr.6.* Ita inferendo ad casum nostrum si fuisset obtenta, dispensatio absque explicito decreto legitimationis prolis susceptę, vtiq; proles, non fuisset legitimata, & ita loquuntur omnes *Doctor. in l. Paulus. ff. de stat. hom.* Sed cum adsit decretum non potest dubitari, quia attendenda sunt verba dispensationum ex præmissis, quę tollunt omne dubium illegitimitatis, quoniam, & ista dicitur legitimatio per subsequens matrimonium, vigore dispensationis; quæ facit sic legitimatum omnino capacem. *Cephal. consil.307. numer.35.*

3 Et in hoc differt iste casus ab eo, quando narratur sequutam esse copulam in figura consensus matrimonij, cum defectu matrimonij in essentia propter impedimentum, quia tunc satis est facere mentionem prolis absque aliquo decreto super legitimitate, & Papa dispensando censetur prolem ex illo matrimonio susceptam legitimare ab initio, & non nuper, quia approbat matrimonium, & eius effectum, ac si ab initio contractum fuisset, nullo existente canonico impedimento, & disponit in radice matrimonij *Ant. de Ross. in tract. de legit. lib.2. in principio, nu. 19. Couar. de spons.2. par. cap.8. nu.13. vbi Doctor. allegat in c. per venerabilem. qui fil. sint legitimi.*

4 Quinimo in casu nostro non est legitimatio, sed decretum legitimitatis, quia Papa tollendo impedimentum Iuris Canonici disponit super radice matrimonij tanquam à principio, & proles redintegratur ad idem principium, ac si non affuisset Canonicum impedimentum ex pręmissis, *& ex Gozzad. cons. 6. num. 63.* & dispensatio in radice matrimonij est ad differentiam simplicis legitimationis, quando legitimatio impetratur circa solam illegitimitatem seorsum, & separatim à matrimonio, vt colligitur ex *Nauar. cons.3. num.12. de spons.* & in nostris terminis, immo in fortioribus quo ad hoc decretum in dispensatione Papæ, materiam, & verba declarat *Cephal. dict. consil.307. num.49. cum pluribus sequent. lib.3.* asserens, quod illa verba, prolem susceptam, & suscipiendam exinde legitimam decernendo minus sunt necessaria in filijs susceptis, in figura matrimonij. Magis autem necessaria in non susceptis in figura matrimonij, & alia dicit, ex quibus patet quantum sit male fundatus intellectus. *Modern. Cordub. in tract. de matrim. lib.8. disput.7. nu.16. & 23. & prius num. 14.* credens verba illa, prolem susceptam, impropriè esset intelligenda, & eneruare conatur eius vim, non solida ratione, quia videlicet, sunt clausulæ de stylo apponi solitę, quod est falsum in facto, & in iure. In facto enim notum est peritis, quod ista non sumũtur ex clausulis supplicationis, sed ex corpore petitionis ad supplicationem partium. In iure quia clausulæ quæ sunt solitæ apponi de stylo sunt attendendæ, ex *Ant. Gabr. lib.6. tit. de cons. concl.4. & de claus. concl.7.* Et ista fraus, & fallacia contra literas Apostolicas etiam in his, quæ consistunt in clausulis, & decretis est omnino reijcienda.

5 Nec obstat dictinctio *Io. And. in d. cap. per venerabilem num. 30.* cum omnibus, qui eum sequuntur excepto. *Anton. de Butr. ibidem num.11. Mil. in repert. in verbo dispensatio. num. 23. versic. dispensatio. Papæ*, & quibusdam alijs scilicet, quia loquantur in matrimonio de facto contracto. Nam in casu nostro adest promissio explicita ducendi ab initio copulæ, & verba Ioan. Andr. sunt ista. Dic opinionem glossa veram in prole genita ex coitu non matrimoniali saltem ex affectu, vel consensu. Vnde includit etiam casum in quo fuerit affectio maritalis, sine promissione excludendo omnino prolem susceptam ex coitu, non matrimoniali, vt ibi per *Abb. sub num.22.* & transeunt omnes loquaces cum opinione Ioann. Andr. inter quos licet aliqui moderni loquantur multum strictè cum exemplo matrimonij de facto contracti, nihilominus nullus huc vsque visus fuit, qui audeat reprobare Io. And. & alios in illis verbis, saltem ex affectu vel consensu.

6 Nec ratio stringit, cum dicitur, quod in matrimonio de facto, non est supplendus consensus, supplendus tamen esset in matrimonio contrahendo, quia vera est propositio, sed consequentia non procedit, vbi saltem non constet de coitu omnino fornicario, absque

absque aliqua effectione, vel consensu, in matrimonium, quod probatur, quia in d. cap. tanta. Papa non supplet consensum, quando est suscepta proles, nec vllus dixit ibi præcedere debere matrimonium de facto, vel concubitum in figura matrimonij, sed text. & Doct. indistincte loquuntur, & tenent prolem esse legitimam, ex Canonica dispensatione, etiam in terris Imperij, vt latè per *Gabr. post alleg. cons. 21. lib. 1.*

7 Quinimo sicut Papa ampliare posset dispositionem dict. cap. tanta. vt coniuncti in tertio consanguinitatis gradu possint ad inuicem matrimonialiter copulari, eo modo, vt procederet dispositio eiusdem cap. tanta. etiam in quocunque loco sibi non temporaliter subiecto, quia hodie non est diminuta potestas, sed est integra, vt tunc erat, idem dicendum est posse facere de gratia speciali, quia facilius est limitare legem in vno, vel pluribus casibus, quam in totum ab rogare. *Felin. in c. quæ in ecclesiarum. num. 19. de const.* nec reperitur ratio, cur id facere possit Papa, edendo Constitutionem, qua potest vbique hæreditatem deferre, & *auferre. cap. quod nobis. cap. ex tenore, qui fil. sint legit. Et constat ex not. à Bart. in l. 1. in fine. C. de sacrosan. eccles. Alex. in l. captatorias. ff. de testam. milit. Gabr. dicto cons. 21. num. 19.* non autem possit idem facere rescripto, vel gratia dispensationis, quæ procedit à canone animato, & quando legitimationis causa, & radix, est matrimonium, Papa decernendo quem legitimum in ipsa dispensatione, disponit super his, quæ spectant ad suam potestatem exclusiue quo ad omnes alios, vt in prima decisione declaratum fuit.

8 Premissa verò videntur clare explicari ex *tex. in cap. quia circa. de consang. & affinit.* vbi probatur causas concedendi dispensationes matrimoniales, duas esse præcipuas, scilicet, prolem susceptam, & euitationem scandali, & ibi *text. loquitur in matrimonio de facto contracto*, quia tunc erat illa casus, & ante Concilium Tridentinum facilius dispensabatur cum his, qui iam contraxerant aliquo modo, & consummauerant matrimonium, & ideo facile casus contingebant, & in illis loquebantur *Doct. Quam eueniat post Concil. ex sess. 24. cap. 5. de reform. matrim. & exponit Nauarr. in Manual. Confessor. cap. 22. num. 68. & tamen ibi Abb. nu. 2. & Alexan. de Neuo etiam. num. 2.* dicunt procedere in matrimonio contracto, & in contrahendo, quod est fauore filiorum, cum ipsis non legitimatis, semper remaneret causa scandali, & *Castrens. consil. 467. numer. 7. in princip. lib. 2.* dicit, quod si filij non essent nati in figura matrimonij, tunc si matrimonium adhuc subesse potest, quia viuunt ambo, & matrimonium contrahere volunt, tunc Papa dispensando super matrimonio, potest filios legitimare, quod in nostra dispensatione non est vi meri rescripti, quia Papa non legitimat prolem, sed cum matrimonio rite contracto mandat decerni legitimam, & sic expresse vi matrimonij, & non procedit dictum *Baldi consil. 129. num. 3. lib. 3. & Couar. super 4. decret. 2. part. cap. 8. §. 8. num. 13.* nam decernendo prolem legitimam, decernit retro, & non ex nunc, quia per dispensationem, & matrimonium subsequutum, tollitur impedimentum à principio, quando cum copula interuenit contractus, consensus, vel affectio, in matrimonium, quam diuersitatem verborum considerat *Ancharan. consil. 409. num. 4.* quia si Papa procedit per remotionem obstaculi à Iure Canonico interpositi, nemini facit iniuriam.

9 Non obstant decisiones Rotæ, quæ in contrarium allegantur, pro quarum intellectu, dicebant Domini esse aduertendum, quod vna specialis dispensatio aliam non declarat, sed attendenda sunt verba dispensationem singulariter ex doctrina *Ioan. Andr. & aliorum supra allegatorum. Vnde decis. Put. 483. libr. 2. Than. dec. 71. Chisanen. dec. 83.* & in causa Syracusana coram Clemente VIII. tunc Rotæ Auditore allegata in prima decisione loquuntur, quando vnus ex Coniugibus, qui contraxerant de facto obierat, antequam dispensatio fuisset sortita effectum, & in eo casu decidit ur, quod ibi, in prole suscepta in figura matrimonij, etiam de per se absque nouo matrimonio potest habere locum legitimatio prolis, tanquam æque principaliter concessa, vt supra dictum est, quod in matrimonio de facto sufficiat narrata proles, vt intelligatur legitima post dispensationem effectum sortitam, de quo non quæritur in præsenti casu. In alijs vero decisionibus Leodien. Canonicatus primo coram R. P. D. meo Ludouisio 23. Februarij 1601. & postmodum coram Illustrissimo Domino Cardinali Pamphilio, tunc Rotæ Auditore 19. Aprilis 1602. Fuerat Papæ expositum, quod erat contractum matrimonium de facto, & suscepta proles. Vnde Papa post dispensationem legitimat prolem exinde susceptam, vt colligitur ex decisionibus, & supplicatione dispensationis tunc data, & cum ibi non fuerit probatum matrimonium, & prolem exinde susceptam, idcirco concluditur prolem non fuisse legitimatam, quia fuit concessa sub illa forma, & idcirco ibi dicitur explicite, quod dispensatio comprehendebat solum prolem susceptam in figura matrimonij, vt ibi narrabatur, & nemo dicit legitimationem Papæ esse extendendam ad alium casum, sed cuiuslibet dispensationis verba esse attendenda; In nostra autem narratur copula, & proles suscepta, nec tempore copulæ excluditur matrimonium, vel affectio maritalis, & Papa dispensat & decernit absque aliqua limitatione, quod decreto dicitur etiam vti non solum in claris, sed etiam in dubijs. *cap. quod nobis. & cap. ex tenore. qui fil. sint legit. vt bene doclarat Ant. de Butr. in d. cap. per venerabilem. nu. 10. circa fin. vers. videamus ergo*, dicendo, quod data certitudine defectus, consensus, non est in radice matrimonij, licet Papa possit fingere consensum stante dubio. *cap. is. qui de spons.* & dictum est supra in principio decisionis *ex text. in leg. cum quis. §. cum enim C. de natur. liber. & Alex. Rimin. Surd. & dec. Pedemont.* cum allegatis. In casu vero nostro nulla est certitudo defectus consensus, sed sumus in claris, & posset etiam procedere in casu dubio; Vnde tutum est decretum legitimitatis prolis susceptæ.

10 Nec facit dicere copulam fuisse libidinis causa, quia ad hunc effectum satis est non constare, quod non fuerit ex causa matrimonij, libido enim est causa impellens, & non impedit affectionem, & consensum in matrimonium. *cap. tua nos. vbi Abb. num. 4. de spons.* quæ procedunt, vt dictum est, petita, & obtenta dispensatione, & sequuto matrimonio, quia dispensatio est vi matrimonij, alias non præsumeretur animus, & affectio maritalis, quod euenit, vt plurimum in fornicarij; Si enim præsupponeretur concubitus omnino fornicarius ex hoc capite, tanquam super radice matrimonij, Papa non decerneret prolem susceptam legitimam, sed si placeret, legitimaret.

11 Procedunt autem omnia prædicta sic, quia in matrimonibus Papæ est radix, & fundamentum, à quo surgit hæc legitimitatis, & illegitimitatis differentia; Quapropter Papa potest vbilibet, ex quo habet etiam purum laicum ad matrimonium subiectum. *capit. 1. & capit. causam. qui fil. sint legitim. capit. tuam. de ordin. cognit.*

12 Verum aliqui ex Dominis occasione præsentis disputationis, quæ ex præmissis est sufficienter determinata, cum Informantes vlterius progrederentur, tenuerunt, quod Papa principaliter, vel in consequentiam potest legitimare in toto mundo respectu spiritualium, & temporalium. Nam affirmatiuam opinionem sequuti sunt *Ioan. Antiquus Glossator in d. cap. per venerabilem. in 3. compilatione. in verb. potestatem.* asserendo, quod eo ipso, quo quis est legitimatus in spiritualibus, intelligitur legitimatus in temporalibus,

bus, & ibidem *Præpos. num. 77. recenset eundem Io. inter Doct.* tenentes affirmatiuam sententiam, quam sequitur Goffredus de Trano (qui fuit Auditor *Rotæ*) *in Summa tit. qui fil. sint legit.* vbi concludit, quod is, quem Papa legitimat, intelligitur legitimatus ad temporalia in consequentiam quandam per *text. in d.c. per venerabilem. vbi Præpos. nu. 77. Hostien.* vero ibidem indistinctè tenet, Papam posse legitimare in temporalibus, & in summa *eod. tit. §. qualiter, & à quo num. 11. vers. salua reuerentia aliorum. Vbi dicit esse tex. in d.c. per venerabilem,* & aliàs rationes adducit Io. And. in antiquissima lectura manuscripta affirmat opinionem Hostien. posse habere locum, quando pater in vita sua petiuisset legitimationem, sicut petiuit Rex Franciæ *in d. c. per venerabilem, dum autem in lectura impressa, num. 29. allegat Goffred. est mendosa quia Goffr. loquitur vt supra*, Hanc eandem opinionem affirmatiuam tenuit Ioan. Calder. & Gasp. eius filius, qui dicit, quod est etiam opinio *Naso. vt refert Anton. de Butr. in d. c. per venerabilem. num. 10. col. 3. vers. Ioan. Cald. & filius eius, & opinionem Host. approbauit Rot. dec. 200. alias 1. in nou. qui fil. sint legit.* à qua dicti Domini censuerunt non esse recedendum.

13 Quamuis contrariam opinionem tenuerit Bern. de Botono Parmen. Glossator Decretalium Gregorij Noni *in d. cap. per venerabilem in gl. 2. super verbo* habet potestatem, non ex ratione, quia Papa non possit, sed quia non debet interturbare alienam iurisdictionem iuxta terminos *c. nouit. de iud.* Et negatiuam tenere videtur ibidem *Innoc. num. 1. super verbo euaderet. vbi loquitur in Episcopo, licet num. 3. vers. alij tamen dicunt.* videatur tenere, quod per quandam consequentiam intelligatur dispensatum in hæreditate. *Marsil. Lauden. in tract. de legit. 34. tenet cum gl. & Guido Papæ sing. 331. incipit legitimatus à Papa. Ang. de Clausio. in Summa, in verb. legitimatio, §. 1. incipit vtrum Papa Couar. super 4. decret. par. 2. cap. 80. §. 8. num. 14. & num. 18.* vbi generaliter inquit, nullum, Principem posse natalibus restituere, vel legitimum efficere sibi non subditum quo ad bona intra alterius Imperij, aut Regni limites existentia, *sed num. 16. concl. 5.* affirmat, quod Papa ex causa potest legitimum efficere eum, qui Principi sæculari subiectus sit, etiam quo ad bona, & munera temporalia, quem refert, & sequitur *Ludo. Mol. Societatis Iesuitarum, tom. 1. de iust. & iur. disput. 173. & alter Lud. Mol. de Hispan. Primogen. lib. 3. cap. 2. num. 11.* negatiuam profitetur cum *Gulielm. de Bened. & Couar. sed nu. 12.* sequitur distinctionem *Ioan. And. & Moder. Cordub. alias allegatus lib. 8. disp. 7. in princ.* efficacioribus verbis vtens dixit, quod hæc est verissima, & receptissima sententia, & quod ita communiter tenetur, quia sicut Princeps sæcularis nequit legitimare quo ad Ecclesiastica, eo quia caret Iurisdictione Ecclesiastica, cuius id est, sic nec Pontifex extra ea loca potest quo ad temporalia. Quæ verba antiquorum scriptorum modestiam non imitantur, & fallitur, cum ista non sit vera, nec communis opinio, sed tantummodo illorum, qui negant temporalem Papæ Iurisdictionem; & ipsemet inferius *nu. 3. & 4.* defendit opinionem Io. And. & dicit esse frequentissimam, & veriorem sententiam, allegando infinitos auctores.

14 Et ad tria aduertebant isti Domini in proposito. Primum, quod tempore Glossatorum, & antiquorum Doctorum nondum emanauerant Decretales Bonifacij VIII. & Ioan. XXII. super vtroque gladio. Ideo non ipsi, sed quidam Moderniores audaciter loquuti sunt scientes definitionem Ecclesiæ, secundum quod Io. Andr. & alij, qui sequuntur eius opinionem allegari non possunt pro prædicta parte negatiua quia nō loquūtur in simplici legitimatione seorsum à dispensatione matrimoniali, sed in dispensatione secundario ad dispensationem matrimonialem, ponendo casum, in quo constituunt opinionem Hostien. esse sine difficultate, & sic pro secunda præmissa opinione admodum pauci simpliciter loquuntur. Tertio quod sumus in dispensatione cum decreto legitimitatis impetrato ab ipsomet patre, quo casu dixit Io. Andr. procedere opinionem Hostien. & est communis opinio Doct. per text. in d. c. per venerabilem, quia pater bene potest prorogare Iurisdictionem. *Dec. cons. 55. nu. 7.* cum alijs allegatis per *Decian. cons. 3. nu. 188. lib. 3.* Et sic in vtroq; capite, sumus extra difficultatem, quod tenet, & valet vbique hæc dispensatio cum pronunciatione, vel decreto legitimitatis.

R. P. D. PAMPHILIO.

Tolerana Admissionis. Mercurij 17. Iunij 1609.

ARGVMENTVM.

De executione literarum Apostolicarum, confirmantium aliquod priuilegium, quando censeatur concessæ ex certa scientia, vel potius in forma communi, & quando de earum subreptione dari possit ob non expressam pendentiam litis, seu contrariā consuetudinē.

SVMMARIVM.

Litteræ Apostolicæ propter earum auctoritatem, & reuerentiam habent executionem paratam. nu. 1.

Clausula. Et pro maiori cautela de nouo concedimus, apponi solet pro maiori validitate confirmationis, & nihil plus tribuit, quam ipsa confirmatio. Declara, vt nu. 2.

Confirmatio à Papa, quando censeatur concessa ex certa scientia, & quando in forma communi. num. 3.

Papa quando ex certa scientia aliquid concedere dicatur. numer. 3.

Rescriptum quando dicatur subreptitium ob non factam mentionem pendentiæ litis. nu. 4.

Clausula, sine præiudicio alterius, quomodo intelligatur, clausula, non obstante quacunque consuetudine, demonstrat Principem habuisse notitiam contrariæ consuetudinis, num. 6.

DECISIO CXCII.

1 FVit per Dominos resolutum Breue à felic. record. Clemente VIII. ad fauorem Collegij Complute n. emanatum esse exequendum, quia literæ Apostolicæ ob illarum authoritatem, & reuerentiam habent executionem paratam *c. si Capitulo. vbi gloss. in verb. exequatur de concession. præben. in 6. Sarnen. in tractatu Breue. num. 4. Mohed. decis. 13. vt lit. pend.* & fuit sępissime in Rota decisum.

2 Non obstat, quod huiusmodi Breue sit confirmatoriū alterius Breuis à Leone X. concessi, quod pro parte rectorum dicitur non fuisse vnquam vsu receptum & ideo Breue Clementis non posse suffragari, nedū in vim confirmationis, sed neq; in vim nouæ concessionis stante, quod clausula, & pro portiori cautela de nouo concedimus, soleat apponi pro maiori validitate confirmationis, & nihil plus tribuit, quam ipsa confirmatio, *vt per Cassad. decis. vnic. de confirmat. vtil. vel inutil. & fuit dictum in causa Tirasonen. Prioratus. 26. Iunij* 1595. coram Illustriss. Cardinale Blanchetto cum alijs allegatis; quia pro responsione fuit dictum, obiectum procedere in simplici confirmatione, & innouatione priuilegij in forma communi concessis, quæ nullum ius de nouo tribuunt, parum aut nihil operantes, *capit. 1. & cap. examinata de confirmat. vtil. vel inutil. & vtrobique gloss. & Doctor. Cassad. decision. vnic. numer. secundo, eodem titul.* secus verò in confirmatione, & innouatione facta ex certa scientia, quę non dicitur simplex confirmatio, vel innouatio, sed ampliatio, & noua concessio, *cap. si Apostolicæ, & ibi glos. in verb.*

in verb. confirmamus, de præbend. in 6. Doct. in c. 1. vbi post Abbatem, & alios Dec. num. 46. & seq. de confirm. vtil. vel inutil. Ruin. cons. 31. num. 5. lib. 1. Gozad. cons. 62. num. 15. & hanc distinctionem facit Cassad. d. decis. vnic. de confirm. vtili, vel inutil.

3 Breue autem Clementis fuisse concessum ex certa scientia, & non in forma communi visum fuit Dominis apparere, tum quia in eo fuit narrata substantia Breuis Leonis X. in eo confirmati, *gloss. in c. pastoralis, §. præterea, verb. ex certa scientia. de offic. deleg. Felin. in cap. cum inter colum. 1. & 2. de except. Dec. in c. porrecta, sub nu. 15. de confirm. vtil. vel inutil. Roman. cons. 327. nu. 7. in fin. Gabr. consil. 183. num. 14. libr. 2.* & fuit dictum in causa Abulen. iurisdictionis, 25. Ianuarij 1588. coram bon. mem. Orano, præsertim stante clausula, quorum tenores, &c. *Ruin. consil. 31. num. 5. ad fin. lib. 1.* tum etiam quia Breue emanauit re mature discussa, ex sententia Sanctiss. D. N. tunc Card. Burghesij, & Illustris. Cardinalis Blanchetti, quibus hoc negotium videndum, & examinandum, ac sibi referendum Clemens ipse commiserat, quo casu dicitur concessum ex certa scientia, *Abb. in cap. 1. & 2. num. 6. versic. quædam confirmatio, & ibi Decius nu. 47. de confirm. vtil. vel inutil.* maximè stante clausula ex certa scientia apposita in ipso Breui, *gl. in c. statutum, in princip. in verb. literarum in fin. de rescriptis in 6. & in Clem. 2. in gl. fin. eod. tit. Abb. in c. exactam, in fine. de confirm. vtil. vel inutil. Dec. in cap. porrecta, nu. 15. vers. 4. quando expresse. eod. tit. Roman. cons. 327. nu. 7. Ruin. cons. 31. nu. 5. vers. & prout. lib. 1.*

4 Non obstat, quod in Breui Clementis nulla fuit facta mentio litis, quæ de anno 1591. pro parte Collegij mota fuerat coram Abbate Complutensi super executione Breuis Leonis X. quia cum idem Abbas longe ante concessionem Breuis Clementis pronunciasset se Iudicem incompetentem, & per consequens Iurisdictionem à se abdicasset, & pro parte Collegij huiusmodi lis amplius prosecuta non fuerit de ea non erat necessario facienda mentio. *Anchar. cons. 16. nu. 1. vers. in contrarium,* maximè quod huiusmodi pronunciatio incompetentiæ fuit facta ad instantiam Rectorum vnde hodie non possunt opponere de subreptione Breuis ex eo, quod de tali lite non fuerit facta mentio vt per eundem *Anchar. d. cons. 16. num. 2. in fin. & num. 3. quem refert, & sequitur Felin. in cap. causam, quæ il 2. num. 10. in fin. de testibus,* & in omnem euentum cum lis esset introducta super executione Breuis, quidam Clemens confirmauit illius mentio ipsum non retraxisset à concedendo, ideo eius taciturnitas non reddit Breue subreptitium, vt post *Ferret. cons. 229. n. 4. lib. 2. trad. Lancell. de attent. lit. pend. in præfat. nu. 659.*

5 Non obstat, quod in Breui Leonis adsit clausula sine præiudicio alterius, quia præter id, quod ista clausula non est apposita in Breui Clementis, illa debet intelligi de alio præiudicio, quam expresso, iuxta *consil. Oldrad. 330. in fin. Paris. cons. 70. num. 12. libr. 1. Gabr. cons. 151. num. 29. & seq. lib. 2. Veral. dec. 284. lib. 1. in manuscript. Crescen. dec. 7. in fin. de Iurepatron. & fuit sepius decisum.*

6 Minus obstat, quod non fuerit facta mentio de cōsuetud. immemorabili non admittendi Vicarios, & Cappellanos admouibile, quia cum talis consuetudo sit obseruantia Iuris communis, eo sublato per priuilegium dicitur quoque sublata dicta obseruatia, *gloss. in cap. 1. in verb. facti. de constit. in 6. Felin. in cap. 1. nu. 15. & seq. de rescript.* vltra quod fuit expresse derogatum cuicunque de consuetudini, etiam immemorabili in contrarium existenti, ex qua derogatione resultat sufficiens scientia dictæ consuetudinis ad hunc effectum vt de derogationes Iuris patronatus fuit dictum in causa Lucana pensionis 4. Nouembr. 1579. coram Rubeo, & in Romana pensionis 4. Iulij 1601. coram Illustriss. Card. Pamphilio. Ad euitandam enim subreptionem sufficit scientia concedentis in genere ita vt cogitare potuerit, *Cassad. decis. 12. nu. 6. de præbend. & decis. 1. de priuileg. Veral. decis. 296. num. 1. & decis. 297. num. 2. part. 2.* Cetera bene tolluntur per Informantes pro Collegio, &c.

R. P. D. MANZANEDO.

Bononien. Fideicommissi de Lambertinis, Lunæ 22. Iunij 1609.

ARGVMENTVM.

Fideicommissum perpetuum, & absolutum in quibus casibus censetur inductum à testatore, præsertim quando adiecit clausulam, quia voluit bona sua remanere, &c. vide aliam decisionem in eadem causa, & coram eodem Auditore factam 11. Martij 1611. infra positam.

SVMMARIVM.

Saluianum interdictum competit quotiescunque datur hypothecaria, deturque propterea etiam pro legatis, & fideicommissis. num. 1.

Fideicommissum perpetuum inductum dicitur inter omnes descendentes de agnatione ordine successiuo, quando testator declarauit velle bona sua in perpetuum deuenire ad proximiores descendentes de sua Casata, & agnatione. num. 2. vbi præsertim, quod hoc procedit, quando testator dixerit verba non in personas, sed in rem, nu. 2.

Fideicommissum perpetuum censetur inductum, quando testator ad illud vocauit proximiores de Casata, & agnatione per nomen collectiuum descendentes, num. 3.

Descendentium appellatione veniunt omnes descendentes in infinitum, num. 3.

Fideicommissum perpetuum censetur inductum, quando descendentes vocati à testatore cum qualitate masculinitatis, numer. 4.

Agnationis conseruationi testatorem prospexisse præsumitur, quando habuit in consideratione qualitatem masculinitatis, num. 4.

Fideicommissum absolutum, & perpetuum censetur à testatore inductum, quando in eo vsus est dictione omnino, & in perpetuum, nu. 5.

Fideicommissum perpetuum, & absolutum, censetur inductum à testatore, quando nulla præcedente prohibitione alienationis post factas substitutiones adiecit clausulam, quoniam voluit bona sua, &c. deuenire ad proximiores descendentes masculos, legitimos, naturales Casata, & agnatione ipsius testatoris, & continuo penes eos permanere, nu. 6. & seq. vbi bene declaratur, an, & quando per istam clausulam. Quoniam voluit, &c. inducatur fideicommissum, & stet dispositiue.

Volo verbum disponit, & importat fideicommissum, quando est relatum per viam vltimæ voluntatis, n. 6. & seq. vbi bene declaratur an, & quando volo verbum stet dispositiue, & principaliter, an vero potius consecutiue, & accessorie.

Ratio generalior dicto declarat dictum, & illud ampliat ad limites rationis, præsertim in fideicommissis. nu. 7.

Causa dispositionis illiusque finis semper considerari debet in qualibet dispositione. nu. 7. & 8.

Quoniam dictio videtur consequutiua ad præcedentia, quod quando verū sit, & quando etiam rationem importet. nu. 9.

Agnatorum appellatione proprie venire videntur illi qui linea recta à testatore descendunt, non autem Transuersales Declara, vt num. 10. & sequentib.

Fideicommissum, seu substitutio facta hæredi si sine filiis decesserit, expirat hærede mortuo cum filiis, & sic deficiente conditione Declara, vt nu. 14.

DECISIO CXCIII.

1 FVit in humanis in Ciuitate Bononiæ Comes Alexander de Lambertinis, qui de anno 1565. condidit

didit suum vltimum testamentum, in quo, cum prolem legitimam non haberet, sed vnicam filiam naturalem nomine Dorotheam, cui, titulo legati, scuta duo millia reliquit, & D. Iuniperæ ipsius vxori vsumfructum suorum bonorum, quo finito per mortem illius & consolidato cum proprietate instituit sibi vniuersales hæredes pro æquis portionibus D. Comitem Annibalem de Lambertinis ipsius testatoris fratrem, nec non Comitem Cæsarem ex altero fratre nepotem; Sequenti verò die Codicillum ordinauit, in quo dictos heredes in testamento institutos rogauit his verbis, vt altero decedente quandocunque sine filijs, & descendentibus masculis legitimis, & naturalibus, & ex legitimo matrimonio natis, alteri superuiuenti, seu illius filijs, & descendentibus legitimis, & naturalibus masculis ex legitimo matrimonio natis, vni, vel pluribus, superuiuenti, vel superuiuentibus, hæreditatem ipsam, vel illius partem taliter prædecedentis, vt supra per fideicommissum restituat integrè, & sine diminutione, quam voluit ipse testator bona sua, vel illius hæreditatem totam, & integram omnino, & in perpetuum deuenire debere ad proximiores descendentes masculos, legitimos, & naturales de Casata, & agnatione ipsius testatoris, omni meliori modo, &c. & penes eos continuo permanere, &c. Quibus testamento, & codicillis testator obijt, & postea Comes Annibal relicto tamen Comite Cornelio vnico filio quæ tandem sine vllis liberis decessit. Vnde prædictus D. Comes Cæsar ab Alexandro institutus tanquam superuiuens, & virtute prædictæ primæ substitutionis in partem Comitis Annibalis, & Cornelij sui filij successit, sicq; totam hæreditatem Comitis Alexandri fuit assecutus, qui de mense Octob. anni præteriti 1608. obijt, condito testamento, in quo D. Imeldę ipsius filiæ naturali, libras 200. mill. Bononienses ex causa dotis legauit, vniuersales autem heredes sibi reliquit DD. Comites Guidonem Antonium, & Marcum Antonium, & Iulium Cæsarem omnes de Lambertinis, qui hereditatem adiuuerunt cum beneficio legis, & Inuentarij, ex quibus Domini Comites Guido Antonius, & Marcus Antonius pretendentes se proximiores descendentes de agnatione, & Casata dicti Comitis Alexandri de Lambertinis esse, & sic vocatos ad illius fideicommissum, immissionem in bonis illi subiecti: sibi competere intendunt. Illam verò sibi dandam in bonis Comitis Cesaris, pro suo legato dicit. D. Imelda ex Saluiano interdicto, cum iuxta communem de qua per *Gabr. cons. 46. nu. 20. lib. 1.* hoc interdictum competat, quotiescunque datur hypothecaria notatur, *leg. 1. Cod. de Saluian. Interdict. Aret. in §. Item Seruiana. num. 8. Institut. de actionibus, & hypothecariam dari etiam pro legatis, & fideicommissis probat tex. in leg. 1. Cod. commun. de legat.* Dixit Rota in vna Recanaten. hereditatis 31. Ianuarij 1603. coram Domino meo Decano. Vnde D. Imelda petit immitti predicto legato, negatque fideicommissum extare ad fauorem Dominorum Comitum Guidi, & Marci Antonij; Vnde ordine Dominorum dubitaui, An constaret de fideicommisso Comitis Alexandri ad effectum impediendi immissionem D. Imeldę, quod dubium duas continet partes, alteram circa existentiam dicti fideicommissi, alteram vero an illud valeat impedire immissionem pro legato D. Imeldę, & quo ad primam partem, Domini, Constare de fideicommisso dixere; Nam si rectè verba testatoris superius relata perpendantur, duo fideicommissa ab illo insti tuto videntur, alterum ad fauorem cuiuslibet ex hæredibus instituti superuiuentis, & illius filiorum, & descendentiũ masculorum, quod desumitur ex principio huius clausulę, vsque ad illa verba, restituat integre, & sine diminutione, &c. & supra dictis deficientibus intrat alterum ad fauorem proximiorum, descendentium masculorum legitimorum de Casata, & agnatione ipsius testatoris, & hoc continetur à verbis illis, quoniam voluit ipse testator, &c. vsque ad finem Clausulæ, & vtrumque videtur simplex, absolutum, & perpetuum: Et quia quo ad primum partes non insistunt, quin potius partes videntur esse in confesso, & cum non virtute illius primi, sed in vim secundi Domini Comites Guido, & Marcus Antonius intendant succedere, & hoc illis negetur pro parte D. Imeldę, quę pretendit non adesse dictum secundum fideicommissum ad fauortm descendentium de agnatione testatoris, & sic nec ad fauorem Dominorum Guidi, & Marci Antonij. Ideo respectu istius procedit responsio supradicta Dominorum, quę nititur sequentibus fundamentis.

2 Primo, quia expressis verbis testator declarauit velle bona sua in perpetuum deuenire ad proximiores descendentes de sua Casata, & agnatione, quod sufficit ad inducendum perpetuum fideicommissum inter omnes descendentes de sua agnatione ordine successiuo, *leg. cum ita. §. in fideicommisso. leg. peto. §. fratre. ff. de legat. 2.* Pręcipuè cum Testator direxerit verba, non in personas, sed in rem, nempe in bona, & hęreditatem illius, ibi, quoniam voluit bona sua, & integram hæreditatem deuenire ad proximiores descendentes de Casata ipsius, &c. visus fuit fideicommissum reale instituere ex *Bar. in d. l. peto, §. fratre num. 2. versic. dic ergo. & ibi Cuman. num. 5. circa princ. Castren. in l. voluntas, in fin. Cod. de fideicommissi. Alex. in l. 1. nu. 88. de offi. eius Dec. cons. 88. in fin. Alciat. in l. filiusfamilias, §. Diui, num. 48. de legat. 1. vbi Crot. num. 43. & Rip. num. 66. & Ias. in 2. lect. num. 25. Idem Ias. in dict. leg. voluntas, num. 11. Paris. consil. 22. num. 49. lib. 3. Becc. consil. 24. num. 24.* & tale fideicommissum reale, inducit grauamen reale, & afficit omnes personas, & quoscumque possessores, *Bald. in leg. præcibus. nu. 49. & ibi Salicet. C. de impuber. & alijs Paris. cons. 18. num. 50. & cons. 90. nu. 43. lib. 2. & plures quos refert Surd. consil. 315. num. 20. & Becc. vbi sup. num. 28. & Mandel. cons. 93. num. 2. & consil. 97. num. 2. & Decian. cons. 54. num. 26. & cons. 102. nu. 3. lib. 2.* Quod in tantum procedit, quod licet in prioribus substitutionibus testator fecisset fideicommissum personale, cum postea, ratio adiecta, animum suum mouens ad sic disponendum respiciat rem potius quam personas, vt diximus, fideicommissum ex tali ratione adiecta censendum est reale, iuxta *Castren. cons. 302. nu. 3. lib. 1. Roman. cons. 457. nu. 1. Crot. cons. 35. in fin. lib. 1. Ias. d. §. Diui. num. 146. & 152. & ibi Rip. num. 108. Ruin. cons. 124. versic. & si forte dicatur. num. 3. lib. 2. Capyc. dec. 108. num. 4. Becc. dict. consil. 24. num. 24. Petr. de fideicommiss. quæst. 2. num. 8. & 16. & 20.*

3 Secundo, quia fuerint inuitati ad istud fideicommissum proximiores de Casata, & agnatione testatoris per nomen collectiuum (descendentes) tractum temporis denotans, & comprehendens de sui natura omnes descendentes in infinitum, *§. 1. in auth. de hæredibus venien ab intest. l. fin. C. de suis, & legitim. hæredib. Ang. cons. 37. Socin. in leg. Gallus. §. quidam recte. num. 4. Galliaul. num. 24. de liber. & posthum. idem Socin. cons. 51. n. 1. cum seqq. libr. 4. & plures refert Peregr. de fideicommiss. art. 19. num. 11. & art. 25. num. 8. & art. 30. nu. 2. & 14.* Hoc autem nomen collectiuum (descendentes) denotat perpetuitatem, & in fideicommisso ordinato ad descendentium fauorem, omnes in perpetuum ordine successiuo per fideicommissariam vocati censentur. *Crot. in repet. dicti §. Diui. num. 17. Ruin. cons. 164. num. 3. lib. 3. & Ioan. de Anan. cons. 46. num. 2. testatur de communi Bero. cons. 102. num. 25. lib. 2. Rolan. cons. 70. nu. 20. & seqq. lib. 3. Natt. cons. 531. num. 25. Couar. variar. lib. 3. c. 5. num. 4. vers. secundum quod, & in c. Raynutius, §. fin. de testam. Menoch. consil. 88. num. 10. libr. 1. & consil. 277. num. 3. lib. 3. Cephal. consil. 268. num. 25. & seq. libr. 2. Gabr. consil. 101. num. 22. & seqq. libr. 2. Marzar. cons. 1. num. 13. & seqq. & cons. 40. numer. 6. & 9. Decian. consil. 1. a nu. 245.* vers.

vers. quintus & vltimus casus, & cons. 41, num. 66. & seqq. lib. 1. Simon. de Pret. in tract. de interpret. vltim. volunt. lib. 3. interpret. 2. dub. 6. solut. 9. numer. 46. Crass. sententiarum. §. fideicommissum. quæst. 15. in fin. & quæst. 16. numer. 3. & seqq. Cum autem non possint bona in Casata remanere, nec agnatio ex illis conseruari, nisi mediante tali fideicommisso, illud inducitur hoc casu absolutum gradatim inter illos de agnatione. Paris. consil. 37. num. 31. lib. 2. Rot. dec. 568. num. 5. ante fin. par. 1. diuers. fideicommissum namque familiæ, vel agnationi sub nomine collectiuo relictum admittit omnes de familia gradatim, & non cessat proximioribus admissis. Imo semper, & in perpetuum permanet, iuxta Castren. in d. §. in fideicommisso. cuius opinio est communis, teste Couar. in d. cap. Raynutius. §. 2. num. 7. & in Pract. cap. 37. nu. 4. vers. primum in d. §.

4 Tertio prædicta magis procedunt in nostro casu, in quo descendentes cum qualitate masculinitatis vocantur, quæ qualitas demonstrat, testatorem prospexisse agnationis conseruationi. Bald. in cap. 1. numer. 3. quemadmod. feud. ad filias pertin. & in leg. maximum vitium. num. 2. C. de liber. præterit. Cyn. in leg. 1. C. ad l. Iul. de adulter. Paris. plures referens, cons. 8. num. 9. cum seqq. Ruin. consil. 111. num. 15. lib. 2. Molin. plures adducens de primogen. lib. 1. cap. 5. num. 35. Menoch. præsumpt. nu. 71. num. 36. vers. declaratur secundo lib. 4. Cephal. attestans de communi cons. 137. nu. 12. de qua etiam testatur Dec. consil. 31. nu. 96. & 99. lib. 1.

5 Quarto prædicta roborantur ex alijs verbis, quibus testator vsus fuit in prædicta clausula, ibi (omnino, & in perpetuum) quibus euidenter denotare voluit suam voluntatem, absolutum, & perpetuum fideicommissum instituendi, vt de dictione (omnino) notat Bart. in extrauagan. qui sint rebelles. in vers. nulli. vbi, dictionem (omnino) exponit quasi sine distinctione personarum, quem refert, & sequitur Iason. loquens ad nostrum propositum, consil. 262. num. 4. lib. 3. Petr. vbi supra quæst. 5. nu. 104. & Roland. ponderans verbum (totaliter) quod in idem incidit, consil. 98. num. 15. lib. 2. Dictio autem (in perpetuum) clarum est significare tempus in futurum, & sine vlla præfinitione, vt inquit Bart. in leg. annua. §. at. Titia. num. 5. ff. de annuis legat. Socin. cons. 12. num. 18. & consil. 57. num. 3. vers. confirmatur idem ex alio. lib. 3. Dec. consil. 38. colum. 2. vers. quarto, quia in isto casu. Paris. alios referens. consil. 30. num. 24. lib. 2. Surd. cons. 67 num. 36. Vnde ex prædicta dictione (in perpetuum) inducitur absolutum, & perpetuum fideicommissum. Socin. inter consil. Curtij Sen. consil. 40. in fin. & in l. qui Romæ. §. cohæredes. num. 18. versic. hanc conclusionem. ff. de verb. obligat. Paris. dict. cons. 37. num. 24. & consil. 92. num. 37. lib. 2. Roland. consil. 23. num. 18. cum seqq. lib. 4. Menoch. cons. 197. num. 25. lib. 2. Bursat. consil. 227. num. 23. & 27. lib. 3. Surd. d. consil. 67. num. 36. & seq. & alios adducit Gabr. de fideicommiss. conclus. 9. num. 12. & Rot. dec. 121. num. 4. part. 2. diuers. & fuit dictum in vna Perusina de Bigazzinis 14. Nouembr. 1605. coram bon. mem. Litta, vbi aliæ decisiones Rotæ ad idem referuntur. Quæ roborantur ex alijs verbis in fine eiusdem clausulæ appositis, ibi, (& penes eos continuo per manere) quæ eandem perpetuitatem denotant, vt de dictione (continuo) notat Cephal. consil. 724. num. 11. iuncto nu. 16. & de verbo (permanere) vel remanere, quod idem est, quod denotet perpetuitatem, & adductum prout in nostro casu per viam rationis significet actum successiuum, & permanentem, & inducat fideicommissum in omnes descendentes de agnatione ordine successiuo. Tradit Cuman. in l. vnum ex familia. §. sed si fundum. nu. 3. vers. notandum etiam singulariter est. de legat. 2. quem sequitur Socin. in leg. si cognatis. nu. 15. in fin. & 16. & seqq. ff. de reb. dub. & in d. l. Gallus. §. quidam recte. nu. 9. in fin. idem Soc. cons. 12. nu. 18. lib. 3. & plures pro hac parte adducit Dec. in cons. 33. n. 98. & seqq. lib. 1.

6 Quinto facit, Testatorem expressisse rationem, qua motus fuit ad huiusmodi fideicommissum instituendum, ibi (quoniam voluit testator bona sua, vel illius hæreditatem totam, & integram omnino, & in perpetuum deuenire debere ad proximiores descendentes masculos legitimos, & naturales de Casata, & agnatione ipsius testatoris, & continuo penes eos permanere) & cum non præcessisset alienationis prohibitio, non censetur ad illam vestiendam ista ratio à Testatore adducta, sed ad inducendum simplex, absolutum, & perpetuum fideicommissum, & ad ostensioné causæ finalis mouentis animum testatoris ad illud sic faciendum, quod operatur prædicta ratio reddita à Testatore, quoties non præcessit prohibitio alienationis, aut illa erat iam vestita, ita vt pro illius indumento non esset opus huius rationis expressione, iux. doctr. Bart. in d. leg. qui Romæ. §. cohæredes. nu. 3. de verb. oblig. quam sequitur Aretin. ibid. num 12. vers. sed Bart. & versic. vbi autem testator. & Ias. in d. §. Diui. in 1. lect. num. 113. & ibi Alciat. num. 53. vers. quid ergo si testator dixerit. Soc. cons. 43. nu. 7. lib. 3. Curt. iun. cons. 22. num. 20. lib. 1. & cons. 161. nu. 9. lib. 2. Cephal. cons. 153. nu. 54. Mantic. de coniect. lib. 6. tit. 14. nu. 24. vers. aut vero præcedit expressa prohibitio, qui hanc dicit magis communem, & alios refert de illa attestantes. Surd. cons. 67. nu. 38. lib. 1. Petr. vbi sup. q. 11. nu. 541. & 544. Quæ magis procedunt, cum illa verba (quoniam voluit testator) sint dispositiua. Verbum enim (volo) disponit, & importat fideicommissum. leg. verbum volo. C. de fideicom. leg. 2. c. commun. de legat. Castren. cons. 447. num. 1. vers. cum velim. lib. 1. Curt. iun. cons. 161. num. 9. Soc. in d. leg. qui Romæ. §. cohæredes. num. 21. Menoch. consil. 197. num. 21. Sfort. Odd. cons. 64. num. 52. plures referens, & de communi attestans. Præcipue quando verbum (volo) est prolatum per viam vltimæ voluntatis, vt in nostro casu, tum quia testator dicta verba protulit per modum rationis, & sic prolata dispositionem operantur, iuxta Bar. in leg. qui volebat. in fine, ff. de hæredibus instituen. & in leg. si socer. §. Lucius. num. 4. ff. solut. matrim. Idem Bart. in leg. pater filium. §. fundum. num. 3. in fin. de legat. 3. vbi distinguit, quod aut verba sunt prolata per modũ enunciationis cuiusdam futuri euentus, & tunc non inducunt dispositionem, secus verò si sint expressa per modum rationis, prout in nostro casu, quam theoricam Bart. sequuntur Roman. cons. 457. num. 1. Castrens. cons. 77. nu. 5. lib. 1. Dec. cons. 182. num. 4. Rolan. cons. 6. num. 21. lib. 4. & illam communiter receptam dicit alios referens Peregr. cons. 49. num. 2. lib. 3. & cons. 44. nu. 23. & nu. 28. lib. 2. & illam ibidem nu. 24. inducit ad hoc, quod verba sic prolata per modum rationis amplient dispositionem de persona ad personam, iuxta Crot. in d. §. Diui n. 127. vers. aliquando; & quarto. Soc. & alios, quos ibi citat. Et quid prædicta verba, & ratio ita generaliter extendant fideicomissum de persona ad personã, vltra relatos à Peregr. loco proximè citato, tradit Castr. d. cons. 302. nu. 5. lib. 1. Curt. iun. cons. 43. nu. 11. Soc. d. cons. 43. nu. 1. & 2. & per totum. lib. 3. Crot. cons. 13. nu. 32. Paris. cons. 52. nu. 16. lib. 2. Alciat. in d. §. Diui. nu. 49. Mantic. vbi sup. d. lib. 6. tit. 14. nu. 23. Surd. cons. 96. nu. 21. & 43. in fin. cum seqq.

7 Quando enim ratio est generalior dicto prout in nostro casu, tunc declarat dictum, & illud ampliat ad limites rationis, ad leg. cum pater. §. dulcissimis. ff. de legat. 2. Bart. in leg. regula. §. si quis. ff. de iur. & fact. ignorant. Mant. vbi supra d. leg. 6. tit. 14. n. 21. alios referens testantes de communi. Iul. Clar. libr. 3. Sentent. §. testamentum. quæst. 76. ver. idemque maxime in fideicommissis, num. 2. tenens per rationem fideicommissum extendi, & hanc esse communem. Surd. consil. 67. num. 21. in fin. cum seqq. alios adducens Peregr. d. consil. 44. num. 25. vbi consilia Castren. Socin. Decian. Curt. iun. & Cornei refert, quæ omnia loquuntur in fideicommissis, quæ ex generalitate rationis adductæ à testatore veniunt ampliãda ad limites ipsius rationis, prout euenit etiam in cons. Paris. 7. num. 18. lib. 3. & Bero. cons. 64. num. 17. lib. 2.

lib.2.& Rolan, consi.6. num.21. lib.4. & Alb. consi.54. num. 4. & vt dicit Peregr. d. consi. 49. num.3. Ratio regulat dictum, non autem dictum rationem. *d. l. cum pater. §. dulcissimis, de leg. 2.* Ex quibus infertur, quod quamuis ex primis substitutionibus induceretur fideicommissum personale,& ad fauorem institutorum, & descendentium ab illis ex prædicta ratione à testatore expressa ampliatur hoc fideicommissum, & fit reale, & extenditur ad omnes personas descendentes masculos de Casata,& agnatione ipsius testatoris in perpetuum, ex late supra deductis. Vnde optimo iure Rota in vna Perusina Bonorum de Herculanis 22. Aprilis 1580. coram bo.me. Brauo, tenuit sufficere supradictam rationem etiam sine prohibitione alienationis, vt inducatur absolutum fideicommissum, & perpetuum, reddens rationem, quia qui vult consequens, videtur etiam antecedens voluisse. Tum etiam, quia ratio sic disponit, prout disponere solent verba. *l.emptor.§.fi.de rei vendic.Fortun,in l.Gallus,§.idem credendum, n.19. ff. de lib. & posthu.* quam decisionem in hoc puncto sequuta fuit Rota in supradicta Perusina de Bigazzinis in vers. quinimo si rationem illam. coram bo. me. Litta, & facit, quia in prædicta ratione à Testatore expressa (quoniam voluit)clare demonstrauit testator,causam, & finem sui animi ad hoc fideicommissum instituendum,fuisse, quod in perpetuum illius bona conseruarentur in descendentibus masculis de Casata, & agnatione testatoris. Causa autem principaliter debet considerari *ad tex. in l. 1. §. si te rogauero. & §. idem Pomponius.ff.depositi.Crot.cons.48. num.5.* Tum etiam, finis est principium in intellectu, & principium intentionis, licet sit vltimum executionis, iux. *Bal. in l. auia tua.nu. 24.C. de iure dot. Tiraq. in tract. cess.ante cau. limitat.1. num. 6. Natt. cons.149. num.8.* dicens id principaliter fieri,ad quod tanquam ad finem, intellectus tendit, igitur prædicta causa,& fine principaliter consideratis,fideicommissum istud dicendum est absolutum, & perpetuum. Præcipue stantibus dictionibus (omnino, in perpetuum, & continuo) & alijs supra ponderatis perpetuitatem denotantibus.

8 Quibus non obstant pro parte D. Imeldæ in contrarium adducta, illa namque prætendit nullatenus istud secundum fideicommissum ad fauorem descendentium de Casata, & agnatione testatoris subsistere, quia omnia illa verba (quoniam voluit testator, &c.) dicunt esse intelligenda de descendentibus institutorum, & de illorum agnatione, & ad illos tantum esse restringenda, quasi sint apposita consecutiue, & coniunctim cum præcedentibus substitutionibus de descendentibus institutorum factis, & veniant accessorie ad illas, & ex eo non valeant inducere nouum fideicommissum ad fauorem descendentium de agnatione testatoris,iuxta *consi.Dec.636.* pluries in Rota Canonizatum, & *Alex.consi.59.num.1.lib.3. Socin.consi.53.n. 11. lib. 1. Gozadin. consil. 30. nu.16. in fi. & num. seq.* cum pluribus alijs relatis à *Petr. vbi sup. q. 6. nu. 1.* & tenuit Rota in vna Fanen. Bonorum.5. Iunij 1589. coram bo. me. Card. Seraphino, & in alia Fauentina Fideicommissi de Pasijs 20. Maij 1588. coram Illustris. Pamphilio, quæ pro parte D. Imeldæ fuerunt adductæ. Fuit namque responsum negando, prædicta verba (quoniã voluit,&c.) stare consecutiue,nec accessorie ad præcedentes substitutiones,sed potius fuisse per modum rationis prolata,& stare de per se dispositiue ad effectum inducendi istud secundum absolutum, & perpetuum fideicommissum ad fauorem agnationis testatoris, vt late supra in quinto fundamento demonstrauimus. Et roboratur,quia cum prædicta verba (quoniam voluit testator)sint in separata oratione,& regantur à diuerso verbo (voluit venire debere ad proximiores,) non dicuntur stare consecutiue, sed separatim, & de per se, ad notata per *Bart. in l. Seiæ. §. Caio. ff. de fund. instruct. & dixit Rota decis. 568. num. 5. & final. part. 1. diuers.* Nec etiam habent aliquas dictiones relatiuas ad præcedentia, nec ex præcedentibus illatiuas, vt ponderatur satis ad hoc propositum in *d. decisione 568.* fere per totam. *Tradit Petr. vbi sup.q.6.num.22.& 41. & q.11. num. 559.* Et in tantum ista verba stant de per se, & non consecutiue ad præcedentia,vt licet ex prioribus substitutionibus resultat fideicommissum personale ad fauorem descendentium, ex institutis ex istis verbis (quoniam voluit) resultat fideicomissum reale ad fauorem agnationis testatoris, vt supra in primo fundamento probauimus.

9 Nec obstat dictio(quoniam)quæ videtur consecutiua ad præcedentia, quia respondetur, istam dictionem esse rationalem de sui natura, & per illam redditur ratio mouens disponentem, vt probatur in *l. Herennius & l.mulieris. §. res abesse. de verb. signific. vbi Rebuff. ver.* quoniam, & fuit apposita à testatore in nostro casu, non accessorie, nec consecutiue ad primas substitutiones, sed pro reddenda ratione ipsius animum mouente ad reale, & perpetuum fideicommissum suæ agnationi relinquendum. Vnde iuncta ista particula (quoniam) verbo (voluit) reddit rationem, & disponit, vt supra probauimus. Et quod nullatenus in prædictis verbis, (quoniam voluit) testator intellexerit de descendentibus institutorum, nec ad illos se restrinxerit, patet, cum ibi se referat ad propriam ipsius testatoris agnationem, non autem institutorum, quod fecisset si ad illos tantum illorumque agnationem respexisset.

10 Quibus non obstat testatorem ipsius agnationem vocasse, sub qua proprie videntur venire illi, qui linea recta à testatore descendunt, non vero transuersales, vt notat *Ruin. cons.154. num.10. lib.2. alios referens, & Menoch. cons.233. num.15.* Vnde cum Domini Comites Guido, & Marchus Antonius sint transuersales, non videntur ad istud fideicommissum inuitati præcipue ponderando pronomen (ipsius) personalitatem significans, iuxta *Rip. in d. §. Diui num. 3.* & alios relatos per *Tiraq. de retract. conuent. §. 1. glo. 6.nume.25.* Quia respondetur verba illa (de agnatione ipsius testatoris) dupliciter intelligi, aut specifice, & effectiue, nempè de illis de agnatione testatoris, id est de agnatis descendentibus ab illo, alio vero modo intelliguntur, generice & contentiue, id est de agnatis contentis in domo testatoris, & de illius gente, sub quibus includuntur etiam agnati transuersales testatoris, quam distinctionem adducunt ijdem *Ruin. & Menoc.* locis proxime citatis, & pro illa inter illa ponderat Menoch. optime *tex. in l. pronunciatio. §. familia de verb. sign.* Vnde, cum testator de tempore conditi testamenti,nec haberet filios legitimos,nec spem illos procreandi, sed tantummodo Dorotheam filiam naturalem, cui pro sua dote Scuta 2. milla legauit, & vocasset ad istud fideicommissum masculos descendentes de sua agnatione, euidenter constat non intellexisse de suis agnatis effectiue, & specifice, sed generice, & contentiue, ita vt vocauerit descendentes agnatos de sua domo, & gente Lambertinorum,quantumcunque transuersales. Quod comprobatur ex eo, quod cum careret filijs, & descendentibus masculis de sua linea, instituit sibi hæredes vniuersales Annibalem fratrem, & Cæsarem ex fratre nepotem, quibus, illorumque filios, & descendentes masculos substituit, & sic Transuersales. Vlterius, prædicta verba (quoniam voluit)apparet non esse restringenda ad descendentes institutorum; Nam cum illos iam expresse vocasset, verba ista nihil adderent, & essent superflua, vt considerat. *Bal.in cons.334.num.7.lib.3.*

11 Minus obstat *decis.121. num.2. par.2. diuers.* quatenus ibi dicitur resultare simplex, & absolutum fideicommissum, quia testator non per viam rationis, sed per viam principalis dispositionis ordinauit, domum permanere penes familiam, quasi ex hoc velint inferre,

re, quod verba prolata per modum rationis dicantur consecutiue adducta. Fuit namque responsum, Rotam in prædicta decisione determinare, non posse consecutiuum dici, quod principaliter disponitur, non autem determinare consecutiuum dici, quod per viam rationis profertur, tunc enim esset inspiciendum qualiter ratio fuisset concepta, quia posset esse æqualis dicto, quia tunc diceretur consecutiue prolata, & restringeretur ad dictum. Si autem esset ampla, & generalior dicto, tunc ampliaret dictum, & censeretur dispositiue adiecta ex superius in quinto fundamento adductis.

12 Nec etiam obstare videtur consilium Decij. 636. quia, quamuis Rota illud sæpius canonizauerit, hoc fecit in casu, in quo loquitur, nempè in fideicommisso filijs relicto ad inuicem sub conditione, si quis illorum sine filijs decederet, adhibita prohibitione alienationis, vt bona perpetuo in familia conseruarentur, quo casu optime decidit præd. consilium, illam prohibitionem, nouum fideicommissum non causare, sed tantummodo censeri adiectam retento eodem themate præcedentium substitutionum, & ad maius robur illarum, qui casus non adaptatur nostro casui, in quo nulla adest prohibitio alienationis expressa, ex qua velimus nouum fideicommissum ad fauorem agnationis testatoris elicere, sed tantum adest illius dispositio, verbis in vim causæ, & rationis expressis inducentibus prædictum perpetuum fideicommissum, ex superius late deductis. Tum etiam, nec rationis adductæ à Decio militant in nostro casu, cum ipse fundetur in eo, quod prohibitio de qua ibi erat consecutiua & accessoria ad præcedentes substitutiones; Vnde ad illas veniebat restringenda, in nostro autem casu, vt demonstratum relinquo, verba illa (quoniam voluit, &c.) non accessoriè, nec coniunctè ad præcedentes substitutiones fuerunt adiecta, sed dispositiuè, & de per se, & in diuersa oratione, & cum differenti verbo (voluit) & absque aliqua relatione ad præcedentes, nec illatione ex illis. Alia ratio Decij ea est, quia nempe ex fideicommisso resultabat tacita prohibitio alienationis. Vnde cessante illa, cessat & expressa prohibitio, quasi ordinata ad tacitam, quæ ratio minus intrare potest in nostro casu, vbi nulla adest expressa prohibitio, ex quo sequitur, minus esse locum alij rationi adductæ per Decium, nempe prædictam prohibitionem expressam, tanquam odiosam esse restingendam. Vnde deficiente tali prohibitione, cessat consideratio illius odij: Et sic nimirum si prædictum consilium Decij non intret in casu nostro. Vltra quod illius consultatio ex eo potuit procedere, quia prohibitio de qua ibi, erat nuda, & sic inualida, & tunc ratio conseruandi bona in familia censetur adiecta ad vestiendam talem prohibitionem, & non operatur fideicommissum reale, prout illud operaretur, si dicta prohibitio iam vestita fuisset, aut omnino non adesset, prout in nostro casu, ex supra adductis. Et ita Decij consilium intellexit *Cephal. cons. 134. n. 38. & seqq. quem refert, & sequitur. Surd. d. cons. 96. num. 47. & 48.*

13 Et ex eisdem respondetur ad dictam decisionem Fauentinam Fideicommissi coram Illustriss. Pamphilio, loqui in prohibitione alienationis, & in terminis eiusdem Consilij Decij, quo expresse illa fundatur. Et eodem modo responsio dari valet ad aliam decisionem prædictam Fan.en. Bonorum, coram bo. me. Card. Seraphino. Vltra quod in illa tam substitutiones, quam prohibitio fuerunt factæ sub vnico tenore, & contextu verborum, adeo vt ex prædicta coniunctione illarum dispositionum, facile colligi posset, mentem testatoris fuisse, vnum propter aliud inducere, prout in eadem decisione dicitur, quod longe distat à nostro casu, in quo optime, substitutiones descendentium substitutorum, fuerunt de per se factæ, & perfectæ; & postea, per prædicta verba (quoniam voluit, &c.) dispositiua, & per se in modum rationis prolata, & in diuersa oratione, huiusmodi fideicommissum fuit introductum in perpetuum ad fauorem proximiorum masculorum descendentium de Casata, & agnatione ipsius testatoris.

14 Vltimo non obstat, Annibalem alterum ex institutis à Comite Alexandro obijsse relicto Cornelio eius filio legitimo, & sic deficiente conditione (si sine filijs) substitutiones subsequentes euanuisse, saltem quo ad portionem Annibalis, iuxta consilium Oldra. 21. Quia fuit responsum, Oldradi sententiam non procedere, quoties testator vlterius processit ad instituendum perpetuum, & absolutum simplex fideicommissum, & adsunt coniecturæ hoc denotantes, quo casu conditio (si sine liberis) porrigitur ad omnes descendentes in infinitum, & ita intelligendum *consil. Oldradi tradunt Dec. cons. 477. Castren. cons. 343. lib. 1. Curt. iun. consil. 121. Gabr. cons. 123. num. 10. & 27. lib. 1. & in tit. de fideicommis. concl. 7. num. 4. lib. 4. Molin. vbi sup. lib. 1. c. 6. num. 19. Crass. vbi sup. §. fideicommissum. q. 33. num. 6. Marzar.* qui hanc dicit receptissimam. *consil. 7. num. 10. Peregr. quam plures adducens de fideicommiss. art. 29. num. 30.* Rota sæpius tenuit. Quod autem huiusmodi coniecturæ, quin & expressa testatoris voluntas perpetuandi bona in sua agnatione adsint in nostro casu, satis superius probatum reliquimus. Ex quibus omnibus, Domini, de prædicto fideicommisso quo ad primam partem dubij constare dixerunt. An autem ex illo valeat immissio pro suo legato Dominæ Imeldæ impediri, hoc particulariter videndum censuere.

REVERENDISS. P. D. PEGNA DECANO.

Compsana Iuris patronatus. Veneris 26. Iunij 1609.

ARGVMENTVM.

Vacationes beneficij, quando duæ insimul concurrunt, quænam præferatur.

SVMMARIVM.

Papa per indultum concessum Ordinario conferendi commendam non censetur abstulisse à se potestatem illam conferendi ea vacante. num. 1.

Vacationes duæ, quando concurrunt vna vera, & propria, altera autem impropria, attenditur vera, & propria vacatio, non autem impropria. Ponit exemplum, vt nu. 2. Declara, vt num. 3.

DECISIO CXCIV.

1 DIe 12. Nouembris 1607. fuit coram me in hac causa resolutum hoc Monasterium comprehendi sub regula octaua: sed quia Informantes pro Dominis Cardinale Estense, & Comite Compsano prætendebant à dicta decisione recedendum, causa iterum proposita super eisdem, & vtraque parte informante, Rota in decisis mansit, ex verbis generalibus regulæ, & ex iure, quod habet Ordinarius prouidendi vacante Commenda vigore indulti Pauli Papæ Tertij: Nam satis est, quod hoc Monasterium aliquo modo vacet, vt possit, vel à Papa, vel ab Ordinario conferri. De Ordinario non erat dubitandum, cum per indultum haberet prouidendi facultatem. De Papa minus dubitari poterat, quia per indultum Ordinario concessum, non censebatur à se abstulisse potestatem, quo minus vacante Commenda in suo mense posset iterum commendare. *Felinus post Dominicum, quem allegat in c. cum olim. num. 6. de maior. & obedien. Idem Felinus allegatus à Sarnense sub regula de impetran. quæst. 6. versic. Contrariam.* melius se explicat dicens, quod licet stante

Com-

Commenda beneficium non dicatur vacare, mortuo tamen Commendatario, negari non potest, quin largo modo vacet, quecunque sit illa vacatio, siue continuatiua, siue inductiua per vsum, quæ vacatio venit largo modo appellatione verbi vacare. Pauinus *tract. de offic.* & potest Capituli Sede vacante in vltimo prelud. satis enim est, quod de præsenti, quando impetratur, vere vacet per obitum, id est, quod ratione illius obitus Commendatarij reuiuiscit, & quodammodo inducitur ista vacatio ex nunc. Vnde videtur clarum comprehendi sub illis verbis Regulæ quocunque modo vacatura, cum alijs in decisione ponderatis, quibus limitatur facultas prouidendi Ordinatio concessa, ne dicatur Papa perpetuam à se conferendi facultatem abdicare voluisse.

2 Huic decisioni non obstabat potissimum illud motiuum, quo vtebantur Informantes pro Domino Cardinali Estense, videlicet, quod cum in hoc casu concurrerent duæ vacationes, vna vera, & propria, vt prius per mortem Marini, & altera impropria per obitum Cardinalis Commendatarij, in hoc concursu deberet attendi vera, & propria vacatio, vt prius *Verallus decis. 345. incip. Vnione dissoluta parte 3. Peregrin. decis. 39. incip.* Dubitauit R. P. D. Peregrinus, *libro 1.* quam refert. *Puteus decis. 13. incipien. Tullen. Parochialis. libro 3.* quæ decisiones licet loquantur in dissolutione vnionis locum quoque habent in cessatione Commendæ. *Cassadorus decis. 2. incip. Facta erat vnio. num. 8. de vnionib. & decis. 5. incip. Commendauerat Papa. num. 17. de priuileg.*

3 Quia fuit responsum id motiuum habere locum inter duos collatores, vel quando datur concursus duorum, quorum vnus habet ius super titulo beneficij ex vacatione iuris, alter vero habet ius ex vacatione facti: Tunc enim in isto concursu præfertur ille, qui habet ius ex vacatione iuris, & sic procedunt allegatæ decisiones Veralli, Peregrini, & Putei, & aliæ similes. Sed quando non adest iste concursus, quia videlicet nemo habet ius tituli, & sic nemo vtitur vacatione iuris, tunc attenditur vacatio facti, etiam ad effectum, vt talis vacatio comprehendatur sub reseruatione, quia beneficia de facto vacantia, quando ius non est penes aliquem, sub reseruationibus comprehenduntur. *Bisniettus decis. 12. incip. Papa mandauit conferri. numero 6. de præbend. Rota decis. 8. incip. Nota quod vbi Papa. de election. in antiq. Cassadorus decis. 2. incip. Promotus erat. num. 2. de Constitut.* Rota in causa Lucana Præposituræ die 13. Martij 1547. coram Mohedano, incip. in causa Lucana. Et istæ decisiones expresse loquuntur, quando concurrit vacatio iuris; & nihilominus si ius non sit penes aliquem attenditur vacatio facti ad effectum, vt sit locus reseruationi, quod eo magis dicendum erat in hoc casu, in quo Patronus non curauerat consumere vacationem iuris, cum non præsentauerit Regularem, qui potuisset ab Ordinario in titulum institui, sed sæcularem, cui debet ab Episcopo Monasterium commendari. Vnde per hanc præsentationem, & institutionem non fuit consumpta vacatio iuris, sed illa tantum vacatio facti, siue impropria, siue aliqualis; quæ resultat per cessationem Commendæ, & quæ aperiebat viam ad disponendum de hoc Monasterio, quæ cum contigerit in mense reseruato comprehendebatur sub regula octaua duobus præsertim simul concurrentibus, nempe verbis amplissimis regulæ, & priuilegio, siue facultate disponendi Comiti competente, quam facultatem disponendi Papa voluit per regulam auferre Patrono, & sibi reseruare.

REVERENDISSIMO P. D.

ATTREBATEN.

Mediolanen. Iuris patronatus, Mercurij 4. Nouembris 1609.

ARGVMENTVM.

De probatione Iuris patronatus, & illius quasi possessio quanto tempore inducatur.

SVMMARIVM.

Ius patronatus probatur ex fama, iuncta longissima possessione, alijsque indicijs, & adminiculis. nu. 1.
Liber censualis Ecclesiæ probat ad fauorem Ecclesiæ. num. 2.
Ius patronatus probatur non minus per consensum patronorum, quam per præsentationem per obitum, num. 3.
Quasi possessio Iuris patronatus inducitur per annos quadraginta. num. 4.

DECISIO CXCV.

1 DOmini censuerunt, posito nunc, quod non versemur in personis, in quibus Ius patronatus plerumque ex vsurpatione quæsitum præsumi solet, constare de Iure patronatus Felicis Castilionei in Cappella, seu Ecclesia Sanctæ Mariæ Rubeæ, loci Garbagnati Mediolanen. Diœces. Nam illud probatur ex fama iuncta longissima quasi possessione, alijsque indicijs, & adminiculis, iuxta doctrinam. *Bald. in l. cum super. C. de rei vendicatione. Dec. consilio 126. num. 3. vers. nam cum agatur. & consil. 117. num. 3. Lambertin. li. 2. par. 2. q. 10. prin. art. 4. num. 13. Cassad. decis. 2. num. 4. de probat. Put. decis. 60. in fin. lib. 1. Achill. decis. 4. nume. 10. & decis. 6. de Iure patronatus. Fuit dictum in Imolen.* Iuris patronatus 28. Maij 1584. coram bo. mem. Episcopo Lauretano, quæ est diuersorum. 792. parte 1. & in Barchionen. Vnionis 3. Decembris 1597. coram bo. memoriæ Gipsio, & in Tirasonen. Iuris præsentandi. 5. Maij 1593. coram R. P. D. meo Decano.

2 Famam bene probant complures testes, cum quibus concurrunt etiam enunciatiuæ, quarum vna est anni 1428. in libro Censuum Mensæ Archiepiscopalis Mediolanen. in quo ista Cappella taxatur ad septem libras ceræ, & enunciatur huiusmodi Ius patronatus fuisse erectum vsque ab anno 1336. qui liber per se fidem facit; *glos. in cap. ad audientiam. in verbo censualem. vbi Abbas, nume. 4. Felin. nume. 16. de præscript. Boer. decis. 105. num. 11.* & fuit dictum in Bononien. Iuris patronatus. 16. Ianuarij 1608. coram R. P. D. Sacrato.

3 Altera est anni 1477. quæ & si non excedat annos 91. attento initio litis, quod fuit anno 1568. tamen magnum facit adminiculum, vt fuit dictum in Farfen. Territorij 19. Martij 1607. coram R. P. D. meo Decano, longissima vero possessio deducitur ex prouisione quondam Bernardini de Bamphis ex causa permutationis accedente consensu Patronorum anno 1501. qui consensus non minus probat quasi possessionem Iuris patronatus, quam præsentatio per obitum. *Abb. in c. 1. de relig. domib. nume. 6. & consi. 54. num. 3. vers. pro hoc etiam facit. lib. 1.* cuius doctrinam, reiecta opinione Decij *consi. 149. num. 4.* tenuit Rota coram Mohedano, *decis. 10. num. 3. & 4.* de Iure patronatus, & Crescentius *decis. 2. eod.* titulo, & coram R. P. D. Coccino in Lucana Iuris patronatus 7. Maij 1604.

Huius autem effectum probat præsentatio, & institutio Ludouici de Castilionio per obitum ipsius Bernardini, *Oldrad. consil. 229. num. 2.* qui Ludouicus posse-

possedit vsque ad prædictum annum 1568. cum tamen sufficiat quasi possessio quadraginta annorum, vt declarauit Congregatio Illustrissimorum Cardinalium, Concil. Trident. Interpretum, & tenuit Rota in dicta Barchinonen. Vnionis. coram bonæ memoriæ Gipsio,

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. CARD. LANCELLOTTO.

Toletana Canonicatus, Ven. 13. Nouembris 1609.

ARGVMENTVM.

Sanguinis puritas, etiam quod non sit probata, præsumitur à iure, & allegans impuritatem debet eam probare. Obseruantia interpretatiua datur, quando verba statuti sunt dubio, secus si sint clara, stylusque, & obseruantia Curiæ Romanæ omnium aliarum Curiarum obseruantijs præferenda est præsertim vbi agitur de interpretatione literarum Apostolicarum, aut statuti confirmati à Papa.

SVMMARIVM.

Obseruantia, & stylus Curiæ Romanæ debet seruari in omnibus alijs Curijs, etiam extra statutum Ecclesiasticum, maxime cum agatur de interpretatione literarum Apostolicarum, aut statuti à Sede Apostolica confirmati. nu. 2.

Sanguinis puritas præsumitur etiam non probata, & qui impuritatem allegat illam probare debet. nu. 3. & seqq.

Obseruantia interpretatiua non intrat, quando verba statuti sunt grauia, sed tantum quando verba sunt dubia. numer. septimo.

Obseruantia interpretatiua est illa, per quam contenta in statuto effectuantur, non autem illa, per quam inducitur aliquid diuersum aut contrarium à statuto. n. 7.

Remissoria non est danda ad probandum actus iudiciales, numer. 8.

DECISIO CXCVI.

1 POst factas decisiones super negotio principali coram R. P. D. meo Marcomontio, & sententiam ab ipso prolatam, causa coram me in alia instantia introducta, petita fuit remissoria ab agentibus pro Capitulo ad probandam obseruantiam statuti, quod scilicet pro satisfactione illius necesse sit, quod testes affirmatiue, siue positiue deponant de puritate prouisi quam tamen remissoriam Domini denegandam esse censuerunt.

2 Et primo, quia dato etiam quod in Hispania fuisset intellectum, & obseruatum statutum eo modo, quo Capitulum prætendit, adhuc tamen id non releuaret, quia cum deuolutis cuasis ad Curiam, & in Rota discussis alius intellectus, de quo in decisionibus Domini Marcomontij, fuerit approbatus, & secundum illum, & in multis causis diuersis temporibus factæ fuerint multæ decisiones, & prolatæ sententiæ: hæc obseruantia Rotæ Romanæ esset in omnem euentum attendenda, & iuxta illam causæ decidendæ, & terminandæ, ita vt non sint ab alijs Tribunalibus exempla quærenda, aut quicquam à testibus petendum, cum stylus, & obseruantia Curiæ Romanæ debeant omnibus alijs præferri, iuxta notata per *gloss. in cap. cum olim. in verb. Anglicanis Ecclesiis. de consuetu. & in cap. vnico. in verb. docuit. de Summ. Trin. & fid. Cath.* Maximè cum agatur de interpretatione etiam Literarum Apostolicarum nempe statuti à Sede Apost. confirmati, à qua confirmatione robur recipit, vt propterea attendenda sit interpretatio data in Curia per Delegatos Apostolicos, illaque omnibus alijs præualere debeat *c. cum venissent. cum ibi nota, de iudic. cum simil.*

3 Neque obstat, quod decisiones Rotales procedant in casibus, in quibus per testes positiue constabat de puritate, quia hoc non est verum: nam licèt in aliquibus casibus adessent in actis testes, qui probant puritatem, siue quod Prouisus non descendebat ab infectis, nihilominus de his probationibus non fuit habita ratio, sed in abstracto fuit dictum onus probandi incumbere Capitulo, & sufficere Prouiso ad hoc, vt eius intentio dicatur probata secundũ statutum quod Capitulum non probet impuritatem, quod patet ex ipsis decisionibus quinquaginta ab hinc annis factis in Rota in indiuiduo super hoc statuto Toletano, omissis quampluribus alijs super statutis Ecclesiarum Legionen. & Oxomen. ac aliarum.

4 In primis enim coram Gropperio anno 1561. per duas vices, nempe 28. Aprilis. & 30. Maij in causa Toletan. portionis, & deinde quinta Maij 1563. in eadem causa coram eodem Gropperio Rota sensit, quod, quicquid sit quando Prouisus non appellat à denegatione Capituli, vel deserit appellationem, quo casu insurgit præsumptio pro gestis à Capitulo, quando Prouisus appellat, & causam appellationis committit, onus probandi spectat ad Capitulum, quas decisiones Gropperij Rota deinde in multis causis sequuta fuit. Sed clarius hoc fuit tentum, & decisum in alijs causis Toletanis, nam coram Illustrissim. Seraphino in causa Toletana Portionis 7. Maij 1568. fuit expressis verbis dictum, quod hoc statutum nullum onus iniungit Prouiso, Si tamen ex probationibus factis per deputatum à Capitulo deprehendatur, eum, qui petit admitti, esse aliqua macula infectum, tunc ei incumbit onus probandi se esse purum. Idem, & magis expressè fuit decisum in alia Toletan. Portionis 2. Maij 1594. coram Illustrissimo Mantica, vbi desertis verbis dicitur quod ille, qui petit ad Canonicatum admitti, non tenetur probare, se non descendere ex sanguine infecto, quia hoc præsumitur, nisi quando ex inquisitione facta per Capitulum constaret de alia macula ipsius. Et eadem causa deuoluta in alia instantia coram Reuerendissimo Pacen. die 10. Maij 1595. dum ageretur de concedenda Remissoria, fuit dictum quod in Rota fuerat resolutum constare de puritate Prouisi, quod intelligitur de resolutione prædicta coram Illustrissimo Mantica. Rursus in alia causa Toletana 27. Ianuarij 1595. coram eodem Illustrissimo. Mantic. in terminis eiusdem statuti dictum fuit, quod cum Capitulum ageret obiectiue aduersus Gregorium qui idoneus præsumebatur, contrarium debebat concludenter probare, quodque in alio casu probatio Capituli non erat sufficiens, licèt nihilominus die 13. Martij 1595. fuerint discussæ probationes Prouisi, prout etiam fuit factum in hac causa. Idem quoque fuit confirmatum in eadem causa in alia instantia introducta coram Illustrissimo. Mellino, coram quo die 6. Nouembris 1595. dum fuit denegata Remissoria Capitulo, dictum fuit, quod coram Illustrissimo. Mantica fuerat resolutum constare de puritate Prouisi quod verificatur etiam in supradicta decisione, die 27. Ianuarij 1595. In alia quoque Toletana puritatis sanguinis 10. Maij coram bon. mem. Litta dictum fuit etiam expresse in terminis huius statuti, quod eo ipso quod Capitulum non probat impuritatem, est probata intentio Prouisi.

5 Non obstant decisiones in causa Toletana Portionis 23. Octobris 1594. & 25. Iunij 1595. coram bon. mem. Domino de Rubeis, nam licèt in eis dicatur, quod Prouisus probauerat descendisse à parentibus, qui erant in quasi possessione Christianorum antiquorum, & quod probatio Prouisi præualebat probationi Capituli, tamen nõ ideo cõcluditur, quod ita sit necessaria positiua, siue affirmatiua probatio Prouisi, vt sine

vt sine illa non posset admitti.

6 Et sic patet respectu huius statuti Toletani, quod licet fortasse in aliquibus causis secundum facti contingentiam adessent in actis probationes super puritate, tamen in illis non fuit factum aliquod fundamentum, nec de illis fuit habita ratio. Sed quod perpetuum Rotæ fundamentum, & continua obseruantia fuit, attento hoc statuto, quod eo ipso, quod non probatur impuritas, iudicatur quis purus, & quod Prouisus non tenetur probare puritatem, nisi quatenus fuisset prius probata aliqua macula, ita vt merito talis Rotæ obseruantia, siue intellectus verbis statuti conformis fuerit sæpius in alijs causis confirmatus, & vltimo loco satis superque comprobatus coram RR. PP. DD. Marcomontio, & Sacrato, & nuper coram R. P. D. Manzanedo in causa Pacen. Puritatis 6. Aprilis præsentis Anni.

7 Secundo fuit denegata Remissoria, quia verba statuti de per se sunt satis clara, & ex illis manifeste elicitur statutum non emanasse ad includendos descendentes ab antiquis Christianis, sed ad excludendum descendentes ex infectis aliqua Saracenorum, aut Hæreticorum macula, vt patet in decisionibus Rotalibus, & sententijs in istis causis Toletanis prolatis, præcipuè vero ex decisione sub die 5. Iulij huius anni coram R. P. D. Sacrato, & magis expresse in secunda decisione 3. Aprilis 1609. coram R.P.D. Marcomontio, vbi verba statuti sigillatim ponderantur. Vnde non potest circa prædicti statuti interpretationem contraria obseruantia admitti, cum illa non intret, nisi in statuto, aut lege dubijs. *Bartol. in l. neque. num. 2. & in l. diuturna. in princ. ff. de legib. Abb. in cap. cum dilectus. num. 7. de constit. Aret. consilio 115. num. 2. Natta consilio 118. num. 1. Surd. 426. num. 44.* & sæpè decisum fuit in Rota, & signanter in causa Perusina Syluarum. 23. Ianuarij 1577. coram bonæ memoriæ Cantuccio, quæ habetur inter impressas *decis. 39. num. 11. par. 2.* Obseruantia enim interpretatiua illa est, per quam contenta in statuto effectuarentur, non autem illa, per quam induceretur aliud diuersum, aut contrarium, id namque non esset interpretari statutum, sed quid contra, vel vltra illius dispositionem inducere, quo casu non est interpretatio declaratiua, sed vel restrictiua, aut extensiua, vt per *Aret. d. consil. 115.* quin esset contrauentio, non obseruantia, vt in simili casu dixit Rota in causa Montis Regalis Iurisdictionis 15. Nouembris 1604. coram R.P.D. meo Coccino, maximè quia hæc posset etiam dici obseruantia interpretatiua contra ius, quam in decisorijs non possunt Iudices, præsertim Inferiores inducere. *Alex. consil. 36. volumine secundo. Rebuff. ad leges Gallicas. titul. de consuetud. vsu, & titulo. art. 2. glo. 3. num. 15. Aym. de antiq. tempor. par. 4. in princ. num. 36.* & fuit resolutum in causa Aretina Spolij 4. Iunij 1604. coram R.P.D. meo Coccino.

8 Tertio fuit denegata Remissoria, quia cum talis obseruantia sit probanda à testibus per depositionem actuum, & casuum, in quibus ita fuit obseruatum super quibus actibus, & casibus conficiuntur sententie, & actus iudiciales, siue Capitulares, non est danda remissoria ad ista probandum per testes. *Ægid. decis. 9. num. 1. versic. facit quia. Rot. decis. 46. de testib. in antiq.* & ex hac ratione Rota sæpe denegauit Remissoriam ad probandam obseruantiam Statuti, vt in causa Bononiensis. Portoni 9. Martij huius anni coram R. P. Domino meo Decano, & deinde in eadem causa die 16. Iunij præteriti coram R. P. Domino meo Pamphilio.

R. P. D. CAVALERIO.

Romana Concordiæ Sancti Petri. Veneris 13. Nouembris 1609.

DECISIO CXCVII.

Est inter Caualerio impressa.

DECISIO 77.

DECISIO CXCVIII.

Est inter decis. Caualerio impress.

DECISIO 79.

REVERENDISS. P. D. PEGNA

DECANO.

Vratislauien. Matrimonij. Vener. 27. Nouemb. 1609.

ARGVMENTVM.

Seruitus quando dicatur realis, quando Personalis, & quando mixta, quandove statuta inter subditos, & Dominum alicuius Castri per viam conditionis conditum liget successorem.

SVMMARIVM.

Seruitus alia est personalis, quæ debetur à persona personæ, & alia realis, quæ debetur à re rei, siue sit vrbana, siue rustica, & alia est seruitus mixta, quæ debetur à re personæ. num. 2.

Seruitutum personalium mixtarum aliæ sunt nominatæ, & aliæ innominatæ, & ponuntur exempla. num. 2. in fi.

Seruitus concessa vniuersitati perpetua censenda est, quia vniuersitas nunquam moritur. num. 3.

Legatum vsusfructus relictum communitati durat per centum annos. num. 4.

Seruitus dicitur mixta, quando deseruit personis, & hominibus alicuius Castri in perpetuum, vel quando est concessa hominibus ad vsum personæ respectu animalium, & determinatæ ad certum numerum animalium, & generaliter, ex quibus verbis cognoscatur, seruitutem concessam esse mixtam, & non personalem. num. 5. 6. 7. & 8.

Statuta, & conuentiones factæ à Domino alicuius Castri cum subditis ligant etiam successores. num. 9. Declara, vt num. 10. & 11.

Singularis successor non ligatur conuentionibus initis cum antecessore, nisi onera sint realia. nume. 10. Declara, vt num. 11.

Seruitus realis constitui potest, nisi quatenus prædio vsui esse possit ad vtilitatem, vel ad amœnitatem. Exempla ponuntur. num. 11.

Seruitus realis, siue personalis an, & quando transeat ad successorem. num. 12.

Facultatiua Concessio facta à Domino alicuius prædij numquid obliget singularem successorem concedentis. num. 13.

Conuentiones factæ in contractu societatis morte socij finiuntur. num. 14.

Colonus Partiarius non dicitur proprie socius, sed sapit potiùs naturam conductoris quam socij, num. 14. vers. Quia facit responsum.

Seruitutem in re sua ad sui ipsius vtilitatem imponere quis non potest. num. 15.

Statuta per viam conuentionis per incolas, & homines alicuius Castri, cum suo Domino fieri possunt, numero 17. & numero 21.

Statuta, siue loquantur in rem, siue in personam non afficiunt bona sita extra territorium statuentium. num. 17.

Statuta alicuius Castri procedunt, & habent locum in pertinentijs dicti Castri. num. 17.

Confæ-

Confœderationes Ciuitatum, vt earum statuta inter eas seruentur, valent, num. 18.

Partium præsentia, & patientia præsumitur interfuisse instipulatione, nisi contrarium probetur, num. 20.

DECISIO CXCIX.

1 IN hac causa fuerunt factæ plures Decisiones, quas Informantes pro faciliori resolutione Dominis exhibuerunt. Tandem præsuppositis Statuto Castri Sancti Poli, & illius proœmio cum subscriptione Abbatis Farfensis olim eiusdem Castri Domini, Et decisione facta die 23. Martij 1596. coram Domino Cardinale Platto tunc Rotæ Auditore, & huius causæ Iudice, Et instrumento venditionis factæ per bo.mem. Paulum Iordanum Vrsinum Cardinali Cæsio de Castro, & Prædio, seu tenuta Marcellinæ, Et quasi possessione onerum firmatorum super tenuta ante, & post tempus venditionis, Et quod Dominus Paulus Iordanus acquisiuerit tenutam à Ioanne Antonio de Sancto Seuerino, qui eam emerat à prædicto Abbate, & alijs hinc inde deductis : dubitaui, An dicta Statuta ligarent Paulum, & illius successores respectu Tenutæ Marcellinæ, in casu, & ad effectum, de quo agebatur. Effectus autem erat videre, non in abstracto, sed in concreto, an in diminutione valoris, foret habenda ratio onerum, vel seruitutum tenutæ Marcellinæ: & an testes, qui illa in toto, vel in parte ignorabant, probarent valorem prædictæ tenutæ.

2 Dubium fuit sæpe propositum, nempè die 13. Iunij 1607. & die 9. & 23. Iunij 1608. & propter difficiles iuris articulos, qui vtrinque fuerant excitati, non fuit capta resolutio. Demum in hac propositione, re mature discussa, Rota censuit, Statuta ligasse Dominum Paulum, & successores etiam respectu tenutæ Marcellinæ. Et quoniam Informantes pro Domino Don Virginio prætendebant articulum versari in seruitute personali, quæ non transit ad successores, pro parte vero Domini Ducis Cæsij contendebatur, versari in seruitute reali, vel saltem mixta: Præmissa tripartita illa, & communi seruitutum differentia, vt alia sit seruitus mere personalis, quæ debetur à persona personæ. *l. 1. & seq. ff. de sta. hom. l. 1. & sequ. ff. qui sint sui, vel alieni iuris. §. 1. & seq. Insti. de iure personar. glos. communiter recepta in l. 1. ff. de seruit.* Alia sit mere realis, qualis est, quæ debetur à re rei, siue sit vrbana, siue rustica, vt declarauit magistraliter Doctores, & signante. *Bart. in l. 1. ff. de seruit. & Faber in §. æque si agat. Instit. de action. & Antonius Gomezius tom. 2. variar. resol. c. 15. num. 1. & 22.* Tertia vero mixta, quæ debetur à re personæ, & inter seruitutes personales mixtas, alias esse nominatas, vt vsumfructum, vsum, & habitationem, alias vero innominatas, vt ius pascendi, ligna cædendi, calcem coquendi, arenam fodiendi, & similes. *Bal. in Rub. C. de vsufruc. num. 3. & in l. si plures. num. 12. C. de condi. insert. late Cæpolla tract. de seruit. vrb. prædi. c. 9.* in casu autem proposito, natura, & circumstantijs contractus, de quo agebatur inspectis, Rota censuit, seruitutem hanc ad genus mixtarum perpetuarum potiùs fuisse referendam.

3 Primo, quia non poterat in dubium reuocari, quin fuerit concessa ob commoditatem, & vtilitatem Castri, seu Vniuersitatis, vt sæpe dicebatur in Statutis, & signanter c. 23. ibi, *à loro commodità*: & ideo cum vniuersitas nunquam moriatur, perpetua erat censenda. *Bal. consi. 202. incip. Ad euidentiam, vref. item quia seruitutes. lib. 2. Las. in d. §. æque. nume. 9. Institu. de action. Bartholomæus Cæpolla tract. de serui. vrban. prædior. c. 2. num. 1. & 2. & 5.* & in terminis *Ludouicus de Casanate consi. 42. incip. in subtili seruitutum tractatu. num. 23.* vbi affirmat Zasij opinionem veram eo respectu, vt seruitus ista Communitati debita, sit perpetua, cum Communitas nunquam moriatur, *l. proponebatur. ff. de iudicijs.* non tamen eo respectu, vt debeatur à re rei, cum clare dicat, deberi à re personis, quem sensum videtur habuisse Rota in decisione in hac causa facta coram bo.mem. Litta die 16. Februarij 1604.

4 Nec refragatur Cæpolla de *serui. vrban. præd. c. 4. de vsufru. in fine*, dum sensit legatum vsusfructus relictum Communitati durare per centum annos, quia quicquid sit de ista opinione, hic non agebatur de vsufructu legato, sed de seruitute constituta per viam conuentionis.

5 Secundo pro mixta seruitute excludente obligationes personales, ponderabantur verba multorum Statutorum ipsius Castri nam *cap. 23.* ita cautum legebatur: *Et essi huomini possano vsare detti tenimenti con qualunque bestia senz'altro pagamento, ò seruitio, eccetto nelli porci, per li quali detti huomini debbano pagare per la spiga, e per la ghianda, secondo che in questi Statuti sarà ordinato:* & paulo post in eodem Statuto, *che li detti huomini possano nelli detti tenimenti, luoghi, e selue tagliare, e cogliere qualunque poma, & frutti ci fussero, à loro commodità senz'altro pagamento.* Et paulo post ibidem. *Che li huomini non possano tagliar traui per forastieri senza licenza del Signore,* & subditur in fine. *In ogn'altro modo deti huomini possano vsare li tenimenti, e selue predette à loro commodità.* Et cap. 36. *Che li huomini possano vsare detto tenimento come vogliono, secondo è stata loro antica consuetudine, reseruata al Signore la sesta parte delli lauori, la ragione della spica, e che gli huomini paghino al prefato Signore dodeci danari per porco, per la ghianda di detto tenimento, ò ci sia, ò non ci sia.* Et cap. 43. Remittitur arbitrio hominum pascere porcos facta certa solutione. Vnde resultat conseruatio iurisdictionis ipsius Communitatis. & tandem c. 24. *statuitur, che li huomini, ch'hanno pecore, ò altre, bestie armentiue non le possano mettere in dette selue da' 15. d'Ottobre insino alla Festa di San Nicola, riseruata à ciascedun pastore quattro bestie armentiue, & li boui aratori, quali possano andare per tutto d'ogni tempo.*

6 Ex istis enim Statutorum verbis apparebat, tenutam Marcellinam seruire hominibus Castri Sancti Poli, & consequenter seruitutem fuisse mixtam, cum prædium seruiat personis, & hominibus Castri in perpetuum, & amplius, quod quando indeterminate est facta concessio hominibus ad vsum personæ respectu animalium, & non determinate ad certum numerum animalium, vt in dictis Statutis ibi, *che possano vsare:* quod verbum pertinet ad vsuarium. *Cæpol. de seru. vrban. præd. c. 5. num. 2. vers. item scias*; acquiritur seruitus cum illa qualitate, nec cessat concessio; ex eo quod certa genera animalium possint pascere; sufficit enim quod respectu illius generis concessio fuerit secundum necessitatem personarum Castri, alias enim non darentur seruitutes separatæ lignandi, piscandi, pascendi, & aliæ, quæ pro furnis, & Molendinis competunt, quæ omnes sunt seruitutes distinctæ, & separatæ ex deductis per *Cæpollam de seruitute vrban. prædior. c. 9. nume. 2.* & tamen omnes possunt esse in eodem prædio.

7 Tertiò seruitus personalis excludebatur ex eo, quod in hac concessione dabatur facultas pascendi boues aratorios quocunque anni tempore, quod cum ideo fiat, vt prædia colantur, ista seruitus non personalis, sed potiùs onus reale perpetuum erat censendum, præsertim cum non esset actum, vt cum persona finiretur. *l. pecoris. ff. de seruit. rustic. præd.* vbi notant *Bart. & Doctores.*

8 Placuit etiam doctrina *Baldi in l. si plures. num. 13. C. de condi. in ser.* vbi cum aliquando Veneti concessissent Placentinis transitum per quendam Pontem, quem tunc Veneti possidebant, absque solutione alicuius vectigalis, & postea pons ille factus esset de districtu Paduano, & Paduani peterent vectigal, & Placentini dicerent se non teneri, quia ista seruitus perpetuo fuit concessa, pro Placentinis respondit *Bald.*

9 Et

9 Et ex prædictis iure fuit firmata regula contra Dominum Paulum, & eius successores, quod per statuta etiam respectu tenutæ Marcellinæ fuerint ligati, quoniam quilibet successor, & habens causam à ligato ex conuentione cum subditis facta per antecessorem remanet ligatus *cap. 1. de probat. vbi Abbas, & Felin. notab. 1. Zabarel. cons. 147. num. 2. in fine Gabriel. de iure quæsito non tollen. conclus. 5. num. 2. Natt. cons. 122. incip. in præsenti causa. num. 5. lib. 3. & aptius ad hunc casum Bald. dict. consil. 202. num. 2. versic. amplius est subtilius. libr. 2.* vbi quod successor territorij, & iurisdictionis dicitur successor vniuersalis.

10 Non obstat potissimum fundamentum, quo vtebantur Informantes pro Domino Don Virginio quidam obligatio onerum, aut seruitutum, de quibus agebatur, ideo fuerat personalis, nec trãsiuerat ad Dominum Paulum, & eius successores, quia quo ad tenutam Marcellinæ, erat singularis successor, cum illam emerit à Sanseuerino, per regulam. Quod singularis successor non ligatur conuentionibus initis cum antecessore, nisi onera sint realia, ita vt tenuta illis specialiter fuerit obligata, *l. emptor. C. locat. vbi Bal. in prin. Alex. in l. si filio. §. fin. ff. solut. matrim. Bart. in l. Mela. §. fin. num. 3. ff. de alimen. & cibar. leg. Cæpolla de seruit. vrban. prædior. cap. 2. num. 5. Ias. in §. æque. nu. 9. & 13. cum pluribus sequent. Instit. de action. vbi Bartoli opinionem dicit communem.*

11 Quia fuit responsum primo, quod licet ista seruitus non posset dici mere realis, ex quo in tali seruitute requiritur prædium dominans, & prædium seruiens: per seruitutes enim reales prædia prædijs seruiunt, & res rebus, non potest enim vltra constitui seruitus vere realis, quam quatenus prædio vsui esse potest ad vtilitatem, vel ad amœnitatem, *leg. ergo, & l. veluti. ff. de seruit. rustic. prædior. l. hoc iure. de aqua quotidiana, & æstiua l. luminum. ff. de seruitut. vrb. prædior. vt bene explicat Iacobus Cuiacius ad l. 8. de seruit. & tract. 9. ad Africanum in principio, explicatione l. cum esset, §. per plurium, ff. de seruit. rustic. prædior.* & cum in casu proposito homines Castri Sancti Poli possent ligna scindere, glandes colligere, & depascere in tenuta Marcellina, nec ad prædia ipsorum haberetur respectus, & ideo ista concessio non posset dici seruitus mere realis, cum ad esset prædium quidem seruiens, quæ est tenuta Marcellina, sed deesset prędium dominans hominum Castri Sancti Poli, licet enim id esset verum in facto, non tamen inde inferebatur, quod esset, seruitus personalis, cum concessio remaneret sub genere seruitutis mixtæ, & esset onus quoddam afficiens prædium, & obligatio quædam perpetua ipsi prædio inhærens, & consequenter obligans successorem.

12 Secundo fuit dictum non fuisse admittendam illam consequentiam, non est seruitus, seu obligatio realis, sed potius personalis: Ergo non transit ad successores. Ea enim cum iuris regulis pugnare videbatur, *l. venditor. ff. commun. præd.* vbi licet mari seruitus imponi non possit, tamen si vni fundo lex dicta sit, ne contra alium fundum piscatio exerceatur, hanc legem seruari oportet, tam per eum, qui illam recipit, quam per illius successores, & ne superest occasio dubitandi Iurisconsultus expresse dixit, obligari per stipulationis vel venditionis legem, personas tam possidentium, quàm in ius eorum succedentium. *Item in l. cum essent. §. per plurium, ff. de seru. rust. præd.* species ponitur huic articulo valde accommodata, dicitur enim prædium Domino prædij seruire non posse. Item seruitutis seruitutem non posse constitui, ideoque eum, qui aque ductum per alienos fundos habet non posse Dominis illorum fundorum, nec etiam alijs concedere haustum aquę sicque constituere illam seruitutem addi-tur tamen pacto, vel stipulatione interuenientibus, hoc concedi solere, vnde in proposito licet verum esset, hæc onera non censeri seruitutes, aut concessiones mere reales, non tamen inferebatur, non esse onera realia perpetuam obligationem in lucentia, quę possit ad successores transire ex conuentione, & pacto inter Dominum, & homines Castri inito. Cum ergo ex his constaret, articulum versari, non in concessione facta personæ singulari, sed Communitati, quæ nunquam moritur, *l. proponebatur. ff. de iudic.* licet sine veri preiudicio concederetur istam concessionem, siue seruitem magis accedere ad naturam seruitutis personalis, adhuc tamen ob prædictas rationes semper durabat, & afficiebat successores. *Decius consil. 262. incip. in causa Magnifici, Paris. cons. 27. incipien. in præsenti consultatione, nu. 153. lib. 1. Ludouicus de Casanate d. cons. 42. numer. 23.*

13 Rursus non obstabat *Ias. cons. 89. incip. in præsenti consultatione libr. 3.* vbi scripsit concessionem facultatiuam factam Domino cuiusdam Prædij, non obligare singularem successorem concedentis. Quia placuit responsio, quod Iason considerauit concessionem fuisse factam intuitu, meritorum illius, cui fuerat facta concessio, que propterea erat mere, & proprie personalis. Sed hec concessio Communitati, seu hominibus Castri facta dissimilis erat naturę, cum in ea stricte, & propie non intelligeretur illa personalitas, seu singularitas in casu Iasonis considerata, quia re vera ex verbis conuentionis, & statutorum, patebat non fuisse factam contemplatione solum illorum hominum, qui tunc contra erant sed ob perpetuam commoditatem, & vtilitatem hominum Castri, tunc pręsentium, & futurorum.

14 Minus vrgebat, quod dicebant Informantes pro Domino Don Virginio, quod conuentiones, de quibus in dictis statutis nihil aliud importarent, quam contractum societatis, *leg. cum duobus 52. §. si coeunda. ff. pro socio, & l. si merces, §. vis maior. vbi Bart. num. 9. ff. locati.* & consequenter morte concedentis fuisse finitas, nec transire ad successorem. Quia fuit responsum primo *Baldo in l. certi iuris q. 3. nu. 8. C. locati,* Dominum, & colonum partiarium non esse proprie socios, per textum in dict. §. vis maior. ponderando dictionem, quasi quę regulariter denotat improprietatem, vt in puncto considerat *Aretinus, in §. item Seruiana. num. 9. vers. non obstat quod sint socij. vbi Ias. num. 19. Institut. de action.* & ideo potius esse quandam societatem velatam sub contractu locationis inclusam, & naturam locationis, & conductionis sapere, & consequenter transire ad heredes locatoris, & coloni partiarij, *leg. viam, Cod. locati, vbi Bald. & in d. leg. certi iuris, n. 8. vers. non obstat.*

Secundo fuit responsum, ex prædictis cessare difficultatem. Nam cum confessio fuerit facta ad fauorem Communitatis nunquam deficientis quocunq nomine appelletur, censetur, & est perpetua, & ideo transit ad successores.

15 Ad illud quod Abbas Farfensis non potuerat imponere hæc onera, seu seruitutes, quia erat Dominus Castri, & tenutę, & sic res sua sibi seruire non poterat, *leg. in re communi, ff. de seru. vrb. præd.* fuit responsum quod licet Abbas esset Dominus Castri, non tamen habebat iura Communitatis dicti Castri, in cuius fauorem seruitutes, seu onera super tenuta imposita reperiuntur.

16 Multa alia deducebant Informantes pro D. Don Virginio, quę sepius fuerant deducta, & decisa, & ideo non fuerunt in dubium reuocata, sed præsupposita, vt quod statuta, de quibus agebatur, fuerant subscripta ab Abbate Farfensi tunc Domino Castri Sancti Poli, & tenutę Marcellinę. Hoc enim iam, fuit decisum in hac causa coram fel. record. Clemente Papa VIII. tunc Rotę Auditore, & huius causę Iudice die 28. Maij 1582. paulum vero Vrsinum prędicti Abbatis fuisse successorem.

17 Rursus non fuit reuocatum in dubium id quod iam bis fuerat decisum, statuta hęc fuisse condita per viam con-

conuentionis, & de Iure Incolas, & homines Castri potuisse facere statuta conuentionalia cum Domino, vt per *Bart.& alios communiter id tradentes in l. omnes populi.q.1.ff.de iusti. & iur.* neque obstare quod statuta siue loquantur in rem, siue in personam, non afficiant bona sita extra territorium statuentium, *Puteus decis. 351.incip.dubitaui 20.Octob. n.1.lib.1.Gozad.cons.49. incip. circa primum videtur,n.7.& 8,*qui testatur de cōmuni,& in prædicta decis. facta coram Platto, qua præsupponebatur, fuisse decisum, tenutam Marcellinæ non esse de territorio Castri S. Poli quam in eadem decisione fuerat essertum, tenutam esse sub Castri iurisdictione, quinimo fuit etiam vnita Castro cum expressa conditione, & pacto inito cum Vasallis, vt non posset diuidi, vel separari à dicto Castro ex quauis causa etiam vrgentissima, prout *in c.37.incip.*che lo prefato. ideoq; sortita fuit naturam, vel qualitatem Castri, vel facta fuit de pertinentijs *Castri c.1.§.è contrario.de inuest.*de re alien.facta, vbi *Afflict.n.5.Molina de primogen. Hispanorũ lib.1.c.26.num.4.& 12. Ioannes Garzias de expensis, & meliorамentis c.22.n.5 & 6.* & ad effectum, vt in ea locum habeant statuta Castri, sufficit quod sit de pertinentijs Castri, vel etiam quod sit de iurisdictione *Castri. Aretin.cons.77.inci.* & ratio scribendi, *num.3. & 4.* quod maximè locum habet in statutis conuentionalibus, quæ habent vim contractus, quæ propterea extendunt vires extra territorium. *Marsil. in l.fin. num.73.ff. de iurisd. om. iudic.*

18 Ex eo etiam videbatur cassare difficultas, quod Abbas Farfensis, qui approbauerat, & subscripserat statuta,& fecerat conuentionem cum hominibus Castri, erat etiam Dominus tenute Marcelline, ideoque procul dubio potuit consentire, & efficere, vt statuta haberent etiam vires in prædicta tenuta, quemadmodũ valent Ciuitatum confœderationes, vt statuta earum inter eas seruentur. *Bart. in dicta l. omnes populi. num.44. ff. de iustit.* & iure, & sicut homines vnius Castri possunt habere seruitutem pascendi in alio territorio. *Couar. in practic. q. c.37. num.6.*

19 Nec ad rem pertinebat, quod prætenderetur Abbatem Farfensem, tempore quo statuta subscripsit, non fuisse amplius Dominum tenutæ, quoniam contrariũ fuit in hac causa decisum coram fel.rec. Clemente VIII.die 28.Maij 1582. vbi Rota firmauit subscriptionem statutorum factam per Abbatem Farfensem, præsumi factam tempore habili, quo erat Dominus Castri Sancti Poli, & tenutæ Marcellinæ. Accedebat etiam, quia ex prooemio statutorum in hac articuli propositione presupposito, de vetustiore illorum antiquitate constare videbatur.

20 Nec refragabatur, quod in subscriptione non adesset dies, nec probaretur præsentia partium, vel causæ cognitio, quia in subscriptione non requiritur temporis, seu diei notatio, cum sufficit subscriptio. *cap.fin.de const.* & hæc, & aliæ huiusmodi difficultates iam fuerunt sublatæ in decisione in hac causa facta die 20. Maij 1580.coram bonæ memor. Vicecomite, vbi fuit decisum, statutum habere requisita ad validitatem statutorum: Et quantum ad præsentiam partium dicebatur in subscriptione contineri verbum promitto, quod importat stipulationem, quæ de solennitate intrinseca requirit patientiam, & præsentiam partium, quæ propterea præsumitur interfuisse, nisi probetur absentia. *Imol. in l. his verbis. ff. de duobus reis. Felin. in c.tenor. num. 8. vers. fallit secundo, de senten.& re iud.* & stante cursu amplius, quam 30. annorum, & obseruantia subsequuta, & præsentia partium, & causæ cognitio, & cetera necessaria interuenisse præsumuntur, & omnia fuisse solenniter acta. *Gabriel. de præsump. concl.1.*

21 Hinc fuit illatum subscriptionem fuisse validam, & ex illa Abbatem Farfensem Dominum Castri, & tenutæ Marcellinæ statutis fuisse ligatum, etiam quo ad tenutam Marcellinam ratione potissimum conuentionis, & statuti promissorij inter ipsum, & Vasallos facti. *Bartol. in l. quod semel. per illum textum. ff. de decret. ab ord. facien. Aret. in cap. nouit. num.23. & 26. de Iudic. Romanus 436. incipien. quod indultum. numero 16. Crauetta consil. 241. numero 12. incipien. Princeps Illustrissimus.*

REVERENDISSIMO P.D. LVGDVNEN.

Romana Palatij de Aquila. 2. Decembris 1609.

ARGVMENTVM.

Legitima filijs debita debet esse libera ab omni onere. Et an filius simpliciter adeundo hæreditatem patris, qui legitimæ onus adiecit, sibi in eadem legitima præiudicauerit.

SVMMARIVM.

Legitima filijs debita debet esse libera ab omni onere. num.1.
Possessionem ex vno titulo acceptatam non potest quis sibi inutare in præiudicium iuris tertio quæsiti. num.2.
Possessionem quis accipere præsumitur ex titulo sibi magis vtili, & proficuo, quam ex titulo minus vtili. num.3.
Filius nunquam excluditur à legitima, & illius supplemento, nisi specialiter illi renunciet. num.4.
Legitimæ non censetur renunciatum tacite per aditionem paternæ hæreditatis. num.5. & 6.
Legitima potest filio prohiberi, quando relinquitur hæres in tota hæreditate, licet fideicommissum iniungatur cum conditione, quod si fideicommissum non acceptat, illum testator instituit in sola legitima. num.6.
Testamenti paterni per aditionem hæreditatis tacita appellatio non operatur, quando filius adeundo hæreditatem dicti testamenti scientiam non habebat. num.8.
Ignorantia testamenti paterni quando præsumatur. num.9.
Scientia testamenti paterni non infert ad scientiam codicillorum. num.10.
Clausula omni meliori modo, &c. quid operetur in adeptione possessionis alicuius rei hæreditariæ. num.11.
Causa possessionis à possessore expressa in illius adeptione non præiudicat quando est erronea, & de errore constat. num.12.

DECISIO CC.

1 FVit dictum, quod per mortem fratris Ascanij non fuit super palatio, de quo agitur, purificatum aliquod fideicommissum vigore testamenti, & codicillorum quon. Hieronymi, ad fauorem Adriani inhærendo siquidem decisioni, alias in hac causa factæ coram R. P. D. meo Lancellotto, & fuit consideratum, quod licet Hieronymus in suo testamento reliquisset Mutio filio suo in eius hæreditaria portione Palatium prædictum, cum onere fideicommissi, tamen in secũdis codicillis, quos postea fecit declarauit quod si dictus Mutius vellet potiùs habere legitimam portionem liberam ab omni grauamine fideicommissi, in tali casu deberet officia empta in eiusdem Mutij personam computare in dictam eius legitimam, atque supplementum illius compleri ex dicto Palatio, & alijs bonis in dictis codicillis expressis. Vnde cum Mutius acceperit possessionem Palatij, & postea in actis declarauerit se potiùs velle suam legitimam liberam, quam pinguiorem bonorum portionem subiectam fideicommisso, atque ad computum dictæ suæ legitimæ istud Palatium retinuerit nullum remansit fideicommissum super Palatio siue codicillos attendamus, siue dispositionem iuris communis, quæ filijs legi-

legitimam in bonis patris defert, atque tribuit liberam ab omni onere. *l. quoniam in prioribus. C. de in offic. testamen. l. cum ratio. ff. de bon. damn.*

2 Non obstat, quod de tempore dictæ declarationis Mutius iam possedisset Palatium quasi per duos annos. Vnde infertur, quod acceptauerat dispositionem paternam cum onere fideicommissi, quia acceptatione stante non potuit amplius variare, & tollere ius quæsitum fideicommissarijs per dictam acceptationem. *l. vltima. ff. de pactis. l. Stichum §. fin. de nouat. Roman. consi. 125. num. 1. Socin. iun. consi. 122. num. 9. & seq. lib. 1. Mol. de primogen. Hispan. c. 4. num. 37. lib. 2.*

3 Fuit enim responsum, quod possessio Palatij fuit actus æquiuocus adaptabilis tam dispositioni contentæ in secundis codicillis, quam institutioni, quæ in testamento habebatur, sicque cum fieri potuerit citra ius, & nomen hæredis, prædicta illatio acceptationis non excludit per necesse. Ideoque non suffragatur Adriano Actori. *Abb. in c. 1. in fi. de censib. Felin. in c. cum Bertoldus. num. 36. de re iudic. Decius in c. in præsentia. nu. 53. de probat.* Quinimo cum titulus legitimæ, atque possessio in vim codicillorum esset Mutio magis vtilis, vt fuit in prædicta decisione Domini mei Lancellotti animaduersum, omnis ratio suadet, Mutium maluisse illum titulum, illamque possessionem. *Bart. in l. gerit. nume. 21. de acquir. hæred. Alex. consi. 8. num. 14. lib. 3. Aymon consi. 322. numero 10.* Quod maxime dicendum est stante prædicta eiusdemmet Mutij declaratione, quæ trahitur retro vsque ad initium actus, ex cumulatis per *Surd. decis. 29. per tot.*

4 Quinimo etiam dato sine veri præiudicio, quod Mutius possessionem prædictam in vim testamenti accepisset, tamen per istam paternæ voluntatis tacitam acceptationem non fecisset sibi præiudicium, quo minus legitimam quandocunque detrahere potuisset, etiamsi talis detractio expresse in paterno testamento fuisset prohibita. Ratio est, quia cum filius nunquam excludatur à legitima, illiusque supplemento, nisi specialiter illi renunciet. *l. si quando. §. & generaliter. C. eod. tit. de inoff. testam. cum ibi notat.*

5 Mutius enim per acceptationem tacitam paternæ dispositionis non renunciauerat legitimæ, de qua ipso iure lex reijcit omne ius, omnemque prohibitionem. Est enim generale, quod per simplicem hæreditatis aditionem hæres non tenetur seruare præcepta testatoris iure improbata. *l. Seius, & Augerius. vbi Bart. & alij notant. ff. ad leg. Falcid. Bal. in leg. 1. num. 8. C. de his, quæ pœnæ nomine. & consil. 161. lib. 5. Bertr. in repetit. d. l. Seius. §. si vero plus. num. 12.* qui ad hoc inducit *text. in l. dotale. §. fin. ff. de fundo dotali.* Et sic in specie, quod per simplicem hæreditatis aditionem non præiudicetur filio in legitima tradiderunt. *Ancharan. consil. 152. num. 8. Paris. consil. 43. num. 16. & 3. cum seq. lib. 6. Ruin. consil. 57. nume. 2. vol. 2. Alex. consil. 89. circa fin. vol. 4. Cephal. consil. 188. num. 30.* & quam plures referunt. Illustris. *Mant. de coniect. vlt. vol. lib. 7. tit. 8. numer. 8. & Crass. de success. §. legitima. quæst. 38. num. 31.* vbi inter alios citatur Roman. & Ferdinand. Vasquez, qui testantur de communi.

6 Non obstant aliqui, qui contrarium censuerunt, loquuntur enim in casu, quo testator instituit filium in tota hæreditate prohibita ei legitimæ detractione, quam detractionem si filius facere vellet, tunc in sola legitima illum instituit, quippe multi tenuerunt hanc dispositionem à patre fieri posse, & imputet sibi filius qui cum habere posset legitimam liberam maluit eligere totam hæreditatem cum onere fideicommissi. *Socin. iun. consil. 122. num. 2. dubio. numero 8. libro 1. Decius consil. 688. Guald. de art. testam. tit. 5. caut. 31. numero 6. & alij per Gabr. de legitima. conclusione 1. numero 59. Bene Cecch. de legitima. in tit. de legitima nullum grauamen admittit. numero 29. Eugen. consilio 38. numero 7. & 11.* Sed quicquid de veritate illius opinionis, ille non est casus noster, quia non constat, quod bona Mutio relicta in testamento excederent legitimam, quin potiùs contrarium apparet ex dictis Codicillis, in quibus assignantur pro legitima illamet bona, quæ institutionis titulo in testamento relinquebantur.

7 Deinde in testamento Hieronymus non fecit aliquã dispositionem in casu, quo Mutius nollet stare prohibitioni detractionis legitimæ, neque in tali casu illum iussit esse contentum legitima, neque in illa ipsum instituit. Ideoque si Mutius possedit vigore testamenti, sequitur quod non præiudicauit sibi quo minus legitimam detrahere posset, si vero possedit vigore secundi Codicilli, possessio potiùs fuit ex titulo legitimę, & per consequens non grauata fideicommisso, quia ipse sic declarauit, & erat illi vtilior talis possessio, vt dictum est.

8 Accedit prædictis quod Mutius de tempore captæ possessionis Palatij non habebat scientiam, & notitiam contentorum in patris codicillis prout ipse professus est in sua declaratione, ideoque paterni testamenti tacita approbatio non potuit operari renunciationem illius iuris, quod sibi ex posterioribus codicillis competere nesciebat. *Bar. in l. qui Romæ. §. duo fratres, num. 12. & 17. de verb. oblig. Dec. cons. 495. num. 20. Dec. cons. 30. num. 119. lib. 1.* vel saltem talis approbatio non fuit impedimento, quin superueniente codicillorum scientia Mutius sibi mutare potuerit causam possessionis à titulo testamenti, & institutionis ad titulum codicillorum, & legitimę. *Ruin. cons. 61. nu. 13. lib. 1. Bero. cons. 53. nu. 11. & 29. li. 3. Achill. decis. 4. nu. 1. de caus. poss. & propr. Put. decis. 481. lib. 1.* & melius in nostris terminis. *Ias. post alios plures, quos refert in l. si. sub num. 1. C. de iur. codicillor.*

9 Non obstat quod dicitur non esse admittendam in filio testamenti paterni ignorantiam quando, vt in hoc casu plures filij non diuidunt æqualiter, nec eo modo quo ab intestato succederent. *Bart. in d. §. duo fratres, in 3. q. vers. pone quod.* Omisso enim post *Roman. Ias. ibi, num. 57.* reprehendit hoc dictum *Bar.* Item omisso quod aduersus confessionem Mutij Adrianus eius heres venire non potest, fuit responsum quod ius non fit in hoc casu in ignorantia testamenti, sed codicillorum quorum scientia non potest inferri ex agnitione inæqualis decisionis, quia talis diuisio non fuit disposita in codicillis.

10 Atque ex scientia testamenti non potest præsumi scientia codicillorum, *vt in eodem §. duo fratres,* agnoscit idem *Bar. sub num. 16.* Sed in omnem euentum, si Mutius habuit notitiam codicillorum, in quib. eadem bona iure legitimę absque alio onere illi relinquebantur danda esset aliqua ratio, quare contra declarationem ab ipso factam præsumere debeamus, quod illa potius grauata fideicommisso vigore testamenti capere voluerit, quam liberam in vim codicillorum.

11 Hinc non obstat obseruantia deducta ex quo Ascanius mortuo Mutio accepit possessionem palatij, vti fideicomisso subiecti, siquidem non est locus coniecturis, neq; obseruantię interpretatiuę, vbi Mutij clara, & expressa adest declaratio, & nihilominus respondebatur ex abundanti, quod Ascanius non se restrinxit ad solam fideicommissi causam, sed addidit clausulam, & omni meliori modo, quę operatur vt actus sustineatur eo modo, quo potest sustineri, & in hoc casu illa Ascanij possessio iure hęreditario sustineri potest. *Fely. in c. cum insuper. num. 11. de off. deleg. Aymon cons. 30. circa fin. Verall. decis. 273. lib. 1. in manuscriptis. Cass. de Grass. decis. 1. num. 4. de elect.*

12 Demum causa illa possessionis ab Ascanio expressa vti erronea, neque ipsi, neque eius hęredibus deberet errore prędicaret. *leg. si post diuisionem. C. de iur. & fac. ignor. l. non probatur. ff. de confess. Ias. in l. 1. num. 2. C. de ... tilius. C. de error. calcul.* Nec enim in potestate Ascanij fuit, per suam potestatem ibi facere fideicommissum, vbi non erat. *Ruin. cons. 128. num. 3. & 4. lib. 2.*

13 Non obstat quod Ascanius non potuisse habere palatium, nisi vigore fideicommissi, quodque alique Tiberius Mutij frater debuisset cum Adriano filio Fabij alterius fratris succedere. Hæc enim sunt extra dubium, cum religionis sit satis, quod palatium fuit repertum liberum in hæreditate Ascanij, & nihilominus sibi Tiberius ex aliqua causa non curauit petere palatium, & forsan, ne ab ipso vice versa peteretur supplementum legitimæ Mutij, quam idem Mutius in vna declaratione dudum petierit, non potest ex non petitione Tiberij desumi valida fideicommissi declaratio, maxime cum forsitan Tiberius si palatium non habuit, habuit tanta portionem suam in alijs bonis, quę Mutius possidebat.

R. P. D. MANZANEDO.

Romana Census. Mercurij 2. Decemb. 1609.

ARGVMENTVM.

Census impositio facta à Canonicis alicuius Ecclesiæ de consensu Sedis Apostolicæ, valet etiam quod dicti Canonici non sint Capitulariter congregati, & quando Canonici dicantur habere Capitulum.

SVMMARIVM.

Census impositus à Canonicis alicuius Ecclesiæ de licentia Papæ, & seruata forma dictæ licentiæ dicitur validus, & sustinetur. num. 2.

Decretum iudicis facit præsumere omnia solenniter acta. num. 2.

Ecclesiasticarum rerum alienatio fieri non potest, nisi ex causa sufficienti. nume. 3. Vbi etiam, quod causa præsumitur ex beneplacito Sedis Apostolicæ.

Læsio non præsumitur, & allegatti eam incumbit onus probandi, num. 3.

Canonici non dicuntur habere Capitulum, nec habere Arcam, & Massam communem, & sigillum nisi probetur. num. 4.

Collegium non dicitur probatum ex eo, quod sic nominetur. num. 5.

Ecclesiastica bona possunt alienari etiam sine consensu Capituli, & illius Congregatione stante beneplacito Sedis Apostolicæ. num. 5. & 6.

Ecclesiastica bona vbi alienantur numquid valeat obligatio, seu hypotheca generalis omnium bonorum Ecclesiæ pro euictione rei alienatæ, num. 7.

DECISIO CCI.

1 INstitutis hæredibus à quondam Laurentio Carlerio Dominis Canonicis Sanctæ Priscæ, aditaque ab illis hæreditate cum beneficio legis, & Inuentarij illa tamen grauata ære alieno Scutorum plus quam 300. in societatibus officiorum consistentium obtentaque per ipsos à felicis recordationis Clemente VIII. licentia accipiendi ad Censum dicta Scuta 300. pro extinctione dictarum societatum, Breueque Illustrissimo Domino Vrbis Vicario commisso, & illi præsentato, & per ipsum pronunciato posse Canonicos constituere istum Censum ad istum effectum, & Censu sic constituto, & ex illius pecunijs prædictis societatibus extinctis, nihilque in Censu contra Bullam Sanctæ memoriæ Pij V. adiecto, nihilominus Canonici recusarunt coram Auditore Cameræ fructus census soluere, prætendentes, illum esse inualidum, prout per sententiam Auditoris Cameræ fuit declaratum, à qua per Dominum Vidascum appellatio fuit interposita, & causa per Sanctissimum mihi commissa. Vnde dubitaui de validitate census, & an prædicta sententia esset confirmanda.

2 Et Domini censum sustineri dixerunt, & per consequens sententiam esse reuocandam ex eo potissimum, quia cum omnia superius relata sint vera in facto, vt ex actis apparet, videtur de validitate census satis constare, cum fuerit impositus de licentia Papæ, & decreto Illustrissimi Domini Vicarij Apostolici executoris. Vnde omnia censentur soleniter acta. *Abb. consi.41. nu. 3. lib.1. Dec.cons.341. num.12. circ, med. vers. & quando concessio. Capic. decis. 16. num.1. vers. regulæ enim iuris. & num. 4. Gabr. cons.71. num.10. & 13. lib.2. Rota diuers. decis.65. nu. 1, & 178. num.2. par.2.*

3 Et quamuis vltra solennitates requiratur in alienationibus rerum Ecclesiasticarum copulatiue etiā causa, vt per *Doct. in c. sine exceptione. 12. q.2. & ibi Laur. de Rodul. q.3. Couar. var. lib.2. c.17. n.2. Rota dicta decis.178. n.1.* satis de causa sufficienti constat ex supradictis, nempe vt Canonici hæredes Carlerij exonerarentur prædictis societatibus grauioribus onere census, ex quo etiam de vtilitate constare videtur, vltra quod etiam illa præsumitur ex beneplacito Apostolico, *Socin. cons. 15. n.27. li.1. Abb. dicto cons.41. n.2.* vbi dicit, quod allegan ti læsionem Ecclesiæ incumbit onus probandi. & dixit Rota in vna Mediolanen. Bonorum 10. Ianuarij 1597. coram D. Cardinali Pamphilio, & alias sæpius. Vltra quod in Breue habetur expresse, quod emptores census non teneantur verificare in quos vsus pecuniæ versæ fuerint.

4 Quibus non obstat, quod pro parte Canonicorum opponitur de defectu solennitatis, ex quo mandatum procuræ pro istis pecunijs accipiendis ad censum fuerit datum à duobus tantum Canonicis, atque illis non capitulariter congregatis. Fuit namque responsum, quod non constat, istos Canonicos facere Capitulum, nec habere arcam, & massam communem, nec quod sint soliti congregari capitulariter, nec habeant sigillum, & alia signa Ecclesiæ Collegiatæ, de quibus per *Abb. in c. nobis. num.8. de. Iurepatr. Felin. in c. accedentes. num. 2. de præscript. & Feder. de Sen. consil. 61. Alex. cons.75. num.2. lib.4. Decia. consil. 6. num. 2. lib. 2.* fuit dictum in illa Tamoren. de Toro 12. Ianuarij 1598. coram Seraphino.

5 Nec facit, quod enuncietur Capitulum Sanctæ Priscæ, cum denominatio non sufficiat ad probationem Collegij. *Achill, decis.10. de præben. Glos. in pragm. Sanct. tit. de elect. in verbo Collegiatis.* Tum etiam, quia iste tractatus Capitularis per solennitatem non erat necessarius stante beneplacito Apostolico, ex supradictis, & trad. in terminis *Rodoan. de reb. Eccles. non alien. quæst. 25. num. 66.*

6 Nec minus iste tractatus Capitularis erat necessarius pro habendo consensu Canonicorum, cum sufficeret mandatum duorum, concessum vni ex Canonicis, & ratificatio aliorum subsecuta, ad trad. per *Ias. consi.54. num. 12. lib.1. & per Put. decis.100. num.4. & seq. lib.2.* & fuit dictum in vna Conchen. fructuum 10. Februarij 1588. coram Gipsio.

7 Nihilominus Canonici insistebant in eo, quod Breue impartitur prædictam licentiam imponendi dictum Censum, attamen obligandi solummodo bona hæreditaria Carlerij, & ideo non subsistere obligationem generalem omnium bonorum Ecclesiæ, quia vltra quod alicui ex Dominis placabat responsio, quod cum in Breue detur licentia constituendi censum cum obligatione in forma Cameræ, cumque clausulis consuetis, & in simili apponi solitis, satis videtur etiam data licentia obligandi generaliter bona Ecclesiæ, cum alias non reperiretur, qui vellet dare suas pecunias ad censum, ad not. per *Doctor. in l. vel vniuersorum. per illum textum. ff. de pignorat. actio. Iason. in l. certi conditio. §. si in numeros. numero 13. ff. si certum pet. Rodoan. vbi supra, quæst. 17. num. 44.* præcipue, quia regulariter subsistente iusta causa, non est prohibita generalis hypotheca rerum Ecclesiæ. *Idem Rodoan. quæst. 2. c.6. per tot. & maxime num. 12.16.*

12. 16. & sequ. Nihilominus Domini concluserunt, istam resolutionem pro validitate census intelligi, quatenus suppetant bona hæreditaria Carlerij. Canonicos tamen teneri docere non suppetere.

REVERENDISS. P. D. PEGNA DECANO.

Ferrarien. Prioratus. Veneris 4. Decemb. 1609.

ARGVMENTVM.

Beneficij qualitas probatur per Plures enunciatiuas instrumentorum Anticorum, & quomodo cognoscatur beneficium esse regulare.

SVMMARIVM.

Enunciatiuæ plures in antiquis excedentibus metam centum annorum, probat qualitatem beneficij. nu. 1.
Hospitale quod gubernatur per virum Religiosum, & Regularem, dicitur regulare, num. 3.
Prioratus solitus dari, & obtineri in Commendam, dicitur Regularis, num. 4.

DECISIO CCII.

1 POst aliquot Decisiones in hac causa factas, cum pro parte Campij, & Parolarij assidue instaretur pro particulari inspectione super Regularitate huius Prioratus dato dubio. An de ea constaret Rota vtraque parte Informante constare censuit, ad effectum iustificationis gratiæ. R.P.D. Gilioli ad quem etiam spectabant deducta in alijs decisionibus idque ex pluribus enunciatiuis antiquis excedentib. metam centum annorum, quæ cum habeant vim famæ, probant in antiquis istam qualitatem beneficij. *Aret. in cap. cum causam. num. 26. & seq. vbi Fely. nu. 4. de probat. Puteus decis. 209. incip. in vna Bononien. num. 1. lib. 2.* & fuit sæpe decisum in Rota, & signanter in vna Parmen. Prioratus, die 28. Ian. 1594. & die 19. Iunij 1595. coram bon. memoriæ Litta, & in vna Tudertina Prioratus, die 21. Aprilis 1591. coram me.

2 Enunciatiuæ autem præcipue erant de annnis 1471. & 1479. & 1484. Prima continebatur in tertia parte Statutorum Ordinis Sancti Augustini prædicto anno 1471. confirmatorum his verbis: sunt, & aliæ Præceptoriæ vnitæ mensæ Abbatis, videlicet Præceptoria Tusciæ, &c. item est Prioratus Sancti Leonardi de Ferraria. Secundo de Anno 1479. habebat sic: Guido Massa Procurator Reuerendi Fratris Philippi de Verrinis, Præceptoris Hospitalis Sancti Leonardi Ferrariæ, &c. vbi notabatur illa qualitas Præceptoris, quæ conuenit Beneficijs Ordinis Sancti Antonij. Tertia desumebatur ex Bulla Innocentij Papæ Octaui de dicto anno 1484. in qua idem Philippus de Verrinis, dicebatur Præceptor domus S. Leonardi extra muros Ferrariæ Ordinis Sancti Augustini à Monasterio Sancti Antonij Viennen. dependentis.

3 Cum istis concurrebant multa adminiculà ex alijs enunciatiuis satis antiquis, licet intra metas centum annorum. Item ex alijs enunciatiuis antiquioribus de anno 1435. & 1461. in quibus licet Regularitas non ita clare enunciaretur, tamen dicebatur Prior Ecclesiæ Sancti Leonardi, & quod dicta Ecclesia esset Hospitalis, & idem Philippus de Verrinis nominabatur Prior, qui ex alijs instrumentis, & scriptoris probabatur fuisse Religionis Ordinis S. Antonij, & cum ageretur de Hospitali, quod per virum religiosum, & regularem gubernabatur, consequenter inferebatur illud Hospitale fuisse Regulare, alias enim per Religiosum obtineri non potuisset. *Gambara de offic. & potest. Legati libr. 8. tit. de potest. Legati in Regulares, & exemptos, numer. 43. & 44. versicul. fallit 2. Zabarella in Clement. 2. §. vt autem. quæstio. 1. num. 4. de Relig. domib.*

4 Concurrebant præter ea multa alia signa, & adminicula regularitatem non obscure ostendentia. Quod iste Prioratus sæpe fuerit datus, & obtentus in commendam ab anno 1509. vsque ad annum 1561. Quod in plerisque locis Ecclesiæ S. Leonardi appareret appositum signum, T. quod indicat regularitatem, *Imola consil. 60. incipien. visis ac consideratis. n. 1. Ancharanus consil. 113. incip. iura quæ loquuntur. num. 4. Ripa in cap. cum Ecclesia Sutrina, num. 97. vers. adde in materia nostra, de cau. possess. diorum cap. 71. de picturis.* & testes, qui erant periti architecti, deponebant illa insignia esse antiquissima, & posita, seu affixa eo ipso tempore, quo ædificiū fieri cæpit. Quod fuisset solitus regi per Preceptores, & viros Religiosos, vt paulo ante dictū fuit.

5 Demum accedebat vnus testis de publica voce, & fama ante litem motam, qui de eadem Regularitate deponebat, Et ex prædictis fuit conclusum, constare de Regularitate ad prædictum effectum iustificandi narratiuam gratiæ. R. P. D. Gilioli, &c.

REVERENDISSIMO P. D. LVGDVNEN.

Bononien. de Amorinus 4. Decembris 1609.

ARGVMENTVM.

Legatum pecuniarum an, & quando ab hærede possit solui in tot bonis stabilibus.

SVMMARIVM.

Legatum certæ quantitatis pecuniarum non potest solui in bonis stabilibus. nu. 1. Declara, vt nu. 2. & seq.
Solutio pecuniarum quando facienda est de bonis debitoris, tunc etiam quod pecuniæ sint in obligatione, potest eadem solutio fieri in tot bonis stabilibus. nu. 2. Declara, vt nu. 3.
Debitor pecuniarum existens in mora soluendi, non potest offerre solutionem in bonis stabilibus. Declara, vt num. 3. & seq.
Legatum pecuniarum solui debet in pecunia, & non in bonis, quando præsertim sic fuit de mente testatoris. num. 4. & 5.
Testator quod non expressit, non voluisse præsumitur. numer. quinto.
Legatum pecuniarum soluendum de bonis testatoris, numquid debeat solui in pecunia, an vero solui possit in tot bonis stabilibus, nu. 2. & seq. & nu. 6.
Verba adiecta causa demonstrationis, non restringunt præcedentem dispositionem. nu. 6.
Hæres cum beneficio legis, & inuentarij potest soluere creditoribus hæreditarijs, etiam in tot bonis stabilibus. Declara, vt nu. 9.

DECISIO CCIII.

1 TEstator legauerat his verbis, Reliquit singulis filiabus legitimis, & naturalibus natis, & nascituris quandocunque ex prædictis Iulio Cæsare, & Alexandro vel altero eorum, Scut. 2000. auri in auro cum apparatibus condecentibus pro qualibet earum quas dotes, & mobilia voluit prædictos fratres de communibus nonis hæreditarijs dari, & solui, tempore quo nubent omni excusatione, & contradictione cessante, cum filiæ Alexandri in Monasterio collocandæ poterent à Iulio Cæsare illorum patruo ... istius legati pro rata illium tangent post relaxatas exequutoriales, atq; completam exequutionem

nem, opposuit Iulius Cæsar, se velle soluere prædictum legatum in tot bonis stabilibus, puellis autem ex aduerso instantibus, vt solutio fieret in pecunia numerata, proposui super illa controuersia dubium, & Rota censuit legatum deberi in pecunia, nec solui posse in bonis stabilibus, quia cum legata fuerit pecunia nempè scuta duo millia auri in auro, non est admittenda alia solutio inuitis legatarijs. *l. 2. §. mutui datio. ff. si cert. pet. l. promissorum in fi. ff. de constit. pec. l. eius à quo, C. de solut.*

2 Non obstat, quod testator voluerit hoc legatum solui de comendationibus bonis, ex quo infertur, quod licet pecuniæ sint in obligatione, tamen bona sunt in facultate soluendi, per *tex. in l. si quis stipulatus fuerit decem in mille. ff. de solut. Ruin. consi. 65. lib. 2.* & fuit dictum in causa Romana Donationis Scut. 10. millium 4. Februarij 1575. coram fel. recor. Clemente Octauo, tunc Rotæ Auditore.

3 Omisso siquidem, an Iulius Cæsar ita fuerit in mora, vt non possit amplius offerre solutionem in bonis iuxta distinctionem, de qua in dicto tex. fuit responsum, quod dispositio *d. tex.* procedit in contractibus, non autem in legatis, in quibus electio est legatarij. *glos. in l. plerumque. in fine. ff. de iur. dot. Alexan. in l. qui duos. de leg. primo. Felin. in c. inter ceteros. num. 4. de rescrip.* Fuit dictum in vna Pisana legati. 22. Maij. 1593. coram Illustrissimo Pamphilio, & de magis communi testatur *Corn. consi. 215. num. 2. lib. 4. Sequitur Aymon consil. 187. num. 6.*

4 Deinde dispositio dictæ legis non procedit, quando, vt in hoc casu constat de mente testatoris volentis legatum solui in pecunia. Tunc enim non est locus facultatiuæ bonorum solutioni, vt per *Syluest. Aldobrand. consi. 115. num. 31.* quem approbauit Rota in causa Rauennaten. Donationis 22. Iunij 1599. coram R. P. D. meo Lancellotto.

5 In proposito autem, quod testator voluerit pecuniam legare, & non bona, patet ex quo legatum factum est in scutis duobus millibus, vt dictum est. Item ex quo adiecta sunt verba dare, & soluere, quæ potiùs importat numerationem, vt fuit in prædicta decisione Rauennaten. decisum. Verum etiam, quia in hoc ipso testamento testator quando voluit relinquere arbitrio hæredis, vt dotes in bonis stabilibus soluere possit, id expressè declarauit in alio legato dotium relictarum nepotibus suis ex filijs prædefunctis. Ideoque expressisset etiam in hoc casu, si id voluisset. *l. vnica. §. sin autem. C. de cadu. tollen. c. ad audientiam. de decim.* & inter ista duo legata dotium adest ratio diuersitatis, quia hic agitur tantum de scutis duob. millibus pro qualibet puella. Ibi autem quindecim millia cuilibet relinquuntur, quæ non ita facile haberi possunt in numerato. Item ibi testator legauit de bonis stabilibus, hic autem de bonis. Dictio autem de latius patet, quam dictio in, vt per *Alexand. consil. 49. num. 5. lib. 3. & facit in l. 2. §. hac actione. ff. vi bon. rapt.*

6 Ideoque legatum de bonis potest verificari etiam in pretio redacto ex bonis. Et quidem illa verba voluit dari, & solui de omnibus bonis hæreditarijs, non fuerunt apposita pro concedenda facultate soluendi in bonis, sed ad declarandam mentem testatoris volentis, quod dotes filiarum cuiuslibet fratris soluerentur ab vnoquoque fratre pro medietate, nec licet patruus prætendere posset filiam esse dotatam de portione sui patris, quod etiam suadetur, ex quo apparatus condecentes, de quibus in legato fit mentio, manifestum est, quod non possunt dari in tot bonis stabilibus hæreditarijs. Vnde cum bona sint adiecta causa demonstrationis, non restringunt legatum prius dispositiuè factum in pecunia. *Castr. consil. 338. lib. 1. Decius consilio 182. num. 1. & consilio 323. numero 6.* atque alios cumulat, in additione ad *Mandel. consil. 274. numero 1. bonus tex. in l. quidam testamento. 99. de legg. 1.* & in omnem casum etiam pecunia est de bonis testatoris, *Aymon d. consi. 187. vers. sed propono. l. 1. vbi not. DD. C. de vsufr.*

7 Concurrit etiam alia declaratio à testatore facta, dum mandauit, vt pecuniæ spectantes ad hæreditatem ponantur penes Montem Pietatis pro soluendis debitis, & legatis cum expressa, & amplissima prohibitione alienationis bonorum immobilium, etiam pro soluendis legatis, pro quibus, quatenus non sufficerent illæ pecuniæ, declarauit bona esse alienanda pro illis soluendis, sicut clare colligitur quod testator non cogitauit de solutione in bonis facienda, nisi quatenus expressit.

8 Denique concurrit obseruantia subsequuta, quia ipsemet Iulius Cæsar alias dotes soluit in pecunia, & fauor concurrit dotis constituendæ Monasterio, quæ regulariter, & maxime in vsu Ciuitatis Bononiæ dari consueuit in pecunia, non autem in bonis.

9 Non obstat, quod Iulius Cæsar vti hæres cum beneficio legis, & inuentarij possit soluere in bonis. *l. fi. §. etsi præfatam. vbi Doctor. C. de iur. deliber.* quia id non habet locum in hæreditate opulenta, vt latissimè *Surd. qui alios cumulat, decis. 30. quæst. 54. & 32.* Atque in hoc casu non agitur de cogendo hæreditatem vltra vires aut res hæreditarias, sed solummodo postquam ipse noluit numerare pecuniam deuentum fuit ad subhastationem tot bonorum hæreditariorum, ex quibus dicta pecunia conficeretur vsque ad debitarum dotium quantitatem. Atque ex his, &c.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. CARD. LANCELLOTTO.

Toletana Canonicatus, Veneris 11. Decemb. 1609.

ARGVMENTVM.

Nobilitas, & puritas sanguinis præsumitur, & qui contrarium dicit probare debet. Probatur enim hæc sanguinis puritas ex sententia inter alios lata, & ex pluribus simul iunctis, licet vnaquæque probatio de se non sufficeret.

SVMMARIVM.

Sententia dicitur valida, in qua fuerunt seruatæ requisitæ solennitates. num. 1.

Prouisus non tenetur probare suam impuritatem, sed quod Capitulo danti de impuritate incumbit onus probandi impuritatem. num. 2. & 3.

Sententia lata super probabilitate ad fauorem vnius facit ius quo ad alios. num. 4.

Nobilitas seu puritas sanguinis probatur ex pluribus simul iunctis, licet vnaquæque probatio de se non sufficeret.

DECISIO CCIV.

1 Dixerunt Domini Sententiam Rotalem ad fauorem D. Ludouici de Ouiedo vti validam, & iustam confirmandam esse; De illius autem validitate apparere ex actis cum concurrant omnia ad hunc effectum requisita, videlicet Iurisdictio quam tribuit commissio, mandata procuræ hinc inde, & fuerint obseruati termini substantiales iuxta not. per *Vestr. in prax. lib. 4. c. 1. & lib. 5. c. 3. & 4.* nec non legitimæ citationes exequutæ, præcipue vero citatio ad sententiam Clem. sæpe, & ibi etiam glos. in verbo, citatis ad id, de verb. sign. cum simil.

2 De iustitia vero constare, nam dum pronunciatur Statutum Toletanum non obstare Ludouico, & Capitulum teneri ad ei tradendam possessionem Canonicatus

nicatus hoc iustificatur ex decisionibus. R. P. D. mei Marcomontij in hac causa, & R. P. D. mei Sacrati in alia Toletana Cappellaniæ, in quibus inhærendo nedum verbis Statuti, sed etiam eius intellectui perpetuo à Rota non solum in causis Ecclesiæ, Toletanæ, sed aliarum quoque Ecclesiarum probato latè ostenditur quod prouisus non tenetur probare suam puritatem, sed quod Capitulo danti de impuritate ad excludendum prouisum habentē suam intentionem fundatam incumbit onus probandi impuritatem, ita vt super his non sit amplius insistendum cum omnibus abunde satisfactum sit in prædictis decisionibus, & in alijs successiuis temporibus in similibus causis factis in Rota in terminis Statuti Toletani, & aliorum similium statutorum, quam tamen impuritatem Ludouici Capitulum non probasse bene deducitur in eisdem decisionibus Marcomontij.

3 Dum autem in eadem sententia declaratur D. Ludouicum purum & nobilem, & à Christianis puris & nobilibus descendere, satis etiam iustificatur ex prædictis decisionibus, in quibus fuit resolutum, quod eo ipso quod Capitulum non probat impuritatem prouisus qui natus & educatus est inter Christianos præsumitur purus, & descendere à puris, & habet bene fundatam intentionem, suam ex allegatis in decisionibus in hac causa factis coram Domino Marcomontio 10. Decembris 1608. in secunda inspectione. Hanc enim præsumptionem puritatis Rota habuit pro sufficienti ad effectum, vt dicatur constare de puritate prouisi, vt patet nedum ex illis decisionibus in quibus fuit tentum præsumi quem purum nisi constet de contrario, sed etiam ex illis in quibus fuit dictum iam resolutum esse in Rota constare de puritate prouisi, intelligendo solum de illa probatione resultante ex tali præsumptione, vt in decisione Toletana Portionis 10. Maij 1595. coram Reuerendissimo Pacen. & in alia Toletana 6. Nouembris 1595. coram Illustrissimo Mellino omissis, quamplurimis alijs concernentibus Statuta aliarum Ecclesiarum relatis in eadem decisione D. Marcomontij.

4 Sed in casu nostro cessat omnis amaritudo, nedum ex deductis vltra talem præsumptionem in dicta decisione D. Marcomontij in tertia inspectione vbi circa puritatem D. Ludouici ponderantur ea, quæ resultant ex probatione, siue informatione facta per Commissarium à Capitulo deputatum, sed etiam ex probationibus, & testibus super puritate Licentiati Augustini de Aldana, & alia sententia Rotali lata ad fauorem eiusdem, qui procedit ex stipite materno D. Ludouici de Ouiedo, sicut enim sententia lata super nobilitate, vel puritate ad fauorem vnius facit ius quo ad alios, quos tangit descendentia illius, in cuius causa fuit promulgata. *Afflict. in Constitut. Regni Constitutio. Incipien. prosequentis. numer. 16. vers. & si per sententiam Ioan. Fab. in §. præiudicialis. nu. 18. instit. de actio. Tiraquel. de nobilita. quæst. 37. num. 14.* ita etiam probationum effectus porrigittur ad easdem personas ad quas porrigitur effectus sententiæ illius causæ, vt dicit *Bar. in l. 2. num. 14. vers. sed an porrigatur, & ibi Alex. nu. 11. Ias. nu. 23. C. de eden.*

5 Et præsertim in hoc casu, tum quia capitulum mādauit vtramque inquisitionem, nempe Aldani, & D. Ludouici cumulari, & eodem tempore vtraque de ordine eiusdem Capituli fiebat, cum quia in hoc non tractatur de aliquo præiudicio Capituli, si enim prouisus ex forma statuti non tenetur probare suam puritatem nisi fuerit probatum contrarium, & si pro parte Capituli non fuit probata impuritas, & si propterea non potest denegari Ludouico admissio, iuxta decisiones factas, nihil interest Capituli, quod D. Ludouicus declaretur purus, quin ei potius expedit, vt in Ecclesia Toletana admittatur ille, qui non solum præsumitur purus, & suam puritatem probauit, sed etiam qui vti talis fuerit per sententiam declaratus, tum etiam, quia probationes Aldanæ non deducuntur, vt ex ijs solum dicatur probata puritas Ludouici, sed vt ex illis confirmentur probationes eiusdem, ac coadiuuetur, & concomitetur præsumptio suæ puritatis, ita vt omnibus simul iunctis plenior probatio, quatenus ea opus sit, perficiatur, *iuxta notata in authen. si quis in aliquo. & ibi Cagnol. nu. 12. C. de eden. & in cap. cum dilectus. & ibi Felin. & alij de fid. instrument. Afflict. dec. 216. num. 5. versic. item fuit practicatum*, cum in materia probationum procedat regula, quæ singula non probant vnita iuuant. *gloss. in leg. 2. vers. legitimis. ff. de excusat. tutor. Dec. cons. 146. num. 14. latè Gabr. de probatio. concl. 1.*

REVERENDISS. P. DOMINO LVGDVNEN.

Assisien. Pecuniaria. 9. Decembris 1609.

ARGVMENTVM.

Socius an, & quando teneatur ad debita contracta per consocium.

SVMMARIVM.

Facti contingentia narratur. nu. 1. & 2.
Creditor pro suo credito debet agere contra debitorem, & non contra tertium. n. 3.
Socius non tenetur ad debita contracta per socium, quando sunt contracta non intuitu societatis. n. 3.
Socius contra socium agere non potest, nisi factis, & solidatis computis. nu. 4.

DECISIO CCV.

1 Domini habebant pro certo, quod Marinus consignauerit Valeriano Salmas frumenti centum, de quibus agitur. Id enim probatur ex duabus partitis adnotatis in libro Thomæ Nicolæ, qui erat Capserius, & Ministrator Valeriani, vbi licèt quod non dicatur frumentum esse Marini, tamen quo ad salmas 91. veritas euincitur ex duabus demonstrationibus ibi expressis, videlicet, quod granum fuerat extractum ex domibus Abbatiæ Sancti Petri, in quibus Marinus habebat suum frumentum, & quod fuerat mensuratum, & consignatum per Antonium Liparellum, qui erat factor Marini. Quo vero ad alias salmas, quæ adnotantur in dicto libro, quod fuerunt mensuratæ per Cæsarem Martellum, qui erat etiam factor eiusdem Marini. Ideoque concurrentibus etiam testium depositionibus de consignatione, & mensuratione res omnium perspicua redditur.

2 Ad effectum tamen dubij Domini, non existimabant, quod Marinus dictum frumentum, seu pretium illius petere, & consequi posset à Valeriano, & mouebantur, quia consignatio fuit facta à Marino non vti creditore, & nomine proprio, sed vti mandatario, & nomine Ascanij Filippucci, quod patet ex declaratione, & confessione ipsius Marini, quæ continet, quod in societate Panatteriæ inita inter Ascanium Iosephi, & Valerianum fuerunt immissæ per Ascanium 100. salmæ grani, quas ex demonstrationibus ibi expressis apparet esse illas, de quibus nunc agitur, concurrunt literæ Ascanij productæ per Marinum, & concordiæ, & transactiones inter Ascanium, & Marinum initæ.

3 Atque hinc inferebatur, quod cum Marinus non Pana-

Panatteriæ, sed Ascanio frumentum vendiderit debet dirigere suas actiones contra Ascanium, non autem contra Valerianum Appaltatorem Panatteriæ, quia creditor non agit contra tertium *Bartol. in leg. quod quis, ff. de priuileg. creditor. quem allegat Gabr. consil. 155. num.9. lib.1. Nec facit*, quod Ascanius esset socius Valeriani in dicto Appaltu, quia pro debito socij non agitur contra societatem, vel contra consocium, *Anchar. consil. 332. num.3. Petr. de Vall. de duob. frater 9. part. principali, numer.1. versic. aliud est quærere, & versic. aut quærimus de iure creditor. in fin. Castren. consil. 345. libr.2. Paris. consilio 94. numer. 25. libro 1. decision. Genuen. 14. numer. 112.*

4 Quatenus autem Marinus velit venire vti Cessionarius Ascanij non potest plus iuris habere, quam haberet Ascanius, & sibi omnia obstant, quæ obstarent Ascanio *l. nemo plus iuris ff. de regul. iur. Late Surd. consil. 333. num.15. & 16.* Ascanius igitur, sicuti non posset aliquid petere à Valeriano nisi liquidatis negotijs Appaltus, & solidatis computis. *Anchar. cons. 255. num. 1. in fin. Salicet. in l. eius in fin. C. de compens. Soci. cons. 73. n. 9. & 10. lib. 1.* Neque Marinus aliquid à Valeriano recte petit ante liquidationem, & solidationem, atque stricte ad dubium ceteri Domini, qui veritatem, & litis damnosos circuitus amputare desiderant habuerunt etiam 100. salmas frumenti Valerianus facere debet bonas Ascanio incomputis societatis cum vt dictum est fuerunt immissæ in societatem nomine Ascanij, & alias Valerianus proprio nomine teneretur pretium illarum soluere Marino cuius frumentum fuit versum in vtilitatem Panatteriæ, prout constat ex libro supradicto, *ad l. liberto. ff. de negot. gest. l. ciuitas. ff. si cert. pet. Castr. d. cons. 345. lib.2.* Valerianus enim erat dictæ Granatariæ Appaltator principalis, quamuis postea quosdam in socios illius negotiationis receperit, & factoribus illius in specie fuit facta frumenti consignatio. Et ita fuit decisum.

R. P. D. MANZANEDO.

Romana Legitimæ. Veneris 11. Decembris 1609.

ARGVMENTVM.

Legitimæ adiectum onus ipso iure rejicitur, nec per aditionem hæreditatis censetur illi renunciatum, nisi expressa fuerit renunciatio. Potest tamen pater filium instituere in pinguiori quatitate, quam sit legitima, cum conditione, quod si reclamauerit in legitima tantum censeatur institutus.

SVMMARIVM.

Legitima debetur filijs ex prouidentia Regis. Quantitas autem legitimæ debetur de iure ciuili fundato in iure naturali numer.1.

Legitimæ aliquod onus, seu grauamen imponi non potest, & impositum ipso iure reijcitur etiam quod filius fuerit institutus hæres vniuersalis, nu.1. & 3.

Legitimæ quod filius renunciare debeat, testator mandare non potest num.3.

Legitimæ detractionem potest pater filio prohibere, quando illi reliquit legatum pinguius sua legitima cum conditione, quod alias institutus censeatur, tantum in legitima, num.4. vbi declaratur, quomodo procedat hæc conclusio.

Legitimæ renunciatum non censetur, nec iuri petendi supplementum per simplicem additionem hæreditatis, num. 5. & 6.

Legitimæ renunciatio nisi fuerit expressa non valet nu. 6.

DECISIO CCVI.

1 Patre instituit fideicommissum, & ad illud vocauit Gasparem ipsius filium, & alijs substitutionibus factis prohibuit alienationem bonorum, & detractionem quamcunque Trebellianicæ, seu cuiusuis alterius Portionis, quin & voluit, quod tam Gaspar, quam ceteri descendentes in infinitum ante aditionem hæreditatis tenerentur expresse renunciare legitimæ, alias caderent ab omni commodo sui testamenti, & dispositionis, & quod in illius locum succederet proximior. Euenit post mortem testatoris, quod Gaspar agnouit hæreditatem absque legitimæ expressa renunciatione. Hodie verò cum ære alieno oppressus reperiatur, vellet legitimam suam detrahere, vt bona legitimam tangentia possit alienare. Vnde dubitaui, an sit locus prædictæ legitimæ detractioni, & Domini affirmatiuam sunt amplexi, legitima enim ex prouidentia legis debetur filijs, *l. si arrogator, ff. de adopt. §. prohibemus in fine. in authent. de trient. & semis. §. aliud quoque in auth. vt cum de appell. cognosc.* quia, & de iure naturali illis debetur quantitas sit inducta de iure ciuili fundato tamen in iure naturali, *l. cum ratio, ff. de bon. damnat. not. in l. omnimodo, C. de inoffic. testam. Socin. consil. 93. nu.11. & cons. 120. nu.8. vers. aliquando lib.3. Dec. cons. 35. nu.44. & cons. 54. num.29. lib.1.*

2 Vnde dictæ legitimæ aliquod onus, seu grauamen imponi non valet, alias ipso iure reijcitur, *l. scimus, leg. omnimodo, & l. quoniam in prioribus, C. de inoffic. testam.* quod procedit non solum, quando filius in legitima tantum, sed etiam si in totum fuerit institutus, tunc enim quo ad legitimam reijcitur grauamen, *ad text. in d. l. scimus, §. cum autem, & ibi Fulgos. & Ias. nu.2. Idem Ias. in l. cum ex filio, num.5. vers. sed id quod fortius, ff. de vulgar. Castr. in l. fin. num.2. in fine de cond. instit. Roman. cons. 64. num.2. & consil. 185. nu.1. Dec. cons. 81. in princ. & cons. 238. num. 4. Paris. cons. 55. num.22. lib.2. Natt. consil. 145. numer. 21. Gabriel. titul. de legit. conclus. 1. ampliat. 2. circa med.*

3 Vnde cum testator onerauerit filium de renunciatione legitime, illum grauasse non est dubium ex prædictis iuribus, quod in fraudem legis factum videtur & sic ex eiusdem legis dispositione reijciendum, iuxta *text. in l. Seius, & Augerius, ff. ad legem Falcid.* quæ licet loquatur in Falcidia, inducitur, etiam pro legitima, vt illam inducit *Ruin. cons. 149. nu.13. lib.3. & Hippol. Rimin. in cons. 67. num. 16. & consil. 510. nu.26. cum seq.* reiecto autem prædicto grauamine ab ista legitima, intrat responsio Dominorum, quod possit D. Gaspar illam detrahere.

4 Et quamuis sit verum, quod pater relinquendo filio legatum pinguius sua legitima, potest illi prohibere illius detractionem, hoc addito, quod alias institutus censeatur, tantum in legitima. *Socin. cons. 122. num.8. cum sequentib. lib. 1. Dec. consil. 687. num. 2. Paris. cons. 9. num.4. libr.3. Gualdens. de arte test. aud. tit. de substitut. cautel. 31. num.6. Cucch. in tractat. de legit. in titul. legitima nullum grauamen. numer. 27. Peregrin. art. 36. num. 62.* non tamen sumus hodie in illo casu, sed in diuerso, in quo Gaspar non fuit in legitima tantum institutus casu, quo illi non renunciaret sed potius priuatus omni commodo testamenti, & dispositioni patris, & ità ad prædictam doctrinam Socin. & aliorum respondit Rota in vnà Romana de Lante 11. Februarij 1583. coram fel. record. Clemente VIII. tunc Rotæ Auditore.

5 Quibus non obstat, quod Gaspar agnouerit hæreditatem patris, illique se immiscuerit, & sic illius dispositioni acquieuisse, & legitimæ renunciasse videatur. Nam licet de iure antiquo predicto casu non poterat filius querelare, nec iudicium patris impugnare tanquam illud agnouisset etiam quo ad onus, *l. si pars, §. fin.*

§. fin. & l. Papinianus. §. si conditioni. ff. de inoff. test. leg. post legatum. in princip. de his quibus vt indignis, & hoc ea ratione, quia non videtur ferendum, quod is, qui lucrum amplectitur onus illi annexum contemnat. l. vnic. §. pro secundo. C. de caduc. toll. & leg. fin. §. sed cum in secunda. in fine. C. de furtis.

6 Nihilominus hodie cum omne grauamen reijciatur à legitima ipso iure d. l. omnimodo. & l. quoniam in prioribus. Vnde est, quod non sufficiat simplex agnitio hæreditatis, sed requiratur expressa renunciatio legitimæ, iuxta text. in leg. si quando. §. & generaliter. ff. de inoffic. testam. & ibi Odofred. in princ. & Ias. num. 1. & 4. latè Ruin. consil. 56. à num. 8. vsque ad 13. lib. 2. & addit. ad Guid. Pap. dec. 96. in litera C. verb. & post. Tradunt Menchac. in d. l. si quando. §. illud. num. 21. vers. sed certe inter hunc text. & Cucch. vbi supra. num. 29. vers. si vero sit relicta Eugen. consil. 38. num. 8. & sequentibus Sfort. Odd. consil. 63. num. 24. Rauden. de analog. lib. 1. cap. 19. num. 27. & seq. & num. 32. & 33. & tenuit Rota in prædicta Romana de Lante. An autem ista legitima fuerit iam à Gaspare detracta, reseruarunt Domini particulariter videndum.

REVERENDISSIMO P. D. LVGDVNEN.

Colimbrien. Sponsalium. 14. Decembris 1609.

ARGVMENTVM.

Sponsalia plene, & concludenter probari debent, & per testes bonæ famæ, & conditionis. Et hinc plura de testibus superdictis sponsalibus deponentibus notanda, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Sponsalia de futuro, quando agitur ad effectum contrahendi matrimonium debent integrè probari, & per testes bonæ conuersationis, & vitæ, & quod verisimile sit, quod velint verum dicere. nu. 1.

Testis mulier vilis, & inhonesta nihil probat. nu. 2. & 3.

Testis, qui sponte se retractat pro exoneratione conscientiæ, quantum probet, iudicis arbitrio remittitur, num. 3. & numer. 8.

Testis soror ad fauorem sororis non est idonea testis. nu. 4.

Testis subornatio ad falsum dicendum præsumitur ex attentata subornatione. nu. 5.

Testes inter se diuersi, & varij circa circumstantias, licèt in facto conueniant sunt suspecti. nu. 6.

Testes existentes in occulto, & deponentes se de nocte vidisse, & audiuisse sunt suspecti de falso. nu. 7.

Sponsalibus probatis Ecclesia quandoque se abstinet ad cogendum contrahere matrimonium vbi subest iusta causa odij præsertim, & inimicitiæ. nu. 9.

Sponsalia clandestina, quæ dicantur. nu. 10.

DECISIO CCVII.

1 CVm præsupposito, quod sententiæ sint validæ, & quod testes in dicto probent sponsalia de futuro inter Thomam, & Isabellam, proposui dubium, An sententiæ latæ ad fauorem Isabellæ sint confirmandæ vel infirmandæ, & solo Thoma informante, Rota censuit dictas sententias esse confirmandas, atque iure merito Metropolitanum Bracharensem, qui in secunda instantia tulit sententiam absoluisse Thomam à petitione Isabellæ. Tendit enim dicta petitio ad effectũ cogendi Thomam, vt cum Isabella contrahat matrimonium quo casu, quia agitur quasi de statu hominis requiritur integra probatio. glos. notat in cap. mulieri in verb. absolutio. in fin. de iureiur. quam esse communiter receptam dixit quamplurimos cumulans. Dec. cons. 133. num. 2. & testes debent esse bonæ conuersationis & vitæ probabilis. Ita quod non sit verisimile, quod pro aliquo velint falsum deponere. cap. licet, & cap. in literis. de testam. cap. 1. de consanguinit. & affinit. Felin. in rubr. de spons. num. 5. Alex. de Neuo cons. 11. num. 14. & cons. 12. nu. 11.

2 In proposito autem sententiæ fundatæ sunt in depositionibus trium mulierum, quarum vna inseruiuit Isabellæ, eiusque patri, & est vilis, inhonesta, & malæ famæ, ideoque non probat. d. cap. in literis. ibique gl. Innocent. Io. And. & alij. Milis in verb. testes familiares producentis. Dec. d. cons. 133. num. 4. vers. Lucia pedissequa. Alex. cons. 105. nu. 4. lib. 5. add. ad dec. Cappel. Tholos. 4. sub nu. 1. Rip. in l. si constante. n. 34. ff. solut. matrim. Ruin. cons. 18. nu. 17. lib. 5.

3 Alia æque inhonesta, vilis, & malæ famæ præterea se retractauit, & coram Ordinario sponte deposuit, se alias circa ista sponsalia falsum deposuisse, inductam precibus Isabellæ, additque facere se hanc retractionem, quia cum instaret Sanctissimi Iubilæi indulgentia non inueniebat Confessarium, qui alias vellet eam absoluere, non potest autem negari quin ista decantatio multum minuat de fide testis, præsertim cum in hac materia plurimum iudicis arbitrio deferatur, vt ait Hostiens. in capit. super eo. il 2. num. 3. in fine. de testibus.

4 Tertius testis in moribus, & in fama non patitur exceptiones, sed est soror germana Isabellæ, cum illa commorans in domo paterna, ideoque suspecta ob nimiam affectionem erga sororem, quæ in maritum petit Thomam, à quo natalibus, & diuitijs superatur, ad text. & ibi not. in dict. cap. super eo. de test. vbi Host. in princip. notat, quod ibi dicitur in matrimonio fuisse ex casus contingentia. Sed etiam fore idem dicendum in spons. tradunt Alex. d. cons. 150. num. 4. lib. 5. Dec. d. cons. 133. num. 4. Imol. cons. 135. num. 5. Franc. Aret. cons. 13. num. 10. & faciunt notata per Bald. in l. parente, in princ. C. de testib.

5 Atque istæ exceptiones eo magis sunt attendendæ, quia in hoc casu subest maxima suspicio subornationis. Adest enim prædicta retractatio depositionis factæ ad preces Isabellæ. Adest alia testis Isabella Simonis, quæ licèt inducta ab Isabella actrice, deponit dictam actricem dixisse sibi quod non habebat testes, qui deponerent de istis sponsalibus, & petiuisse numquid ista d. Isabella testis esset aliquid de illis depositura, quando opus esset, quod illa facere tenuit, quia nihil sciebat. Hinc enim præsumi potest actricem, quæ istas duas mulieres subornauit, aut subornare tētauit, id ipsum etiam alias perfecisset, vt bene in simili dicit Guido Papæ consil. 75. num. 4. Item prædicti sermones inter istas Isabellas fuerunt statim post sequuta asserta sponsalia, & si tres prædictæ testes fuissent conductæ ab actrice ad effectum, vt possent de sponsalibus testificari, prout illæ deponunt, Actrix non dixisset Isabellæ, se non habere testes, quibus suam intentionem probare posset.

6 Accedat, quod licèt quo ad contextum huius facti dictæ tres testes inter se conueniant, tamen augetur suspicio præmeditatæ, & compositæ fictionis ex quo interrogatæ de accessu ad locum, & de alijs circumstantijs, quas non præoccupauerunt cogitare singulæ deponunt diuersa inter se, & non cohærentia.

7 Deinde de istis sponsalibus nulla per sex annos fuit facta mentio, donec occasione aliorum sponsalium à Thoma contractorum cum quadam muliere, quam vnus ex Isabellæ consanguineis in vxorem ducere concupiuerat, fuit ista lis inchoata, & medio tempore aliqui testes deponunt, quod Isabella tractauit de nubendo alijs viris, ita vt omni ex parte admodum turbida, & inuerisimilis reddatur prædictarum mulierum depositio, quæ cum etiam contineat quod in actu

actu assertorum sponsalium ipsę testes erant adeò abscondite, vt eas Thomas videre non posset obstantibus saxis, & trabibus intermedijs quiuis facile intelligit qua fide dignæ, sicque adeo constanter deposuerunt vidisse in occulto, & in tenebris ad dimidian noctis horam illa omnia, quæ in earum dictis continentur.

8 Nec immerito supradicta retractatio occasione Iubilæi facta fuit inter alia specialiter, quia testis falso dixerat se vidisse Thomam, & Isabellam cum manibus adhærentibus.

9 Aduertebant etiam Domini, quod cum versemur in assertis sponsalibus, quæ Thomas semper impugnauit sustinendo litem in pluribus instantijs veniendo ad Curiam, & faciendo alias omnes sibi possibiles diligentias non debet cogi ad contrahendum matrimonium stante præcipuè, quod inter ipsum, & Isabellam maleuolentiæ, atque odij semina exorta sunt, ex quo ipse illam inhonestatis malefici, aliarumque turpium rerum oppositione fœdauit testibus super illis materijs iudicialiter inductis, & examinatis siquidem matrimonia coacta, vt plurimum exitus parum felices sortiuntur. Ideoque si etiam plene, & ritè probatis sponsalibus, Ecclesia tamen abstinet à coactione matrimonij, vbi subest iusta causa ad notata per Doctor. *in c. requisiuit de sponsal. vbi Abb. num. 3. Collect. cap. 2. colum. 2. eod. tit. Gabr. cons. 186. nu. 1. 5. 6. 7. lib. 2. Couar. super 4. Decret. par. 1. cap. 4. num. 4.* Fuit dictum in Vlixbonen. Matrimonij 7. Iunij 1599. coram bon. mem. Litta & in Mediolanen. Sponsalium de anno 1607. coram R. P. D. meo Pamphilio.

10 Multo magis à dicta coactione abstinendum est in hoc casu, in quo agitur de sponsalibus clandestinis, cum illis nullus testis apertus interfuerit ad tradita per *Bald. consil. 148. numer. 13. libro 2.* & quorum subsistentia innititur solis prædictarum mulierum depositionibus, quæ nullo iuris, vel facti adminiculo coadiuuantur, sed pluribus debilitantur exceptionibus, & concurrentibus, circunstantijs quasi funditus destruuntur. Atque ex his fuit conclusum pro reuocatione sententiarum.

REVERENDISSIMO P. D.

LVGDVNEN.

Lucana Bonorum. 11. Decembris 1609.

ARGVMENTVM.

Contra Ecclesiam ad fauorem alterius Ecclesiæ non currit præscriptio, nisi quadraginta annorum, & cum bona fide, & alia ad hanc materiam.

SVMMARIVM.

Præscriptio vnius Ecclesiæ contra aliam requirit tempus quadraginta annorum, nu. 1.
Titulorum diuersitas inducit possessionis diuersitatem. nu. 2.
Annus incœptus non habetur pro completo in materia odiosa, & præscriptionis, nu. 3.
Præscriptio dicitur interrupta per motionem litis, nu. 4.
Possessio ciuilis sufficit ad impediendus præscriptionem, quam prætendit naturaliter possidens, num. 5.
Præscriptio contra Ecclesiam requirit bonam fidem, num. 6. vbi etiam, quod non sufficit, quem non esse bonæ fidei, nec malæ fidei.
Iuris error nocet in præscriptione quadragenaria, nu. 6.

DECISIO CCVIII.

1 PRo informante, videlicet præscriptionem non obstare Ecclesiæ Sancti Michaelis. Ad hoc enim vt Ecclesia contra aliam Ecclesiam præscribat, requiritur tempus quadraginta annorum, *cap. ad aures. cap. ad illud. & cap. de quarta. cum ibi notatis de præscript. auth. quas actiones, C. de sacrosanct. eccles. Put. decis. 252. num. 3. lib. 3.* Hoc autem temporis spacium non habent RR. PP. Sancti Romani in casu, de quo agitur, cum lis à moderno Rectore illis mota fuerit de anno 1599. & ipsi cœperant possidere de anno 1588. quo decessit Pellonus, vel saltem de anno 1570. quo dictus Pellonus ad fauorem Monasterij cessit, & renunciauit omni, & cuicumque iure sibi competenti super istis bonis reseruato sibi vsufructu, & cum onere soluendi Monasterio Scuta duodecim quolibet anno.

2 Nec possunt iuuari anteriori possessione Pelloni, quæ cœpit de anno 1531. quia cum Pellonus possideat ex impetratione beneficij fratres autem Sancti Romani acceperint bona ex testamento Pellegrini stante ista iurium, & titulorum diuersitate, fuit inducta, & creata noua possessio, quando Monasterium bona apprehendit. *Abb. in cap. 1. in princ. de solut. Rota decision. 1. in fin. de locat. Sarnen. in regula de triem. quæst. 11. num. 14. & 15.* vltra quod statim mortuo Pellono Rector, qui tunc existebat facti Michaelis fuerit factus locus interruptioni præscriptionis à Pellono inchoatæ, *gloss. 2. in l. alter. ff. de vsucap. Balb. de præscript. 3. par. 6. principali. num. 4.*

3 Minus dicit debet, quod Pellonus solus per se compleuerit præscriptionem procedendo de anno 1531. quo fuit immissus vsque ad annum 1588. quo obijt. Nam, & ista prescriptio non suffragatur monasterio venienti, vt dictum est ex alio titulo, & cum Pellonus cesserit omni iuri ad fauorē Monasterij de anno 1570. quo tempore ad complementum quadragenariæ possessionis deficiebant octo menses, vel in circa non potest, dici, quod ille absoluerit præscriptionem quia in hac materia odiosa annus incœptus non habetur pro completo, *leg. in omnibus la prima de act. & obligat. leg. in vsucap. in princip. de diuers. & tempor. præscript. gloss. in rubr. ff. de diuers. & tempor. præscript. Bart. in leg. ab hostibus, §. sed quod simpliciter versic. vnio ad quartum, ff. ex quibus caus. maior.*

4 Accedit, quod Pellono ipsi fratres Sancti Romani mouerunt litem, quæ per plures annos in partibus, & in Curia durauit, ita vt per illam fuerit sine dubio interrupta præscriptio. *capit. potest. 16. quæst. 3. leg. cum notissimi. in princip. & §. immo Cod. de prescript. 30. annorum gl. fin. ibique Doct. omnes in d. c. illud de præscript.*

5 Præterea non processit ista Pelloni præscriptio, quia Rector Sancti Michaelis remansit in possessione Altaris Sancti Nicolai, cui bona legata fuerunt, ibique continue celebrauit, & fecit celebrari Missas, vt testes deponunt, sicque retinuit etiam possessionem ciuilem bonorum ad dictum Altare spectantium. *Natt. consil. 562. num. 13. Anchar. in reg. beneficium, num. 11. de reg. reg. iur. in 6. Couar. variar. resol. lib. 3. capit. 16. numer. 13. Ferret. consil. 14. num. 4. & 5. lib. 1. Bertac. de Episcop. libr. 3. part. 1. quæst. 56.* Ista autem ciuilis Ecclesiæ possessio fuit de per se sufficiens ad impediendam Pelloni præscriptionem, *l. 1. §. per seruum qui in fuga, & ibi notat. Bart. in fin. & in leg. 3. §. ex contrario. vbi plenè Alexandr. alijque Doct. ff. de acquir. possess. gloss. magna circa fin. Cod. de seru. fugit. Ruin. in capit. sine possessione de regul. iur. in 6. Aretin. in §. 1. institut. de vsucap. Corn. consil. 16. colum. 3. volum. 2.*

6 Denique cum in præscriptione contra, Ecclesiam requiratur bona fides, siue priuatus, siue alia Ecclesia præscribat, vt in dict. capit. ad aures tradit Abb. & tradit latè Balb. in tractat. de præscript. 2. part. 3. part. princ. §. 6. quæro numer. 9. Illa deficit tam respectu Pelloni, quam fratrum Sancti Romani, cum & ille, & isti habuerint scientiam, & notitiam testamenti, in quo bona erant legata prædicto Altari Sancti Nicolai vnito Ecclesiæ Sancti Michaelis, nec sufficeret si allegaretur iuris error,

ror, quia ex illo nihil ad summum elici potest, nisi medius status, nec bonæ, nec malæ fidei, qui non sufficit ad inchoandam præscriptionem. *Couar. in reg. possessor. §. 7. sub num. 6. vers. Nam cum ad initium. de reg. iur. in 6.* & quod in hac quadraginta annorum præscriptione iuris error noceat quamplurimos cumulat, & de magis communi testatur *Gabr. de præscript. conclus. 4. nu. 4.*

7 Nec suffragatur Monasterio Concordia inita cum Pellono, & Apostolica Auctoritate confirmata, siquidem non potest Ecclesiæ Sancti Michaelis præiudicare res inter alios acta, maxime super bonis ad ipsam spectantibus Rectore ipsius non vocato, & in prædicta confirmatione, sicuti regulariter in alijs omnibus fuit præseruatum Ius Tertij, & per consequens dictæ Ecclesiæ, cui Papa procul dubio non habuit intentionem præiudicandi. Et ita decisum.

REVERENDISS. P. DOMINO

LVGDVNEN.

Romana de Cuppis. 14. Decembris 1609.

ARGVMENTVM.

Fideicommissaria bona alienari possunt tam pro dote, quam pro lucro dotis, & semel sic alienata ad fideicommissarios amplius non reuertuntur.

SVMMARIVM.

Lucrum dotis mortuo viro vigore Statuti Vrbis spectat ad vxorem quo ad vsumfructum ipsa viuente, ea autem mortua spectat ad filios tam quo ad proprietatem, quam quo ad vsumfructum. nu. 1.

Vsufructuaria mortua vsusfructus consolidatur cum proprietate. Declara, vt nu. 2.

Fideicommissaria bona alienari possunt nedum pro dote, sed etiam pro augumento dotis, debito siue ex pacto, siue ex Statuto. nu. 2.

Fideicommissaria bona semel alienata pro assignatione lucri dotalis non reuertuntur amplius ad fideicommissarios mortua muliere, cui fuerunt assignata. nu. 3. & 4.

DECISIO CCIX.

1 Fvit dictum filios Dominæ Constantiæ non teneri ad restitutionem quarti dotalis, quia statutum Vrbis cap. 131. lib. 1. disponit, quod vxor extantibus liberis de bonis mariti quantum est quarta pars dotis ad vsumfructum tantum lucratur, quam vsufructu finito restituat, quibus de iure restitui debet, liberis vero non extantibus dictam quartam partem tam quo ad vsumfructum, quam quo ad proprietatem lucretur. Vnde cum de iure finito vsufructu spectet ad filios proprietas lucri dotalis. *l. quis prioris. §. illud. leg. hac edictali. in fine. C. de secund. nupt.* remanet clara dispositio Statuti ad fauorem filiorum Dominæ Constantiæ, quod videlicet ad ipsos lucrum dotale iure merito pertineat. Sicque non sit locus illius restitutioni.

2 Non obstat, quod hoc quartum fuerit detractum ex bonis subiectis fideicommisso, ideoque finito per mortem eiusdem Dominæ Constantiæ vsufructu debeat fieri consolidatio cum proprietate, & debeat quartum restitui fideicommissarijs. Fuit enim responsum materiam consolidationis non habere locum in his terminis, in quibus quo ad fideicommissarios lucrum dotale spectabat pleno iure ad Dominam Constantiam, cum certi iuris sit, quod ne dum pro dote, sed etiam pro dotis augmento bona fideicommissi alienari possint. *Auth. res, quæ. C. commun. de leg. & tot. tit.* Vnde sumpta est, de restitut. & ea, quæ parit in vnd. *men. ibique gl. magna in §. quamobrem. Lap. in repetit. cap. per nostras. in §. 13. de donat. int. vir. & vxor. Bellamer. cons. 83. num. 3. & 8. & de communi testatur Bartol. Socin. consil. 23. num. 4. volum. 3.* quod habet locum non solum in augmento proueniente ex pacto partium, sed etiam in taxato per Statutum, vt in hoc casu. *Bald. in authent. res, quæ. num. 13. Curt. iun. consilio 46. & alij per Aym. late cons. 186. nu. 4.*

3 Nec reperitur cautum in iure, quod bona semel ex fideicommisso detracta pro assignatione lucri dotalis reuerti debeant ad fideicommissarios mortua muliere, cui fuerunt assignata. Quin immo censetur perpetuo facta alienatio. *Socin. d. cons. 23. num. 58.* Ideoq; receptum est, quod etiam filij non sint hæredes sui patris, nihilominus tamen istud lucrum illis acquiritur. *Authen. hæredes, & l. feminæ. C. de secund. nupt. Afflict. decis. 37. nu. 6. & dec. 314. num. 2.*

4 Et quidem in relati statuti dispositione manifestum est, quod si Domina Constantia non habuisset filios, separatio, & distractio rerum fideicommisso subiectarum fuisset perpetua quandoquidem ipsa fuisset lucrata quartum etiam quo ad proprietatem, & non potest dari competens ratio, quare non etiam perpetua esse debeat in casu quo liberi supersint maximè cum appareat, mentionem vsusfructus fuisse factam solo duntaxat intuitu, & fauore filiorum, quibus prospiciendo restrinxerunt statuentes plenum ius ad vsumfructum, volueruntque vt mater sola fruendi commoditate contenta reseruaret proprietatem filijs communis matrimonij sicuti in præcedenti eiusdem Statuti dispositione lucrum dotis totius delatum marito liberis extantibus habet tamen hanc conditionem, quod dictum lucrum liberis communis matrimonij perueniat.

5 Quod dicebatur hanc causam versari in fideicommisso transuersali, quod non subiacet detractionibus dotalibus, visum est esse extra dubium, in quo agitur de restitutione quarti iam detracti, & constituti.

R. P. D. PAMPHILIO.

Toletana Admissionis. Lunæ 14. Decembris 1609.

ARGVMENTVM.

De Principe confirmante aliquod Priuilegium, vel gratiam, quando dicatur confirmasse ex certa scientia, & quando de subreptionis vitio aduersus confirmationem dari non possit.

SVMMARIVM.

Assertioni Papæ factæ in literis Apostolicis standum omnino est. num. 1.

Citatus quod quis non fuerit probari non potest in extraiudicialibus. nu. 2.

Princeps licèt dicatur confirmare ex certa scientia, quando confirmat parte citata, & cum causæ cognitione, defectus tamen citationis non excludit, quin confirmatio dicatur facta ex certa scientia, quando aliter constat, Principem ex certa scientia confirmasse. nu. 2.

Principem confirmasse ex certa scientia potest etiam testibus probari. nu. 2.

Gratia Principis extraiudicialiter concessa non requirit citationem. num. 3. Præsertim quando idem Princeps quo ad interesse habentes voluit gratiam valere etiam, quod non fuerint citati. nu. 4.

Subreptio excluditur ex eo, quod Princeps saltem in genere potuit cogitare, de eo quod tacitum fuit. nu. 5.

Subreptionis defectus tollitur, quando confirmatio Papæ est facta ex certa scientia. nu. 6.

DE-

DECISIO CCX.

1 PLacuit Dominis decisio in hac causa facta sub die 17. Iunij præteriti, quod Breue Clementis VIII. sit exequendum, ex quo vltra confirmationem continet etiam nouum priuilegium concessum ex certa scientia, & cum causæ cognitione ex sententia Sanctissimi Domini Nostri, tunc Cardinalis Burghesij, & Illustrissimi Cardinalis Blanchetti, quibus hoc negotium videndum, ac examinandum ab ipso Clemente commissum fuerat, prout idem Clemens in suo Breui testatur, cui attestationi standum est. *Clem. 1. & ibi Glos. & Doct. communiter de probat.*

2 Neque obstare, quod pro parte Rectorum dicebatur Breue non posse dici causa cognita, & ex certa scientia concessum, ex quo ipsi non fuerat citati, quia præter id quod talis negatiua non probatur, nec probari potest, ex quo in istis extraiudicialibus non interuenit Notarius, & per consequens citationes in actis redigi non possunt, vt dicit *Sarmient. lib. 1. solet interpret. cap. 8. num. 3.* fuit responsum citationem ad hunc effectum non esse de forma, licèt enim quando Princeps confirmat, citata parte, dicatur confirmare ex certa scientia, & cum causæ cognitione, vt dicit *Barbat. inter consil. Alexand. consil. 123. incipit:* Scripsit Ecclesiasticus, &c. *num. 19. libr. 4. cum alijs allegatis*, & iste sit vnus ex modis cognoscendi qualitatem confirmationis, tamen citationis defectus non excludit quin confirmatio dicatur ex certa scientia, quando aliter constat Principem confirmasse ex certa scientia, quod potest probari pluribus modis etiam per testes, vt refert, & sequitur *Afflict. in Constit. Reg. lib. 3. Rubr. 4. tit. de iure suo Curiæ obseruando. num. 5.* prout in casu isto constat ex pluribus adductis in dicta decisione in hac causa facta.

3 Præterea fuit dictum nos versari in gratia Principis extraiudicialiter concessa, in qua non requiritur aliqua citatio, vt post *Innoc. in cap. cum pridem. sub nu. 9. verb. indulgeri. de renunciat. tradit Rom. cons. 369. nu. 29. vers. hoc secundo. Felin. in cap. cum olim. sub nu. 6. vers. & firmat Innoc. & ibi addent. in verb. afferri potest. qui Oldr. & alios citant de re iudic. Ferret. cons. 82. num. 1. Sarmient. d. cap. 8. nu. 3. cum alijs per Mandos. ad Roman. sub d. num. 29 litera E.*

4 Præsertim, quod Papa voluit Breue valere, etiam quod interesse habentes non fuerint citati, & sic defectui citationis derogauit; Immo stante huiusmodi derogatione non videtur fuisse necessaria aliqua citatio *Felin. in capit. cum olim. num. 15. vers. vbi materia. de re iudic. Gozzad. consil. 2. numer. 8.* sicuti non requiritur causæ cognitio, quando Princeps exprimit aliud velle. *Gabriel. consil. 22. num. 34. post med. vers. nisi ipse Princeps lib. 1.*

5 Minus etiam obstare non fuisse factam mentionem de non vsu priuilegij Leonis X. & ideo Breue Clemētis illud confirmantis esse subreptitium, quia cum fuerit expresse derogatum cuicumque consuetudini etiam immemorabili in contrarium existenti, dicendum est de non vsu prædicti Indulti satis fuisse factā mentionem ad euitandam subreptionem, ad quem effectum sufficit, quod de eo Summus Pontifex in genere potuerit cogitare. *Cassad. decis. 12. num. 6. de præbend. & dec. 1. de priuileg.* cum alijs allegatis in dicta decisione in hac causa facta.

6 Sed difficultas cessat ex eo, quod confirmatio non est in forma communi, sed ex certa scientia, & cum causæ cognitione, vt supra dictum est, & in ea adest clausula (& de nouo concedimus) quæ operatur nouam concessionem, vt per *Cassad. decis. 1. de confirmat. vtil. vel inutil.* etiam si priuilegium confirmatum non esset in vsu, vel alias non reperiretur, & sic tollitur defectus subreptionis, vt fuit resolutum in vna Caurien. Iurisdictionis 5. Nouembris 1576. coram Cantuccio relata inter impress. diuers. dec. 36. par. 2. Et ita fuit conclusum.

REVERENDISS. P. D. PEGNA DECANO.

Lucana Cappellaniæ. Luna 14. Decembris 1609.

ARGVMENTVM.

Ius patronatus ex pluribus & antiquis præsentationibus per centum annos probatum censetur, nec illius vsurpatio præsumitur, quando priuata persona illud prætendit, vel etiam constat ex instrumento fundationis.

SVMMARIVM.

Ius patronatus probatum censetur ex pluribus præsentationibus antiquis, & effectuatis per centum annos. nu. 1.

Enunciatiuæ antiquæ à diuersis Notarijs, & in diuersis instrumentis contentæ habent vim famæ, & probant ius patronatus. nu. 1. in fine.

Iuris patronatus vsurpatio non præsumitur, quando illud prætendunt priuatæ personæ, tunc enim sufficit ordinaria iuris communis probatio. nu. 2.

Iuris patronatus vsurpatio cessat ex instrumento fundationis num. 3.

DECISIO CCXI.

1 EXtat in Ciuitate Lucana perpetua Cappellania sub inuocatione Sanctæ Catherinæ in Ecclesia S. Mariæ foris Portam nuncupata de Iure patronatus quinque Consulum, videlicet trium contractarum parochiæ prædictæ S. Mariæ, & duorum Consulum brachiorum Corradini, & Ioardanis, & Pasci, & Rectoris Hospitalis Sancti Lucæ, ad quam vacantem de mense Maij anni 1608. die 21. eiusdem mensis à tribus ex prædictis Consulibus, & Rectore hospitalis præsentatus fuit Fabius Balbanus, interim D. Iulius Menochius Canonicus Lateranen. eandem Cappellaniam tanquam beneficium liberum, & reseruatum à Sede Apostolica impetrauit, & vigore Breuis de capienda possessione nomine Cameræ expedito monitorio cum inhibitione illaque Balbano intimato, antequam fuisset institutus possessionem adeptus fuit. Cæterum cum Fabius coram Vicario Lateranen. & suam præsentationem, & ad docendum de quasi possessione præsentandi prædictorum Consulum, & Rectoris multas præsentationes antiquas produxisset, & Vicarius Rotam consuluisset, Dubitaui. An constaret de Iure patronatus ad effectum, vt Balbanus non obstante gratia Menochij veniret instituendus, & Rota Fabio Balbano solum informante de Iure patronatus constare censuit ex pluribus præsentationibus antiquis, & effectum sortitis à centum, & amplius annis. Nam anno 1401. edebatur præsentatio qua Arrigus Plebanus Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, & Gasparinus Rector eiusdem Cappellaniæ inuicem ista sua beneficia auctoritate Episcopi ad præsentationem prædictorum Breuis, & quatuor Consulum permutarunt, & Arrigus ad hanc Cappellaniam fuit ab Episcopo institutus, & in possessionem missus. Rursus anno 1455. ad eandem Cappellaniam, tunc per resignationem eiusdem Arrigi vacantem ijdem Consules præsentauerunt Nicolaum de Chiuizzano, qui vigore eius præsentationis fuerat institutus. Præterea de anno 1509. edebatur alia præsentatio ab eisdem Patronis facta de persona Bartholomæi Arnolfini, cum subsequuta institutione. Subsequebantur præterea recen-

recentiores præsentationes ab eisdem Patronis factæ, de anno 1533. de Nicolao Benedicto quondam cum anno 1560. eandem Cappellaniam in manibus Papæ ad fauorem cuiusdam Laurentij Ciampantis resignasset, Consules tanquam patroni ei præsentationi consenserunt. Item cum de anno 1568. eadem Cappellania vacasset per liberam resignationem factam à supradicto Laurentio in manibus Vicarij Lucani ab eisdem Consulibus,& Rectore præsentatus fuerat Christophorus Guirecionus, & vigore eiusdem præsentationis fuerat institutus. Supradictis accedebant aliæ duæ recentiores præsentationes antiquæ prorsus similes, ex quibus Rota pronunciauit constare de Iure patronatus, quia enunciatiuæ antiquæ à diuersis Notarijs, & in diuersis instrumentis contentę, quæ habent vim famæ probant Ius patronatus. *Bald. in leg. cum aliquis. num. 4. versic. item quando, &c. Cod. de iur. delib. Achill. dec. 6. & 7. de Iure patronat. Guido Papæ decis.* 117. & fuit sæpe in Rota decisum,& signanter in vna Aretina Cappellaniæ die 22. Iunij 1590. coram bon. mem. Orano.

2 Nec refragabatur Concilium Tridentinum sess. 25. de reformat. cap. 9. quod simile Ius patronatus præsumitur ex vsurpatione, quia fuit responsum. Primo Informantes pro Balbano, non pretendere hoc Ius patronatus pertinere ad vniuersos Parochianos Sanctę Marię foris Portam, sed ad quosdam dictę Parochię Consules à dicta parochia, non dependentis electos solum à duobus brachijs, & à tribus ex nouem Contradis Parochiam constituen. Vnde presumptione vsurpationis cessante casus erat decidendus ex iure communi. Nam Concilium Tridentinum circa Iure patronatus priuatorum nihil innouarit, ideoque statur ordinarię probationi. *Cassad. dec. 2. n. 4. de probation. Put. dec. 60. in fin.& dec. 140. in fin. lib. 1. & Achil. dec. 6. & 7. nu. 3. de Iure patr.*

3 Secundo fuit responsum, ex duobus potissimum excludi presumptionem vsurpationis. Primo ex assertione Episcopi in institutione facta anno 1401. Vbi dixit,hanc Cappellaniam fuisse institutam sub conditione,quod Cappellanus non posset aliud beneficium obtinere,nam hic probat Episcopum agnouisse dotationem. Secundo ex secunda presentatione facta anno 1455. in qua vt Notarius certabatur in actu presentationis, & institutionis fuerat producendum instrumentum fundationis Cappellaniæ. Ex similibus enim actibus,argui legitimum titulum Iuris patronatus, & cessare presumptionem vsurpationis in Communitate, respondit Rota in vna Lucana Plebis 11. die Martij 1591. coram bon. mem. Gipsio. Et ita fuit conclusum.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

D. CARD. LANCELLOTTO.

Toletana Canonicatus. Lunæ 11. Ianuarij 1610.

ARGVMENTVM.

Stylus, & obseruantia Curię Romanę seruandus, est in omnibus alijs Curijs. Agentique possessorio adipiscendę, non obstant exceptiones,nisi sint probatę,vel in continenti probandę, & propterea ex hoc denegatur Remissoria.

SVMMARIVM.

Obseruantia, & stylus Rotæ, & Curiæ Romanæ seruari debet in omnibus alijs Curijs. num. 2. Declara, vt numer. tertio.

Remissoria an concedatur ad effectum probandi impuritatem sanguinis. nu. 5.

Causa quando iudicetur Beneficialis, & quando profana. n. 6.

Remissoria non conceditur contra agentem remedio adipiscendæ possessionis, & ad impediendam illius immissionem. num. 7.

Possessione adipiscendæ agenti, non obstant exceptiones, nisi sint probatæ, vel in continenti probandæ.

DECISIO CCXII.

1 Domini steterunt in decisis rationibus in alia decisione deductis precipuè verò quia cum Rota perpetuo per multas decisiones, & sententias ventilatis pluribus causis Toletanis amplexa fuerit intellectum datum in alijs decisionibus statuto Ecclesię Toletanę huic interpretationi est standum, quam per tot annos Rota approbauit, nec attendendum, quod alibi diuerso modo fuerit interpretatum, ita vt quatenus contrarium fuerit in partibus obseruatum, vel illa obseruantia, & interpretatio fuisset reijcienda, vel saltem non fuisset vniformis, ita vt non mirum si prouisi grauati ad Sedem Apostolicam recursum habuerint, ac inde obseruantia istius Tribunalis est alijs preferenda, immo secundum hanc debent alij iudices regulari, vt bene declarat *Afflict. in Constitut. Regni, titul. de offic. nostri iustitiarij in Constitut. incipiente, nihil veterum. num.* 11. maximè tum quia talis interpretatione dum est conformis verbis statuti, vt latè deducitur in decisione R. P. Dom. mei Marcomontij, sed etiam menti statuentium, & rationi, cum non sit equum, quod in facienda inquisitione super puritate prouisi Capitulum, siue ab eo deputatus inscio prouiso recipere debeat testes sibi bene visos, qui si non probant intentionem prouisi, ille debeat remanere exclusus, tum quia nunquam in alijs causis Toletanis fuit allegata hec pretensa obseruantia, neque ad illam probandam petita remissoria, vt merito Capitulares illos bonam fidem agnouisse, & supremi tribunalis iudicio detulisse credendum sit.

2 Non obstat, quod obseruantia, siue interpretatio data à Rota fuerit iuris, obseruantia vero de partibus fuerit facti, quia obseruantia Rote fuit iuris, & facti simul. Nam fuerunt facte probationes, emanatę decisiones, & prolate sententie, immo decisiones fundantur etiam in practica, & obseruantia statuti: quia cōsiderant quoq; modum procedendi quo vtitur Capitulum in inquisitione,ex quo etiam arguit Rota onus probandi Capitulo incumbere.

3 Nec applicatur *dec. Put. 15. lib. 3.* quia ibi non aderat obseruantia Rote per decisiones, & sententias in rem iudicatam transactas,& ideo non mirum si fuerit recessum à priori decisione per obseruantiam posteà probatam.

4 Quod dicitur in alijs causis Toletanis exhibitos fuisse testes probantes positiue puritatem, sublatum fuit in alia decisione, & tollitur ex lectura decisionum in alijs causis factarum.

5 Quod in alijs similibus causis fuerint concesse remissorię non est verum in terminis, in quibus nos versamur, quia si aliquę fuerunt concessę illę solum fuerunt date, vel quando Capitulum pretextu impuritatis vult eijcere prouisum possessorem, vel quando lites erant inter prouisos, & pretendentes secus est, quando fuerunt facte inquisitiones iuxta formam Statuti, & prouisus petijt admitti, quia tali casu fuit denegata remissoria, vt in decisionibus Toletanis coram Illustriss. Mellino, & Reuerendiss. Pacen. in alia decisione relatis, & fuit in hac eadem Rota seruatum coram R. P. D. meo Ludouisio in alia causa Toletana Portionis contra idem Capitulum Toletanum ad fauorem Augustini de Aldana.

6 Quod dicitur causam esse profanam, vltra quid non releuaret ex deductis,neque etiam subsistit,quia cum

D. Ludouicus qui habet literas suæ prouisionis in hoc iudicio immissionis, & exequutionis, nec non canonizationis illarum, sit actor, eius petitio debet attendi, & ius ex eius parte metiendum, ad effectum iudicandi causam beneficialem. *Cassad. decis. 3 nu. 2. de iudic. & facit glo. in clem. dispendiosam. in verbo, vsuris. vers. non sic forte. de iudic.*

2 Ex quo etiam resultat aliud fudamemtũ pro deneganda remissoria, quæ non conceditur contra agẽtem remedio adipiscendæ possessionis, & ad impediendam illius immissionem *Io. Paul. dec.* 85. & fuit resolutum in causa Portuem. de Columna 9. Aprilis 1576. coram bo. mem. Cardinali Seraphino, & coram eodem in causa Mediolanen. de Cusanis 19. Maij 1600. & in causa Vermien. Canonicatus 8. Decembris 1604. coram Illustris. Cardinali Mellino, & alias sæpe, & merito quia ad effectum impediendi immissionem non admittuntur exceptiones, nisi sint probatæ, vel in continenti probandæ, vt per *Doct. in l. fin. C. de edict. Diui Adr. tollen. Put. dec. 7. de caus. possess. & proprietat.* quod procedit etiam in exceptione inhabilitatis, *l. 2. & ibi glo. in verbo, quamuis cum ibi nota. C. eod. tit.*

R. P. D. CAVALERIO.

Romana Concordiæ S. Petri. Lunea 11. Ianuar. 1610.

DECISIO CCXIII.

Est impressa inter Caualerio.

DECISIO 85.

REVERENDISSIMO P. DOM.

BONONIEN.

Nullius Iurisdictionis, seu Prætensæ Vicariæ. 29. Ianuarij 1610.

ARGVMENTVM.

Ex Summario argumentum sume.

SVMMARIVM.

Possessio beneficij, & Abbatiæ probatur per testes deponentes vt num. 2.
Testis procurator probat, quando non est amplius procurator. num. 2.
Possessorium retinendæ ex Summarijssimo, in eoque admittitur leuior probatio, & vnus testis de visu probationem perficit. nu. 3.

DECISIO CCXIV.

1 IN contumaciam alterius partis fuit resolutum pro D. Abbate Bernardino informante, videlicet dandum illi esse mandatum de manutenendo tam in exercitio curæ Animarum, & Sacramentorum administratione, quam in perceptione fructuum Abbatiæ. Probatur enim illius possessio de tempore motæ litis per duos testes, qui deponunt D. Abbatem vigore Prouisionis Apostolicæ sibi factæ de Monasterio Sanctæ Mariæ Angelorum terræ Centulæ accepisse per suum procuratorem specialiter deputatum pacificam possessionem dicti Monasterij, illiusque Ecclesiæ, & fructus, atque bonorum. Item accepisse Claues Sacramentorum, easque dedisse Vicario constituto ibi Presbyteris Sancti Hieronymi, vt ipsi nomine dicti Abbatis sacramenta administrarent, & Animarum curam exercerent. Item deponunt dictos presbyteros sic deputatos administrasse sacramenta, & curam exercuisse, absque eo quod Franciscus Valenzanus, nec alius quisquam assertus Vicarius perpetuus se in dicta cura, & administratione ingesserit, & loquuntur de visu, & auditu ab alijs, & quod non potest esse aliter quin ipsi seirent. Addunt nomine D. Abbatis fratris fuisse recollectum frumentum, atque edicta publicata, & per omnes Clericos præstitam fuisse obedientiam.

2 Non obstat ex dictis duobus testibus, vnus fecerit aliquos actus possessorios vti procurator Abbatis, sicque propter affectionem non videatur integræ fidei, vt per *Bart. in leg. omnibus. nu. 7. de testibus*. Nam quicquid sit de veritate illius dicti, Bart. loquitur quando testes deponunt de auditu rei gestæ testis autem, de quo agitur deponit quidem de quibusdam actibus possessorijs à se factis, & interuallo, & post captam possessionem, deponitque quod antea ipsa ipsa possessio fuerat capta per alium procuratorem ab Abbate specialiter ad id deputatum, & sic quando non probaret, quo ad actus possessorios, probaret tamen quo ad captam possessionem maxime finito officio. *Salic. in d. l. omnibus, in fin. de testibus, quem sequitur Barbat. consil. 78. nu. 1. vers. vel pone exemplum. lib. 3.*

3 Accedit, quod in hoc Summarijssimo iudicio non attenduntur exceptiones, & admittitur leuior probatio, vt dixit Rota coram bon. mem. Card. Seraphino in Turritan. Tertiarię, 3. Iulij 1593. trad. *Couar. pract. quæst. cap. 17. nu. 4. Menoch. retin. remed. vltim. num. 3. & seq.* Atque vnicus tantum testis de visu potest perficere probationem. *Rot. diuers. dec. 375. lib. 3. par. 3.* hic autem dantur duo testes, vt in initio dictum fuit, & illorum depositiones comprobantur etiam ex fide communitatis Terrę Centulę, &c.

REVERENDISS. P. DOMINO

LVGDVNEN.

Ariminen. Bonorum. 23. Ianuarij 1610.

ARGVMENTVM.

Emphyteusis concessa ad aliquod tempus lapso tempore censetur finita, & quid isto casu operetur pactum de renouanda emphyteusi finito tempore prædicto.

SVMMARIVM.

Concessum ad tempus, post illud censetur denegatum. num. primo.
Promittens renouare emphyteusim finito tempore, conueniri potest ad renouandum personali actione, & sine renouatione non censetur renouata emphyteusis. nu. 2.
Pactum de renouando emphyteusim post tempus finitum non prodest non comprehensis in inuestitura. nu. 4. & 5.

DECISIO CCXV.

1 OMissis alijs deuolutionibus, quę per D. Archipresbyterum Sanctę Paulę deducebantur Rota amplexa est deuolutionem ob tempus finitum. Bona enim de quibus agitur fuerunt per predecessorem Domini Archipresbyteri de anno 1570. data, cessa, & renouata Alexandro Posolino pro se, & suis filijs, & nepotibus masculis pro annis 29. proxime futuris, & illis finitis iterum ad renouãdum, sicq; elapsis illis annis 29. bona fuerunt deuoluta, quia cõcessum ad tempus post illud censetur denegatum. *l. si vnus. §. 1. vbi Bal. de pact. l. Imperator.*

petator. de postul. leg. statu liberorum, §. Seium. de leg. 2. Dec. consil. 338. in princip. Castr. consil. 263. num. 3. libr. 2. Surd. decis. 189. num. 9. Tiraquel. de retract. §. 1. glos. 21. numer. 44.

2 Non obstat pactum de iterum renouando finitis illis annis 29. Ex illo enim oritur dũtaxat actio personalis ad factũ, vt inuestiens facere debeat inuestitis renouationem. *Angel. consil. 184. num. 3. versic.* Et illa verba ad renouandum. *Ruin. cons. 167. numer. 13. libr. 1.* & fuit dictum in causa Cesenaten. Bonorum 14. Martij 1607. coram R. P. D meo Ludouisio. Vnde licet in hoc casu adsit quidam nepos Alexandri inuestiti, tamen cum is non petierit renouationem, pactum nihil operatur. *Ias. in leg. 2. nu. 23. C. de iur. emphyt. Gozzad. cons. 39. num. 28. cum alijs per Corbul, de caus. priuat. ob non pet. inuestit. intra long. temp. num. 5.*

3 Nec facit, quod renouatio fuerit petita à Monachis Oliuetanis, qui dicta bona à prædicto Alexandri nepote habuerunt, illaque hodie possident. Nam vltra quod illa petitio fuit facta biennio ante finitos annos 28. & sic antequam venisset dies renouationis, & fuit facta non per Monachos Monasterij Sanctæ Mariæ de Shola, in quos bona alienauerat Passolinus, sed per alios Monachos Monasterij Sancti benedicti de Ronco frigido, qui nullum ius in dictis bonis habere dicuntur.

4 Præterea actio personalis, quæ vt dictum est oritur ex pacto de renouando non competebat Monachis, qui non sunt comprehensi in inuestitura, neque Archipresbyter tenebatur illi, facere renouationem. *Sa-licet. in l. fin. num. 14. & Ias. num. 90. Cod. de iur. emphyt. Grat. consil. 80. num. 1. & seq. volum. 1. Clar. de iure emphyt. q. 26. ibique add. Corbul. tit. de caus. priuat. ob alienationem ampliat. 12.*

5 Non obstat, decisio in causa Mediolanen. Bonorum de Busalara 7. Iunij 1585. coram Bubalo. Ipsa enim se declarat, quod procedit quando concessio fuit facta pro heredibus, & successoribus in perpetuum. In inuestitura autem, de qua agimus nulla sunt verba, quæ perpetuitatem importent, & pactum de renouando etiamsi bona remansissent penes filios, & nepotes primi inuestiti, potuissent sortiri suum effectum in prima renouatione, & exinde remanere inefficax, vt fuit latius dictum coram eodem Bubalo in alia causa Cesenaten. Bonorum emphytheoticorum, 5. Decembris 1588. Et ex his, &c.

REVERENDISSIMO P. D. PEGNA DECANO.

Lucana molendini. Die Sabbati 23. Ianuarij 1610.

ARGVMENTVM.

Emphyteotę tenentur ad ruinam moleudini eorum culpa causatam, & quando in hoc dicantur in culpa.

SVMMARIVM.

Pater familias diligens debet semper explorare vitium latens, num. 1.
Protestatio sufficit ad constituendum in mora, & culpa illos, contra quos quis protestatur, nu. 2.
Emphytheotica res si perit, an pereat damno emphytootæ, an vero Domini directi, nu. 3.
Testes deponentes contra confessionem partis nihil probant. numer. 4.

DECISIO CCXVI.

1 Cum die 14. Nouembris, anni 1605. fuisset in hac causa decisum, Braccios teneri ad refectionem ruinæ, quæ contigerat in molendino anno 1602. præsupposita illa decisione, & testibus post illam examinatis à Braccijs. Dubitaui, an foret ab recedendum. Et Rota vtraque parte informante. non fore recedendum censuit, ex rationibus, de quibus in dicta decisione. Item quia culpa Bracciorum videbatur contigisse. Nam cum vidissent aquam recto tramite percutere ædificium, omiserunt tentare illius fundamenta, quod probat culpam ex omissione prouenientem, nam diligens paterfamilias in explorando vitio latente, quod ruinam afferre poterat, curam solicitam adhibuisset. *Bart. in leg. eo igitur ff. de pignor. action. Grat. cons. 49. num. 6. lib. 1.*

2 Et eo maximè, quia de periculo ruinæ, quæ timebatur pro parte Præpositi fuerat protestatum, quod satis fuit ad constituendum Braccios in mora, & culpa, quatenus periculo remedium non adhibuissent. *gloss. in l. qui Romæ. §. cohæredes in ver. testator. vbi Bart. in princip. Alexandr. numer. 6. & Iason. numer. 10. de verborum obligat. idem Iason. in leg. quod te. numer. 21. ff. si cert. petat.*

3 Et omissa inspectione de iure communi, ad refectio damni pertineat ad Dominum directum, vel ad emphyteutam, de quo *Ias. in l. qmo minus, num. 150. ff. de flumin. Natt. consil. 13. num. 4. & 5. incip. petit. Andreas lib. 1. & consil. 377. incip. dubitatur. libr. 2. Surd. decis. 198. incip.* coutentiose admodum, in hoc casu difficultas cessabat, quia refectio, & instauratio vigore specialis pacti spectabat ad Braccios, tametsi casus fortuitus fuisset exceptus, quia hæc ruina non apparebat casu fortuito, & insolito contigisse.

4 Non obstabant testes post decisionem examinati per Braccios affirmantes molendinum vsque ad annum 1612. semper macinasse, neque ostendisse aliquem defectum, vel indigentiam reparationis, & quod nullus vmquam illius ruinam indicasset, quia contra testes faciebat factum Bracciorum, quod de anno 1595. & 1599. articulauerant, *Che il palmento fabricato sul resto del vecchio fundamento, cioè quello che al presente è verso la Steuaia è voto sotto, & minaccia ruina.* Et quod hoc molendinum est in loco magis periculoso, quam alia molendina, ratione maximi cursus, & impetus aquæ currentis linea recta, & quia quando flumen egreditur de proprio alueo; *Vi dà de punta,* & est in continuo periculo ruinæ, quando flumen venit copiosum.

5 Præterea ex relatione peritorum constabat opus fuisse pro couseruatione molendini, vt fierent puntores, & ex testibus præpositi apparebat eos nunquam fuisse factos. Item ex testibus Bracciorum probatur fundamenta molendini nusquam fuisse resarcita. Vnde non erat verum, quod noui testes deposuerant iam tot modis prouisum ita fuisse occultum, & nullus vmquam illius ruinam indicasset. Quare cum Domini de Braccijs suis sumptibus tenerentur molendinum manutenere, preterquam in casibus fortuitis & insolitis, & casus ruinæ de quo agebatur, qui ouenerat de anno 1602. non probaretur insolitus, consequenter Braccij tenebantur ruinam illius casus, suis sumptibus reficere. Et ita fuit decisum.

REVERENDISSIMO P. D. LVGDVNEN.

Firmana beneficij. 27. Ianuarij 1610.

ARGVMENTVM.

Iura extra, vel exemplata sine citatione partis, & decreto iudicis non probant, nisi fuerint extracta à successore in officio Notariatus.

SVMMARIVM.

Iura extracta, vel exemplata sine citatione partis, & decreto iudicis non probat, nisi fuerint extracta à successore in officio Notariatus. nu. 1. & 2.

Notario asserenti se Notarium, & Scribam alicuius Capituli creditur. nu. 1.

Capitulum de iure non habet iurisdictionem, nec Tribunal, nec Capitulum de iure non habet iurisdictionem, nec Tribunal, nec Notarium, nisi ex priuilegio, vel immemorabili praescriptione hanc iurisdictionem acquisiuerit. nu. 2.

DECISIO CCVXII.

1 ROta censuit institutiones in actis productas de mense Iunij, proxime praeteriti esse in forma probanti, quia licèt regula sit, quod iura extracta, vel exemplata sine citatione patris, & decreto iudicis non probant. *cap. fin. vbi Doct. de fide instrumen.* tamen dicta regula non procedit, quando successor in officio extrahit scripturas suorum praedecessorum, repertas in Scribania. *Bartol. in leg. si quis ex argentarijs. §. cogente. num. 3. de eden. Dec. in authentic. si quis in aliquo. num. 26. capit. 21. numer. 5. Verall. dec. 244. num. 2. & 351. num. 2. par. 2.* Institutiones autem, de quibus agitur fuerant exemplatae per Iosephum Albinum, qui attestatur se Notarium, & Scribam Capituli Scribaniae, & huiusmodi attestationi de stylo Rotae statur, *Put. dec. 475. Verall. dec. 245.*

2 Non obstant, quod Capitula de iure non habeant iurisdictionem, nec Tribunal, & consequenter, nec Notarium, nec Scribaniam. *cap. 1. cap. licet tu corrigere. &c. irrefragabilis. de offic. ordin.* Cum enim ex priuilegio, vel ex immemorabili praescriptione, vel alias quomodocunque Capitula habere possint iurisdictionem, ideo Rota, non obstante illa iuris regula, admisit in alijs causis similes extractiones factas ex Scribanijs Capitulorum per successores in officio, vt in Dertonen. iuris conferendi. 24. Maij 1596. coram Illustrissim. Pamphilio, & in Terraconen. Praepositurarum. 14. Ianuarij 1602. coram R. P. D. meo Coccino, & nihilominus ex abundanti, quod Capitulum Firmanum habeat iurisdictionem, Tribunal, & proprium Notarium, deponunt plures testes examinati, de quibus in alia causa pendente coram R. P. D. Lancellotto, sed tamen hic sufficere visi sunt saltem pro aliquali fumo ad effectum, vt in hac causa, quod in alijs antea receptum fuit, non requiratur, &c.

REVERENDISS. P. DOMINO LVGDVNEN.

Eluen. Praeceptoriae. 1. Februarij 1610.

ARGVMENTVM.

Ex Summarijs sume argumentum.

SVMMARIVM.

Declaratoria non datur contra non parentem mandato Rotali nulliter relaxato. nu. 1.

Lis dicitur extincta per obitum vtriusque collitigantis. num. primo.

Gratia tota iustificanda est, quando prouisus est in possessione beneficij. nu. 2

DECISIO CCXVIII.

1 COntra Informantem videlicet non esse dandam declaratoriam contra Franciscum, qui licèt non paruerit mandato Rotali de immittendo Iacobum, tamen non debet excommunicari, quia illud mandatum fuerat relaxatum nulliter non citato dicto Iacobo possessore. Item praesuppositum fuerat praeceptoriam esse litigiosam, & tamen lis erat extincta per obitum vtriusque collitigantis. *Clement. 1. vt lit. pend. vbi Vital. num. 1. & 34. Card. num. 3. Cassad. decis. 3. nu. 3. eod. tit. Verall. decis. 168. num. 2. par. 2. Put. dec. 354. numer. 2. lib. 3.*

2 Nec facit, quod hodie dicitur, beneficium fuisse ex alia causa reseruatum. Nam huiusmodi reseruatio est turbida, & cum in possessione sit prouisus ab Ordinario tota gratia est iustificanda, & agendum est ordinarie cum exequutione. *Bart. in leg. fin. num. 21. C. de edict. Diui Adr. tollen. vbi Dec. nu. 41. Rolan. cons. 78. nu. ... & 27. lib. 3.* & fuit dictum in causa Oueten. Canonicatus 30. Martij 1607. coram me, &c.

R. P. D. CAVALERIO.

Fesulana Iuris patronatus. Lunae 8. Februarij 1610.

DECISIO CCXIX.

Est impressa inter Caualerio.

DECISIO 89.

R. P. D. CAVALERIO.

Bononien. de Bonsignoribus. Ven. 12. Februarij 1610.

DECISIO CCXX.

Est impressa inter Caualerio.

DECISIO 90.

R. P. D. CAVALERIO.

Romana Concordia San. Petri. Ven. 12. Februarij 1610.

DECISIO CCXXI.

Est impressa inter Caualerio.

DECISIO 91.

REVERENDISS. P. D. LVGDVNEN.

Terulen. Beneficij. 12. Februarij 1610.

ARGVMENTVM.

Ad excludendum prouisum de beneficio, tanquam Sedi Apostolicae reseruato non sufficit Iuris patronatus, & praesentandi quasi possessio, nisi illud plene probatur ex fundatione, vel dotatione, quando, & ex quibus haec plena probatio facta dicatur.

SVMMARIVM.

Iuris patronatus quasi possessio praesentandi ad excludendum prouisum de beneficio Sedi Apostolicae reseruato non sufficit nisi plena Iuris patronatus ex fundatione, vel dotatione probatio deducatur. nu. 1. & 2. vbi etiam quomodo haec plena Iuris patronatus probatio deducta censeatur, & n. 3. Ius

Ius patronatus an censeatur probatum ex testamento, in quo aliquid relinquitur beneficio, de cuius patronatu agitur. nu. 2. & seq. & nu. 6.

Ius patronatus de iure communi non competit nisi ex dotatione, & fundatione, siue ex contractatione, vel fundatione. num. 3.

Beneficia præsumuntur dotata de iure communi. Declara, vt num. 4.

Patronus non efficitur quis ex eo, quid in beneficio dotem augeat præsertim modicam, sed tantum dicitur benefactor. num. 5.

Testamenti particula non probat nisi totum exhibeatur testamentum. num. 7.

DECISIO CCXXII.

1 Beneficium, de quo agitur vacauit in mense Iulij deq; illo vti Sedi Apostolicæ reseruato Dominus Hortensius de Silues fuit prouisus. Vnde cum non sufficiat præsentatio existentiũ in quasi possessione præsentandi, sed requiratur plena Iuris patronatus ex fundatione, vel dotatione probatio ad excludendum reseruationem, vt fuit dictum in causa Valentina. de Cadet 4. Iunij 1603. coram bonæ mem. Litta. Ideo dubitaui, an in hoc casu constet de iure patronatus, & solo Domino Horatio Informãte fuit resolutũ negatiue.

2 Licet enim in actis exhibita fuerit particula testamenti Ioannis Nauam olim Parochi, siue Vicarij oppidi de Alcada, in quo ordinat, quod ex bonis dicti testatoris accipiantur quædam pecuniæ dictæ de Maria Calle fundatæ, & institutæ in Ecclesia Parochiali dicti oppidi de Alcada, quodque Dominus, & Iudex dicti oppidi, & frater ipsius testatoris sint patroni, tamen hic titulus non fuit visus sufficiens ad probandum Ius patronatus, immo illius productio inficit alias probationes resultantes ex enunciatiuis Ordinariorum, & præsentationibus effectuatis. *Crescen. decis. 21. nu. 3. de probat. Put. dec. 40. num. 2. lib. 3.* de quibus probationibus non est opus agere, nec inspicere, an sufficerent in patronatu, qui ob suspicionem vsurpationis indigeat requisitis Concilij.

3 Quod autem iste titulus testamenti non sit sufficiens deducitur, quia ius patronatus de iure communi non competit nisi ex dotatione, & fundatione, siue ex contractatione, vel fundatione. *Abb. cons. 54. nu. 7. par. 1. & alij per Lambert. lib. 1. par. 1. q. 1. art. 6. & q. 2. art. 2. nu. 1.* sed ex prædicto testamento non probatur fũdatio Cappellaniæ, quia dicitur in eo expresse, quod dicta Cappellania erat fundata, non probatur etiam dotatio, sed solummodo quoddam augmentum dotis, vt indicant illa verba vniri, & incorporari Cappellaniæ non institutæ, quæ præsupponunt ad fuisse aliquam dotem, cui vnio, & incorporatio esset facienda, quia vniri sicut optare intelligitur de pluribus, vt per *Rebuff. in prax. tit. de vnionibus in par. 2.*

4 Et quidem de iure est, quod beneficia præsumuntur dotata, quod quamuis fallere possit in altaribus sitis intra Ecclesiam, quæ possent esse sine dote, vt per *Lambert. par. 1. art. 1. quæst. 3. princip. nu. 5.* tamen omissa disputatione, An eo casu altare acquirat ius patronatus, quam disputationem attingit *Lambert. num. 6. & seq.* adhuc illa fallentia non satis quadrat huic casui propter verba supradicta considerata, & multo magis quia Altare vltra fructus legatos in pecunia habet, quamplures alios redditus in fundis, & rebus soli, ita vt magis opportunum sit accipere verbum vniri, & incorporari in sua propria significatione, quam illum impropriare ad effectum, vt modicum legatum habeatur non pro augumento, sed pro dote, & beneficium remaneat liberum, sed in seruitute contra regulas, & præsumptiones iuris.

5 Modicitas vero legati est perspicua, fructus enim pecuniæ legatæ iustam constituunt summam. Scutorum aureorum nouem, quibus stantibus sequitur certissima conclusio, quod ex augumento dotis maxime de eo modico, & exiguo non efficitur quis patronus, sed tantum dicitur benefactor. *gl. in cap. piæ mentis. 6. q. 7. Abb. in cap. 3. nu. 4. de Eccles. ædific. Lambert. de Iure patr. lib. 1. q. 5. art. 12. nu. 1.*

6 Accedit, quod non constat de aliqua Ordinarij approbatione, & quod plus est non constat prædictum legatum fuisse effectuatum, seu adimpletum, quod vti fundamentum istius Iuris patronatus esset plene, & concludenter probandum, vt fuit dictum in Compsana iuris patronatus coram bon. mem. Litta, nec potest præsumi effectuatio ex obseruantia subsequuta, quia ad hunc effectum dicta obseruantia deberet esse proxima, ex præsentationibus autem, quæ dantur magis antiqua est, post annos septuaginta à die conditi testamenti, vltra quod præsentationes factæ sunt ad Cappellaniam Sanctorum Apostolorum Simonis, & Iudæ, quæ est ad Altare maius, potest autem dici verisimiliter, quod testator non legauit Altari maiori, alias enim omisisset hanc expressionem insignem, nec vsus fuisset illo circuitu inutili verborum Cappellaniæ dictę de Maria Colza fundatę, & institutæ in Ecclesia Parochiali oppidi de Alcada.

7 Denique exhibita tantum fuit particula testamenti, non autem integrum testamentum, prout fieri debuerat, *ad not. ad cap. contingit. de fid. instrum. Rom. cons. 301. nu. 7. Alex. in rubr. de nou. oper. nunciat. nu. 35.* & dicta particula est copia extracta lite pendente absque compulsorialibus, atque etiam ex illa apparet testamentum fuisse minus valide, & solenniter factum cum in eo duo testes tantum interuenerunt. Itaque ex prædictis fuit conclusum pro Informante.

REVERENDISS. P. DOMINO

LVGDVNEN.

Mediolanen. Decimarum. 8. Februarij 1610.

ARGVMENTVM.

Noualia, quæ dicantur ad effectum vt ex illis Decimæ non soluantur, & super probatione noualium quomodo testes debeant deponere.

SVMMARIVM.

Nouale est ager de nouo ad culturam redactus, de quo non extat memoria, quid aliquando cultus fuerit. num. 1. & seq.

Testes deponentes super noualibus, quomodo deponere debeant. nu. 1. seqq.

Testes super consuetudine deponentes non probant nisi deducant factum, ex quo resultant consuetudo. n. 2.

Attendi debet non quid factum fuerit, sed quid fieri debuerat, num. 3.

Decimæ ex noualibus, quando soluantur. nu. 3.

DECISIO CCXXIII.

1 Rota censuit non constare de noualibus. Quicquid enim Iurisconsultus in *leg. Silua. §. nouale. de verb. signif. Virgilius Georg.* & alij Authores intellexerint pro nouale, certe in hac decimarum materia nõ est recedendum à diffinitione Canonum, quam communiter amplectuntur omnes Doct. videlicet Nouale esse agrũ de nouo ad culturam redactum, de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuerit. *cap. quid per nouale. de verb. signif.* dicit ad effectum, vt testes probent noualia requiri, quod deponant nullum, qui viuit vidisse, quãdo loca illa fuerunt culta, & quod nũquã viderũt aliquos, qui dicerẽt se vidisse illa loca coli, vel

li, vel audiuissent ab alijs, qui vidissent, vel audiuissent ab alijs rursum in infinitum, vel etiam ab ijs, qui secum conuiuebant, & Ionocent sequuntur *Ruin.dict. cons.* 163. *Ferret. cons.* 195. *num.*2. *lib.*1. & alij allegati per Informantes.

2 In proposito igitur, quamuis dentur aliqui testes, qui deponunt adesse Noualia intra Parochias, de quibus agitur, tamen cum nihil dicant de prædictis requisitis non releuant. *Paris. consil.* 73. *numer.* 39. *libr.* 4. Non enim sufficit, quod proferant per verbum Iuris nisi rationem reddant, quę factum concludat *Aymon. cons.*6. *nu.* 123. sicuti testes deponunt adesse consuetudinem non probant, nisi deducant factum, *vt per Dec. respons.* 51. *nu.*11. *lib.*2.

3 Ideoque magis dicendum est, quod isti testes, quando recesserunt ab illa simplici noualium expressione ostenderunt se non intelligere, quid veniat appellatione noualis, quia hoc nomine comprehenderent Terras, quę olim pascua fuerant, & è quibus cum aliqui fructus perciperentur, sequitur quod soluebatur, vel solui debebat decima, quia attendi debet non quid factum sit, sed quod fieri debuerit, *cap. peruenit. de decimis.* In hac autem materia non sufficit ad constituendum nouale, quod Terra illa vsque tunc inculta fuerit sed respondetur preterea, quod ex illa nihil fuerit solutum, nec etiam debitum nomine decimarum. Vnde si pascua prata, Siluę, nemora redigantur ad culturam non mutatur earum Terrarum natura quo ad decimas quę semper illi persoluendę sunt cui ante culturam soluebantur, *Abb. in d. c. quid per nouale. num.* 1. *versic. nota tria. Paris. dict. consil.* 73. *num.* 18. & 17. *lib.*4. *Rebuff. de decim. quæst.* 14. *num.* 22. *Couar. variar. libr.*1. *capit.*17. *numer.* 13. & fuit dictum in causa Conchen. Decimarum de Borella 21. Maij 1607. coram R. P. D. meo Ortembergo.

4 Stante autem, quod non constat hoc casu de noualibus remanet superflua secunda pars dubij, qua quęrebatur, quęnam Terrę essent nouales, &c.

REVERENDISSIMO P. D.

LVGDVNEN.

Firmana Altaris de Dorijs, 15. Februarij 1610.

ARGVMENTVM.

Ius patronatus an, & quando censeatur ptobatum per quasi possessionem præsentandi quid operetur hæc quasi possessio, & quomodo probetur.

SVMMARIVM.

*Præsentatus ab existentibus in quasi possessione præsentandi, Clericus approbatus in examine admittendus est ad beneficium, nu.*1.

*Præsentandi quasi possessio probatur per duos vltimos actus, nu.*2. *& nu.*6.

Quasi possessio præsentandi non sufficit ad excludendum prouisum de beneficio Sedi Apostolicæ reseruato. Declara, vt num. 3.

*Ius patronatus vbi constat, tunc præsumitur fundatio, & dotatio. num.*3.

Ius patronatus probatur per verba enunciatiua in antiquissimis vltra centum annos iuncta fama, & concurrentibus adminiculis, nu. 4. *&* 5. *Vbi quid si enunciatiuæ reperiantur præsentationibus institutionibus.*

*Ius patronatus probatur ex pluribus præsentationibus, & institutionibus effectuatis, nu.*7. *&* 8.

*Iuris patronatus vsurpatio quandoque non præsumitur iuxta dispositionem Concilij Tridentini. nu.*9.

DECISIO CCXXIV.

1 Domini dixerunt institutionem factam de persona Domini Dominici Dorij ad Cappellam, seu Altari sub inuocatione Sanctorum Ioannis Baptistę, Antonij, & Mariæ Magdalenæ in Ecclesia Sancti Gregorij Portusfirmi esse confirmandam, quia ipse est Clericus ab examinatoribus Vrbis repertus idoneus, & fuit præsentatus, & institutus ab existentibus in quasi possessione præsentandi, & instituendi, *capit. consultationibus, cum ibi notat. de Iure patr. Lap. allegat.* 95. *in fine.* Fuit dictum in Lunen. Sarzanen. Cappellaniæ 1. Martij 1610. coram R. P. D. meo Sacrato, & Barchinonen. Prioratus 28. Iunij 1606. coram bonæ memor. Iusto, 26. Iunij 1606. coram R. P. D. meo Coccino.

2 Quasi possessio non potest controuerti, quia Dominicus fuit præsentatus à Dorio eius fratre, qui de anno 1574. presentauerat Filibertum per cuius obitum cum postea de anno 1584. hæc eadem Capella vacasset. Idem Dorius presentauit Andream Mariam, quę moriente contigit illa vacatio, quæ dedit causam huic liti, idem Dominicus fuit institutus à Capitulo Firmano mediante persona vnius canonici tunc Præpositi, & eodem modo fuerunt factæ Institutiones in possessione de 1574. & 1584. Sicque pro quasi possessione tam præsentandi, quam instituendi concurrunt duo actus vltimi, & immediati, atque effectum sortiti licet vnus tantum sufficeret.

3 Et vbi necessaria sit probatio Iuris patronatus, quia beneficium vacasse dicitur in mense reseruato, quo casu non habetur ratio quasi possessionis præsentandi cum illa suffragari non possit propter clausulas amplissimas regulę octauę, *Verall, decision.* 29. *&* 326. *libr.* 1. *in manuscripti.* fuit dictum in Valentina Parochialis de Carlet. 4. Maij 1601. coram R. P. D. meo Lancellotto quicquid sit de illa reseruatione, quam Informantes pro Dorio non admittunt, tamen in omnem euentum Domini dixerunt eam non obstare, quia cum constet legitime de Iure patronatus, presumitur in fundatione, & dotatione. *Feder. de Sen. consil.* 235. *num.* 2. *Abb. consil.* 26. *part.* 2. *Guidop. decision.* 404. & alij in Iacen. Portionis de anno 1602. 16. Decembris coram Illustriss. Mellino. Ideo sub regula octaua non comprehenditur.

4 Quod constet de Iure patronatus deducebatur ex tribus enunciatiuis antiquissimi vltra centum annos nempe de annis 1474. & 1487. & 1499. quę cum habeant vim famę probant in antiquis Ius patronatus concurrentibus adminiculis *Bald. in l. cum semper C. de rei vendic. Cassad. decis.*2. *de probat. Dec. consil.* 117. *in fi. & cons.* 126. *num.*3. *Achill. decis.* 17. *de Iure patr.* & fuit resolutum in dicta causa Iacen. Portionis de anno 1601. 4. Maij coram Illustriss. Mellino, & in causa Tirasonen. Cappellanię Veneris 14. Decembris 1602. coram R. P. D. meo Pamphilio.

5 Nec facit, quod istę enunciatiuę factę fuerint in presentationibus, & sic dici possent emanatę à personis suspectis, quia immo factę fuerunt institutionibus, de quarum effectuatione non est necesse, quod constet ad ipsum effectum, vt sentit *Put. decision.* 136. *num.*3. *libr.*3. & fuit dictum in Lucana Cappellanię 22. Martij 1609. coram bonę memor. Iusto, & nihilominus vbi enunciatiuę essent factę in presentationibus ad huc probarent, cum recipiant fomentum ex actibus, in quibus fuit enunciatum. *Put. decision.* 149. *libro tertio. Achilt. d. decis.* 17. *de Iure patron. decis.* 1. *de consuetud.*

6 Adminiculla verò concurrunt in hoc casu ex alijs pluribus enunciatiuis, & presentationib. vltra annos sexaginta ex sententia lata à fel. record. Sixto Quinto tunc Episcopo Firmano, quæ non deseruire debet solum-

summodo pro adminiculo. Non obstant quæ aduersus illam proponuntur exceptiones, atque ex prædictis duabus vltimis præsentationibus effectuatis, & ex quo non apparet quod de ista Cappella aliqua vnquam prouisio facta fuerit.

7 Et quod plus est aliqui ex Dominis animaduertebant ex abbundanti vltra vltimum statum prædictarum præsentationum concurrere etiam in hoc casu antiquissimam possessionem ex multiplicatis præsentationibus effectum sortitis spacio quatuor annorum, & vltra præter alias præsentationes, de quarum effectuatione non constat. Nam de anno 1487. fuit præsentatus Philippus Antonius, & ista præsentatio habuit effectum vsque ad annum 1449. quo tempore dictus Philippus resignauit ad fauorem Bartholomæi, nec dicatur resignare posse ius quod quis habeat ad quæ idcirco non bene inferri à resignatione, quæ fuit facta longe post præsentationem tunc cessat præsumptio quod solum ius resignatum fuerit, vt fuit dictum in Reatina Iuris patronatus 28. Ianuarij 1608. coram R.P.D. meo Coccino.

8 Alia præsentatio effectuata est de anno 1530. quo præsentatus fuit Franciscus Marini per cuius obitum de anno 1537. fuit præsentatus Antonius Petri, Dominici de Portu, & ista etiam præsentatio potest dici effectuata, quia quando de anno 1574. fuit præsentatus, & institutus ille Philibertus, de quo supra fuit facta mentio tunc Cappellani vacabat per obitum Antonij Dosij de Portu. Concurrentibus enim tribus demonstrationibus nouis Patriæ, & Altaris satis dici potest, quod iste præsentatus de anno 1537. & mortuus de anno 1574. fuit vnus, idemque homo Antonius Dosius de Portu filius Petri Dominici, & secundum hanc scripturam habentur præsentationes effectuatæ per annos quasi nonaginta.

9 Non obstat, quòd præsentationes fuerunt factæ pro duabus vicibus per Communitatem Portus Firmi. Ideoque propter præsumptam vsurpationem fieri debeat probatio istius Iuris patronatus, iuxta receptum Concilium. Fuit enim responsum, quod cum tertia vice fuerit penes priuatam familiam, vsurpatio præsumitur facta nonlibertate Ecclesiæ, sed iure priuatę familię, quia si nullum extitisset Ius patronatus, Communitas non fecisset aliquos Compatronos, sed ipsa totum Ius presentandi vsurpasset vt multis argumentis deducit. *Menoch. de præsump. lib. 3. præsump. 90. num. 15. 16.* Ideoque istis priuatis hominibus nocere non debet vsurpatio, quæ in sola Communitate præsumeretur, vt in alijs causis. Rota resoluit, & nuper octaua præsentis mensis in causa Fesulana Parochialis coram R.P.D. meo Caualerio, & in hoc casu idem magis admittendum est, quia in prima præsentatione de anno 1474. nulla fit mentio Communitatis, & prædicta sententia fel. record. Sixti V. declarat Ius patronatus spectare ad Dorios, non autem ad Communitatem, atque in vim illius sententiæ soli Dorij præsentarunt quoties ex inde contigit Cappellæ vacatio. Demum non obstat quod Dorius non doceat se descendere ab illis personis, qui in prædictis antiquis vacationibus præsentarunt, quia stante quasi possessione præsentandi, in qua ipse existit, & stat quod constat in genere de Iure patronatus non tenetur aliam descendentiam probare à fundatione, vel antiquioribus patronis, vt fuit dictum in Gerunden. Beneficij de Ceruianis 15. Decembris 1599. coram Illustriss. Seraphino, & in dicta Tirasonen. Cappellaniæ coram R. P.D. meo Pamphilio.

REVERENDISS. P. D.

LVGDVNEN.

Leodien. Parochialis. 1. Martij 1610.

ARGVMENTVM.

Possessio probatur leuioribus probationibus ad effectum manutentionis, nec manutentio impeditur per posteriorem attentatam possessionem.

SVMMARIVM.

Possessio probatur leuioribus probationibus ad effectum manutentionis. num. 1.

Possessione quis non priuatur per solam sententiam iudicis, nisi sequatur realis apprehensio cum ministerio hominis. num. 2.

Exequutor mixtus tenetur assumere partem iudicis, quando est datus cum clausula vocatis vocandis. num. 3.

Possessio attentata appellatione pendente non est manutenibilis, nec impedit manutentionem anterioris possessionis. n. 4.

Appellatio datur à sententia mixti exequutoris. num. 3.

DECISIO CCXXV.

1 PRo Informante videlicet mandatum de manutenendo in possessione Parochialis, de qua agitur dandum esse Domino Ioanni Arnoldo, de cuius anteriori possessione constat ex confessione Ioannis Vulpion Aduersarij facta in precibus pro obtinenda huius causę commissione ex articulo per eundem dato coram iudice Exequutore, & depositionibus plurium testium super dicto articulo factis, demumque ex sententia dicti Iudicis, qui pronunciauit Arnoldum esse amouendum à possessione, quibus simul iunctis remanet plus quam probata possessio præsertim ad effectum manutentionis, ad quem leuiores etiam probationes sufficerent, vt per *Monach. post alios de retin. possess. remed. vlt. num. 34.*

2 Non obstat, quod in dicti iudicis Exequutoris sententia dicatur, Arnoldum esse amouendum, & Ioannem Vulpion esse admittendum, cum sequentibus verbis, prout eum in veram, realem, & actualem possessionem immittimus, & defendimus. Nam per solam sententiam non priuatur quis possessione, nec eam amittit, sed requiritur actualis, & realis apprehensio cum hominis ministerio. *Cassad. decis. 7. in princ. de caus. possess. & propriet. & per Gail. obseruat. 152. lib. 2. Rota dicta decis. 2. par. 2.*

3 Insuper nec etiam accedente hominis ministerio Arnoldus amisisset possessionem, quia sententia fuerat lata ab exequutione non mero, sed mixto, qui propter clausulam vocatis vocandis tenebatur assumere partem Iudicis. *c. exhibita. vbi Felin. num. 4. de iudic. Card. cons. 63. in princ. Oldr. cons. 227. num. 2.* Ideoque dabatur ab ius sententia appellatio, & ipse appellationi deferre tenebatur. *Card. & Felin. in locis præallegatis, & in cap. de cetero. num. 2. in fin. de re iudic.*

4 Atque hinc sequitur, quod cum Arnoldus appellasset intra decem dies, possessio autem si fuisset data Ioanni Vulpion, non tamen erat manutenibilis, sed vt nulla, & attenta non deberet impedire manutentionem debitam anteriori possessori Arnoldo, vt sunt iura vulgata, & fuit sæpe decisum in Rota in causa Neocastrem. Parochialis prima Februarij proximè præteriti coram R.P.D. meo Pamphilio.

REVERENDISSIMO P. D.

LVGDVNEN.

Messanen. Iurisdictionis. 1. Martij 1610.

ARGVMENTVM.

Parochialis quod sit Ecclesia, & quod illius curam exercens sit Parochus, & Rector quomodo probetur.

SVM-

SVMMARIVM.

Rectorem, & Parochum alicuius Ecclesiæ quem esse probatur per testes, Et quomodo isti testes deponere debeant super hac probatione. num. 1. & seq.

Rectorem, & Parochum Ecclesiæ quem esse probatur ex edictis dicti Rectoris, & Parochi, vt omnes recipiant sacramenta, item ex visitatione Ordinariorum, & alijs, de quibus. nu. 3. & 4.

Collegiata Ecclesia non dicitur sine signis, de quibus remissiue. num. 5.

Parochialis Ecclesia vt dicatur requiruntur enumerata, nu. 6. & seq.

Parochialis Ecclesia non dicitur, quando in ea Curati exercent, non suo nomine, sed alieno. num. 6.

Rector, & Parochus dicitur is, qui suo nomine singulariter, non autem cum alijs ad regimen Ecclesiæ assumitur. nume. 7. & 8.

Canonici quando habent curam animarum, talis cura dicitur remanere penes Collegium. num. 8. & seq.

DECISIO CCXXVI.

1 FVit dictum, sententiam Domini Archiepiscopi Regien. esse confirmandam. Primum enim caput quod continet, Archipresbyterum terræ Castri Regalis esse verum Rectorem, & Parochum totius terræ prædictæ illique incumbere curam omnium animarum, atque Sacramentorum omnium administrationem iustificatur ex testibus datis in Summario Archiepiscopi, *numer. 1. & 2.* Qui deponunt de certa scientia, Archipresbyterum esse Parochum vniuersalem, aliasque Ecclesias dependentes ab Ecclesia Archiepiscopali matrice, & esse duntaxat coadiutrices illius erectas pro maiori populi commoditate.

2 Et dicti testes plura specifice enumerant, quibus eorum dispositionem verificant, nempe matrimonia fuisse semper in toto Castro illiusque districtu celebrata de licentia Archipresbyteri, eundemque distribuisse bollettinos tempore Paschatis denunciatione pro recognitione eorum, qui præceptum Ecclesiæ adimpleuissent. Demumque presbyteros aliarum Ecclesiarum esse à mouibiles, ipsosque etiam à dictis Ecclesijs prohibitos discedere.

3 Et adiuuantur etiam dictorum testium dispositiones ex dictis Archipresbyteri, vt omnes Incolæ recipiant sacramenta, & ex visitationibus Ordinariorum, in quibus mandatum fuit, Archipresbytero, vt in Ecclesijs Castri reficeret fontem Baptismalem, aliaque adimpleret, quæ ad ipsum non pertinent, nisi cura animarum, & Sacramentorum administratio penes ipsum resideret.

4 Denique concurrit prouisio Apostolica Archipresbyteri, cum enunciatiuæ assertione, quod illi incumbit etiam cura iurisdictionalis Archipresbyteratus aliarum Ecclesiarum oppidi, quæ asserrio frustra restringitur ad curam iurisdictionalem, quia talis restrictio non potest admitti, propter dictionem etiam, quam notum est ampliare.

5 Secundum autem caput sententiæ, quod continet Ecclesias Sanctissimi Saluatoris Sancti Nicolai eas maxime non esse Collegiatas, neque Parochiales, & Sacramenta in illis administrari à presbyteris ibi descriptis tanquam dependentibus ab Archipresbytero est etiam iustificatum, quia quod Ecclesiæ non sint colegiatæ est in confesso inter partes, & in omnem euentum sufficeret pro iustificatione iuris præsumptio, quæ Collegiatam non admittit absque signis requisitis, quę hic non adsunt, quo vero ad Parochialitatem, licet predictę Ecclesię, & presbyteri illis inseruientes habeant potestatem fori pœnitentialis ligandi, & soluendi, atque etiam certum populum siue certas familias cuiuslibet ex illis Ecclesijs attributas, tamen deficiunt in duobus requisitis.

6 Quorum primum est, quod ad effectum parochialitatis, & vt presbyteri dictis Ecclesijs inseruientes dici possint Parochi, seu Curati deberent exercere curam suo nomine, non autem alieno, vt est *tex. in cap. extirpandæ, §. qui vero, de præben. Archid. in clemen. 1. num. 4. de offic. Vicar. Milis in repert. in verbo Ecclesia Parochialis. Rebuff. in Praxi, tit. de non promoto intra annum. nu. 36.* In hoc autem casu testes in specie 13. & 16. deponunt, quod presbyteri Parochi vniuersaliter, & in depositionibus ordinarijs, quæ datæ fuerunt in summario presbyterorum vocantur tantum Cappellani.

7 Alterum requisitum quod deficit est quia Rector, & Parochus is dicitur, qui suo nomine singulariter, non autem cum alijs ad regimen Ecclesiæ parochialis assumitur, ita vt si duo, vel plures præficiantur, qui confessiones audiant, baptizant, & alia ad curam spectantia faciant, non tamen dicuntur Curati, quia in vna Ecclsia vnus debet esse Sacerdos, sponsus, & Rector, qui curam habeat ex plurib. allegatis copiose traditur in *decis. 52. num. 17. par. 2. diuers.* Vnde cum in qualibet ex illis Ecclesijs commerentur plures presbyteri, qui omnes simul curam exercent, & sacramenta administrant non potest dici, quod Ecclesiæ sint veræ, & de per se parochiales, quodque dicti presbyteri sint Parochi, vel Curati.

8 Non obstat *Oldrad. cons. 77. num. 7. & Put. decis. 290. lib. 1.* quando Canonici habent curam Animarum, talis cura dicitur manere penes Collegium non autem penes singulos Canonicos. Vnde infertur in simili in hoc casu coram residere penes vniuersos presbyteros in qualibet Ecclesia residentes. Iam enim fuit dictum, istos presbyteros non facere Collegium, vel capitulum.

9 Nec facit quod in quibusdam conuentionibus factis inter Archipresbyterum, & presbyteros enuncietur capitulum Sanctissimi Saluatoris Sancti Nicolai, & Sanctæ Mariæ. Nam illa enunciatio est ad effectum distinguendi presbyteros in qualibet ex dictis Ecclesijs commorantes ad effectum ordinandi Processiones, & similes actus solennes, sed non ideo sequitur, quod ijdem presbyteri constituant, capitulum ad effectum iuris, cum non dicatur, quod habeant Arcam communem, sigillum, & alia requisita, nec etiam prohibeatur in titulum, quinimo sint, vt dictum est, amouibiles, & ipsi pro libitu absque aliqua Ordinarij licentia possint discedere.

10 Quantum ad vltimum caput sententiæ, quod habet, in dictis tribus Ecclesijs, & alijs Examinatoribus in districtu dictæ terræ Castri Regalis Sacramenta posse administrari de mandato Reuerendissimi Archiepiscopi Messanen. per presbyteros ab eodem Archiepiscopo approbandos, deputandos, & eligendos pro adiumento Archipresbyteri, penes quem omnino dicta cura residebat, videbatur etiam iustificatum sufficienter tam ex prædictis, quam etiam ex depositionibus fieri solitis per Ordinarium, quas ipsimet produxerunt, & tamen, quia circa illud caput fuit perfunctorie duntaxat informatum, quia de re vera non tangit proprie controuersiam inter Archipresbyterum, & presbyteros, si partes velint super illo particulariter audiri, & si doceant sua interesse, poterunt audiri.

REVERENDISSIMO P. D.

BONONIEN.

Cæsaraugustana Dedicationis, Lunæ 1. Martij 1610.

DECI-

DECISIO CCXXVII.

Est impressa inter Ludouis.

DECISIO 457.

R. P. D. CAVALERIO.

Baren. Breuis, Lunæ 1. Martij 1610.

DECISIO CCXXVIII.

Est impressa inter Caualerio.

DECISIO 92.

REVERENDISS. P. D. PEGNA DECANO.

Ferrarien. Prioratus, Lunæ 8. Martij 1610.

ARGVMENTVM.

Beneficij vltimus status an, & quando attendatur quando constat de contrario, aut diuerso statu anteriori.

SVMMARIVM.

Beneficia regularia sæcularibus conferri non possunt, & è contra. num.1.

Beneficij vltimus status sufficit ad effectum validitatis consultationis. num.2. Declara, vt num.3. & 4.

Beneficij vltimus status non attenditur, quando constat de contrario, aut diuerso statu anteriori. Quod quando verum sit, declara, vt num.2. & seqq.

Beneficij collatio facta ab Episcopo, vt valeat duo potissimum requiruntur, primum vt beneficium quod confertur spectet ad liberam Episcopi collationem, secundum quod idem Episcopus saltem semel contulerit. num.5.6.& 7.

Beneficij vltimus status, vt probatus dicatur requiritur bona fides vna cum quadragenaria. num.8.

DECISIO CCXXIX.

1 IN decisione in hac causa facta sub die 25.Maij 1609. fuerat firmatum, Antonio Mariæ non suffragari vltimum statum, in quo reperiebatur hic Prioratus. Quia licet verum sit, vltimum statum attendendum, id non habet locum, quando constat de legitimo statu contrario precedente. Et quoniam Informantes pro Antonio Maria dicebant, de priori statu regularitatis non fuisse ex instituto disputatum in Rota. Ideo dato particulari dubio, eoque vtraque parte Informante proposito sub die 4. Decemb. 1609. Rota censuit constare Prioratum esse regularem ad effectum iustificationis gratiæ R. P. D. Gilioli. Ceterum quia Informantes pro Antonio Maria rursus vrgebant dicentes, sufficere quasi possessionem conferendi, in qua Episcopus reperiebatur, dato particulari dubio. An constaret de legitima eius quasi possessione conferendi ad effectum, quod vigore alternatiuæ potuisset Prioratum confere vtraque parte Informante, Rota censuit non constare. Quia Beneficia regularia sæcularibus conferri non possunt, nec contra sæcularia Regularibus. *c. super eo. de Regular. cap. cum singula. de præben. lib.6. Clem.1. de electio. Clem.1. de supplen. neglig. Prælat. Conc. Trident. sess.14. de Reform. c.10. & 11. Regula Cancellariæ 42.* Rota in causa Aquilana Prioratus 1. Februarij 1584.

2 Non obstat, quod vltimus status huius Prioratus esset vti de sæculari, & quod vltimus status sufficiat ad effectum validitatis collationis. c. consultationib. de Iure patron. vbi communiter Canonistæ, & signanter *Abbas num. 2.* cuius Canonis dispositio, licet loquatur de eo, qui est in quasi possessione præsentandi, locum tamen habet etiam in collatione, Baldus consilio 437. incipien. Ex quo Abbas Sancti Viti, *num. 1. lib.1.*

3 Quia fuit responsum, quod licet si ageretur de pertinentia collationis sufficeret quasi possessio, vt precitato loco, *Bald.* loquitur, & est legitima intelligentia dicti *c. consultationib.* Cum tamen agitur de statu Beneficij, tunc vltimus status attenditur, nisi constet de contrario, aut diuerso statu anteriori, vt fuit firmatũ in hac causa die 25. Maij 1609. Vnde cum ex vltima decisione constaret de anteriori statu Regularitatis, ille veniebat attendendus, & non vltimus sæcularitatis, *Rota decis. secunda incip.* Fuit dubitatum, *nu. 2. de præbend.* in nouis, quam Domini in hac causa fuerunt secuti.

4 Et hinc iure inferebatur in hoc casu nec potuisse, nec debuisse attendi vltimum statum sæcularitatis ad effectum validitatis collationis, quem anterior status excludebat *Rebuf. tracta. de pacificis possessoribus. nu.139.* Vbi si Beneficium regulare collatum fuerit sæculari, sæcularis ille non est tutus, nisi sit triennalis pacificus possessor, quia tunc præsumitur dispensatio: post mortem tamen sæcularis beneficium non debebitur sæcularibus, si non fuerit per 40. annos possessum, licet sæcularis ille post tres annos non potuerit in pacifica possessione molestari.

5 Rursus cum magna sit differentia inter collationem, & institutionem, *c. cum in illis, §. cum autem. de præbend. lib.6.* & ad effectum collationis duo potissimum requirantur. Primum quod Beneficia spectent ad liberam Episcopi collationem, vt sunt clara verba regulæ octauæ ibi: Ad liberam ipsorum duntaxat, non autem aliorum cum eis dispositionem, seu præsentationem, &c. Secundum quod semel saltem contulerit, *c. querelam. de electionib.* ibi. Quando illum presbyterum ad illum elegit.

6 Respectu primi nusquam apparebat hunc Prioratum ad liberam collationem Episcopi pertinuisse. Immo ex decisionibus in hac causa factis apparebat contrarium, cum esset Beneficium regulare, & consequenter collatio pertineret ad Superiores Sancti Antonij, sub cuius regula erat.

7 Respectu secundi non constabat Episcopum aliquando legitime contulisse, cui non suffragabatur collatio aliquando facta Thomæ Musto, cum non habuerit effectum: nam instituta lite Thomas obtinuit hunc Prioratum non vigore collationis sibi ab Episcopo factæ, sed vigore Commendæ, quam obtinuit à Papa.

8 Institutiones præterea, quibus Episcopus nitebatur, factæ ad fauorem illorum, quos Duces Ferrariæ præsentauerant, non poterant Episcopo suffragari respectu Institutionis. Tum propter magnam differentiam inter collationem, & institutionem: Tum quia præsentationes processerunt ab initio vsurpatiuo, cum Duces Ferrariæ nullo legitimo Iure patronatus niterentur. Vnde etiam excludebatur bona fides, quia licet ex vsurpatione Ducum in præsentando, non præsumeretur vsurpatio in Episcopo instituendo, vt in decisionibus allegatis in causa Tusculana, & Aurien. Negari tamen non poterat, quin Episcopus, qui cognoscere debuerat qualitatem, & ius præsentantium instituendo, non habuerit bonam illam fidem, quæ requiritur vna cum quadragenaria ad imprimendum statum sæcularitatis.

9 Atque ex his potissimum fuit resolutum non constare de legitima Episcopi quasi possessione conferendi hunc

di hunc Prioratum. Ex quibus omnes difficultates, quæ obijciebantur, facile iudicio Dominorum diluebantur.

REVERENDISSIMO P. D.

DAMASCENO.

Romana Casaletti. Lunæ 22. Martij 1610.

ARGVMENTVM.

Ex Summarijs sume argumentum.

SVMMARIVM.

Emptor qui pro consequutione rei venditæ aliquid legitime soluit potest id totum loco damnorum, & interesse repetere à venditore. num. 1. & seq.

Citatus legitime si non comparet, contumax est, omnia gesta habentur, ac si præsens fuisset. num. 3.

Iudicium agitatum inter emptorem, & creditorem venditoris afficit ipsum venditorem, si dicti iudicij scientiam habuit. num. 4.

Relationi vnius periti standum est, quando ille à partibus fuit electus. num. 5.

DECISIO CCXXX.

1 FVit tentum, quod D. Marchesio deberent defalcari Scuta 512. & in primis fuerunt præsuppositæ decisiones in hac causa factæ, quod in venditione fuerit comprehensum granum, prout erat seminatum tempore venditionis Casalis, vnde sequitur quod quicquid legitime soluit D. Marchesius pro habendo dicto seminato, debeatur sibi loco damnorum, & interesse, *iux. not. in l. 1. ff. de actio. empt. in l. si traditio. C. eo. tit. & in l. venditor. ff. de euict.* & consequenter, quod tantundem potuit D. Marchesius ex dicto pretio sibi retinere, iuxta cumulata per *Surd. consil. 36. num. 13. lib. 1.*

2 Quod per dictum Marchesium fuerit soluta dicta summa Dominico Bruno, qui Casale coluerat, satis apparet ex quietantijs eiusdem Bruni, & ex partitis Banchi Vincentij Mazzinghi, quod autem tanta summa deberetur Bruno pro sua cultura ex relatione quondam Palutij Matthæi electi loco tertij periti per Gasparem Molariam, & Io. Baptistam Catalanum peritos prius electos per D. Marchesium ex vna, & Brunum, qui seminauit Casale ex altera, cum facultate eligendi tertium in casu discordiæ, prout elegerunt, iuncta potissime relatione mensurationis de consensu Comitis venditoris Casalis electi.

3 Non obstat, quod venditor non interuenerit in electione dictorum trium peritorum, qui æstimarunt valorem culturæ, cum sit res inter alios acta, quia respondetur ipsum pluries fuisse citatum, nempe ad tradendam rem liberam, & remouenda impedimenta Bruni. Item ad informandum Palutium tertium peritum, alias videndum ferri laudum, & mandari solui, &c. quod fuerit pronunciatum. Item facta relatione per Palutium Comes venditor fuit citatus ad dicendum contra dictam relationem, & satisfaciẽdum Bruno iuxta dictam relationem, vnde cum fuerit legitime citatus perinde est, ac si omnia fuissent gesta ipso præsente. *auth. qua in Prouincia vers. sed si nec ipse C. vbi de crimin. agi. oportet Bal. in l. cum fratrem, num. 8. C. de his quib. vt indign. verall. decis. 64. num. 2. par. 2.*

4 Vltra quod sufficit, quod ex prædictis quomodocunque constet de scientia controuersiæ inter D. Marchesium ex vna, & Brunum ex altera ad effectum vt iudicium inter illos agitatum afficiat venditorem. *l. sæpe. vbi Castr. num. 1. cum duob. seqq. Alex. num. 16. & 18. ff. de re iudic. c. quamuis, & ibi glos. verb. res inter alios. Innoc. num. 3. de senten. & re iudic. Bene Rimin. Sen. cons. 344. num. 10. lib. 2.*

Ad ilud, quod mensurationi vnius periti stari non debeat, respondetur quod cum fuerit à partibus electus, sufficit vnus, etiamsi alias ex natura negotij plures requirerentur. *Alex. post alios consil. 179. num. 8. lib. 2.*

R. P. D. CAVALERIO.

Leodien. Fideicommissi. Lunæ 22. Martij 1610.

DECISIO CCXXXI.

Est inter Caualerio impressa.

DECISIO *96.*

R. P. D. CAVALERIO.

Tirasonen. Canonicatus, Lunæ 29. Martij. 1610.

DECISIO CCXXXII.

Est inter Caualerio impressa.

DECISIO *97.*

R. P. D. PAMPHILIO.

Alerien. Beneficiorum. Lunæ 29. Martij 1610.

ARGVMENTVM.

Beneficia potius præsumuntur simplicia, quàm curata, & quomodo probetur beneficia esse curata, & Ecclesias esse Parochiales.

SVMMARIVM.

Præsumitur de præsenti in præteritum, quando non constat de contrario. num. 1. Vbi etiam, quod & præsumptio sufficit ad plures effectus, de quibus ibidem.

Episcopus quotannis Ecclesias suas visitare tenetur, & de earum statu, & qualitate requirere. num. 2.

Ecclesiam esse parochialem probatur per communem reputationem, & per administrationem Sacramentorum in illa, num. 3.

Beneficia in dubio præsumuntur simplicia, & non curata. n. 4.

Vnio Ecclesiarum non præsumitur, ideo probanda per allegantem. num. 5.

Vnio Ecclesiarum an, & per quantum tempus præscribatur. num. 5.

DECISIO CCXXXIII.

1 ANdreas de Santo Florentio ad excludendam prouisionem Vincentij Adiciteli, qui impetrauit beneficium Sancti Saluatoris tanquam simplex, cum annexis, & prætendebat Ecclesiam Sancti Petri esse ei annexam, opposuit de illorum parochialitate, ideo super hoc posito particulari dubio, Domini quo ad Ecclesiam Sancti Petri censuerunt constare de illius parochialitate, quia Persianus, per cuius obitum de Anno 1584. Dominus Vincentius eam impetrauit, fuit de illa vti Parochiali prouisus, & eam, vti talem vsque ad obitum possedit, administranda Sacramenta suis Parochianis, ita vt iste fuerit vltimus status huius Ecclesiæ, qui propterea ad vindicandum ipsius qualitatem attendi debet, quando prout in casu isto non constat de contrario, *vt not. c. cum de beneficio. & ibi Archi-*

Archidiac. num.1. verb. legitime in fin. Geminian. num.8. post med. vers. aut simpliciter. & Franc. num.5. vers. si vero scribatur, & num.9. post medium. de præbend. in 6. Federic. consil. 240. num.1. Felin. in cap. eam te. num.22. & circa medium de rescri. Rot. decisione secunda. de præbend. in nou. & fuit dictum in causa Salernitana Rectoriæ 22. Maij 1591. & Verdunen. Episcopatus 15. Octobris 1599. coram Illustrissimo Cardinale Pamphilio, & sufficit ad plures, diuersos effectus, nempè ad effectum iustificationis gratiæ, ad euitandam subreptionem, ad includendam, vel excludendam reseruationem, & similia, vt fuit in quamplurimis causis decisum.

2 Præsertim cum iste vltimus status coadiuuetur ex attestatione Episcopi, cui multum in hoc est deferendum propter notitiam, quam præsumitur habere de statu, & qualitatibus Ecclesiarum suæ diœcesis, ex quo illam quotannis visitare, & de statu, & qualitate huiusmodi Ecclesiarum requirere tenetur. *c. Ordinarij. de offic. ordin. in 6. Gemin. consil. 87. vers. & est ratio. Anchar. consi. 162. nu.4. vers. propter scientiam. Cassad. decis.2. num.3. de causa possess.* & proponit Rota decisione sexta, numero secundo. de iure patron. in nou. & fuit dictum in causa Albanen. Parochialis 28. Iunij 1593. coram Illustrissimo Pacen.

3 Accedente etiam depositione plurium testium dicentium dictam Ecclesiam S. Petri fuisse visitatam, vti Parochialem, & quod ab omnibus fuit semper habitâ, & reputata pro Ecclesia Parochiali, quodque in Terra Lurnij non adest alia Parochia, licet cura animarum exerceatur in Oratorio, seu in Ecclesia Sancti Antonij Societatis Sanctæ Crucis ad petitionem Parochianorum pro illorum maiori commoditate, cum Ecclesia Sancti Petri sit extra dictam terram, quo fit, vt dicatur habere certum populum sibi adstrictum, cuique Rector pariter sit adstrictus, iuxta glo. in clement. dudum. verb. impendant, & ibi Doctor. de sepul. maxime cum testes deponant, de administratione, & receptione Sacramentorum in tempore Paschatis, in qua probatur reciproca necessitas administrandi, & recipiendi Sacramenta, vt fuit dictum in causa Recanaten. Parochialis 20. Maij 1572. coram Cantuccio relata inter *impress. diuers. decis.52. numer.20. & seq. par. 2.*

4 Quo vero ad Ecclesiam Sancti Saluatoris Domini dixerunt, non constare de illius Parochialitate, quia respectu illius nihil deducitur, & in dubio beneficia præsumuntur simplicia, & non curata. *Ægid. decis.675. Staphil. de lit. grat. tit. de qualit. & stat. Beros. in princ. num.2.* & fuit dictum in causa Sabinen. Decimarum 30. Aprilis 1596. coram Illustrissimo Cardinali Pamphilio, & alias sæpissime.

5 Neque obstat, quod pro parte Andreæ prætendatur istam Ecclesiam esse vnitam Ecclesiæ Sancti Petri, quia talis vnio non probatur, prout per ipsum probari debet. *Alex. consilio 70. num.1. libro 3. Fel. consi. 2. num.13. Dec. consil.233. col.2.* nec constare Persianum, qui vtramq; possedit, illam tanquã vnitam, seu annexam Ecclesiæ Sancti Petri possedisse. *Felin. dicto consil. 2. numero 12. vers. his præsuppositis, & num.13. vers. aduertatis ergo.* Et fuit resolutum in causa Cesenaten. Cappellaniæ 26. Februarij 1567. coram Rubeo, & 26. Ianuarij 1568. coram Illustrissimo Cardinale Lancellotto, nec per tempus sufficiens nempè immemorabile, vel quadraginta annorum vna cum titulo putatiuo. *Felin. dicto consilio 2. num. 12. vers. si vero, & seq. Mil. in verb. vnio potest probari per testes. Put. decis. 37. de vnion. & decis. 238. num.2. versic. tantum contrarium. lib. 1.* Et fuit decisum in causa Caputaq. vnionis 23. Nouembris 1587. coram Bubalo.

REVERENDISSIMO P. D.

DAMASCENO.

Tullen. seu Nullitatis Senonen. Monasterij. Lunæ. 29. Martij. 1610.

ARGVMENTVM.

Delegat personæ industria quando censeatur electa, plura de testium fide, & probatione. Et quando Abbas dicatur ineruditus, & inhabilis ad effectum, vt illi de coadiutore prouideri debeat.

SVMMARIVM.

Subdelegatus Episcopi non potest alium subdelegare, cum eius personæ industria electa esset. num.1.

Industria personæ censetur electa per illa verba fidei, & diligentiæ tuæ tanti momenti committimus negotium. num.2.

Industria personæ censetur electa, quando committitur negotium graue. num. 3.

Testes examinati parte non citata nihil probant, fallit, quando ageretur de aliqua temporis suspensione. num.4.

Testes sine iuramento examinati nihil probant, nec Notario asserenti eos iuratos creditur, nisi dixerit tactis scripturis. num. 5.

Citationem Papam tollere voluisse non est præsumendum. num. 6.

Dispositio qualibet recipit interpretationem passiuam à iure communi. num.8.

Princeps Ecclesiasticus non præsumitur voluisse tertio præiudicare. num.8.

Ineruditus dici non potest, qui scit bene legere, & bene loqui Latinè. num.9.

Examinatus ante adeptionem Abbatiæ præsumitur sufficiens, etiam quod nesciuerit respondere nonnullis interrogatorijs sibi factis. num.8.

Testes non reddentes rationem sui dicti in his, quæ non cadunt sub sensum corporis etiam non interrogati, nihil probant. num.10.

Incorrigibilis dicitur, qui non obstantibus monitionibus fuerit solitus ad eosdem defectus reuerti. num. 12.

Qualitas per disponentem considerata in primis verificari debet, vt dispositio locum habeat. num.13.

DECISIO CCXXXIV.

1 PRo informante fuit tentum, nempè causas expressas in Coadiutoria non esse iustificatas ex processu informatiuo fabricato contra Abbatem. Primo, quia dictus processus fuit nullus tanquam fabricatus per Subdelegatum Episcopi, qui non poterat subdelegare, cum esset electa industria eius personæ. *c. quoniam Apostolica. §. is autem. vbi Innocent. num. 5. Abb. num. 3. & Felin. num.2. circa fin. vers. vltimo nota. de offic. deleg. c. is cui. vbi Butr. in princip. Franc. num. 2. eod. tit. in 6. Ias. in l. à Iudice. num. 11. vers. quinto limita. C. de Iud. Bal. consi. 123. num. 6. vers. item industria. vol. 5. Roman. consil.330. num.4. versic. tertio quia. Rot. decis.18. num.4. de concess. præbend. in nou.*

2 Quod autem fuisset electa industria personæ Episcopi patet ex illis verbis, Fidei, & diligentiæ tuæ tanti momenti committimus negotium, quod scimus ad nos te rescripturum, non quę in certis audieris auctoribus, sed quæ manifeste compereris, & tenueris manu. Ponderando verba fidei, & diligentiæ, & alia, quodam scimus ad nos te rescripturum, &c. quæ important quandam particularem confidentiam, ex quo censetur electa industria personæ. *Innoc. d. c. quoniam Apostolica. nume. 2. Bal. nume. 7. Imol. nume. 22. de offic. deleg. Butr. in c. is cui. numer. 1. eod. tit. in 6. Bald. consil. 128.*

128. num. 1. vers. sed ad haec resp. libr. 3. Roman. cons. 330. sub num. 4. Grammat. cons. ciuil. 112. nu. 5. in fin. & num. 6. Mil. in repertorio. verb. Iudex delegatus cui committitur, vers. & dicitur licite cum alijs. per Menoch. de arbitr. libr. 1. q. 68. num. 11.

3 Attento maximè, quod Papa habuit negotium pro graui, ibi, tanti momenti negotium, &c. qua grauitate stante eo magis censetur electa industria personae. Innoc. in d. c. quoniam Apostolica. num. 2. de offic. deleg. Ias. in l. à iudice. nu. 11. vers. limita. C. de Iud. Bald. cons. 123. nu. 5. & 6. vers. tertium est magnitudo negotij lib. 5. Crauet. cons. 303. nu. 3.

4 Secundo, quia testes fuerunt examinati parte non citata, vnde nihil probant, cap. 2. de testib. leg. si quando. C. eo. tit. facit text. in l. de vnoquoque. ff. de re iud. nec videtur dubitandum quin pars fuerit citanda, cum ageretur de perpetuo praeiudicio, quicquid dicendum foret si fuisset actum tantum de aliqua temporali suspensione. Imol. in capit. venerabili. num. 22. & 23. de off. deleg. Ioan. Andr. in cap. licet Heli num. 13. & 14. Host. numer. 9. Henric. Boic. num. 11. Butr. numer. 21. de Simon.

5 Tertio, quia nec apparet de iuramento testium, vnde nihil nocet eorum dictum Abbati ad l. iusiurandi, C. de test. cap. tuis, cap. nuper. eodem tit. glos. in cap. praesentium verb. producendos, de test. in 6. licet enim Notarius asserat testes iuratos deposuisse, non per hoc probat iuramentum, Butr. in cap. fraternitatis, num. 21. de test. Alexan. consil. 42. num. 9. volum. 9. Verall. decision. 185. & 298. part. 3. Maximè cum non dicat tactis scripturis, Butr. dict. numer. 21. Verall. vbi supra decision. 123. & 246. part. 2.

6 Quas iuris solennitates non est praesumendum Papam voluisse tollere, Bal. in rubr. de offic. deleg. Mohed. decis. 7. nu. 5. de restit. spol. maxime citationem, quae est magis priuilegiata, & nunquam censetur remissa. Oldrad. cons. 43. in princip. Calder. cons. 8. in princ. de re iudic. Vant. de nullit. ex defect. cit. nu. 3. 4. & 8.

7 Quarto, quia etiamsi omnia sollenniter fuissent gesta, adhuc non probarentur causae, quae mouerunt Papam ad dandum Coadiutorem inuito, nempe ineruditio, imperitia gubernandi, negligentia, & remissio in negotijs gerendis, suspicio de dilapidatione bonorum monasterij, & praecipuè deficit probatio illius quod Summus Pontifex dicit ante omnia acriter afflixisse animum suum, nempe quod in Abbate spes aliqua melioris frugis non erat, nec de cetero esse posse sperabatur.

8 Et pro resolutione circa istum articulum Domini praemittebant quod quelibet dispositio recipit interpretationem passiuam à iure communi. Anchar. cons. 6. nu. 8. Butr. Abb. Dec. & alij in c. causam quae. de rescri. Roman. cons. 320. num. 4. Alexand. cons. 46. nu. 3. libr. 5. Angel. Aret. cons. 95. num. 12. & seqq. Calder. cons. 12. de constit. & consil. 2. num. 2. de rescript. Ruin. 123. num. 12. versic. vbi enim volum. 3. maximè quando agitur de preiudicio tertij, cui nulla cadit verisimilitudo, quod Princeps maximè Ecclesiasticus intendat derogare. c. super eo. vbi glos. in verb. intentionis Butr. nu. 8. Host. nu. 4. Ægid. n. 2. de off. deleg. c. lic. de offic. ord. Felin. in c. causam quae. num. 6. de rscr. Roman. consil. 334. num. 2. Abb. consil. 101. num. 3. vers. moueor. primo, par. 1. Ex praedictis inferebatur non sufficere, quod de suprascriptis defectibus constet taliter qualiter, sed debet constare in tanto excessu, quod per illos Abbas secundum dispositionem iuris communis fuerit dignus priuatione, siue perpetua suspensione ab eius officio importat ista coadiutoria.

9 Incipiendo ab ineruditione cum sit notum istum Abbatem bene legere, & bene loqui Latine, non videbatur Dominis posse dici ineruditum, glos. & scribentes in clement. 1. de concess. praeben. Cresc. decis. 12. de conces. praeben. & in terminis personae Abbatis tradit Panorm. post Innocent. & Archid. in cap. cum in cunctis nu. 4. vers. Religiosi vero de elect. Attento praecipuè examine facto in adeptione Abbatiae, quo stante praesumitur sufficiens, c. accepimus de aetat. & qualit. & ibi DD. & licet nesciuerit respondere nonnullis interrogatorijs sibi factis non per hoc probatur totalis ineruditio cum possit esse, quod in libris veritatem eorum quae scire tenetur, sciat quaerere. Innocen. d. c. cum in cunctis, num. 1. in fin. Butr. nu. 10. Abb. nu. 40. vers. mediocris vero de elect.

10 Quantum ad imperitiam gubernandi, remissionem & negligentiam in negotijs gerendis testes qui hoc deponere conantur, nullam reddunt causam scientiae prout tenebantur, etiam non interrogatti, cum ista sint de ijs quae non cadunt sub sensum corporis, Bart. in leg. solam num. 3. Salyc. num. 2. Cod. de test. Abb. in cap. consuluit. num. 2. de appellat. Card. cons. 25. num. 4. Felin. qui de communi, in cap. cum causam. num. 3. versic. fallit 2. de test. Corn. cons. 347. num. 2. vers. ea enim. lib. 1. Roland. consil. 3. num. 52. libr. 1. Quinimmo ex visitatione Episcopi Henrici datur magnus fumus de contrario, quia ipse referet se vitifitasse altaria, ornamenta Sacristiae, domum Abbatialem, dormitorium Religiosorum, Bibliotecam, Refectorium, & alias pertinentias domus, & illas inuenisse in bono statu.

11 Quo ad suspicionem dilapidationis bonorum Monasterij illa pariter non visa fuit probari, cum testes, qui pro hoc adducuntur, nullam reddant sufficientem causam scientiae ex supra allegatis, quinimmo ex aliquibus testibus ponderatis pro parte Abbatis potius constat de contrario. Nec aliqua concludens probatio resultat ex eo, quod monasterium forte aliquo ere alieno implicatum reperiatur, quia potest esse, quod illud es alienum fuerit contractum ex iusta causa, Imol. d. cap. venerabili. numer. 23. de offic. deleg.

12 Denique non probatur, quod in Abbate non fuerit spes melioris frugis, quae verba nihil aliud in effectum important, quam incorrigibilitatem, quae consistit in eo, vel quod Abbas non obstantibus monitionibus fuerit solitus ad eosdem defectus reuerti. Abb. in c. cum non ab homine. num. 30. vers. quaero qualiter. & ibi Butr. nu. 22. Dec. num. 78. de Iud. vel quod pertinaciter conetur sustinere culpam, vere non esse culpam. Card. Iacob. de concil. lib. 4. c. 4. nu. 8. & de istis monitionibus, & pertinacia nihil dicunt testes.

14 Et cum ista qualitas incorrigibilitatis videatur principaliter considerata tum de sui natura, quia est grauior ceteris, & illa stante non poterat aliter prouideri indemnitati Ecclesie. Tum ex natura negotij priuationis, in quo solet haberi ratio omnium narratorum pro priuatione. Sarn. in reg. de subrog. quaestio. 7. §. Item sciendum. Quam etiam ex verbis ipsiusmet Pontificis qui dicit nihil eque acriter illum afflixisse, quam ista non spem meliorem frugis. Concludebatur quod etiam si alia narrata forent iustificata, adhuc ex defectu istius solius qualitatis corruere coadiutoriam, per tex. in l. fin. ff. de haered. instit.

REVERENDISSIMO P. D.

BONONIEN.

Parmen. Status. vrneris 30. Aprilis 1610.

DECISIO CCXXXV.

Est impressa inter Ludouis.

DECISIO 465.

RE-

REVERENDISSIMO P. D. PEGNA.

DECANO.

Recanaten. Hæreditatis. Veneris 30. Aprilis 1610.

ARGVMENTVM.

Filiæ feminæ in conditione positæ, quando censeantur vulgariter substitutæ.

SVMMARIVM.

Substitutus vulgariter in portione patruorum, multo magis præsumitur substitutus in portione proprij parentis, cum portio parentis sit magis debita filijs, quàm portio patruorum nepotibus. nu. 2. vbi hæc conclusio ampliatur, vt procedat non solum in substitutione vulgari sed etiam in fideicommissaria. nu. 2.

Substitutæ vulgariter dicuntur filiæ feminæ sicut masculi, quando positæ fuerunt in conditione sicut masculi. nu. 3.

Filiæ vulgariter substitutæ, & dispositiuè vocatæ in vna parte testamenti, censentur etiam pariter substitutæ, quando in alia parte positæ reperiuntur in conditione. nu. 4.

DECISIO CCXXXVI.

1 DIe 27. Ianuarij proximè præteriti Domini, omisso illo articulo, quæ esset magis vera opinio super illa sententia, An substitutio vulgaris directa inducatur ex coniecturis, videre voluerunt, An Lydia, & soror de Leopardis essent vocatæ per vulgarem, & in hac propositione, re late, & mature discussa, censuerunt adesse sufficienter coniecturas pro vulgari.

2 Prima, quia Lydia, & Magdalena erant expressè substitutæ per vulgarem in portionibus Petri, & Bernardini suorum patruorum, & etiam Hortensiæ Vxoris Testatoris ipsarum Auiæ, ibi in portione præmorientis succedant superuiuentes, aut eorum filij, vel filiæ in stirpes vulgariter, pupillariter, & per fideicommissum, nam si in portionibus patruorum erant etiam vulgariter substitutæ, multo magis præsumebantur substitutæ in portione proprij parentis, cum ista portio magis sit debita filijs, quam illa neptibus, *Rimin. Sen. consil. 189. incip. in hac difficultate, num. 11. vers. quib. sic præmissis, & multis seqq. lib. 1. Ruin. consil. 198. ponderatis diligenter verbis, num. 6. vers. nam testator. lib. 2. Corn. cons. 37. incip. in hac consultatione. num. 3. lib. 1. Decian. consil. 44. incip. circa primum igitur. numer. 24. & sequent. lib. 3. Menoch. cons. 152. incip. respondendum videbatur. num. 11.* qui alios refert, & fuit sæpè decisum, qui licèt loquantur de fideicommissaria, rationes tamen, & absurdi vitandi, & maioris dilectionis ab illis consideratæ vigent etiam respectu vulgaris substitutionis, imò respectu vulgaris id magis videtur considerandum, nam in fideicommissaria, qua præsupponitur bona patri quæsita potuit testator credere deuentura à patre in filium, iuxta commune votum parentum, & quia illis reseruabatur successio ab intestato in dictis bonis, quæ solet esse ratio, quare positi in conditione respectu parentum non censeantur vocati, hæc autem ratio non militat in vulgari, quæ præsupponit patrem non esse hæredem.

3 Altera coniectura fuit, quia si Lydia, & Magdalena non essent vocatæ per vulgarem, nec etiam masculi, si adfuissent, essent vocati, quia masculi, & feminæ fuerunt pariter positi in conditione, vnde sequeretur, quod prædecedente, prout prædecessit, viuo testatore ipsarum patre, filij masculi potuissent dici præteriti, & consequenter impugnare testamentum. *Soc. iun. cons. 29. incip. circa propositam quæstionem. num. 3. in fin. lib. 3.*

4 Supradictis accedebat, quia istæ filiæ in alia parte testamenti fuerunt dispositiuè vocatæ etiam per vulgarem, vnde censeri etiam debebant vocatæ per vulgarem in successione portionis patris, cui fuerunt positæ in conditione, nam sicut ista coniectura est sufficiens quo ad modum, vt censerentur tacitè vocatæ, eo modo, quo fuerunt expressè honoratæ, arguendo ab expresso ad tacitum, cum facilius præsumatur qualitas, quam substantia, *Cephal. cons. 297. incip. dubitari non potest. nu. 10. & seq.*

5 Denique placuerunt Dominis aliæ coniecturæ iam deductæ, & probatæ in decisione in hac causa facta die 14. Maij 1607. Quæ autem sit verior opinio in illo articulo, quod vulgaris possit induci per coniecturas, Domini si necessarium foret, particulariter videre voluerunt, &c.

REVERENDISS. P. DOMINO

ATTREBATEN.

Perusina Bonorum. Lunæ 10. Maij 1610.

ARGVMENTVM.

De remedio l. final. C. de edicto Diui Adriani tollendo, quod competat fideicommissario agenti contra tertium possessorem quomodo, & quando probata dicatur talis possessio.

SVMMARIVM.

Remedium leg. fin. C. de edicto Diui Adriani tollendo. competit con fideicommissario contra tertium possessorem. numero 1.

Fideicommissario agenti remedio l. fin. C. de edict. Diui Adr. tollend. sufficit probare possessionem tempore mortis hæredis grauati. nu. 1.

Possidens de præterito, præsumitur etiam possedisse vsque ad mortem. nu. 2.

Testes inter alios examinati, licèt non probent, coadiuuant tamen probationem. nu. 3.

Testes referentes se ad aliquam scripturam non probant, nisi exhibita scriptura. nu. 4.

Testibus deponentibus in specie magis credendum est, quam deponentibus in genere. nu. 5.

DECISIO CCXXXVII.

1 PAntha Vibia inter alia bona possedit quandam possessionem, nominatam Podere del Palazzo di Madonna Pantha, & duodecim eminas Poderis del Teuerone, & decessit relicto hærede Sebastiano Vrbio, Nepote ex filio, substituto ei morienti sine filijs Monasterio Sancti Petri, facto verò loco substitutioni opposuit se Andreas à Cornea, auctor Hyeronymi Martinelli, & hæres Sebastiani, allegando quod Sebastianus eas non habuisset ex hæreditate Panthæ, sed ex legato sibi à Presbytero Rosato, donatario Panthæ, & Gubernator Perusiæ, die 20. Decembris 1597. pronunciauit ad fauorem Andreæ, pro cuius exequutione cum instaret Hyeronymus, Domini qui non solent exequi sententias aliorum Iudicum, nisi gustata earum iustitia, ordinarunt disputari. An sententia sit iusta, quo ad vtramque possessionem, verum post aliquot propositiones restrictum fuit dubium ad possessionem del Palazzo, quo proposito resolutum fuit, dictam sententiam quo ad hoc caput fuisse iniustam. Monachis enim agentib. vigore fideicommissi contra Andream, tanquam tertium possessorem, qui habebat causa à Sebastiano herede grauato competebat remedium *l. final. C. de edict. Diui Adr. tollend. in l. penultima. §. cum autem. vbi* Bart.

Bart. in fin. & alij C. ad S. C. Trebell. Gabr. conſ. 44. numer. 6. lib. 2. fuit dictum in cauſa Montisfaliſci fideicommiſſi. 12. Maij 1603. coram Illuſtriſſimo Cardinale Pāphilio, & ad hunc effectum ſufficit illis probare poſſeſſionem Panthæ, de tempore mortis abſq; alia probatione dominij. *Riminal. iun. conſ. 190. num. 35. Cephal. conſ. 386. num. 35. Gabr. d. conſil. 44. num. 30. Modernus de fideicommiſſis art. 44. num. 6. & 16. & art. 48. num. 55.* & fuit dictum in Bononien. fideicommiſſi de Sancto Petro 4. Maij 1588. coram Illuſtriſſimo Cardinale Plato, & in Viterbien. fideicommiſſi. 8. Martij 1602. coram bon. mem. Litta, & in dicta Montisfaliſci coram Cardinali Pamphilio.

2 Poſſeſſio autem quo ad podere palatij per Pantham ab initio certa, & indubitata eſt, & præſumitur continuata vſque ad obitum, niſi contrarium probetur, vt notatur *in cap. cum ad ſedem. vbi Butr. num. 25. in fin. & Abb. num. 12. reſtit. ſpoliat. Salic. in d. l. fin. & Abb. nu. 12. de reſtit. ſpoliat. Salicet. in d. l. fin. nu. 19. verſ. Primo, caſu ſi initium. Alex. conſ. 33. nu. penult. verſic. circa tertium, & numer. fin. verſic. & hoc etiam procedit. volum. 3. Natt. conſ. 400. nu. 6. & 7. Rota dec. 4. de probat. in nouis.*

3 Sed vltra præſumptionem probatur per teſtes examinatos in hac cauſa ann. 1554. qui deponunt ſe vidiſſe Pantham poſſidere, & colligere fructus alioſq; actus facere, quos ſolent veri Domini, & recipiunt magnum adminiculum ex teſtibus examinatis, vltimo loco vigore remiſſoriæ, qui licet deponant de auditu, multum tamen adminiculantur. Accedunt teſtes examinati de anno 1596. in cauſa tunc pendente inter Monaſt. Signorellos poſſeſſores occupatores eiuſdem Poderis, & ſecundum illorum depoſitiones reſtitui, quamuis enim illa ſint inter alios acta, plurimum tamen coadiuuant hanc probationem. *Felin. in c. cauſam quæ, in princ. nu. 19.* de teſtibus, & fuit dictum in dicta Montisfaliſci fideicommiſſi.

4 Non obſtant teſtes Hieronymi dicentes, Pantham donaſſe Roſato, & Roſatum in vita Panthæ accepiſſe poſſeſſionem, & poſſediſe, quia dum deponunt de donatione illa non probatur concludenter per illos teſtes, qui deponunt de auditu tantum, & ſe referunt ad inſtrumentum donationis, quod eſſet exhibendum.

5 Similiter legatum à Roſato factum Sebaſtiano, non probatur niſi per teſtes. De poſſeſſione autem Roſati in vita Panthæ deponunt tantum ſecundus, & decimus Hieronymi de viſu, & primus Monaſterij. Verū illis præferendi ſunt alij, qui deponūt magis in ſpecie *Bald. conſ. 69. in princip. verſicul. & hoc probatur libro 5. Alexan. conſil. 148. num. 3. libr. 2. Dec. conſil. 44. num. 37. & ſunt num. plures. Caſtrenſ. conſil. 65. num. 2. libr. 2. Socin. conſil. 253. numer. 1. in fin. libr. 2. Alexan. conſil. 99. numer. 13. libr. 5.* atque habet plura, & efficaciora adminicula ex anteriori poſſeſſione Panthæ, & alijs ſupra deductis.

6 Denique dum conſtat de vera poſſeſſione Panthæ, & familiaritate Roſati potuit poſſidere iure familiaritatis, cum non appareat de aliquo illius Titulo.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. CARD. LANCELLOTTO.

Oſcen. Salarij. Veneris 21. Maij 1610.

ARGVMENTVM.

Salarium non conuentum, quando, & quomodo Procuratori ad lites debeatur.

SVMMARIVM.

Salarium non conuentum debetur, quando in Ciuitate, adeſt conſuetudo locandi operas, & ſoluendi ſalarium, præſertim in curia, numer. 1.

Procuratori ad lites debetur ſalarium, etiam non conuentum, & Rota in pluribus cauſis conſtituit ſalarium, nu. 2.

Verba humanitatis, & curialia non obligant, nec donationem inducunt. nu. 3.

Salarium Procuratori ad lites debitum videtur Scutorum 60. quolibet anno, quando procurator ex Hiſpania venit ad Curiam pro defenſione litium ſui principalis, num. 4.

DECISIO CCXXXVIII.

1 IN facto conſtabat, quod Petrus Ludouicus Lopez dum eſſet in Ciuitate Oſcen. ann. 1598. fuit conſtitutus procurator à Paulo Leſano ad omnes eius lites, & cauſas, & præſertim vero ad obtinendam abſolutionem à ſententia excommunicationis, multis namque & grauibus vexabatur litibus Paulus, in quibus de eius ſtatu, & exiſtimatione agebatur, nedum ſuper officio Pœnitentiariæ, & Canonicatu, & præbenda, ſed etiam ſuper fructibus eorundem, qui fuerant ſequeſtrati, quo mandato per Petrum acceptato cum pro huiuſmodi cauſarum defenſione ad Curiam ſe tranſtuliſſet, per plures annos, negotijs Pauli incubuit. Et non obſtante, quod fuiſſet reſolutum, nominationem Pauli ad officium Pœnitentiariæ fuiſſe nullam, propter excommunicationem ab ipſo incurſam per reuerſus ad laicos habitos; opera ac diligentia Petri factum eſt, vt omnia felices exitus habuerint. Nam in Rota per tres ſententias conformes defendit Paulum ab impetratione Ioannis Perez, & cauſa fuit acriter tractata, & in Dataria impetrauit abſolutionem ab excommunicatione, inſordeſcentia & irregularitate Pauli cum condonatione fructuum, ac inde defendit illum in iudicio criminali, & obtinuit reuocari ſequeſtrum, idque maximis laboribus, quod bene probatur per teſtes, & ſunt notiſſimi Dominis meis, cum diligentiam, & ſolicitudinem Petri in huiuſmodi negotijs pertractandis experti fuerint, de quibus in Rota in alij Domini, qui de eo tempore non intererant, atteſtati ſunt, ex quibus fuit reſolutum, eidem Petro deberi ſalarium, licet enim illud non debeatur, quando non eſt conuentum, tamen hoc fallit in Ciuitate in qua adeſt conſuetudo locandi operas, & ſoluendi ſalaria, præſertim verò in Curia, *Put. deciſion. 44. libr. 2. Corn. conſil. 116. num. 2. in fin. & numer. 3. libro 4.* & fuit reſolutum in cauſa Oueten. mercedis 12. Decembris 1605. coram R. P. D. me Coccino.

2 Et procuratori ad lites deberi etiam non conuentum, dicit *Natt. conſ. 376. numer. 1.* qua ratione, Rota in pluribus cauſis conſtituit huiuſmodi Procuratoribus ſalaria, vt in Toletana mercedis 14. Maij 1568. quam refert Granutius Teremat. *conſil. 12. num. 9.* & in cauſa Romana pecuniaria 15 Februarij 1599. coram bon. mem. Orano, in cauſa Romana reductionis laudi coram Illuſtriſſimo D. Blanchetto, & in cauſa Romana Mercedis 10. Maij 1599. coram me, & in Valentina, ſeu Romana mercedis 26. Iunij 1600. coram Illuſtriſſimo Dom. Pāphilio, & 4. Iulij 1601. corā me.

3 Non obſtant literæ miſſiuæ Petri, ex quibus prætenditur, ipſum non ſolum habuiſſe animum inſeruiendi gratis ſed vlterius ſubminiſtrandi expēſas de proprio tū quia cum iſte literæ ſint de anno 1605. non poſſunt concludere quo ad tempus præteritum, tum quia cōtinent verba humanitatis, & Curialia, quæ non obligant. *c. cum veniſſent de reſtitut. Dec. reſponſ. 103. n. 23. ve. 2.* maximè quia in eis non dicitur ſimpliciter, quod Petrus nolebat expenſas, ſed quod ſe remittit ad illud quod Paulus aliquando voluerit, quæ verba intelligūtur arbitri boni viri, iuxta *not. in l. fideicommiſſariis libertas, la 3. ff. de fideicom. libert.* nec important renūciationem, & quod Petrus voluit iactare ſuum, *ad l. cum de indebito. de prob.* Tum etiam, quia huiuſmodi literæ ſunt

sunt scriptæ, postquam Paulus significauerat Petro, velle ei dare Archidiaconatum in Coadiutoria, ita vt non mirum, si sub hac spe mitius ageretur de eo tempore.

Neque etiam obstat, pensio reseruata ad fauorem nepotis, quia vltra quod non constat in actis est res inter alios acta, & cum non sit ad fauorem Petri, non dicitur remuneratus ipse, qui nihil habet commune cum pensionario. Quo vero ad quantitatem placuit DD. salarium esse taxandum ad Scuta quinque menstrua, ita vt quolibet anno sint Scuta sexaginta. Hæc namque visa fuit iusta merces, & condecens remuneratio cum hoc plurimum penderat conscientia iudicantis. Et ita fuit resolutum.

R. P. D. PIROVANO.

Aquilana Nullitatis Erectionis Lunæ 24. Maij 1610.

ARGVMENTVM.

Ecclesiæ dismembratio fieri non potest sine solennitatibus requisitis in alienatione rerum Ecclesiæ ex iusta causa, & quæ isto casu dicatur causa iusta.

SVMMARIVM.

Ecclesiæ vnius ab alia Cathedrali, seu parochiali Ecclesia dismembratio sapit alienationem, & propterea est nulla, quando fit sine causa, & sine solennitatibus requisitis in alienatione rerum Ecclesiæ, nu. 1. & nu. 5.
Causa iusta quæ dicatur in dismembratione alicuius Ecclesiæ ab Ecclesia parochiali, nu. 2. & seqq.
Episcopus non potest erigere nouas parochias propter populi numerositatem, num. 3.
Beneficiorum diuisio regulariter prohibetur, num. 4.
Ecclesiæ defensio non ad vicarium Episcopi, sed ad Capitulum spectat, quod propterea in præiudicialibus citari debet, num. 6.

DECISIO CCXXXIX.

1 Placuit Dominis per deducta per Informantes pro Archipresbytero, & Capitulo de Paganica, quod erectio Ecclesiæ sub inuocatione Beatæ Mariæ ad Præsepe intra fines Ecclesiæ antiquæ Parochialis, & Baptismalis, & dismembratio partis Curiæ animarum eiusdem nulla sit, quia in ea non interuenit solenitas & iusta causa, quę sunt necessaria in huiusmodi dismembrationibus, cum sapiant alienationem *Lap. alleg. 66. nu. 3. & 5.* & fuit sæpissime resolutum, & præsertim in vna Eleboren. dismembrationis, coram R. P. bonæ mem. Iusto 17. Nouembris 1600. & in Toletana Parochialis de Madrid. coram R. P. Corduba 19. Nouembris 1601. & signanter notat. *Abb. in c. ad audientiam. il 1. in 1. not. de eccl. ædific.*

2 Deficit enim iusta causa, quia non constat, quod propter difficilem accessum ad antiquam Parochialem aliquis ex Parochianis defecerit, absque Sacramentis, vel propter impedimentum periculum sit patens, vt in casu *Lap. alleg. 66.* & prout requiritur ad hunc effectum, vt fuit consideratum in allegatis decisionibus.

3 Causæ autem enumeratæ in ipsa erectio non videntur sufficientes, nam sola numerositas populi aucti non tribuit auctoritatem Ordinarij erigendi nouas Parochias, cum huic obiectio satisfaciat *Concil. Trid. sess. 21. de reform. cap. 4.* dum cogendi sunt Rectores, vel alij, ad quos spectat cura animarum, vt sibi tot Sacerdotes adiungant, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum diuinum celebrandum; & quamuis inter causas ædificandi nouas Ecclesias recenseatur etiam incrementum populi. *c. præcipimus, 16. q. 1. tamen Concil. Trid.* desiderauit maiorem necessitatem, scilicet distantiam loci, & difficultatem Parochianorum accedendi ad percipienda Sacraméta, prout Sacra Congregatio Concilij declarauit, & eam sequitur Rota in alleg. dec. Eleboren. dismembrationis & quæ in præsenti casu non iustificantur, sed potius contrarium apparet ex depositione testium, qui dantur in Summario, *nu. 2.* dum affirmant nouam Ecclesiam non longe ab antiqua Matrice distare.

4 Postrema causa non etiam ad dismembrationem suffragari videtur, quia scilicet Ecclesia non sit capax totius populi, & sit difformis, tum quia in *Conc. Trid.* non consideratur, nec in c. ad audientiam, de eccles. ædific. & satis prouideri potest per Erectionem nouę Cappellæ, quæ sit in proprietate Parochialis antiquę iuxta eiusdem Sacræ Congregationis declarationem, quæ datur in Summario. Quod maxime suadetur, ne ad beneficiorum diuisionem de facili deueniatur, quæ regulariter prohibetur, *c. maiorib. c. vacante. de præben. c. 1. vbi gl. de reb. ecclef. non alien.* & fuit decisum in dicta Eleboren. supra alleg.

5 Solennitas non etiam fuit adhibita, quæ requiritur in alienatione rerum Ecclesiæ *Rot. dec. 1. de reb. eccl. non alien. in nou. Francus in c. 1. col. 1. eod. tit.* & fuit dictum in Marsicana coram Illustrissimo Pamphilio 14. Februarij 1594. in hac enim dismẽbratione deficit consensus Capituli, ad quod pertinet antiqua Ecclesia Parochialis, & illius redditus, *c. 1. de reb. eccles. non alien. in 6. & c. ad audientiam de eccl. ædific. Gabr. de citat. concl. 1. nu. 216. ampliat 57.*

6 Nec suffragatur consensus Vicarij, quia cura non est penes ipsum, sed tantum exercitium, nec percipit fructus Parochialis: sed percipit suum congruum de manu Capituli, & ideo defensio Ecclesię non spectat ad Vicarium, sed ad Capitulum, cuius citatio propterea omittenda non erat, *Abb. in cap. extirpandæ. §. qui vero in repetit. num. 15. post princ. de præb.* & eo magis videbatur annullanda etiam dismembratio prædicta, quia Episcopus reseruauerat Ius patronatus super Ecclesia erecta ad fauorem suorum consanguineorum, quod proprie spectabat ad Capitulum, *cap. ad audientiam, il 1. de eccl. ædific.* & ex his ita resolutum fuit vna tantum parte informante.

R. P. D. CAVALERIO.

Baren. Fructuum. Mercurij 2. Iunij 1610.

DECISIO CCXXXX.

Est impressa inter Caualerio.

DECISIO 104.

REVERENDISS. P. D. PEGNA DECANO.

Romana census. Mercurij 2. Iunij 1610.

ARGVMENTVM.

Mandatum de manutenendo pro exigendis censibus dandum est existenti in possessione exigendi, in qua quis dicitur esse per spõtaneam debitoris solutionem sine protestatione.

SVMMARIVM.

Mandatum de manutenendo dandum est illi, qui sui auctoris possessionem probauit, nu. 2.
Soluens sine protestatione sponte soluisse dicitur numero 2. & num. 6.

& numer. 6. Vbi propterea, quod constituit recipientem in quasi possessione exigendi, num. 6. & nu. 7. vbi de eadem materia.

Actoris ius nunquam mutatur ex variatione personarum ex parte rei, num. 3.

Possessio non amittitur per lapsum decem annorum ab eo, quem constat semper retinuisse animum possidendi, nu. 4.

Mandatum præsumitur ex notabili impensæ scutorum 300. numer. 5.

DECISIO CCXLI.

1 PEtrus de Tollet Lugdunen. senior creditor Iordani Vrsini in summa, Scut. 2530. monetæ Papalis pro sorte principali, & in cambijs, & recambijs cambijs spacio multorum annorum Petrum Tollet iuniorem suum filium spurium cum mandato procuratorio ad exigen. & concordan. misit ad curiam, vbi mota lite super hoc credito coram A. C. die 18. Martij 1588. cum Valerio Vrsino Iordani iam tunc defuncti filio, & hærede, transegit, ita vt pro prædicta sorte principali Scut. 2530. Valerius super quibusdam suis bonis in Territorio Firmano existentibus perpetuum annum Censum Scut. 195. imposuerit, & Petro Tollet Seniori stipulante pro eo Petro Tollet Iuniori, vti eius Procuratore, & Notario in extinctionem sortis principalis vendiderit, reseruato tamen beneplacito Apostolico ex eo, quod non fuerat venditus, iux. formam constitutionis Pij Papæ V. quod super derogatione d. constitutionis legitimo tempore fuit expeditum. Huic contractui D. Federicus Cesius, tanquam principalis fideiussor accessit, & se cum iuramento in forma Cameræ obligauit: hæc Petrus Tollet Senior die 8. Iunij eiusdem anni 1588. ratificauit, qui cum condito Testamento hæredes sibi instituisset, Ioannem, ac Andream, & Mariam eius filios legitimos, & naturales ex hac vita migrauit, & deinde prędicti hęredes pro quatuor semestribus prædicti census iam decursis contra Valerium mandatum executiuum decerni, & relaxari obtinuerunt, vnde Valerius mediante eius Procuratore coram Notario, & testibus Ioanni vni ex hæredibus Petri Scut. 330. monetę manualiter libere, & absque alia protestatione numerauit, & quietantiam recepit per acta eiusdem Notarij, qui de contractu census fuerat rogatus sub die 26. Iulij 1588.

2 Cum vero die 22. Iulij anno 1598. Ioannes prædictus, tanquam vnus de hæredibus Petri Senioris, & donatarius Andreæ, & Marię Ferdinando de Moram Mercatori Lugdunensi prædictum censum vendidisset, & in omnibus, & per omnia in suo loco posuisset & ei debere fructus census per decē annos decursos declarassent, & postea Ferdinandus contra dictum D. Federicum ad solutionem terminorum census egisset coram A. C. & partem illorum sibi solui à dicto D. Federico obtinuisset, & vlimo agen. contra eum pro solutione aliorum terminorum decursorum, & non solutorum mandatum executiuum etiam obtinuisset causa introducta in Rota dubitaui, An Ferdinando esset dandum mandatum de manutenendo in quasi possessione exigendi fructus census, & Rota vtraque parte informante mandatum dandum censuit tam ex antiqua possessione illius, à quo habuit cessionem. *Bald. in cap. licet causam. num. 34. versic. item inter dicta. de probat. Guid. Pap. decis. 552. num. 3. versic. verumtamen de iure.* quam etiam ex possessione exigendi contra Federicum, qui coram A. C. confitendo debitum soluerat sine protestatione vnde sponte soluisse dicebatur. *Verall. decis. 403. incip. protestatio censetur repetita. par. 2.* & fuit in specie dictum in causa Romana census, die 14. Nouembris 1608. coram D. Marcomontio, quę circa hunc articulum non fuit in controuersia deducta.

3 Nec refert, quod possessio acquisita contra principalem non videretur nocere D. Federico, quia cum esset in forma Camerę obligatus, & censeretur eadem persona, cum principali possessio semel acquisita sibi præiudicabat, presertim cum ex variatione personarum ex parte rei nunquam mutetur ius actoris, quod remanet semper idem *leg. 2. §. ex his. ff. de verb. obliga. Put. decis. 151. incip. dubitaui, in vna Alboren. pensionis, lib. 3. Guid. Pap. dec. 629. nu. 3.*

4 Rursus non obstabat, quod possessio prætenderetur extincta per lapsum decem annorum, quo tempore præsumitur inducta obliuio, quia huic prætensioni non erat locus in hoc casu, in quo constabat semper fuisse retentum animum possidendi, *gl. in §. quod autem. in verb. propter absentiam instit. de vsucap. Alexan. in l. si id quod num. 2. ff. de acquir. poss.* in illo autem actu censebatur continuata possessio, quia cum in prima die subsequente vltimam decennij diceretur facta cessio istius census, cum fructibus decursis plusquam verisimile credebatur multis diebus ante lapsum decennij fuisse tractatam cessionem, & consequenter retentum animum possidendi pro quo, etiam faciebat scientia creditoris, & difficultas exactionis, ex quibus reddebatur plus quam verisimile, non propter obliuionem, vel propter non animum possidendi, sed propter ista impedimenta fuisse non amissam, sed suspensam exactionem.

5 Quod dicebatur de defectu mandati illius, qui fecerat solutiones leuissimum fuit putatum, cum ex notabili impensa plus quam 300. Scut. præsumeretur mandatum. *Cassad. decis. 3. num. 8. de procur. Rot. decis. 2. de caus. poss. & propr. in antiq.* nemo enim sine sufficienti mandato tam notabilem summa soluturus credebatur.

6 Nec ad rem pertinebat dicere solutiones factas per ipsum, & dictum Federicum non releuare, eo quod non soluerat sponte, sed metu mandati, quia cum soluisset absque protestatione aduersarium constituerat in legitima quasi possessione exigendi. *Crauet. cons. 114. incip. consideratis ijs. num. 6. Achil. dec. 11. incip. tentum* fuit in Rota. de pens. at est notum, & sic quotidie practicatur in Rota.

7 Nec pro Federico faciebant deducta in causa Romana census coram D. Marcomontio die 10. Febr. 1609. quia ibi solutio erat facta cum clausula sine præiudicio quorumcunque Iurium, quæ non aderat in hoc casu, quo potius apparebat contrarium cum D. Federicus susceperit terminum confitendo debitum, & sic censetur agnouisse bonum fidem.

8 Nec defendebatur ex eo, quod non soluerat præcise, sed deposuerat ad effectum consignandi, cui A. C. ordinaret, quia idem inducebatur, effectus.

REVERENDISSIMO P. D. DAMASCENO.

Romana Casaletti Lunæ 7. Iunij 1610.

ARGVMENTVM.

Venditor si non adimpleat contenta, in instrumento venditionis, numquid possit retinere totum pretium an vero tantam pretij partem correspondentem suis prætensionibus.

SVMMARIVM.

Venditor si non adimpleat contenta in instrumento venditionis emptor numquid possit retinere totum pretium, an vero tantam pretij partem correspondentem suis prætensionibus, num. 1. & seqq.

Iurium reseruatio præseruat tantum ius, quod adest, non autem.

autem aliquid noui tribuit, num. 2. Declara, vt num. 5.
Contractum non adimplens pro parte sua agere non potest, etiam quod in minimo non adimpleuerit. num. 3.

DECISIO CCXLII.

1 CVm D. Episcopus Marchesius conuentus ad pretium Casalis exciperet de non implemento multorum sibi in instrumento venditionis promissorum, post multas resolutiones super nonnullis ex illis ad fauorem D. Marchesij factas, Informantes pro D. Comite venditore instabant, vt D. Marchesius per modum prouisionis, & sine præiudicio iurium dicti D. Comitis, donec fieret melior liquidatio iuris & facti, retenta penes se parte pretij correspondente suis prætensionibus residuum erogaret, ea propter dedi dubium; An esset relaxandum mandatum contra D. Episcopum, & pro qua summa. Præcipuum fundamentum Informantium pro D. Comite erat, quod si penes emptorem remanet pars pretij correspondens suis prætensionibus non habet de quo conqueratur, cum sit sibi satisfactum per æquipollens, quod sufficit, vt in specie fuit decisum in causa Romana non implementi coram bo. mem. Seraphino, cuius decisionis copia data fuit.

2 Et quantum ad reseruationem iurium Comitis dicebatur, hoc non interesse D. Marchesij, cum reseruatio iurium præseruet tantum ius, quod adest, non autem aliquid noui tribuat relati per *Crauett. consil. 29. nu. 8.* quod procedit etiam si pars aduersa consentiat huiusmodi reseruationi, idem *Crauett. consi. 33. num. 13.*

3 Quibus non obstantibus Domini verunt in voto, quod nisi totaliter terminaretur negotium super defalcationibus prætensis per D. Marchesium, & illi super hoc daretur absolutoria, non posset pro aliqua parte relaxari mandatum, moti ex eo quod exceptio non implementi nedum obstat respectu, & ad proportionem partis non impletæ, sed respectu totius, adeo vt sufficiat defectus in minimo ad differendam executionem totius contractus. *Bal. in l. iuris gentium. §. adeo. in 2. not. ff. de pact. Dec. consi. 119. num. 1. Bero. consi. 15. num. 14. lib. 3. cum concord. per Dec. consil. 45. num. 10. Surd. consil. 101. num. 2.* Forma enim contractus in integritate consistit, vt ad propositum idem *Bald. in c. cum adeo. num. 4. rescript. Dec. vbi supra num. 10.* vnde nihil videtur factum quatenus est facta pars indiuidui. *Bart. consil. 195. nu. 1. Bald. consi. 32. in princ. lib. 2. Bero. consi. 158. num. 40. lib. 1.*

4 Non obstat, quod venditor satis videatur impleuisse relinquendo penes emptorem partem pretij correspondentem suis prætensionibus, quia procederet, si hoc fecisset simpliciter, & absolutè, & liquidatis omnibus summis, secus si per modum prouisionis, & reuocabiliter, quia non dicitur factum, quod fit reuocabiliter. *Decian. consil. 1. num. 297. lib. 1. Socin. consilio 91. num. 1.* Nec datum, quod non potest retineri. *l. concubinam. §. si hæres, vbi glos. verb. non possis. de leg. 3.* Nec solutum, quod ita soluitur, vt absque noua causa possit repeti. *l. qui sic soluit, vbi Scrib. ff. de solut.* Et in hac materia requiritur effectuale implementum, & non sufficiunt temperamenta. *Ancharan. consil. 331. num. 1. cum alijs per Dec. d. consi. 45. num. 6.*

5 Nec subsistit, quod nihil intersit D. Marchesij, quodam venditor reseruet sibi sua iura, quia imò multum eius interest liberari à pretensionibus, & litibus. *l. minoribus. ff. de minoribus ff. de minor. glos. in c. cum causa. verb. restituerent, & ibi Butr. n. 13. de empt. & vendit. Alex. consi. 222. nu. 12. lib. 2.* Et cum ita exceptio oriatur ex eodem instrumento non potest ita ius reddi actori, vt relinquatur in suspenso exceptio rei. *Dec. consi. 119. n. 1. Roman. consi. 244. nu. 5. vers. breuiter respondetur. Alex. consi. 119. nu. 2. li. 1. Fel. in c. ex parte. il. primo. nu. 12. de offic. de leg.*

R. P. D. CAVALERIO.

Leodien. Fideicommissi. Lunæ 14. Iunij 1610.

DECISIO CCXLIII.

Est impressa inter Caualerio.

DECISIO 108.

REVERENDISS. P. D.

DAMASCENO.

Calaguritana Liquidationis. Merc. 9. Iunij 1610.

ARGVMENTVM.

Testis vnus contra producentem non probat plene, etiam quod deponat de facto proprio secundum obseruantiam Rotæ.

SVMMARIVM.

Distributiones quotidianæ, vt abscenti ab Ecclesia debeantur, debet abscens facere suam protestationem. num. 1.
Testis vnus non probat plene contra producentem secundum Rotæ obseruantiam. num. 2.
Approbatio sine scientia non inducitur. num. 2.
Contraria duo eodem tempore quis voluisse non præsumitur. num. 2.
Testis vnus de facto proprio non probat plene secundum obseruantiam Rotæ. num. 3.
Testis vnus iunctis adminiculis plene probat. Declara, vt num. 4.

DECISIO CCXLIV.

1 DOmini approbarunt decisionem alias in hac causa factam super quantitate fructuum, nec obstare visum fuit, quod sextus testis inductus per D. Didacum dicat, fructus pro maiori parte consistere in distributionibus quotidianis, quod si esset verum non deberentur Didaco, qui non fecit suas protestationes, iuxta *decis. Put. decis. 283. lib. 1. Mohed. decis. 6. de præbend.* quia placuit responsio alias data, quod iste testis, tanquam vnicus non posset plene probare, stantibus maxime alijs per bonas rationes contrarium deponentibus.

2 Et quatenus replicabatur immo testem vnicum debere plene probare in hoc casu, quia inductus à parte, contra quam deponit, & quia deponit de proprio facto ex allegatis fuit responsum, Rotam seruare contrarium in vtroque capite, prout de primo est decisio in causa Bononien. portionis 8. Martij præsentis anni coram R. P. D. Pamphilio, vbi aliæ decisiones allegantur. De secundo sunt *decis. Achill. 3. de testam. Caputaq. 271. par. 3.* Ratio primi esse potest, quia licet inducens videatur approbare personam testis, non tamen videtur approbare dictum, tum quia illud verisimiliter ignorauit, & sine scientia non datur approbatio. *l. mater. versic. nec enim. ff. de inoffic. testamen. Alex. consil. 2. num. 9. lib. 4. Ias. in l. nec is. §. hæres. numero 9. ff. de acquirend. hæred.* Tum etiam, quia ex articulis, & processu apparet, inducentem prætendere contrarium illius, quod deponit testis. Vnde non est dicendum voluisse eodem tempore duo contraria, ad not. in *l. non ad c. 1. ff de condit. & demonstr.* & pro predictis est bonus. *tex. in l. si quis testibus. versi. non admiren-da. C. de testib.*

3 Quantum ad secundum ex eo, quod quis deponat de facto proprio nihil magis colligi potest, quà quod ipse

ipse sit melius informatus ceteris. Verum lex non repellit vnicum testem ex eo solum, quod dubitet ipsum tanquam male informatum potuisse decipi, sed etiam quia noluit tantum tribuere fidei vnius hominis in præiudicium tertij, vt per *glos. in cap. licet vniuersis, versic. vnius, & ibi Bald. num. 4. de test. Butr. in c. veniens il primo, num. 8. vers.* quando autem alteri fit præiudicium, *eod. tit.* licet igitur in teste deponente de facto proprio cesset prima ratio, non propterea cessat secunda, & proinde cessare non debet iuris dispositio, iuxta notata *in l. si non lex. ff. de hæred. instituen. glos. in §. si vero altera, versic. confusionem. in fine authent. de nupe. Bartol. in leg. liberorum, numer. 1. ff. de his qui not. infamia.*

4 Quo verò ad fidem subscriptam ab aliquibus Calaguritanis per quam prætendebatur adminiculata depositio prædicti testis ad perficiendam probationem iuxta allegat *decis. Achil l. decis. 3. de testibus, & Caputaquen. 271. par. 3.* fuit dictum posse procedere nisi adessent alij testes ex quorum dictis ob non obscure colligitur contrarium. Vltra quod nimis magna res visa fuit, quod quatuor personæ possent attestari de natura, & quantitate fructuum omnium beneficiorum diœcesis Calaguritanæ, quę sunt in maximo numero, ita vt non potuerint in aliquo decipi.

5 Quo verò ad secundam partem decisionis, à quo tempore scilicet debet fieri liquidatio, Domini distulerunt propositionem ad alterum tempus.

REVERENDISS. P. DOMINO BONONIEN.

Cæsaraugustana Dedicationis. Ven. 18. Iunij 1610.

DECISIO CCXXXXV.

Est impressa inter Ludouis.

DECISIO 472.

R. P. D. CAVALERIO.

Romana Concordiæ S. Petri. Lunæ 21. Iunij 1610.

DECISIO CCXXXXVI.

Est impressa inter Caualerio.

DECISIO 3.

REVERENDISS. P. D. COCCINO DECANO.

Romana Pecuniaria Veneris 25. Iunij 1610.

ARGVMENTVM.

Quando quis cogi possit ad recognoscendum manum suam scripturæ existentis penes iudicem, & non in actis exhibitæ.

SVMMARIVM.

Recognoscere manum suam nemo tenetur nisi scriptura quæ recognosci petitur in actis, formiter exhibeatur. numer. 1.
Declara, vt num. 2.

DECISIO CCXLVII.

1 CVm Domini de Ruspolis peterent redditionem rationis à Gulielmo, qui fuerat propositus eorum capsę Banchariç exhibitis libris per dictum Gulielmum tentis, & scriptis coram iudice petebant illum cogi ad recognoscendum dictos libros, à se tentos, & scripto, citra tamen approbationem singularum partitarum in eis contentarum, quod cum ipse negaret, nisi formitur exhiberentur in actis, iuxta notata per *Roman. in cons. 249.* consului Dominos, qui censuerunt ipsum debere cogi ad recognoscendum dictos libros modo prædicto, *iuxt. tradit. per Bald. in auth. contra qui propriam, num. 23. Cod. de non numerata pecunia.*

2 Non obstare dixerunt, quod dicti libri non fuerint producti in actis, quia hodie non agitur determinando negotio principali super dictis libris, sed agitur, vt fiat calculus, & illo facto formiter ponatur in actis, & super eo postmodum feratur sententia, & propterea ad hunc effectum sufficit, quod libri fuerint exhibiti penes Iudicem, *cap. 2. §. nos igitur, & c. cum ex literis, §. nos igitur de restit. In integr. Gemin. cons. 98. in princip.* & prædicta nituntur, ne dum de inueterato stylo, Rotæ quæ ita seruauit in omnibus similibus causis, sed etiam maxima æquitate, ne partes superfluis impensis grauarentur in conficiendo registro, & quia resultat idem effectus nam posito calculo in actis virtualiter adsunt omnes partitæ super quibus est controuersia.

REVERENDISS. P. D. PEGNA DECANO.

Ferrarien. Prioratus. Lunæ 28. Iunij 1610.

ARGVMENTVM.

Ex Summarijs sumas argumentum.

SVMMARIVM.

Claricatus probatur ex literis patentibus super clericatu expeditis, num. 2.
Matrimonium, & nobilitas probatus ex testibus, num. 3.
Protonotariatus probatur per Apostolicas literas, num. 4.
Mors probatur per testes deponentes de certa scientia, nu. 5.
Valor beneficij probatur per testes nu. 6. & 7.
Valor rei intra paucos menses, non præsumitur mutatus, numer. 7.
Alternatiua sufficit, vt in vna tantum parte verificetur, numer. 8.
Dictio forsan non præiudicat, & ideo apposita in gratia iustificari non debet. nu. 9.

DECISIO CCXLVIII.

1 ROta censuit gratiam R. P. D. Gilioli fuisse iustificatam; nam super eo quod narrauerat Prioratum fuisse regularem, & solitum commendari, extabant Decisiones etiam iteratæ, quæ modo non reuocabantur in dubium.

4 Super clericatu de tempore gratiæ, edebantur literæ patentes D. Cardinalis Vicarijs Vrbis. *Felin. in cap. post cessionem, num. 3. & 15. vers. fallit septimo de probat. Grammat. decis. 81. incip. in causa Illustrissimi Principis Salerni. numer. 1.*

3 Quod esset natus de legitimo matrimonio, & ex nobili genere procreatus, rite constabat ex testibus *Veral. dec. 277. incip. Doctoratus expressus. par. 1.*

4 Et quod tunc esset, etiam Protonotarius Apostolicus de numero participantium, indubiam fidem faciebant

ciebant Apostolicæ literæ super hoc expeditæ. *l. matriculam. C. de Agen. in reb. lib. 12. l. Scrinarios. vbi Scribentes. C. de testam. milit. l. nemini licere. §. non aliter. vbi Bar. C. de aduocat. diuers. iud.*

5 Quod Prioratus vacauerit per obitum Pauli Silingardi extra Romanam Curiam de mense Augusti 1603. deponebant testes de certa scientia obitus legitime examinati, qui propterea concludenter probabant reseruationem. *Put. decis. 266. incip. in vna Vrgellen. in fi. lib. 3. Achil. decis. 1. de probat.*

6 Demum, quod fructus Prioratus non excederent valorem 300. Ducatorum auri de Camera probabant etiam Testes, qui sufficiunt ad effectum iustificationis cum saltem faciant semiplenam probationem. *Ægidius decis. 114. Verallus dicta decis. 277. num. 8. par. 1.*

7 Quibus accedebat tertius testis Romæ examinatus deponens de prædicta summa per non excessum de publica voce, & fama per verbum fuit, & est, & attingebat tempus mortis Silingardi de Mense Augusti prædicto, & tempus gratiæ R.P.D. Gilioli de Mense Februarij proxime tunc subsequentis, qui propterea firmius probabat valorem, qui intra paucos menses non præsumitur mutatus. *Bad. in l. 2. num. 61. vers. nam in breui tempore. C. de rescind. vendit. Natta consil. 353. incip. arbitror, quod dicta mulier. num. 2.* quos in terminis laudauit Rota in causa Bracharen. Parochialis Sancti Cosmi 16. Nouembris 1605. coram R.P.D. Sacrato.

8 Illa pars narratiuæ, quod Prioratus fuit tanto tempore tentus per Clericos Sæculares, vt naturam beneficijs sæcularis assumpserit, & legitima præscriptio esset completa, non erat iustificanda, tum quia gratia fuit sub alternatiua concessa, nempè si beneficium est regulare in commendam, si vero sæculare in titulum, dummodo non incidat subalternatiua Episcopi Ferrarien. Vnde satis erat vnam tantum partem iustificare. *Ægidius. decis. 280.* prout in hoc casu regularitas fuerit iustificata.

9 Accedebat etiam, quod narratiua fuerat concepta sub dictione (forsan) quæ cum non præiudicet non eget iustificatione. *l. certum. ff. de confess. Felin. in cap. accedens. il. 1. num. 10. versic. melior responsio est. vt lit. non contest. Natta cons. 245. incip. in causa, quæ vertitur. num. 3. lib. 2. Crauett. cons. 157. incip. nobilis Bertrandus. num. 9.*

R. P. D. MANZANEDO.

Romana Prætensæ Deuolutionis. Lunæ 28. Iunij 1610.

ARGVMENTVM.

Dominium rei emphyteoticæ, quomodo probetur, & quomodo probetur etiam fundum esse emphyteuticum.

SVMMARIVM.

Dominium rei emphyteoticæ ad effectum caducitatis, & deuolutionis, plene probandum est. num. 1. & 2. Vbi secus si agatur ad alium effectum.

Dominium rei emphyteoticæ probatur per instrumentum inuestituræ, in quo dicitur, rem illam esse sub proprietate monasterij, etiam in præiudicium singulorum successorum. num. 3.

Emphyteoticam rem esse probatur confessione partis in apocha dicentis, se vineam tenere in perpetuam emphyteusim. num. 4.

Emphyteoticum esse fundum probatur per instrumentum in quo asseritur pro illo solui canonem. num. 5.

Producens scripturam censetur approbare omnia contenta in ipsa scriptura. num. 6.

DECISIO CCXLIX.

1 Dvbitaui, an constaret de dominio in casu, & ad effectum, de quo agitur. Et pro parte Monasterij prætenditur dictum dubium disputari ad effectum consequendi statuas, lapides, & alia excauata ex vinea, seu illorum pretium. Ex aduerso pro parte hæredum deducitur, effectum esse pro caducitate intentata per monasterium in suo monitorio, & maxima differentia inter istos effectus versatur, cum ad effectum caducitatis dominium sit plene probandum. *l. officium. ff. de rei vend. Specul. de locat. §. nunc aliqua. num. 71. cum seq. Caput. decis. 280. par. 1.* & fuit dictum in vna Romena Domus. 2. Maij 1588. coram Orano, & in Romana Deuolutionis vineæ 17. Martij 1603. coram R.P.D. meo Decano, & alias sæpe.

2 Ad alium autem effectum minor probatio sufficit, vt tenuit Rota in vna Neapolitana Domus, 16. Decembris 1605. coram R.P.D. meo Ortembergo in Lauden. Deuolutionis 21. Aprilis 1596. coram Reuerendissimo Pacen. & in alijs. Vnde Domini consideratis probationibus dixerunt constare de Domino, attamen ad effectum recognitionis, & moti fuerunt.

3 Primo ex instrumento Concordiæ initæ de anno 1537. inter monasterium, & quondam Sigismundum, super ista vinea, vbi dicitur, illam esse sub proprietate dicti Monasterij, promittiturque Canonis solutio, quæ confessio inter emphyteutam, & proprietarium probat directum Dominium Monasterij etiam in præiudicium singulorum successorum, vt trad. *Ruin. cons. 50. nu. 13. lib. 1. & consi. 128. num. 16. lib. 2.* quem secuta fuit *Rota decis. 776. num. 1. par. 1. diuers.* & fuit dictum in prædicta Neapolitana Domus coram D. meo Ortembergo.

4 Secundo ex apocha D. Simeonis facta 10. Februarij 1602. ad fauorem eiusdem Monasterij, in qua fatetur tenere eius vineam in emphyteusim perpetuam, cui assertioni statur, quod contractus sit emphyteoticus. *Bal. in addit. ad Specul. tit. de locat. circa princ. Silu. cons. 57. in princ. Natta cons. 49. n. 14. & num. 34. & consi. 114. num. 10. & consi. 194. num. 1. Meno. consi. 372. num. 1.*

4 Tertio ex instrumento celebrato inter d. D. Simonem, & D. Campritium proculatorem dd. hæredum, in quo asseritur vineam esse sub proprietate Monasterij, cum responsione annua pro canone Scutorum 5. monetæ, cum reseruatione beneplaciti eiusdem Monasterij, quatenus opus fuerit, ex quibus verbis in dicto instrumento appositis, fundus reputatur emphyteoticus. *Rolan. à Valle consi. 2. num. 109. & 110. lib. 1. Rota decis. 141. num. 7. par. 2.* & in dicta Romana Domus coram D. meo Ortembergo.

6 Quæ confirmantur ex æstimatione facta per Valpergam Peritum electum pro parte Campritij de ista vinea, tanquam sub proprietate Monasterij, ac cum computatione canonis, qui eidem Monasterio soluitur, quæ æstimatio cum fuerit etiam à Campritio producta, censetur ab eodem in omnibus approbata, etiam quo ad enunciatiue, & incidenter in ea expressa. *Abb. consi. 52. num. 7. circa med. lib. 2. Crauett. consi. 77. n. 8. Cacheran. decis. Pedem. 38. num. 30. Mohed. decis. 1. nu. 1. de regularib.* Ex quibus sic fuit resolutum, &c.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. CARD. LANCELLOTTO.

Parisien. Pecuniaria. Lunæ 5. Iulij. 1610.

ARGVMENTVM.

Librorum exhibitionem petere non potest, qui interesse non habet, & quomodo istud interesse probetur.

SVM-

SVMMARIVM.

Actor de æquitate Canonica, & iuxta obseruantiam Rotæ tenetur Reo libros exhibere ad coadiuuandas eius probationes, summarie docto de eiusdem Rei interesse. num. 1.

Sententia licet per appellationem suspensa, habet tamen præsumptionem boni iuris, num. 2.

DECISIO CCL.

1 DVbium erat an esset legitimata persona Syluiæ Bedinæ, vt posset cogere Bartholomæos ad exhibendum librum Copie de lettere, in casu de quo agitur, Et quo ad primam partem de legitimatione personæ fuit resolutum, esse legitimatam, reseruato quod de secunda parte super exhibitione particulariter videatur, Cum. n. Syluia non veniat nomine alieno, sed nomine proprio, tanquam filia, & hæres quon. Pompei Bedini Cessionarij Domini Oricellai, legitimatio eius personæ nihil aliud est, quam docere de eius interesse, siue sit actrix, siue sola rea, siue vti tertia venerit assistendo ad causam cum etiam reo, saltem ex æquitate Canonica, & iuxta obseruantiam Rotæ sit facienda editio, maxime ad coadiuuanda se eius probationes, de quo tamen interesse ad effectum exhibitionis satis est, quod doceatur summariè, & aliqualiter. *l. 3. §. sciendum. ff. ad exhibendum. c. veniens.* cum ibi notatis. præcipue per *Felin. num. 13. de test. Rota decis. 11. de iudic. in antiq.* & fuit resolutum in causa Esina Bonorum 11. Martij 1583. coram Illustriss. Blanchetto, & in alijs.

2 Ad quem effectum de interesse Syluiæ saltem apparenter hic constat ex apocha cessionis Nasi socij Oricellai ad fauorem sui patris facta ex literis ab Oricellaio scriptis, & ex sententia Auditoris Cameræ ad sui fauorem lata, ex qua declaratur creditrix Dominorum de Oricellais, qui etiam absoluuntur ab impetitis per Bartholomæos, quæ sententia licet per appellationem sit suspensa, facit tamen præsumptionem boni iuris. ad *l. si instituta. §. de inofficioso. ff. de inoffic. test.* Et hæc coadiuuantur ex narratiua Nasi, in cessione facta Bedino, in qua mentionem facit de cessione facta Bartholomæis, & eorum retrocessione, & ex eo, quia cedula Oricellai ad fauorem Nasi reperitur penes Dominam Syluiam, vrgens præsumptio, quod Bartholomæi, quibus dicta cedula fuerat consignata, liberauerint Nasum, & propterea apocham penes se retinere noluerint, sed illam consignauerint creditori, ex quibus negari non potest, quin resultet interesse Bedinæ sufficiens ad istum effectum, quod interesse Bedinæ, cum Bartholomæi excludere intendant per cessionem anteriorem Nasi, ad eorum fauorem factam. Ideo ad probandam retrocessionem petit Bedina exhibitionem libri, in quo de illa apparere prætendit.

3 Non obstant multa, quæ deducuntur iuxta non factam formalem recognitionem cessionis Nasi ad fauorem Bedini, quia erant deducenda, & consideranda ad effectum decisionis negotij principali, non autem ad effectum, vt Bedina tanquam non habens interesse repellatur. Immo si probabitur retrocessio, illa poterit suffragare pro ostendenda veritate cessionis Nasi ad fauorem Bedini, & sic etiam pro illius recognitione.

R. P. D. MANZANEDO.

Romana Pecuniaria de Cresentijs. Die 23. Iulij 1610.

ARGVMENTVM.

Testis instrumentarius reprobans instrumentum facit illius fidem vacillare, nisi pro instrumento concurrant alia adminicula, & an ius alimentorum cedi, & hypothecari possit.

SVMMARIVM.

Testis vnicus non probat. num. 1. in fine.

Testis instrumentarius reprobans instrumentum facit illius fidem vacillare, nisi pro instrumento concurrant alia adminicula. num. 2.

Alimentorum ius formale, licet cedi non possit, commoditas tamen illorum percipiendorum cedi potest, creditoribusque assignari, & hypothecari. num. 3.

DECISIO CCLI.

1 IN vltima decisione scilicet currentis mensis, & anni fuit dictum standum esse in decisis respectu duarum decisionum anteriorum, ex rationibus in illis adductis, & non obstare quatuor testes pro parte Dominorum de Crescentijs examinatos, & particulariter fuit dictum secundum testem esse varium, & sibi contrarium, ex eo quod licet iuxta decimum quartum Interrogatorium deposuisset in actu stipulationis contractus, D. Salustiam assignasse ista duo millia Scuta annua ex suis proprijs pecunijs paternis, postea vero iuxta decimum septimum Interrogatorium dixisse in ipsius instrumenti celebratione, Salustiam dicta duo millia Scuta assignasse eius viro, & filijs ex proprijs ipsorum redditibus in hæc verba. *Delle proprie loro entrate*, &c. Et cum post hæc fuerit repertum in Originali depositione dicti testis scriptum esse, *Delle proprie sue entrate*, ita vt cessat dicta contrarietas, & variatio huius testis, & ipse tam circa 14. quam super 17. articulum non diuersum, sed idem iudicatur deposuisse, cuius rei error ex eo processit, quod dum summaria partium Dominis data in dicta positione, alterum diceret *Delle proprie loro entrate*; alterum vero *delle proprie sue entrate*, quod de tempore extendendæ decisionis per me animaduersum petij, & habui summarium testium originale datum per Notarium ipsis creditoribus, in quo expresse legitur. *Delle proprie loro entrate*; Vnde illi tanquam à Notario transumpto, & parti dato, standum credidi, & iuxta illius tenorem decisio fuit facta, & extensa, comperto tamen prædicto errore, & facto verbo in Rota circa illum in vltima Congregatione habita hodie die Veneris 23. huius præsentis mensis, & anni fuit mihi per Dominos, visa dicta decisione, ordinatum, quod per istam declararem causam prædicti erroris, prout superius, iam declaratum relinquo, & quod dicerem qualiter DD. per dictum secundum testem, non sibi contrarium, sed conformem in sua depositione, habuerunt, attamen vnicum quo ad istum articulum, quod Salustia de proprijs suis redditibus ista duo millia Scuta annua assignasset, vnde tanquam vnicus non probat, ad tex. in c. licet. c. veniens. c. iusiurandum. de testib. & vtrobique Doct. & sic tam ex isto capite, quam ex ceteris, quibus prædicta decisio, & aliæ anteriores nituntur, dixerunt, persistendum esse in decisionibus factis.

2 Sed quia forte pro parte DD. de Crescentijs posset adduci, istum secundum testem esse instrumentariũ, & sic intrare conclusionem, quod testis instrumentarius dicens, rem aliter se habuisse, facit vacillare fidem instrumenti, iuxta communem, de qua per *Imol. post Bart. & Bald. in l. 2. §. si quis neget. ff. quemadm. testamen. aperiantur. & per Felin. in c. cum Ioannes. num. 50. de fid. instrum. not. Gabr. plures adducens. de testib. conclus. 1. num. 62.* Posset tamen tali casu instrumentum adiuuari alijs adminiculis, ad not. per *Fulgos. cons. 78. incip. quadam nomine. n. 2. vers. nec mouet.*

3 Qui articulus, si ab illo dependerent omnia fundamenta

menta dictarum decisionum, possent particulariter videri: attamen quia licet stante isto secundo teste instrumentario posset reuocari in dubium, an ista assignatio fuerit facta de reditibus bonorum D. Salustiæ an verò de reditibus bonorum mariti, & filiorum, semper tamen remanet firmum aliud fundamentum capitale decisionum, nempe quod quamuis ista assignatio fuerit facta ex bonis D. Salustiæ, sicque de nouo fuissent ista duo millia Scuta annua acquisita Dominis de Crescentijs, & venirent in generali hypotheca creditorum comprehendente non solum præsentia, sed etiam futura bona, præcipuè quia quamuis ius formale alimentorum cedi non possit, commoditas tamen illorum percipiendorum cedi potest, & creditoribus assignari vel hypothecari, ita vt quamuis ista duo millia Scuta dicantur alimenta ex bonis Salustiæ Dominis de Crescentijs debita illorum tamen annua commoditas, & perceptio creditoribus obligari potuit, & cadit sub prædicta generali hypotheca creditorum, ex iuribus, & doctrinis latissimè adductis in prima decisione 18. Iunij 1607. in ista causa facta, quæ huc transcribere non libuit, quod fundamentum semper remanet firmum, quantumcunque assignatio fuerit facta de redditibus ipsius D. Salustiæ, quæ omnia, vt prædixi, hic inserui de ordine Dominorum meorum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. LVGDVNEN.

Fesulana Prioratus. 15. Nouembris 1610.

ARGVMENTVM.

Sententia publicata post decem dies à die seruati termini dicitur nulla defectu citationis.

SVMMARIVM.

Sententia debet proferri in scriptis, & publicari in termino citationis, alias regulariter requiritur noua citatio, vel ex defectu citationis sententia est nulla. nu. 1.

Sententia publicata post decem dies à die seruati termini dicitur nulla defectu citationis. nu. 1. & 2.

Sententia lata prout in schedula sustinetur. Declara, vt numer. 2.

DECISIO CCLII.

1 QVia Informantes pro RR. Patribus Camaldulensibus petierunt audiri super nullitate sententiæ de qua parte opponente necessario cognoscendum est. Dubitaui, an sententia Domini Episcopi Fesulani esset nulla, & Rota affirmatiue resoluit dictam sententiam fuisse nullam ex defectu citationis. Constat. enim ex actis, quod die 13. Nouembris, in qua cadebat citatio ad sententiam, terminos fuit habitus pro seruato, & in actis nihil aliud reperitur illa die ad notatum, sed 26. demum die eiusdem mensis Notarius adnotauit, Dominum Episcopum pro declaratione termini dictæ diei tertiæ habito pro seruato tradidisse, & consignasse sibi Notario sententiæ schedulam in actis registrandam tenoris, &c. & sic sententia est consignata Notario, adnotata in actis, & publicata tribus diebus post diem, sub qua cadebat citatio. De iure autem sententia debet proferri in scriptis, & publicari in termino citationis, alias regulariter requiritur noua citatio, vel ex defectu illius sententia est nulla. *leg. 2. & 3. C. de sent. & interloquut. omn. iudic. cap. fin. de re iudicata. in 6. Clemen. sæpe. vbi gl. in verb. in scriptis. de verb. signif. late Gabr. alios cumulans. tit. de cit. concl. 1. ampliat. 23. nu. 16.*

2 Non obstat, quod de stylo sustineatur sententia lata, prout in schedula, iuxta notata per *Bald. in l. 1. nu. 11. d. tit. C. de sent. ex breui. recit. Franc. in d. cap. fin. si contra de mom. poss. q. 22. num. 1. Vestr. in praxi. lib. 7. cap. 1. num. 12. & seq.* Nam id procedit, quando constat ex actis, schedulam fuisse subscriptam, & publicatam per probationis, siue in die sub qua cadebat citatio, & in qua terminus fuit habitus pro seruato, vel saltem quando id potest præsumi, quia de contrario non constat ex eisdem actis, vt colligitur ex præcitatis Doctoribus, & tradit ibi in terminis. *Paris. cons. 49. num. 91. vol. 3.* fuit dictum in vna Faren. Archidiaconatus die 5. Maij 1561. coram bon. mem. Card. Paleotto, quæ habetur lib. 3. par. 3. diuers. dec. 705. & in Fauentina successionis die 22. Nouemb. 9591. coram RR. Pacen. Talis autem præsumptio non potest fieri in hoc casu, cum vt dictum est, ex actis appareat schedulam sententiæ non fuisse consignatam Notario, neque posita in actis, neque recitatam, seu publicatam, nisi sexdecim diebus post citationis terminum habitum pro seruato.

3 Accedit ex abundanti, quod neque stylus illarum partium probatus est habendi terminum pro seruato illumque declarandi per consignationem schedulæ post lapsum tot dierum.

REVERENDISS. P. DOMINO LVGDVNEN.

Romana Montis Farnesiis. 19. Nouembris 1610.

ARGVMENTVM.

Depositarius pecuniarum debitoris ad effectum soluendi creditoribus, si decoxerit, hæc decoctio cedit periculo creditorum, & non debitoris, si creditores ipsi fuerunt negligentes in exigendo debitas pecunias. Et an, & quando debitor soluens ante diem, vel in loco non conuento, vel alteri personæ, quam creditori sit liberatus.

SVMMARIVM.

Pacta, & conuentiones in contractibus semper seruanda sunt. num. 1.

Creditor dicitur negligens in exigendo debitas pecunias, quando eueniente die solutionis protraxit solutionem. n. 2.

Depositarius pecuniarum debitoris ad effectum eas soluendi creditoribus si decoxerit, hæc decoctio cedit periculo creditorum, & non debitoris si creditores ipsi fuerunt negligentes in exigendo debitas pecunias. nu. 2. & seqq. omnibus per totam decisionem.

Debitor soluens procuratori legitimo sui creditoris liberatur, ac si soluisset ipsi debitori. nu. 4.

Debitor annuæ præstationis numquid soluere teneatur in principio anni. n. 4.

Denunciare illis, quæ ad sui fauorem inducta sunt, quisque potest. nu. 5.

Debitor soluere potest suo creditori, etiam ante diem, volente ipso creditore. nu. 5.

Interesse proueniens ex post facto, & inopinato euentu non censetur deductum à Notario in stipulatione ad fauorem contrahentium. nu. 7.

Mercatoris integræ opinionis expectari non debet infelix decoctionis euentus. nu. 7.

Debitor quando dicatur adiectus solutioni. nu. 8.

Debitor soluens in alio loco, quam in eo, in quo soluere promiserat, quando sit liberatus. nu. 8.

DECISIO CCLIII.

1 ROta censuit, Sereniss. D. Parmæ Ducem fuisse liberatum. Agitur enim de bimestri Nouembris & De-

& Decembris in anno 1607. quo tempore non dubitabatur D. Ducem fecisse soluere Ceulo Depositario Montis ratam pecuniæ inter Montistas distribuendam, & quamuis Ceulus facultatibus postea lapsus quampluribus Montistis non satisfecerit, tantum iste casus ad ipsos spectat, non autem ad D.Ducem, quia in pactis in Montis erectione conuentis Depositarius debebat ex annuis redditibus Status, & Ducatus Castri Roncilionis habere scuta annua quinquaginta quatuor millia, atque ex illis soluere fructus locorũ dicti Montis de bimestri in bimestre pro rata in fine cuiuslibet semestris hic Romæ liberè, & omni exceptione remota omnibus, & singulis Montistis, qui dictos fructus recipere voluissent, deinde fuerunt addita hæc verba formalia. Qui vero protraxerint, aut exigere neglexerint de illis eisdem fructibus maturatis, & non exactis intelligantur sequi fidem Depositarij, non autem D.Ducis. Vnde cum dies solutionis dicti bimestris cesserit in principio mensis Ianuarij, & Montistæ protraxerint exigere suos fructus, consequens est ipsos sequutos fuisse fidem Depositarij, iuxta conuentionem, quæ seruanda est. *l.iuris gentium. §.Prætor ait.ff.de pact.l.fin.ff.naut.caup.stabul.l.1.ff. de constit.pecun. l.cum amplius. in fi.de reg.iur.*

2 Quod autem Montistæ protraxerint constat eo ipso, quodam tempore conuento non exegerunt, *Fel.in c. sin autem.n.3.de rescrip.post.Bart.quem allegat cons.102.vol. 1.* & ex quo per totos Ianuarij, & Februarij menses, quibus fides, & Argentaria, seu Bancharia Ceuli negotiatio durauit non adhibuerunt aliquas legitimas diligentias pro consequenda dicta solutione, iuxta tex. & ibi notata in *l.sed & si per Prætorem. §.2. ex quib. caus.maior.Aym.cons.132.n.4.Socin.cons.275.num.6.Meno. cons.518.nu.3.lib.5.Rolan.cons.12.n.25.vol.4.* Augeturque hæc negligentia ex quo quibusdam ex Montistis, qui diligentiores fuerunt, fuit satisfactum de fructibus istius bimestris, ita vt si dum rem protrahunt, vel negligunt exactionem, Depositarius factus sit non soluendo, suæ negligentiæ expensum id ferre debeant, vt ait eliganter Sceuola in *l.pupillus. quo in fraud.cred.* Neque est æquum D.Ducem teneri ex quo hodie pecunia, quam soluerit, amissa sit, quia non teneretur, nec amissa foret, si Montistæ eam accipere voluissent, vt non minus eleganter dixit Marcellus in *l. qui decem. de solut.*

3 Non obstat, quod asseritur D.Ducem non fuisse liberatum, quia solutio facta fuerit alteri personæ inopportuno tempore, & loco alieno. *l. qui Romæ. ff.de verb.oblig.l.si solutiones.ff.de solut.l.3.& tot.tit.de eo,* quod certo loco. Nam quo ad oppositionem personæ illa parum vrget, quia in erectione Montis fuerat conuentum, vt mortuo Tiberio Depositaria, vt vocant, istius Montis pertineret ad eiusdem Tiberij hæredes, vel successores in ratione Bancharia, quæ qualitates cum ambæ duæ concurrerent in Lælio Tiberio filio, sequitur legitimam solutionem illi fieri potuisse, & quidem Montistæ ab eodem Lælio sæpius exegerunt fructus suos.

4 Nec facit, quod solutio non fuerit facta ipsimet Lælio. Nam satis est, quod facta fuerit eius legitimo procuratori, qui habebat mandatum speciale ad recipiendum, & quietandum expresse in hanc causam fructuum Montis, & dictus procurator recepit, & quietauit. *l. vero procuratori. l.qui hominem. §. si nullo mandato.ff. de solut.* non debet etiam dici anticipate facta solutio, quia in erectione fuerunt promissa pro fructibus, & extinctione locorum Montis annua Scuta quinquaginta quatuor millia, & in instrumento sæpe vsurpantur illa verba annuorum Scutorum, annuæ solutionis, annuæ summæ. Ideoque de iure poterat D. Dux soluere initio anni. *l. qui hoc anno. vbi late Bart. & Leum, qui certarum. ff.de verb.oblig. §.at si ista.instit.eod. tit.§.qui hoc anno.vbi gl. instit.de inutil.stipul.* Vnde cum annus inciperet die 5.Septembris, & solutio fuerit facta die 12. Nouembris, sequitur eam non fuisse anticipatam, præterea cum in eadem erectione adesset specialis prouisio circa tempus, quod videlicet fructus soluendi essent in fine cuiuslibet bimestris, manifestum est, non posse subsistere, quod solutio fieri à D. Duce debuerit in fine tantum cuiuslibet semestris. Nam ipse est debitor, & de pecunijs ipsius, videlicet de redditibus Ducatus, & Castri Roncilionis expresse fructus locorum Montium debent solui.

5 Nec iuuari possunt Montistæ conuentione inita inter D.Ducem, & Ceulum Depositarium, in qua idem Depositarius promisit soluere Montistis in fine cuiuslibet bimestris, & Dominus Dux promisit soluere depositario in fine cuiuslibet semestris. Nam illa conuentio facta est fauore Ducis, qui hoc non obstante potuit soluere ante diem non solum, quia potest quisque renunciare illis, quæ ad suum fauorem sunt inducta. *c.ad Apostolicam. de regular.l.si quis in conscribendo. C.de pact.glo.in c. si diligenti.de for. compet.* Verum etiam, quia volente creditore potest solui ante diem. *l.stipulatio ista.§.inter certam.& l.continuus.§.cum ita. de verb.oblig.l.quod certa die. de solut.*

6 Accedit, quod ista conuentio fuit res omnino specialis acta inter Dominum Ducem, & Depositarium, postquam erectio Montis iam conuenta, & in stipulationem deducta fuerat, & loca Montis fuerunt habita relatione ad erectionem, non autem ad istam conuentionem, in qua licet Notarius fuerit stipulatus pro omnibus habentibus interesse, tamen omissis alijs responsionibus sufficit dicere Montistas non posse vti illa conuentione, cum ipsorum nihil intersit, quo tempore Dominus Dux soluat Depositario. Nam antequam neglexerint, aut protraxerint exigere habent semper Dominum Ducem obligatum, siue is depositario soluerit, siue non. Ita vt si in proposito Ceulus defecisset facultatibus in mense Decembris damnum pertinuisset ad D.Ducem, non autem ad Montistas, postquam autem Montistę neglexerunt, vel protraxerunt exigere, non sequuntur amplius fidem Domini Ducis, & per consequens cum non sint amplius illius creditores, ad notata per *Doct. in l. 1. ff. si cer. pet.* non pertinet ad eos, quomodo ipse soluat Depositario. Denique interesse Montistarum in eo consistit, vt fructus ipsis per Depositarium soluantur in fine cuiuslibet bimestris, non autem vt prius, vel posterius soluantur Depositario per D. Ducem.

7 Nec viget replicatio Montistarum, quod non constet de ipsorum interesse sufficienter, ex quo si Dominus Dux non soluisset ante finem bimestris pecuniæ fuissent adhuc penes suam Serenissimam Celsitudinem eo tempore quo Ceulus defecit, & ex illis potuissent exolui fructus decursi locorum Montis, quia respondetur, quod istud interesse prouenien ex post facto, atque ex inopinato euentu, non debet censeri deductum à Notario in stipulationem ad fauorem Montistarum. *l.si tibi decem.§.si pactus sim.ff.de pact.l.contractus.de reg. iur.Card. in Clem. accedens.num.13. de præb. Aret.in §. alteri. instit. de inutilib. stipul.* Vltra quod non interesset Montistarum si suo tempore exegissent, & Dominus Dux, qui satisfecerat suæ obligationi erga Montistas præstando depositarium, qui soluit aliquibus, & poterat compelli, vt omnibus solueret, non tenebatur, immo non debebat expectare casum, & aduersam fortunam Ceuli, qui erat mercator integræ opinionis. *l. si à bonæ fidei possessore. ff. de rei vendicat. l.inter stipulantem. §. sacram.de verb. oblig.* Vnde cum ille casus aduersus contigerit, non debet imputari Domino Duci eo prætextu, quod soluerit ante tempus, quia cum id fecerit debitore volente, fecit quod sibi de iure licebat.

8 Superest tertia obiectio, quod solutio facta sit in nundinis Placentiæ, cum tamen Romæ esset facienda, verum

verum illa facile tollitur, quia siue Ceulus fuerit creditor, iuxta conuentiones inter Dominum Ducem, & ipsum initas, siue fuit adiectus solutioni, ex quo vigore erectionis pecuniæ erant illi consignandæ. *l. Iulianus. §. qui fundum. de verb. oblig. Bald. cons. 396. lib. 3. Ruin. cons. 209. num. 8. vol. 1. Rota Genuen. dec. 54. num. 4.* & intererat Montistarum, vt penes eum pecuniæ remanerent, ad effectum, vt ex illis suos fructus in eius banco consequerentur. *Paris. qui de communi testatur, cons. 107. num. 32. lib. 3.* vtroque casu facta illi solutione, & in alio loco contigit Domini Ducis *liberatio. l. 3. §. idem Iulianus. ibique not. gl. & Doct. in l. is qui certo. de eo quod certo loco. Crescent. decis. 2. de solut. Late Stracch. de adiecto. par. 2. nu. 61. & seq. tradit in d. §. idem Iulianus.* optimam rationem Bart. quid videlicet, quæ consistunt in dando non variantur varietate loci essentialiter, & vbicunque debitum soluitur adfert recipienti vtilitatem, & licet peti posset interesse ratione transmissionis pecuniarum, vt electionis loci, quãdo solutio facta fuit adiecto, tamen id nihil est in hoc casu, quia Montistarum nihil interfuit quo loco fieret solutio, ipsi enim aliud desiderare non possunt, nisi quod fructus locorum Montis sibi soluantur Romæ per Depositarium in fine cuiuslibet bimestris. Id autem sequuntur dum habent bancum Romæ apertũ & Depositarium soluentem, & qui executiue compelli potest, vt soluat, & hoc stante nõ spectat ad eos quid inter ipsum D. Ducem, & Depositarium geratur, vel quo in loco fiat solutio, & lex vult quidem creditorẽ curiosum, *l. 3. §. sed si sic. in fin. ff. de in rem verso*, sed illis duntaxat, quæ sua intersunt. *l. vltim. in fine. de instit.* vltra quod satis censeri debet solutum mercatori in Vrbe, quando ipso volente soluitur Placentiæ, quandoquidem mercatori facile est accipere in Vrbe mutuas pecunias restituendas Placentiæ, & è contra facile est etiam transportare à Placentia pecunias in Vrbem per literas Cambij. Ex quibus omnibus fuit resolutum Sereniss. D. Ducem fuisse liberatum.

REVERENDISSIMO P. DOM. ATTREBATEN.

Signina Pœnarum. Veneris 19. Nouembris 1610.

ARGVMENTVM.

Testes super immemorabili præscriptione deponentes, cuius ætatis esse, & quomodo deponere debeant, vt probent.

SVMMARIVM.

Præscriptio immemorabilis non probatur per testes, qui non sint annorum 54. nu. 1.

Testes probantes immemorabilem præscriptionem, debent deponere de visu per annos 40. nu. 1. & 2.

Immemorabilis præscriptio non dicitur esse, vbi constat de aliquibus actibus contrarijs. nu. 3.

Regalia non præscribuntur, nisi immemorabili præscriptione, num. 4.

DECISIO CCLIV.

1 IN hac causa 28. Nouembris anno 1608. firmatum fuit, Illustrissimum, & Excellentissimum D. Ducẽ Sfortiam habere fundatam intentionem in emolumentis pœnarum criminalium Ciuitatis Signinæ de iure communi. Postea 20. Nouemb. 1609. firmatum fuit similiter Communitatem quoque habere fundatam intentionem in immemorabili reseruatis tamen exceptionib. tam contra testes, quam alias probationes. Vnde proposui dubium, an exceptiones D. Ducis contra intentionem Communitatis releuent, & decisum fuit releuare. Nam ex quatuor testibus secundus annorum septuaginta quinque fatetur se diuersis vicibus fuisse absentem à Ciuitate Signina per spacium viginti quinque annorum circiter, vt in Summario Ducis. nu. 8. Ideoque non potest deponere de visu per 40. annos continuos, quia demptis 25. annis remanent tantum 50. Ad probandum verò immemorabilem requiritur ætas annorum 54. videlicet anni 40. de visu vltra annos 14. pubertatis, vt in decisione vltimo loco in hac causa facta, & in Comen. Decimarum 8. Martij 1604. coram me, & plures cumulat *Gabr. de præscript. concl. 1. nu. 83.*

2 Quartus testis in ordine annorum 60. dicit se oriundum quidem ex Ciuitate Signina, sed natum esse Romæ, & in Ciuitate Signina ab annis 18. citra habitasse cum familia, ita vt non possit deponere de visu per 40. annos. Quintus ætatis annorum 57. deponit se cõmoratum esse in Ciuitate Signina vsque ad ætatem annorum 16. vel 17. & postea studuisse Romæ, & post doctoratum in diuersis locis egisse Gubernatorem, & interpolate, quandoque vno mense, quandoque duobus in anno in Ciuitate Signina versatum fuisse, vnde colligitur, quod nullo pacto possit probare de visu per 40. annos.

3 Ita vt remaneat solus tertius testis ætatis 67. annorum, qui non fuit absens per longum tempus, sed aliquando per mensem. Item omnes illi testes conuincuntur de mendacio, dum dicunt, se nunquam vidisse contrarium, cum tamen ex pluribus actibus constet de contrario per proclamata, & sententias Gubernatorum, dantur etiam multæ gratiæ factæ à diuersis, condemnatis ad pęnas, similiter ostenduntur exactiones huiusmodi pęnarum à Camerarijs, siue Fiscalibus nomine Ducum, & alij similes actus, ex quibus Duces constituti fuerint in quasi possessione exigendi pœnas, & excluditur immemorialis, qua non potest dici memoriam non esse in contrarium, ex quo de contrario constat. *Io. Andr. in cap. 1. in fine. de præscript. in 6. Alex. cons. 21. num. 38. Gamb. de offi. legat. lib. 3. nu. 317. Put. decis. 436. lib. 2.* fuit dictum in Alexandrina Sancti Stephani 22. Iunij 1598. coram R. P. D. meo Decano, & in Aquinaten. beneficij 29. Aprilis 1602. coram R. P. D. Ludouisio, & alias sæpius.

4 Sublata verò immemoriabili per exceptiones contra dicta testium, non est agendum de adminiculis, cũ ad præscribendum Regalia requiratur immemoriabilis, vt fuit dictum in prædicta vltima decisione in hac causa facta. Neque putarunt Domini operæ pretium discutere exceptiones contra personas testium, qui omnes sunt de vniuersitate neque contra scripturas, &c. Et ita fuit resolutum in fauorem D. Ducis, ad ipsum scilicet spectare pœnas Ciuitatis Signinæ.

R. P. D. CAVALERIO.

Leodien. Fideicommissi. Ven. 19. Nouembris 1610.

DECISIO CCLV.

Est impressa inter Caualerio.

DECISIO 125.

R. P. D. PIROVANO.

Aquilana Nullitatis Erectionis. Lunæ 20. Decembris 1610.

AR-

ARGVMENTVM.

Oblationes, & alij Prouentus, existentes intra Parochiam, spectant ad Ecclesiam Parochialem.

SVMMARIVM.

Oblationes sunt de iure parochiali. num.1.
Parochialis Ecclesia habet intentionem fundatam super omnibus prouentibus Parochialibus. num.1.

DECISIO CCLVI.

1 CVm Dominis placuisset die 24. Maij 1610. capere resolutionem erectionem Ecclesiæ sub inuocatione Beatæ Mariæ ad Præsepe, intra fines Ecclesiæ antiquæ, & Baptismalis loci de Paganica, ac dismembrationem partis curæ animarum eiusdem esse nullam, suborta est exinde alia, non leuis dubitatio, ad quem spectarent, Ecclesia erecta, & oblationes illius, omissa disputatione de Ecclesia, dubium proposui stricte ad oblationes. Et dictum fuit illas spectare ad Ecclesiam Parochialem loci prædicti de Paganica, quia oblationes sunt de iure Parochiali. *c. quia sacerdotes, & c. Sanctorum. 10. q. 1.* & Ecclesia Parochialis fundat intentum suum de iure communi super omnibus prouenientibus intar Parochiam. *c. pastoralis.* de his, quæ fiunt à Prælat. *cap. ad audientiam. il 1. de eccles. ædific. Abb. Barb. & Imol. in d. c. pastoralis. Idem Abb. in c. dilectus. num. 4. vers. dubitatur. de offic. ordin. & ibidem Felin. nu. 3. Innocen. Hostien. Anton. de Butrio, & Abb. in rub. de Paroc. Ferrett. consi. 143. num. 4. Cappell. Tholoss. quæst. 583. Calder. consi. 5. de relig. domibus, & quamuis Marian. Socin. in suo trac. de oblat. lib. 18.* Visus fit distinguere sex casus, & dubitare primo, an oblationes spectarent ad Dominos, qui fabricauerunt Ecclesiam, secundo, an ad locum ipsum. Tertio, an ad Ecclesiam illius nominis. Quarto, an ad Ecclesiam Cathedralem. Quinto, an ad Episcopum. Sexto, an ad Ecclesiam Parochialem, tamen omnibus consideratis conclusit spectare ad Parochialem, & Communis opinio Scribentium affirmauit, cum qua Rota transijt solo Capitulo de Paganica Informante.

REVERENDISSIMO P. D.

LVGDVNEN.

Pamphilonen. Beneficij. 24. Nouembris 1610.

ARGVMENTVM.

Quod beneficium fit simplex, Beneficij possessio, quod resignans habeat aliunde vnde viuere possit, valor Beneficij, Clericatus, & idoneitas Impetrantis beneficium: Hæc, inquam, omnia per testes probari possunt, & quomodo.

SVMMARIVM.

Beneficia præsumuntur potiùs simplicia, quam curata. n.1.
Beneficij possessio quomodo probetur per testes. nu.2.
Consuetudo Regionum attendenda est ad effectum probationis, quod resignanti supersit, vnde commode viuere possit. num.3.
Valor beneficij per non excessum probatur per publicam vocem, & famam. num.4.
Valor beneficij per non excessum probatur per publicam vocem, & famam. nu.4.
Valor beneficij per non excessum quomodo probetur per testes. num. 5.
Clericatus ad effectum iustificationis gratiæ probatur minus semiplena probatione. nume. 6.
Idoneitas supplicantis probari potest per testes. num. 7.

DECISIO CCLVII.

1 PRo Informante videlicet gratiam Domini Leandri esse iustificatam, quod enim beneficium sit simplex, deponunt tres testes super tertio articulo, & concurrit confessio Domini Petri Aduersarij in responsione, quam dedit super quarto articulo, vltra quod beneficia præsumuntur simplicia, ideoque ista expressio non indiget iustificatione. *Ægid. decisio. 675.*

2 Probant etiam possessionem Martini resignantis idem testes, quia super secundo articulo dicunt cognouisse Dominum Martinum, qui fuit beneficiatus Parochialis Ecclesiæ Villedesos, & se scire, ac vidisse per spacium plus triginta annorum ipsum possedisse dictum suum beneficium pacifice & quiete percipiendo fructus absque contradictione, & inseruiendo dictæ Ecclesiæ, atque exercendo actus, diligentias, & obligationes, quas habent beneficiati dictæ Ecclesiæ. Hæc enim est plenissima, & concludens probatio *l. Titia. ff. de solution. l. 2. vbi Bart. ff. de acquir. poss. Cæs. de Grass. decis. 14. de testibus.*

3 Quod dicto Martino resignanti superest, vnde posset commode viuere, dicunt ijdem testes, super quarto affirmantes se scire, quod habebat domos, atque pecunias, credita, frumentum, equos, & alias res mobiles valoris plus mille Ducatorum, ex quibus annuum redditum quinquaginta Ducatorum sibi poterat constituere, atque ex illo honeste viuere, iuxta istorum testium dicta, qui super hoc articulo, & super omnibus de publica voce, & fama deponunt censeri deberet iste redditus annuus sufficiens, cum in hac materia deferatur moribus Regionum, vt per *Rebuf. de Congrua. num. 76.* atque etiam admittatur in Bulla Sanctæ mem. Pij V. super Congrua Vicarij.

4 Valor quo ad non excessum narratus est ex eorundem testium depositione iustificatus, dum super secundo dicunt se scire, ac per experientiam vidisse fructus dicti beneficij non excedere valorem viginti quatuor Ducatorum de Camera, & hoc esse verum, publicum, manifestum, & notorium, & licet in valore per non excessum expresse sufficiat probatio de publica voce, & fama. *Ægid. decis. 682. Verall. decis. 277. nu. 3. par. 1.* fuit dictum in Eluen. Beneficij Sancti Saluatoris. 13. Nouemb. 1602. coram R.P.D. meo Decano.

5 Nihilominus testes vlterius progrediuntur dicentes ex eadem publica voce, & fama, & ex ipsorum scientia, & visu, quod absentes nihil percipiunt, atque hoc ipsum respondit quoque ipsemet Petrus in prædicta sua responsione super quarto articulo, fructus vero ad effectum regulæ de valore non considerantur, nisi qui etiam importati, & in absentia percipiuntur, & quotidianarum distributionum non habetur ratio. *Oldrad. consil. 113. Mohed. decisione decima sexta. de præbend. Put. decis. 464. sub num. 2. Achill. super regul. de valore. decis. 5.*

6 Clericatus Leandri Resignatarij probatur per testes de visu, licet quo ad hanc qualitatem sufficeret minus plena probatio, *Verall. decis. 277. num. 6. & sequen. par. 1. Guidop. decis. 233. Rota in antiq. decis. 14. de probat.*

7 Denique vitæ, morumque honestas, & sufficientia siue idoneitas Leandri tam ex testibus, quam ex examine probata est. Itaque fuit conclusum, gratiam esse iustificatam.

REVERENDISS. P. D.

ATTREBATEN.

Messanen. Iurisdictionis. 24. Nouembris 1610.

ARGV-

ARGVMENTVM.

Ecclesia quando dicatur Parochialis, quando præsumatur Parochialis, & quomodo probetur Ecclesiam esse parochialem.

SVMMARIVM.

Testium ratio potiùs quam dictum attendi debet. nu. 1.
Parochialis Ecclesiæ possessio probatur ex eo, quod Sacerdos tempore Paschatis Resurrectionis distribuit signa, & bolettinos eorum, qui se communicarunt. nu. 1.
Onerum solutio probatur pertinentia. nu. 2.
Sacerdos quod sit parochus Ecclesiæ, cui inseruit, probatur ex eo, quod in alijs Ecclesiis non adest Parochus. num. 3.
Episcopus non potest habere curam particularem vnius Parochiæ cum illa sit incompatibilis cum Episcopatu. num. 4.
Ecclesia non præsumitur Parochialis, & qui eam parochialem dicit probare debet. num. 5.
Ecclesia Parochialis non dicitur, quæ non habet distinctionem limitum, domorum, & personarum. nu. 6.
Ecclesia Parochialis dicitur Ecclesia matrix, etiamsi aliæ Ecclesiæ habeant curam certarum personarum. num. 7. & 8. Vbi de eadem materia.

DECISIO CCLVIII.

1 Cum præsupposito, quod Ecclesia Sanctæ Mariæ Archipresbyteralis nuncupatæ sit Parochialis, & quod Archipresbyter sit dictæ Ecclesiæ verus, & perpetuus Parochus, Domini steterunt in decisis, die 1. Martij proxime præteriti ex rationibus tunc deductis. Quantum enim ad primum caput sententiæ claræ sunt depositiones plurium testium, qui dicunt Archipresbyterum esse solum Parochum in toto Castro, & districtu Castri Regalis. Nec subsistit, quod rationes, quas ipsi reddunt concludant circa iurisdictionem, non autem circa curam, ideoque intret regula, quod in testibus ratio potiùs, quam dictum attendi debet, vt per *Aym. post Bal. & alios consi. 36. n. 54. in fi.* Nam inter alia deducta in decisione reassumebant Domini præcipue illud factum, quod specifice testes significant, videlicet Dominum Archipresbyterum quotannis distribuisse signa, seu vt ipsi dicunt bollettinos tempore Paschatis Resurrectionis, pro recognitione eorum, qui præceptum Ecclesiæ adimpleuissent, quæ res proprie spectant ad Parochum in c. omnes vtriusque sexus. & ibi notatur de pœnit. & remissio.

2 Præterea dispositiones testium coadiuuantur multis adminiculis alias consideratis quibus nunc additur, quod Archipresbyter soluit Cathedraticum pro omnibus Ecclesijs tàm intra, quàm extra Castrum Regale existentibus ad eum spectantibus, inter quas connumerantur Ecclesiæ, de quibus agitur, & non est dubium, quia ex onerum solutione probatur pertinentia, vt fuit dictum in Vlixbonen. Iuris Conferendi 2. Decembris 1605. coram bo. mem. Litta, per *tex. in clement. 1. de Iur. patr. & c. 1. de Eccles. ædific. Abb. in c. eam te. num. 13. Butr. nu. 14. de æta. & qual.*

3 Postremo cum cura non possit esse penes presbyteros istarum Ecclesiarum, quia in qualibet Ecclesia sunt plures, & amouibiles, & sine titulo, & pro libito discedunt ab Ecclesijs, & deserunt curam, quam non proprio nomine, sed alieno exercent, consequens est, vt sit penes istum Archipresbyterum, qui de iure suo dat multas probationes. Hæc enim cura necesse est, quod penes aliquem resideat, & in hoc casu non reperitur alius, qui possit illam vindicare, & in simili etiam fuit consideratum coram bo. mem. Card. Seraphino 14. Decemb. 1598. in Pampilonen. de Stella.

4 Nec obstat, quod ex *consil. Oldra. 67.* dicitur istam curam esse posse penes Episcopum, qui habet curam totius diœcesis. Nam Episcopus non potest habere curam particularem vnius Parochiæ, cum illa sit incompatibilis cum Episcopatu, vt dixit Rota in prædicta Pampilonen. in qua fuit allegata alia decisio in causa Pampilonen. de Gongora coram bo. mem. Card. Pamphilio, & prius etiam fuerat dictum coram Robusterio in Toletana iuris nominandi 28. Ianu. 1583. quæ est *decis. 309. p. 2.* diuers. vbi in specie prædictum. *consil. Oldr. reprobatur.*

5 Secundum autem caput sententiæ, quod Ecclesiæ Sancti Saluatoris, Sancti Nicolai, & Sanctæ Mariæ non sint Parochiales, remanet iustificatum, ex quo Parochialitas cum de iure non præsumatur, probanda est, vt per *Bellam. decis. 676. per tot.* Hic autem ad perfectionem talis probationis deficiunt duo requisita, videlicet quod istæ Ecclesiæ habeant Parochum, qui singulariter, & suo nomine curam in illis exerceat ex iuribus in prima decisione allegatis.

6 Insuper nec proprie est in dictis Ecclesijs certus populus. Nam distinctio limitum, non habetur, & hæc, vel illa domus non est huic, vel illæ Ecclesiæ semper attributa, sed duntaxat singulis Ecclesijs certus non domorum, aut familiarium, sed personarum numerus assignatur, nec personæ sunt semper eædem, sed sæpe, & pro libito immutantur. Signum manifestum, quod iste sunt Cappellæ extructæ pro succursu, & auxilio matris Ecclesiæ, atque vt magis commode, & minori turbæ fidelibus Sacramenta possint ministrare. *Lap. allegat. 6. Abb. & Butr. vbi supra. Rebuff. de decim. quæst. 6. num. 11.*

7 Quamdiu igitur dictæ Cappellæ, seu Ecclesiæ non probant Parochialitatem cum suis requisitis curam totius plebanatus censetur existere penes Ecclesiam matricem, quæ est vera Parochia, etiamsi prædictæ Ecclesiæ auxiliatrices habeant curam certarum personarum. *Abb. consi. 58. par. 1. colum. fin. vers. Secundo* possunt intelligi, per *tex. & glos. in c. ex transmissa. de præsumption.*

8 Non obstat, quod istæ Ecclesiæ in quadam concordia de Anno 1371. dicantur parochiales. Nam id intelligendum est ratione fori pœnitentialis, & Sacramentorum, quæ in illis administrantur. Cum enim deficiant alia requisita parochialitatis, declaratio illius enunciatiuæ aliunde petenda est, & habetur in visitatione facta de anno 1601. vbi dictæ Ecclesiæ dicuntur Sacramentales, & Ecclesia Archipresbyteralis dicitur Ecclesia Parochialis matrix. Item Reuerendissimus Archiepiscopus Messanen. erexerat ante biennium prædictas Ecclesias in parochiales, quam erectionem non fuisse validam consulenti Archipresbytero Sacra Congregatio Illustrissimorum Sacri Concilij Tridentini Interpretum respondet, quod est argumentum manifestum, illas nec esse, nec haberi pro vere Parochialibus, & quidem in dicta concordia enumerantur plures præeminentiæ Ecclesiæ Archipresbyteralis, inter quas animaduersione dignum est, quod in festiuitatibus Sanctissimi Corporis Christi, & Assumptionis Beatæ Virginis Mariæ cautum est expresse, ne in dictis Ecclesijs vesperæ possint celebrari, sed quod omnes illarum Ecclesiarum Clerici conuenire debeant ad Ecclesiam Archipresbyteralem. Si enim illæ Ecclesiæ essent veræ Parochiales fuisset omnino inconueniens, quod Rector, & alij Clerici, qui plures in qualibet dictarum Ecclesiarum existunt descererent suum populum, illumque celebratione diuinorum officiorum priuarent in festiuitatibus adeo solennibus.

9 Quantum ad tertium caput sententię, nihil est addendum decisioni sententiæ. Sententia enim disposuit presbyteros esse approbandos, & eligendos ab Archiepiscopo Messanen. Ordinario, nec quo ad hoc facit de Archipresbytero, aut de illius consensu aliquam mentionē, & quatenus disponit per dictos pres-

byteros sic electos, & approbatos administrari posse Sacramenta in dictis Ecclesijs pro adiumento Archipresbyteri, penes quem omnimoda cura resideat, remanet satis iustificata ex supradictis.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

D. CARD. LANCELLOTTO.

Parisien. Pecuniaria. Veneris 26. Nouemb. 1610.

ARGVMENTVM.

De mercatore, quòd non teneatur exhibere librum, in quo literæ missiuæ copiantur, nisi probata existentia tempore motæ litis plenè, & concludenter, non autem præsumptiuè. Et de testibus nulliter examinatis absque citatione ad videndum eos iurare.

SVMMARIVM.

Mercator non tenetur exhibere librum vulgo dictum Copia di lettere, nisi illius probata existentia penes ipsum plene, & concludenter, non autem per præsumptiones. num.1.

Testes examinati parte non citata dicuntur nulliter examinati. num.2.

Citatio facta pro qualibet die ad videndum examinari testes vti nimis vaga, non valet. num.3. Vbi etiam an saltem sustineatur pro prima, secunda, vel tertia die.

Citatio ad videndum committi Notario iuramenta testium, non valet, nisi etiam dicatur ad videndum iurare testes. num.4. & 5.

Stylus contra ius, & respiciens decisoria formiter probandus est, & non per simplicem fidem. num.5.

Libros alteri exhibere quis non tenetur, nisi probata existentia penes eum plene, & concludenter, ac etiam de tempore motæ litis. nu.6. vbi etiam quod isto casu non præsumitur de præterito in præsens.

Liber mercatorum, in quo literæ copiantur non deseruit, nisi per annum, & pro memoria, & commoditate iuuenis, qui literis respondet. num.7.

Iudex, qui in causa sententiam tulit, non est idoneus testis deponendo ad comprobationem suæ sententiæ. nu.8.

DECISIO CCLIX.

1 FVit resolutum, non teneri ad exhibendum librum Copia di lettere, de quo agitur, cum non probetur existentia huius libri penes ipsos, quæ esset ad hunc effectum plene, & concludenter probanda, non autem per præsumptiones. *l.3. in princ. & ibi. glos. in §. sciendum. in vers. Summatim. ff. ad exhiben.* & fuit resolutum in causa Esina bonorum. 12. Martij 1583. coram Illustriss. Cardinale Blanchetto, & in causa Romana Redditionis Computorum 22. Martij 1602. coram R.P.D. meo Coccino, & in causa Marsicana Thesaurariæ 15. Decemb. 1604. coram R.P.D. meo Ludouisio, & in causa Romana Gemmæ 27. Septembris 1609. coram R.P.D. meo Decano, & in alijs pluribus.

2 Nec illam probant tres testes. Nam omissis exceptionibus, quæ contra personas illorum opponuntur quod aliter sit Auunculus Syluiæ, alter seruitor, & alius iudicauerit in causa, nihil faciunt, cum fuerint nulliter examinati absque citatione ad videndum iurare, quæ est omnino necessaria. *l. si quando. C. de test. cum c.2. & ibi Abb. & alij eod. tit.*

3 Neque obstat citatio, quæ allegatur, quia cum fuerit facta pro qualibet die vti nimis vaga, & speciem seruitutis inducens, fuit nulla. *Put. decis. 258. num.5. lib.1. & decis. 152. lib. 2. Mohed. decis. 4. numer. 3. de testib.* & fuit dictum in causa Asten. Pascui. 24. Nouembris 1606. coram me, & in alijs. Et quatenus vellemus illam sustinere pro prima, secunda, vel ad summum pro tertia die adhuc nihil releuaret, quia citatio fuit facta pro die 4. Nouembris, & testes iurauerunt die 12. Neque citatio intermedia, & terminus ad dandum interrogatoria aliquid habet commune cum iuramento, quod non impediebatur per pendentiam termini ad dandum interrogatoria.

4 Et nihilominus quatenus hæc citatio fuisset valida, non fuit citatio ad videndum iurare, sed ad videndum committi Notario examen, & iuramenta testium & magna est differentia inter citationem ad videndum iurare, & ad videndum committi Notario iuramenta testium, vt patet ex se, & trad. *Vestr. in praxi. lib. 2. c.6. num.11. & 12.*

5 Non obstat stylus allegatus, quia est contra ius, & respicit decisoria, & nō ordinatoria, & ideo non probandus per simplicem fidem, sed est formiter probandus, vt in indiuiduo fuit resolutum in causa Aretina Spolij, 9. Iunij 1604. coram R.P.D. meo Coccino. Vltra quod in fide non dicitur, quod fiat citatio ad videndum iurare testes, & licet dicatur, quod testes examinantur absque alia citatione ad videndum examinare, non tamen inde sequitur, quod non fiat citatio ad videndum iurare, cum non dicatur absque alia citatione ad videndum iurare, sed ad videndum examinare. Vltra quod neque etiam in fide dicitur, quod possint iurare testes per longum interuallum post citationem, & quod citatio ita vaga sustineatur etiam vltra duos, vel tres dies.

6 Præterea etiamsi testes fuissent examinati probarent solam existentiam penes Bartholomæos per quindecim menses ante motam litem, non autem de tempore motæ litis, prout requiritur ad hunc effectum. *l. non ignorabit. & ibi Canr. num.4. ff. ad exhibendum.* & fuit dictum in causa Valentina illegitimatis. 9. Februarij, & Decembris 1609. coram R.P.D. meo Caualerio. Nec valet argumentum à præterito in præsens, vel ad tempus motæ litis, quando ille, qui habet libros, vel scripturas non erat obligatus illos conficere, vel custodire. *Canr. in l.2. num.7. Corn. num.11. C. de test.* & fuit resolutum in causa Romana Computorum 7. Februarij 1590. coram bonæ mem. Orano, & in causa Romana Redditionis Computorum 22. Martij 1602. coram R.P.D. meo Coccino, & in causa Romana Tutelæ, seu administrationis 17. Iunij 1609. coram me, & in Ferentina Pecuniaria tertia Aprilis 1600. coram R.P.D. meo Attrebaten. & in allegata causa Marsicana Thesaurariæ, in quibus fuit dictum, quod non attenditur probatio præsumptiua, sed quod requiritur probatio de tempore motæ litis.

7 Neque obstat, quod mercatores soleant conficere, & custodire huiusmodi librum *Copia di lettere*, Tum quia non probatur hoc solitum, tum quia quatenus probaretur, non tamen sequitur, quod teneantur, & sint obligati illum custodire, quod sufficit ad hunc effectum, sed cessat difficultas in attestatione primariorum Mercatorum Vrbis Vincentij, Lauaiani Cæsaris Rodiani, Alexandri Ruspoli, Francisci Ticci, Camilli de Pallagio, & aliorum plurium attestantium, quod iste liber deseruit solum per modicum tempus pro memoria, & commoditate iuuenis, qui literis respondet, & quod post annum nihil seruit, nec solet custodiri.

8 Non obstat, quod vnus testis deponat de tempore post litem motam, tum quia est vnicus, tum quia est etiam suspectus cum iudicauerit in hac causa exhibitionis, & eius sententia fuerit reuocata, vnde non est idoneus testis, iuxta notata in *l. ne in arbitris. C. de arbitr. & in cap. cum à nobis. de testibus*. quod procedit etiam post sententiam per ipsum latam, quia præsumptio est, quod velit factum suum comprobare. *Felin. in d. cap. cum à nobis. post num.5. Aufr. ad decis. Cappell. Tholos. 142. num.2.*

REVE-

REVERENDISS. P. DOMINO

DAMASCENO.

Casalen. Irregularitatis. Lunæ 29. Nouemb. 1610.

ARGVMENTVM.

Irregularitas non incurritur ex sola interessentia in homicidio sine participatione, prout nec etiam incurritur ex eo, quod quis det operam rei illicitæ, ex quo casu fuerit sequutum homicidium, nisi illud illicitum fuerit causa homicidij.

SVMMARIVM.

Irregularis quis non efficitur ex sola interessentia homicidio, nisi probetur participatio. num. 1.
Dans operam rei illicitæ, an teneatur de homicidio casu inde sequuto. Distingue, vt num. 2.
Irregularis efficitur is, qui dedit operam rei illicitæ, ex qua postea homicidium casu sequutum est. Declara, vt num. 2.
Irregularitas incurritur ex interuentu in homicidio, licet quis alium non percusserit. Declara, vt num. 3.
Homicidio quis interuenisse præsumitur potiùs casu, quam præmeditate. num. 4.
Testis examinatus à Iudice laico contra clericum nihil probat. num. 5.
Testibus deponentibus in specie magis creditur, quam deponentibus in genere. num. 6.
Sententia, quæ non iustificatur ex actis, tanquam notorie iniusta non transit in iudicatum. num. 7.
Sententiæ sola dispositiua attenditur potiùs, quam narratiua. num. 8.

DECISIO CCLX.

1 CEnsuerunt Domini Corradum Molam non incurrisse irregularitatem. Nam quod ipse patrauerit aliquod homicidium, non probatur in processu, sed tantum quod illi interfuit, quæ interessentia nisi probaretur participatio, nullius est considerationis. *c. vltimo. in fin. 23. quæst. 8. Innoc. in c. sententiam. num. 1. in fin. verb. intersit. titu. ne cler. vel monachi. Specu-lat. tit. de dispensat. §. 4. nume. 9. Abb. in c. Petrus. num. 1. vers. secus videtur. de homicid. Felin. in c. sicut. num. 6. vers. & omnia ista. eodem tit. Feder. de Sen. cons. 168. in princ. Late Paris. cons. 152. num. 30. 31. lib. 4.*

2 Non obstat, quod homicidia sequuta fuerint occasione chorearum, quibus non licebat Conrado, cum esset clericus interesse, & proinde tanquam dans operam rei illicitæ, teneatur de homicidio etiam casualiter, & præter eius intentionem sequuto. *D. Thom. 22. q. 64. art. 8. Nauarr. in Manual. ca. 27. num. 221. Tolet. lib. 1. instruct. Sacerd. c. 80. Vgolin. de irregular. c. 18 num. 8. & seq. Maiol. de irregul. lib. 5. c. 48. §. 3. num. 3.* quia hoc procedit, quando opus illicitum fuit causa homicidij, prout ludus noxius, indiscreta correctio, & similia secus, si opus illicitum nullo modo fuit causa homicidij, vt late explicat. *Couar. super clemen. si furiosus. §. 4. nu. 9. vers. illud sane. & nume. 10. per tot. de homicid. Bene Nauar. consil. vigesimo primo. num. 4. eod. titul.*

3 Vnde cessat quid, quod ad incurrendam irregularitatem sufficiat interuenisse homicidio, licet quis non percusserit, *Tabien. verbo irregularitatis. 2. num. 21. Maiol. de irregul. lib. 5. c. 48. §. 4. num. 1. Spec. de dispens. §. iuxta. num. 56.* quia debent intelligi de eo assistente qui directe, vel indirecte delicto cooperatus fuit, puta animando percussores, vel quod simile, secus de casualiter reperto in loc vbi committitur delictum per supra in princ. allegata.

4 Quod autem Corradus casualiter, & non animo coadiuuandi fuerit repertus in loco delicti, nedum præsumitur eo ipso, quod contrarium non probatur ad notat. *in l. merito. ff. pro socio. Felin. in c. sicut. num. 6. vers. & omnia ista. de homicid. cum alijs per Paris. d. consil. 152. num. 32. & sequ. lib. 4.* Sed etiam suadetur ex serie facti. Etenim homicidia fuerunt perpetrata in birruarios occasione improuisi eorum accessus ad locum, vbi ducebantur choreæ, & captura, quam tentarunt facere de quibusdam armatis armis prohibitis. Vnde ipsi ad euadendas manus birruariorum exploserunt tormenta bellica vulgo sclopos appellata, & facit quod apparet de alia causa conueniendo in illo loco hoc est, quia ibi ducebantur choreæ.

5 Et quod Corradus accessit ad locum sine armis, vt deponunt quatuor testes in Curia Episcopali formiter examinati, quorum dictum minime potest labefactari, ex eo quod quidam testis, Sondra nuncupatus, contrarium dixerit in Curia sæculari, tum quia vnus contra quatuor, tũ quia periurus cum per prius medio iuramento contrarium deposuerit, tum denique quia examinatus sine iurisdictione, hoc est à iudice laico contra clericum. *c. at si Clerici. & ibi Bal. nu. 21. de iud. Oldr. cons. 157. in fi. Gemin. cons. 142. num. 1.*

6 Et ex eisdem cessat fundamentum, quod posset fieri super relatione Baroncelli facta in eadem Curia nempè se reperisse omnes ibi assistentes armatos, vltra quod in omnem euentum, cum ipse deponat in genere de omnibus, magis crederetur prædictis quatuor testibus, tanquam in specie deponentibus. *Bal. consi. 69. num. 1. vers. & hoc probatur. lib. 5. Alex. consil. 148. num. 4. lib. 2. Dec. cons. 448. num. 37.*

7 Non obstat aliud motiuum, quod Corradus super huiusmodi facto reportauerit in Curia Episcopali contra se condemnationem à qua cum non appellauerit res videatur occasione rei iudicatę effecta notoria, quia respondebatur primo Sententiam, quo ad materiam homicidij non iustificari ex actis. Vnde tanquam notorie iniustam minime potuisse transire in iudicatum, ad l. si expressum. & ibi *Bartol. ff. de appell. & relat. Cæs. de Grass. decis. 2. nume. 7. de dilat. & decis. 3. num. 3. de reb. eccles. non alienan.* Fuit dictum in causa Bononien. de Paris 8. Nouembris 1577. coram Illustissimo Seraphino relata inter impress. *decis. 311. num. 3. par. 2.*

8 Secundo dicebatur non apparere, quod Corradus fuerit condemnatus propter homicidium cum de hoc nihil in dispositiua sententiæ, quæ sola dispositiua attenditur. *Roman. consil. 157. num. 2. Federic. de Sen. consil. 220. in c. fin.* & fuit dictum in Romana, seu Amerina domus. 8. Iunij 1576. coram Cantuccio relata inter impress. *diuers. decis. 34. num. 12. par. 2.* & posse esse, quod fuerit condemnatus ob solam interessentiam choreis, & scandalo ex eius carceratione, & ductu ad iudices laicos, sequuto quod etiam fit verisimile ex pœna breuis, exilis, & paruæ pecuniæ inflictæ in dicta sententia, quę pœna non correspondet magno delicto, quod alias commisisset Corradus si participasset de homicidio. Et ita fuit conclusum Corrado solo informan. cum pars aduersa pluries citata non curasset comparere, fuit tamen habita ratio cuiusdam discursus per incertum auctorem contra Corradum formati, & per eundem Corradum dati in Rota, vt patet ex responsionibus supra datis.

REVERENDISSIMO P. DOM.

LVGDVNEN.

Romana Domus. 29. Nouembris 1610.

ARGVMENTVM.

Emphyteusis prohibita alienari sine consensu Domi-

Domini, quando possit legari, aut alias in testamento relinqui, & quando etiam emphytheusis ad Dominum deuoluatur per non solutionem Laudemij, vel per alienationem factam in Ecclesia.

S V M M A R I V M.

Emphyteusis concessa pro se, suisque hæredibus, & successoribus, comprehendit etiam legatarios, nu. 2.

Legatarius quomodo hæres est, nu. 2.

Emphyteusis prohibita alienari sub pœna caducitatis non censetur prohibita legari, vel alias iure restitutionis relinqui numer. 3.

Clausula ad habendum importat liberam alienandi facultatem, nu. 4.

Obseruantia subsequuta declarat mentem contrahentium, numer. 4.

Causa quælibet etiam bestialis excusat à dolo, & caducitate, numer. 5.

Relatum dicitur esse in referente cum omnibus suis qualitatibus, num. 6.

Caducitas, seu deuolutio rei emphyteuticæ, vt inducatur per alienationem sine consensu Domini requiritur, vt expresse sit facta tanquam de re libera, & pleno iure ad alienantem spectante. nu. 6.

Emphyteusis transitoria ad extraneos hæredes potest, etiam alienari in ecclesiam, nu. 7.

Procurator non censetur habere mandatum de faciendo incurrere Dominum in pœnam. nu. 8.

Scientia ad effectum incurrendi pœnam debet esset explicita, & cum omnibus qualitatibus, nu. 8.

DECISIO CCLXI.

1 IOannes Baptista Massa concessit domum, de qua agitur in emphyteusim Augustino Franchinello pro se, & suis hæredibus successoribus sub annuo canone, & responsione Scutorum octo pacto adiecto, vt idem Augustinus non possit eam domum alicui personæ vendere, dare, donare, cedere, vel alias alienare alienationis large sumpto vocabulo sine licētia, & consensu ipsius Ioannis Baptistæ. Quodq; alias domus cum omnibus melioramentis ad ipsum Ioannem Baptistam deuoluatur, & deuoluta esse censeatur. Augustinus, & Franciscus Riccius successiue alienarunt de consensu Ioannis Baptistæ istam domū quæ cū manus Federici peruenisset, is in suo testamento eam legauit post mortem Magdalenæ suæ vxoris Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Campo Sancto, mortua Magdalena fuit nomine dictæ Ecclesię capta domus possessio nesciente, & irrequisito Ioanne Baptista, qui cum pretenderet esse factum locum deuolutioni lite super hoc introducta, & dato dubio Rota censuit non esse factum locum deuolutioni.

2 Quamuis enim attenta clausula prohibitionis alienationis dici posset non licuisse Federico legare hanc domum, quia larga significatione is, qui legat alienat per tex. *in leg. filiusfamilias. §. compater. ff. de leg. 1.* quem in proposito ponderat. *Alexandr. consil. 9. numer. 10. libro 2.* tamen secus dicendum est in hoc casu, in quo emphyteusis fuerat concessa Augustino pro se, suisque heredibus, & successoribus, quibus verbis comprehenduntur etiam leggatarij, *leg. in conuentionibus. vbi Bart. ff. de verb. sig. & dicit expresse Bald. in cap. 1. de prohib. feu. alien. per Feder. num. 19. Curt. Iun. consil. 1. num. 2. & seq. Alex. in leg. quidam, §. nihil interest. ff. de edend.* & ratio est, quia legatarius quodammodo quasi heres est, vt ait *text. in dict. l. id tempus, ff. de vsucap. & vt eleganter dicit Cuiac. in dict. leg. in conuentionibus*, quam expresse exemplificat in emphyteusi, legatum percipitur ex hereditate, & ab herede, quia heres primo loco percipit legatum, deinde legatarius illud percipit ab herede, idque facilius procedit ex quo agitur de emphyteusi priuata *Calder. cons. 6. de locat. Socin. iun. cons. 58. lib. 2.*

3 Et posito quod ex principali concessione ista domus legari potuerit, non debet dici, quod prohibitio alienationis in clausulis subsequentibus, appositæ immutauerint dictam concessionem, sed potius hęc duo capita eiusdem inuestiturę ita sunt accipienda, vt se compatiantur inuicem, & vnum non destruatur ab altero, quod consequi est facile restringendo clausulam prohibitionis ad Augustinum primum acquirentem prout verba sonant de ipso tantum nulla facta mentione de hæredibus, & successoribus, vel dictam clausulam intelligendo de alienatione per viam contractus, quę etiam regulariter in bonis emphyteuticis est magis prohibita, quam ea, quę fit per viam vltimæ voluntats, tumi institutionis, vel iure legati, quia per istam alienationem emphyteuta non cadit ab emphyteusi, vt quamplurimos cumulans tradit *Corbul. de caus. priuat. ob alienat. limit. 14.*

4 His accedat obseruantia declaratoria subsequuta, quia ipsemet Ioannes Baptista præstitit consensum venditioni factæ cum clausula ad habendum, quæ sine dubio importat liberam alienandi facultatem, vt per *Rolan. qui alios allegat, nu. 14. lib. 4.* & cum percepe rit canonem à Magdalena tanquam hærede instituta à Federico habuit notitiam tam legati ad fauorem Ecclesiæ, quam institutionis Dominæ Magdalenæ. *Argumento l. non est ferendus. de transact. Socin. consil. 63. col. 4. libr. 3.* & cum non contra dixerit etiamsi verba concessionis essent ambigua, tamen per hanc obseruantiam remanerent declarata. *Aym. cons. 211. nu. 8.* & fuit sæpe decisum.

5 Quę omnia facilius procedunt ad effectum, de quo agitur. Cum enim Federicus, qui legatum fecit non interuenerit in prima inuestitura, & domus fuerit ei vendita cum expressione, quod venditor haberet plenum ius dictam domum vendendi, quodq; ad ipsum pleno iure dominij spectaret, & quod esset sua libera ab omni onere, præterquā à Canone Scutorum octo monetæ debitorum Ioanni Baptistę Massæ proprietario, cuius consensus in primis, & ante omnia reseruatos fuerat, cum Ioannes Baptista eam venditionem ratam habuerit, illique suum præstiterit consensum sine vlla restrictione, aut expressione dictæ prohibitionis, sequitur Federicum habuisse probabilem causam credendi domum esse alienabilem, & ideo excusatur à caducitate, cum ad hoc quælibet causa sufficiat quia quælibet causa etiam bestialis excusat à dolo, & à pęna *l. igitur. §. potest. ff. de lib. caus. Ang. in l. plagij. C. ad leg. Flau. de plagiar. Corn. cons. 67. nu. 13. vol. 2. Gig. de pens. q. 88. num. 9. Decian. cons. 3. nu. 29. & seq. lib. 2.* Rota coram R.P.D. meo Ludouisio in Romana de Iacobatijs. 8. Decemb. 1608.

6 Eadem ratione euitatur aliud caput deuolutionis ex eo, quod Federicus in testamento non fecit mentionem, quod domus esset emphyteutica siquidem ipse tantum sciebat domum esse sub proprietate Ioannis Baptistæ Massæ, & de hoc satis videtur fecisse mentionem per relationem ad instrumentum emptionis. Relatum enim dicitur esse in referente cū omnibus suis qualitatibus, *vulg. l. asse toto. de hæred. instituen. l. ait prætor. §. 1. ff. de re iudic. latè Tiraqu. de leg. connub. glos. 7. num. 187.* Vltra quod ad effectum deuolutionis forsan requireretur alienationem fuisse factam expresse tanquam de re libera, & pleno iure ad alienantem spectante. *Salicet. in l. fin. num. 8. Cod. de iur. emphyt. Bald. in authent. quas actiones, numer. 18. Cod. de sacrosanct. Eccles.*

7 Non potest etiam colorari deuolutio ex eo, quod alienatio facta sit in Ecclesiam, quia si hęc emphyteusis fiet alienabilis in testamento, & trāsitoria ad quoscunque successores potuit etiam relinqui Ecclesiæ, vt in fortiorib. terminis emphyteusis Ecclesiæ dixit Rota in

ta in causa Mediolanen. Bonorum de Buffalora. 4. Iunij 1583. coram Bubalo, & cessat difficultas in hoc casu, quia Ecclesia parata est vendere istam domum alicui personæ priuatæ, iuxta notata per *Speculat. tit. de locat. §. nunc aliqua, quæst.* 117. *Clar. in §. emphyteusis. quæst.* 33. *in fin. Rebuf. de reb. Ecclesi. non alien. quæst.* 11. *Henric. Boic. in c. potuit. num.* 16. *de loca. vbi allegat. Io. Andr. & alios*.

8 Denique non fuit incursa caducitas ex possessione capta irrequisito proprietario, & laudemio non soluto. Non constat enim de mandato illius, qui pro Ecclesia possessionem accepit, & tamen ad faciendum aliquem incidere in commissum requiritur mandatum speciale, quia nunquam censetur data facultas faciendi actum, per quem incideret in pœnam. *glos. in c. dilectio. ibique not. Imol. num.* 21. *de præben. Bart. Ias. & alij communiter in l. si procurator. de cond. indeb. & in l.* 3. *§. si filius. ff. quod quisque iur. Cur. Iun. consil.* 49. *in fin.* maximè quia nec in eo, qui possessionem accepit, neque in Ecclesia, siue in administratoribus bonorum Ecclesiæ probatur scientia emphyteusis, prout ad istum effectum incurrendi pœnam foret necessaria. *Cur. cons.* 67. *num.* 6. *& num.* 11. *lib.* 2. *Socin. i un. consi.* 70. *num.* 4. *& seq. Anchar. consi.* 174. *num.* 5. & quidem explicita, & cum omnibus qualitatib. *glos. in verb. concertationi. de appell. in* 6. *in verb. sciuerit. Osasch. decis.* 76. *Becc. cons.* 37. *num.* 23. *Surd. consi.* 150. *num.* 36. *vol.* 1. Atque ex his fuit dictum non esse locum deuolutioni.

REVERENDISSIMO P. D. LVGDVNEN.

Veneta Census. 3. *Decembris* 1610.

ARGVMENTVM.

Maritus emens centum nomine vxoris, illum acquirit vxori, & non sibi, etiam quod pretium soluerit de proprijs pecunijs.

SVMMARIVM.

Emens censum nomine alterius acquirit pleno iure dominum illi, cuius nomine emit. num. 1.

Maritus emens censum nomine vxoris, acquirit ipsi vxori, & non sibi. num. 2.

Maritus emens censum nomine vxoris, illum acquirit vxori, quando post stipulationem mariti vxor exegit fructus census. num. 4.

Notarius stipulando pro abscente acquirt illi, etiam sine ipsius ratificatione secundum magis communem. nu. 5.

Sciens, & tacens præsumitur ratificare ea, quæ ad sui commodum gesta sunt. num. 6.

Scientia præsumitur ex cohabitatione cum eo, qui actum gessit. num. 6.

Emens nomine alterius de propria pecunia non acquirit sibi, sed illi, cuius nomine facta est emptio. num. 7.

DECISIO CCLXII.

1 DOmini censuerunt censum Scutorum mille debitum per RR. Camaldulenses Monachos spectare ad Dominam Lauiniam. Fuit enim à quondam Ausoifio emptus nomine, & ad proprietatem dictæ Dominæ Lauiniæ suæ vxoris, cui per dicta verba fuit pleno iure quæsitum dominum. *Bald. post glos. in l. proprietatis. C. de probation. & in l. feminæ. §. illud. in fine. C. de secund. nupt. Felin. in c. conquestus. num.* 2. *de for. compet. Dec. cons.* 460. *nu.* 10. *& seq. Abb. in c. cum ad Monasterium. n.* 1. *de stat. Monach. Aym. cons.* 599. *num.* 10. *Curt. iun. cons.* 21. *num.* 7. *in fine*.

2 Sunt etiam in instrumento alia verba, quæ inferunt, videlicet, quod post mortem Lauiniæ non possent illius hæredes aliquid petere, quia census est vitalitius, quippe si census spectaret ad maritum, fuisset facta mentio mariti, & heredum ipsius, non autem hæredum vxoris, item quando congregatio Monachorum se obligat soluere fructus census Dominæ Lauiniæ, vel eius legitimo procuratori, & quando pactum apponitur de facienda extensione obligationis Cameralis ad simplicem eiusdem Dominæ Lauiniæ requisitionem, si quidem cum emptio, & emptionis conditiones sint factæ nomine vxoris, & in illis nulla fit mariti mentio, census præsumitur vere emptus pro vxore nisi contrarium probetur. *gl. in l. cum propria. in verb. docenti, & in l. multum interest. in verbo scriptura. & ibi Doct. C. si quis alteri, vel sibi, & in l. si filij tui. in verb. probat. C. de donat inter vir. & vxor.*

3 Et concurrit, quod idem Ausoifius ab eisdem Monachis emit alium censum, in quo suum nomen semper apposuit emens suo nomine, & sibi stipulans, quemadmodum sibi etiam, & suis hæredibus in alijs emptionibus stipulabatur, ita vt per hanc diuersitatem apparea, quod in hac emptione non fuit illi eadem mens acquirendi sibi, vel suis hæredibus, sed quod omnino voluit suæ vxori acquirere.

4 Quod insuper suadetur ex quasi possessione acquisita Dominæ Lauiniæ, quæ semper exegit fructus istius census prout in instrumento fuerat conuentũ. Vnde habemus casum legis, quod vbi post stipulationem mariti pro vxore sequitur etiam eiusdem vxoris possessio, tunc dominium eidem vxori censeri debet quæsitum. *dicta l. multum interest. in fine.* ibique Doctor. omnes, & per eandem possessionem excluditur contraria mens mariti, & simulatio, de qua in tractatu. *Bart. in d. l. si filij. per tex. in l. quamuis. dicto tit. C. si quis sibi, vel alteri. & ita Bart. declarat. Ang. in d. l. quamuis. Socin. cons.* 229. *col. penul. vol.* 4. *Dec. consi.* 443. *num.* 15. *Men. de arbitr. casu* 470. *num.* 20.

5 Hinc non obstat, quod non potuerit acquiri Dominæ Lauiniæ abscenti absque eius mandato, vel ratificatione. Nam vltra quod videtur esse magis communis, quod per stipulationem Notarij acquiratur ius abscenti, etiam sine ipsius ratificatione, vt patet ex infinitis Doctor. quos cumulat. *Roland. consilio* 79. *nume.* 12. *&* 22. *lib.* 1. *Cephal. consil.* 33. *numero* 5. *&* 8. *lib.* 1. *Clar. in §. donatio. quæstione* 13. *numero* 2. *Menoch. consilio* 92. *numero tertio. libro primo. Osasch. decisi.* 33. *in fine. Surd. decis.* 111. *numero quinto*. Rota coram bonæ memoriæ Cardinali Seraphino in Portuen. Bonorum. 27. Decembris 1529. quæ est *decis.* 489. *par.* 1. *diuers.*

6 Adhuc in hoc casu adest ratificatio non solum tacita ex scientia rei gestæ, quæ præsumitur in his, qui adferunt commodum, vt per *Menoch. de præsumptio. libro* 6. *præsumptio.* 23. *numero* 84. *Thessaur. decisione* 70. *numero.* 12. *Socin. iun. consilio* 67. *numero* 11. *libro* 3. & multo magis stante cohabitatione vxoris cum suo viro. *Roland. dicto consilio decimo nono. numero* 39. *& sequent. Cephel dicto consilio* 33. *numero* 19. *Honded. consil. octauo. numero* 46. *libro* 2. *Surd. decis.* 182. *num.* 4. sed etiam expressa per receptionem fructum, de qua dictum est ad *dictam l. Paulus. ff. rem rat. hab.*

7 Non obstat quo ad pretium Census fuerit resolutum à marito de proprijs ipsius pecunijs. Nam de hoc quicquid sit, fuit responsum, vel prætendi ex ista solutione à marito de proprijs pecunijs facta, quod nomen vxoris fuerit simulate appositum, vt per *Dec. consil.* 543. *numero* 15. *post Bart. supra allegatum*, & alios, & hoc non subsistit, quia ex prædictis apparet Ausoifium maritum vere acquirere voluisse suæ vxori, vel prætenditur censum spectasse ad maritum, cuius erat pecunia, & hoc etiam non subsistit, quia certum est, emptum aliena pecunia acquiri non domino pecuniæ, sed illi, cuius nomine facta est emptio. *l. cum aliena*

aliena pecunia. l.nihil prohibetur.dicto tit.C.si quis alteri,vel sibi. Et firmatur regula per exceptiones, quæ dantur in rebus emptis pecunia dotali, minoris, militis, & similium, *l.res,quæ ex dotali.ff.de iur.dot.lib.3,C.arbitr.tutelæ, l.si vt proponis, C. de rei vendicat.*

R. P. D. V B A L D O.

Fauentina Bonorum de Naldis. Veneris 3. Nouembris 1610.

A R G V M E N T V M.

Magistraliter in hac decisione tractatur materia hæredis, habentis à testatore electionem nominandi post eius mortem successorem, & substitutum.

S V M M A R I V M.

Hæredis electio de substituto successore post eius mortem facta ante tempus non valet. num. 1.

Substituti electio facta ab hærede ex mente testatoris, qui iussit hæredem sibi eligere substitutum post eius mortem, non valet, si electus moriatur ante mortem hæredis, & sic quando electus tempore mortis eligentis non viuebat. num.1.

Hæres grauatus restituere hæreditatem in diem, vel sub conditione, non potest in alterius præiudicium illam restituere ante euentum diei, vel conditionis. num.1. & 2. Vbi declaratur hæc conclusio, quomodo procedat.

Transmittere hæreditatem ad alios quis non potest tempore mortis, si in illa hereditate non habebat ius solitum, & transmissibile. num.3.

Fideicommissum collatum in mortem hæredis censetur conditionale, & ideo ante hæredis mortem non transmittitur. num.4.

Nepos quando concurrit cum patruo in successione aui an, & quando venire possit iure repræsentationis. num. 5.

Peruenire verbum, à testatore prolatum, significat cum effectu. num.6.

D E C I S I O C C L X I I I.

1 CEnsuerunt Domini, standum esse in decisis 2. Maij 1608. coram bonæ me. Iusto. Nam Alphonsus senior instituta hærede Vxore Laura eius fidei commiserat, vt quandocunque ipsa decederet, vel ad secundas nuptias transiret, hæreditatem restitueret vni ex filijs Vincentij fratris testatoris, qui dignior ipsi Lauræ, & magis timere Deum videretur, & quocunque casu electio à Laura non fieret, vel nulla esset, voluit testator sorte extrahi vnum ex dictis filijs Vincentij, qui tanquam Lauræ substitutus ad successionem admitteretur, & demum dicti filij, vt supra, vel electi, vel respectiue extracti filium primogenitum vocauit. Testatore mortuo Laura nominauit Æneam vnum ex filijs Vincentij eique substituit eius filium Alphonsum iuniorem, sed defuncto Ænea ante Lauræ mortem, mox etiam mortua Laura, sorte extractus est Eques Dionysius alter ex filijs Vincentij, qui etiam possessionem hæreditatis adeptus est, quam tamen Alphonsus iunior contendebat ad se pertinere. Itaque proposito dubio an illi electio Lauræ suffragaretur, Domini negatiue responderunt, vt coram bo.mem. Iusto, & quia pars Decisioni non acquiescebat, proposui idem dubium, & tota vna tantum parte informante, quia altera sæpe citata noluit informare, in decisis mansit, quia Alphōso iuniori nec electio de patris persona facta, nec substitutio de sua ipsius persona prodesse poterat, non electio, quia vel fuit nulla, tanquam facta ante tempus, vel saltem euanuit per obitum electi, ante mortem Lauræ, vt videtur esse *tex. in l.cum pater.§.a filia.iuncta glos.in verb. electionem. ff. de leg. 2. & ibi Bartol.in prima opposit. expresse dicit*, electionem non valere, si ille electus non viuebat à patre mortis eligentis, & hoc idem dicit ibi *Imola, & Alberic. in fin.* & ratio vera est, quia per talem electionem non potuit efferri præiudicium alijs filijs Vincentij, qui potuisset eligi a Laura, casu quo prima electio irritaretur per mortem electi, prout contingit, vel alio modo, vt in simili est. *tex. in l. filius famil. §. Diui. il primo. ff. de leg. 1. & in l. vxorem. §. virum. ff. de leg. 3.* vbi grauatus restituere in diem, vel sub conditione, non potest in alterius præiudicium restituere ante tempus, & illa iura allegauit *Rom. consil.452. vbi late de hoc.num. 3.4. & 5.* bene facit. *tex. in l. vnum ex familia. in princip. iuncta glos. in verb. mittetur. & ibi Bartol. Castr. & alij. ff. de leg. secundo quem tex. vna cum dicto §. Diui ad simile propositum allegauit Bald. consilio 118. sub numero primo, lib. 5.* & hanc eandem rationem præiudicij sentiunt *Doctor. communiter in dicto §. à filia, & doctrinam Bar. ibi omnes probant, vt testatur Menoch. de arbitr. iudi. quæstio. lib. 1. quæst.83. nume.3.* quam etiam sequuntur *Doct. in l. post mortem. C. de fideicomm. Vbi Bald. num. 2. Fulgos. qui optimè distingit. num. 4. & 5. Corn. num. 4. Ias. num. 3. vers. 3. Limita, & sub num. 5. vers. 2. solutio. Angel. in l. stipulatio ista. §. inter certam. & Alexan. in §. si quis dolum. numero 6. ff. de verborum oblig. Bartol. in l. 3. §. qui fideicommissariam. ff. de hæred. instit. Paris. consilio 23. numero 22. libro 3. Alexand. consilio 2. numero 16. libro 1. & consil. 81. numero 12. libro 6. Vbi de magis communi. Dec. consilio 416. numero 19. & 20. & in l. cum tempus. numero 2. ff. de regul. iur. & vtrobique testat. de communi Ruin consil. 24. numero 2. lib.2. Illustriss. Mant. de coniectur. vltim. volunt. lib.8. tit. 5. num.20. Surd. consil. 264. num. 24. lib. 2. Molina de primog. Hispan. lib.2. c.4. num.24.*

2 Non obstat. *l. post mortem. C. de fideicommiss.* vbi hæres rogatus post mortem restituere, post etiam restituere in vita, quia ibi certæ personæ facienda erat restitutio, & ideo nullius erat præiudicium præuenire relationem, nisi solius hæredis restituentis propter fructus medij temporis, sed in casu, de quo agitur, electio debebat fieri de persona incerta, vel certa de incertis, nempè de vno ex filijs Vincentij, quo casu maximum poterat fieri præiudicium si repræsentaretur electio ei, qui tempore mortis eligi potuisset, & ita declarant *glos. & communiter Doctor. in dicta l. post mortem. Cuiac. in dicto §. à filia. Molin. vbi supra, numero 27.* & fuit dictum in Maceraten. Hæreditatis 10. Maij 1606. coram Iusto de qua etiam fit mentio in decisione. in hac causa facta, ex quibus patet, electionem de Ænea factam non suffragari Alphonso eius filio, tanquam nulliter, & ante tempus factam.

3 Ex quo sequitur, vt neque Æneas potuerit transmittere hæreditatem in filium, quia ante mortem Lauræ non habebat ius solidum & transmissibile, vt dicit *Castren. in dicto §. à filia.* cum Lauræ arbitrium esset ambulatorium, donec viueret, & posset variare, & electio facta esset potiùs quædam destinatio, & designatio personæ fideicommissarij, infirma tamen, & instabilis. *l. vnum ex familia. in princi. & §. rogo. ff. de l.2. & declarat Cuiac. in d. §. à filia.*

4 Accedit, quod cum fideicommissum sit collatum in mortem hæredis, censetur conditionale. *l. si cum hæres.4. ff. quando dies leg. ced. Surd. consi.73. nu.73. lib.1.* quod regulariter non transmittitur. *glos. in d.l. post mortem. C. de fideicommis. Mod. de fideicomm. art.22. nu.4. Honded. cons. 70. num.1. lib.1.*

5 Neque etiam idem Alphonsus iunior venire potest iure repræsentationis, quæ habet locum, quando nepos concurrit cum patruis in successione aui. *§. cum filius. Inst. de hæred. quæ ab intest. defer. vbi Doct. Tiraq. de iure primog. quæst.40. num.19. Bartol. in l.1. §. si sit nepos. ff. de collat. dot. Surd. consilio 85. numero duodecimo, libro primo.*

mo. Hic autem nullus concursus adesse poterat cum vnus tantum ex filijs Vincentij esset eligendus, vel extrahendus.

6 Quod verò pertinet ad substitutionem factam de dicto Alphonso, nec etiam sibi prodesse potest. Aut enim vult niti substitutione facta à testatore de primogenito electi, vel sorte extracti, & hæc sibi non suffragatur, quia testa tor intellexit de primogenito electi cuius electio fuissent valida, *argum.l.4. §.condemnatum.ff. de re iud.* & qui in effectu successisset, vt probatur ibi, quia post dictam Lauram voluit hæreditatem peruenire ad vnum ex tribus filijs Vincentij. Verbum autem peruenire significat cum effectu *l. nomen filiarum, §. vltimo, vbi Rebuff. de verborum signific. leg. 2. §. peruenisse. ff. de hæred. vel act. vend.* hic autem nec electio fuit valida ex prædictis, nec habuit effectum aut nititur substitutione de se facta à Laura, & hæc nullius est, momenti tanquam facta contra formam testamenti, in quo permissum est Lauræ, vt nominaret vnum ex tribus Vincentij filijs, cui restitueret hæreditatem non autem, vt ei etiam daret substitutum. Et ita fuit decisum.

REVERENDISSIMO P. D.

BONONIEN.

Parmen. Status, Ven.3. Decembris 1610.

DECISIO CCLXIV.

Est impressa inter Ludouis.

DECISIO 486.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

D. CARD. LANCELLOTTO.

Romana Hæreditatis de Marescottis. Veneris 10. Decembris 1610.

ARGVMENTVM.

Legatum rei alienæ si solui non potest, debetur legatario rei legatæ æstimatio, siue testator sciuerit, siue ignorauerit rem esse alienam, presertim quando est factum coniunctæ personæ.

SVMMARIVM.

Factum decisionis enumeratur, num.1. & 2.
Renunciare fauori suo quisque potest, nu.3.
Excipi non potest de iure tertij, nisi ipso tertio volente, nu.3.
Hæres non potest impugnare factum defuncti, nu.3. vbi quod hoc habet locum in quocunque successore.
Iuramentum minoris facit minorem reputari maiorem, numero 4.
Hæredi instituto in re aliena debetur æstimatio eiusdem rei, numer. 9.
Legatum rei alienæ operatur, vt legatario solui debeat æstimatio rei legatæ, nu.9.
Legati rei alienæ debetur legatario æstimatio, siue testator sciuerit, rem esse alienam, siue ignorauerit, nu. 10. præsertim quando est factum coniunctæ personæ. num.10.

DECISIO CCLXV.

1 Domini resoluerunt, quod quatenus testamentum Alphonsi sustineatur, non obstante, quod Marcus Antonius filius non fuerit institutus nisi in Castris Iulianelli, & Parrani, nihilominus debetur æstimatio. Et in primis firmarunt institutionem Marci Antonij de Castris Iulianelli, & Parrani factam ab Alphonso patre cum prohibitione, quod non possit aliud Petere, vel prætendere fuisse de re omnino aliena, cum longe ante testamentum Alphonsus fuerit istis Castris priuatus, & illa fuerint confiscata Cameræ Apostolicæ, quæ mediante compositione Scutorum 10. millium ea cessit, & donauit Sfortiæ, & alijs Nepotibus testatoris ex Marco Antonio, quo fit, vt de tempore testamenti nullum super illis ius habuerit in quo potuerit filium instituere.

2 Neque obstat, quod Alphonsus anno 1574. ante confiscationem donauerit dicta Castra eidem Marco Antonio, quia cum postmodum anno 1578. etiam ante confiscationem idem Marcus Antonius fecerit retrodonationem de eisdem Castris eidem Alphonso dicta donatio non est habenda in consideratione, maxime cum Alphonsus huiusmodi retrodonationem acceptauerit, illaque vsus fuerit tam in iudicio, quam extra, & sic à prima donatione fuit recessum per secundum actum retrodonationis effectuatum, per quam retrodonationem Castra effecta fuerunt Alphonsi, ac inde comprehensa, in confiscatione bonorum ipsius Alphonsi, & mediante donatione facta per Cameram fuerunt effecta filiorum Marcij Antonij.

3 Neque etiam obstat, quod dicta donatio esset facta contemplatione matrimonij, tum quia quidquid fit respectu filiorum, hoc non impediebat alienationem in præiudicium Marci Antonij, qui potuit renunciare fauori suo. *leg. si quis in conscribendo. Cod. de pact.* tum quia hæc exceptio non competit D.Pyrrho cum sit de iure tertij, scilicet filiorum Marci Antonij ex illo matrimonio, quæ non admittitur, nisi ipso tertio volente, *Bart. in leg. 2. numer. 8. & 10. & Socin. numer.10. ff. de exceptio. rei iudic. Riminal. sen. consil. 599. num. 8. versic. Secus ita demum libr. 3.* prout neque admittitur vbi opponens non habet causam ab ipso tertio. *Aymon. consil. 826. numer. 1. Crott. consil. 119. num. 11. Ruin. consil. 88. numer. 1. libr. 3.* Tum etiam, quia cum Alphonsus acceptauerit retrodonationem, eaque vsus fuerit, non potest dictus Pyrrhus hæres Iuliæ hæredis Alphonsi illam impugnare, ex regula, *leg. cum à matre. C. de rei vendicat.* quæ habet locum etiam in hærede hæredis, qualis est ipse. Pyrrhus. *Monach. consil. 89. num. 26. Cephal. consil. 393. num. 58. versicul. Quarta hæc conclusio*, & habet locum in quocumque successore, vt fuit dictum in causa Foroliuien. de Montagnanis 3. Iunij 1602. & in Bonon. de Sancto Petro 25. eiusdem coram Reuer. Patre Domino meo Decano.

4 Et his etiam cessat, quod dicitur, quod Marcus Antonius, quando retro donauit erat minor 25. annorum, vltra quam ex Statuto Vrbis, *cap. 47. libr. 1.* sufficit, quod Marcus Antonius esset maior 20. annorum, & adsit iuramentum, quod faciebat eum maiorem. Auth. Sacramenta puberum. *Cod. de rescinden. venditio.*

5 Quod autem retro donatio non fuerit insinuata, tollitur ex facto, quia constat de insinuatione, & alijs solennitatibus de iure requisitis, prout etiam tollitur ex facto, quod Marcus Antonius die donationis citra possederit dicta Castra, non obstante retro donatione. Nam hoc non verificatur, prout pariter verificatur, quod Camera, seu Pontifex donauerit dicta Castra dd. Nepotibus Alphonsi, habito respectu ad dictam donationem factam per Alphonsum Marco Antonio. Immo in donatione, & Chirographo Papæ nulla fit mentio de dicta donatione Alphonsi. Vltra quod hoc non releuaret, quia quatenus esset verum, quod Marcus Antonius allegasset donationem

nem sibi factam ab Alphonso, non propterea posset dici non effectuata retro donatio, vel quod fuerit sublata, vel annullata, sed allegata fuisset donatio ad effectum recuperandi Castra de manibus fisci, & confiscatione bono[illegible]n euitandi, & non est nouum, quod quando agitur de redimendis bonis à fisco multa occultentur, & confingantur.

6 Neque obstat, quod Alphonsus pro redimendis Castris à Camera exposuerit de suo Scuta 400. ad computum Scutorum decem mill. quæ DD. Nepotes pro compositione soluere debebant, quia non ideo dici potest, quod per dictam solutionem Scutorum quattuor mill. Alphonsus aliquod ius super dictis Castris acquisiuerit, de quo in vltima voluntate disponere potuerit, sed in omnem euentum effectus fuit tantum creditor erga filios Marci Antonij, quod creditum relictum fuit Iuliæ, cui omnia credita in specie reliquit Alphonsus, nec potest dici relictum Marco Antonio, idque eo magis, quia ei reliquit tantum Castra prædicta cum expressa prohibitione, vt nil aliud ex eius hæreditate petere potuisset, & sic dicta institutio non potest se extendere ad prætensum creditum, vltra quod apparet, quod Alphonsus non soluit dicta Scuta 4000. de pecunijs proprijs, sed de pecunijs Nepotũ. Nam pro rata Scutorũ 3500. adest declaratio Alphonsi facta in iudicio in quodam folio manu sua scripto, quod scilicet fuerunt soluta de Scutis 3500. redactis ex censu redempto per Licium de Sabellis, & Martium Columnam ad filios Marci Antonij spectante. Pro residuo verò Scutorum 500. constat, quod Alphonsus habebat tunc temporis in manibus de pecunijs Nepotum duas partitas, alteram Scutorum 3300. exactam ab Eccellentissimo D. Virginio Vrsino, alteram Scutorum mille à Cardinali.

7 Quantum vero ad melioramenta, quæ dicuntur facta per Alphonsum in dictis Castris, non verificantur, fructus autem quatenus tempore obitus ipsius aliqui extitisset, & reperti fuissent, non possunt dici relicti Marco Antonio, cum huiusmodi fructus in specie reliquerit Iuliæ.

8 Neque obstat, quod Marcus Antonius ratificauerit testamentum Alphonsi, dum semel comparuit pro Iulia, & dum agendo contra quendam debitorem asseruit Iuliam non fuisse citandam, sed ipsum, & filios, & hæredes Alphonsi, & Donatarios Cameræ, quia nullibi probatur, quod Marcus Antonius habuerit notitiam istius vltimi testamenti Alphonsi, sine qua scientia non potest induci ratificatio. Immo esset ad hunc effectum probanda scientia explicita cum omnibus qualitatibus. glos. in cap. concertatione. in verbo sciuerit, de appellation. libro sexto, quam scientiam istius vltimi testamenti habuisse non probatur Marcum Antonium. Verum namque est, quod Iulia fuerat hæres instituta in alio testamento prioris Anni 1598. in quo erant substituti filij Marci Antonij, in cuius vigore dicitur, quod Iulia adiuerat hæreditatem non autem vigore vltimi, in quo fuit præteritus Marcus Antonius, & eius filij, ac instituta persona extranea, quod testamentum fuisset potius à Marco Antonio impugnatum, si de eo habuisset notitiam, & ideo si quod adest probatio, non potest referri ad vltimum testamentum à Marco Antonio ignoratum, sed esset ad penultimum referenda.

9 Ex his igitur appareat, quod Marcus Antonius filius fuit institutus in re omnino aliena, sequitur quod ei debeatur æstimatio Castrorum relictorum. Institutus enim in re certa, dato sibi cohærede vniuersali, qui fuit in hoc casu D. Iulia dicitur legatarius. *Bart. in l. quoties. C. de hæredib. instituen.* quem communiter sequuntur *Doct. vt per Crot. in repet. leg. primæ, num. 69. ff. de leg. 1. Honded. cons. 83. num. 28. lib. 1. Surd. cons. 113. num. 13. Afflict. dec. 38. num. 5. in fine*, & consequenter debetur ei æstimatio rei alienæ legatæ. *§. non solum. Institut. de legat. l. cum alienam. C. de legat. Bald. in l. humanitatis. num. 63. C. de impuber. & alijs substitutio. Ant. Gomez. variar. resolut. tom. 1. cap. 10. nu. 16. in fine, & cap. 12. num. 13.*

10 Nec in hoc casu est dubitandum, an Alphonsus testator sciuerit, rem relictam esse alienam, vel ne, iuxta distinctionem dicti *§. non solum. & dicta l. cum alienam.* quia scientia Alphonsi, quod Castra non essent propria, sed Nepotum, non potest controuerti, cum ipsemet interfuerit stipulationi concordiæ initæ cum Camera, & successioni, & donationi ad fauorem nepotum, & hac occasione soluerit supra dicta Scuta 4000. sed nihilominus omni casu deberi æstimationem dicunt *Bald. in d. leg. humanitatis. num. 63. gl. fin. in cap. filius.* vbi Canonistæ. de testamentis. De communi *Corn. cons. 32. num. 5. lib. 1. Capra conclus. 107. numer. 5. Crass. in §. legatum. quæstio. 14. nu. 15. vers. Vnde Quæro*, & tenuit Rota in vna Romana Hæreditatis. 26. Iunij 1592. coram Illustrissim. Mellino, & in Romana Legati Vineæ 10. Maij 1603. coram Litta, & quod filio in re certa aliena instituto debeatur æstimatio tenet *Bal. in l. scimus nu. 9. C. de inof. testam.*

11 Et cessat omnis difficultas, quia quando legatum est factum coniunctæ personæ, vt hic, tunc non procedit prædicta distinctio, & debetur æstimatio, siue testator scienter, siue ignoranter rem alienam legauerit iuxta Communem *Doctor. opinionem, in d. l. cum alienam de qua per Gomez. d. cap. 12. num. 13. & per Crassum in §. legatum. q. 14. nu. 13.* & cum fuerit institutus filius non est dicendum, quod non sit verisimile testatorem voluisse dare æstimationem, tam immensi valoris absorbentis totam hæreditatem, cum filius præsumatur magis dilectus iuribus vulgaribus.

REVERENDISSIMO P. D.

LVGDVNEN.

Bononien. Fideicommissi de Pannolinis. 10. Decembris 1610.

ARGVMENTVM.

Positi in conditione an, & quando censeantur vocati, quando ad id sufficiant coniecturæ, & quæ, & quando etiam ex coniecturis inducatur perpetuum fideicommissum, & quibus. Et quæ requirantur, vt dicatur facta reciproca substitutio.

SVMMARIVM.

Sententias, & res iudicatas Rota non exequitur, nisi constito de eorum iustitia, nu. 1. & 2.

Filij plures positi in conditione censentur vocati concurrentibus coniecturis, de quibus statur arbitrio iudicis. n. 3. Amplia, vt nu. 4. quæ coniecturæ debent non separatim, sed in simul iunctæ considerari, nu. 19.

Fideicommissum inducitur ex coniecturis, de quibus statur arbitrio iudicis. nu. 3. & 4. Vbi ampliatur hæc conclusio, vt procedat etiam quo ad portionem patrui, sed alterius cohæredis, & num. 16. vbi quod istæ coniecturæ non separatim, sed in simul iunctæ considerari debent.

Positi in conditione concurrentibus coniecturis censentur vocati ad fideicommissum, etiam quod non sint descendentes. nu. 5. Immo etiam quod sint extranei.

Fideicommissum inducitur ex coniecturis etiam in extraneis, licet hoc casu grauiores requirantur coniecturæ. numer. sexto.

Affectio testatoris in hæredes vocatos, ac si essent filij, facit eos pares ipsis filijs. num. 7. & 8. vbi propterea quod admittuntur ad hæreditatem, ac si vere essent filij testatoris.

Fictio in casu ficto operatur idem, quod veritas in casu vero. num. 8.

Filij positi in conditione non censentur vocati ad portionem patrui, vel alterius cohæredis, quod an verum sit, et quando. nu. 4. & nu. 9. & nu. 20. Vbi de materia.
Positi in conditione nomine collectiuo, vt puta descendentes, censentur vocati omnes in infinitum ordine successiuo per fideicommissum. nu. 10. Declara, vt nu. 12.
Positi sæpius in conditione censentur vocati. nu. 11.
Geminatio multum operatur, indicatque enixam disponentis voluntatem. nu. 11.
Fideicommissi perpetuitas colligitur, quando testator vocauit extraneos, qui tamen ipsius cognomen, & insignia assumere debeant. nu. 13. & nu. 16.
Verba toties quoties denotant infinitatem. nu. 13.
Positi in conditione censentur vocati, quando testator progressus est ad plures substitutionum gradus. nu. 14.
Positi in conditione censentur vocati, perpetuumq; fideicommissum censetur inductum, quando testator qualitatem masculinitatis sæpius repetijt. nu. 15.
Positi in conditione censentur vocati ex onere iniuncto assumendi cognomen, & insignia testatoris. nu. 16. & 17. Vbi de materia.
Positi in conditione censentur vocati, quando testator habuit rationem conseruandæ agnationis. nu. 16.
Dictio per, denotat personam immediatam. nu. 17.
Testatoris prouisione cessante lex porrigit suum auxilium. numer. 18.
Hæredes possunt declarare voluntatem testatoris, quia illam præsumantur habere notam. nu. 19.
Substitutio reciproca, vt inducatur quæ requirantur. nu. 21. & seqq. vbi de materia. & nu. 24.
Substitutio reciproca datur etiam interpositos in conditione vocatos ex coniecturis. nu. 22.
Huiusmodi dictio apposita verbo hæreditati denotat totam hæreditatem. nu. 23.
Substitutio quod sit facta vltimo morienti, quomodo colligatur. nu. 24.

DECISIO CCLXVI.

1 FVit conclusum, esse locum Statuto, ita vt duæ sententiæ conformes latæ ad fauorem Domini Alberti Budrioli de Pannolinis sint exequutioni demandandæ, quia de illarum inualiditate non fuit aliquid oppositum, & de iustitia constat. Virgilius siquidem Pannolinus sibi hæredes vniuersales æquis portionibus instituit tres iuuenes nobiles Bononienses, Marium filium Herculis Butrigarij, Octauium filium Iulij Maluetij, & Iacobum filium Alberti Budrioli, qui per se, & eorum filios, & descendentes masculos per lineam masculinam legitimos, & naturales, ac si ex ipso testatore geniti forent, assumerent cognomina, & insignia agnationis ipsius testatoris eosdem hæredes inuicem vulgariter, & per fideicommissum substituit, ita vt vno, vel pluribus sine filijs, & descendentibus masculis, & per lineam masculinam legitimis, & naturalibus deficientibus eisdem superuiuentes vnus, vel plures æqualiter succederent. Ipsis vero omnibus sine filijs, & descendentibus huiusmodi deficientibus, eligeretur per Commissarios, & exequutores testamentarios alius iuuenis, ex honestis parentibus Ciuibus Bononien. oriundus, legitimus, & naturalis ad huiusmodi testatoris institutionem, hæreditatem, & bona, & agnationem modo, quo supra, & deinceps toties, quoties huiusmodi inuestiti deficerent.

2 Mortuo testatore, & adita per supranominatos hæredes illius hæreditate excessit postea è vita Octauius sine filijs, eiusque portionem Marius, & Iacobus superstites inter se æqualiter diuiserunt, deinde mortuus est Iacobus relicto Domino Alberto filio, qui in hoc iudicio est actor. Demum decessit etiam Marius sine filijs, sed condito testamento, in quo Dominum Ioannem Baptistam Butrigarium hæredem instituit, qui est Reus, & possessor Albertus asserens se per obitum Marij vocatum ad eam portionem, quam ille viuens obtinuerat ex dicta hæreditate Virgilij Testatoris, moto Bononiæ iudicio obtinuit duas sententias conformes, de quarum iustitia nunc agitur iuxta stylum Rotæ, de quo *Mohed. decisionne tertia, de testam. Cæs. de Grass. decisione prima, num. 8. de locat.* quia cum à dictis sententijs Ioannes Baptista appellasset, causa fuit in Rota commissa, cum clausula constito, quod sit locus Statuto exequatur, sin minus causam appellationis cognoscat.

3 Igitur sententiarum iustitia in eo consistit, quod trium supradictorum hæredum filij, & descendentes masculi fuerunt vocati non solum ad sui quisque patris portionem, sed etiam ad aliorum cohæredum partes, & ratio est, quia cum dicti filij, & descendentes masculi sint positi non semel in conditione, ex communi opinione, quam Rota sæpius amplexa est, censeri debentur vocati propter quamplures coniecturas, quę saltem simul iunctæ indubitanter in hanc sententiam trahunt iudicem, cuius arbitrio permissum est, vt æstimet, an coniecturæ sint potentes ad inducendum fideicommissum. *Surd. decis. 162. num. 11. Berous consl. 104. num. 12. lib. 2. Soc. iun. cons. 110. num. 20. lib. 3. Grass. §. fideicommissum. quæst. 14. Corn. cons. 74. num. 1. & 2. lib. 3.* Dixit Rota in Perusina de Alphanis. 22. Iunij 1607. coram R. P. Dom. meo Ludouisio, & tradit multis relatis. *Menochius lib. 4. præsumpt. 76. num. 26. in fine.*

4 Et ista vocatio ex coniecturis dicitur etiam ad portionem patrui, seu alterius cohæredis. *Ruin. consil. 144. num. 9. lib. 2. & cons. 144. lib. 3. Corn. cons. 306. in fin. lib. 4. Gabr. cons. 115. num. 13. lib. 1. & cons. 2. num. 14. lib. 2. Zanch. in l. hæredes mei. §. cum ita. part. 3. nu. 91. ad Trebell. & ibidem Ripa, num. 29. post Socin. quem allegat Illustriss. Cardin. Mantic. de coniect. vltim. volunt. libr. 7. tit. 5. num. 7. Bursat. cons. 202. num. 42. & sequen. Aym. cons. 130. num. 6. Menoch. cons. 397. num. 12. Bero. cons. 105. nu. 5. & alij per Rustic. de liber. in condit. posit. lib. 1. cap. 1. num. 7.* Atque secundum hanc opinionem Rota sæpius respondit, & signanter in causa Romana Fideicommissi de Quinque 12. Nouembris 1607. coram eodem R. P. D. Ludouisio. Nec obstat, quod in casu illius decisionis portio patrui iam deuenisset ad patrem ideoque facilius vna cum portione patris vnita potuerit transire in nepotes. Decisio enim non fundatur in illa consideratione, sed in coniecturis voluntatis testatoris, & præcipuè in conseruatione agnationis, quam in hoc casu Testator maxime præoculis habuit vt infra dicetur, & quidem non videtur esse ratio essentialis diuersitatis inter vtrumque casum: Licet enim portio caduca non transmittatur in alios, sed remaneat penes hæredem, vel grauatos. *l. 1. §. in nouissimo. C. de cadu. toll.* tamen penes eosdem, hæredesve eorum, manet cum eodem onere illam restituendi illi ipsi, cui eam restituisset grauatus in gradu perempto, vt bene declarat in his terminis. *Gabr. d. cons. 115. nu. 13.* Vltra, quod in hoc casu cum deficientibus lineis institutorum, & descendentium masculorum ab illis testator vocet ad suam hæreditatem iuuenem eligendum à Commissarijs stante, quod tres hæredes fuerunt instituti, quodque nihilominus vltimus descendens grauatur restituere totam hæreditatem, necessario sequitur descendentes vocati etiam ad partes cohæredum, ad quod bene faciunt notata per *Socinum in d. §. cum ita. nu. 7.*

5 Non obstat quod non versemur in descendentibus testatoris, quia quicquid senserit *Clar. in §. testamentum. quæstione septuagesima nona. in fin.* coniecturæ sufficiunt ad effectum, vt etiam non descendentes à testatore censeri debeant vocati, quando in conditione positi fuerunt, vt hic.

6 Quippe etiam in extraneis coniecturæ plurimũ valent ad inducendum fideicommissum. *l. cum proponebatur. de l. 2.* neq; in hoc aliud est discrimen inter descendentes,

dentes, & extraneos, nisi quod in descendentibus sufficiunt coniecturæ leuiores, *vt per Syluestr. Aldobr. cons. 29. num. 48. & 51. & Tob. Non. cons. 31. num. 13. qui alios allegant, ideoque in hoc casu reprehenderunt Illustriss. Mantic. lib. 11. tit. 3. nu. 28. & Michael. Crass. in d. §. fideicommissum d. q. 14. in fine.*

7 Vltra quod cum testator iuuenes nominatim institutos, & descendentes masculos ab illis habuerit pro suis, perinde ac si ex ipso geniti fuissent, testatoris affectio fecit illos pares istis, vt per *Decian. cons. 26. num. 28. libr. 2.* quia ex illa validum elicitur argumentum ad voluntatem coniecturandam. *Argumento leg. si seruus plurium. §. fin. de leg. 1. leg. Aurelius, §. Titius, ff. de lib. leg. latè Menoch. præsumpt. 16. nu. 1. & 2. libr. 4. Aym. consil. 62. num. 8.*

8 Ideo eædem conclusiones admitti debent in istis fictis descendentibus testatoris, qui inuenti admitterentur, quandoquidem fictio in casu ficto idem quod in verò veritas operatur, *cap. cum dilectus, c. ad audient. de cleric. non resid. leg. 1. §. hoc Senat. ff. ad Trebell. Bart. in leg. 1. §. si ius. in princip. ff. de acquir. hæred. notatur in leg. is, qui pro emptore. ff. de vsucap. Dec. consil. 467. num. 18. Deci consil. 5. num. 51. Bene Ruin. consil. 86. num. 14. & cons. 115. num. 17. & 18. libr. 3. Paris. cons. 22. nu. 38. lib. 2. & consil. 118. numer. 32. libr. 4. Simonet. de reseruat. quæst. 35. numer. 25.*

9 Non obstat, quod ex communi opinione positi non censeantur vocati ad portionem patri, vel alterius cohæredis, ex congestis per *Gabr. de substit. conclus. 1. num 24. & per Menoch. cons. 85. nu. 43. præsumpt. 62. num. 37. libr. 4.* Nam illa communis opinio non procedit, quando præter conditionem aliæ etiam non coniecturæ vocationem suadent, vt patet ex supra allegatis & notant in specie *Gabr. vbi supra num. 28. & Menoch. de præsumpt. 62. sub num. 57. in fin. & dicto consil. 25. sub eodem num. 43.*

10 Ex pluribus autem in hoc casu concurrentibus, coniecturis, seligendo aliquas speciali nota digniores, & eas maximè qui necessitatem inducunt implendi voluntatem testatoris, quas vti firmiores, & indubitabiles considerant præcipuè *Doctor. vt per Aymon. cons. 130. num. 6. Surd. cons. 62. num. 18. libr. 1.* Habemus in primis esse positos in conditione descendentes nomine scilicet collectiuo, quod aptum est vocare omnes in infinitum ordine successiuo per fideicommissum. *Crot. in repet. leg. filiusfamilias. §. Diui. num. 17. de leg. 1. Couar. variar. resolut. libr. 2. cap. 5. num. 4. & in cap. Rainutius, §. 4. in fine. Cephal. consil. 268. num. 25. & seq. libr. 2.* & de communi, & magis communi testatur, *Ioannes de Anan. consil. 46. num. 1. & seq. Ruin. cons. 164. num. 3. libr. 3. Natt. cons. 53. num. 25. Gabriel. consil. 101. num. 22. libr. 2.*

11 A quo sunt positi in conditione sæpius, quo etiam ad effectum inducendæ vocationis. *Doctor. considerant. Corn. dicto cons. 74. num. 9. Rimin. iun. consil. 21. num. 43. & alij quamplures relati à Rustic. vbi supr. lib. 2. c. 5.* Quippe geminatio multum operatur, & magis indicat enixam disponentis voluntatem. *leg. Balista. ff. ad Trebell. Aym. consil. 28. num. 42. Corn. consil. 59. num. 8. & consil. 140. num. 2. libr. 2. plene Decian. consil. 46. num. 37. & seq. libr. 2. & bene in terminis. Paris. consil. 90. numer. 12. & 24. libr. 2.*

12 Non obstat *Cuman. in leg. cum ita. §. in fideicommisso, num. 4. de leg. 2.* tenens, quod pluribus vocatis sub dicto nomine collectiuo descendentes non per fideicommissariam, sed per vulgarem duntaxat veniant ordine successiuo, quod & alij senserunt relati per *Moliu. de primogen. cap. 5. num. 27. Surd. dec. 340. num. 18. quæ habetur in fin. lib. 4.* Consiliorum Respondetur enim cum eodem Cumano vbi supra, *& in l. Gallus, §. quidam rectè. de liber. & posthu.* qui dicit suam doctrinam non procedere, quoties verba tantum successum, & perpetuitatem respiciant. Tunc enim vocatos non per vulgarem, sed per fideicommissariam in perpetuum ordine successiuo esse admittendos. Idem tradiderunt *Socin. in d. §. quidam nu. 8. vers. Quartus casus. Ibique Ias. nu. 45. & Alciat. num. 35. plures allegant Cor. in c. Rainutius, §. 2. nu. 2. & Molin. vbi supra. c. 6. nu. 15. Card. Mant. lib. 8. & 12. nu. 11.*

13 Et perpetuitas, quam in hoc casu habuit in votis, & sua cogitatione amplexus est testator, dicitur ex proœmio testamenti, in quo dixit se ita disponere, vt memoria ipsius testatoris magis in dies conseruetur ex onera iniuncto assumendi prædictum cognomen, & insignia ipsiusmet testatoris. Molin. qui plures auctores, & Doctores refert, & cumulat *de primogen. lib. 1. cap. 5. num. 34.* ex mentione lineæ, vt latè tradit *Dec. dict. consil. 28. num. 17. & 19. lib. 2.* ex verbis toties, quoties, quæ denotant infinitatem. *Bart. in l. qui bona, §. fin. de damn. infect.*

14 Ex progressu ad plures substitutionum gradus, ad cumulata per *Cephal. consil. 251. num. 79.* & maximè ex vltima substitutione eligendorum per fideicommissarios. Atque his progressus ad plures gradus substitutionum destruit insuper pro efficaci vocationis coniectura, quam ponderauit *Aym. cons. 13. num. 6. & seq. Ruin. cons. 139. num. 19. lib. 3. Anchar. cons. 74. num. 2. Cephal. cons. 114. nu. 26. lib. 1. Alb. consil. 87. num. 12. vol. 1. Menoch. cons. 310. lib. 4.* & quidem optima ratione, quia si conditio non transiret in dispositionem, non posset fieri transitus de linea ad lineam, neque testatoris voluntas impleretur.

15 Alia coniectura desumitur ex qualitate masculinitatis sæpius repetita, etiã cum mentione lineæ masculinitatis sæpius repetita, etiam cum mentione lineæ masculinæ, quod indicat testatorem prospexisse perpetuæ agnationis conseruationi. *Bald. in l. maximum vitium, num. 2. c. de liber. præter. Paris. cons. 90. num. 15. & 24. lib. 2. & cons. 8. num. 9. lib. 2. Decian. consil. 31. num. 96. & 99. libr. 1. & cons. 161. nu. 15. Menoch. de præsumpt. 76. num. 33. Molin. lib. 1. c. 5. num. 35. Cephal. cons. 137. nu. 12.* Vbi de communi, de qua etiam *Decian. d. cons. 31.* atq; inde sequitur, masculos descendentes in conditione positos vocatos esse per fideicommissariam, & inter illos perpetuum fideicõmissum inductum fuisse. Alias enim si primo descendentes admisso ceteri quasi vocati per vulgarem censeretur exclusi, frustra testator qualitatem masculinitatis in illis descendentibus desiderasset. *Dec. cons. 318. nu. 1. & 2. & cons. 546. in princ. post Guido Papæ. q. 184. in fin. Cephal. cons. 251. nu. 77. Aym. cons. 130. nu. 2. & plures refert Illustriss. Mant. d. lib. 11. tit. 11. nu. 3.*

16 Potentissima est etiam vocationis coniectura onus illud masculis iniunctũ, assumendi cognomen, & insignia testatoris, quia quos grauauit per consequens cẽsetur vocasse, & honorasse quando concurit alia etiã leuis coniectura. *Rip. in l. centurio. num. 163. ff. de vulg. Zanch. in d. §. cum ita. in 7. parte. nu. 62. Curt. iun. cons. 87. nu. 5. & cons. 113. nu. 4. Menoch. præsumpt. 76. num. 32. lib. 4.* Dixit Rota in Vrbeuetana, fideicommissi 21. Iunij 1592. coram Orano, deinde ex illo onere resultat desiderium Testatoris, quod bona conseruarẽtur in agnatione de Pannolinis, vt per *Menoch. cons. 117. nu. 23. libr. 2. Alciat. cons. 34. nu. 4. tom. 3. lib. 9. Cephal. d. cons. 251. nu. 8. lib. 2. Rustic. vbi supra, lib. 2. c. 6. nu. 1. & 46.* & fuit dictum in causa Interamnen. Fideicommissi 15. Noueb. 1599. coram bon. mem. Card. Seraphino. Ratio conseruandæ agnationis est vrgens vocationis coniectura, vt latè per *Decian. d. cons. 44. nu. 14. lib. 3. Curt. cons. 22. n. 19. Gabr. de fideicom. concl. 4. nu. 42. & 45.* principalissimũ vocat *Thessaur. dec. 96. n. 20. & 23.* dicit sufficere, si cum ea concurrant aliæ aliquæ coniecturæ, eamq; procedere dicit etiam in extraneis, quando est inuentum istud onus assumendi nomen, *& arma, nu. 25.*

17 Nec subsistit, quod in hoc casu non sint grauati filij, sed parentes duntaxã t grauati sint in eo, quo ipsi, & filij

& filij eorum assumere debeant nomen, & arma. Verba siquidem testamenti sunt duo per se, & filios & descendentes assumant nomen,& arma. Dictio autem per, denotat personam immediatam, ita vt per ipsos descendentes eodem modo, quo per patres eorum,& arma,& cognomen sint assumenda, vt in terminis horum verborum tradit *Decian. cons. 26. nu. 33. vers. Tertio pondero. lib. 2.* & non est curandum, cum quo testator loquutus fuerit, sed attenditur in quem eius intentio dirigatur,& quem grauauerit. *l. cum pater. §. donationis. de leg. 3. Anchar. cons. 115. num. 9.* Atque absurdum esset onerasse masculos, & illæsa nihilominus relinquere feminis iura legitimæ successionis,sed & onus impositum iuueni per Commissarium eligen. satis,superque declarat, Testatorem omnibus onus imposuisse.

18 Non obstat,quod electio demandata Commissarijs qui non erant immortales impediat præsumptionem voluntatis testatoris super perpetuo, & absoluto fideicommisso. Nam respondetur non esse locum argumentis, quando constat de clara testatoris mente, dum extinctis lineis toties,quoties voluit eligi alium iuuenem, & circa modum exequendi non est vis facienda,quia cessante prouisione testatoris lex porrigit suum auxilium deferens electionem tempore. *capit. si hæredes de testam. Alb. cons. 465. num. 5. Curt. iun. consil. 66. nu. 2. lib. 1. Crass. de success. art. de exequut. vlt. volunt. q. 14. num. 1. Iacob. à Can. eod. tract. part. 2. §. quæro tertio. nu. 4. 5. & 24.*

19 His coniecturis, quæ in simul iunctæ considerari non autem separatim discuti debent, *Bero. qui alios allegat, cons. 104. num. 12. in fin. lib. 2. Alb. cons. 464. nu. 5. in fin. Socin. iun. cons. 110. num. 28. in fin. & num. 29. libr. 3. Card. Mant. d. lib. 11. tit. 3. num. 26.* & sæpissimè fuit decisum. Addenda est decisio facta inter institutos cum interuentu exequutorum testamenti,in qua clarè præsupponitur vocatio descendentium. Possunt enim voluntatem testatoris declarare hæredes,qui illam præsumuntur habere notam. *Cephal. cons. 183. nu. 71.* cum alijs allegatis per Illustriss. *Mantic. d. lib. 3. tit. 1. num. 26.* & eadem ratione exequutores testamentarij. *Bald. cons. 259. nu. 1. lib. 4.*

20 Nec dubium est,quin istæ coniecturę sint efficaces ad inducendam vocationem etiam quo ad portionem cohæredis, siue ficti patrui. Nam in coniectura ex masculinitate desumpta id tradiderunt *Zanch. dict. §. cum ita. par. 7. num. 91. Socin. iun. cons. 110. num. 39. lib. 3. Aym. d. cons. 130. num. 6. Riminal. iun. cons. 23. nu. 59. Surd. cons. 334. num. 18. in coniectura conseruandæ agnationis. Ruin. d. cons. 144. num. 9. libr. 2. Aym. d. cons. 130. num. 9. Decian. d. cons. 44. nu. 68. & 73. lib. 3.* & fuit decisum in supradicta Romana Fideicommissi de Quinque. Vbi alij Doctores allegantur in coniectura reciprocæ substitutionis,quando, vt in hoc casu,facta est inter institutos, quod videlicet multo magis testator eam facere voluerit inter descendentes remotiores,& minus dilectos. *Socin. iun. dict. cons. 110. num. 10. & 39. Aym. d. cons. 130. num. 6. Dec. d. cons. 28. num. 21. lib. 1. Surd. cons. 344. nu. 17. Rimin. iun. cons. 676. nu. 11.* Præterea, quando deficientibus iuuenis eligi debeat ad huiusmodi testatoris hæreditatem, & agnationem, vtique cum mentio omnis facta sit in plurali, dicendum est, vt remaneat hæreditas testatoris, in qua iuuenis possit succedere, positos in conditione censeri vocatos etiam ad portionem cohæredis. *Ruin. cons. 110. nu. 39. lib. 3. Dec. resp. 44. num. 68. libro 3.* Denique Doctor. à princ. allegati in genere pro firmanda vocatione positorum in conditione etiam ad partem cohæredis loquuntur omnes,in quibusdam ex istis coniecturis,& quando tot, & tantæ in simul iunctæ sunt redditur vndique patens, & manifesta testatoris voluntas.

21 Itaque non esset necessarium magis insistere circa substitutionem reciprocam inter descendentes, tamen vt in hoc etiam satisfiat allegationibus alias pro Domino Ioanne Baptista datis,& in hac positione reassumptis, & quod pro Domino Ioanne Baptista sæpissime citato nemo informauit, dicitur hoc modo concurrere illa tria requisita, quæ sufficiunt ad dictam reciprocam innucendam,videlicet,quod illi,inter quos de inducenda reciproca agitur, sint vocati, quod substitutio facta sit in tota hæreditate, & vltimo morienti,vt per Illustriss. *Mantic. de coniect. vltim. volunt. lib. 7. tit. 5. num. 15. Surd. cons. 329. numer. 6.* qui alias allegant, fuit decisum in Vrbeuetana Fideicommissi 28. Aprilis 1586. coram Illustriss. Pamphilio, & alias sæpe.

22 Quod descendentes sint vocati iam satis probatum est,& quod datur reciproca inter positos in conditione vocatos ex coniecturis, dixerunt *Rip. in d. §. cum ita. num. 29. Rimin. sen. cons. 189. per tot. Curt. iun. consil. 139. numer. 14. Ruin. cons. 167. lib. 3. Socin. iun. cons. 151. num. 12. lib. 3. Decian. cons. 44. num. 6. Sfort. Odd. consil. 66. num. 72.* Vltra quod in hoc casu testamenti verba multum vigent, quod sint etiam descendentes vocati per reciprocam. Disponit enim testator vt vno, vel pluribus sine filijs deficientibus, eisdem superuenientes vnus, vel plures succedant. Quod si considerauit casum, quo pluribus descendentibus plures substituti essent, hoc non potuit contingere inter institutos, qui erant tres.

23 Quod substitutio facta sit in tota hæreditate constat ex quo testator dixit, quod eligatur iuuenis ad huiusmodi hæreditatem. Illa enim dictio huiusmodi ostendit, testatorem sensisse de tota hæreditate. *Paris. cons. 52. num. 32. lib. 3. & cons. 40. numer. 8. lib. 4. Simon. de Pret. de interpret. vltim. volunt. libr. 3. folio 322. num. 30. & 33. Odd. de compend. part. 5. artic. 6. num. 12.* Immo, & quamuis fuisset enunciata hæreditas indefinite intelligi deberet de tota hæreditate, quia congrua hæreditas dicitur tota, atque alias non est hæreditas,sed pars hæreditatis, vt de veriori, & in iudicio seruata opin. trad. *Decian. d. cons. 44. nu. 69. libr. 3. Menoch. cons. 397. nu. 12. lib. 4. Socin. iun. cons. 145. nu. 41. & seq. lib. 3.*

24 Denique quod substitutio facta sit vltimo morienti colligitur, quia iuuenis eligendus vocatur omnibus deficientibus,& toties & quoties huiusmodi instituti deficerent. Vbi enim testator non exprimit, à quibus hæreditatem vult restitui semper intelligi gitur onus impositum vltimo. *Decian. post alios consil. 44. num. 73. lib. 3. Curt. iun. cons. 111. num. 13. Socin. iun. consil. 151. numer. 6. libr. 2. de mag. com. Paris. consil. 43. numer. 33. in fin. libr. 2. cum alijs per Bartol. decis. 6. num. 6.* & non est necesse, quod substitutio fiat formaliter & verbis expressis vltimo morienti, vt dixit Rota in Bononien. de Felicinis coram bon. mem. Seraphino 18. Februarij 1581. Et in supradicta Vrbeuetana coram Orano trad. *Socin. iun. dict. consil. 151. numer. 6. & 9. lib. 2. & consil. 110. num. 35. lib. 3. Late Simon de Pret. vbi supra. consil. 323. num. 27.* & facit etiam, quod iste iuuenis eligendus substituitur ex nunc, prout ex tunc, quæ verba cum ad extremum tempus deficientiæ restringantur, demonstrant substitutionem factam vltimo decedenti, non propterea importare reciprocum fideicommissum. Nam vltra quod contrarium tenuerunt plures attestantes de magis communi, quos cumulat *Simon de Pret. dict. consil. 323. d. decis. 6. numer. 6. & sequent.* respondetur præterea, illam opinionem non procedere, vbi tot argumenta concurrunt voluntatis testatoris, & præcipue circa agnationis conseruationem. *Zanch. dict. §. cum ita. par. 6. num. 176. Socin. iun. d. cons. 110. num. 36. in fin. libr. 3.* nec etiam in descendentib. testatoris, secundum magis com-

communem opinionem, de qua *Paris. cons. 43. num. 33. lib. 2. Cephal. consil. 166. num. 20. Gabr. cons. 1. num. 20.* dixit Rota in supradicta Bononien. de Felicinis. Isti autem per fictionem sunt descendentes testatoris, vt supra dictum est. Quæ tamen dicta intelliguntur ex abundanti, quia etiam cessantibus illis requisitis, potest ex alijs legitimis coniecturis induci tacita reciproca. *Ias. cons. 103. col. 3. vers. item fideicommissum, lib. 4. Rip. in d. §. cum ita. num. 17. vbi Zanch. num. 158. & 694. in antiq. impress. Aym. consil. 113. Socin. iun. dict. cons. 110. num. 36. lib. 3. Cephal. cons. 478. nu. 13.* & in hoc casu coniecturæ superabundant, in quibus, non autem in requisitis reciprocæ, fundarunt præcipuè DD. hanc decisionem, quæ hodie facta fuit vnanimi consensu cum in duabus alijs positionibus de anno 1609. factis haberi non potuisset absoluta resolutio, licet maior pars tunc inclinaret in eam sententiam, quæ nunc firmata est.

R. P. D. CAVALERIO.

Bononien. de Bonsignioribus. Mercurij 15. Decembris 1610.

DECISIO CCLXVII.

Est impressa inter Caualerio.

DECISIO 130.

REVERENDISSIMO P. D.

LVGDVNEN.

Lucana Bonorum 15. Decembris 1610.

ARGVMENTVM.

Legatum quando dicatur conditionale, est notabilis decisio.

SVMMARIVM.

Conditio non dicitur adiecta dispositioni perfectæ per appositionem qualitatis, quæ adimpleri debeat post actum, numer. 1.

Conditionis proprium est, vt illa adimpleatur ante perfectionem, & exequutionem dispositionis, nu. 1.

Conditionalia verba non dicuntur ea, quæ non præstant in acquirendo aliquod impedimentum, sed pronunciant factum explicandum post ius acquisitum, moderando dispositionem esse imperfectam, num. 2.

Legatum cum conditione ademptum sub contraria conditione datum censetur. Declara, vt num. 3. & 4.

Quasi dictio fictionem, & improprietatem importat, num. 3. vers. Nam fuit responsum.

Legatarius non consequitur legatum sub conditione negatiua relictum sine cautione Mutiana. Declara, vt numer. 5. & 6.

Ecclesia in patria testatoris sita dilecta ab illo præsumitur, ita vt eam legatis priuare noluerit, nu. 7.

DECISIO CCLXVIII.

1 VNanimi consensu censuerunt Domini, standum esse in decisis coram me die 13. Martij 1609. ex rationibus in decisione deductis, quibus inhærendo fuit dictum, legatum relictum Ecclesiæ de Corelia à quondam Peregrino nullo modo fuisse conditionale, loquendo de vera conditione, quæ suspendit actum, & dum pendet, impedit fieri acquisitionem, ratio est quia vbicunque alia qualitas adijcitur dispositioni imperfectæ, ea debet impleri post actum iam perfectum, alias adiectio qualitatis non dicitur inducere conditionem, quia conditionis proprium est, vt impleatur ante perfectionem, & exequutionem dispositionis, vt declarat *Bart. in leg. quibus diebus. §. Termilius sub num. 1. in fin. ff. de condit. & demonstr. Bald. consil. 219. incipien. Peppus. num. 5. lib. 2. Castrens. cons. 292. col. 1. libr. 2. Aym. consil. 59. num. 1. Corn. cons. 102. numer. 10. libr. 2. Menoch. consil. 131. numer. primo, & sequent. libr. 2. Honded. cons. 58. lib. 2. Moron. de reg. & pac. q. 29. nu. 6. Idque procedit etsi quis vsus fuerit verbo condi tionis. Bart. in d. §. Termilius, nu. 5. Alex. cons. 102. nu. 2. lib. 1. Aym. & Corn. in locis præallegatis.*

2 In proposito igitur relictum Ecclesię de Corelia in euentum, quod Peregrinus testator, eiusque filij decederent, fuit purum post obitum nominatorum, quandoquidem in aditione hæreditatis, per Ecclesiam facienda, nulla se offerebat conditio, quę implenda esset, & quamuis testator subdiderit illa verba cum pacto, *Che detto Altare non possa essere impetrato da persona alcuna, & quando à caso fusse impetrato vuole, che detti beni ricadino al Conuento di Sancto Romano*, Non tamen ad nostrum effectum possunt dici conditionalia, quia non præstant in acquirendo aliquod impedimentum sed pronunciant factum explicandum post ius acquisitum Ecclesię, moderando dispositionem esse imperfectam, *l. Mæuia. ff. de manumiss. testam. leg. 1. §. fin. ff. de donat. Tiraquel. de retract. conuent. §. 2. & gloss. 1. num. 2. Aym. dict. consil. 59. num. 1. Menoch. consil. 78. numer. 31. & 16. post plures, quos allegat, & in terminis illorum verborum, cum hoc pacto. Tob. Non. in cons. 38. nu. 1.*

3 Non obstat, quod dicitur legatum debere censeri conditionale, ex quo cũ fuerit cum conditione ademptum, nempe predicto casu, quo Altare impetraretur debet etiam censeri datum sub contraria conditione, *leg. si legatum pure. leg. legata inutiliter. de adimen. leg. l. aliquando. in fin. & l. quibus diebus. §. quidam. ff. de condit. & demonstr. & alia congerit Felin. in cap. significasti, colum. 4. de foro compet.* Nam fuit responsum quod videlicet in casu dictarum legum legatum sub conditione ademptum, censetur datum sub contraria conditione ficte tantum, & non vere, quia in veritate legatum est purum cessante conditione ademptionis, & ideo in dictis legibus loquuntur Iurisconsulti per dictionem fictionem, & improprietatem importantem. Idque melius exprimitur *in l. quod pure. ff. quando dies leg. cedat.* ibi quasi sub conditione legatum habetur, & ita respondet *Cephal. consil. 52. num. 7. libr. 1. & de mente Alex. in leg. si mihi, & tibi. §. in legatis. post Castr. ibid. ff. de l. 1. Dec. in l. 1. nu. 47. de offic. eius, cui mand. est iurisdict.*

4 Vel reuocatio sub conditione conferebatur ante ius quæsitum hæredi, vel legatario, quo casu nil mirum, si dispositio reddebatur conditionalis, vt per *Cephal. d. consil. 52. nu. 1. & seq.* & fuit copiosius dictum in decisione prima. In testamento autem Peregrini ademptio fuit collata in tempus, quo iam erat ius quęsitum Ecclesię, vt dictum est, & propterea non potest inficere dispositionem antea factam, cum pendeat ex facto tertij, qui est propriè casus, *leg. propter familias. ff. hæred. instit. secundum Cephal. vbi supra, & Bertazol. consil. 76. num. 16. & 17. ciuil.* vbi testatur de communi, & respondet ad iura, quæ videntur contraria, atque ita illum *text. intellexisse videtur Bart. ibi. numer. 2. & post eum Ang. & Imol. & hanc* dictionem faciunt præter alias, cautelas. *Socin. consil. 21. num. 3. lib. 3. Ruin. consil. 122. num. 9. lib. 2. & consil. 150. numer. 11. libr. 3. Bertrand. consil. 113. num. 2. libr. 3. Couarr. in cap. Rainaldus, §. 1. numer. 7. de testament. Gabr. consil. 105. numer. 12. & 13. volum. 1. & num. 11.* dicit sapere magnam iniquitatem, quod quis ex facto alterius debeat priuari bonis acquisitis.

Et

5 Et sic non obstat, quod Rector debuisset præstare cautionem Mutianam ad hoc, vt consequeretur legatum sibi relictum sub conditione negatiua, ad *not. per Bartol. & Doct. in leg. Mutiana. ff. de condit. & demonstr. Ruin. consil. 150. numer. 45. lib. 3.* cum alijs per Informantes pro RR. PP. Sancti Romani. Nam eodem modo respondetur, cautionem Mutianam non præstari, quando conditio pendet à casu, videlicet facto tertij. Ratio est manifesta, quia cautio succedit loco implementi. *l. Mutiana. l. is cui. l. cum sub hac. leg. Titio fundus. ff. de condit. & demonstr. Ruin. d. cons. 170. Bart. cons. 156. nu. 4. & cons. 177. nu. 5. lib. 1.* & debet continere, quod heres videlicet legatarius non contrafaciet alias rem restituit cum fructibus, & vsuris medij temporis. *l. hæres. §. qui post. d. l. cum sub hac. ff. de condit. & demonstr. l. cum filius. §. qui Mutianæ. de leg. 2. Cuiac. ad lib. 16. quæst. princ. in explicatione. l. 72. de condit. & demonstr.* In hoc autem casu non disposuit, aut iussit testator, vt Ecclesia de Corelia faceret, vel non faceret aliquid.

6 Accedit, quod semper in idem reincidimus, videlicet legatum in hoc casu non esse relictum sub conditione, & cautio. Mutiana, & ideo non habere locum in modo: *Soc. in l. Mutiana. nu. 6. de condit. & demonstr.* nec in legato, pio, videlicet, quando pia causa instituitur. *Soc. ibidem. num. 2. Ias. in l. dedi. circa finem. de condict. causa data.*

7 Postremo hęc resolutio ad fauorem Ecclesię de Corelia est magis consona æquitati, quia non est verisimile, quod testator, qui dictam Ecclesiam vti sitam in sua patria præ oculis habuit, & dilexit, voluerit eam priuare bonis legatis in casu etiam, quo aliquis improbus impetrans supponeretur, & caducitatem induxerit ad fauorem Monasterij Sancti Romani, non in cōtumaciam Ecclesiæ de Corelia facientis, vel non facientis, sed in odium tertij impetrantis, & in casu, quo impetratio esset valida, ita vt Ecclesia non posset amplius ea bona retinere, & fuit etiam in decisione consideratum, à qua propterea Domini nullo modo recedendum censuerunt.

R. P. D. PAMPHILIO.

Toletana Cappellaniæ de Pastrana. Mercurij 15. Decembris 1610.

ARGVMENTVM.

Attentata non dicuntur purgata per restitutionem possessionis, nisi etiam restituantur fructus percepti, & refectæ expensæ, nec isto casu admittitur depositio vnius Iulij, cum oblatione restituendi reliquum, facta liquidatione, fructusque à possessore præsumuntur percepti, nisi contrarium probetur.

SVMMARIVM.

Appellatione pendente attentata reuocanda sunt. nu. 1.
Attentata non dicuntur purgata per solam restitutionem possessionis, nisi restituantur etiam fructus percepti, & refectæ expensæ. num. 1. Vbi amplius, quod isto casu non sufficit depositio vnius Iulij, cum oblatione restituendi reliquum facta liquidatione.
Depositum certæ quantitatis pecuniarum, cum oblatione de restituendo reliquum, facta liquidatione, non admittitur in iudicijs priuilegiatis, nu. 1.
Possessor præsumitur percepisse fructus possessionis, nisi contrarium probet. nu. 2.
Possessio instrumentalis alio existente in possessione nihil operatur. Declara, vt num. 3.
Possessio capta authoritate Iudicis tribuit ius possessori absque alia eiectione, num. 3.

DECISIO CCLXIX.

1 Non controuertebatur, possessionem Martini, tanquam captam post interpositam appellationem à decreto Vicarij Compluten. fuisse attentatam *leg. 1. & tot. tit. ff. nil. nou. appell. interpos. cap. non dolum. de appellat. in 6.* sed quia pro parte Martini prætendebatur, attentata huiusmodi esse sufficienter purgata per cessionem possessionis per ipsum factæ proposui dubium, an ei obstaret exceptio attentatorum, quod fuit per Dominos affirmatiue resolutum.

Nam licet respectu possessionis fuerit facta cessio non tamen fuerunt restituti fructus percepti, & refectæ expensæ, prout erat necessarium, vt attentata dicerentur integre purgata. *Verall. decis. 33. libr. 2. in manuscript. Rot. decis. 5. de restit. spoliat. in nou. cum alijs per Modern. de attent. cap. 29. numer. 32.* nec ad hunc effectum sufficit depositio vnius Iulij, cum oblatione restituendi reliquum facta liquidatione, vt dicit *Bal. in cap. conquerente. num. 1. versic. in text. ibi integre. de restit. spoliat.* cuius opinionem in attentatis, & in alijs iudicijs priuilegiatis seruat Rota, vt per *Caputaq. decis. 150. num. 3. par. 1. & trad. Modern. de attent. cap. 31. num. 71. cum seq.*

2 Nec placuit, quod dicebatur, non constare Martinum percepisse aliquos fructus, quia cum ipse possederit Cappellaniam per plures annos, præsumitur, quoque illius fructus percepisse, ideo tenetur illos restituere, nisi doceat ab alio fuisse perceptos. *Rot. dec. 25. de præbend. in nouis Crott. decis. 54.* & fuit dictum in causa Panormitana Archidiaconatus 21. Maij 1592. coram R. P. D. meo Decano, & in causa Pampilonen. Prioratus 26. Aprilis 1602. coram R. P. D. Ludouisio, & alias sæpius.

3 Minus etiam placuit, quod possessio Martini fuerit mere instrumentalis existente tunc Capitulo in possessione, quæ propterea non probat possessionem, *l. non idcirco. & ibi Bald. & alij. Cod. de fid. instrum. cum alijs allegatis.* Quia vltra quod illa fuit capta auctoritate iudicis, qui priuat possessorem sua possessione absque alia eiectione. *Angel. in l. qui vniuersas. §. item cum prætor. in fin. & in leg. clam possidere. §. qui ad nundinas, numer. 2. in fin. ff. de acquirend. possess.* in casu isto concurrit mandatum de manutenendo ad fauorem Martini relaxatum, nec non præceptum iudicis factum colonis, vt de fructibus responderent Martino, qui ab eis fuit recognitus, & vlterius Capitulum pluries institit pro manutentione, quam numquam potuit obtinere propter possessionem Martini, quę omnia ostendunt eius possessionem non fuisse mere instrumentalem, sed realem cum perceptione fructuum, & ita fuit resolutum.

REVERENDISS. P. D.

LVGDVNEN.

Romana Vineæ. 17. Decembris 1610.

ARGVMENTVM.

Mandatum de manutenendo conceditur possessori tempore motæ litis, etiam quod possessio fuerit translata per clausulam Constituti. Nec possessione sua quis priuatus censetur per mandatum iudicis, non rite procedentis.

SVMMARIVM.

Constituti clausula vere possessionem transfert. nu. 1.
Mandatum de manutenendo concedendum est possessori tempore motæ litis, num. 1.

Possessione sua quis non censetur priuatus per mandatum Iudicis minus recte procedentis. num. 2.
Contradictor legitimus ad impediendum immissionem dicitur is, qui se possessorem probat. nu. 2.
Donatio inter viuos, facta pio loco, non facile reuocari potest. num. 3.
Possessorium Summariissimum non admittit disputationem super validitate, vel inualiditate donationis, cum in eo sola possessio attendatur. nu. 4.

DECISIO CCLXX.

1 DOmini dixerunt, mandatum de manutenendo esse concedendum Monasterio Sanctæ Susanne in possessione vineæ, de qua agitur. Siquidem dicti Monasterij possessio est clara, tam ex constituti clausula ad illius fauorem apposita in instrumento donationis, per quam vere possessio transfertur. *leg. quod meo. ff. de acquir. possess. leg. certi. §. 1. de precario. capit. cum venissent. de restitut. spoliat. & alijs per Tiraquel. congestis. de iure Constit. part. 2. ampliat. 1. num. 1. & sequent.* quam ex actuali, & corporali possessione capta nomine dicti Monasterij, & in qua existebat, quando fuit concessa immissio Ecclesiæ Sancti Iacobi. Probata autem possessione de tempore motæ litis, vulgata est conclusio, manutenendum esse possessorem. *§. retinendæ. instit. de interdict. & similib.*

2 Neque obstat immissio, quia monasterium non habuit se pro spoliato, & non fuit priuatum sua possessione per iudicem minus recte procedentem. *l. fin. C. si per vim, vel alio modo. l. fin. C. comminat. vel epist. Bald. cons. 135. nu. 2. lib. 2. Fel. in cap. dilectus. il 1. num. 1. de rescript. Ruin. cons. 17. num. 5. lib. 5.* Quod autem Iudex iniuste processerit, apparet, ex quo non habuit Monasterium pro legitimo contradictore, cum tamen vigore donationis, & sic tituli habiti ab ipsomet testatore, cuius Ecclesia Sancti Iacobi est hæres, atque in vim constituti, & possessionis realis esset vere contradictor legitimus ad impediendum dictam immissionem. *Bart. in l. final. num. 9. & Bald. nu. 49. C. de edict. Diui Adr. tollen. Soc. iun. cons. 77. num. 161. lib. 1. Neuiz. cons. 8. nu. 73. vbi loquitur in terminis donationis Menoch. de adipiscen. rem. 4. nu. 586. & 588.*

3 Non obstat, quod donatio fuerit ab ipso donante reuocata in testamento. Nam fuit responsum donationem inter viuos factam pio loco non facile reuocari. *§. aliæ autem donationes. instit. de donat leg. 1. & leg. Aristo. ff. eodem. lib. 2. & 3. C. de reuoc. donat. Abb. in c. relatum. de testam. Ang. Aret. cons. 4. nu. 22. Gabr. concl. 1. de Iurepatr.*

4 Nec facit, quod opponitur de nullitate, seu inualiditate donationis. Nam de illa inualiditate non constat, & non est discutienda in hoc Summarijssimo iudicio, in quo sola possessio attenditur. *Castr. cons. 3. n. 2. Bald. in cap. licet. n. 30. de probat.* Fuit dictum in Romana Vineæ 23. Iunij 1581. coram Robusterio.

5 Atque hæc Domini intelligunt quantum ad quatuor partes Vineæ in donatione comprehensas, quia quo ad quintam partem, quam sibi testator reseruauit ad effectum testandi pro anima, possessio legitima est penes Ecclesiam, & sic vtraq; pars pro indiuiso, quælibet tamen in sua portione respectiue possidebit, &c.

R. P. D. VBALDO.

Brittinorien. Iuris patronatus. Lunæ 20. Decembris 1610.

ARGVMENTVM.

Iura in partibus extracta pe successorem in officio probant etiam parte non citata, dummodo fuerint recognita in Curia, in qua producuntur sententiæ super statu, quando faciunt ius quo ad omnes, & de A. C. quod in Beneficialibus nullam habet iurisdictionem, nec sit competens iudex.

SVMMARIVM.

Testes examinati, & acta in partibus gesta non afficiunt de, cuius interesse agebatur, & citatus non fuit. nu. 1.
Sententia super statu facit ius, quo ad omnes, Declara, vt num. 2.
Sententia, & acta procedunt à pari. nu. 2.
Comparens in iudicio, & protestans nihil fieri, nisi ipso citato, videtur approbasse omnia acta iam gesta. nu. 3.
A. C. in Beneficialibus est iudex incompetens, nec aliquam habet iurisdictionem. nu. 4. Vbi tamen quod iura etiam coram eo producta non amittunt suum robur.
Confessio facta in processu nullo sustinetur. nu. 4.
Iura extracta, & transumptata per successorem dicuntur in forma probanti, etiam quod fuerint extracta sine citatione partis. nu. 5.
Archiuum, & scriptura in eo reperta, probant inter subditos. num. 6.
Iura in partibus extracta, & in curia producta, recognosci debent in curia. nu. 7.

DECISIO CCLXXI.

1 DVm introductum esset iudicium coram Ordinario Brittinorien. ad docendum de Iure patronatus in duobus beneficijs vacantibus, ad quæ duo clerici per assertos patronos fuerant præsentati, Petrus Maria Traphigettus à Sede Apostolica de ijsdem prouisus, & possessionem eorum adeptus, protestatus fuit in actis nihil fieri, nisi ipso citato, coram A. C. virtute Eugenianæ, coram quo actis transportatis, & nonnullis alijs iuribus productis, partes obtinuerunt in signatura remitti causam D. Cellesio, à quo sententia lata est pro Iure patronatus. Causa in Rota introducta in gradu appellationis, fuit datum dubium, An examen Testium, & iura, & acta de partibus facta, & extracta non citato D. Traphigetto, nec non extractus coram A. C. sint in forma probanti? Et Domini dixerunt, testes, & acta de partibus non afficere Traphigettum non citatum. *leg. de vnoquoque. ff. de re iudicata. leg. nam ita Diuus. ff. de adopt. Mohed. dec. 2. de fide instrum.*

2 Neque obstare dixerunt, quod hic ageretur de statu beneficiorum, & sententia super statu facit ius, quo ad omnes. *leg. ingenuum. ff. de stat. hom. Felin. in c. super eo. num. 1. de test.* Et quod sententia, & acta procedunt à pari communiter, *not. in cap. causam. il primo. de test. & ibi Butr. num. 4. Alexand. in leg. sæpe. num. 125. ff. de re iudic. & signanter in materia. leg. ingenuum. Aebil. dec. 5. in fin. de re iudic.* Quia fuit responsum dictam l. ingenuum. limitari, quando sententia est lata pro ingenuitate, vel libertate, & cum legitimo contradictore. *leg. Diui fratres. §. 1. ff. de liber. cau. leg. cum non iusto. ff. de colluj. deteg.* Secus si pro subiectione, & seruitute, aut si non interuenit legitimus contradictor. *Bartol. & alij, in d. leg. ingenuum.* sed in proposito fuit actum contra libertatem beneficiorum, & non fuerunt affixa edicta, & nemo fuit citatus, nisi quo ad vnum ex dictis beneficijs.

3 Neque obstat, quod Traphigettus comparuerit protestando nihil fieri, nisi se citato, & sic videatur fecisse omnia acta sua, *iuxta cap. vt lit. pend. in 6. Mohed. decis. 3. in fin. de iudic. Put. decis. 71. lib. 3. Caputaq. dec. 125. part. 3.* Quia cum venerit impugnatiue ad dictum iudicium, tantum abest, vt acta præcedentia approbauit, vt potius ex oppositione cuiusmodi exceptionis, quæ tendebat ad elidendam intentionem litigatium, debuerit iudicium inter eos quiescere, donec de opposita exceptione cognosceretur. *leg. Titia. ff. solut.*

solut. matr. cum alijs per Ang. Aret. cons. 62. sub n. 9. vers. sed tamen. & nu. 10.

4 Quod verò pertinet ad acta, coram A. C. & iura, coram ea producta, dicebant Domini, acta quidem fuisse nulla, tanquam facta coram Iudice incompetente, & non habente iurisdictionem in beneficialibus. *Ægid. dec. 210. Achil. dec. 250. alibs 24. de appell.* & fuit dictum in Oritana. Parochialis 12. Decembris 1597. coram bo. mem. Peregrino, & in Catacen. Canonicatus 4. Iulij 1608. coram Domino meo Cauallerio. Iura vero coram ea producta si alioquin probarent, non amittere suum robur, licèt exhibita coram Iudice incompetente, sicut dicitur de confessione, quæ licèt facta in processu nullo, tamen sustinetur, *vt not. Abb. in cap. 2. num. 14. de Cappell. monac. Vant. de nullit. in titul. Qualiter sent. & process. nu. 126.*

5 Quæ quidem iura partim erant extracta per successorem in Curia Episcopali Britinorien. partim per Archiuistas ex publico Archiuo dictę Ciuitatis, & Ciuitatis Cesenæ quo ad extracta pro successorem in officio, illa videbantur esse in forma probanti, quamuis extracta sine partis citatione. *Couar. pract. q. c. 21. n. 3. vers. hoc ipsum Caputaq. dec. 244. nu. 3. par. 2.*

6 Quo ad extracta ex Archiuo Ciuitatis Brittinorien. cum res ageretur inter eiusdem Ciuitatis ciues, videbantur etiam probare, quia Archiuum probatur inter subditos *Fel. in cap. ad audientiam. n. 12. vers. tamen non negat. de præscript. Card. cons. 72. num. 8. Alex. in auth. si quis in aliquo. nu. 8. C. de eden. & cons. 138. nu. 5. lib. 1. & cons. 16. nu. 5. lib. 5. cum alijs per Gabriel. in tit. de probat. concl. 5. nu. 14. Veral. dec. 42. par. 1.*

7 Sed tamen placuit Dominis omnia iura extracta, vel à successore in officio, vel ex Archiuo Brittinorien. debere recognosci in Curia alias non probare. *Put. dec. 359. nu. 3. lib. 2.* & fuit dictum in causa Citteren. beneficij 28. Maij 1604. coram D. meo Sacrato. Instrumentum vero extractum ex Archiuo Cesenæ nullam fidem facere, tanquam extra territorium litigatium, quamuis sub eodem Principe. *Veral. d. dec. 42. nu. 2. par. 1.* Et ita fuit decisum, &c.

REVERENDISS. P. DOMINO LVGDVNEN.

Mediolanen. Decimarum. Lunæ 20. Decemb. 1610.

ARGVMENTVM.

Ecclesia quando proprie dicatur matrix, & quando Parochialis.

SVMMARIVM.

Ecclesia matrix, plebana, & baptismalis, videtur esse vna, & eadem nu. 1.

Ecclesia matrix, quæ sit, variæ dantur significationes, & ideo intelligi debent secundum subiectam materiam. nu. 2.

Ecclesia Parochialis est illa, quæ ab aliis Parochijs est distincta, & certis limitibus separata, habetque suum fontem baptismalem, & proprium Rectorem, cum titulo collatiuo, qui suo, & proprio nomine habet fori pænitentialis exercicium, & sacramentorum administrationem. nu. 2.

Ecclesia matrix dicitur illa, quæ habet sub se alias Ecclesias filiales, quæ postea fuerint extracta. in dictæ matricis Ecclesiæ adiutorium. nu. 3.

Ecclesia potest dici matsix etiam larga significatione. Declara. vt nu. 4.

Episcopus potest ex pluribus Ecclesiis vnam etiam vltimo loco ædificatam erigere in plebem. nu. 5.

Testibus reddentibus sui dicti bonam rationem magis credendum, quam deponentibus sine ratione. nu. 6.

DECISIO CCLXXII.

1 QVia in Decisione in hac causa facta die 9. Martij 1609. fuerat dictum, Eccclesiam Sancti Victoris in Castro Varisij non esse Matricem, Agentes pro dicta Ecclesia qui non acquiescebant illi resolutioni, obtinuerunt sibi dari dubium, An dicta Ecclesia Sancti Victoris sit Matrix, seu Plebana, vel Baptismalis. Et faciebant præcipue fundamentum in quibusdam Doctorum allegationibus, vbi istæ appellationes Ecclesiæ matricis, plebanæ, & baptismalis, videntur accipi synonyme, vt apud *Lap. alleg. 15. Abb. in capit. ex transmissa. num. 2. & 3. de præscript. & alios.* Vnde cum ex iuribus antiquis, & recentibus haberent dictam Ecclesiam appellari plebem, seu plebanam inferebant eandem dici debere Matricem.

2 Verum attento effectu non solum disputationis inchoatæ, sed etiam controuersiæ, & litis, quæ non est de superioritate, aut præeminentia, sed de pertinentia decimarum, Domini dixerunt, appellationem Matricis in hoc casu esse accipiendam stricte, cum illa dictio habeat varias significationes, & intelligi debeat secundum subiectam materiam. *Abb. in cap. venerabili. num. 2. de verb. signific. & in cap. vt singulæ. numer. 1. de offic. Archipresbyt. Rebuff. de decim. quæst. 6. numer. 6. 19. & 23.* Et secundum istum effectum, qui est an d. Sancti Victoris Ecclesia possit suam intentionem fundaae, vel saltem coadiuuare ex qualitate Ecclesiæ Matricis, fuit resolutum, nullo modo constare de tali qualitate. Dicitur enim Ecclesia Matrix ea ratione, quod sicut mater generat filios, ita & ista regenerat per Baptismum, iuxta *gloss. in Clemen. 1. in versicul. matricem. de sentent. excommun.* Istum autem effectum regenerationis non operatur Ecclesia Sancti Victoris in Parochianis aliarum Ecclesiarum, quia singulæ Ecclesiæ sunt distinctæ, & certis limitibus separatæ, & vna quæque habet suum fontem Baptismalem, & proprium Rectorem, cum titulo collatiuo, & perpetuo qui suo, & proprio nomine habet fori pœnitentialis exercitium, & Sacramentorum administrationem, & denique concurrunt ea omnia, quæ desiderantur ad constituendam veram Ecclesiam Parochialem, & verum Ecclesiæ Parochialis Rectorem, ad *not. per DD. in cap. 2. de Cappell. Monach. & per Barbat. in cap. ex parte. il 2. nu. 9. de rescript.*

3 Nec dici potest curam, & administrationem Sacramentorum olim resedisse penes dictam Ecclesiam Sancti Victoris, & alias Ecclesias Parochiales fuisse lapsu temporis paulatim constructas pro succursu dictæ Ecclesiæ, & maiore populi commoditate. Quia id in quo vere versatur tota controuersia non probatur non enim constat, quod Ecclesia S. Victoris sit antiquior alijs Ecclesijs, & quod fuerit Parochialis in tota plebe, quodque aliæ fuerint postea exstructæ in adiutorium matricis, prout requiritur ad probandum quod istæ Ecclesiæ sint filiales. *gloss. in dict. Clem. 1. de sentent. excommun. vbi Abb. num. 3. & in cap. cum contingat. n. 8. de decim. Card. in Clem. 2. §. irritum. q. 3. de elect. Ioan. And. in add. ad Specul. tit. de decim. §. 1. vers. vnica. Butr. in cap. cum te. nu. 11. de ætat. & qualit. Rebuff. d. q. 6. num. 23.*

4 Ergo larga significatione Ecclesia S. Victoris potest dici Matrix, non quidem respectu aliarum Ecclesiarum, sed respectu Parochianorum, qui in dicta Ecclesia vti particulari Parochia per sacrum Baptismum regenerantur. Eodemque modo est Baptismalis, quia in ea adest fons Baptismalis: Et Præpositus dictæ Ecclesiæ sanctificat aquam Baptismi, quam accipiunt omnes Ecclesiæ Parochiales circemuicinæ. Habet etiam alias præeminentias, & prærogatiuas, tam ex antiqua sententia anni 1040. quam ex Decreto recenti Sancti Caroli, atque alijs ex quibus merito dici potest, quod sit Plebana.

5 Sed circa hoc non est latius insistendum, quia etiam si dicta Ecclesia sit Plebana, tamen non sequitur, quod sit Matrix. Et placebat Dominis consideratio facta per Informantes pro Rectoribus ex *cons. Abb. 58. num. 1.* vbi quod potest Episcopus ex multis Ecclesijs vnam etiam vltimo loco ædificatam erigere, in plebem, quod clare ostendit differentiam inter Ecclesiam Plebanam, & Matricem.

6 Non obstat testes Ecclesiæ S. Victoris. Quia non reddunt aliquam rationem, quę concludat super propria, & stricta appellatione Matricis, & æquiuocant in vulgari, & improprio synonymo Plebanæ. Et ex aduerso dantur testes Rectorum, qui deponunt dictam Ecclesiam non esse Matricem, & reddunt bonas rationes sui dicti. Ideoque fuit conclusum Ecclesiam S. Victoris non esse Matricem ad effectum, vt aliæ Ecclæsię, quę sunt in hac lite dici debeant filiales, & prędicta Ecclesia S. Victoris possit super decimis suam intentionem coadiuuare.

REVERENDISSIMO P. DOM.

LVGDVNEN.

Pampilonen. Beneficij . . . . Ianuarij 1611.

ARGVMENTVM.

Testes examinati coram secundo exequutore literarum Apostolicarum pro iustificatione gratiæ, non data negligentia primi exequutoris, dicuntur nulliter examinati, & quando exequutor dicatur negligens.

SVMMARIVM.

Exequutores plures, quando sunt dati, secundus adiri non potest, non data negligentia primi, num. 1.

Exequutor negligens dicitur, qui sine causa exequutionem differt, num. 1. & 2.

Exequutor quando in aliqua parte grauat, grauatus debet ab eo appellare, num. 2.

DECISIO CCLXXIII.

1 NOn erat controuersia, quin ex dictis testium remaneret iustificata gratia Leandri, sed quia agętes pro Petro dicebant, illos testes nullam facere probationem, ex quo fuerant nulliter examinati, ideo dubitaui, an esset recedendum à decisione facta sub die 24. Nouembris proxime præteriti.

Et Domini censuerunt ab ea recedendum, amplectentes eam rationem, quam dicti Agentes proponebant, videlicet testes non probare, quia non fuerunt valide examinati per secundum exequutorem, qui non data negligentia primi, non poterat adiri, nec habebat iurisdictionem, *cap. cum plures, §. porro. de off. deleg. in 6.* & cum dicatur negligens, qui sine causa differt exequutionem *Rebuff. super concord. tit. de for. exec. mand. Apost. in verb. recusarent. in fin. Put. dec. 271. num. 6. & 7.* & fuit dictum in causa Vrbinaten. Parochialis 28. Nouembris 1588. coram Illustrissimo Platto, & in Caputaqu. Beneficij 3. Martij 1593. Prouisor enim Pampilonen. qui vti primus exequutor fuit aditus, non potest dici in hoc casu negligens, quia productis coram ipso per Leandrum literis Apostolicis obtulit se paratum ministrare iustitiam, illasque exequutioni demandare, verum comparente Petro, qui se opposuit dictarum literarum exequutioni, & allegauit non publicationem resignationis, atque alias obreptionis, & subreptionis in gratia Leandri, idem Leander lapsis triginta diebus assignatis in literis Apostolicis relicto dicto primo exequutore, se contulit ad secundum.

2 Id autem fieri iure non potuit, quia coram primo debebat iustificare narrata in sua gratia. *Ægid. decisio. 76. numer. 63. Verall. decision. 128. part. 1. Put. decisio. 245. libr. 1. Rota decision. 20. de præben. in nouis. Boer. decision. 217. numer. 22.* & in omnem euentum si in aliquo se sentiebat grauatum à dicto prouisore Pampilonen. debeat appellare, vt fuit dictum in prędicta Caputaquen. Cum igitur omisso perperam primo exequutore secundus fuerit aditus, ille non habuit iurisdictionem, & per consequens testes coram eo nulliter examinati pro gratia iustificanda non suffragantur, ad cumulata per *Vestr. titul. de nullitat. sentent. ex defectu iurisdictionis, numer. 2.* & fuit dictum in allegata Vrbinaten.

REVERENDISS. P. D.

LVGDVNEN.

Romana Census de Anguillaria. 10. Ianuarij 1611.

ARGVMENTVM.

Ex Summario sume argumentum.

SVMMARIVM.

Mandati relaxatio in dubio debet referri ad decretum factum in illa die, in quo mandatum est relaxatum, num. 2. Vbi etiam, quando dicatur mandatum relaxatum, seu expeditum, & quando decretum.

Citatio vbi requiritur in aliquo decreto intimato non sufficit nec validat nullitatem decreti, nu. 3.

DECISIO CCLXXIV.

1 DOmini steterunt in decisis die prima Iunij 1609. videlicet dandum esse Domino Pallonio mandatum de manutenendo, quia clare constat ipsum existere in quasi possessione exigendi fructus census, de quo agitur, neque dicta possessione fuit priuatus per mandatum Auditoris Cameræ, stante defectu citationis in alia decisione considerato. Quippe mandatum fuit relaxatum vigore decreti facti 23. Augusti 1600. pro qua die certum est, Dominum Pallonium non fuisse citatum, & licet præcesserit illud decretum sub die 14. Iulij præcedentis cum citatione, tamen non fuit tunc relaxatum mandatum, quinimo fuerunt postea sub diebus 18. Iulij, & 12. Augusti factæ aliæ citationes, & demum prædicta die 23. Augusti Flaminia institit, & obtinuit relaxari mãdatum nisi in fratres cum intimatione, & postea fuit facta intimatio, & sub illa data diei 23. Augusti fuit expeditum mandatum.

2 Quibus sic stantibus vltra circumductionem, quæ erumpit ex prædictis duabus citationibus, non videtur posse dici mandatum fuisse expeditum vigore illius decreti, facti sub dicta die 4. Iulij. Tum quia relaxatio mandati facta die 23. Augusti in dubio debet referri ad decretum factum eadem die ad *capite data. & ibi gloss. de regul. iuris in sexto, capit. si eo tempore. de rescript. eodem libro Rota decisione tertia, de except. in nouis, & facit regula, quod relaxatio fit ad proxima. vulg. leg. si idem in fin. vbi gloss. ff. de iurisdiction. omn. iudic.* Tum, & præcipue, quia in fine dicti mandati legitur, quia seruatis seruandis Dominus, ita mandauit hac die 23. Augusti, & sic non potest dici, quod ista fuerit simplex expeditio mandati alias decreti, & relaxati supradicta die 14. Iulij pro qua Dominus Pallonius fuit citatus, siquidem eo casu fuisset dictum, quia Dominus ita mandauit die 14. Iulij,

lij, non autem die 23. Augusti. Faciunt notata per Rotam in vna Senogalien. Syluæ de anno 1557. coram Cotta, quæ est decisio 64. nu. 5. par. 1. diuers. vbi allegatur. Soc. cons. 158. nu. 11. lib. 1.

3 Nec ad effectum validandæ immissionis suffragatur intimatio facta Domino Pallonio, quod in huiusmodi actu grauis præiudicij necesse est, quod præcedat citatio. Nec sufficit intimatio decreti iam facti. *Alexan. in leg. si opus. num. 3. de oper. noui. nunciat. Ruin. cons. 69. num. 6. lib. 5. Socin. iun. consil. 122. num. 33. & seq. lib. 1. Rota diuers. decis. 300. in fin. par. 2. Gabr. de citat. concl. 1.*

REVERENDISSIMO P. D. LVGDVNEN.

Romana Vineæ de Fabijs. 10. *Ianuarij* 1611.

ARGVMENTVM.

In hac decisione plura notanda veniunt, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Possessionis adeptio probatur per instrumentum, etiam ad effectum probandi primum extremum in spolio. nu. 2.

Possessio numquid censeatur probata per locationem non effectuatam. nu. 3.

Ratificatio æquiparatur mandato etiam in actibus, qui specialem requirunt mandatum. nu. 4.

Possessionis acquisitio titulum non requirit, fierique potest etiam sine causa. nu. 5.

Obseruantia non admittitur, quando verba dispositionis sunt clara. nu. 6.

Petitorium finitum per rem iudicatam absorbet possessorium. Declara, vt nu. 7.

Sententia non conformis petitioni nulla est. nu. 7.

DECISIO CCLXXV.

1 CVm Fabij agerent spolio ad recuperationem Vineæ, de qua agitur, fuerat per duas decisiones firmatum, non constare, quod probauerint suam intentionem, quia non docebant de primo extremo, quamuis illud ex duplici capite probare niterentur, videlicet ex reseruatione dominij, & possessionis appositæ in instrumento, quo vineam vendiderant authoribus Marisocorum, & ex noua possessione illius posteà per Dominum Dionysium de Leonardis acquisita in vim mandati Rotalis. His Decisionibus cum Domini Fabi, non acquiescerent, causa tertio proposita Domini censuerunt ab illis recedendum, non quidem ex capite reseruationis dominij, & possessionis, in quo placebant rationes decisionum, sed propter illam possessionem in vim mandati Rotalis acquisitam.

2 Ex publico siquidem instrumento constat, quod D. Dionysius de Leonardis vti dictorum Fabiorum procurator dicto procuratorio nomine fuit die 21. Augusti 1591. immissus in realem, & corporalem vineæ possessionem in vim mandati de redintegrando ad eorum fauorem per Rotam relaxati. Instrumentum autem probat possessionem. *leg. prædia. ff. de acquir. possess. Abb. in capit. cum nobis. num. 5. de præscript. Nat. consil. 572. num. 15. Menoch. de retinen. remed. 3. num. 575.* etiam ad effectum probandi primum extremum in spolio, vt per *Cæs. de Grass. dec. 4. num. 1. de restit. spoliat.*

3 Accedit etiam locatio Vineæ per eundem procuratorem facta cuidam Angelotto post adeptam possessionem, & illius exequutionem, quæ locatio etiam non effectuata deseruire potest pro adminiculo probandæ possessionis, vt per *Gabriel. de locat. conclus. 4. numer. 6.*

4 Non obstat, quod non constet de mandato Domini Dionisij ad capiendam hanc possessionem. Sufficit enim ratificatio subsequuta Fabiorum, quæ mandato comparatur etiam in illis actibus, qui speciale mādatum requirunt. *Dec. in leg. semper. qui non prohibet. nu. 7. de regul. iur. ibiq; Cagnol. num. 15. Surd. decis. 159.* & quod in decisionibus fuerat dictum ratificationem fuisse factam re non integra, postquam Vinea fuerat vendita per creditores illorum, de Marisocis eidem Angelotto conductori, id hodie sublatum est facto, quia ratificatio fuit facta die 24. Ianuarij 1592. Venditio autem die 29. Februarij eiusdem anni.

5 Non obstat, quod cum mandatum fuisset obtentum à Fabijs, tanquam necessarijs defensoribus emptorum, & tam dictorum emptorum, quam ipsorum de Fabijs nominibus relaxatum fuisset possessio illa intelligi debeat capta, prout de iure poterat, & consequenter consignanda esset emptoribus, qui mouerant iudicium spolij, & quibus vti spoliatis debebatur redintegratio, non autem Fabijs, qui ab antiqua sua possessione ceciderant suo facto, videlicet præacta venditione facta auctoribus Marisocorum traditione subsequuta, & qui ad iudicium venerant cum animo reacquirendi possessionem, sed vt necessarij emptorum defensores. Fuit enim responsum has rationes respicere ius, non autem factum, quod in possessione præcipuè attendi debet, & non sequitur, possessio debuit apprehendi nomine emptorum, ergo eorum nomine fuit apprehensa. Contrarium enim apparet ex verbis expressis ipsius apprehensionis, in quo tantum Fabij, non autem emptores fuerunt nominati, & cum in acquirenda possessione titulus non requiratur, & acquisitio huiusmodi fieri possit etiam sine causa. *Bart. in l. quod meo. nu. 1. de acquir. possess. Ias. in leg. 3. §. genero. num. 3. eod. tit.* Licet causa, ob quam Fabij sunt ingressi possessionem, non detegeretur vere, illa tamen non vitiat possessionem, sed sustinetur. *Bart. in d. l. 3. num. 2. de acquir. possess. Surd. latissime. cons. 93. num. 32. Mohedan. dec. 20. de restit. spoliat.*

6 Et quidem etsi Fabij venerint ad causam vti necessarij defensores, tamen non excluditur, quin potuerint obtinere redintegrationem ad possessionem, quam antea habebant, vel ad effectum restituendi emptoribus vel retinendi pro seipsis, & quod prætendebant venditionem fuisse resolutam, vel non habuisse effectum, quia emptores pro sua parte adimpleuerant, neque agendum est de obseruantia subsequuta, quia cum verba apprehensæ possessionis nomine procuratorio. Fabiorum sint clara, nec potest admitti alia interpretatio, maxime in re litigiosa, super qua semper extitit controuersia.

7 Non obstat, quod post istam possessionis apprehensionem Fabij intentauerunt iudicium deuolutionis huius vineæ, in quo victi fuerunt lata contra eos sententia, quæ transitum fecit in iudicatum. Quæ rei iudicatæ exceptio obstat agenti spolio, quia petitorium finitum per rem iudicatam absorbet possessorium, vt per *Menoch. de recuper. remed. 1. nu. 223.* Nam fuit responsum hanc exceptionem vti valde turbidā nō esse admittendam in hoc iudicio possessorio, quia cum iudicium per Fabios intentatum fuisse videatur, non super deuolutione, sed super manutentione in vineæ possessione, illa sententia vti discrepans à petitione fuit nulla. *leg. vt fundus. ff. de commun. diuid. cum alijs allegatis per Surd. cons. 273. num. 11.* Itaque ex his fuit recessum à decisis.

REVERENDISSIMO P. D.

LVGDVNEN.

Tirasonen. Coadiutoria. 14. Ianuarij 1611.

ARGVMENTVM.

De Coadiutore dato ob senectutem, vel infirmitatem, vel aliud impedimentum, quod residere teneatur, & non residendo Coadiutoria priuari possit.

SVMMARIVM.

Coadiutoria inuenta fuit in fauorem Ecclesiæ, ne scilicet cultus diuinus debitis seruitijs fraudaretur, quæ Coadiutus ob senectutem, infirmitatem, vel aliam inhabilitatem præstare non potest, nu. 1.
Coadiutor tenetur residere in Ecclesia, in qua Coadiutus propter infirmitatem, senectutem, vel aliud impedimentum residere non potest. nu. 1. & seqq.
Debet verbum necessitatem importat. nu. 2.
Tenearis verbum necessitatem importat. num. 2.
Coadiutor quandoque non tenetur residere. nu. 3.
Priuationis pœna non incurritur, quando alia pœna imposita est. num. 4.
Coadiutor qui residere tenetur, non residendo numquid priuari possit Coadiutoria. nu. 4.

DECISIO CCLXXVI.

1 IN propositione dubij, An Domino Francisco de Silos suffragetur Coadiutoria, fuerunt discussi duo articuli. Primus fuit, an Dominus Franciscus residere teneatur in beneficio, in quo datus est Coadiutor. Alter an ob non residentiam priuari possit Coadiutoria. Quod attinet ad primum, resoluerunt Domini Franciscum teneri residere, & inseruire in beneficio, quia de iure Coadiutoria fuit reperta, vt cultus Diuinus debitis non fraudaretur seruitijs in fauorem videlicet Ecclesiæ, quæ operas à Coadiutore habet, quas Coadiutus ob senectutem, infirmitatem, vel aliam inhabilitatem prestare non potest, *cap. 1. de cleric. ægrot. in 6. cap. ex parte. extra eod. tit. Put. dec. 226. nu. 13. lib. 3. & in Sacro Tridentino Concil. sess. 25. cap. 6.* permittunturque Coadiutoriæ, ex causa tantum necessitatis, vel euidentis vtilitatis Ecclesiarum.

2 Huic iuris dispositioni accedit in hoc casu, quod tam in mandato procuræ, cuius vigore fuit præstitus consensus, quam in literis Coadiutoriæ fuit imposita Francisco necessitas personaliter inseruiendi per verba debeat, & alio loco tenearis, quæ important necessitatem. *Clem. exiui de paradiso. vers. item credo. de verb. significat. l. 1. §. 1. quod quisque iuris. Paris. consil. 19. num. 132. libr. 2. Late Tiraq. de retract. lignag. §. 1. gl. 15. & hæc Doct.*

3 Non obstat *Nauar. cons. 2. num. 4. de cler. ægrot.* vbi quod Coadiutor non tenetur residere, licet possit si velit. Nam in illo casu Coadiutoria habebat circa residentiam, & seruitium verba facultatiua possis, &c. non autem verba necessitatis, vt in hoc casu. Deinde in casu Nauarri nihil omnino erat reseruatum Coadiutori, hic autem Francisco attributa sunt plura emolumenta. Demum dictum consilium Nauarri non videtur verum, quia secundum illum intellectũ gratia Coadiutoriæ esset quodammodo simplex expectatiua, quæ per Sacrum Consilium Tridentinum prohibita est, & quidem Sacra Rituum Congregatio proponente bon. mem. Cardinale Pamphilio, alias dictum Concilium dicitur reprobasse.

4 Quo verò ad secundum placebat etiam Dominis, quod si Dominus Franciscus non resideat, poterit priuari, forma tamen iuris seruata, de qua *in cap. ex iure, de cleric. non residen. & in gl. in cap. quoniam frequenter, in verb. Canonibus. vt lit. non contest.* Neque obstat, quod si literis dicatur, vt in euentum non residentiæ Coadiutor teneatur ad interesse fauore Coadiuti. Vnde infertur ad conclusionem, quod priuationis pœna incurritur, quando est alia pœna apposita. *Cassad. decis. 2. de iureiur. Verall. decisione 124. part. 2.* & fuit dictum in Burgen. Præeminentiarum 4. Iulij 1605. coram Reuerendissimo Dom. meo Attrebaten. Nam hæ rationes non concludunt ratione eius, quod interest Ecclesiæ ne debitis fraudetur seruitijs, quæ est principalis causa Coadiutoriæ, vt dictum est supra. Ideoque Dominus Franciscus si effectualiter non inseruiat, seruatis de iure seruandis, erit priuandus, vt Ioannes Michael à S. D. N. Coadiutorem petere possit, qui Ecclesiæ, & diuino cultui debita præstet obsequia. Vltra quod etiam respectu Coadiuti illa præstatio eius, quod interest intelligenda est in modica cessatione seruitij, & parui temporis absentia, non autem in tali non residentia, ob quam de iure priuationis pęna possit imponi. Et ita fuit conclusum vtraque parte informante.

REVERENDISS. P. DOMINO

ATTREBATEN.

Perusina Bonorum. Veneris 14. Ianuarij 1611.

ARGVMENTVM.

Plura, & diuersa quidem ponuntur in hac decisione notanda, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Clausula Constituti transfert omnem possessionem in illum, cuius nomine possidere constituit. nu. 1.
Instrumentum dicitur veritas probata. nu. 2.
Testibus melius informatis, & magis in specie deponentibus magis etiam creditur, quam testibus non sic plene informatis, nec in specie deponentibus. nu. 2.
Prouidere quis præsumitur in vim præcedentis tituli. nu. 2. in fine.
Insinuatio requisita a statuto non inualidat donationem iuratam. nu. 3.
Identitas probatur per duas demonstrationes. nu. 4.
Exceptio de iure tertij non admittitur, quando ipso iure non est exclusiua iuris agentis. nu. 7.

DECISIO CCLXXVII.

1 DOmini recesserunt, à decisione in hac causa facta 10. Mensis Maij, proxime pręsenti, in qua resolutum erat, constare Pantham fideicommittentem possedisse tempore obitus predium, siue possessionem del Palazzo, de quo agitur, ad effectum vt monasterium Sancti Petri vigore fideicommissi possit agere remedio. *leg. final. Cod. de edict. Diui Adr. tollen.* contra Andream hęredem grauatum. Nam postea productum fuit instrumentum, in quo legitur Pantham dedisse in solutum illud predium ex causa mercedis seruitij, etsi valor excederet donasse Rosato presbytero die 27. Septembris 1548. cum clausula Constituti per quam omnis possessio in ipsum fuit translata. *leg. quod meo. ff. de acquirend. possess. leg. licèt. Cod. eodem. leg. si ager. & leg. quædam mulier. ff. de rei vendicat. Alexand. consil. 78. in fin. lib. 7. Natt. consil. 493. nu. 3.*

2 Quare licèt testes monasterij conentur probare possessionem Panthę vsque ad obitum, illis non videtur adhibenda fides, vel intelligendi sunt de possessione

sessione nomine Rosati vigore dictæ clausulæ Constituti, quin potius standum est depositionibus testium Hieronimi Martinelli concurrente instrumento, quod dicitur veritas probata, *Dec. consil. 36. num. 2. Ruin. consil. 128. num. 1. lib. 4.* & dum se referunt ad instrumentum donationis videntur melius informanti. *Felin. in cap. in nostra, num. 11. de testibus, Bald. in leg. testium, num. 30. Cod. eodem tit.* atque deponunt magis in specie de possessione Rosati, *Bald. consil. 69. in princip. versic. & hoc probatur lib. 5. Alex. consil. 148. num. 3. libr. 2. Dec. cons. 448. num. 37.* stante vero titulo donationis non potest dici Rosatum possedisse iure familiaritatis. Præsumitur enim possessio in vim tituli præambuli, *l. 2. Cod. de acquir. possess. vbi glos. fin. & Bartol. ff. de rei vendicat.*

3 Non obstat, quod donatio sit nulla ob defectum insinuationis requisitæ à statuto Perusino, quia cum vallata sit iuramento, non requiritur insinuatio, vbi statutum quale est perusinum non loquitur de donationibus iuratis. *Chisanen. decision. 48. incip. donatio iurata. vbi allegatur decision. Corn. & Tiraquell. Gabr. de donat. conclus. prima, numer. mihi 72. de donat.* fuit dictum in vna Vrbeuetana hæreditatis 11. Iunij 1580. coram bonæ memoriæ Cardinale Seraphino, quæ est diuers. 683. parte prima, etiamsi donatio fuisset nulla, non tamen sequeretur, quod Pantha possedisset vsque ad obitum, quia ex contractu etiam nullo transfertur possessio.

4 Minus obstant deducta contra identitatem horum bonorum, nam cum in instrumento describatur tenimentum terræ laboratum, & arboratum, situm in pertinentijs Castri Torciani agri Perusini, cum Palatio & domibus in eo existentibus, & omnia alia, & singula bona per dictam Pantham possessa in districtu dicti Castri vltra Tyberim, & in articulis similiter legatur descriptum tenimentum terræ laboratæ, arboratæ, pergulatæ, & vineatæ cum domibus columbario, furno, & puteo in eo existentibus, situm in pertinentijs eiusdem Castri Torciani in vocabulo *Il Palazzo di madonna Pantha*, iuxta flumen Tyberis, patet concurrere plures demonstrationes, cum tamen duæ sufficerent. *Bart. in l. demonstratio falsa, in 7. q. ff. de condition. & demonstr. Alex. cons. 133. num. 5. lib. 1.*

5 Nec verba illa pergolata, & vineata, in articulis apposita, inducunt diuersitatem, cum possint comprehendi sub verbis arborata, & domibus, & ita potuerunt fieri, & addi spacio quindecim annorum, quod intercessit inter celebrationem instrumenti.

6 Nec obstat instrumentum retrocessionis dicta donationis, quia non comprehendit omnia bona, sed tantum partem, sub qua non continetur palatium, vt patet ex demonstrationibus, & confinibus, quod confirmatur ex legato Palatij in testamento Rosati, quod non potuisset relinqui, si retrocessisset Panthæ, & in omnem auentum bona, de quibus in retrocessione, nunc non petuntur.

7 Nec refert, quod vigore testamenti Rosati, Sebastiano decedente sine filijs, fuerit ab eo substitutus Paulus frater, quia ista exceptio de iure tertij non admittitur, quando non est ipso iure exclusiua intentionis agentis *leg. 2. vbi Bartol. de except. rei iudicat. leg. loci corpus, §. competit. ff. si seruit. vend. Surd consil. 359. numer. 13.* Potest enim esse, quod ille Dominus Paulus Prædecesserit Domino Sebastiano, & sic substitutio emanauerat, & in omnem euentum ille Paulus debebat recipere de manibus heredis Sebastiani, qui propterea non excluditur à petitione istius possessionis, vt in simili deducit *Surd. consil. 359. numer. 17. in principio, versic. & facit communis regula.* Et ita fuit decisum.

REVERENDISS. P. D. PEGNA
DECANO.

Recanaten. Hæreditatis. Mercurij 19. Ianuarij 1611.

ARGVMENTVM.

Directa substitutio numquid possit inducit ex coniecturis.

SVMMARIVM.

Substitutio directa ex coniecturis induci non potest, numer. 1. & sequentibus, Contra, num. 7. & sequentib. Resolue, vt num. 15. & seq.

DECISIO CCLXXVIII.

1 IN dubio, quod vtraq; parte informante proposui, quę opinio sit magis vera in illo articulo, An directa substitutio possit induci ex coniecturis. Pro parte negatiua potissimum ponderabantur sequentia.

1 *Text. in leg. 1. ff. si tab. test. nullæ ext.* vbi, si nomen heredis inconsulto testatore deletum est, non competit bonorum possessio secundum tabulas, & redditur ratio, quia ex coniectura non proprie heres scriptus videtur, & consequenter, qui est ex coniectura heres proprie non dicitur heredes; vnde sicut institutio propria heredis non inducitur ex coniecturis, ita nec substitutio directa, quę est secunda institutio, *l. 1. vbi gl. & DD. ff. de vulg.*

2. *Text. in l. iubemus, Cod. de testam.* vbi tastator in testamento nuncupatiuo nomen heredis voce exprimere debet. In testamento autem in scriptis exprimere debet literis manu sua exaratis. Ergo sicut institutio non potest subintelligi per coniecturas, ita nec substitutio.

3. *Text. in l. si quis ita hæres instituatur, si legitimus hæres non fuerit, ff. de hæred. instit.* vbi si extraneus sit institutus heres, vel sub hac conditione, si legitimus heres hereditatem vindicare noluerit, non potest esse heres, illo vendicante, & sic legitimus heres succedit defuncto, querit ibi gl. an ex testamento, vel ab intestato, & concludit succedere ab intestato, & tamen coniectura ibi poterat sumi expresse ex testamento, cum legitimus esset positus in conditione, & sic etiam si probetur, quod institutio in testamento non inducitur ex coniecturis, ergo nec substitutio.

4. *Tex. in l. ex facto etiam ff. de hæred. instit.* vbi si dixerit testator si Seius heres non erit, quem tamen non instituerat Sempronius, heres esto, dubitatur an Seius possit esse heres, si velit, & videbatur posse, cum in eius defectum videretur Sempronius vocatus. Respondetur tamen negatiue, & sic quamuis ibi esset vrgens coniectura, quod Seis esset institutus, tamen non inducitur institutio.

5. *Tex. in l. Gallus, in princ. iuncto §. in omnib. ff. de liber. & posthum.* vbi tradita formula instituendi nepotem posthumum, traditur consilium, vt aliqua ex parte filius testatoris instituatur, & sic non valeret hec institutio si filius mihi heres non erit instituo posthumũ ex eo me mortuo, nasciturum, quia filius videretur preteritus, & est etiam *tex. similis in l. si quis eum in fin. ff. de vulgar.* quamuis esset coniectura pro vocatione filij.

6. *Text. in §. in primis, instit. de fideicomm. hæred.* vbi si testator coram 7. Testibus rogauit Titium, vt cum primum poterit hereditatem adire, eam Caio restituat, Titius non censetur institutus, non obstante, quod in necessariam consequentiam colligeretur, quod testator volebat illum instituere ex patentibus testamenti verbis, ergo non sufficiunt coniecturę.

7. Pro

7 Pro parte autem affirmatiua inducebantur infrascripta. *Tex.in l.Titius, & Seius.cum l.sequen.ff.de hæred. instit.* vbi si Titius, & Seius sunt instituti in hæc verba, vter eorum viuet, vtroque viuente ambo sunt hæredes; altero vero mortuo is qui superest ex asse hæres est, redditur ratio in *l.seq.* quia tacita substitutio inesse videtur institutioni, & *gloss.ibi intelligit de vulgari*, ergo vulgaris inducitur tacite ex coniecturis.

8 Secundo, *tex.in l.3. C. de inoffic. testam.* vbi mater duos filios instituit, & tertius sibi natus est in puerperio, & rescribit Imperator, quod repentini casus iniquitas per coniecturam maternæ pietatis emendanda est, & sic ibi institutio tertij filij, quæ penitus omissa erat, suppletur ex coniectura sumpta ex pietate materna, ergo multo magis potest ex coniecturis induci directa substitutio.

9 *Tex.in l.quidam testamento.ff.de vulgar.* in illis verbis, eam videri voluntatem testatoris fuisse, vt tertio gradu scriptos hæredes ita demum substituerit si tota hæreditas vacasset, & sic ibi substitutio, & quidem directa inducitur ex præsumpta mente testatoris.

10 *Tex.in l.iam hoc iure. ff. de vulg.* vbi si pater impuberi filio in vnum casum substituerit puta vulgariter, vel pupillariter tantum, in vtrumque casum substituisse intelligitur, & sic vulgaris in pupillari contenta, & è contra inducitur ex coniectura, quod videtur apertius probari in eadem lege, in fin. ibi ita enim in altero vtraque substitutio intelligitur si voluntas parentis non refragetur.

11 *Tex.in l.Lucius Titius. la 2.ff. de hæred. instit.* vbi est sermo de substitutione vulgari, ibi si pater prius, quam hæreditatem adiret, decessisset relictis liberis, &c. vbi deciditur, quod si decesserit cum liberis succedunt vigore substitutionis si concurrunt aliquæ coniecturæ, vnde inducitur, quod filij in conditione positi possint succedere per vulgarem si aliquæ coniecturæ concurrant, & sic ibi inducitur vulgaris substitutio licet non sit expressa ex eo, quod filij sunt positi in conditione, & aliæ coniecturæ concurrunt.

12 *Tex.in l.ex facto. ff.de vulg.& pupill.* vbi in exemplari, quæ est directa, proceditur per coniecturas, prout illam allegat etiam *Dec.in l.pen.notab.4.C.de impub.& alijs substit.*

13 *Tex.in l.fin. C.de instit.& substit.* vbi Imperator ad inducendam pupillarem, quæ est directa, dicit voluntatis esse quæstionem, quod notant ibi communiter Doctor.

14 *Tex.in l.pen.C.de impub.& alijs substit.* ibi cogitasse enim patrem, vbi deciditur, ex cogitatione patris induci reciprocam substitutionem directam inter filios, licet non sit expressa in testamento.

15 Hæc potissimum magna contentione, & subtilitate inducebantur per Aduocatos vtriusque patris, quæ non minori diligentia fuerunt per Dominos ponderata, & discussa, qui cum animaduertissent ex vtrinq; allegatis, magnas ac fere incredibiles oriri difficultates, præsertim cum ad leges vtrinque allegatas, vtrinque vel veræ, vel probabiles, vel subtiles responsiones adhiberentur; Vnde articulus reddebatur magis anceps, & dubius, omissa illa inspectione, quæ opinio sit magis vera, in hanc tandem sententiam iuerunt, posse in aliquo casu induci vulgarem directam ex coniecturis.

16 Quales autem sint illi casus, & quales coniecturæ rimandum, & exquirendum esse ex verbis testatorum in concreto, siue in indiuiduo, nam in abstracto difficulter certa regula constitui poterat, &c.

R. P. D. PIROVANO.

Ferrarien. Pecuniaria. Veneris 19. Ianuarij 1611.

ARGVMENTVM.

Societas in conductione vectigalium, licet morte vnius socij censentur finita, emolumentum tamen, & damnum transit ad hæredes mortui.

SVMMARIVM.

Societas priuata morte vnius socij finita censetur, non obstante pacto contrario. num.1.

Societas vectigalium, vt morte vnius socij non censeatur finita, quæ requirantur. num.2.& 3.

Locatio vectigalium, vt transeat ad hæredes expresse dici debet, vt ad hæredes transeat. num.3.

Societas in condictione vectigalium, licet morte vnius socij finiatur, lucrum tamen, & damnum societatis ad hæredes transit. num.4.& 5. vbi hoc ampliatur etiam, quod socius superstes solus vectigal reconduxerit.

DECISIO CCLXXIX.

1 DOmini dixerunt, societatem esse finitam per mortem Vincentij Malpiliæ alterius ex socijs, cum Leonardo Martellino in conductione magnæ gabellæ Ciuitatis Ferrariæ, quia siue de priuatis societatibus agatur, & hoc absolutum est, stante pacto contrario dissolutionis. *l.societatem. §. dissociamur. l.si fratres. §.idem respondit societatem.l.adeo. l.socium.in princ. l.verum.§.final. l.actione.§.morte. ff. pro socio.& in §.soluitur. Institut.de societ.*

2 Siue etiam de societate vectigalium, prout est hæc societas, inquiratur, & hæc pariter extincta dicitur, nisi noua pactione hæres fuerit in socium adscriptus, vt placuit Cuiacio. *lib.10. obseruat. cap.25.* & bene probatur in *tex.in l.verum.§.in hæredem. ff.pro socio.* ibi, & circa societates vectigalium hæres socius non fit, nisi fuerit adscriptus, vel secundum *glos.in d. l. adeo eodem tit.* Concurrentibus quatuor illis, requisitis, scilicet, vt publica conducantur vectigalia à pluribus, vt plures sic conduxerint, quod hæredes succedant in conditione, & societate, vt persona succedens idonea sit, vt ipsi socij non tantum cum locatore vectigalium, sed etiam inter se pacifcantur, quod hæredes in societate succedant, quam glos. Doctores communiter sequuntur, vt per *Rum.consil.90.num.11.& latius consi.91.& 92.num.8.volumine 1. Valasc.consult.63.nu.5.Molin.de contract.lib.disputat.414. nu.10.Illustris. Mantic. de tac.& ambig.conuent.lib.6.tit.24.num.22.* vt merito illis concurrentibus videatur renunciatum industriæ primi socij electi. *Osasch. decis.76. nu.8.* Et apertus locus speciali inducto fauore publico, vt societas vectigalium morte non finiatur, quando ita conuentum est, vt transeat, vt considerat. *Valasc. d. consul.63. numero 5. par. 1.*

3 Vtrumque autem in casu, de quo agitur, deficere videtur, quia nec mortuo Vincentio Laurentius eius filius fuit adscriptus in socium, nec legitur, quod in capitulis societatis fuerit conuentum ne dum cum locatore, quod hæredes in societate succedere deberent, sed nec inter ipsos, quamuis Leonardus partes in conductione acceptauerit pro se, & hæredibus, quia non ideo infertur, quod expresse actum fuerit, vt locatio ad hæredes transiret, prout requiritur. *Corn.consi.121. num.2.& consil.122.num.2. lib.1. Dec.consil.213.num.4.* Possunt intelligi illa verba, quod hæredes sint obligati ad obseruandum ea, quæ promisit socius, vt considerauit Corneus dicto *consilio 121. num.1.lib.1. Et Illustris.Mantic. de tacit.& ambiguis dict. lib.6. tit.24.num.24.* Vel quod actio, & obligatio, & effectus omnis societatis transeat ad hæredes, quod se compatitur etiam, quod societas sit extincta, vt declarat. *Surd.consi.20.num.15.vol.1.* & infra dicetur.

4 Piæ-

4 Prædicta tamen ad effectum dubij, quod respicit communicationem lucri, & damni, respectiue faciendam inter socios, Domini censuerunt non releuare, quia Leonardus contraxit cum Vincentio, vt haberet quartam partem appaltus Gabellarum pro se, & hæredibus suis acceptando eam dictis nominibus, & ex dicto instrumento apparet, quod datur in Summario, numero secundo. Vnde fit, vt quamuis societas sit extincta, Hæredes tamen commodo ex illo contractu proueniente priuati non fuerint, prout è conuerso, & ad damna potuissent astringi. *Abb.consi. 86. num.3.& sequen. volumine.2.* quia omnes contractus actiuè, & passiuè transeunt in hæredes. *Sequitur Paris. consil.82. numer.33. volum.1.* & est regulare etiam nulla conuentione præcedente. *l.si pactum.ff.de probat.Bartol. & Bald.in l.2.C.de pact. int. emptor.& vendit. Tiraquell.de retract. conuent.§.1. glos.6.num.1.& 4.* Vbi dicit procedere, quamuis de alicuius persona taxatiue facta foret mentio, quia nihilominus includitur hæres, & in proprijs terminis, est *text.in l.nemo potest.ff.pro soc.* Vbi licet non possit quis facere, quod hæres socius sit, Tamen in hæredem datur actio. Idem probat *text.in l.verum.§.in hæredem.ff.eodem.* Vbi, & si hæres non sit socius, est tamen successor commodi, & incommodi, quem text. ita generaliter loquentem procedere etiam, siue lucrum factum sit ante, siue post mortem socij, intelligunt. *Sign.consil.121. nume.4. versic. Alij dicunt.* Corneus dicto *consil. 122. num. 2. volum. 1. Petr.de Vbald. in tractat. de duobus fratrib. parte 2.numer.3. Thessaur.decis.242.num.4. Surd. consil.20. num.16.volum.1. Mant.de tacit.& ambig. conuent. lib. 6. tit.24. num.32.* Qui omnes loquuntur in societate vectigalium, & in his terminis etiam fuit resolutum in Rota in vna Romana participationis Dohanæ.9.Iunij 1583. coram bone memoriæ Bubalo. Et idem *Bald. consil.87. lib. 2.* dicit, quod si durante societate etiam vnius diei empta sint aliqua communi nomine, etiam per mille annos mors non distrahit commercia præterita, sed per mortem noua inchoari non possunt sociali nomine. *l.hæres socij.l.actione.§.morte.ff.pro socio. Illustrissimus Mantic.d.tit. 24. num.33.*

5 Et hac ratione tollitur obiectum, quod Laurentius extincta societate per mortem Vincentij eius patris reconduxerit solus gabellas à Principe, adeo quod ad eum duntaxat emolumentum spectare debeat, qui solus damno, & periculo se supposuit, quia quicquid sit, quo ad nomen socij, & ad noua commercia bene procedit obiectum. Sed quod ex reconductione sublatum sit, ne emolumenta transeant in hæredem, vel hæredes, non potuit Laurentius inferre tale præiudicium. *dicta l.verum.§.in hæredem.pro socio.* Tenetur enim hæres socij expedire ea, quæ per defunctum fuerunt inchoata. *dicta l.hæres socij.eodem titul. Corn.consilio 122.num.2.volumine 1.* Et propterea, cum per Vincentium conductæ fuerint Gabellæ ad quinquennium, & Leonardo quarta pars communicata, eiusque locationis virtute sequantur exactiones gabellarum pro toto quinquennio, ideo per Laurentium hæredem seruari debet, quia omne emolumentum prouenit à iure exigendi vectigal, quod fuit commune à principio inter socios viuente Vincentio, & quod ius indiuiduum est, quia vnica est tantum locatio, licet diuisa præstatio pensionis in plures annos. *Bart. in l.si seruus communis Mæuf. §.final.num.7.versic. Et si fiat locatio.ff.de stipulat.seru.Bald. consil.316.lib.3. Socin. consil. 125. in principio. lib. 1.* Atque ita vtraque parte informante resolutum fuit, societatem esse extinctam, sed lucra, & damna esse communicanda.

REVERENDISSIMO P. D.

LVGDVNEN.

Romana Vineæ. 19. Ianuarij 1611.

ARGVMENTVM.

Emphyteoticæ rei donatio valet, quando emphyteusis est transitoria ad hæredes extraneos, & quando dicatur sic ad hæredes extraneos transitoria. Et ius Ecclesiæ perpetuum non potest ab eadem Ecclesia diminui ad tempus sine solennitatibus requisitis in alienatione rerum Ecclesiæ, & præsertim sine beneplacito Apostolico.

SVMMARIVM.

Emphyteusis concessa cum clausula Ad habendum, &c. & pro hæredibus, & successoribus est transitoria ad extraneos hæredes. num.1.

Emphyteusis transit ad hæredes extraneos, quando est concessa in perpetuum pro se, & hæredibus quibuscunque. num. 2.

Emphyteoticæ rei donatio valet, quando emphyteusis est transitoria ad extraneos hæredes. num.3.

Emphyteusi transitoriæ ad hæredes extraneos cum pacto, quod non possit alienari sine consensu Domini, si Dominus requisitus noluerit consentire, soluto sibi Laudemio, valet alienatio sine illius consensu, & iudex consensum supplet. num.4.& 5. Vbi quod saltem debetur pretium rei alienatæ.

Ius Ecclesiæ, quod Ecclesia habet in perpetuum, non potest reduci ad tempus sine solennitatibus requisitis in alienatione rerum Ecclesiæ. num.7. Vbi quod amplius isto casu requiritur expressum Sedis Apostolicæ beneplacitum. & num.8. Vbi de eadem materia.

Ratificatio actus, vt operetur, est necessaria scientia plena, & expressa iuris, & facti cum omnibus suis qualitatibus. nu. 9.& 10. Vbi quid isto casu operetur assertio Notarij dicentis se certiorasse contrahentes, &c.

Notario asserenti se certiorasse contrahentes de aliqua re, per ipsos ratificanda, quantum credatur. num.10.

Pactum in donatione appositum seruandum est à donatario. num. 10. & seq.

DECISIO CCLXXX.

1 DOmini censuerunt, non obstare conditionem deuolutionis post annos quinquaginta appositam ad fauorem RR.DD. Canonicorum, & Capituli Sancti Petri in instrumento consensus per ipsos præstiti donationi vineæ factæ fratribus Sanctissimæ Trinitatis per Elisabetham Cerasiam. Pro ratione decisionis præmittendum est, concessionem vineæ factam Elisabethæ a Capitulo fuisse transitoriam ad hæredes, etiam extraneos, cum facta fuerit pro hæredibus, & successoribus cum clausula ad habendum, & de ea disponendum, &c. quæ æquipollet clausulæ, quibus dederit, & facit emphyteusim transire etiam ad extraneos. *Curt.iun.cons.4. num.1. Clar.in §. emphyteusis.quæst. 28. in fine.Couar. variar. resolut. lib.2. c.17. num.5.* fuit dictum in causa Romana Sancti Eustachij de anno 1581 coram bon. mem. Cardinale Lancellotto, & in causa Imolen. Bonorum. 2. Decembris 1605. coram R.P.D. meo Sacrato.

2 Idem colligitur ex dictione in perpetuum, quæ in dicta concessione geminata legitur. *Socin. cons.266.nu. 37.lib.2. Curt. dicto consi.4. in fine.* & fuit consideratum in prædicta Romana Sancti Eustachij, atque ex dictione quibuscunque in ea parte, in qua Canonici tenentur facere consentire omnem personam ad requisitionem Elisabethæ, & hæredum, & successorum eius, quorumcunque. *Surd.decis.322.nu.59. Curt. iun.consi.3. num.3.& 4. Becc.consi.88.num.15.lib.5. Vrsill.ad Afflict.decisi.100.*

3 Itaque potuit sine dubio Elisabetha dictam vineam dona-

donare fratribus Sanctissimæ Trinitatis. *Clar.in §.emphyteusis. quæst.15.* & alias tenuit Rota in causa Mediolanen. Bonorum de Buffalora. 4. Iunij 1583. coram Bubalo, & nuper in Romana Domus. 29. Nouembris, proxime præteriti coram me.

4 Nec obstat clausula dictæ concessionis, quod non possit fieri alienatio irrequisitis Canonicis, & absque eorum concesu. Nam à Capitulo requisitus cum solutione quindennij, & augumento Canonis non poterat denegari consensus sine iniuria, quam iudex potuisset supplere. *Alex.consi.57.num.6. lib.2.Menoch.de arbitr.cas.182.num.11.& 12.Bertaz.cons.5.num.15.lib.1. Surd. cons.382.num.74.lib.3.*

5 Et in omnem euentum pretium vineæ distrahende in priuatam personam poterat fratribus deberi, ad not. per *Specul. tit. de locat. §. nunc aliqua. quæstione 117. Clar.in §. emphyteusis.quæst.33. in fine. Hier. Bocch.in cap. potuit. nume. 16. de locat. Redoa. de reb. eccles. non alienan. quæst.11.*

6 Est etiam premittendum vineam fuisse donatam fratribus sub diuersis oneribus, & in specie celebrandi Missas in perpetuum pro anima Elisabethæ, eiusque mariti cum pacto expresso, quod fratres vllo vnquam tempore non possint, nec valeant in totum, vel in partem vendere, vel alienare dictam vineam, seu alias de illa dispenere, sed eam perpetuo conseruare, & per se retinere debeant ad memoriam dictæ Elisabethæ, pro cuius anima continuè apud Deum intercedere in eorum orationibus teneantur.

7 Ex his infertur fratres non potuisse recipere consensum à Capitulo ad tempus limitatum quinquaginta annorum, cum conditione deuolutionis post transactum dictum tempus, idque duplici ratione. Prima est, quia ius perpetuum, quod super vinea in vim antedictę donationis habebant, non potuerunt alienare, & ad tempus reducere absque solennitatibus requisitis in alienationibus rerum Ecclesiæ. Alienatio enim comprehendit omnem actum translatiuum dominij, tam directi, quam vtilis, & cuiuslibet iuris in re. *Bald.in l.sancimus.C.de reb.eccles.non alien. Abb. in c.nulli.de reb.eccles.non alien.num.1.& 4.Roman.sing.600. Alex.consi.108.nu.3.volum.6.Redoa. de reb.eccles.non alien. quæst. 2. par. 44.* atque alias fuit dictum coram bonæ mem. Cardinali Pamphilio in causa Imolen. Bonorum 21. Maij 1593. requiri expressum beneplacitum, quando in preiudicium Ecclesię in aliquo alteratur antiqua inuestitura.

8 Nec in hoc casu potest deseruire pro solennitate beneplacitum felic. record. Gregorij XIII. Quia illud emanauit pro confirmatione consensus Capituli, nō autem super remissione illius iuris perpetui, quod fratribus competebat etiamsi de dicta remissione nulla in dicto beneplacito facta fuit mentio, neque expressum fuit, quod vinea post quinque annos deuolueretur ad Capitulum cum omnibus etiam melioramentis. Et non obstat, quod Papa confirmauerit consensum eo modo, quo prestitus fuerat, videlicet ad annos duntaxat quinquaginta. Non enim dici debet, quod ideo Papa intellexerit, vineam debere deuolui ad Capitulum transacto illo tempore, sed cum fratres potuissent forsan constringi ad venditionem vineæ intra annum, *vt per Alex. cons. 120. num. 4. lib. 1. Specul. & alios supra allegatos.* Confirmatio Papę stante Laudemio, & augumento Canonis operatur, vt fratres per se retinere possint vineam spacio annorum quinquaginta quibus exactis reuertatur res ad pristinum statum, ita vt distractio in priuatam personam, prout de iure fieri debeat. Atque iste intellectus est magis verisimilis, & æquior, cum absque expressione non sit intelligendum Papam voluisse tollere ius quęsitum Monasterio, & suam auctoritatem impartiri grauissimo deuolutionis prejudicio, & alienationi rei Ecclesiæ donatæ cum oneribus perpetuis, & propterea alienationis prohibitioni.

9 Non obstat fratrum ratificatio, cum non potuerit per illam validari alienatio in tantum Ecclesiæ damnum, & præiudicium facta sine Apostolica auctoritate. Vltra quod dicebant aliqui ex Dominis, ratificationem non comprehendere caput deuolutionis, de quo non apparet, quod fratres aliquam specificam notitiam habuerint. Ad effectum autem vt ratificatio præiudicet, requiritur scientia plena, & expressa iuris, & facti cum omnibus suis qualitatibus. *Gabr. cons.36. num.6. lib.1. Osasch. decis.179. num.13.& 17.Aym. cons.197. num.14. Paris. cons.47. num.97. lib.1.*

10 Et licet Notarius dixerit fratres fuisse ad plenum certioratos de omnibus, & singulis, vix est tamen, vt sub ista verborum generalitate intelligi debeat notitia vnius clausulæ adeo præiudicialis, quam specificam expressionem multo magis merebatur, quam aliæ de augumento Canonis, de solutione quindennij, & similes, de quibus facta fuit per Notarium expressa mentio. *Nat.cons.162. num.33. Surd. cons.328. numer.26. lib.3. Decian. cons.5. num.26. lib.5. Geminian. cons.33. num. 2. Castren.cons.466.num.5. par.1.* nec desunt, qui totum tenorem instrumenti legendum fuisse in his terminis ratificationis tradunt. *Castr. dicto cons.466.num.5.lib.1. Decian. consi.5. num.24. lib.5. Aym. d. consil. 127. num.14. Rota Ianuen. decis.15.num.2.* maxime quia cum in mandato ad concordan. & in beneplacito Apostolico non ageretur de deuolutione, fit admodum verisimile, fratres ignorasse illam conditionem, atque credidisse, quod elapsis annis liceret sibi vineam alienare in aliquam priuatam personam de consensu Capituli.

11 Altera ratio propter quam fratres non potuerunt valide recipere dictum consensum respicit Elisabethá, quæ cum in donatione rei suæ apposuerit pactum de non alienan. illud seruandum erat etiam ab Ecclesia. *Bellamer.cons.48. num.19. gl.in l.sancimus la terza, in verb. præfatarum.C.de sacros. eccles. Archid. in c.hoc ius.2.quæst.n. 6.Federic.de Sen.cons.189.Franc.Aret.cons.21.in primo dub. & est tex. in dicto cap.hoc ius. in c.cum dilecti.de donat.in c. verum.de cond. appos.in §.sanctissimas vero Ecclesias. Authent. de alienat. & emphyteus. rer. sacr. coll.9.*

12 Itaque Elisabetha, quæ etiam nunc est superstes, & adhuc viuit, potest implorare officium iudicis, vt compellat fratres ad seruandum conditionem perpetuæ retentionis, & conseruationis appositam in donatione vineæ, iuxta tradita per *Feder.de Sen.dicto consil.189.in fi.& Abb.in dicto c.verum.de condit. appos. nu.2. in fi.arg.tex. in l. Mæuia. in fi. de manumiss. testam.* & per consequens declaret, conditionem deuolutionis haberi debere pro non apposita in prædicto consensu per Capitulum præstito. Et ita fuit decisum.

REVERENDISSIMO P. D.

LVGDVNEN.

Barchionen. Pensionis. 19. Ianuarij 1611.

ARGVMENTVM.

De validitate, seu inualiditate translationis pensionum plura in hac decisione ponuntur notanda, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Papa habet omnimodam potestatem in reseruatione, & translatione pensionum. num.1.

Pensionum translatio an, & quando reddatur nulla ob falsa expressionem præbendarum, super quibus pensiones reseruatæ sunt, quando talis expressio sic facta fuit per errorem, & constat de mente concedentis, num.2. & seqq.

Error

Error in translatione pensionis non debet pensionario praeiudicare, num.2.
Error seu falsa demonstratio non praeiudicat, vbi alias constat de mente concedentis. nu.2.
Error probatur ex coniecturis, verisimilitudine, & alijs facti circumstantijs, nu.2.
Error scribentis praesertim in numero, seu Abaco partinocere non debet, num.4.
Pontificis declarationis super voluntate sui antecessoris standum est, nu.5.
Pontificis declaratio facit ius, saltem donec contrarium probatur, nu.5.
Oris aperitio quod operetur, num.6.
Voluntatis declaratio adhuc colligitur ex actu nullo. nu.7.
Pontificis declarationi opponi non potest defectus intentionis, nu.7.
Translatio pensionis quando reddatur, nulla ob non factam mentionem litis, nu.8.
Declaratio facta à Principe non confert ius aliquod de nouo, sed tantummodo ius, quod competit, manifestat. nu.8.
Clausula etiam quod maior, & verior expressio fieri possit, non operatur circa corpus beneficij. Declara, vt num.9.

DECISIO CCLXXXI.

1 Dictum fuit pensionem, de qua agitur, sustineri, quia fuit reseruata, & translata auctoritate Papæ, qui plenam, & omnimodam habet potestatem. Non obstat, quod in Motu proprio translationis factæ per fel. record. Clementem Octauum, non reperiatur facta mentio pensionis Ducatorum 60. resaruatæ super Canonicatu, & præbenda obtentis per Petrum del Maù, sed solum de tribus pensionibus super Archidiaconatu, & Canonicatu obtentis per Hieronymum Villana, vna Ducatorum centum, alia Ducatorum 40. tertia Ducatorum 90. & sic ista Ducatorum 60. super dicto Canonicatu, & præbenda Petri de Maù per obitum Ioanis Rossel super eius capite existebat.

2 Fuit etiam responsum in contingere per errorem, qui pensionario non debet præiudicare, *l. errore, C. de testamen. l. fin. Cod. de fid. instrum. & error*, seu falsa demonstratio, vbi alias constat de mente, non præiudicat. *leg. demonstratio falsa. ff. de condit. & demonstr. §. si quis in nomine. Institut. de leg. Rota. dec.4. num. 8. & decis. 54. num.1. de rescript. in antiqu. Put. dec.442. in fin. lib.1. Paris. consil.43. num.15. & 16. lib.4.* & iste error probatur ex coniecturis, ex verisimilitudine, vel alijs circumstantijs facti, vt notatur *in l. cum proponebatur, de l. 2. Socin. consil. 94. num.8. Curt. cons.71. sub nu.1. vers. Et ideo oportet*, quod error probetur ex coniecturis. *Gemin. consil. 52. nu.3. & cons.119. nu.10. Castr. cons.60. per tot. Dec. cons. 33. nu.101. lib.3.* & fuit dictum in causa Bononien. de Pannolinis 9. Februarij 1609. coram R. P. D. meo Manzanedo.

3 In casu autem isto satis constat, Papā voluisse transferre tres pensiones alias reseruatas super fructib. Archidiaconatus, & præbendarum in Ecclesia Barchinonen. quæ licet non existerent omnes super Archidiaconatu, & præbenda obtentis per d. Villana; Tamen hæc incommoda expressio contigit propter diuisiones, & mutationes, quæ in beneficijs contigerunt. Pensio enim Ducatorum 125. reducta postea ad Ducatos centum per extinctionem Ducatorum 25. fuit super caput Iacobi Malaffiæ ad fauorem Flauij Mucciarelli reseruata super fructibus Archidiaconatus, de Valles, & Canonicatus, ac præbendæ in Ecclesia Barchinonen. De quibus fel. rec. Sixtus V. prouidit cuidam Sebastiano Mas, qui cum postea Archidiaconatum resignaret ad fauorem Federici, qui in eadem Ecclesia Barchinonen. alium Canonicatum obtinebat, Federicus in se assumpsit onus soluendi ratam 40. Ducatorum de prædicta pensione, & sic in illa contigit diuisio, ita vt Ducati 60. remanserint super Canonicatu, quem retinuit Sebastianus. Alij autem Ducati 40. sequuti sunt Archidiaconatum, qui fuerat ad fauorem Federici resignatus, mortuo Federico fuit de eius Archidiaconatu, & præbenda prouisus Hieronymus Villana, qui vltra dictam pensionem Ducatorum 40. pro qua se obligauit ad fauorem Iacobi Malaffiæ, & eius Translatariorum consensit reseruationi alterius pensionis centum Ducatorum super fructib. dictorum Canonicatus, & Archidiaconatus ad fauorem eiusdem Iacobi Malaffiæ. Demum obijt Sebastianus, & per illius obitum fuit prouisus Petrus de Maù de Canonicatu, & præbenda, super cuius fructibus remanserat illa rata Ducatorum sexaginta, atque interim fuit translata pensio de persona Iacobi Malaffiæ in personam Ioannis Rossel, ad cuius, & Translatariorum eius fauorem Petrus pro Ducatis 60. se obligauit, & tam ipse, quam Hieronymus prædictus soluerunt per aliquot annos. Postremo idem felic. record. Clemens Octauus transtulit omnes pensiones, quas habebat Ioannes Rosel in personā Ioannes Moraguez, easque in calce Motus proprij annotauit, & in specie circa pensiones prædictas facta fuit hæc annotatio, vna 40. alia 90. super Archidiaconatus Canonicatus, & præbendæ fructibus, quos Hieronymus Villana obtinet.

3 Ex quibus sicuti clara redditur mens Papæ volentis transferre pensiones, ita manifeste resultat. Vnde processerit error prædictus in expressione vnius tantum præbendæ, & attendi debet, quod in huiusmodi translatione fuit considerata duntaxat vtilitas Mucciarelli, ad cuius fauorem dictæ duæ pensiones erant reseruatæ super capite Ioannis Roselli, nec aliqua adest causa, cur voluerit Papa facere translationem potius pensionum, quæ erant super Archidiaconatu, & præbenda, quæ obtinebat, quàm illius pensionis, quę erat super Canonicatu, & præbenda obtentis per Petrum del Maù. Non enim subsistit, quod Papa voluerit exonerare Petrum del Maù illa pensione, quæ iam per plures annos soluta fuerat, si quidem alia pensio 40. Ducatorum, quam soluebat Villana, erat reseruata eodem tempore, & si personas consideremus Villana erat magis grauatus, & incœperat soluere pensiones ante Petrum, qui erat in prouisione antiquiori, vltra quod Papa transtulit non duas pensiones, sed tres, & oportet dicere, quænam sit illa pensio tertia Ducatorum 90. quod cum non appareat, sequitur scilicet, fuisse male expressam quantitatem, idq; errore Scribentis, qui notam 6. numeri in locum 9. apposuit, quod fuit facile cum eadem nota in vtrumq; numerū conuertatur, sicq; in terminis 21. pro 11. tenuit Rota in supradicta decisione coram R.P.D. meo Manzanedo, vbi dictum fuit, errorem Scribentis partibus non nocere, & vltra prędictas fuit allegatus *Rom. cons. 170. nu.3. Aym. cons.147. nu.5.*

5 Idque facilius admittendum est in hoc casu, quia in dicta translatione per fel. record. Clementē Octauum fuit apposita clausula augendi, vel minuendi, & quod de omnibus necessarijs maior, & verior specificatio, & expressio fieri posset, emanauit quippe Motus proprius S. D. N. in quo declarauit, Clementem Octauum volisse in prędicta translatione comprehendere istam pensionem Ducatorum 60. de qua agitur, cui declarationi standum est, tum quia attestatur de voluntate sui prædecessoris, vt post *Cardin. Imol. in Clement. 1. de probat. Tenet Roman. consil. 310. & sing. 328. Decian. consil.741. numer.5. & alios refert Gabriel. de probat. conclus. secunda, numer. 12.* Tum quia declarando vim dictę clausulæ videtur disponere in iure ad tradita per *Gabr. vbi supra, numer.37.* Tum, & denique quia talis declaratio facit ius saltem donec contrarium probetur. *Imol. in dicta clementin. prima, circa fine. Oldrad.*

Oldrad.consil.288. Alexan.consi.112.lib.7. Rebuf.super concord.tit. de subl. Clem. literis. vers. tamen ex narratis. Gabr. vbi supra, num.6.

6 Non obstat, quod Petro de Mau fuerit aperitio oris concessa, quia illa nihil operatur, nisi quod Petro benigno elargitur facultatem suam intentionem probandi, sed non astringit Pensionarium ad iustificationem Motus proprij, neque illa aliquod probationis onus imponit. *Afflict. decis.228. nume.13. & 14.* fuit dictum in causa Pacen. Pensionis 20. Nouemb. 1609. coram me, & aliæ multæ decisiones allegantur. Sicuti nec obstat, quod in Motu proprio non fuerit facta mentio rei iudicatæ ex sententia, quam Auditor Cameræ super extensione huius pensionis tulerat, & quæ per lapsum fatalium in iudicatum transierat. Nam vltra quod in Motu proprio fuit facta mentio de lite, quam Sanctitas sua pro expressa haberi voluit in quibuscunque Statu, & terminis instantia reperiretur.

7 Et vltra, quod in omnem euentum etiam in actu nullo declaratio colligitur, argumento. *l. fin. ff. de reb. cor. Fulgos. consil.99. circa fi.* & alijs iuribus vulgatis, adhuc respondetur, quod cum Papa processerit per viam declarationis, quæ nihil de nouo inducit, non potest contra dictam declarationem opponi de intentionis defectu, vt in Camerinen. Pensionis 22. Iunij 1592. fuit decisum coram Orano, per *text. in l. hæredes palam. §. si quid. ff. de testamen. Feli. in c. quoniam. num.4. de const. Mohedan. decis. 7. circa fi. vt lit. pend. Sarnen. in reg. de iur. quæs. non tollen. q. 13. num.6. & 7. Gabr. concl. 3. de reg. iur.*

8 Pro quo facit conclusio, quod vbi ius partis non læditur mentio litis non est necessaria. *Bellam. decis. 748. nume.3. Mil. in repert. verb. gratia impetrata lit. penden. Gabr. de Iud. conclus.4. num. 34.* & fuit dictum in causa Oscen. Pensionis 21. Iunij 1601. coram R.P.D. Coccino, non fuit autem læsum ius Petri declarando id, quod de iure erat, videlicet pensionem non fuisse extinctam per mortem Ioannis Rossel stante translatione illius per summum Pontificem facta. Declaratio enim a Principe facta non confert ius aliquod de nouo, sed tantummodo quod competit, manifestat. *l. adeo. §. cum quis. de acquir. rer. dom. l. ait Prætor. §. si iudex. de re iud. Oldr. consil. 224. num.10. & 20. vers. nec verbum declaramus. Castr. cons.341. in princip. lib.1. Socin. cons.156. num.17. lib.2.*

9 Non obstat, quod Motus proprius non subsistat, ex quo dicta clausula quod maior, & verior expressio fieri posset, non operatur circa corpus beneficij. *Put. decis. 308. lib. 1.* Nam illa decisio, potius faceret pro hac parte dum admittit, quod narrando de beneficio simplici potest alterari qualitas quo ad aliud beneficium simplex, non possit alterari quo ad beneficium curatum. Ita igitur in proposito expressio de vna præbenda posset alterari, & trahi ad aliam. Deinde non sumus in extensione, aut interpretatione alicuius gratiæ, aut impetrationis, sed in declaratione Apostolica, per quam Sanctissimus D.N. prædecessoris sui mentem declarauit. Sed his ominibus omissis declaratio fuit iustissima, nedum quia ex totius facti serie veritas erumpit, verum etiam quia si agendum est de prædicta clausula, illa continet verba amplissima, & in specie quod expressiones fieri possint circa personas, & nomina, & cognomina soluere debentium, ita vt iuxta illam apposito nomine Petri del Maù res clarissima reddi possit, & aduertendum est, quod in casu Putei aderat solum clausula, quod præmissorum omnium, & singulorum maior, & verior specificatio, & expressio fieri possit. Hic autem adsunt verba magis complexiua, videlicet quod præmissorum omnium, & singulorum, & aliorum necessariorum maior, & verior.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. CARD. LANCELLOTTO.

Narnien. de Capitonibus. Lunæ 19. Ianuarij 1609.

ARGVMENTVM.

Filij illegitimi, & legitimati, quando excludant substitutos, præsertim si fuerint legitimati cum clausula sine præiudicio venientium ab intestato.

SVMMARIVM.

DECISIO CCLXXXII.

1 ANno 1569. Antonius, & Marcellus fratres de Capitonibus conuenerunt, & pacti fuerunt, quod in tenuta nuncupata Torre di Boiechio non debeant per aliquod tempus succedere filiæ feminæ, neque in toto, neque in parte, sed solum succedere debeant filij masculi descendentes ex ipsis fratribus confirmantes quandam conuentionem Anno 1466. inter eorum ascendentes, seu maiores initam. In qua conuentione anni 1466. continebatur, quod in dicta Turri non succederent vnquam aliquæ feminæ, sed semper succedant masculi descendentes ex eis, omni tempore exclusis feminis, declarantes ipsi & paciscentes, ita intendere obseruari velle per eorum descendentes, & pro augumento, & conseruatione eorum domus, & familiæ de Capitonibus, & sic quod dicta Turris nullo vnquam tempore deueniri possit in totum, vel in partem in personas extraneas. Decessit Andreas relictis post se Auersa Medoro Aleeo, & Mercurio filijs legitimis, & naturalib. Obijt etiam Marcellus relictis Iacobo filio, qui breui tempore sine filijs decessit, & Francisca quæ fuit dotata, & ab Ausonio, & alijs de Capitonibus in dicta Turri exclusa. Obijt vltimo loco Ausonius relictis, & institutis hæredibus Clementio, & Ioanne Paulo, nepotibus legitimis ex Petro Antonio illegitimo tamen. Cum autem inter ipsos Clementium, & Ioannem Paulum ex vna, & Auersam, & alios filios Andreæ, ex altera ageretur ad successionem in dicta Turri, cuius possessio fuerat de ordine Dominorum meorum sequestrata, dubitatum fuit, an per obitum dicti Antonij esset factus locus fideicommisso, siue pacto ad fauorem nepotum, ex Andrea fratre germano, & sic in substantia querebatur, an vigore fideicommissi initi ex pacto inter Marcellum, & Andream, & Antonium fratres in portione Antonij ex Petro Antonio legitimato, vel potius Auersa, & fratres filij Andreæ alterius ex fratribus paciscentibus.

2 Hoc

2 Hoc dubium in sessione per Dominos facta fuit diuisum in quatuor inspectiones, quarum Prima erat; an constaret de reciproco fideicommisso inter Antonium Marcellum, & Andream, paciscentes, & eorum descendentes masculos. Secunda erat, an Clementius, & Ioannes Paulus, licet sint filij Petri Antonij illegitimi, cum tamen ipsi sint legitimi succedere possint. Tertia, An Petrus Antonius fuerit simpliciter naturalis, ita vt potuerit excludere substitutum, Vnde dicendum sit, Clementium, & Ioannem non descendere à radice infecta. Quarta, An Petrus Antonius fuerit ita, & taliter legitimatus, vt potuisset succedere, & inde macula non esset filijs.

3 Et circa primum de reciproca substitutione illa visa fuit Dominis adesse etiam inter descendentes, masculos stãte pacto inter dictos fratres initu in quo approbarent conuentiones anni 1466. in quibus expresse cauetur, quod in Turri de qua agitur, non succedant vmquam aliquæ filiæ feminæ, descendentes ex tunc paciscentibus, & ex eorum posteritate, sed semper succedant masculi descendentes ex eis omni tempore, exclusis feminis, & subditur, & sic dicta Turris cum eius bonis, & iuribus nullo vmquam tempore deueniri possit in totum, vel in partem in personas extraneas, cũ per feminas, & in feminis agnatio magis finiatur, quam conseruetur, ex quibus non est dubium fuisse inductam reciprocam substitutionem inter descendentes masculos, tum quia alias non posset verificari, quod feminæ non succederent in toto, vel in parte, tum quia cũ fideicommissum sit factum fauore masculorum, & agnationis cum exclusione feminarum, & extraneorum, omnes descendentes de familia venirent admittendi, *l. cum ita legatur. §. in fideicommisso. ff. de legat. 2. Surd. cons.* 344. *nu.* 18. *lib.* 3. & fuit dictum in causa Foroliuien. fideicommissi 19. Martij 1576. coram Clemente Octauo.

4 Nec obstat, quod non adsit stipulatio pro descendentibus, nam vltra stipulationem Notarij, quæ sufficit parentes potuerunt stipulari pro filijs nascituris, *leg. si quis operas. ff. de opert. libert. cum relatis à Surd. dec.* 322. *num.* 3.

5 Circa secundam inspectionem neque etiam fuit difficultas apud dominos, quia si Petrus Antonius illegitimus non erat capax successionis, quod patebit ex infra dicendis, neque etiam eius filij possunt succedere, cum veniant ex radice infecta, *Ancharan. consil.* 389. *Dec. consil.* 85. *num.* 8. *Paris. consil.* 40. *num.* 19. *vol.* 3. *Aym. consil.* 184. *numer.* 2. *Decian. respons.* 24. *num.* 55. *num.* 2. *Clar. in §. testamentum. quæst.* 32. *versic. item scias, libr.* 3. *Mandel. consil.* 165. *num.* 14. *cum allegatis per Tiraquell. de iure primogenituræ. quæstio.* 12. *numer.* 13. *& per Illustrissim. Mantic. de coniect. vltimar. voluntat. libr.* 11. *titul.* 12. *numer.* 35. & fuit dictum in causa Bononien. deuolutionis. 15. Decembr. anni præteriti coram Ortembergo.

6 Circa tertiam inspectionem, neque etiam Domini habuerunt aliquam difficultatem, cum non probetur, Petrum Antonium fuisse simpliciter naturalem cum ad hunc effectum plura requirantur, quod scilicet sit natus, ex muliere domi retenta in schemate concubinæ, quod esset vnica, quod cum illis potuerit esse matrimonium, quod ad liberos suscipiendos retineretur, quod sicut vxor diligeretur, & alia, de quibus in decisione Leodien. coram Illustriss. Cardinali Blanchetto, quam Rota nouissime sequuta fuit in causa Interamnen. hæreditatis 10. Decembris anni præteriti coram R. P. D. Sacrato. Et tradit Illustrissimus Mantica *de coniect. vltim. volunt. lib.* 11. *tit.* 9. *nu.* 22. licet autem testes aliquid conentur deponere, non tamen probant omnia requisita.

7 Præterea, quod illegitimi excludant substitutum vt possent succedere, non intelligitur in concursu cum legitimis, sed quatenus legitimi vocati non extent. *Imol. in leg. ex facto. §. si quis rogatus, num.* 6. *& ibi Alex. ff. ad Trebell. Ruin. cons.* 49. *numer.* 5. *& consil.* 120. *num.* 16. *lib.* 1. maxime in fideicommisso facto fauore agnationis, vt fuit resolutum coram me, in Ianuen. Iuris patronatus. 12. Februarij 1607. Vltra quod illa conclusio, quod naturales excludant substitutum habet plurimas limitationes, de quibus in decisione, in causa Cesenaten. Bonprum 23. Ianuarij 1608. coram D. Ortembergo.

8 Circa quartum cum in legitimatione adsit clausula sine præiudicio venientium ab intestato, & cum Auersa, & fratres sint ad fideicommissum vocati, vt dictum est, vtiq; legitimatio in præiudicium vocatorum non potest suffragari, cum dicta clausula præseruet etiam iura substituti, cui legitimatus cũ hac clausula nullum afferret præiudicium. Si enim dicta clausula præseruat ius transuersalibus, secundum magis communem opinionem, multo magis debet preseruare ius substitutis cui difficilis preiudicatur, ex quo ei potentius ius competit. *Angel. consil.* 264. *numer.* 1. *versic. Si autem intellexisset, Ruin. consil.* 3. *num.* 22. *versic. nec istis obstat libr.* 1. *& consil.* 206. *num.* 8. *libr.* 3. *Alexand. consil.* 117. *num.* 11. *versic. item potest intelligi. libr.* 5. *Capic. decision.* 22. *numer.* 3. *versic. item respondet Gabr. consil.* 22. *numer.* 7. *libr.* 2. *Honded. consil.* 64. *numer.* 22. *libr.* 1. *& cons.* 59. *num.* 15. *&* 16. *libr.* 2. & fuit resolutum in Cesenaten. Bonorum 23. Ianuarij 1608. coram R. P. D. Ortembergo.

9 Nec facit, quod appellatione filiorum, & descendentium possint venire legitimati, & propterea per dictam clausulam videatur factum præiudicium vocatis ad fideicommissum, quia cum sine legitimatione non possit illegitimus succedere in supra dictis legitimatio est illa, quæ dat facultatem succedendi, & legitimati non veniunt, nisi ex vi, & robore ipsius legitimationis, quæ cum sit concessa sine præiudicio, & sic habeat in ventre hanc preseruatiuam, nihil tribuit in præiudicium vocatorum, & perinde est, ac si quo ad illos concessa non fuisset. Et ita fuit decisum.

REVERENDISSIMO P. D.

LVGDVNEN.

Salamantina Censurarum, seu Liquidationis.
24. *Ianuarij* 1611.

ARGVMENTVM:

Expensarum in lite factarum probatio qualis ex se debeat, quaudove expensarum taxatio dicatur excessiua, & quomodo probetur excessus.

SVMMARIVM.

Expensarum litis liquidatio admittit probationem qualis haberi potest, nu. 1. *Declara, vt nu.* 3.

Expensarum condemnatio fieri debet, secundum quod consuetum est, nu. 1.

Expensarum taxatio, quando dicatur excessiua, n. 2. *&* 3. *& seq. Vbi etiam quomodo probetur excessus.*

DECISIO CCXXXIII.

1 Dictum fuit non constare de causis restitutionis in integrum, quia sententię Rotalis manifesta est iustitia, ex rationibus deductis in decisione R. P. D. mei Pamphilij, à qua non esse recedendum Domini censuerunt. Vera est enim conclusio, quod in Liquidatione expensarum litis admittitur probatio, qualis haberi potest. *Federic. de Sentent. consil.* 119. *numer.* 4. & nihilominus in hoc casu exhibitę fuerunt singulatim partitę, cum multis apochis de recepto

recepto Notariorum, Procuratorum, Aduocatorum & Iudicium,& pro transmissione Tabellariorum literarum, & pecuniarum ad Vrbem, quæ omnes expensæ de consuetudine sunt necessariæ in litibus,& in hac materia, vbi constat de expensis in genere admittitur probatio à consuetis. *Achil.dec.22.de restit, spoliat.* Fuit dictum coram R.P.D. meo Coccino, in perusina liquidationis fructuum. 12. Ianuarij 1609.

2 Non obstat, quod detur de excessu quarundam ex dictis partitis, quia fuit responsum pro obtinenda restitutione non sufficere excessum partitarum, nisi etiã constet de iniusta taxatione, vt sæpe dixit Rota, & signanter in Romana Census. 8. Martij 1610. coram R.P.D. meo Ludouisio, Non demonstratur autẽ iniusta taxatio, in hoc casu. Licet enim aliqua partita dici posset in paucis aliquot scutis excessiua, tamen id non concluderet excessum taxationis, quia expensæ, quæ per peritum de communi partium consensu electum fuerant taxatæ ad Scuta 556. fuerunt moderatæ ad Scuta 400. per quam moderationem fuit plene satisfactum huiusmodi excessibus allegatis.

3 Non obstat, quod vbi agitur de graui excessiuitate non sit locus arbitrio Iudicis, iuxta *l. sancimus, Cod.de iud.* Sed requiratur plena, & concludens probatio ad tradita per *Bald. consil. 556. nu.9. libr.5. Socin.iun.in cons. 62. num. 3. libr. 1.* Nam in hoc casu non potest dici, quod grauiter fuerit excessum, Tum quia omnes partitæ sunt modicæ, ideoque etiam coarceruatæ non requirunt plenam probationem, *argumento leg. si idem. ff. de iurisdict. omn. iud. Federic. de Sen. dict. cons. 119. Menoch de præsumpt. lib. 1. præsumpt. 58. num. 14. Lap. alleg. 94. num. 4.*

4 Tum etiam, quia plus quam manifestum est, non posse dici grauamen excessum taxationis Ducatorum 400. pro expensis litis, quę in graui causa censurarum per decem ferè annos fuit agitata, & in qua fuerunt compulsati in partibus,& ad Vrbem transmissi, atque in Rotæ actis exhibiti tres processus, cum alijs preterea iuribus, & instrumenti, quæ varijs in locis, & diuersorum iudicium auctoritate haberi oportuit, & sic cessat, quod opponitur litem breui tẽpore in partib. durasse. Nam vltra, quod ibi etiam durauit lis per aliquot menses, & factæ fuerunt illius occasione multæ impensæ quæ ex prædictis apochis iustificantur, verũ adhuc aduertendum est, expensas, maioris momenti fuisse factas occasiones litis, quæ agitabatur quidem in curia, sed indigebat instrumentis è partib. transmitendis. Vnde non sequitur, non erat lis in partibus Ergo in partibus nihil fuit expensum.

5 Itaque cum hic agatur duntaxat coniecturis, quæ facile tolluntur, & restitutio in integrum indigeret vera, & concludenti probatione, quę notoriam detegat sententiæ iniustitiam, fuit omnino conclusum pro Domino Francisco contra Dominum Doctorem Rocchum.

REVERENDISS. P. D.

LVGDVNEN.

Vigleuanen. Iuris patronatus. 24. Ianuarij 1611.

ARGVMENTVM.

Ius patronatus, in quo vocantur proximiores fundatoris, non potest ab aliquo prætendi, nisi probeuerit se dicti fundatoris proximiorem, & quomodo hoc probetur.

SVMMARIVM.

Ius patronatus, in quo vocati sunt proximiores, fundatoris, non potest ab aliquo prætendi, qui se dicti fundatoris proximiorem non probat, numero 1.

Ius patronatus quando controuertitur in iudicio petitorio probari debet proximitas non per quasi possessionem proximitatis, sed alias plenè, & concludenter per gradus distinctos, nu.2. & nu.4.

Proximitas vbi fuit probata ex perte vnius fratris, censetur etiam probata respectu aliorum fratrum in eodem gradu existentium, nu.3. Declara, vt nu.4.

Rei, & possessores non tenentur docere de eorum iure, sed illis satis est vincere per non ius actoris, nu.4.

Proximitate probata ex parte alicuius, numquid ex probatum censeatur illum esse proxtmiorem, num. 5. & 6.

Iuri patronatus quasi possessio numquid censeatur probata ex eo, quod compatronus aliquem admisit vna cum ipso ad præsentandum, nu.7. & 8.

Iuris patronatus quasi possessio in iudicio petitorio non est considerabilis, nisi fuerit continuata saltem spacio 40. annorum, nu.8. & 9.

Quasi possessio iuris patronatus per repræsentationes factas, numquid transeat in hæredes, num.9.

Producens scripturam in vno iudicio ad vnum effectum, non præiudicat sibi in alio iudicio ad diuersum effectum, numero 10.

DECISIO CCLXXXIV.

1 Domini censuerunt filios quondam Rolandi non esse admittendos ad Ius patronatus, & Ius præsentandi, constat siquidem ex fundatione patronatus prædictum ius fuisse reseruatum ad fauorem duorum proximiorum de progenie, & parentela Antonij de Collis fundatoris gradatim, & successiuè in perpetuum, atque ideo qui Patronatum prætendit tenetur probare per gradus distinctos se proximiorem esse fundatoris *c. licet ex quadam. de testibus, Anchar. cons. 51. nu.7. & 8. Alex. cons. 82. in princ. lib. 1. Natt. cons. 388. nu. 3. lia. 2. Alciat. præsumpt. 8. num. 9. reg. 1. Cephal. consil. 143. nu. 3. & 4. Dec. cons. 521. nu. 161. Tiraq. de retract. lign. §. 1. gl. 16. nu. 4.* fuit dictum in causa Placentina Cappellaniæ 10. Ianuarij 1594. coram R.P.D. Decano, & in alijs sæpè causis. Huiusmodi autem probatio omnino deficit in casu nostro.

2 Non obstat, quod Ioannes Augustinus frater Rolandi vtrinque coniunctus fuerit de annis 1558. 1560. & 1567. & 1568. admissus ad præsentandum cum Ioanne Vincentio fratre, & patre respectiue eorum, qui hodie sunt patroni. Nam ista admissio, vel deducitur ad effectum probandi filios Rolandi esse in quasi possessione proximitatis, & cum hodie agatur in petitorio de pertinentia Iuris patronatus, ista quasi possessio non releuat dictos filios ab onere probandi proximitatem. *Bald. in capit. per tuas num. 4. versic. Item hoc operatur de probat. Iason. in leg. neque professio, numer. 2. Cod. de testament.* & alios citant, deque magis communi testantur *Alciat. de præsumpt. reg. 3. præsumpt. 38. numer. 2. & 3. Roland. consil. 49. numer. 48. libr. 4.* Vltra quod possessio Ioannis Augustini non transiuit in filios Rolandi, vt dicetur infra, etiam fuit in hac causa decisum 16. Iunij 1609. coram R. P. Dom. meo Ludouisio.

3 Vel deducitur dicta admissio ad effectum probãdæ proximitatis ea ratione, quod cum ius præsentandi spectare debeat ad duos proximiores, præsumendum est, Ioannem Augustinum fuisse proximiorem, postquam admissus fuit ad præsentandum vna cum Ioanne Vincentio, probata vero hac proximitatis qualitate in Ioanne Augustino censeri debeat etiam probata ex Rolando eius fratre per ea, quæ tradit *Angel. in Authent. vt liceat matri, & auiæ, §. 1. versic. Ad hæc, in fin. Cott. in verb. sententia data pro vno Tiraquell. de nobilitat. capit. 17. numer. 3.* videlicet, quod vbi ex pluribus fratribus, ex eodem patre natis, vnus pronunciatur Ciuis Perusinus censebuntur etiam alij fratres Ciues

ues Perusini absque alia probatione.

4 Sed neque id releuat in hoc casu, in quo nulla adest probatio, quod Ioannes Augustinus, neque Ioannes Vincentius fuerint proximiores fundatoris. Praedicti enim Doctores, & alij, qui allegari possunt loquuntur, quando semen in vno ex fratribus probata fuit qualitas, maxime per sententiam declaratoriam, quae solet constituere ius inter partes, & praeiudicare *l. ingenuum. de statu homin. l. res iudicata. de reg. iur. Surd. post alios dec. 160. num. 22.* Nec refert, quod in praedictis, qui habuerunt iura patronorum videatur praesumenda proximitatis, iuxta dispositionem fundationis. Nam filijs Rolandi, qui sunt actores, non sufficit dare praesumptiones, sed necesse est, quod probent concludenter, & per gradus distinctos suam descendentiam, vt dictum est, atque Balistae eiusque Nepotibus, qui sunt rei, & possessores satis est vincere per non ius actorum, etiamsi non probetur, quod Ioannes, Vincentius eorum antecessor fuerit, neque quod ipsi sint proximiores testatoris. *Rot. dec. 1. & 3. de re iud. in nouis. Aym. cons. 177. nu. 1.*

5 Accedit, quod etiam concessa Ioannis Augustini proximitate, non tamen sequeretur filios Rolandi adhuc esse proximiores, quia huiusmodi qualitas est variabilis secundum temporum diuersitatem, & nunc esse potest, quod alius eos in gradu praecedat, vt per *Rolan. cons. 38. nu. 24. lib. 4.*

6 Non obstat decisio in causa Comen. Iuris patronatus 11. Decembris 1605. coram bon. mem. Iusto. In ea enim non declaratur, quis proximior ex eo, quod praesentauerit, sed deducitur pertinentia Iuris patronatus per gradus distinctos, & ad probationem vnius gradus ponderantur duae enunciatiuae in antiquissimis praesentationibus, ita in hoc casu posset ex praesentatione facta per Ioannem Augustinum dici, quod ipse fuit filius Christophori, prout ibi talis enunciatur, sed non probatur, quod fuerit fundatoris proximior, quia nec talis enunciatur in dicta praesentatione, nec releuaret etiamsi foret enunciatum in actu vnio, & de recenti.

7 Non obstat confessio Ioannis Vincentij patroni, quae resultat ex duo Ioannem Augustinum admisit ad faciendas secum quatuor praedictas praesentationes effectum sortitas, ad tradita per *Rip. in cap. cum Ecclesia. num. 93. de caus. poss. & propriet.* Nam respondetur admissionem patroni constituere quidem non patronum in quasi possessione praesentandi, sed nullo modo illum facere patronum. Ita distinguendo ponit *Lambert. de Iure patron. in 1. par. 2. lib. quaest. 3. artic. 17. num. 11.* & ita supradictam Ripae doctrinam procedere in quasi possessione praesentandi declarauit latissime Rota coram me in causa Cometen. Iuris patronatus. 1. Decembris 1606. sic in dictione acquiratur admissa, & admissionem quasi possessio eligendi, non autem intelligendi *gloss. in capit. Cumana. in verb. protestatione. de electio. Innocent. in capit. Ecclesia Sutrina. numer. 24. ibique Abb. numer. 35. de caus. possess. & propriet.*

8 Ista autem quasi possessio iuuaret quidem contra Vincentium admittentem, sed contra ipsius successores in Iure patronatus non potest iuuare quibus ipse per admissionem praeiudicare non potuit. *Doct. in cap. primo, de Iure patronat. in 6. Lambert. lib. primo, part. 2. q. 2. art. 8. num. 6. Molin. de Primogen. Hispan. lib. 1. quaest. 24. num. 31. Ferret. cons. 134. nu. 12.* Deinde quasi possessio in iudicio proprietatis, & pertinentiae non est considerabilis, nisi fuerit continuata spacio saltem annorum quadraginta, *iuxta text. in cap. de quarta, cum ibi notat de praescrip. Gemin. cons. 123. num. 3. Paul. de Citad. de Iure patronat. par. 6. art. 3. q. 17. Lambertin. lib. 1. par. 2. quaestio. 11. art. 5. num. 1. Rota diuers. dec. 228. nu. 3. part. 1.*

9 Hic autem possessio per Ioannem Augustinum acquisita est solummodo decennalis, nec potest dici praeseruata per praesentationes postea factas per Ioannem Vincentium solum, eiusve successores. Nam id potest procedere quo ad Ioannem Augustinum, non autem quo ad eius nepotes, qui non probantur illi haeredes fuisse, & vbi probarentur fuisse haeredes, non tamen in illos transiuit possessio sine apprehensione, vt per *Achill. decis. tertia, de caus. possess. & propriet.* atq; illi non solum apprehenderunt dictam possessionem, sed potius cum absque eorum interuentu fuerint factae plures praesentationes posse praesumi in illis dispositio animi non voluntas apprehendendi, *vt limitans consilium Calder. 10. de Iure patron. tradit Ripa vbi supra. nu. 11. in fin. post Bald. in leg. 2. num. 42. C. de seruit. & aq.* & quod plus est, quando de Anno 1573. Rolandus nomine haeredum Ioannis Augustini voluit interuenire, & praesentare, non fuit admissus, ex qua repulsione foret in omnem euentum interrupta praescriptio quadraginta annorum. *leg. cum notissimi. §. immo. ibique Salycet. num. 18. Cod. de praescript. 30. vel 40. annorum. Rebuff. in dict. cap. cum Ecclesia Sutrina. n. 14.*

10 Non obstat, quod praesentationes factae in simul per Ioannem Augustinum, & Ioannem Vincentium fuerint productae per Baptistam. Nam alijs omissis, illa productio facta in alio iudicio, & ad alium finem videlicet ad docendum de Iure patronatus in genere non praeiudicat in hoc iudicio, in quo agitur de pertinentia Iuris patronatus. *Achill. dec. 2. num. 1. de confess. cum alijs per Honded. consil. 69. numer. 8. libr. 1. & ad sententiam confirmatoriam* vnius ex praedictis praesentationibus facilis est responsio, quod licet illa praeiudicauit Ioanni Vincentio admittenti, & continenti, & petenti confirmationem, non autem successoribus illis. Atque ex his fuit conclusum pro Balista, eiusque nepotibus.

REVERENDISS. P. DOMINO

BONONIEN.

Caesaraugustana Dedicationis. Lunae 24. Ianuarij 1611.

DECISIO CCLXXXV.

Est impressa inter Ludouis.

DECISIO 493.

R. P. D. MANZANEDO.

Assisien. Pecuniaria. Veneris 28. Ianuarij 1611.

ARGVMENTVM.

Quomodo probetur, pecuniam in instrumento numeratam fuisse reportatam, & solum pro demonstratione deseruisse, Et pecuniarum reportatio post numerationem vitiat instrumentum.

SVMMARIVM.

Testis vnicus non probat plenè contra producentem, quia producens testem censetur illius personam solum approbare, non autem dictum. nu. 1.

Pecunia numerata, quod non remanserit penes contrahentem, seu quod fuerit reportata probatur per testes, & qui postea dicit, illam fuisse restitutam, probare debet. nu. 1.

Liber rationum, seu computorum, in quo non est de scripta aliqua partita pecuniarum receptarum, probat negatiuam non receptionis dictarum pecuniarum. nu. 3.

Pecuniam non fuisse numeratam in extinctione census, sed

sed tantum loco demonstrationis deseruisse probatur si veniens ad censum post prætensam extinctionem soluit fructus census. num. 3.
Copia simplex non probat. nu. 4.
Processus informatiuus quantumcunque authenticus in iudicio non probat. nu. 4.
Pecunia numerata si postea per numerantem fuit reportata ad aliqua noua causa, non vitiat instrumentum. nu. 5.

DECISIO CCLXXXVI.

1 FVit resolutum, standum esse in decisis 7. Maij 1610. ex adductis in decisione, & quia ex testibus in illa ponderatis constat Pomponium reportasse tempore extinctionis census, & illius noue creationis ista Scuta 280. quæ controuertuntur, ita vt tantum deseruirent pro facienda, vt dicitur la mostra. Nec obstat, quod in dicta decisione ponderetur inter alios testes pro Blasio vnus productus per Pomponium ex cuius productione dicatur contra ipsum plenam fidem facere *iuxta Rom. Paris. Crauet. Socin. Ceph. Surd. in dicta decisio. adductos, & iuxta communem, de qua Gabriel. de testibus. conclus. 1. nu. 13. vers. contrarium tenet*, & quod nihilominus Rota istam conclusionem quantumcunque communem non admittat, sed tantum quod per talem productionem, censeatur approbata persona, non autem dictum testis, vt in causa Taruisina Pensionis 12. Decembris 1571. coram Oradino, quia etiamsi secundum sententiam Rotæ non faciat ille testis plenam fidem, adsunt alij per Blasium producti, & in decisione ponderati, ex quibus omnibus plena probatio resultat de reportatione pecuniæ per Pomponium, & quod tantum deseruierunt per mostra, quibus stantibus si Pomponius prætendit istam summam postea realiter, & cum effectu soluisse, id probare debet concludenter. *ad text. ad leg. quinquaginta. ff. de probat. Natt. consil. 569. num. 1. & seq.* quæ tamen probatio non datur.

2 Nec pro illa elicienda faciunt recognitio bone fidei Blasij, & confessio de integro pretio d. census ad eius manus perueuto cum fuerint emanatæ ad fauorem Communitatis, & Rufini emptoris census non autem ad fauorem Pomponij. Vltra, quod cum Blasius in suis liberis constituisset Communitatem debitricem de integra summa Scutorum 2. mill. soluta pro extinctione dicti census, & sic constituit se creditorem Communitati de eadem summa, ni mirum si asseruit illam ad eius manus peruenisse, quæ confessio nullatenus concludit ad prætensionem Pomponij Scutorum 280. quæ ipse secum reportauit, vt dictum est, & ponderabant Domini pro Blasio, quod non adnotauerat istam partitam Scutorum 280. in suis libris, nec apparet, quod in computis Communitatis de illa aliquam mentionem fecerit, ad notata per *Tiraquell. in l. si vnquam, verbo donatione largitus. num. 206. & seq. C. de reuocan. donatio. & Menochius de Arbitr. casu 88. nu. 2. & sequen.* præcipuè cum in eiusdem libris Blasij reperiuntur aliæ multæ partitæ adnotatæ sibi per Pomponium solutæ.

3 Non obstat, quod Communitas fuerit liberata à censu mediante demonstratione pecuniæ cum hoc in facto non subsistat. Extinctio enim census fuit confidentialis, ita vt breui manu fuerit nouus census creatus eiusdem quantitatis, & Communitas continuauit in solutione fructuum census per aliquot dies & Pomponius promisit illam summam dare ad diem decimum Decembris, signum euidens, quod antea pecunias non numerauerat cum effectu, nec deseruierint, nisi pro mostra, ex qua continuatione Communitatis in solutione fructus census elicitur illum non fuisse extinctum, quod magis patet, ex quo post dictam extinctionem, & creationem noui census super bonis Blasij & Pomponij tamen Valerianus Vrbanus censum realiter extinxit ex pecunijs Communitatis, cuius panattariæ appaltum, seu conductionem acceperat.

4 Fundamentum autem præcipuum, quo in hac positione Pomponius nitebatur desumptum ex partita Scutorum 280. contanti, soluta Blasio per Pomponium die 24. Nouembris 1587. quod die census fuit extinctus, & denuo creatus, visum fuit DD. nullatenus attendendum cum istud folium nō sit in actis, nisi quædam copia simplex, & informis extracta ex processu informatiuo, quæ non facit fidem. *Authent. si quis in aliquo. C. de de edendo, capitul. primo, de fide instrum.* Vltra, quod in iudicio Ciuili non probat processus informatiuus quantumcunque authenticus. *Veral. decis. 106. libr. 6. in manu script.* & fuit dictum in causa Mediolanen. fructus vigesimo Iunij 1597. coram Orano, vltra quod alias coram A. C. Pomponius fuit protestatus nolle vti pro dicta partita, nec in illa vllū fieri debere fundamentum, nec esse considerabilem.

5 Vltimo non obstat decisio in causa Bononien. censsus vigesimo quarto Aprilis 1600. coram bonæ memeriæ Illustrissimo Cardin. Pamphilio, quia non applicatur casui, de quo agitur, ibi enim soluens pecunias integri pretij sortis principalis in eodem instrumento, reportauerat partem earundem pecuniarum in noua causa, nempe pro fructibus anticipatis, & sic solutio sortis principalis, licèt fuerit momentanea, operata fuerat iam suum effectum, sed in casu isto Pomponius reportauerat suas pecunias absque aliqua noua causa, & absque eo, quod illæ attulerint aliquam vtilitatem Blasio, sed solum deseruierunt, vt dicunt testes, per far la mostra, ex quibus ita fuit conclusum.

REVERENDISS. P. DOMINO DAMASCENO.

Nonantulana, Bonorum. Lunæ 31. Ianuarij 1611.

ARGVMENTVM.

Clausula ad habendum &c. quando dicatur apposita in exequutiuis, vel potius in dispositiuis, quid de clausula ita tamen. Et an emphyteusis concessa pro filijs, & hæredibus transit ad extraneos.

SVMMARIVM.

Clausula ad habendum & cæt. quando dicatur posita in exequutiuis, & quando in dispositiuis. nu. 1.
Causatum regitur à causa suæ causæ. nu. 1.
Clausula ita tamen an, & quando restringat orationem præcedentem. Et alia ad materiam huius clausulæ. n. 2.
Clausula generalis non comprehendit ea, quæ specialiter prouisa sunt. nu. 3.
Emphyteusis concessa pro filijs, & hæredibus, non transit ad extraneos. nu. 4.

DECISIO CCLXXXVII.

1 DOmini perstiterunt in decisis sub die 14. Iunij proximi. Nec subsistere visum fuit, quod clausula ad habendum sit posita in executiuis, cum adhæreat clausulæ inuestientes &c. quæ clausula respicit executionem, iuxta *dec. Pedemont. 164. numer. 3.* quia ad hoc fuit in specie responsum in alia decisione, & in hoc placuit *doctr. Laderch. Imolen. consil. 1. num. 14.* nempè quod clausula non possit dici in executiuis, si ponitur ante perfectam dispositionem. In proposito autem casu ponitur ante perfectam dispositionem, nam inuestitura dicit concesserunt N. & N. pro eorum, & cuiuslibet eorum filijs hæredibus, & descen-

ſcendentibus in perpetuum vnam poſſeſſionem, &c. inueſtientes, ad habendum &c. vnde patet, clauſulam ad habendum, contineri in periodo diſpoſitionis, nã verbum conceſſerunt, in quo ſtat diſpoſitio regit verbum inueſtientes, & verbum inueſtientes regit clauſulam ad habendum, ergo clauſula ad habendum tegitur à verbo conceſſerunt, ſicut cauſatum regitur à cauſa ſuæ cauſæ, de quo per *Scrib. in leg. manumiſſiones ff. de iuſt. & iur.* & contraria procedunt quando poſt perfectam orationem incipit nouus periodus, veluti per clauſulã Quæ omnia & ſingula, vel Quas res &c. Tanto magis, quia in hoc caſu clauſulam ad habendum &c. ſubſequuntur ſubſtitutio canonis, pacta circa alienationem inter viuos, & ſimilia, quæ tangunt ipſam diſpoſitionem. Ad cognoſcendum enim an iſta clauſula ſtet executiue non ſolũ attenditur conceptio verborum, ſed clauſulæ, quæ illã hinc inde concomitantur, an ſcilicet ſint executiuæ, vel diſpoſitiuæ, vt per *dict. deciſ. Pedemont. 164. numer. 3. verſic. ſi fuerint ſcriptæ in medio*.

2 Ad aliud, quod poſt clauſulam, ad habendam &c. ſubſequatur clauſula, ita tamen, in qua cauetur quod inueſtitis non liceat alienare ſine licentia inueſtientium, qui ſi emere voluerint pręferantur &c. vnde infertur, quod per d. clauſulã, ita tamen euacuetur ius clauſulæ ad habendum &c. & reducatur ad ſolã alienationem inter viuos cum moderamine tamen petendi licentiam, & præferendi Domini directi per *conſ. Decij 171. alios 170. num. 3. verſic. quarto, & vltimo, quem ſequuntur alij, de quibus per Corbul. de cauſ. priuat. ob alienationem irrequiſ. dom. limit. 3. nu. 2.* fuit reſponſum doctrinam Decij in hoc minime eſſe ſequendam, quia inducit ſuperfluitatem, immo ſubitaneam correctionem, & repugnantiam in ſermone contra regulas iuris ſuperfluitatem, quia ſecundum iſtum intellectum clauſula ad habendum nihil operaretur, cum enim in clauſula, ita tamen, contineatur facultas alienandi inter viuos cum moderamine tamen, de quo ibi, fruſtra præmittitur clauſula, ad habendum, & quicquid placuerit faciendum, ſi ex illa nihil magis inueſtitus poteſt facere, quam quod continetur in clauſula, ita tamen, ſubitam correctionem, & repugnantiam, quia clauſula, ad habendum, importat facultatem alienandi per viam vltimæ voluntatis, & etiam inter viuos alio modo quam per venditionem, ex allegatis in alia deciſione, vnde ſi per clauſulam, ita tamen, auferretur talis facultas, & reduceretur ad ſolam venditionem, ſine dubio eſſet repugnantia & ſubita correctio, quia eſſet dicere cõcedo, vt poſſis alienare per viã vltimæ volũtatis, & immediatè ſubiũgere, nolo, vt poſſis alienare per viã vltime volũtatis. Verũ eſt igitur intellectus quod clauſula ad habendũ &c. tanquã generalis comprehendit omnes modos alienandi tàm inter viuos, quam in vltima voluntate, tam per viam venditionis, quam donationis permutationis, & ſimilium, & quod clauſula, ita tamen, limitatè reſtringit modum alienandi per viam venditionis, quia in eo eadit æquitas, quod Dominus directus præferatur, & in cęteris remanet regula generalis pro inueſtito. Et quantum ad cumulatos pro Decio loco ſupra citato ipſi non ſequuntur illum in hoc, quod clauſula, ita tamen, deſtruat in totum in vim clauſulę ad habendum &c. ſed in eo quod in caſu venditionis debeat requiri licentia, & pręferri Dominus ſi emere voluerit.

3 Ad tertium, quod clauſula ad habendum, &c. non poſſit comprehendere alienationem per viam vltime voluntatis, ex quo circa hæredes eſt ſpecialiter cautũ in inueſtitura per idem *conſ. Dec. 171. num. 3. verſ. ſecundo reſpondetur*, fuit reſponſum; Aut prætendi quod in verbo, heredibus, de quo in inueſtitura de qua agitur comprehendantur hæredes extranei, & Fontani habent intentum, & non curant de modo, dummodo idem ſequatur effectus. Aut verò non comprehenduntur, & ceſſat obiectus particularis expreſſionis, & remanet ius generalitatis clauſulæ.

4 Ad vltimum, quod emphyteuſis conceſſa pro filijs, & heredibus non poſſit tr nſire ad extraneos iuxta communem, de qua per *Alex. in l. quod dicitur, nu. 21. ff. de verborum obligat. Iaſon. in leg. ſi non ſortem, §. libertus, numer. 35. ff. de condit. indeb.* fuit reſponſum, iſtos de Fontanis non venire tanquam conprehenſos ſub verbo, heredibus, ſed tanquam inſtitutos ab illo, qui habebat inueſtituram cum clauſula, ad habendum, & quidquid placuerit faciendum, ſtante maxime defectu lineę primo loco inueſtitorum. Et ita fuit concluſum.

REVERENDISSIMO P. DOM. LVGDVNEN.

Seguntina Præſidentiæ. 31. Ianuarij 1611.

ARGVMENTVM.

De pręſidentia Canonici antiquioris habentis dignitatem, in qua Sede ſedere debeat in abſentia Decani, & Prioris. Pluraque ad hanc materiam conferentia optimè in hac deciſione explicantur.

SVMMARIVM.

Canonicus antiquior, habens dignitatem, & ſedens in ſede dignitatis, dicitur ibi ſedere tanquam dignitas, non autem tanquam Canonicus, num. 2.

Vicarius interueniens in choro, vt Canonicus non debet habere præeminentiam Vicarij. num. 2.

Epiſcopus interueniens in Capitulo, tanquam Canonicus, debet ſedere in loco Canonicorum, & poſt Archidiaconum, num. 2.

Decanus qui etiam ſit Canonicus non poteſt ſimul, & ſemel interuenire in choro in duobus locis, ſed ſi ſtabit in Stallo cum Canonicis, dicetur ibi eſſe tanquam Canonicus. Si vero ſtabit in Stallo Decanatus, dicetur ibi eſſe vt Decanus, num. 2.

Iuriſdictio Præſidentiæ ſignificatur ex affixione virgæ. numero 3.

Conſuetudo tantum habet de potentia, quantum habet de actu & vſu. num. 4.

Canonicus per acquiſitionem dignitatis non amittit Ius ſibi vti Canonico competens, numer. 5. Vbi declaratur hæc concluſio.

Conſuetudo attendi debet in materia Præſidentiæ, in choro Eccleſiæ, nu. 5.

DECISIO CCLXXXVIII.

1 POſt firmatam deciſionem, & ſententiam Iuris pręſidendi in choro Eccleſiæ Seguntinæ in abſentia Decani, & Prioris ad fauorem canonicorum, Agentes pro dignitatibus in alia inſtantia mihi commiſſa tranſierunt ad aliud dubium, in quo pręſuppoſita deciſione pręcicta ſuper Iure canonicis ſpectante quęrebatur in abſentia Decani, & Prioris dignitas exiſtens canonicalis antiquior poſſit pręſidere in choro ſedendo in Sede dignitatis.

Quo dubio hodie vtraque parte informante propoſito, Domini reſoluerunt, antiquiori canonico habenti dignitatem non competere ius pręſidendi, ſiue non deberi pręſidentiam, niſi ſedeat in Sede canonicali.

2 Deciſionis ratio fuit, quia hęc preeminentia defertur canonico antiquiori vti canonico, ex conſuetudine prædictę Eccleſię Seguntinę, vt latè fuit deductum in deciſione D. mei Pamphilij. Dum autem ille canonicus antiquior habens dignitatem, ſedet in ſede

in sede dignitatis, dicitur ibi sedere tanquam dignitas non autem tanquam Canonicus, *gloss. in cap. in collatione. in verb. Prælatus, & ibi Archidiac, num. 2. Geminian. num. 6. Franch. num. 4. de appellat, in 6. Card. consil. 53. in principio, &* propterea sequitur eum in illa Sede non debere habere illam præeminentiam, sed si illam consequi velit, necesse est, quod sedeat in Sede Canonicali, vt dicunt prefati Doctores dantes exemplum de Vicario interueniente in choro vti Canonico, quod non debeat habere præeminentias Vicarij, & in Episcopo, qui interuenit in Capitulo tanquam Canonicus, quod debeat sedere post Archidiaconum, & in loco Canonicorum. Idem tradunt cum allegatione aliorum similium. *Abb. in cap. auditis. de electio, num. 4. Ioann. Lecer. Parisien. de Primogen. libr. 2. quæst. 3. num. 36. Paccin. de off. & potest. Capit. sed vacan. quæst. 10. secund. part. princip. numer. 12. Anton. de Pret. de iurisdict. Episcop. defens. capit. 6. num. 53.* optime ad nostrum institutum. *Bald. 53. in princip. inter consilia Card. Zabarell.* vbi tractat de Decano, qui erat etiam Canonicus, quod non potest simul, & semel interuenire in choro duobus in locis, sed si stabit in Stallo, siue Sede Canonicali, cum aliis Canonicis, dicetur ibi esse tanquam Canonicus. Si verò in Stallo Decanatus, dicetur ibi esse vti Decanus, & conueniunt, quæ dicit *Bologn. in leg. re coniuncti, numer. 59. de legat. tertio,* quod concursus dignitatum, seu qualitatum non faciunt præferri, quando illa dignitas, aut qualitas non est considerabilis in eo actu, prout non est in actu præsidendi qualitas dignitatis, nec etiam qualitas Canonici, dum Canonicus sedet, in alio Stallo, quam Canonicorum.

3 Quippe istud ius præsidendi prouenit, vt dictum est à consuetudine introducta ad fauorem Canonici antiquioris in sede Canonicali interuenientis in choro, vt colligitur ex testium depositionibus, dum dicunt vidisse in absentia Decani, & Prioris Canonicum antiquiorem præsedisse. Etenim si ille Canonicus antiquior sedisset in Sede dignitatis, non potuissent scire testes, an ille præsedisset vti Canonicus antiquior, vel vti dignitas, & potius dixissent eum præsedisse ratione dignitatis, propter sedem eminentem, & clarius demonstratur ex affixione virgæ in Sede Canonici antiquioris, quæ videatur denotare iurisdictionem presidentiæ, vt considerat *Chassan. in Catalog. glor. mund. par. 1. consid. 38. conclus. 6.* nec dicatur eum, qui præsidere debet debere etiam sedere in Canonicorum ordine, ad quod bene faciunt tradita per *Innoc. in cap. in literis numer. 6. de restitut. spoliat.*

4 Nec obstat, quod dicitur, hæc omnia processisse ex quo non constat vnquam ante hac Canonicorum antiquiorem fuisse dignitatem. Id enim in facto non subsistit, cum testes specifice deponant adfuisse in ecclesia Seguntina Canonicos antiquiores, quorum nomina exprimunt, qui dignitates obtinebant eo tempore, quo ipsi testes viderunt præeminentiam exerceri per antiquiorem, & simpliciter Canonicum. Vltra quod si consuetudo non probatur, nisi in casu ad alium, quando canonicus antiquior est etiã dignitas, & sedet in Sede sua dignitatis, quia consuetudo tantum habet de potentia, quantum de actu, & vsu. *Bald. consil. 27. volum. 2. Surd. cons. 325. num. 13. Pedem. decision. 29. numer. 16. Felin. in cap. auditis, numer. 5. de præscript.*

5 Non obstat, quod canonicus per acquisitionem dignitatis non desierit esse Canonicus, nec amisserit ius sibi vti Canonico competens, iuxta *decision. Put. 100. lib. 3. & traditur per Natt. cons. 44. numer. 7.* Ita vt etiam distributiones vti Canonicus excipiat, vt per *Card. dicto consil. 53.* quia omissis disputationibus iuris fuit responsum, antiquiori Canonico habenti dignitatem non negari in isto casu commoda, & distributiones Canonicatu neque agi de illis, immo nec illi negantur prçeminentiæ eiusdem Canonicatus, & in specie ista præsidendi in Choro, sed tantum dicitur illam obtineri, & exerceri debere in Sede canonicali, in qua fuit inducta consuetudo, per quam eadem prçeminentia acquisita est canonicis, ita quod positus est in eius facultate vsus, vel non vsus dicti iuris, quatenus velit, aut nolit sedere in Sede canonicali, & prætерquam quod illa virga non posset sine iniuria canonicorum amoueri à Sede canonicali, vbi fuit affixa, turbaretur præterea consuetudo hactenus obseruata ad fauorem canonicorum, & daretur confusio inter dignitate, & canonicos, atque occasio litibus in futurum, si istud ius præsidendi transferretur à Sedibus canonicorum ad sedes aliarum dignitatum, quam Decani, & Prioris, quia dignitates possent aliquando pretendere preæminentiam, hanc competiuisse suis antecessoribus ratione potius dignitatis, quam canonicatus. Vnde siue consideremus conuenientiam, siue rationem, & iura, quæ in hac materia semper defecerunt consuetudini, iuxta doctr. *Bald. in cap. cum olim. numer. 1. & sequent. de consuetud. Cardin. consil. 62. numer. 1.* & fuit dictum, in hac causa coram Domin. meo Pamphilio, sequitur canonicum antiquiorem habentem dignitatem non posse in Choro præsidere, nisi sedeat in Sede Canonici. Et ita fuit decisum, &c.

REVERENDISSIMO P. D.

LVGDVNEN.

Romana Filiationis. Veneris 4. Februarij 1611.

ARGVMENTVM.

De probatione filiatione. Quando præsertim plene, & concludenter, & quando præsumptiue probanda sit, & de pluribus coniecturis, & presumptionibus, filiationis, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Filiatio debet concludenter probari, quando principaliter de filiatione agitur, secus si non principaliter agatur, sed tantum ad effectum consequendi alimenta per modum prouisionis donec lis terminetur, nu. 1.

Filiatio probatur coniecturis, nu. 2. Istæ tamen coniecturæ debent concludere.

Filiatio non probatur, quando asserta mater in eius propria domo sui iuris existens alios admisit, num. 2. & numer. 3. & sequent.

Filiatio non probatur assertione matris, quæ plures admisit, dicentis quem esse filium potius vnius quæ alterius, nu. 2.

Filiatio non probatur ex libro Parochi, quando nominatio in eo facta fuerit matre procurante, nu. 3.

Filius alterius vt quis dicatur, requiritur, vt mater in domo asserti patris permaneat, & retineatur, etiam quod non in schemate est concubinatus, nu. 4.

Filiationis quasi possessio, & tractatus filialis non est sufficiens ad obtinendum in decisoriis petitoriis iudicij, num. 5.

Filiatio non præsumitur, quando assertus pater non curat assertum filium educare, nu. 6.

Verba blanda, & ciuilia promissionem, & obligationem non inducunt, nu. 7.

Filiationis tractatus in rebus exiguis, & per modicum tempus filiationem non probant, nu. 8.

DECISIO CCLXXXIX.

1 Recesserunt Domini à resolutione in hac causa facta, & dixerunt; non constare, quod Hieronimus sit filius D. Ioan. Antonij Ratio decisionis est, quia agitur

agitur principaliter de filiatione, qui ideo debet probari ab Hieronymo, qui petit se declarari filium D. Io.Antonij.*l.1.§.idem per contrarium.ff.de li.agnos.l.si competenti.C.eod.Alber.in l.1.n.3.ff.de probat.Surd.consi.1.n.69.* & licet ad effectum consequendi alimenta per modum prouisionis, donec lis super filiatione terminetur, sufficiat quælibet etiam leuis probatio, tamen secus est quando vt in hoc casu facta iam alimentorum prouisione agitur super negotio principali, tunc. n. requiritur magis exacta probatio, quando ex vna parte actor petit declarari reum esse suum patrem, ex altera vero reus negat, esse patrem, seque liberari petit ab illa alimentorum prouisionali præstatione, vt late post alios, quos allegant, tradit *Alciat.reg.3.præsump.38. num.6.& 7.Couar. de sponsal. par.2. cas.8.§.3.nu.6.* Faciunt tradita per *Rebuff. super Constitutionibus Regni Franciæ.titu.de sent.prouision.art.1.glos.2.*

2 Quamuis autem filiationis satis exacta censeatur probatio per indicia,& coniecturas, vt fuit dictum in prima decisione, nihilominus arbitrati sunt Domini ea, quæ pro Hieronymo deducta fuerunt, non sufficere ad perficiendam huiusmodi probationem. Constat enim Antoniam matrem Hieronymi non fuisse retentam, & custoditam in domo Io.Antonij,sed eam in propria domo sui iuris extitisse, ibique admisisse passim alios viros circa illud tempus, quo conceptus fuit Hieronymus ideoque ex iuris presumptione, neque is patrem ostendere potest. *l.vulgo concepti. ibiq. gl.Bal.& alij.ff.de stat.hom.§.si aduersus. Instit.de nupt.Nat. consi.205.n.2.in fi.Card.Paleot.de noth.& supr.c.26.*neque matri aliqua fides adhibetur, si dicat se concepisse potius ex vno,quam ex alio. *Bal.post Cin.cons.437. nu.8.lib. 5. Alex.cons.157.num.3.lib.1.Dec.in c.per tuas.post princ.de probat.Barbat.cons.27.nu.4. circa fin. lib.1. Alber. in l.filium definimus. num.13. ff. qui sint sui, vel alien. iur. Aret. in §. nouissime.nu.16.Instit.de Senatuscons. Orficiano.Card.Pal.d. c.26.nu.5.& 6.*

3 Hoc stante, corruit coniectura deducta ex confessionibus Antoniæ, & ex annotatione libri Parochi, quam facta fuit ipsa id procurante, maxime quia vltra predictam iuris resistentiam apparet etiam in facto ipsam Antoniam, eiusque matrem alium quendam virum admisisse, cuius etiam nomen editur, qui tamen cum decessisset duum adhuc Antonia gerebat vterum,ille fœtus fuit ex tunc integre,& absolutè destinatus, & arbitratus Io.Antonio. Corruit etiam alia coniectura, ex assidua Io.Antonij, cum ipsa muliere conuersatione, quia omissis exceptionib. quæ aduersus personas, & dicta testium opponuntur,vnum est, quod eodem tempore alij vtebantur Antoniæ consuetudine, & testes Io.Antonij dicunt, quod inter ceteras ille quidam supranominatus non minus assidue conuersabatur cum ipsa eamque in suam etiam domum traductam ibi per plures quandoque dies retinebat.

4 Et ex *Card. Paleoto, & alijs præallegatis requiritur,* quod mulier cum illo tantum viro, qui pater asseritur,habuerit consuetudinem,neque obstant DD.circa hunc articulum alias considerati,quia idem. *Paleottus in c.22. num.3.* loquitur in concubina domi retenta. *Surd.consil.1.num.55.*loquitur de filio nato in domo adulterij. In casu *Ancharan.consil.225.num.5.in fin.*Concurrebant confessio patris,educatio filij, legitimatio, institutio, & alia quæ hic omnino deficiunt. *Alciat. reg.3. præsump.37.num.3.* loquens expressis verbis in ea, quæ licet in schemate concubinæ non teneretur,erat tamen domi retenta.

5 Non obstant coniecturæ ex tractatu Io. Antonij erga Hieronymum: nam vltra quod in Iure quasi possessio tractatus filialis non est sufficiens ad obtinendum in decisorijs petitorij iudicij, vt post *Bal.& alios quam plurimos tradit Alciat.* qui dicit, veriorem esse, & magis communem opinionem, *d.reg.3.præsump.8.num.* 8. Preterea in facto actus prædicti tractatus probatione deducti exprimuntur per testes singulares, qui de mendatio, & contrarietatibus arguuntur. Deinde illi actus sunt ad intentionem Hieronymi parum efficaces,cum potuerint fieri citra tractatum filiationis propter solam affectionem erga matrem. Agitur enim de quibusdam dulcibus, & paucis aliquot Iulijs puero donatis, & de vno Scuto Florentino donato obstetrici,quod tamen nec verificatur, & ipsa famula cui datum fuit, vt consignaret obstetrici, negat aliquid recepisse.

6 De cura autem atque pueri educatione, & alijs paternæ caritatis indicijs nulla prorsus mentio atque inde oritur magna non filiationis coniectura glos. in cap.transmissæ, in ver.not. qui filij sint legitimi. *Neuizan.cons.34. num.46. Alex.cons.88.num.9.lib.1.Felin.in c. per tuas. de probat.nu.17.*

7 Neque quicquam allegatur consideratione dignum, nisi promissio annue pecuniæ, facta Antoniæ minitanti expositionem pueri, sed cum illa promissio fuerit absque effectu, apparet fuisse verba blanda & ciuilia,simpliciter, quibus Io.Antonius præsentem ipsam Antoniam placauit, ne videlicet illa impatiens, & ægre ferens, quod eo tempore ipse legitimam vxorem duxerat puerum ad ianuam domus ipsius exponi faceret. Vnde risus & fabula Ciuitatis pareretur ad tradita per *Paris.consil.10.num.88. & consil.11.num.25. lib.2. Gozad.consil.13.numer.44.Decian.respons.1.num.132. Bursat. cons.88. nu.16.*

8 Et in summa etiamsi verissima essent, quæcunque testes deponunt,tamen tractatus iste in rebus exiguis qui per modicum tempus durauit esset parum considerabilis. *Ruin.consi.52.num.11.lib.5. Paris.dicto consil.11. num.27.lib.2.Decian.d.respons.1.num.132. Ias.cons.102.in fi. Mascard.consil.13.num.91.* Et licet,vt dictum est initio, probatio in hoc casu admittatur per coniecturas, & indicia, coniecturæ tamen debent esse huiusmodi, quæ concludant id quod deducitur in probatione. *Rimin.consi.289.num.5. Alex.consi.74. numer.1. lib.2. Ruin. consi.52.num.5.lib.3. Paris.dicto consi.10. num.63.lib.2.* Itaque fuit ex his conclusum pro non filiatione.

REVERENDISSIMO P. D.

LVGDVNEN.

Ariminen. Bonorum. 4. Februarij 1611.

ARGVMENTVM.

Dominium quando plenè, & concludenter probari debeat, & quando præsumptiones, & coniecturæ inducant sufficientem dominij probationem,& an censeatur probatum ex instrumentis locationum, seu concessionum in emphyteusim iunctis adminiculis.

SVMMARIVM.

Dominium probatur per instrumentum concessionis in emphyteusim, concurrentibus adminiculis. num.1. & num.3. Vbi multo magis hoc procedit, quando adsunt plura instrumenta similia facta cum diuersis personis. & num.4. ponuntur aliqua adminicula. Declara, vt num.6.& 7.& seqq.

Dominium probatur confessione partis. nu.2.

Dominium rei emphyteuticæ etiam contra tertium, tanquam præscriptum probatur ex solutione Canonis per annos 30. num.4.

Liber Ecclesiæ an probet dominium rerum emphyteuticarum, quando in eo sunt scriptæ solutiones canonum. num.5.

Dominium non probatur ex instrumentis locationum ex solutionibus, ex confessionibus, & adminiculis ad effectum rei vendicationis. Declara, vt nu.6.

Dominium vbi incidenter deducitur, probatur præsumptionibus,

nibus, & coniecturis, num.9.
Emphyteusi finita per lapsum temporis, & renouationem non ritè petitam, Dominus directus redintegrandus est in possessionem rei emphyteuticæ, si denegetur restitutio, num.10.

DECISIO CCXC.

1 VIsum fuit Dominus satis constare de dominio Ecclesiæ S.Paulæ. Licèt enim plenè, & concludenter probari deberet, multa tamen in simul conconcurrunt, quæ videntur istiusmodi probationem perficere. Datur enim instrumentum concessionis in emphyteusim factæ Alexandro Pasolino de anno 1470. ad annos 29. in quo quidem Alexander illas terras recipit ab Archipresbytero Plebis Sanctæ Paulæ, tanquam de directo domino, & proprietate dictæ plebis regulariter autem instrumentum concessionis concurrentibus adminiculis probat dominium, etiā contra tertium. Late *Ripa in l. si rem aliquam. num.39. de acquiren. possessio.* cum allijs allegatis in causa Ciuitatis Castelli Bonorum 12.Februarij 1590. coram bo.mem. Cardinale Pamphilio, & nuper in causa Ferrarien. Predij. 3. Decembris 1610. coram R.P.D. meo Coccino, atque in eadem causa prius coram Illustris.D. Cardinale Mellino.

2 Quod multo magis procedit in hoc casu stante confessione Pasolini, quæ nocet Monachis eius donatarijs,& successoribus,& quæ per se etiam probat dominium Ecclesiæ, vt de recognitione notat. *Bal.in l.Censualis.C.de donat. Bart.in l.iura. C. de om.ager. deser.lib.11. Guido Papæ decis.272. nu.3. & de confessione Bart. & Imol. in l.cum tale. §. falsa. de condi. & demon.Ruin.consil.161. in prio.lib.1.& cons.128. num.18. lib.3. Aym.consi.157. num.2.*

3 Adminicula autem non desunt, videlicet plura instrumenta concessionum de ijsdem Terris factarum ab Archipresbytero diuersis personis, cum eadem expressione, quod sint de directo dominio, & proprietate dictæ Plebis, & signanter de annis 1546. & 1562. duorum etiam probat effectuationem ex Canonum solutionibus. Item Inuentarium Visitatoris Apostolici, in quo reperiuntur adnotati omnes Canones, qui pro istis bonis soluuntur. Item petitio reuocationis cum oblatione ipsorummet Monachorum de soluendo laudemnio.

4 Sed his omnibus maximum robur addit solutio Canonum facta Ecclesiæ ab Alexandro, & alijs diuersis personis,& continuata per annos plus quam quadraginta nempè ab anno 1596. vsque ad annum 1595. Si quidem ex Canonum solutione per annos triginta probatur etiam contra tertios dominium tanquam præscriptum, *l.si quis emptionis.C.de præscrip.30.ann.Speculat.in titu.de emphyteu.§.nunc aliqua.versi.53.& vers.57. Alexand.consi.8.num.2.volum.3.optime. Rom. consi.127.sub num.1.* vbi expressè agit de rei vendicat.

5 Non obst. quod solutiones probatæ existant duntaxat ex libro istius Ecclesiæ,quia similium librorum fides admitti solet, vt per *Rom. vbi sup.Dec.cons.346.col. antepen.vers.4.ista conclusio.Aym.consi.186.num.4.& cons. 434.num.14.* maximè, quando vt in hoc casu liber est scriptus manu Notarij publici, & bene atque legaliter tentus, & custoditus apparet, vt fuit consideratum in supradicta decis. Ciuitatis Castelli,atque ipre ..... hunc librum approbasse quodammodo videtur, quando in partibus Canonem recipiat,quod illius solutionem in dicto libro describi,aut notari petierunt.

6 Non obst. decisio *Verall.280.par.1.* quæ in alijs postea causis coram Illustris. Mellino, & postea coram Orano allegata, & amplexa fuit,vbi dicit, ex instrumentis locationum, solutionibus, & allis confessionibus, & adminiculis non probari dominium ad effectum rei vendicationis. Similes decisiones, vt ad concordiam reducantur cum allis innumeris, in quibus fuit dictum probari dominium per instrumentum concessionis concurrentib. adminiculis intelligen. sunt, quando poterat subesse suspicio, vel aderat possibilitas, quod bona in possessorem aliunde quam mediante Ecclesiæ dominio peruenissent, vt puta quia transierant plures possessores sine facto Ecclesiæ, ita vt neque indemnitas perspicua, nec proprietas certa apparet, hic autem sumus in concessione admodum recenti, & manifestum est bona non deuenisse ad Pasolinum neque ad Monachos eius donatarios, nisi vigore, & titulo dictæ concessionis, & ante illam constat de dominio Ecclesiæ per plures alias concessiones diuersis personis factas, & effectum sortitas.

7 Vltra, quod in omnem euentum dictæ decisiones non excludunt legitimas probationes dominij, inter quas est illa de continuata Canonis solutione, vt sup. dictum est,& quamuis excludant probationem ex solutionibus, tamen id potest accipi à solutionibus factis ab eadem persona, nec continuatis per tantum temporis spacium.

8 Nec dicatur in *decisione Verall.281.* tradi modum probandi ad hunc effectum dominij. Ibi enim agitur tantum de probatione dominij acquisiti per emptionem,sed non ideo excluduntur aliæ probationes,eum in iure dentur alij plures acquirendi per donationem, hæreditatem, legatum, dationem in solutum, vsucapionem, præscriptionem.

9 Et nihilominus vbi insistendum foret prædictarum decisionum strictæ, & rigidæ probationi, placebat aliquibus ex Dominis consideratio bene deducta per Informantes pro Domino Archipresbytero huiusmodi probationem non esse in hoc casu necessariam, quia cum rei vendicatione non fuerit expresse actum, non potest Archipresbyter experiri conditione ex *l.si quis conductionis. C. locat.* vel ex *l.conductores.eod.& l.non abs re. C.vnde vi.* in qua sufficit probatio locationis temporis finiti, & contumaciæ non restituentis, & pro dominij verificatione sufficiunt coniecturæ,& de communi postquam plures,quos allegat testatur Menochius de recuper. *remed.11. num.32.* & ratio est certissima, quia vbi dominium incidenter deducitur sufficiunt præsumptiones. *Bart.in l.si quis in suo. numero 4.vers.2. casu. de condit. & constit.Socin.consil. 112.nume.23.& lib.4. Boer.quæst.42.num.4.*

10 Insuper cum eiusdem Archipresbyteri intentio sit fundata in tempore finito, & renouatione non ritè petita,vt iam fuit bis decisum, etiam non probato dominio competit ipsi remedium redintegrationum, si denegetur restitutio rei concessæ, vt fuit dictum in causa Nullius feudi 3. Martij 1589. coram bo.mem. Card.Pamphilio.Atque ex his fuit conclusum pro Archipresbytero, cum vtraque parte informante causa iterum proposita fuisses.

REVERENDISSIMO P. D.

LVGDVNEN.

Valentinæ Salarij 21. Februarij 1611.

ARGVMENTVM.

Salarium non conuentum debetur procurarori solito locare operas suas pro modo laborum, & non pro tempore, in quo in causa nihil gestum fuit.

SVMMARIVM.

Salarium non conuentum procuratori ad lites non debetur. num. 1.
Salarium etiam non conuentum debetur procuratori, qui solitus est operas suas locare. num.1.
Salarium Procuratori debitum taxatur arbitrio Iudicis pro

pro modo laborum. num. 2.

Salarium non debetur procuratori quando in lite, & causa nihil gestum fuit. Et propterea nullam impedit operam. num. 3.

Salarium procuratori fuit in Rota taxatum ad Scuta 100. pro quolibet anno. num. 3.

DECISIO CCXCI.

1 Licet in Iure sit controuersum, an fine conuentione debeatur salarium procuratori ad lites, quia in hoc articulo videntur esse glossæ contrariæ in *l. 1. §. Aduocatos de var. & extraordin. cogn. & in l. salarium. ff. manda.* & opinionem negatiuam tenuerunt. *Bar. in dicto §. Aduocatos num. 2. Bald. & Fulgos. in d. l. salarium. Idem Bald. in l. 1. C. mand. Alexand. consil. 109. num. 3. lib. 6. Natt. consil. 376. num. 7. & 8. Gabr. de procurat. conclus. 1. num. 1.* tamen in hoc casu Domini non dubitarunt, quin R. P. D. Ioanni Baptistæ Viuez debitum fuerit salarium, quia lis fuit agitata in Curia, in qua procuratoribus salaria solent præstari, & constat esse de particulari solito R. P. D. Viuez in recipiendo, & Regni Valentiæ in soluendo salarium. Ideoque intrant decisiones in causa Oueten. Mercedis. 12. Decembris 1605. coram R. P. D. meo Coccino, & in Oscen. Salarij 21. Maij 1600. coram R. P. Domino meo Lancellotto, & sæpe in alijs causis.

2 Quo vero ad quantitatem illius salarij, quamuis etiam in iure dispositum sit, vt non excedat centum in singulis causis, *vt per glos. in dicto §. salarium. in fi. & Bald. in l. 1. num. 9. C. mand.* quæ summa quantum importet reducta ad hodiernas monetas varie tractatum est apud *Alciat. li. 3. disput. cap. 9. Budæum, de Asse lib. 5. Cuiac. lib. 19. obseruat. cap. 31.* Tamen receptum est id pendere ex iudicis arbitrio, quia salarium correspectiuum ad laborem debet taxari. *Speculat. lib. 2. disput. §. 7. num. 32. Soci. sen. consil. 196. in fi. lib. 2. Syluan. cons. 26. n. 2. & seq. Mandell. consil. 174. num. 30. in fi.* & quod salarium debetur pro modo laborum, fuit dictum in Romana Salarij. 17. Nouembris 1568. coram bo. mem. Card. Seraphino, & quod inspiciatur tempus, quo iam durauit fuit dictum in causa Toletana Mercedis 14. Maii 1568. coram Sanctæ Memoriæ Clemente Octauo tunc Rotæ Auditore, & nuper in causa Leodien. Salarii 19. Decembris proximè præteriti, coram R. P. Domino meo Pirouano.

3 In proposito autem, cum Dominus Viuez, laborem suum exhibuerit defensioni vnius duntaxat causæ, in qua duo tantum dubia dicuntur fuisse disputata, visum fuit Dominis taxari posse salarium ad rationem Scutorum centum pro quolibet anno, & considerarunt, quod non fuit transmissus de partibus ad procurationem illius causæ, sed quando fuit constitutus procurator iam residebat in Curia, vbi suam industriam, multa cum sua laude in aliorum tractatione negotiorum collocabat, vtpotè primarius, & primi nominis Curialis nondum tamen Prælatus, & illam taxationem posse fieri pro triennio, videlicet vsque ad illud tempus, in quo contra intentionem Regni Valentiæ, cuius causam dictus Dominus Viuez defendebat, fuit concessum Decthiæsentibus mandatum de manutenendo. Ab illo enim tempore cum nihil in causa gestum fuerit, & Dominus Viuez nullam impenderit operam, nullum debetur Salarium. *Bart. in l. 1. ff. de var. & extraord. cognit. Feder. de Sen. consil. 218. num. 1. & 2. bene Surd. cons. 42. num. 9. & 10. lib. 1. Socin. vbi supra. & alij passim.*

4 Non obstat protestatio Domini Viuez, quod intendebat consequi annuum salarium Scutorum 600. Nam vltra quod illa protestatio fuit solummodo intimata Syndicis, qui non habebant facultatem constituendi salarium, cum id spectaret ad Regni deputatos, vt ijdem Syndici ad aliam intimationem aliarum literarum Cambii per eundem D. Viuez directarum responderunt, adhuc dicta protestatio clarum est, quodam pro tempore præterito non potuit suffragari pro tempore futuro, quia Regnum non acceptauit dictam protestationem, neque illi consensit, sed simplicitet fuit responsum per dictos Syndicos, quod facerent id quodam deberent, ideoque non debet Regnum compelli, nisi ad solutionem illius summæ, quę de iure potest esse debita. Itaque fuit conclusum deberi salarium in Scutis trecentis in totum.

REVERENDISSIMO P. D.

LVGDVNEN.

Romana Dotis. 21. Februarij 1611.

ARGVMENTVM.

De restitutione dotis vxori facienda in casu matrici vergentis ad inopiam, quomodo inopia probatur, quomodo etiam dotis restitutio, seu assecuratio fieri debeat, & an, & ad quam rationem fructus dotis, & donationis propter nuptias isto casu debeantur.

SVMMARIVM.

Dos quando repetitur per vergentiam viri ad inopiam, talis inopia probatur per notorium, & per famam. num. 1. Vbi etiam, quod censetur probata eadem inopia eo ipso, quod maritus incipiat re sua male vti.

Dos collocari debet in tuto marito vergente ad inopiam vna cum donatione propter nuptias, vt ex eius fructibus sustentetur, tam vxor, quam maritus, quam eorum filij. num. 2. & nu. 4. & 5. Vbi quid si mulier elegit in assignatione dotis modum, quo ipsa dos assecuranda erat.

DECISIO CCXCII.

1 Domini non dubitarunt, quin vergentia viri ad inopiam sit probata sufficienter, cum notoria sit venditio Castrorum, & aliorum bonorum stabilium, ac mobilium facta per quondam Alexandrum de Aptis patrem D. Angeli, & socerum Dominæ Hieronymæ, & in hac materia collocandæ dotis in tuto propter vergentiam viri ad inopiam recipitur probatio per notorium, & per famam, iuxta tradita per *Bart. in l. si constante. num. 10. & sequen. ff. solut. matrim. Mol. de contr. disput. 429. num. 3. Felin. in c. veniens. il 1. nume. 10. de testib.* Atque iure authenticorum nouissimo sufficit, quod maritus incipiat re sua male vti. *Bart. vti supra, num. 4.* Sufficit etiam probatio inopiæ quondam Domini Alexandri, non solum quia Dominus Angelus non habet bona propria, sed etiam quia D. Alexander recepit dotem. *Bald. in l. vbi adhuc. num. 44. C. de iur. dot. Put. de communi. decis. 265. num. 2. lib. 3.*

2 Firmata inopia non est dubium, quin vxor petere possit, vt dos collocetur in tuto, & quin habere debeat tam fructus dotis, & donationis propter nuptias, quibus ad sustentamentum tàm sui ipsius, quàm mariti, & filiorum possit vti, vt est *tex. expressus in d. l. vbi adhuc. & in d. l. si constante. & l. si cum dotem. §. si vero. eod. tit. tradit late Roland. cons. 9. num. 12. lib. 1. & seqq. Socin. cons. 111. num. 8. lib. 3.* & fuit dictum in Romana Fructuum 7. Aprilis 1600. coram Illustrissimo D. Cardinali Mellino, nec valet dicere in hoc casu donationem propter nuptias fuisse promissam tantummodo in casu mortis, quia clarum est, illud pactum emanasse ad limitandam quantitatem dictæ donationis, non autem ad restringendos casus, quibus illa de iure debetur, & mentio obitus fuit facta vti casus magis certi.

3 Non est extra dubium, quin dos Dominæ Hieronymæ

nymæ fuit Scutorum viginti quinque millium. Id enim constat ex instrumento promissionis, atque etiam ex solutionibus, sed cum ex dicta summa fuerit vigore pacti matrimonialis emptus census Scutorum 2000. Domina Hieronyma non potest, quo ad illam summam petere aliud assignamentum, cum ipsa possit agere contra Dominum Antonium debitorem census, & ab illo fructus consequi. Nec obstat, quod ipsa non consenserit emptioni illius census. Nam in instrumento dotis non erat conuentum, vt ipsa deberet consentire, sed solum fuit expressum, quod Alexander teneretur dictam summam Scutorum 2000. inuestire in censu perpetuo, vel locis Montium non vacabilium, prout fecit, & quod dicitur impositionem census fuisse simulatam, esset probandum, quia non præsumitur. Deductis igitur illis Scutis duobus millibus, & vice versa additis Scutis 2500. pro donatione propter nuptias, remanet in tuto collocanda summa Scutorum 2500. & quingentorum, & ex illa summa fructus debentur Dominæ Hieronymæ.

4 Debentur autem non ad rationem Scutorum septem cum dimidio pro quolibet anno, & centenario, iuxta *Statutum Vrbis, lib. 1. cap. 157.* sed ad rationem fructuum locorum Montium. Nam in instrumento dotis fuit conuentum, vt liceret Dominis Aptis dotem, vel illius partem inuestiri in locis Montium non vacabilium pro illius assecuratione, & restitutione, & quod facto instrumento dotis contingeret ipsis, bonisque ipsorum liberatio. Præterea ipsamet Domina Hieronyma dum consentiret venditioni Castrorum factæ per D. Alexandrum dixit, se remanere cautam pro sua dote, & quarto, & iuribus dotalibus super pretio Castrorum, illudque acceptauit pro fundo, & pignore dotali. Vnde cum pretium fuerit inuestitum in tot loca Montium non vacabilium, dicitur esse contenta fructibus dictorum locorum pro concurrenti prædictæ suæ dotis, & donationis propter nuptias quantitate. Satis enim censetur adimpleta dispositio. *l. vb. adhuc.* quando dotis collocatio est super bonis talibus, ex quibus mulier possit libere fructus percipere, & se, suamque familiam alere, vt dixit *Rota decis. 472. par. 1. diuers.*

5 Maxime quando vt in hoc casu mulier elegit suam dotem assecurari in certis rebus. Tunc enim sicut quo ad illas res electas variare non potest, vt late per *Capic. decis. 46.* vbi in fine ponit, ita fuisse decisum, ita neque alios fructus petere potest, nisi illos, qui ex illis rebus percipiuntur, & quidem, cum per illam assecurationem liberati fuerint Domini de Aptis, tam ex iuris dispositione, vt per eundem. *Capic. post alios, quos allegat, decis. 78. num. 8.* quam ex facto supra relato instrumenti dotalis, non possunt esse vlterius fructuum debitores, quibus contingit sortis principalis liberatio. Atque hæc multo magis procedunt respectu creditorum, qui vltra quod possunt allegare ea omnia, quę per Dominos de Aptis competere possint, ad hunc militat pro illis æquitatis ratio, vt restituta integraliter dote Dominæ Hieronymæ, si aliquid residuum fuerit in solutionem ipsorum cedere debeat, & præter naturam est, vt fructus dotis considerari possent, vltra id, quod ex fundo, vel alia re dotali percipitur. Non obstat si dicatur, loca Montium esse vinculata. Imputet enim sibi Domina Hieronyma, quæ Castrorum alienationi cum dicto vinculo consensit, & cum in bonis Illustr. DD. de Aptis nihil reperiatur preter illa loca Montium vinculata pro concurrenti quantitate suorum iurium dotalium, & patiatur si quid superest ex dictorum locorum Montium fructibus erogari in creditores. Et ita fuit decisum.

R. P. D. VBALDO.

Augusten. Hospitalis, Lunæ 21. Februarij 1611.

ARGVMENTVM.

Sequestratio quando concedenda, iudex, seu exequutor quando præsumatur rite procedere. Appellatio quando causat attentata. Reliqua videas in Summarijs.

SVMMARIVM.

Sequestratio possessionis regulariter prohibita est. nu. 2.
Sequestratio possessionis conceditur in nonnullis casibus, de quibus. num. 3.
Possessio probata per instrumentum alio non existente in possessione suffragatur ad quoscumque effectus. num. 4.
Iudex rite, & recte procedens, potest per sententiam sua possessione possessorem priuare. num. 5.
Possessio etiam naturalis perditur per immissionem factam à Iudice, & per violentam expulsionem. num. 5.
Iudex, seu exequutor habet præsumptionem pro se, quod rite processerit. num. 6.
Iudicem non rite processisse qui allegat, probare debet. num. 6.
Negatiua vbi est fundamentum intentionis actoris, illa probari debet ab ipso actore. num. 7.
Possessio iunior præsumitur clandestina. num. 8.
Sequestratio possessionis non datur, vbi constat de possessione vnius ex partibus. num. 8.
Possessor non tenetur docere de iure suo, sed ei sufficit vincere de non iure actoris. num. 9.
Sequestrum possessionis non conceditur ad instantiam alicuius, qui non docet de iure suo. num. 9.
Tertius non attentat, nec vitium litigiosi afficit, nisi partes litigantes. num. 10.
Princeps nunquam dicitur attentare. num. 11.
Vitium litigiosi, & attentatorum tollitur per sententiam, quæ fecit transitum in iudicatum. num. 12.
Appellatio debet interponi coram iudice à quo, & non coram iudice ad quem. num. 13.
Appellatio interposita à non legitimo procuratore appellanti non suffragatur. num. 13.
Appellatio non suffragatur tertio appellanti pro suo interesse, nisi de prætenso interesse doceat. num. 14.
Inhibitio obtenta in vna causa non præsumitur attentata in alia. num. 15.

DECISIO CCXCIII.

1 FVit lata sententia per Vicarium Episcopi Augusten. contra Bernardum Gonnellam qua illum procurauit regimine, & administratione Hospitalis Beatæ Mariæ de fontibus tinctis, alias ei commissa, de quo vti vacante per dictam priuationem fuit à Sede Apostolica prouisus D. Rodulphus Auisodius Canonicus Augusten. qui vigore literarum Apostolicarum fuit etiam in possessionem immissus, sed Andreas Tillicinus, tanquam resignatarius Bernardi appellauit à dicta sententia priuatoria, tam nomine Bernardi, quam pro suo interesse, & literis etiam ipse Apostolicis expeditis eiusdem Hospitalis possessionem accepit. Quamobrem lite inter Rodulphum, & Andream exorta, & pluribus sententijs latis in partibus, tandem causa in Rota introducta fuit dubitatum, an in dicto Hospitali esset apponendum sequestrum, & Domini vtraque parte informante negatiuè responderunt.

2 Fundamentum præcipuum fuit, quia sequestratio regulariter est prohibita præsertim lite pendente. *l. vnica. C. de probiben. seques. pecu. vbi glos. Bald. num. 2.* Curt.

Curt. num. 7. Salycet. num. 4. & alij DD. cap. 2. vbi glos. in verb. sequestrari. & ibi Abb. nu. 7. & seqq. de seques. poss. & fruct. gl. in l. si fideiussor. §. vltimo. vbi Ias. num. 27. ff. qui satisd. cog. DD. in cap. locupletari. de reg. iur. in 6. & in eap. examinata. de iudic. Speculator. in tit. de sequestr. poss. & fruct. & num. 1. Paris. cons. 41. num. 17. & seqq. lib. 1. Alciat. cons. 37. nu. 8. lib. 6. Iacob. de Aren. in tract. de sequestr. nu. 21. Angel. eodem tract. num. 2. & 4. Curt. eod. tract. nu. 6. Prosdoc. de comit. in tractatu de different. iur. Can. & ciui. nu. 41. Foller. in tract. de contract. censuali. in verbo disponit. nu. 2.

3 Et permittitur tantum in nonnullis casibus, qui enumerantur *per gl. & DD. in d. cap. 2. de sequestr. poss. & fruct.* & alijs locis citatis, quibus additur vnus casus in *Clem. vnica. de sequestr. poss. & fruct. vbi Card. Vital. & alij Vestr. in praxi Rom. Cur. lib. 7. cap. 2. num. 1.* & sufficit dicere hunc casum non esse de illis, *arg. l. patre furioso. ff. de his, qui sunt sui, vel al. iure. l. obligationum §. placet. ff. de act. & oblig. & in terminis sequestri. Paris. d. cons. 41. nu. 22.*

4 Constat enim de possessione Rodulphi per publicũ instrumentum, quam alio non existente in possessione certum est, suffragari ad quoscumque effectus, vt fuit sæpè decisum, & signanter in vna Hipporigien. Cappellaniæ 3. Martij 1578. coram Cantuccio, quæ est *dec. 62. nu. 1. par. 2. in impress.* & Cosentina Parochialis 22. Iunij 1594. coram bon. mem. Card. Pamphilio.

5 Neque obstat, quod Bernardus eo tempore esset in possessione, & sic instrumentalis possessio Rodulphi non videatur suffragari, quia præterquam quod per annum antea fuerat priuatus per sententiam Ordinarij Augusten. dicto Hospitali illius possessione, à qua sententia non fuit appellatum, saltem legitimo tempore, & modo, vt infra dicetur fuit etiam responsum talem possessionem à Rodulpho fuisse captam authoritate Executoris Apostolici, qui rite, & iuste procedens quatenus immisit Rodulphum in possessionem potuit priuare Bernardum possessione dicti Hospitalis, si quam habuisset. *l. iuste possidet. vbi Bart. ff. de acquir. possess. Angel. in l. clam possidere. §. qui ad nundinas. nu. 2. in fin. & ibi Ias. nu. 20. Claud. de Seysell. & alij, ff. eod. tit. & idem Ang. in l. qui vniuersas. §. item eum Prætor. in fin. eod. tit.* vbi dicit immissionem in possessionem factam auctore prætore idem operari, quod operatur violenta expulsio, per quam perditur omnis possessio tam naturalis, quam ciuilis. *Rota dec. 802. nu. 6. & 7. par. 1. diuers. & d. dec. 62. nu. 3. & 4. par. 2.*

6 Neque obstat, quod dicitur executorem nulliter processisse non citato Bernardo, & sic non priuasse eum sua possessione, quia fuit responsum, vel quod præsumitur pro exequutore, quod rite processerit. *l. ab ea. in secundo responso. ff. de probat. l. 2. ibi, quod non arbitramur. C. de offic. ciu. iud. Alciat. de præsumpt. regul. 3. præsumpt. 10. Surd. alias adducens dec. 106. nu. 9. & cons. 39. nu. 7. lib. 1.* vel quod Rodulphus allegat suam possessionem, auctoritate executoris captam, per vtam exceptionis ad excludendum intentionem aduersarij qui est actor, & petit, apponi sequstrum super Hospitali, tanquam eius possessio sit vacua, & illa capta per Rodulphum sit nulla, non citato Bernardo, prætenso tunc possessore. Vnde ipse aduersarius, qui est actor, tenetur docere executorem nulliter processisse, vel transportare acta integra, ex quibus appareat, prętensus defectus citationis, non autem Rodulphus tenetur ostendere eum valide processisse. *Abb. in cap. conquerente. num. 8. in fin. de restitut. spol. Surd. d. cons. 39. n. 7. & seqq. lib. 1.* & fuit latè deductum in causa Asculana prædij. 27. Nouembris 1609. & 1. Martij 1610. coram R. P. D. Sacrato in causa Anconitana Spolij, de anno præterito. coram D. meo Ludouisio.

7 Cum enim negatiua sit fundamentum intentionis actoris, illam tenetur probare. *l. in illa. vbi Bart. num. 5. ff. de verb. obligat. & leg. ergo. num. 2. ff. ex quibus caus. maior. & in l. 2. num. 10. C. de iur. emphyt. Gabr. in tit. de probat. concl. 6. num. 1. Cæsar. de Grass. dec. 1. num. 1. qui fil. sint legit.* & in terminis fuit dictum in vna Lamacen. beneficij. 21. Iunij 1596. coram Reuerendissimo Pacen. cuius copia data fuit, & quod non transportatis integris actis per allegantem defectum citationis non sit probata negatiua tenet post *Corn. & Crauet. in terminis Rota dec. 636. nu. 2. & 3. par. 1. diuers.*

8 Cum igitur constet de possessione Rodulphi authoritate Iudicis capta, & possessio Tillierij, tanquam iunior præsumatur clandestina, & vitiosa. *cap. licèt causam. vbi DD. de prob. Alex. cons. 110. num. 1. lib. 1. & & cons. 76. num. 8. lib. 2. & cons. 88. num. 4. lib. 5. Rolandus cons. 9. num. 30. lib. 3. Rota dec. 27. nu. 7. & dec. 506. num. 5. par. 1. diuers. & dec. 19. num. 1. par. 2.* quam nec etiam ipse Tillierius ausus est defendere pro bona, & valida, merito Domini censuerunt denegandum esse sequestrum, quod non habet locum, vbi liquido constat de vnius ex partibus possessione. *Bald. in l. quidam existimauerunt. in fin. & ibi Iason. num. 4. vers. istud vltimum limitatur. ff. si cert. pet. Idem Bald. in d. l. vnica. sub num. 3. vers. & alia est. C. de probibita sequestratione pecuniæ. Dec. in l. fin. num. 7. C. de edict. Diui Adriani tollend. Cur. sen. cons. 60. incipit, super. per tot. Marsil. singulari 543. incipit, maleficijs. num. 3. Capic. dec. 96. num. 11. Plot. in tract. de in lit. iur. §. 3. num. 47. Menoch. de interdict. retinendæ. remed. vltimo. num. 45. Conrad. ad l. vnicam. C. si de moment. possess. limit. 16. num. 12.* & fuit dictum in vna Bobien. Iuris patronat. 12. Ianuarij 1598. coram D. meo Decano.

9 Quod eo magis habet locum in isto casu, in quo sequestrum petitur à Tillerio, qui adhuc non docuit de bono iure suo, sed solum illud petit ex non iure Rodulphi rei, & possessoris, qui tamen non tenetur docere de iure suo, sed sufficit ei vincere ex non iure actoris. *l. cogi. C. de petit. hæred. l. fin. C. de rei vendic.* & in his terminis denegandum esse sequestrum fuit resolutum in dicta Lamacen. beneficij. coram Reuerendissimo Pacen. præsertim cũ Rodulphus habeat duas sententias Canonizatorias suæ gratiæ, & reprobatorias gratiæ aduersarij vnam ab ordinario Hiporigien. alteram à Nuncio Apostolico Taurinen.

10 Non obstat, quod prætenditur prouisionem Sedis Apostolicæ in fauorem dicti Rodulphi, & possessionem ab eo captam esse attentatam, quasi captam lite pendente, vel post interpositam appellationem, & ideo reuocandam iuxta decisionem 10. vt lite penden. in nou. quia fuit responsum, quod aut attentata prætenduntur ex persona ipsius prouisi, & non adsunt, quia ipse nunquam fuit in lite, quę erat inter Bernardum Ordinarium Augustensem, coram Metropolitano, & certum est, quod tertius non attentat, nec vitiũ litigiosi afficit, nisi partes litigantes. *cap. Romana. §. in aliam. de appell. in 6. Oldr. cons. 299. nu. 3. Rota dec. 3. vt lite pendente in nou. & decis. 2. eod. tit. in antiq. Sarnen. de triennalib. q. 4. nu. 3. Fel. in cap. exceptionem. in 5. fal. de except. Mohed. dec. 10. vt lite pendente. & dec. 21. de caus. poss. & propriet. Put. dec. 74. nu. 2. lib. 2. Lancell. de attent. tit. de attent. nu. 3. & 4. & sequentib.*

11 Aut prætenduntur ex persona Pontificis prouidentis, & pari modo attentata non adsunt, quia Princeps non attentat. *Ægid. dec. 794. in fin. Rota dec. 641. num. 12. part. 1. diuers.* & eius authoritas tollit vitium litigiosi, iuxta *Clement. 1. in fin. vt lit. pend. Mohed. decis. 9. alias 292. eod. tit.* præsertim facta mentione litis, vt hic, ex qua videtur Papa voluisse disponere de beneficio, etiam vti litigioso. *Rota dec. 70. de rescript. in nou. Achil. dec. 9. eod. tit.*

12 Accedit, quod sententia priuatoria transiuerat in iudicatum, cum non esset à Bernando, nec ab eius procuratore appellatum in tempore, & sic stante re iudicata non poterat dici possessio à Rodulpho capta lite pendente, quia res iudicata tollit vitium litigiosi, & atten-

attentatorum. *Lancell.de attentatis.2.p.in tit.de attentatis lite pendente. num.213.& seq.*

13 Non obstat appellatio interposita à Tillerio, tam suo, quam Bernardi nomine, quia respondebant Domini eam pati multos defectus, tum quia non fuit interposita coram Iudice, à quo, sed ad quem, contra dispositionem *tex.in c.vt debitus.de appellat.* vbi DD. tum quia non constat de legitimo mandato Bernardi ad appellandum eius nomine. *l.2.§.1.ff. quando appelland. sit.l.1.ff.de appell. recipiendis.*

14 Nec Tillerius docuit de aliquo suo interesse, vt erat necessarium, quatenus proprio etiam nomine appellauit, vt per *Contard.ad l.vnicam.C.si de moment.poss. limitat.23.num.13.& seq.* Tum quia non fuit interposita intra decennium. *auth.hodie.C.de appell.c.Romana.§.si vero.& c.non solum.& vtrobique glos.& DD.eod. tit.lib.6.* Et licet per Informantes pro Tillerio fuerit ad hęc replicatum, tamen videbantur Dominis, quæ dicebantur, requirere altiorem indaginem, & posse discuti in negotio principali.

15 Non obstat inhibitio emanata à Metropolitano, postquam dicitur capta possessio à Rodulpho, quia illa fuit in diuersa causa, nempè in causa priuationis Bernardi, ratione ipsius delicti, & ideo non potuit causare attentata respectu Rodulphi, qui non erat in illa causa, vt supra dictum est. *Lancell.de attent.post inhibitionem.limitatione 5.* Vltra quod illa inhibitio Metropolitani, tanquam inferioris non potuit impedire executionem literarum Apostolicarum. *Alciat.consil. 48.num.8.lib.6.Lancell.vbi supra, limitatione 20.*

16 Non obstat.c.cum vos. de officio ord. quia ille tex. procedit ob specialem rationem, quia Ecclesia carebat pastore, ideo interim deputatur Oeconomus, vt ibi. Sed in hoc casu Hospitale, non caret Rectore, cum de eo fuerit prouisus Rodulphus à Sede Apostolica, & ille ceperit possessionem, vt dictum est.

17 Demum non obstat sententia Metropolitani, quia ad effectum sequestrandi requiritur sententia lata in Curia contra possessorem. *Clem.vnica. de sequestr.poss. & fructibus.* Et fuit dictum in dicta Bobien. Iuris optan. coram D. meo Decano. Ex quibus Domini censerunt non esse apponendum sequestrum, &c.

R. P. D. VBALDO.

Romana Saluiani interdicti. Lunæ 10. Ianuar. 1611.

ARGVMENTVM.

De requisitis ad hoc vt intret immissio ex Saluiano interdicto, & inde sumpta occasione discutitur an, & quando emphyteotica bona, & melioramenta in emphyteusi facta veniant sub generali bonorum hypotheca, & obligatione, & an etiam, & quando veniant sub prohibitione alienationis. Reliqua accipe ex Summarijs.

SVMMARIVM.

Instrumentum probat creditum, & hypothecam ad fauorem agentis ex Saluiano interdicto, & dicitur probata veritas. num. 1.

Hypotheca generalis extenditur etiam ad bona futura. nu.2.

Tertij periti relationi super æstimatione melioramentorum standum est, etiam quod discordet ab alijs peritis. num.2.

Saluianum interdictum datur constito de credito, & hypotheca actoris, & ex parte rei de possessione rei hypothecatæ. num.3.

Saluianum interdictum competit etiam contra tertios possessores. num.4.

Saluianum interdictum habet locum pro rebus hypothecatis. num.4.

Emphyteotica bona veniunt sub generali hypotheca bonorũ.n.5

Melioramenta facta in re emphyteotica vendi, & obligari possunt, suntque transmissibilia ad quoscumque hæredes, etiam extraneos. num. 6. & 7. Vbi hoc ampliatur etiam stante pacto, quod finita emphyteusi melioramenta cedunt vtilitati Domini directi. & num. 10. & 11. Vbi vide declarationem.

Emphyteusi finita melioramenta possunt ex pacto cedere in vtilitatem Domini directi. num.7.

Prohibita alienari non veniunt in generali obligatione bonorum. num. 8. Declara, vt ibi.

Pignoris dominium non transfertur in creditorem, sed remanet in bonis pignorantis. num.8.

Venditione prohibita, non censentur prohibiti alij contractus. num. 9.

Procurator censetur reuocatus per comparitionem Domini principalis sine clausula Citra, &c. Declara, vt num.12.

Solutio facta à debitore ex pluribus causis, censetur facta in duriorem causam. num.13.

Cessio iurium contra tertium non operatur ad fauorem Cessionarij, nisi pro rata pecuniæ habitæ. num.14.

Debitor soluens de suo pecunias anteriori creditori, non succedit in locum ipsius, quia potiùs dicitur liberare se à debito, quam succedere in credito dicti anterioris creditoris. nume. 5.

DECISIO CCXCIV.

1 Franciscus Iunctinus domum quandam à venerabili Anglorum Collegio in Emphyteusim ad tertiam generationem obtinuerat, eius filius Augustinus anno 1588. Custos pignorum à Sacro monte Pietatis de Vrbe electus fideiussorem de recta administratione, & custodia dederat pro summa Scutorum quinque millium, D. Hieronymum de Comitibus, Abbatem Sancti Gregorij pro cuius indemnitate se obligauit in forma Cameræ, & cum hypotheca omnium bonorum. Anno 1593. prædictum Collegium præfatam domum ab eodem Augustino magnopere meliorata retraxit in vim Bullæ Iuris congrui. Mox anno sequenti Augustinus sentiens se debitorem montis in ingenti Summa ab Vrbe recessit, & D. Dux de Comitibus Abbatis fideiussoris hæres à monte conuentus Scuta quinque millia, ad quam summam Abbas intercesserat, soluere coactus fuit, pro quorum recuperatione intentauit contra Collegium possessorem dictæ domus, & melioramentorum ipsius iudicium Saluiani interdicti, & causa in Rota introducta sententiam fauorabilem reportauit, & rursus de partium consensu mihi commissa proposui dubium, An sententia Rotalis esset confirmanda; & Domini affirmatiue responderunt, quia de credito D. Ducis, & hypotheca super omnibus bonis Iunctini constat ex publicis instrumentis in Summario Dominis Ducis. *num.1.& 3.* quæ probatio per instrumenta dicitur probata, & veritas apparens. *Bald.in l.quoties.in fin.C.de iudic.& in c. consuluit.num.12.de offic.deleg. Osasc.decis.72.num.4.Tiraq.de retract.consang.§.2.glos.1.num. 20.& seqq.* Et fuit dictum in Romana Saluiani 13. Ianuarij 1603.

2 Et hypotheca illa generalis extenditur ad bona etiam futura. *l.fin.C. quæ res pig.obl.poss.* & sic ad melioramenta postea per Iunctinum in domo facta, de quorum æstimatione constat ex relatione tertij periti, qui retulit melioramenta ascendere ad summam Scutorum 2340. cui relationi standum est, etiam si discordet ab alijs duobus electis. *gl. in l. item si vnus.§ principaliter. in verbo auctoritati. in fin. & ibi Bald.in §.iusf. de arbitr. Specul.in titu.de arbitr.§.sequitur.nu.19. versi.sed numquid stabitur, &c. Socin.consil.54. col.2.vers.tertius, & vltimus casus. lib.1. Io.Garz. in tract.de expens.& melior.c. 24. in princ.* & dictam approbationem approbauit Rota in hac causa 11. Ianuarij 1610. coram R. P. D. meo Manzanedo.

3 Con-

3 Constat etiam de possessione Iunctini dictæ domus cum melioramentis vsque ad annum 1593. quo anno illam vendidit Collegio pro Scutis duobus millibus, & sic cum constet de duobus extremis in Saluiano, quæ sunt creditum cum hypotheca ex parte actoris, & possessio conuenti tempore obligationis, vel postea ex parte rei conuenti negari non potest, quin intret vtile Saluianum ad fauorem Ducis. *Bart. in l. 1. nu. 3. ff. de Saluiano interdicto. glos. in l. 1. C. de precario, & Salui. interd. & ibi Bart. in l. rem alienam. vbi Bart. sub num. 5. ff. de pign. act. Alex. consil. 185. sub num. 4. lib. 6. Roland. consil. 14. num. 13. lib. 1. Negusan. de pign. par. 8. memb. 3. nu. 19. Menoch. de adipis. remed. 3. quæst. 29. num. 160. & sequentib.* & fuit dictum in Romana Salui. 25. Iunij 1599. coram R. P. D. meo Pegna, nunc Decano. Et in d. Romana Salu. coram Litta, & alias sæpissime.

4 Sicuti etiam constare dicitur de possessione Collegij, quod successit Iunctino, vt patet ex sustentatione litis, neque à partibus controuertitur, & certum est Saluianum competere contra tertios possessores. *d. l. 1. ff. de Salui. n. interd. glos. in d. l. 1. C. de precario. & Salu. interdicto. Negusant. loco citato. Menoch. d. rem. 3. num. 57. Put. decis. 207. num. 2. lib. 1.* & fuit dictum in Fauentina legati. 24. Nouembris 1589. coram Illustrissimo Cardinali bonæ memoriæ Pamphilio. & in d. Romana Sal. coram Domino meo Decano, & de communi Rota coram Cantuccio, *decis. 34. num. 24. par. 2. in impress.* sicut nec etiam dubitatur, quin Saluianum habeat locum pro rebus hypothecatis, vt fuit dictum in Romana Saluiani. 8. Iunij 1601. coram Reuerendissimo Domino meo Attrebaten.

5 Quibus ita stantibus motiua partis aduersæ videbantur Dominis non obstare. Primò, quod in generali obligatione bonorum non contineantur bona emphyteutica. *Surd. decis. 160. circa princ.* & sic domus prædicta non comprehendatur sub generali obligatione bonorum facta per Iunctinum ad fauorem Ducis, quia fuit responsum, contrarium esse verius, vt sentit *glos. in l. fin. in verb. alijs. C. de iur. emphyteut. & ibi Salycet. num. 9. & Ias. nume. 78. Negus. de pign. 2. memb. secundæ partis. princ. num. 28. & seq. Clar. in §. emphyteusis. q. 28. in fin. Gabr. in titu. de reg. iur. conclus. 12. nume. 17. & seq.* de communi Rota coram bonæ memoriæ Cardinale Lancellotto, in Romana, Domorum. 3. Iunij 1577. *decis. 426. num. 6. par. 1.* inter impress. & id dicitur esse in confesso, in dicta Romana vineæ coram Cardinale Seraphino.

6 Sed cessat omnis difficultas, quia D. Dux non agit ad domum, sed ad melioramenta, quæ non erant emphyteotica, sed propria ipsius Iunctini durante emphyteusi, & quę vendi, & obligari poterant, erantque transmissibilia ad quoscunque hæredes, & successores etiam extraneos. *Clar. in d. §. emphyteusis. quæst. 45. & in §. feudum. quæst. 88. Bero. in c. potuit. num. 52. de locat. Paris. consi. 28. nume. 1. & seqq. libro 3.* & quod possent hypothecari expresse, tenet *Gozad. consil. 20. in fin. post Specul. in §. nunc aliqua, vers. 131. de emphyt.* & fuit dictum in Romana Casalis, Marcigliani, 19. Iunij 1587. coram bonæ memoriæ Cardinale Seraphino.

7 Neque dicatur dicta melioramenta, cum omnia cedere deberent in vtilitatem Collegij finita emphyteusi, nec essent reficienda, vt in instrumento emphyteusis continetur, censenda esse emphyteotica, & ideo non potuisse obligari, quia vltra quod responsio apparet, ex prædictis fuit etiam responsum, quod licet valeat pactum, vt finita emphyteusi melioramenta pertineant ad Dominum directum absque alia satisfactione. *Ias. in l. 2. num. 28. C. de iur. emphyteu. post Bart. in l. iubemus. 2. §. sane. num. 2. C. de sacrosan. eccles. Valasc. in quæst. emphyt. quæst. 25. nume. 18.* cum alijs allegatis pro Collegio non tamen sequitur ea dici emphyteutica, cum durante emphyteusi sint propria emphyteutæ, vt nemo dubitat, & supra dictum est.

8 Secundo principaliter non obstat, quod domus prædicta, & iura ipsius, & sic melioramenta fuerint prohibita alienari, & ideo non veniant in generali obligatione bonorum, ad not. per *Bart. in l. codicillis. §. instituto. nume. 5. ff. de leg. 2. cum alijs per Rotam d. decis. 426. numer. 5. par. 1.* & fuit dictum in Romana Vineæ, coram Cardinale Seraphino, cuius copia data fuit, quia respondebant Domini, domum non fuisse prohibitam alienari, sed tantum tradi, & transferri, vt ex lectura instrumenti apparet, & sic non fuit prohibita hypotheca, quia per pignus non fit translatio, cum remaneat in bonis pignorantis. *l. pignus. C. de pignor. act. & ita in materia. l. fin. C. de iur. emph.* respondet ibi *Ias. num. 82. Neguss. de pign. d. membr. 2. secundæ par. nume. 29. & post alios Rota d. decisio. 426. nu. 7. par. 1. diuers.*

9 Item fuit prohibita venditio cuius appellatione non venit proprie hypotheca, vel obligatio, vt probat. *tex. in l. si pupillorum. §. si prætor. ff. de reb. eorum. & tradit Rebuff. in l. alienationis. vers. itaque regula. ff. de verb. signific.* & quod prohibita venditione non censentur prohibiti alij contractus. *Franch. in c. vnico. col. 1. de excess. Prælat. in 6. & post eam. Rebuff. loco citato. versic. 4.* prohibita præterea prohibitio illa circa iura domus non intelligitur de melioramentis, quæ non sunt iura domus, sed iura emphyteutæ, transmissibilia ad quoscunque successores, vt supra dictum est.

10 Non obstat decisio Seraphino in illa Romana vineæ, quia ibi res emphyteutica, & etiam melioramenta erant expresse prohibita alienari, & etiam hypothecari.

11 Tertio non obstat, quod melioramenta facienda per Iunctinum ad summam Scutorum 200. vel ad aliam etiam notabilem summam ascendentia, deberent omnia pertinere ad Collegium, absque aliqua detractione, vt legitur in instrumento. Quia fuit responsum, hoc esse intelligendum, si domus rediret ad Collegium, vel ob culpam emphyteutę, vt cauetur in posteriori parte instrumenti, vel ob lineam finitam. Sed in proposito casu domus est reuersa ad Collegium cum melioramentis non tanquam ad dominum directum, sed tãquam priuatum, ex titulo emptionis, quo casu debet Collegium illam habere cum onere hypothecæ impositæ per Iunctinum, super dictis melioramentis prout bene tradit, & distinguit. *Guido Papæ dec. 575. Iacob. de Sancto Georg. in inuest. feud. §. quod quidem inuestiti. num. 62. vers. ad argumenta. Boer. decis. 181. num. 6. & 7. Osasc. decis. 156. num. 14. vers. non obstat.*

12 Quartò non obstat allegata nullitas sententiæ Rotalis, tanquam latæ ad fauorem procuratoris D. Ducis, qui tamen censebatur reuocatus per comparitionem factam ab ipso Duce sine clausula Citra, &c. ad notat. per *Bart. in l. qui mutuam. §. non ideo minus. ff. mand. quia respondebatur*, quod dicta comparitio fuit facta in diuersa causa, & coram alio Iudice, & inter ipsum Ducem, & montem, & fuit simplex declaratio animi ipsius Ducis, qua non poterat fieri, nisi ab ipso Duce, qui declarabat nolle molestare Collegium pro Scutis mille solutis monti, quo casu non censetur reuocatus procurator. *c. si quem. in fin. de proc. lib. 6. Bart. in l. mutari. sub nume. 5. ff. de proc. Doct. decis. 22. & 31. eod. tit. in antiq. Felin. in c. ex parte 3. num. 27. versic. & nota. de rescript.* Vltra quod comparitio non fuit facta præsente procuratore, quo casu non censetur reuocatus. *Bart. in d. l. mutari. sub num. 5. vers. si vero interuenit. Alex. cons. 61. sub num. 3. versic. quia ad hoc. lib. 5. Add. ad Guido Papæ decis. 40. in litera B. in fine.*

13 Quintò non obstat cessio facta à monte Pietatis ipsi Collegio, per quam Collegium videtur succedere in locum montis, & consequenter cum hypotheca per Iunctinum facta ad fauorem montis sit anterior hypotheca ad fauorem Ducis, videtur excludi hypotheca Ducis, & per consequens cessare Saluianum cessante

stante hypotheca, quia fuit responsum, Primo, quod imo quo ad dicta melioramenta si ea reperirentur penes montem, non posset euitare quo minus de his satisfieret ipsi Duci, quia cum essent in bonis ipsius Iunctini ea debent cedere in causam fideiussionis, tanquam in duriorem causam, & sic in extinctionem debiti præcedentis, ex causa fideiussionis facta per D. Ducem pro Iunctino, & consequenter ex promissione releuationis inde secuta. *l. cum ex pluribus ff. de solut.* & fuit dictum in hac causa 1. Iunij 1609. coram Domino meo Manzanedo, in fine decisionis.

14 Secundo, quod cessio iurium non operatur contra tertium, nisi pro rata pecuniæ habita. *l. qui à debitore. ff. qui potior. in pig. habeantur.* Ideo cum mons cedens habuerit à Collegio Scuta tantum mille, ista cessio non potest operari contra D. Ducem, nisi pro dictis Scutis mille, præsertim stante cessione taxatiue limitata ad dicta Scuta 1000. Et ita fuit resolutum, 12. Nouemb. præteriti coram Domino meo Manzanedo.

15 Tertio, quod vbi debitor soluit de sua pecunia anteriori creditori, non succedit in locum ipsius, quia potius est liberatio à debito, quam successio in credito. Ita tradit *gloss. in 3. memb. suæ distinctionis. in l. 1. in verb. non accepisse. C. de his, qui in prior. cred. loc. succed.* Et isto casu Collegium soluit monti, tanquam debitor, cum successerit Iunctino, qui erat principalis debitor montis. Atque ex his fuit resolutum, sententiam Rotalem esse confirmandam, &c.

R. P. D. VBALDO.

Mediolanen. Bonorum. Veneris 25. Februarij 1611.

ARGVMENTVM.

De probatione confinium multa notanda, de quibus in Summarijs.

SVMMARIVM.

Status controuersiæ ad hanc decisionem proferendam narratur. num. 1. 2. & 3.

Agens ad bona, vti ad ipsum spectantia, debet probare, quæ, & quanta sint illa bona spectantia. num. 4.

Dispositio per quam quis concedit, quicquid iuris habet in aliqua re, non valet nisi specifice appareat de iure concedentis. num. 4.

Instrumentum sine signo, & subscriptione Notarij nondum esse in forma probanti. num. 5.

Confines enunciati in instrumento non probant contra tertium, præsertim si vnicum sit instrumentum. num. 6.

Enunciatiuæ plures in pluribus instrumentis repertæ in antiquis probant contra tertium, secus vnica tantum enunciatiua. num. 6.

Instrumenta duo, quæ habent originem ab eisdem personis, habentur pro vnico instrumento. num. 7.

Confinium probatio requirit demonstrationes speciales, quæ non possint alijs bonis conuenire. num. 8.

Identitas confinium probatur per duas demonstrationes. Declara, vt num. 9.

DECISIO CCXCV.

1 Alias de anno 1303. die 4. Febriarij Præpositus S. Laurentij Ordinis Humiliatorum Cœnobij Mediolanen. Diœcesis emit à Maffeo de Sessa fundum, siue petiam terræ in Territorio Ranchi, certis confinibus designatam, prout in instrumento latius continetur. Post octo dies à die prædictæ emptionis idem Præpositus eandem petiam ijsdem omnino finibus repetitis coram eodem Notario locauit, seu de ijs inuestiuit nomine ficti Minellum quendam, Martinum, & Donatum.

2 Post centum quinquaginta quinque annos, videlicet ann. 1458. Præpositus eiusdem Monasterij inuestiuit Thadeum procuratorem Philippi Borromei de possessione, siue fictalitia Ranchi ad nouem futuros annos, & eodem titulo locationis nouennalis inuestiuit de anno 1468. Comites Ioannem, & Vitalianum fratres de Borromeis Philippi filios de possessione, siue massaritio sito in Territorio de Rancho, & anno 1494. eodem titulo de tota possessione, & bonis de Rancho inuestiuit eundem Comitem Ioannem; & demum de anno 1551. Præpositus eiusdem Ecclesiæ eodem titulo locationis nouennalis inuestiuit de tota possessione de Rancho Comitissam Coronam matrem, & tutricem Comitis Ioan. Baptistæ Borromei, prout hæ omnes inuestituræ continentur latius in Summario dato pro parte Præpositi. *nu. 2. 3. 4. 5. & 6.*

3 Ceterum anno 1577. bona prædicti Ioannis Baptistæ peruenerunt ad manus Comitis Francisci Borromei, inter quem, & Præpositum Varisij successorem in dicto Monasterio orta controuersia super dictis bonis locatis, & post mortem Comitis Francisci introducta contra Cardinalem Carolum, Comitem Renatum, & Federicum de Borromeis, & nonnullis sententijs latis in partibus.

4 Tandem causa commissa in Rota, fuit datum dubium coram bo. mem. Iusto, An constaret de identitate petiæ terræ Ranchi, de qua supra, quo pluries disputato, nec resoluto, tandem die 25. Februarij huius anni 1611. coram me, Domini partem negatiuam amplexi sunt; Fundamentum decisionis fuit, quia in dictis locationibus factis DD. de Borromeis ab anno 1458. ad annum 1551. non exprimuntur aliqui fines, sed simpliciter fit concessio de possessione, seu massaritio Ranchi spectan. ad Monasterium. Vnde Prepositus, qui agit ad illa bona, tenetur probare quæ, & quanta sint illa bona spectantia ad Ecclesiam. *l. Titius hæres. ff. de act. empt. l. cum seruo. §. vlt. vbi gloss. ff. de contrahen. empt. Bart. in l. si sic. §. 1. num. 14. ff. de leg. 1. Alex. consil. 187. num. 8. lib. 2.* vbi quod non valet dispositio, per quam quis concedit quicquid iuris in aliqua re habet, nisi specifice appareat de iure concedentis, & sequitur *Rolan. consil. 2. num. 17. lib. 3. Brun. consil. feud. 1. num. 3. Natt. consil. 514. num. 30. & 31. lib. 3.* Et fuit dictum in vna Papien. bonorum 5. Martij 1599. coram R. P. D. meo Decano, & in vna Asten. feudi 27. Aprilis 1584. coram Bubalo.

5 Non obstat instrumentum emptionis anni 1303. in quo designantur confines petię controuersæ, videlicet, A mane Territorium Opponij, vt est terminatum; A meridie Territorium Angleriæ; A sero Lacus; A monte via, quæ diuidit Territorium Ranchi à Territorio Opponij, cum culmine, & monte, & sicut pluit culmen versus meridiem; Quia omisso, quod dictum instrumentum non videtur esse in forma probanti, cum sit sine subscriptione, & signo Notarij ad not. per *Put. decis. 440. lib. 2. Alex. consi. 41. num. 3. lib. 1.* respondebant Domini.

6 Primò enunciatiuas dicti instrumenti non probare confines contra tertium. *gloss. in l. cum aliquis. in verb. ex hoc, & ibi Bartol. num. 2. Castr. num. 6. C. de iur. delib. Abb. cons. 62. num. 11. lib. 2.* præsertim cum sit vnicum instrumentum, cuius enunciatiua non probat etiam in antiquissimis. *Aretin. in c. cum causam. num. 22. & ibi Felin. nume. 4. de prob. Socin. consil. 194. num. 9. lib. 2.* Et ratio est, quia ex talibus enunciatiuis si sint plurium instrumentorum probatur communis opinio, quæ tamen vnius dicto non probatur. *Bal. in d. l. cum aliquis. C. de iur. delib. Socin. loco citato, & idem sensit Alex. consi. 12. col. 2. vers. quia respondeo. lib. 4. Ruin. consil. 42. num. 9. lib. 4. Natt. consil. 672. nume. 39. lib. 4. Crauett. de antiq. temp. 1. par. versic. ampliatur. num. 7. Hieron. de Mont. in tractat. de finib. c. 60. num. 9. Rota decis. 268. numer. 6. p. 1. diuers.*

7 Et

Et quamuis hic videantur duo instrumenta, vnum emptionis, alterum locationis eiusdem petiæ terræ cum eisdem confinibus: Tamen cum habuerint originem ab eisdem personis, habentur pro vno. *Socin.d. consil.194.num.9.lib.4.Crauet. loco citato. num.17. Felin.vbi supra.num.4.Hieron. de Mont.vbi supra.num.10.*

8 Secundo respondebant confines prædictos non verificari, vel non releuare, nam ex quatuor finibus supra designatis, vnum erat Territorium Angleriæ à meridie, & hoc pro parte Præpositi admittitur non verificari; Alterum erat à monte via, que diuidit Territorium Opponij à Territorio Ranchi, sed hoc non verificatur, quia via, que in planta designatur non diuidit hæc Territoria, nisi in quodam paruo angulo à parte superiori, vt fatentur Informantes pro Preposito, quod non videtur sufficiens, cum hic finis fuerit assignatus, tanquam vnus ex principalibus pro vno latere. Remanent igitur duo fines Lacus à sero, & Territorium Opponij, & hic etiam controuertitur, sed omni casu videbantur Dominis nimium generales, intra quos continetur multo maior quantitas bonorum, quam sint istâ controuersa, vt apparet ex visione plantæ, quæ data fuit, & tamen ad proban. identitatem requiruntur probationes, & demonstrationes speciales, quæ non possint alijs bonis conuenire. *Rum. cons.30. num.6. lib.1. Roland. cons.98. num.24.lib.3.* & fuit dictum in causa Romana Castri Orciani. 1. Aprilis 1591. coram bon.mem. Orano, & alias sæpe. Vltra quod non omne id, quod continetur intra fines descriptos præsumitur emphyteuticum, vt tenuit Rota in dicta Asten. feudi coram Bubalo, & in dicta Romana Castri Orciani coram Orano, & in Ciuitatis Castelli Bonorum. 4. Iulij 1590. coram bo.mem. Cardinale Pamphilio.

9 Et licet regulariter duo fines sufficiant ad proban. identitatem, iuxta doctr. *Bart. in l. demonstratio. in 7. quæst. nume. 14. ff. de cond. & demonstr.* Tamen non videtur in casu isto regulæ esse locus, stante incertitudine, & generalitate istorum confinium, vt fuit dictum in dicta Ciuitatis Castelli, præsertim quia hic fuerunt expressi quatuor confines, vti æque principa. les, quo casu, si duo non conueniant rei, de qua agitur, & alijs bonis applicentur, non habere locum illam regulam tradit post *Paul.de Castr. in l.in Testamento quidã. ff. de condict. & demonstr. Alexand. in addit. ad Bar. in d. l. demonstratio. & ibi Card. Alban. in annot. & idem Alex. consil.73. num.7. & 8. lib.3. & consil.38. num. 5. l.5. & in l. si in nomine. sub nume. 2. versic. sed si essent. C. de testam. Surd. qui alios allegat consi.235. num. 19. lib.2.*

10 Aliæ etiam demonstrationes adductæ ad ostenden. identitatem terrarum, videlicet Camporum, vinearum, pratorum, & nemorum in Monte, & plano cum culmine, & monte cum domibus, & Contracta, visæ sunt laborare eodem vitio generalitatis, & incertitudinis.

11 Et videbatur cessare difficultas, quia DD. de Borromeis ostendunt intra fines descriptos se possidere alia bona aliunde acquisita, & adsunt etiam alia ab alijs particularibus personis possessa, in quibus Præpositus prætendere non potest. *Decian. consil. 33. num. 53. lib.1.* & fuit dictum in dicta Asten. feudi, coram Bubalo.

12 Ex quibus Dominis non videbatur constare de identitate dictæ petiæ terræ, quæ tamen concludenter debebat probari per Præpositum in ea fundantem intentionem suam. *Aym. consi.112. num.6. & consil.198. nume.4.* & fuit dictum in dicta Romana Castri Orciani coram Orano.

REVERENDISSIMO P. D. ATTREBATEN.

Calciaten. Coniudicum. Veneris 25. Februarij 1611.

ARGVMENTVM.

Portionarij non dicuntur esse de Capitulo nisi contrarium Statuto cautum fuerit, vel consuetudine seruatum.

SVMMARIVM.

Canonici soli de iure communi faciunt cum Episcopo Capitulum, & vnum corpus. num.1.

Canonici soli faciunt vnum Capitulum cum Prælato. num.2.

Portionarij non dicuntur esse de Capitulo. num.3.

Prælati habentes in omnibus vniuersalem iurisdictionem, non dicuntur esse de Capitulo. num.4.

Portionarij dicuntur de Capitulo sic suadente Statuto, vel consuetudine. num.5.6.& 9.

Portionarij, quod dicantur de Capitulo probatur, quando constat, quod interfuerunt actibus Capitularibus collationum, & aliarum rerum, quæ solis Capitularibus competunt. num.7.

Portionarios esse de Capitulo probatur per confessiones Canonicorum, & per sententiam. num. 8.

DECISIO CCXCVI.

1 Die 24. Aprilis, anno 1606. pro maiori parte in hac causa decisum fuit, Portionarios Ecclesiæ Calciaten. non habere vocem passiuam, ita vt possent eligi in Coniudices secundum dispositionem *Sacri Concilij Tridentini sess.25. c. 6.* de reformat. Postea vero sæpius proposito dubio, an esset à decisione recedendum, Domini ordinarunt, vt seorsim discuteretur, an portionarij essent vere de capitulo, vel haberent solam vocem in capitulo, quo proposito dictum fuit simpliciter portionarios esse de capitulo reseruato effectu suo tempore examinando, an scilicet possint eligi in coniudices, non obstantibus fundamentis dignitatum, & Canonicorum, videlicet, quod de iure soli Canonici constituunt capitulum, & vnum corpus cum Episcopo, vt in c. nouit. &c. quanto. de his, quæ fiunt à Prælat. *Innoc. in c. 2.* & ibi communiter trad. de institut. *Abb.in c.scriptum.num.4. de elect. Dec.in c.eam te.in 2.not. de rescript.* & fuit sæpe à Rota decisum, vt in Gerunden. Anniuersariorum. 26. Ianuarij 1576. coram bo.mem. Cæsare de Grass. quæ est quarta, de his, quæ fiunt à maior. *part.Capituli.num.6.* & Salamantina Optionis 18. Maij. eodem anno, coram fel.record. Clemente VIII. tunc Rotæ Auditore, quæ est 411. *par.1. diuers.*

2 Et semper fuit tentum in Curia Romana, quod soli Canoni faciant capitulum cum Prælato. *Compostel. in c.1. de elect.& Io. Andr. in c.ex eo.num.5.eod.tit.lib.6.Io. Franc. Pauin. in tract. de offic. & potest. capituli Sedes vacante. in 5. præludio. numer.4. Rebuff.super concord.in.tit.de regia nominatione ad prælaturas.*

3 Et in specie, quod portionarij non sint de Capitulo est *gloss.in cap.penultimo. in verbo Assisios. de cleric. non residen. vbi Butr.num.8. Abb. num.9. in fine.* Idem *Abb.in c.1. num.11. de election. & in cap. cum dilecti. in 1. notabili. de maior. & obed. per cap.dilectam. vbi gloss.1.post princ.* de ecess. & fuit dictum in præallegatis causis coram Cæsare de Grass. *num.5. &* Clem. VIII.

4 Quin etiam Prælati habentes vniuersalem, in omnibus tamen non dicuntur esse de capitulo. *gloss.notab. in Clemen.vt hi qui.super vers. in eisdem.de ætate, & qualit. & in Clemen.vt professores.vbi gloss.in verbo inibi.de regul. Geminian.in c.finali, nume.5. vers.in dubio. de præbend. lib. 6.quem ibi sequitur Franc.num.5.per text. in c. post electioni. & ibi glos.in verb. ordinationem. de concess. præben.* Et pro hoc

hoc facit declaratio Illustrissimorum Sacri Concilij Tridentini Interpretum, qui consulti responderunt die prima Septembris 1588. Portionarios non comprehendi nomine Capituli, si habeant solam vocem in capitulo, atque ita fuit resolutum in Rota, in causa Calaguritana fructuum, 1. Iunij 1587. coram bo. mem. Bubalo.

5 Attamen Domini in proposito contrariam sententiam amplexi sunt. Etsi enim soli Canonici constituunt Capitulum, tamen portionarij, vel alij beneficiati stante Statuto, vel consuetudine possunt effici de Capitulo. *Compostell. in d. c. 1. vers. & hoc est verum. de elect. Geminian. post Imol. in c. final. num. 5. vers. aut quærimus. & ibi Franc. num 6. de præbend. in 6. Abb. in d. c. scriptum. num. 4. de election. & in c. cum olim. num. 8. & Felin. num. 4. de senten. & re iud.* fuit dictum in Gadicen. portionis. 2. Februarij 1582. coram bo. mem. D. Lauretano, *quæ est 713. num. 5. par. 1. divers.* & in Calaguritana iuris votandi. 27. mensis Februarij 1595. coram bon. mem. Orano, & in eadem 25. Maij 1597. coram eodem Orano.

6 Extat autem statutum de anno 1435. quo Ecclesia Calaguritana, & Calciaten. inter se erant vnitæ, in quo fuit constitutum, quod in illis tantum 40. essent Canonici, & 20. Portionarij integri, ita quod omnes isti vnum Collegium, & vnum Capitulum censeantur. Dissoluta vero vnione conditum fuit aliud Statutum, quod non tam de nouo disponere, quam declarare videtur antiquū statutum, videlicet, quod octo portionarij eandem habent obligationem, quam Canonici, & quod habent votum in Capitulo in electionibus, & in omnibus alijs rebus, & sedes suas post Canonicos. Consuetudo probatur ex testibus deponentibus de communi reputatione, & de interuentu portionariorum in omnibus actibus Capitularibus, vna cum Canonicis, & quod inter ipsos, & Canonicos non adest aliqua differentia, nisi respectu obuentionum.

7 Item probatur ex infinitis actibus Capitularibus collationum, & aliarum rerum, quæ solis Capitularibus competunt, ex quibus actibus cognosci potest quo iure interfuerint. *Anchar. cons. 422. numer. 2.* & ex illis probatur, quod sint de Capitulo. *Bar. in d. l. 1. §. hoc interdicto. nu. 1. ff. de itiner.* actuque priuato, vltra quod in huiusmodi actibus recensentur Canonici, & Portionarij, & subiungitur, quod faciunt vnum Capitulum, qui actus cum facti sint scientibus, & patientibus illis non præiudicant.

8 Accedunt geminatæ, & sæpius etiam repetitæ confessiones ipsorum Dominorum Canonicorum etiam iudiciales, & sententia Reuerendissimi Domini Metropolitani in fauorem Dominorum Portionariorum lata ad instantiam Capituli.

9 Postremo, quod ad Ecclesiam Calaguritanam alias, vt dictum fuit, cum hac Calciaten. vnitam per decisiones, sententias, & literas executoriales, firmatum fuit, Portionarios esse de Capitulo stante prædicto Statuto cum obseruantia, & tamen in illis causis non dabantur tot actus Portionariorum, vt in præsenti, ex quorum exercitio non tantum infertur vis vocis, quam vis ipsius Capituli, vt fuit firmatum in alijs pluribus causis præallegatis, & responsum ad doctrinam. *Geminiani in dicto capit. finali. num. 5. in fine. de rescript. in 6.* Et ita fuit resolutum.

REVERENDISSIMO P. D.

LVGDVNEN.

Comen. Habitus. 4. Martij 1611.

ARGVMENTVM.

Nobilitas numquid amittatur per assumptionem Notariatus, & quæ requiratur nobilitas in Equitibus Hierosolymitanis.

SVMMARIVM.

Statutum non dicitur esse contra ius, vbi non datur lex, vel Canon contrarium disponens. num. 1.

Nobilitas an amittatur per assumptionem Notariatus, num. 1. & seqq. & per totam.

Notariatus officium vile est, & multis fuit administratum per publicos seruos. num. 2. & 3.

Nobilitas quæ requiratur in Equitibus Hierosolymitanis. nu. 4. & 5.

Dispositio omnis regulariter accipitur de iure generali, & vniuersali, non autem de speciali, & locali, num. 5.

Nobilitas in certo loco, in alio loco non habetur pro nobilitate, & quid isto casu operetur nobilitas, num. 6.

Honesta persona, quæ non sit, & quæ vilis iudicis arbitrio remittitur. num. 7. & 8.

Mercatores an dicantur personæ nobiles. num. 9. & 10.

DECISIO CCXCVII.

1 EXistimauerunt Domini, exceptionem Notariatus obstare Domino Ioanni Antonio, quia licet ex probationibus per ipsum factis decisum fuerit, constare ipsum descendere ex nobilibus sanguine, nomine, & armis, tamen cum etiam constet auum, & patrem ipsius fuisse Notarios, remanet quidem probata nobilitas, sed cum qualitate, quæ illam inficit, quo ad istam receptionem in fratrem militem Hierosolymitanum. Statutum enim Religionis est clarum, vt quis patre, aut auo Scriba, vel Notario, aut Tabellione publico natus fuerit, minime in ordine pro fratribus militibus admittatur, & verius est dictum statutum non esse contra ius, quia non datur lex, vel Canon vbi contrarium disponatur. *Puteus decisione 23. num. 1. lib. 3.*

2 Quamuis enim controuersa admodum sit illa quæstio, an Notarius præiudicet nobilitati, tamen negari non potest, quin Doctores quamplurimi tenuerint, huiusmodi officium esse vile, vt notatur *in l. vniuersos. C. de decur. lib. 10. Angel. consil. 284. lib. 1. Boer. decis. 222. num. 8. Afflict. super Constit. Regni. libr. 3. rubrica 53. num. 15.* & alij passim, & multis annis fuit administratum per seruos publicos, donec per *l. penult. de Tabell. lib. 10.* id prohibitum fuit, vt notarunt *Brisso. lib. 17. de verborum significat. & Cuiac. in Paratillis. C. de seru. Reip. manumiss.* quicquid in contrarium dixerit *minus rectè Tiraquell. capit. 30. num. 9.*

3 Immo non desunt qui tenent nobilem vbi cœperit exercere officium Notariatus, perdere subito nobilitatem, & ita fuisse iudicatum in Senatu Delphiniali dicit *Boer. decis. 90.* ibique Add. sequitur. *Aymon. consil. 163. num. 4. Tiraquel. de nobilitat. cap. 30. num. 9. & alij per Guttier. libr. 1. pract. quæst. 137. numer. 14.* vbi tamen ipse adhæret opinioni contrariæ, *& gloss. in cap. sicut. ne cleric. vel monachi.* dicit, Notariatum in illo Textu interdictum esse Clericis constitutis in sacris Ordinibus, quia est quædam species negotiationis, & sic possent contra Notarium habere locum interpretatiue, quæ dicuntur de ignobilitate mercatorum.

4 Igitur cum versemur in religione militari nobilissima, quæ generosæ nobilitatis consuetudinibus fauet, non debet videri durum, vel inconueniens, quod stante ignobilitatis opinione emanauerit Statutum exclusiuum eorum, qui à quibuscunque Notarijs descendunt, quantumuis aliquibus in locis, & iuxta aliquo-

quorum Doctorum opinionem Notariatus non præiudicet nobilitati. Est enim considerandum, quid in ista Religione requiritur, in primis nobilitas illa debet intelligi secundum conditionem statuentium, vt per *Surd. conf. 453. num. 9. Card. Mant. de coniect. vltim. volunt. lib. 3. tit. 5. num. 7. Decian. conf. 2. nu. 42. vol. 2. Castr. conf. 107. nu. 2. lib. 2.*

5 Vnde cum statuentes collecti sint è primaria Catholici Orbis nobilitate, qualitas illa per statutum ipsorum requisita debet esse talis, quod vbique locorum pro nobilitate habeatur, sicuti & omnis dispositio regulariter accipitur de iure generali, & vniuersali, non autem de speciali, & locali. *Bald. in l. vrbe. in fin. ff. de statu homin. Syluan. conf. 1. nu. 34. Ruin. conf. 200. num. 19. lib. 1. Iason. in l. si is qui pro emptore. nu. 300. de vsucap.* Ita quod non sine ratione declarauerunt filios & nepotes Notariorum non esse admittendos, quia multis in locis habetur opinio, nobilitatem denigrari seu maculari per Tabellionatum. Ideoque non releuat, quod in Como, & in Ditione Mediolani Notarij habentur pro nobilibus, vt deponunt testes, & attestatur *Carpan. ad Statut. Mediolani, cap. 413. nu. 43. volum. 1. & cap. 1. nu. 29. vol. 2.*

6 Nam ista est nobilitas, de qua *in l. munerum in princip. de muner. & honor.* quia scilicet aliquis in certo loco nobilis habetur, in alio vero minime, & operatur duntaxat admissionem in quibusdam Collegijs, quam in specie reprobat. *Angel. d. conf. 284. n. 1.* Vltra quod dicitur, filios Notariorum in huiusmodi Collegiorum ingressu grauari duriori probatione, & teneri per gradus distinctos ostendere, quod descendunt à nobilibus viris, cum tamen in alijs, qui non habent hanc nobilitatis discolorationem, admittantur probationes præsumptiuæ, de quo quicquid sit vnum est, quicquid sit vnum est, quod ista est nobilitas localis, quæ non perficit illam vbique & ab omnibus receptam nobilitatem, quam Religio desiderat.

7 Nec facit, quod D. Ioannes Antonius probauerit, se nobilem sanguine, nomine, & armis. Nam respondetur illam nobilitatem esse aliquatenus obscuratam per Notariatum suorum parentum, non quidem in patria sua, vbi ille est nobilis, ad effectum omnes Vrbanos, & Ciuiles honores obtinendi. Sed apud aliquos exteros, & ad effectum assumendi habitum istius Religionis, quam inter plures nobilitatis species, de quibus per *Bart. copiose in l. 1. C. de dignit. lib. 12. & Bald. in l. nobiliores. C. de commerc. & mercat.* potuit seligere, & in conflictu Doctor. potuit declarare Notariorum esse officium vile, sicuti dicitur esse in arbitrio Iudicis, vtrum aliquis vti persona honesta, an vero vti vilis tractari debeat. *Bald. in l. Grachus. C. ad leg. Iul. de adult. Aym. conf. 163. num. 2. Cephal. conf. 237. nu. 1. vol. 2. Carpan. ad Stat. Mediolani. d. cap. 415. nu. 55.*

8 Ergo Statuti verba, quæ sunt clara, & aperta de omnibus Notariorum filijs non debent contra iuris regulas restringi ad Notarios locorum, in quibus per Notariatum maculatur nobilitas. Nam in illo casu non erat opus Statuto particulari, quia ex defectu nobilitatis satis excludebantur tales filij, eademque ratione non intrat, quod dicitur, Statutum loqui de Notarijs ignobilibus. Illi enim sua ignobilitate repellebantur. Vltra quod habetur aliud Statutum, in quo expresse declaratur, descendentes à Notarijs posse admitti ad ordinem Cappellanorum, & fratrum seruientium.

9 Non obstat consideratio deducta ex interpretatione facta per ipsemmet Religionem, dum in quisdam Italiæ Ciuitatibus, in quibus mercatura non maculat nobilitatem mercatorum. Nam hæc ipsa consideratio ostendit stabilimenta generalia non recipere strictiorem interpretationem, & statuentes bene id expressisse, quando distinguere, vel restringere voluerunt. Præterea ostendit, non sufficere in hac Religione nobilitatem, quando vili aliquo exercitio denigrata, vel obscurata est, *quia statutum 14. de recep. fratr.* Mercatores etiam nobiles ignobiles declarantur. Ceterum diuersitatis ratio inter Mercatorem Florentinum, vel Genuensem, & Notorium Mediolan. est notoria, quia ille sæpe est de Primarijs Ciuitatis, & apud exteros etiam habetur pro nobili. Iste verò etiam in patria distinguitur à primarijs nobilibus, & apud exteros, vt plurimum reputabitur non vere nobilis. Denique in illis Ciuitatibus fere omnes mercaturam exercent, in Ditione autem Mediolanen. non desunt alij homines idonei ad habitum Religionis Hierosolymitanæ, quibus ea Notariatus exceptio obijci non potest.

10 Postremo non obstat, quod statutum nondum fuisset confirmatum à Sede Apostolica eius Apostolica auctoritate, sed quando Dominus Ioannes Antonius fecit suas probationes. Nam omissis quampluribus alijs responsionibus hæc sola satisfecit, quod inter statuta religionis vsque de anno 1586. à fel. recor. Sixto Quinto, & à S. D. N. confirmata habetur particulare stabilimentum. Sed rubrica de verb. signifi. num. 3. quod ordinationes, quæ fiunt in Capitulo Generali, si postea nominatim in alio Capitulo confirmentur, transeunt in Statutum. Vnde cum ordinatio, de qua agitur fuisset facta de anno 1588. in Capitulo Generali, & deinde confirmata, & renouata in alijs duobus generalibus Capitulis, quæ in annis 1597. & 1603. celebrata fuere, antequam Dominus Ioannes Antonius faceret suas probationes, quod fuit de anno 1604. satisque, ac super constat de confirmatione. *Bald. in leg. explacito. num. 12. de rer. permut.* Et ita fuit decisum.

REVERENDISSIMO P. D.

ATTREBATEN.

Romana Palatij. Veneris 4. Martij 1611.

ARGVMENTVM.

Ex Summarijs sume argumentum.

SVMMARIVM.

Solutio facta contra formam instrumenti soluentem non liberat. num. 1.

Iudicis iussu soluens, quando bene soluisse dicatur. nu. 2.

DECISIO CCXCVIII.

1 Dominus Carolus Gabriellius in instrumento venditionis Palatij promisit soluere creditoribus Alexandri summam quatuor millium Scutorum, in bonis stabilibus, & iuribus concorditer æstimatis, quæ inter se eorum arbitrio distribuere possent, & deberent, quod cum ipse non adimpleuerit, resolutum fuit, contra illum dandum esse mandatum. Constat enim de creditis, & de promissione Domini Caroli ex instrumento publico Camerali obligatione vallato. Non obstat solutio, quam asserit se fecisse Dominæ Iuliæ vxori Alexandri occasione dotis, & donationis propter nuptias recepta cautione de restituendo prioribus, & potioribus, per quam videtur consultum indemnitati creditorum. *l. is à quo. ff. de rei vend. Auth. quæ supplicatio. C. de precib. Imper. offer.* quia huiusmodi solutio facta fuit contra formam instrumenti, quod loquebatur de solutione facienda creditoribus, non autem Dominæ Iuliæ, ideoque non liberat. *l. qui hominem. §. si nullo. ff. de solut. l. si debitorem. ff. de nouat. Castren. in l. qui vsumfructum. in fin. ff. de verb. oblig. & in*

& in l.singularia.nu.21.vbi Cagnol.num.32.vers.circa 5.conclusionem.ff.si cert.pet. cum allegat. in causa Romana Depositis 3.Iunij 1595. coram bo.mem. Cardinale Seraphino.

2 Neque verò excusat iussus iudicis. glo.in l.ait prætor. §.permittitur. in verbo imputandum. ff.de minor.Menoch. de arbitr. iudic. cas.137. num.13. & consilio 68.num.12. & seq. Tenebatur enim vti omni diligentia ad hoc, ne solueret, & denunciaret omnibus creditoribus, vel eorum legitimo procuratori, qui mandata opponere potuisset, quod cum non fecerit sponte soluendus dicendus est. Ruin.consil.247.nu.16. lib.1. Menoch.de arbitr.iud.dicto casu 137.num.21.

REVERENDISS. P. D. PEGNA DECANO.

Romana Census, Veneris 4. Martij 1611.

ARGVMENTVM.

Solutio fructuum census sponte facta cedenti constituit cessionarium in quasi possessione exigendi, & quando solutio ad hûc effectum dicatur sponte facta.

SVMMARIVM.

Possessio cedentis non transit in cessionarium. num. 2. Declara hoc procedere in corporalibus, secus in incorporalibus. num. 3.

Fideiussor quando est æque principaliter obligatus gesta contra vnum, afficiunt alterum, & agnitio facta per vnum, nocet alteri. num. 4.

Fideiussor obligatus, tanquam principalis remanet obligatus, & de eis obligatio valida est, etiam quod principalis obligatio non valeat. num.4.

Solutio facta à debitore principali cōstituit creditorē in quasi possessione exigendi etiam contra fideiussorem. nu.6. & 7.

Factum principalis videtur nocere etiam fideiussori. numero 7.

Solutio facta à principali iuuat etiam fideiussorem. num.7.

Præscriptionis interruptio contra principalem debitorem non nocet fideiussorio. Declara, vt num. 8.

Solutio dicitur sponte facta, constituitque recipientem in quasi possessione exigendi, vbi soluens sine protestatione soluit. num. 10.& 11. Vbi quando protestatio reddat solutionem non sponte factam, & num.12.

Debitor suscipiens terminum in iudicio ad soluendum, fatetur se esse verum debitorem. num.13.

DECISIO CCXCIX.

1 AD multam instantiam Domini Federici Cesij proposui causam super decisione facta die 2. Iunij 1610. ad fauorem Ferdinandi de Moran. Et Rota, vtraque parte informante, & causa mature discussa, in decisis mansit, non obstantibus, quæ pro parte Domini Federici opponebantur contra decisionem.

2 Nam primo contra conclusionem in decisione firmatam, quod ex possessione cedentis potest cessionarius manuteneri, opponebatur, quod possessio cedentis non transit in cessionarium ex *Syluano consil. 55. incip. inficias iri non potest. num.8. & sequent. & Natta consi. 398. incip. Reuer.quond. D.Matthæus de Asinarys.num.13. & multis sequen.*

3 Sed fuit responsum primo, articulum non versari in corporalibus, prout loquuntur Syluanus, & Natta; Sed in incorporalibus, quo casu cessionarius debet manuteneri, probata possessione cedentis. *Natta ibid. nu.38.& late Menoc.tract.de retinen.posses. remed.3. nu.259. seq.*& Ratio est, quia in incorporalibus idem operatur cessio, quod traditio. *Glos.& Doctores in l.final. C.quando fiscus, vel priuatus. Bar.in l.ad eum quem.num.1. ff.de donat. Bal.cons.341. incip. qui litem habebat. in fin. lib.2.*

4 Secundo dicebant Domini, quod quando fideiussor est æque principaliter obligatus, prout in hoc casu Dominus Federicus, consequenter gesta contra vnum, afficiunt alterum, & agnitio facta per vnum, nocet alteri. *Bar. & Salicet. in l. cum quidam. C. de duobus reis.* Et merito, quia obligatus in solidum, licet respectu illius, pro quo se obligauit, dicatur fideiussor, respectu tamen personæ, pro qua se obligauit, in omnibus, & per omnia dicitur principalis.

5 Vnde fit, quod licet sæpe non sustineatur contractus respectu principalis, sustinetur tamen respectu fideiussoris, vt fuit resolutum in causa Bononien. Bonorum die 26. Iunij 1602. coram bonæ mem. Litta. & sic sæpe contingit, vt ius speciale fauens principali non faueat fideiussori, tanquam principaliter obligato, vt in alia Bononien. pecuniaria, die 7. Iunij 1607. coram Domino Ludouisio, vbi expresse dicitur, sic obligatum respectu creditoris haberi tanquam principalem.

6 Contra secundam conclusionem decisionis, quod solutio facta à debitore principali constituit creditorem in quasi possessione, quæ illum iuuat contra fideiussorem, opponebant etiam Informantes pro Domino Federico ex *Natta consil.345. incip.* Constantinus Zabreria, & ex Ronchagallo in *l.ex duobus reis. la 2.nu. 30.ff.de duobus reis.* & ex alijs fortasse leuioribus.

7 Sed fuit responsum, quod factum principalis videtur nocere fideiussori, & *glos.in l.si quis iniquum.§.si is.in verbo iniuriam. ff. quod quisque iuris*, & sicut solutio principalis iuuat fideiussorem quo ad liberationem. *l.Vranius. ff. de fideiussoribus*, ita debet nocere, quo ad quasi possessionem, & facit, quod fideiussor censetur subrogatus loco principalis debitoris, & tenetur in omni casu, quo tenetur principalis. *Crauet.consi.372. incip.nobilis Bernardinus. num. 3.*

8 Non obstat, quod interruptio præscriptionis contra principalem debitorem non noceat fideiussori. Quia id procedit propter malam fidem, quæ constituitur contra eum, contra quem interrumpitur, quæ cessat in fideiussore, contra quem non interrumpitur. *Bar.in l.natural. nu.11. ff.de vsucapionib.*

9 Contra tertiam conclusionem in decisione firmatam, quod in facto constabat, Dominum Federicum soluisse Ferdinando cessionario, opponebatur, quod solutio fuerat facta metu mandati, & propterea non constituerat Ferdinandum in quasi possessione stantibus præsertim protestationibus D. Federici contra Ferdinandum.

10 Sed fuit responsum primo, quod cum non appareret de protestatione fata in actu solutionis, talis solutio operata fuit quasi possessionem. *Crauett. consil. 114. incip.Ioanna Filij Antonij.nu.6.* Rota in vna Lucana Pensionis die 4.Iunij 1574. coram bon.mem.Cardin.Lancellotto, tunc Rotæ Auditore.

11 Secundo dicebatur, protestationes factas per Dominum Federicum illi non profuisse; quia non erant factæ ad ostendendum metum, & dissensum Domini Federici, sed ad euitandas vlteriores expensas, quod potest facere quilibet verus debitor agnoscens debitum, & licet etiam protestaretur de repetitione, ista tamen protestatio non erat de repetendo ab ipso creditore, vt loquitur *decisio Veralli. 330. incip. possessio, seu quasi. p. 2.* sed de repetendo à principali, quod est secundum naturam fideiussiōnis. *c.peruenit.de fideiussorib.*

12 Quod autem intentio esset de repetendo à principali debitore indicabant verba protestationis de cessione sibi facienda à creditore. Fideiussor enim habet beneficium cedendarum actionum. *§.si vero. in Auth. de fideiussor. l. cum alter. & Authen. præsente. C. eod. Bart. in l.Modestinus.num.4.& seq.ff.de solution.& in l. cum is.ff. de fideiussor.*

13 Ex

13 Ex qua cessione apparebat etiam, quod Dominus Federicus magni fecit ius Ferdinandi. *Put. dec. 340. in cip. eadem die num. 4. lib. 1.* & quod se habuerit pro vero debitore constabat ex susceptatione termini, sic enim agnouit debitum. Vnde Iudex postea decernendo, vt ipse solueret, legitime constituit Ferdinandum, etiam inuito, & reluctante Federico in possessione. *Angel. in l. cl. im possidere, §. qui ad nundinas, nu. 2. ff. de acquir. possess.* & fuit dictum in causa Pennen. & Adrien. Beneficiorum 4. Iulij 1584.

R. P. D. MANZANEDO.

Bononien. Fideicommissi de Lambertinis, Veneris 11. Martij 1611.

ARGVMENTVM.

Fideicommissum perpetuum an, & quando censeatur inductum à testatore, & non simplex vulgaris substitutio, præsertim quando in testamento est adiecta clausula Quia volo, &c. fueritque habita ratio conseruandæ agnationis, & casatæ, & quando etiam filij positi in conditione censeantur vocati.

SVMMARIVM.

Fideicommissum absolutum, & perpetuum censetur factum à testatore, quando filijs vocatis, & institutis, testator eos substituerit altero decedente quandocunque sine filijs, &c. num. 1.

Filij positi in conditione regulariter non censentur vocati, nisi coniecturæ ex testamento desumptæ contrarium suadeant, num. 2.

Filij positi in conditione censentur vocati, quando sunt vocati sub nomine collectiuo descendentium, nu. 3.

Descendentes vbi sunt vocati in testamento censentur vocati omnes in infinitum per fideicommissum, & ordine successiuo. nu. 3.

Fideicommissum perpetuum inductum censetur, & non vulgaris tantum substiturio, quando sunt vocati descendentes testatoris, nu. 3.

Fideicommissum perpetuum censetur inductum, & non vulgaris substitutio, quando testator dixit, quod eius hæres hæreditatem integre per fideicommissum restituat. num. 4. & num. 13.

Testatorem prospexisse conseruationi agnationis dicendum est quando testator posuit descendentes in conditione, cum qualitate masculinitatis. nu. 5. Declara, vt nu. 25.

Legitimati non admittuntur, ad excludendum substitutum, numer. 6.

Filij positi in conditione sub qualitate legitimationis, censentur vocati. nu. 6.

Filij positi in conditione, quando censeantur vocati ad portionem patrui, vel alterius cohæredis, nu. 7.

Substitutio reciproca, quando censeatur in dusta inter descendentes positos in conditione, & ex coniecturis vocatos, num. 8. & 9.

Substitutio reciproca, vt inducta dicatur, tria requiruntur, de quibus num. 10.

Integre verbum importat idem quod totum, nu. 10.

Testator quando non exprimit à quo hæreditas, sit restituenda, semper intelligitur onus impositum vltimo morienti, num. 12.

Reciproca substitutio continet fideicommissariam, vbi testator voluit hæreditatem integre per fideicommissum restitui, n. 4. & num. 13.

Reciproca substitutio iuncta cum substitutione compendiosa habente tractum temporis in futuram continet fideicommissariam, nu. 13.

Proximiores, quando censeantur vocati gradatim, & ordine successiuo. nu. 14.

Fideicommissum nouum, & absolutum, quando censeatur inductum per clausulam, quoniam voluit, &c. & sic quando clausula prædicta stet dispositiue, & quando consequutiue cum præcedentibus substitutionibus, & ad illas accessorie veniat, num. 15. & 16. & seqq. & nu. 20. & seqq. omnibus,

Ratio generalior dicto declarat dictum, & illud ampliat ad limites rationis, numer. 16. Declara, vt numer. 22. & 24.

Dictio quoniam, &c. est clausulis, & rationalis de sui natura, & confirmat, aut præcedentia, aut subsequentia, nu. 16. in fin. & nu. 17. de materia, & nu. 20.

Transuersales de iure agnati testatoris, dicuntur, num. 18.

Ratio de per se stare non potest, quia de illius natura est, vt aliquid ante, vel post prolatum confirmet. num. 20.

Ratio differt à dicto, nu. 20.

Fideicommissum, seu substitutio de vna persona ex identitate rationis, vel ex verisimili mente testatoris ad aliam extendi non debet. nu. 20. & 21. Vbi de eadem re, & declaratur materia, & nu. 24.

Verba consequutiua non inducunt fideicommissum inter diuersas personas, sed referuntur ad terminos præcedentium substitutionum, nu. 20.

Verba illatiua, & consequutiua recipiunt interpretationem secundum præcedentes, terminos, nu. 20.

Verba disiuncta, & separata possunt ampliare, & nouam dispositionem inducere, nu. 20.

Dictio ipsius est personalissima, nu. 21.

Generalis mentio agnationis, & casatæ restringitur ad descendentiam, & lineam expressam, nu. 21. in fine.

Agnationis conseruandæ ratio, quando dicatur à testatore considerata faciendo mentionem masculinitatis, numer. 5. & num. 25.

Dictio vel posita post genus, stat declaratiue, nu. 26.

Volo verbum in vltimis voluntatibus est dispositiuum, concurrentibus ceteris requisitis, de quibus, nu. 27.

Fideicommissum reale, & perpetuum quando censeatur inductum per verba concepta in rem, num. 28.

Verba omnino in perpetuum, & continuo quomodo intelligantur in fideicommissis, nu. 28.

Clausula omni meliori modo quid operetur ad effectum inducendi fideicommissum, num. 29.

Fideicommissum an, & quando dicatur inductum ex eo, quod testator dicatur in testamento habuisse rationem conseruandæ agnationis, num. 5. 25. & 30.

DECISIO CCC.

1 Dubitaui de ordine Rotæ 22. Iunij 1609. An constaret de fideicommisso Com. Alexandri, & Domini tunc Responsales vnanimiter pro affirmatiua resoluerunt, ex adductis in decisione tunc facta. Et postea ad instantiam D. Imeldæ. 19. Ianuarij anni currentis, fuit causa super eisdem proposita, & dictum quod iterum proponeretur. Vnde hodie repropofita & per omnes Dominos discussa, quatuor ex ipsis decisioni assentierunt, Vnus verò valdè contra illam inclinabat, & ceteri ab illa recedendum fore censuere prout resolutio fuit capta, & qui cum decisione tenebant, mouebantur rationibus, & fundamentis illius, & sequentibus. In primis enim persistebant in eo, quod adsint in nostro casu duo fideicommissa primum ad fauorem Comitum Annibalis, & Cæsaris heredum institutorum, & cuiuslibet ipsorum superuiuentis, & ad fauorem suorum filiorum, & descendentium masculorum legitimorum, quod inter partes, cum tunc quasi non controuerteretur, pro constanti fuit in decisione constitutum, sed hodie cum ad exclusionem secundi plura deducantur, quæ istud primum non perfectum demonstrare conantur; Domini pro decisione tenentes, primum istud fideicommissum ex omni parte perfectum, perpetuum, reciprocum, & absolutum esse, absque adiectione clausulæ (quoniam voluit, &c.) sentiebant, taliter in dicta clau-

clausula(quoniam volo, &c.) aut necessario inducat
secundum fideicommissum ad fauorem agnatorum
testatoris aut alias sit inutilis, & absque effectu. In
isto enim primo fideicommisso prędicti Annibal, &
Cæsar fuerunt primo vocati,& reciproce substituti,
& illorum filii, & descendentes masculi legitimi inter
seipsos, quin & per expressam fideicommissariam, &
in perpetuum, taliter, quod donec extarent filij, &
descendentes masculi legitimi Annibalis, & Cæsaris
in infinitum, & istud fideicommissum ad illorum
fauorem durabat, quasi inter ipsos perpetuum, abso-
lutum, & reciprocum; Institutionem autem, & vo-
cationem Annibalis, & Cæsaris, quin & reciprocam
inter ipsos substitutionem satis verbis claris testa-
mentum, & codicil. denotant, ibi, (& altero dece-
1 dente quandocunque sine filijs, &c.) *ad notat. in leg.*
iam hoc iure, & leg. Lucius, ff. de vulg. & ex adductis
per Illustrissimum Mantic. de coniect. libr.7. titul. 5. numer.
1. & sequent. & per Menoch.præsumpt.59. per totam libr. 4.
De substitutione autem, & vocatione filiorum, &
2 descendentium legitimorum masculorum Annibalis,
& Cæsaris apparet ex eo, quos ipsos in conditione te-
stator posuit. Et quamuis iuxta gl, communiter rece-
ptam, *in l. Lucius, de hæred. inst.* non censeantur positi
in conditione vocati, nisi coniecturæ ex testamento
desumptæ contrarium suadeant.
Et prima, & potentissima illa est, quod filij, & de-
3 scendentes testatoris censentur vocati, quia positi in
conditione sub isto nomine collectiuo, descendentes
quod habet in se tractum successiuum, & est aptum
comprehendere omnes in infinitum per fideicom-
missariam ordine successiuo *Crot. in repet, in leg. filius-*
fam. §. Diui. num. 17. de leg.1. Couar. var. lib.3. cap.5. nu.
4. versic. secundum quod, & in cap. Rainutius, §. 2. in fin.
de testam. Cephal. cons. 268. num. 25. & seq. libr. 2. & de
communi, & magis communi testantur Ioan. de Annan. cons.
46. num.1. & 2. Ruin. consil.164. num.3. libr.3. Bero. consil.
102. num.25. & 34. libr.2. Roland. consil.70. nu. 20. & seq.
libr.3. Natt. consil. 531. numer. 25. Gabr. consil. 101. num.
22. & seq. libr. 2. & in tit. de fideicomm. conclus.4. num. 39.
Marzar. consil. 1. num. 3. & seq. & cons. 40. num. 6. & 9.
Decian. consil.1. à num.245. & versic. quintus, & vltimus
casus, & consil.41. num.66. & seq. lib.1. Simon. de Pret. in
tract. de interpretat. vltim. volum. lib.3. interpr. 2. dub. 6.
solut.9. num.46. Crass. in §. fideicommissum, q. 15. in fin. &
q.16. num.3. & seq. Et fuit dictum coram D. meo Mar-
comontio in vna Bonon. fideicommissi de Pannolinis
10. Decembris 1610. & prius coram me in vna Flo-
rentina fideicommissi 3. Decembris 1607. quo casu
non per vulgarem, sed per fideicommissarium in per
petuum veniunt admittendi. Cuman. se ipsum, decla-
rans, quatenus censuerat venire per vulgarem, *in leg.*
cum ita §. in fideicommisso, num.4. de leg. 2. Socin. in leg.
Gallus, §. quidam recte. numer. 8. versic. quartus casus,
& ibi Ias. nu.45. & Alciat. nu.35. cum seq. Et pro illa plu-
res adducunt *Couar. d. §. 2. nu.2. & Molin. de primog. libr.*
1. c.6. num.15. & Mantic. de coniect. vlt. volunt. libr.8. tit.
12. n.11. & fuit dictum in prædictis decisionibus Flo-
rentina, & Bononien.
Quod comprobatur ex verbis testatoris, ibi (per fi-
4 deicommissum restituat integre, &c. quæ clare deno-
tant, non per vulgare, sed fideicommissariam succe-
cendum esse) iuxta doctr. *Bart. in leg. centurio. numer.*
38. versic. item si testator dixit. de vulg. & pupill. & dicit
communem Paris. consil.30. num.9. & 82. numer. 13. libr.
libr. 2. & Port. consil. 55. num. 88. & Marzar. in epitom.
fideicomm. part. 2. quæst. 28. Menoch. qui plures citat. con-
sil.434. numer.1. libr.5. præsumpt. 68. numer.2. libr.4. quæ
coniectura, cum inducat perpetuitatem, maximi
habenda est, cum alias si conditio non transiret in vo-
cationem, non impleretur testatoris voluntas, quod
per fideicommissum omnes descendentes instituto-
rum venirent ad hanc hæreditatem.

5 Accedat, quod descendentes apponuntur in condi-
tione cum qualitate masculinitatis denotante, testato-
rem prospexisse agnitionis conseruationi. *Bald. in cap.*
1. num. 3. quemadmodum feud. ad fili. pertin. idem Bald. in
l. maximum vitium. nu. 2. C. de lib. præter. Paris. plures re-
ferens. cons. 8. num. 9. cum seq. lib.3. Molin. alios adducens
vbi supra. cap. 5. nu. 35. Cephal. attestans de communi, cons.
137. num. 2. Menoch. præsumpt. 71. num. 36. vers. declara-
tur secundo. lib. 4. Decian. qui etiam hanc dicit communem,
cons. 31. nu. 96. & 99. lib. 1. Præcipue data geminatio-
ne qualitatis masculinitatis, prout in nostro casu, ad
tradita per *Paris. cons. 90. nu. 15. & seq. lib. 2.*
6 Accedat, & positos fuisse in conditione sub qualita-
te legitimationis, & quod nati essent ex legitimo ma-
trimonio, quo casu censentur vocati legitimi per fi-
deicommissum, si quidem legitimati non admittun-
tur ad excludendum substitutum, & admitterentur ad
successionem ab intestato. *Socin. iun. cons. 110. num. 25.*
& cons. 145. num. 39. lib. 3. Crauet. cons. 885. Decian. cons.
33. num. 19. & cons. 41. nu. 30. lib. 1. Mant. vbi supra. tit.
3. lib. 11. nu. 7. Menoch. cons. 325. num. 10. lib. 4. & præ-
sumpt. 76. num, 48. lib. 4. & alios congerit Ioseph. Rustic. in
tract. quand. liber. posit. in cond. vocent. lib. 3. cap. 3. num.
1. in fin. Et quamuis hanc coniecturam improbet *Zā-*
ch. in l. hæredes mei. §. cum ita. in 7. par. nu. 57. ff. ad Tre-
bell. Rolan. & alij relati per Menoch. d. præsumpt. 76. n.48.
nihilominus ibi Menoch. illam approbat cum cete-
ris relatis, prout & Rota illam approbauit in vna Bo-
non. de Pepulis, coram Oriolen. teste eodem *Rustic.*
vbi supra. num. 5. & in illa Bonon. de Felicinis, 18. Fe-
bruarij 1581. coram bonæ memoriæ Seraphino. Aut
saltem ista coniectura insimul cum alijs erit admit-
tenda.
7 Et quamuis iuxta communem opinionem positi
in conditione non censeantur vocati ad portionem
patrui, vel alterius cohæredis, ex congesta per *Gabr.*
de substit. concl. 1. num. 24. & per Menoch. cons. 85. n. 43.
& præsumpt. 62. nu. 57. lib. 4. nihilominus illa commu-
nis non procedit, quando præter conditionem adsūt
aliæ coniecturæ vocationem suadentes, vt ex supra
allegatis, & *not. Gabr. vbi supra. nu. 28. & Menoch. in d.*
præsumpt. 62. sub nu. 57. in fine.
8 Quod autem etiam inter descendentes institutorū
adsit reciproca, probatur, quia cum isti descendentes,
licèt positi in conditione sint ex coniecturis vocati
ex supradictis, censetur inter ipsos reciproca inducta
Ripa in leg. hæredes mei. §. cum ita. num. 29. ff. ad Trebell.
Gabr. de subst. concl. 1. num. 28. Ruin. cons. 167. lib.3. Soc.
iun. cons. 151. nu. 12. lib. 2. latè Decian. cons. 54. num. 68.
lib. 3. & Surd. cons. 344. nu. 11. lib. 5. & Peregr. cons. 54.
nu. 7. lib. 1. & Sfor. Odd. cons. 66. nu. 72. qui omnes plu-
res pro hac sententia adducunt, & dixit Rota in alle-
gatis Bonon. de Felicinis, & Bonon. de Pannolinis.
9 Et quando reciproca facta est inter institutos, pro
vt in nostro casu, multo magis dicendum est testato-
rem illam fecisse inter descendentes remotiores, &
minus dilectos. *Socin. iun. d. cons. 110. num. 10. & 39.*
lib. 3. Aym. cons. 136. nu. 6. Dec. cons. 28. num. 21. lib. 2.
Surd. d. cons. 344. nu. 17.
10 Quæ magis procedunt, cum in casu nostro concur-
rant tria requisita ad reciprocam inducendam, nem-
pè quod illi, inter quos, de illa inducenda agitur, sint
vocati, & quod substitutio sit facta in tota hæredita-
te, & vltimo morienti, ad *not. per Mant. vbi supra, libro*
7. tit. 5. num. 15. Surd. consil. 329. num. 6. qui alios alle-
gat, & fuit dictum in Vrbeuetan. fideicommissi, 28.
Aprilis 1586. coram bon. mem. Cardinale Pamphi-
lio, & alias sæpius. Quod autem isti sint vocati, satis
ex supradictis videtur probari, Et quod ista substitu-
tio sit facta in tota hereditate apparet ex illis verbis
(hæreditatem ipsam, vel illius partem taliter præde-
cedentis, vt supra per fideicommissum restituat inte-
gre, & sine diminutione) quæ verba aperte ad totam
hære-

hæreditatem referuntur, ad latè notata per *Decian. d. consil. 44. num. 69.* Vltra quod sufficiebat, quod de hæreditate simpliciter, & indefinite loquutus fuisset testator, ad hoc vt de tota intelligi deberet, vt not. *Curt. iun. numer. 13. Cod. de impub. & in consil. 43. num. 2. & seq. & illam sequitur Socin. iun. consil. 145. num. 41. & seq. libr. 3. & Decian. dict. consil. 44. numer. 69. & Menoch. consil. 397. num. 2. lib. 4.*

11 Et non obstant illa verba, vel illius partem, &c. Nam cum Cæsar Annibali, vel è contra restituere non posset, nisi dimidiam hæreditatem in illa verificatur tota hæreditas, *dict. leg. hæredes mei. §. cum ita ad Trebell.*

12 Vlterius quia etiam apparet vltimo morienti istam substitutionem factam fuisse, quoties enim testator non exprimit, à quo hæreditatem velit restitui semper intelligitur onus impositum vltimo morienti, *Bart. in l. qui duos, in fin. & ibi Paul. & alij, ff. de vulgar. Alex. & Ias.* quos refert, & sequitur *Decian. d. consil. 44. num. 63. Curt. iun. consil. 111. num. 13. Socin. iun. cons. 151. numer. 6. libr. 2. de magis communi Paris. consil. 43. numer. 33. in fin. libr. 2.* Vltra quod non est opus, quod substitutio fiat verbis expressis vltimo morienti, vt tradit *Socin. iun. dict. consil. 151. numer. 6. & 9. & consil. 110. num. 35. libr. 3. Simon. de Pret. vbi supra numer. 27.* & tenuit Rota in supradictis Bonon. de Felicinis, & Bonon. de Pannolinis. Et quamuis *Socin. consil. 104. libr. 2.* & alij voluerint, substitutionem factam in tota hæreditate omnibus decedentibus, non intelligi factam vltimo morienti, nec propterea importare reciprocum fideicommissum, nihilominus contrarium tenent *Paris. consil. 43. num. 33. volumine 2.* vbi de veriori, & magis communi, cumulati per *Simon. de Pret. vbi supra, libro tertio, interp. 3. dub. 4. solut. 1. sub numer. 27. versic. hanc ego quoque & per Barz. decision. sexta, numer. sexto, & sequent.*

13 Et quod ista reciproca contineat, fideicommissariam apparet, cum testator expresse, vt supra notatur voluerit hæreditatem integre per fideicommissum restitui. Vltra quod reciprocam iunxit cum compendiosa, ibi altero decedente quandocumque sine filijs &c. quę compendiosa cum habeat tractum temporis in futurum, reciproca illi adiuncta continet fideicommissariam, *Rip. in leg. Lucius, num. 46. versic. vltimo non procedit, post Bartol. ibi, num. 5. & numer. 20. ff. de vulg. Bald. consilio 55. libr. 4. Angel. 307. num. 3. Dec. in l. in testamento la prima, num. 3. in fin. Cod. de test. & in cons. 318. nu. 3. Roland. cons. 25. nu. 10. lib. 1. Crass. in §. substitutio. q. 54. nu. 6. vers. Declara tertio, & tradit Menoch. præsumpt. 60. nu. 85. lib. 4.*

14 Nec nomen proximiorum videtur appositum pro declaran. descendentia in successione institutorum, & illorum descendentium, cum ad hunc effectum satis sit, quod de iure vocatis descendentibus intelligantur vocati proximiores gradatim, & ordine successiuo, per *text. in leg. cum ita. §. in fideicommisso, leg. peto. §. fratre, de leg. 1. Clar. in §. testamentum, quæstio. 76. versicul. secundo, infertur Rota 579. numer. 8. part. prima, diuers.*

15 Ex quibus omnibus eliciebatur istud primum fideicommissum fuisse in se perfectum, simplex, absolutum, & reciprocum inter institutos, & omnes eorũ filios, & descendentes, ita vt ad illius validitatem, & perpetuitatem non esset opus clausula subsequenti, quoniam voluit, &c. sed ex illa inductum fuisse secundum fideicommissum, ad fauorem omnium de casata, & agnatione testatoris, deficientibus tamen omnibus filijs, & descendentibus institutorum, prout casus euenit, quodque ex adductis in decisione facta Domini pro illa tenentes firmabant, & ex sequenti. Et in primis fatebantur cons. decis. 636. toties in Rota canonizatum, non esse controuertendum, nec decisiones Fanen. Bonorum, & Fauentin. Fideicommissi de Pasijs, in decisione relatas, & nunc de nouo ex aduerso adductas, cum optimè procedant in suis casibus, & tam in illis, quam in d. cons. verba, quoniam voluit testator, &c. stent consecutiue cum præcedentibus substitutionibus, & veniant accessorie ad illas, & ex eo non valeant inducere nouum fideicõmissum. Fuerunt enim ibi apposita post prohibitionem alienationis, & ad illam vestiendum, tunc enim non dispositiue, sed consecutiue ad præcedentes, & ad maius robur illarum apponitur dicta clausula quoniam voluit, &c. quæ, cessante precedenti alienationis prohibitione, vt in nostro casu, aut illa stante, sed vestita, stat dispositiue, & inducit de sui natura istud secundum simplex, absolutum, reciprocum, & perpetuum fideicommissum inter descendentes de agnatione testatoris, & ostendit animum illius, & causam finalem, qua mouetur ad illud instituendum iuxta *Bart. in l. qui Romæ, §. cohæredes. num. 3. de verb. oblig.* & quam plurimos relatos in prima decis. in primo fundamento, & per *Mant. vbi supra, libro 6. tit. 14. numer. 24. versic. sed contrariam opinionem, & vers. aut verò præcedit expressa prohibitio*, vbi hac dicit magis communem, & plures de illa attestantes congerit, prout, & etiam illos cumulat *Petr. de fideicomm. q. 5. n. 42. & seq.* concludens hanc sententiam quo ad auctoritates numero, & pondere vincere contrariam, quin, & rationibus, prout in nu. 44. in fine.

16 Quæ magis veniunt admittenda, cum primum fideicõmissum ex supradictis sit simplex, purum, reciprocum, & perfectum, ita vt nullatenus indigeat prædicta clausula, & ratione generali ad illius robur, & perfectionem, Vnde ad contentos in illo non est referenda, quia tunc nihil adderet, & esset superflua, quod non debet admitti, vt considerat *Bald. consil. 334. num. 7. libr. 3. Paris. cons. 90. num. 33. lib. 7. Riminn. iun. consilio 739. numero 81. & seq. Beret. consilio 115. numero quarto. versic. amplius, Surd. decis. 84. num. 14. Dec. cons. 33. nu. 93. lib. 1.* Præcipuè cum dicta verba, quoniam volo, sint prolata per modum rationis, quo casu inducunt dispositionem, iuxta doctrinam *Bartol. in l. pater filium. §. fundum, num. 3. in fin. de leg. 3.* communiter receptam, ex plur. pro illa in prima dec. adductis, maximè quia ista ratio est generalior dicto, & tunc declarat dictum, & illud ampliat ad limites rationis. *leg. cum pater. §. dulcissimis. de leg. 2. Mant. d. lib. 6. titul. 14. nu. 21.* alios referens testantes de communi. Tum quia dictio quoniam, est causalis, & rationalis de sui natura, & confirmat, aut præcedentia, aut subsequentia, *iuxta Dec. cons. 282. num. 11.* & fuit latè dictum in prima decisione.

17 quamuis in nostro casu non confirmet præcedentes substitutiones tali confirmatione non egentes, sufficit, quod confirmet subsequens secundum fideicommissum ad fauorem agnationis testatoris, & reddat causam, & rationem mouentem animum testatoris ad illud constituendum, quæ per modum rationis, prolata, ita est potens, vt non solum ampliet dispositionem de tempore ad tempus, & de casu ad casum, prout nec ex aduerso negatur, & plurimi in decisione adducti, & ab ipsis relati testantur, quin, & ampliat fideicommissum de personis ad personas, quod maximè impugnant pro contraria parte Scribentes; attamen istam extensionem ex vi dictæ rationis generalis de persona ad personas in proprijs terminis, vltra *Crott. Socin. Castren. Curt. iun. Par. Alciat. Mant. Sur. Peregr. in dec.* & locis ibi expressis relatos, tenent, idem *Castrens. cons. 401. circa med. lib. 1. & idem Curt. iun. cons. 115. num. 24. & seq. & Roman. consil. 457. num. 1. Ruin. cons. 29. num. 21. lib. 2. Ioan. de Anan. cons. 47. Curt. sen. cons. 40. Capic. dec. 108. num. 2. & seq. Rip. in d. §. Dini. num. 108. & ibi Ias. num. 113. & Ferdinan. de Loaz. num. 98. ad fin. Idem Paris. cons. 7. num. 18. & cons. 1. num. 38. lib. 3. & cons. 72. num. 87. & 88. libr. 4.*

Dec.

*Dec. conf. 23. verf. non obſtat ergo, & conf. 182. verf. qui-
bus tamen. Crauet. conſil. 243. num. 3. verf. ita quæ iſta ra-
tio. Rolan. conſ. 6. num. 16. & ſeq. lib. 4. Idem Surd. conſ.
67. num. 23. & ſeq. & Mandel. conſ. 54. num. 4. lib. 1. De-
cian. conſ. 3. nu. 61. & ſeq. & 67. lib. 1. Corn. conſ. 38. nu.
8. & 9. lib. 1. Veg. conſ. 74. num. 372. Clar. in §. teſtamen-
tum. q. 76. verſ. idemque maxime in fideicommiſſis. Idem
Peregr. conſ. 44. num. 24. lib. 2. Eug. conſ. 62. num. 31.* qui
omnes expreſſe loquuntur de extenſione fideicom-
miſſi, de perſonis ad perſonas ex vi dictæ rationis ge-
neralis, quoniam voluit, &c. Et facit optimè dictum
*Crot. in d. §. Diui. num. 121. verſ. aliquando, & quarto, &
in conſ. 13. num. 32. quem refert, & ſequitur Surd. d. conſ.
67. num. 24.* dicens non minus per dictam rationem
generalem licere extendere dictum de perſona ad per-
ſonas, quam liceat de contractibus ad vltimas volun-
tates, & de tempore ad tempus.

38 Quæ magis procedunt non ſtante aliqua dictione
ſciatiua ad præcedentia, nec ex præcedentibus illati-
na, & ſtante verbo voluit adiecto dictioni, quoniam,
illato per viam vltimæ voluntatis, & ſic diſpoſitio-
nem inducenti. *leg. verbum volo. Cod. de fideicomm. cum
ceteris in deciſione ponderatis*, prout & ponderatæ fue-
runt dictiones, omnino, & in perpetuum deuenire.
Et facit, quod iam in deciſione fuit ponderatum, quod
cum teſtator non haberet filios, nec deſcendentes
maſculos ex ſe, vocauit Annibalem, & Cęſarem tranſ-
uerſales, & illorum filios, & deſcendentes maſculos
omnes tranſuerſales, vnde ſatis veriſimile videtur,
quod inſtituto quo ad ſupradictos perpetuo, abſolu-
to, & reciproco fideicommiſſo conſiderauerit teſta-
tor, quod linea ſupradictorum omnino deficienti ex-
pirabat prædictum fideicommiſſum, vnde cum te-
ſtator vellet illud perpetuo in ſua propria agnatione
conſeruari inſtituit ſecundum ſub illa clauſule, quo-
niam voluit, &c. & cum illa ratione generali expreſ-
ſa ad fauorem deſcendentium maſculorum legitimo-
rum de agnatione ipſius teſtatoris in perpetuum,
quibus verbis, de agnatione, & caſata ipſius teſtatoris
illum, qui filios maſculos non habebat, clare apparet,
deſcendentes tranſuerſales comprehendere voluiſſe,
cum & iſti de iure agnati teſtatoris dicantur, vt not.
Mant. vbi ſupra lib. 8. tit. 12. num. 20. tenens tranſuer-
ſales proprie eſſe agnatos teſtatoris, quod probat per
*tex. in l. 2. §. agnati. ff. de ſuis, & legit. hæred. & in §. 1. In-
ſtit. de legitim. agnat. ſucceſſ.* Vbi etiam in verſ. ſed ego
teneo, quod ſi teſtator voluit ſuam agnationem con-
ſeruari, illa non ſolum per deſcendentes, ſed his defi-
cientibus, etiam per tranſuerſales conſeruatur. Et
ideo deficientibus maſculis deſcendentibus per viri-
lem ſexum, videtur de tranſuerſalibus etiam ſenſiſſe.

29 Non obſtat, quod Cæſar, & Annibal inſtituti
quamuis tranſuerſales, nihilominus eſſent proximio-
res, & ex linea patris teſtatoris deſcendentes, Et quod
iſti Comites Guido, & M. Antonius, quamuis tranſ-
uerſales, ſunt tamen remotiores, qui hæc omnia,
quamuis vera, operantur, quod Annibal, & Cęſar fue-
rint prædilecti, & primo vocati, ita vt illis, & illorum
deſcendentibus maſculis exiſtentibus ceteri remane-
rent interim excluſi, non tamen operatur, quod illis
omnino deficientibus, tranſuerſales, licèt remotiores
non admittantur, cum ſint etiam de agnatione teſta-
toris, & per illos illa conſeruetur, & ſint vocati ex-
preſſè agnati illi de agnatione ipſius teſtatoris, ſub
qua continue comprehenduntur agnati tranſuerſa-
les, & de domo, & familia teſtatoris, ita vt in caſu no-
ſtro non poſſint cenſeri comprehenſi effectiue, &
ſpeſice, cum teſtator filios non haberet, & ſic nec de-
ſcendentes ab illo, qui proprie effectiue de agnatione
teſtatoris dicuntur, prout not. idem *Mant. d. titul. 12.
numer. 20.*

30 His tamen non obſtan. contraria ſententia præua-
luit, & mouebantur Domini eo potiſſimo funda-
mento, quod clauſula, quoniam volo, non ſtet diſpoſi-
tiue, ſed conſecutiue ad præcedentes ſubſtitutiones.
Eſt enim appoſita per modum rationis, cum dictio
quoniam ſit cauſalis. *l. ſi ita. de cond. & demonſtr. l. non
dubium. de leg. 3. l. ſi quis. de verb. ſignif. not. Bar. in l. de-
monſtratio. §. quod autem. num. 8. de cond. & demonſt.* Ra-
tio autem de per ſe non poteſt ſtare, quia de illius na-
tura eſt, vt aliquid ante, vel poſt prolatum confirmet
Dec. 228. num. 11. alias enim ſequeretur idem eſſe di-
ctum, & rationem, quod reprobat *gloſ. in l. fin. in verb.
non habent. de offic. procur. Cæſar.* Vnde cum dicta ratio
non poſſit cōfirmare diſpoſitionem ſubſequentem,
quia (vt vnus ex Dominis dicebat) nihil ſubſequi-
tur, remanet illam clauſulam eſſe conſecutiuam præ-
præcedentis diſpoſitionis, & per conſequens illam
poteſt declarare, ſed non extendere de perſonis ad
perſonas, quoniam ea extenſio, neq; prætextu identi-
tatis rationis, neque veriſimilis, aut præſumptæ men-
tis teſtatoris, neque ob cauſam conſeruandę agnatio-
nis admitti debet, vt poſt alios tradit *Menoch. conſ. 95.
nu. 91. & ſeq. Surd. conſ. 67. nu. 39. lib. 1. & latius conſil.
554. nu. 21. & 37. lib. 4. Honded. conſ. 60. num. 45. & 47.
lib. 1.* cum aliud ſit, quod ratio ampliet dictum, & ſub-
ſtitutionem inter expreſſè vocatos, aliud verò quod
extendat fideicommiſſum de perſonis ad perſonas,
verba autem conſecutiua non inducunt fideicom-
miſſum inter perſonas diuerſas, ſed referuntur ad ter-
minos præcedentium ſubſtitutionum, *iuxta conſ. Dec.
636. nu. 7. pluries in Rota canonizatum. Alex. conſ. 139. n.
25. nu. 2. & 3. lib. 6. Hond. conſ. 78. nu. 35. lib. 1. & alij
relati per Petr. de fideicom. q. 5. nu. 55.* & fuit dictum in
illa Fauentin. Fideicommiſſi de Paſijs, 20. Maij 1588.
coram bo. mem. Cardinale Pamphilio, & in illa Fauen.
Bonorum 5. Iunij 1589. coram bon. mem. Seraphino,
& in alijs, in quibus Rota tenuit, quod illatiua, & con-
ſecutiua recipiunt interpretationem ſecundum præ-
cedentes terminos diſiuncta autem, & ſeparata poſ-
ſunt ampliare, & nouam diſpoſitionem iuducere.

21 Vnde cum ſimus (vt ſupra dicitur) in clauſula con-
ſecutiua ad præcedentes ſubſtitutiones, videtur illam
eſſe interpretandam ſecundum terminos præceden-
tes, non verò vt nouam diſpoſitionem inducat, nec
extenſionem de perſona ad perſonas, quæ extenſio
admittenda non eſt, niſi concurrentibus coniecturis
vrgentiſſimis, quæ nos cogant ita iudicare: Tales au-
tem coniecturæ non videbantur concurrere in hoc
caſu, cum (vt dicebat vnus ex Dominis) neque te-
ſtamentum, neque codicilli aliquo modo loquantur
de DD. Com. M. Antonio, & Guido Antonio. Tum
quia nec dicti Comites fuerunt poſiti in conditione,
nec deuentum fuit ad plures gradus ſubſtitutionum,
& verſemur, in tranſuerſalibus valde remotis: Vnde
videtur teſtatorem nihil aliud cogitaſſe, niſi induce-
re reciprocum fideicommiſſum inter duos hæredes
inſtitutos, illorumque deſcendentes, vltra quos eius
affectio nullo modo apparet declarata. Et ad hoc
ponderabatur, quod in dicta ratione expreſſà, quo-
niam volo, &c. adeſt dictio, ipſius, ibi, ad proximio-
res deſcendentes de caſata, & agnatione ipſius teſta-
toris, quæ dictio ipſius eſt perſonaliſſima, vt per
*Rip. in leg. filiusfamil. §. Diui. nu. 111. de leg. 1. Gabr. conſ.
142. num. 60. lib. 1. Menoch. conſ. 733. num. 21.* Et ex eo
videbatur, quod poſſet reſtringere conuenienter il-
lam clauſulam ad perſonas ſuperius nominatas, & de-
ſcendentes ab illis, de quibus teſtator facit expreſſam
mentionem, quia omnes iſti ſunt verè proximiores de
agnatione ipſius teſtatoris, vt puta deſcendentes om-
nes à patre ipſius, quod eſt ſecus in iſtis Dominis Co-
mitibus, qui hodie petunt fideicommiſſum, qui ſunt
remotiores, & non veniunt à patre teſtatoris. Et ſi de
iſtis remotioribus cogitaſſet teſtator feciſſet mentio-
nem ſaltem in genere in parte diſpoſitiua, prout fecit
de proximioribus, & deſcendentibus inſtitutorum,
vt in

vt in simili dicit *Mandel. cons. 361. num. 17.* Et non est nouum, quod generalis mentio agnationis, & casate restringatur ad descendentiam, & lineam expressam, vt per *Socin. iun. consil. 4. num. 21. libr. 3. Peregrin. consil. 36. num. 12. libr. 2. Surd. decis. 9. numer. 16. Put. decision. 175. libr. 2.*

22 Quibus videbatur non obstare doctrinam *Bart. in l. pater filium, §. fundum. de leg. 3. communiter receptam ex plur. in prima decisione relatis, vbi Bart.* distinguit inter verba prolata per modum enunciationis alicuius futuri euentus, vt illa non inducant dispositionem, secus autem, si sint expressa per modum rationis, vt in nostro casu, quia illa doctrina Bart. non caret contradictoribus, quin ipse Bart. alias contrarium sensisse videtur vt dicit *Mandell. d. cons. 361. num. 13. & Bart. solum dicit*, quod ratio, quando est generalior dicto declarat dictum, quod applicabatur ad hunc casum, in quo clausula quoniam voluit, &c. non solum declarat, sed etiam ampliat præcedentes substitutiones, non tamen illas extendit de personis ad personas, nec Bart. qui tantum de tempore ad tempus illam extendit. Vltra quod Bartol. ibi non loquitur in ratione consecutiua, sed in oratione, quæ stat de per se, ibi, ideo feci, quia hoc volo, quæ ratio, quia generalior est, quam dictum, illud declarat. In nostro autem casu testator non dixit, & hoc ita disposui quoniam volo, &c. sed omnino consecutiue, & causatiue dicit in fine suarum substitutionum, quoniam voluit, &c. Vnde videtur, quod voluerit reddere rationem substitutionum per ipsum factarum, non autem vocare alias personas, quam illas quę in dictis substitutionibus continebantur, quod & voluit, *Rota decis. 221. num. 2. par. 2. diuers.* dicens resultare simplex fideicommissum, quia testator non per viam rationis, sed per viam principalis dispositionis ordinauerat dicendo absolutè, remaneat, non vero dicendo, vt remaneat, vel quia voluit remanere, & faciunt tradita per *Peregr. de fideic. art. 14. nu. 13. & 24.*

23 Et respondebatur ad *Rota in decis. 568. part. 1. diuers.* quod ibi verba non stabant per modum consecutiuæ rationis, sed euidenter proferebant nouam dispositionem, vt constat ex lectura testamenti, super quo dicta decisio emanauit, & sunt hæc volens prospicere honori, & vtilitati familiæ suæ expresse voluit, disposuit, ac ordinauit, bona sua remanere in agnatione sua, vt familia conseruetur, quia sibi sic placuit, vult, & placet, quę verba dicti testamenti refert *Cephal. consil. 614. in princ. lib. 4.* Vlterius quia dicta decisio procedit in ratione, quæ subditur post prohibitionem alienationis iam vestitam, tunc enim ne ratio omnino sit inutilis, fit extensio de casu ad casum, vt dicit *Alban. cons. 54. nu. 1. lib. 1.*

24 Et DD. tenentibus, quod ratio generalis ampliet, fuit responsum illos moueri, quando ratio apponitur principaliter, & dispositiue, non autem causatiue, & consecutiue, Item, & mouentur ne ratio sit inutilis. Vltra quod procedunt illorum dicta in extensione casuum, non autem personarum, sed sic est, quod in nostro casu dicta clausula quoniam voluit, &c. absque eo quod inducat nouum fideicommissum satis operatur inter descendentes Annibalis, & Cæsaris, declarando videlicet illorum vocationem, cum ipsi in precedenti dispositione esset tantum in conditione positi. Item declarando semper proximiores esse admittendos, quod non fuerat antea expressum. Item operatur effectum inducende, vel saltem declarande reciprocæ substitutionis inter descendentes à Colonello Annibalis, & Cæsaris, que reciproca non erat expressa. Et quamuis ista reciproca ex coniecturis, & iuris interpretatione ad fuisset, sufficit quod non concurrant suprascripta tria requisita ad reciprocam necessaria. Descendentes enim Annibalis, & Cæsaris, non videntur expresse vocati, sed tantum positi in conditione, & non videbatur adesse coniecturas sufficiẽtes ad vocationem descendentium ab institutis. Præcipuè ad portionem ipsorum descendentium, quo casu dicebant debere esse magis vrgentes, & necessarias, vt in Vrbeuetana Fideicommissi 24. Nouembr. 1610. coram D. meo Coccino, vbi filij fuerunt pluries in cõditione positi, & contemplata agnatio, & fideicommissum reale, quod non videtur in nostro casu, cum in eo agatur de fideicommisso personali ad fauorem institutorum, & descendentium ab eis, & semel tantum fuerunt positi in conditione.

25 Nec ex qualitate masculinitatis videbatur posse induci ad contemplationem agnationis, nisi aliæ coniecturæ concurrant, cum dilectio sexus masculini non inferat necessario ad præsumptionem conseruandæ agnationis. *Mant. vbi supra lib. 8. tit. 18. num. 17.* Vnde inherendum videbatur conclusioni, quod filij in conditione positi non censeantur inter se reciproce substituti. Vltra, quod nec ista substitutio videbatur facta vltimo morienti, nec de tota hæreditate, cum in vocatione descendentium illi dicantur tantum vocati ad portionem parentum, *Ruin. cons. 115. num. 12. libr. 3. Mantic. vbi supr. lib. 7. tit. 5. num. 17.*

26 Nec obst. illa verba hereditatem ipsam, vel illius partem, quasi quod substitutio facta sit in tota hæreditate; nam respondebatur quod cum testator loquatur de substitutione Annibalis erga Cæsarem, & illius descendentes, & è contra, ipsamet substitutio ostendit quod non loquitur de integra hæreditate cũ Cæsar Annibali, vel è contra restituere non posset nisi dimidiam hæreditatem. Quod etiam declaratur ex quo testator dixit hæreditatem totam, vel illius partem Dictio enim vel, posita post genus stat declaratiue pro, id est, & sic intellexit testator de medietate, non autem de tota hæreditate. *Ruin. cons. 99. num. 11. libr. 2.* Ex quibus inferebatur clausulam quoniam voluit, &c. non posse dici inutilem cum accesserit ad inducendam, seu declarandam reciprocam inter descendentes institutionem.

27 Minus obstare videbatur, quod verbũ volo, sit dispositiuum in vltimis voluntatibus, quod est admittendum, concurrentibus ceteris requisitis, & sicuti in prohibitione alienationis non vestita, si subditur ratio, cum verbo volo, uestitur prohibitio alienationis, non tamen inducitur simplex fideicommissum; ita nec induci ualet per rationem consecutiuam adiectā cum uerbo uolo, & quod ratio sit consecutiua, quando adest dictio, quia etiam si adsit uerbum uolo, ponit *Curt. iun. cons. 218. nu. 14. & seq. libr. 3. Beret. cons. 18. nu. 9. Hondei. cons. 78. num. 44. lib. 1. Gabr. consil. 138. num. 25. & seq. libr. 2.*

28 Minus obstare dicebatur, quod uerba fuerint in rẽ cor[illegible]pta, & sic induxerint fideicommissum reale, & perpetuum, nam hoc intelligendum est inter personas comprehensas in fideicommisso, & quando onus quantumuis reale uenit consecutiue, non extenditur de personis ad personas ex supradictis, & ut sensisse uidebatur Rota in una Romana Casalis montis melioris 14. Ianuarj 1562. coram bonæ mem. Robusterio Vlterius ad uerba, omnino, in perpetuum, & continuo, respondebatur non obstare, cum sufficiat, quod uerificentur durante illa descendentia Cesaris, & Annibalis. *Curt. iun. consil. 218. numer. 14. Surd. consil. 448. numer. 26.*

29 Et tandem non obstare clausulam omni meliori modo, uisum fuit, quia tunc operatur quando dispositio, & actus non potest ualere aliquo modo, secus uero si potest. *Menochius præsumptio. 79. numero 82. libr. 4.* ubi alios allegat, & reprobat contrarium tenentes.

30 Nec dicatur, quod ratio expressa conseruandi bona in casata ipsius testatoris, cum sit generalis, non debeat restringi ad specificam Casatam descendentiũ ab

ab institutis, quia unus ex Dominis respondebat non esse necessariam hanc extensionem, nam ratio conseruandæ agnationis sufficit, quod operetur ampliando substitutiones de casu ad casum, taliter quod bona de uno ad alium transeant propter necessitatem implendi uoluntatem testatoris, que uidetur contenta agnatione sua. Et hinc uidemus, quod cata, seu agnatio testatoris potest comprehendere plures agnationes eiusdem nominis, & sub illis contineri, tamen semper sumitur interpretatio pro illa testatoris, non tamen in genere omnibus, maxime cum additum fuerit pro nomen mei testatoris *l. pronunciatio. §. in iure enim proprio. & §. communi iure. ff. de verborum signific. Menoch. alios referens consil. 31, numer. 13. & sequent.* atque ita testator uoluit demonstrare suam agnationem specialem ex suo ipso stipite, non autem uniuersalem comprehendentem, omnes familias de Lambertinis.

11 Quod magis uidetur comprobari ex forma à testatore obseruata, antequam ueniret ad clausulam (quoniam uolo) non enim testator considerauit in formulis substitutionum extinctionem lineæ institutorum, ita ut omnibus illorum descendentibus deficientibus dixerit, uel desiderauit agnationem suam conseruari, quinimo præsupponit bona, & hæreditatem suam debere peruenire ad filios, & descenden tes institutorum, & cum effectu illud uoluisse expressit in dicta clausula, quoniam uolo, &c. & consequenter alios agnatos non considerauit testator, quam descendentes ex quo illo fratre, & nepote institutis. Vnde cum substitutiones soleant recipere suam qualitatem ex forma uerborum à principio considerata, non autem ab extrinseco accidenti *Oldr. cons. 99. nu. 2.* & huiusmodi agnati à principio non uideantur contemplati à Testatore, ita ut non uideantur exclusi, nec uocati post alios, sequitur dicendum, ut successiua uocatio eos non comprehendat, sed locnm habeat tantum inter illos, qui ab initio uo cati fuerunt, & adducebatur *Gabr. cons. 132. q. 5. lib. 1.* Ex quibus fuit resolutio fuit, recedendum esse à decisis, &c.

REVERENDISS. P. DOMINO

BONONIEN.

Romana Census Scutorum octodecim millium. Veneris 11. Martij 1611.

DECISIO CCCI.

Est impressa inter Ludouis.

DECISIO 511.

REVERENDISSIMO P. DOM.

DAMASCENO.

Vlixbonen. Prioratus. Lunæ 14. Martij 1611.

ARGVMENTVM.

De donatione Iuris patronatus facta ab eo, ad quem Ius patronatus non spectat, præsertim mediante pecunia, & simoniace.

SVMMARIVM.

Iura non dicuntur esse in forma probanti, quæ extracta fuerunt à Notario non rogato lite pendente, & sine citatione partis, num. 1.

Ius patronatus donari non potest ab eo, ad quem illud non spectat, nu. 2. & nu. 6. & 7.

Ius patronatus donari non potest cum sola auctoritate Vicarij numer. 3.

Iuris patronatus donatio facta mediante pecunia dicitur Simoniaca, & ob eam non solum impeditur translatio Iuris patronatus, sed etiam amittitur Ius patronatus, numer. 4. & 5.

Instrumenta simpliciter producta probant contra producentem in qualibet parte, nu. 5.

Testes examinati ad perpetuam rei memoriam, & coram iudice sæculari in causa Iuris patronatus nihil probant, numer. 7.

Iuris patronatus vsurpatio præsumitur in casu Concilij Tridentini, nu. 7.

Præsentatio facta à patrono per schedulam priuatam, & non recognitam præsentato non suffragatur, nu. 8.

DECISIO CCCII.

1 FVit resolutum, non constare de Iure patronatus, quod suffragetur ignatio. Primo, quia uere non constat de existentia Iuris patronatus, quia iura, quæ pro hoc probando exhibentur minime sunt in forma probanti, tanquam extracta à Notario non rogato, lite pendente, sine citatione partis, & absque iudicijs decreto, *Rota decision. 1. & 2. de fide instrument. in nou. Caputaquen. decision. 101. part. secunda, cum concordat.*

2 Secundo, quia data existentia Iuris patronatus, adhuc non suffragaretur, cum non constet de pertinentia ad fauorem illorum, qui fecerunt assertam præsentationem de persona Ignatij. Etenim acquisitio pretenditur facta per Rodericum ex donatione illi facta à Leonora, & Huiomara sororibus de Gaa, sed contra hanc donationem opponitur. Primo, non cõstare quod Ius patronatus spectaret ad donãtes, *Castr. consil. 113. numer. 1. libr. 2. & facit vulg.* regula, quod nemo plus iuris in alium transferre potest, quam in se habeat.

3 Secundo, quia donatio ista fuit facta cum sola auctoritate Vicarij, qui non potest illam ualidare. *Calderin. cons. 1. de offic. Vicar. Rebuff. in praxi, tit. de form. Vicar. Archiepiscop. & aliorum, num. 184. latè Ferret. consil. 327. num. 4. & cons. 343. nu. 7. cnm plurib. sequentib. Tan. decis. 20. incip.* donatio Iuris patronatus, & fuit dictum in causa Baren. Beneficiorum 14. Maij 1604. coram R. P. D. meo Lancellotto.

4 Tertio, dicta donatio fuit facta mediante pecunia, & sic simoniace, ob quam non solum impeditur trãslatio Iuris patronatus, *c. de iure c. præterea. il secondo, & ibi not. de Iurepatroni Abb. in c. veniens, il primo. nu. 1. de tamen. Roch. de iure patr. in vers. & vtili nu. 9. & seqq.* Verum etiam amittitur Ius patronatus *c. quia clerici, vbi gl. & Doct. de Iure patron. Paul. de Cittadin. tract. de Iure patronat. p. 9. nu. 11. vers. 4. Roch. qui de communi in vers. ipsi, vel is, nu. 54.*

5 Nec satisfecit responsio, quod solutio pecuniarum fuerit facta ad redimendas uexationes, nam omisso, quod materia absque beneplacito Apostolico est periculosa, cessat difficultas ex verbis ibi, & vt ei darent vices suas, & ius, quas, & quod dicebant habere ad dictum Ius patronatus, quod etiam probant testes, & facit inscripto Instrumentorum ibi, ob ei dimittendum ius, quod habebant in patronatu &c. Quæ instrumenta fuerunt simpliciter producta, & ideo approbata in qualibet parte. *gl. 1. in cap. præsentium de test. Abb. in c. cum super. nu. 7. de offic. deleg. Anchar. cons. 222. in princ. Paris. cons. 125. nu. 20. lib. 1.* & idem Rodericus recepit donationem Iuris patronatus à prædictis mulieribus, cum expressione quod esset patronæ, nulla facta mentione vexationum.

6 Quantum ad donationem factam eidem Roderico per Valascum fuit dictum, illam pariter non suffragari, tum quia non probatur, quod ad Valascum pertineret Ius patronatus ad supra allegata, tum quia fuit facta tanquam Compatrono, de qua qualitate non constat, & quatenus ab initio constitisset, fuisset Ius patronatus amissum per contractum Simoniacum cum illis sororibus ex supra deductis.

7 Quo vero ad donationem factam eidem Roderico per Mariam de Campos tanquam hæredem Isabellæ de Gaa, nec illa visa fuit suffragari, quia nec constat, quod dicta Isabella esset patrona, nec minus quod Maria fuerit hæres Isabellæ. Item Ius patronatus ad fauorem eiusdem Roderici deductum ex emptione loci appellati Turres de Penalua, nullum videbatur, habere iuris fomentum, cum sit fundatum in testibus ad perpetuam rei memoriam, & coram Iudice sæculari examinatis, qui nullam faciunt probationem *cap. quoniam frequenter cum ibi not. per Abb. & alios vt lit. non contest. cap. at si clerici, vbi Bald. num. 2. de iudic. Gemin. consil. 142. num. 2. cum alijs per Crauet. consil. 2. numer. 7.* Et quatenus essent legitime examinari, obstaret præsumptio vsurpationis, de qua per *Sacr. Concil. Trident. sess. 25. capit. 9. de reformation. Et quo ad consil. Gabriel. 192. num. 6. lib. 2.* quicquid sit de veritate illius doctrinæ, non probatur, quod in proposito casu Ecclesia sit incorporata cum parietibus domini, vt considerat Gabr. ibi.

8 Tertio principaliter data existentia, & pertinentia Iuris patronatus, adhuc non videbatur Ignatius esse in tuto, cum non fuerit probata illius præsentatio, nisi per schedulam priuatam minimè recognitam intra tempus datum ad præsentandum, prout de iure infra dictum tempus recognitio fieri debuit ad trad. *per Lap. alleg. 22. num. primo*, cum ibi cumulatis per Mandos recognitio namque facta infra dictum tempus coram Notario sæculari, nullius fuit roboris, cum talis Notarius minime posset se ingerere in materia beneficiali. *Gabr. post alios, tit. de fide instrument. concl. 1. nu. 7.*

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. CARD. LANCELLOTTO.

Parisien. Pecuniaria. Veneris 14. Martij 1611.

ARGVMENTVM.

Cessio facta non numerata pecunia, sed solum ex confessione de recepto dicitur simulata. Quod quando verum sit bene explicatur in hac decisione, in qua etiam alia de materia cessionis adnotantur.

SVMMARIVM.

Testes recognoscentes manum alicuius, quia eam notam habeant ex quo viderunt illum sæpius scribere, plenè probant de stylo Rotæ in schedulis priuatis concurrentibus adminiculis. nu. 1.

Schedula priuata, vt probet contra Scribentem, satis est, quod sit subscripta ab ipso scribente debitore absque eo, quod fuerit subscripta ab altera parte. nu. 4.

Diuersitas atramenti non tollit fidem scripturæ, quia potuit esse, quod tempore scripturæ in eodem loco diuersa adessent atramenta. nu. 5.

Cessionarius repræsentat cedentem, habet quæ omnes actiones & iura præcedenti competebant. num. 7.

Cessio præsumitur simulata quando non est facta præsente pecunia, sed solum adest confessio de recepto. Declara pluribus modis. nu. 8. & seqq.

Confessio de recepto, iuncta cum rapsu biennij, probat veram numerationem. nu. 8.

Creditor potest consentire, vt quod sibi debetur soluatur in pecunia, vel in alia specie. nu. 9.

Exceptio non numeratæ pecuniæ potest solum opponi aduersus cessionem quando cessio est facta mala fide, & animo vexandi debitorem, secus quando creditum cessum est indubitatum. nu. 10. & nu. 12.

Cessionis simulationem tertius allegare non potest. n. 11.

Probationes meliores in promptu habens præferri debet in concursu duorum competitorum creditorum. nu. 13.

Debitor a cessionario conuentus non potest opponere de altera cessione prius tertio facta. nu. 13.

Cedere quis potest suo creditori pecuniam sibi ab altero debitam, quam prius cesserat alteri creditori, quando creditor, cui facta fuit prima cessio, ab eodem debitore fuit satisfactus. nu. 14.

Excipiens dicitur actor in exceptione proposita, illamque propterea probare tenetur. nu. 14. in fin.

DECISIO CCCIII.

1 FVit per Dominos resolutum, constare de cessione Nasi ad fauorem Bedini, quæ suffragatur Syluiæ eius filiæ, & hæredi contra Dominos de Oricellarijs, nisi tamen obstet exceptio liberationis. De iuribus autem Dominorum de Bartholomæis quo ad omnia quod videatur. De cessione prædicta namque constat per schedulam manu eiusdem Nasi subscriptam, & recognitam per testes habentes notam manum, quia viderunt eum pluries scribere, quæ recognitio sufficit etiam de stylo Rotæ in schedulis priuatis cõcurrentibus adminiculis. *Bart. in l. 1. §. idem Cornelio. ff. de quæst. & in authent. etsi contractus. num. 6. C. de fide instrument. Ruin. consil. 46. num. 8. ibi, iunctis adminiculis & num. 9. ibi. Sed cum alijs adminiculis &c. & num. 12. libr. 4. Alexand. consil. 212. libr. 2. & late Tiber. Decian. respons. 33. num. 116. & sequentib. lib. 1. Verall. dec. 234. part. 1. & est decisio inter impressas 224. numer. 3. part. 2. Paleott. decisione 90. & decisione 329.* & fuit dictum in Casalen. siue Nullius Propositurae. 4. Martij 1596. coram bonæ memoriæ Gipsio, & in causa Romana Cottici. 4. Februarij 1604. & 20. Iunij 1605. coram R. P. Dom. meo Sacrato, & in causa Tiburtina Castrorum 4. Iulij 1608. coram Reuer. P. Domin. meo Marcomontio.

2 Adminicula verò hic plura concurrunt. Tum quia in manibus Dominæ Syluiæ reperitur schedula originalis cessionis Domini Horatij ad fauorem *Nasi. l. qui Chirographum. cum ibi not. ff. de legat. 3.* Tum qui adsunt plures literæ missiuæ scriptæ à Domino Horatio Domino Pompeo Cessionario, & post eius mortem Tutoribus Dominæ Syluiæ, quæ etiam sunt recognitæ. Tum quia idem Horatius obtulit Pompeio pro rata illi cessa per Nasum Rubinum. Tum quia petijt licentiam à Pompeio, & eius filia concordandi de credito, eumque pluries consuluit super modo exigendi creditum, & super venditione pignorum, & obtulit velle diuidere iocalia, ad quæ etiam tendunt aliquæ literæ R.P.D. Oricellarij, quæ omnia vtique sufficiut pro adminiculis, maxime quia fuit etiã recognita manus vnius testis, quod coadiuuat veritatem in manus Nasi.

3 Quod autem contra huiusmodi literas obijcitur, quod sint simplices tractatus non validantes cessionem, & quod non esset in Dominis de Oricellarijs scientia cessionis, cum omnibus suis qualitatibus, nihil facit, quia fundamentum non consistit in literis solis, sed illæ deseruiunt pro adminiculanda, & adiuuanda cessione prædicta, ad quem effectum istæ literæ considerantur.

4 Nec obstat, quod Pompeus non se subscripsit in dicta schedula, quia Pompeus ad nihilum se obligabat, & Pompeus iam adimpleuerat ex parte sua soluendo pretium, & ideo non erat necessaria eius subscriptio,

scripto, & Roman. qui in contrarium allegatur consilio 204. loquitur in tertio, ad effectum, vt perficiatur contractus, quo casu dixit non sufficere subscriptionem vnius partis, nisi etiam constet de consensu alterius, & sic in diuersis terminis, sed contra ipsum debitorem, de cuius præiudicio agitur satis est, quod ab ipso tantum fuerit sub scripta *Roland. cons. 84. num. 5. in & fin. lib. 3.*

5 Quod non fuerit recognita manus secundi testis, nihil obstat, quia sufficit recognitio manus Nasi, præsertim cum sit recognita quoq; manus primi testis, & concurrant adminicula iam dicta. Quod vero manus secundi testis videatur cōscripta diuerso atramento, nihil etiam facit, cum potuerit tempore confectionis apochæ adesse in eodem loco diuersa atramenta, prout non est alicuius considerationis titulus cessionis à tergo illius manu Nasi scriptus, cum tamē deberet esse scriptus manu Pompei, quia vltra quod non est recognita prætensa manus Nasi, in hoc loco potuit Nasus facere illam adnotationem à tergo, & cum tali adnotatione tradere schedulam Bedino.

6 Neque obstat, quod non fuerint citati Bartholomæi, quia in hoc nullum habet interesse, cum non agatur contra illos quorum iura fuerunt per dominos in omnibus præseruata.

7 Et ex his sequitur resolutio secundæ partis dubij, quod scilicet talis cessio suffragettur Domine Syluiæ ad fundandam intentionem contra Oricellarios, & ad legitimationem suę personę, cum cessionarius repręsentet cedentem, & habeat omnes actiones, quæ cedenti competebant, & dicatur etiam ipse creditor. *l. si a creditore. C. de act. & oblig. scilicet in l. per diuersas, nu. 14. q. 13. C. mand. Roman. cons. 142.*

8 Cui cessioni non obstat, quod non fuerit facta pręsente pecunia, iuxta terminos *l. per diuersas, & leg. ab Anastasio. C. mandati.* Nam plures fuerunt datæ respōsiones ab Informantibus pro Bedino, quæ Dominis placuerunt, & Primo fuit responsum, quod confessio, de qua in cessione (*mediante la valuta, che io ho riceuuta, &c.*) iuncta cum lapsu biennij probat veram numerationem *l. pecuniæ, & ibi Bald. Cod. de solution. Fulgos. cons. 217. numer. 2. vers. ad quartum, & vers. tamen communis. Gabr. consil. 67. numer. 3. versic. concord. & numer. 4. lib. 1.*

9 Nec ex illis verbis (*per la valuta hauuta à mia sodisfattione*) potest inferri, quod Bedinus non soluerit integrum prætium, quia ista verba potius significant satisfactionem, vel in pecunia, vel in alia specie, aut alio modo. *l. solutum. §. solutum. ff. de pignor. act. l. solutionis verb. ff. de solution.*

10 Secundo, quod ista exceptio non numeratæ pecuniæ potest solum opponi, quando cessio fit mala fide, & animo vexandi debitorem, vt probatur ex *d. leg.* per diuersas, ibi litigatorum vexationes, & per *gl. in verb. vendit. Gabr. cons. 67. nu. 4.* & in vltimis verbis *lib. 5.* qui animus vexandi hic non potest considerari stāte qualitate personę debitoris, nempe Regis Gallię, & stante quod creditum cessum erat indubitatum.

11 Tertio responsum fuit, quod dispositio dictarū legum habet tantum locum, quando allegatur ab illo, contra quem est facta cessio, nec potest allegari à tertio. *Bar. in leg. per. diuersas. num. 12. vers. & hoc verum. Cod. mand. Tiraquell. de retract. lignag. §. 1. gloss. 18. num. 38. vers. procederet quantum. Alexand. cons. 36. in princip. lib. 2.*

12 Quarto, quod dictæ leges non habent locum, quando ius cessum est certum. *Gabr. dict. cons. 67. n. 7. lib. 1. Crescen. dec. 10. de sent. & re indic.*

13 Non obstat alia cessio longe antea facta per Nasum Bartholomæis, quæ prætenditur, quod impediat posteriorem cessionem, ita vt non potuerint per hanc aliquid valde in Bedinum transferri, quia postquam pro parte Bedini agentis, fundata est eius intentio contra debitorem cessum, non potest ipse debitor conuentus excipere de cessione alteri facta *Bald. in l. si pater. nu. 1. vers. nec potest excipere. C. mand. Osasc. decis. 61. nu. 6.* In concursu enim duorum Competitorum ille prę feri debet, qui meliores probationes impromptu habet, iuxta terminos *l. is à quo. ff. de rei vend. & ibi Bart. in sum. Couar. pract. q. 16. nu. 2. vers. Hoc tamen casu.*

14 Vltra quod inspecta dicta cessione, & attentis circumstantijs, videatur Dominis illam importare potius quoddam mandatum ad fauorem ipsius cedentis, siue mandātis, & assignationem in pignus pro debito incerto, etiam in futurum contrahendo, vt patet ex eo, quia Bartholomæi noluerunt illam in solutum accipere, nec eorum obligationem nouare. Nam debebant computa de receptis super eo, quod debebat, vel debere potuisset, in futurum, Item quia cessio fuit facta sine pręiudicio iurium Dominorum de Bartholomæis, & anterioris hypothecę, & sine ipsorum periculo, quod totum cedere debebat Naso. Item quia ipsi non tenebātur facere aliquam diligentiam in exigendo, quæ omnia excludunt veram cessionem, & veræ cessionis effectum, nisi probaretur aliquod creditum DD. de Bartholomęis erga Nasum de illo tempore pręsens, vel futurum, de quo tantum abest, quod constet quin potius apparet de contrario, quia de eodem tempore Nasus soluit eisdem Bartholomęis Scuta octo millia in circa mediante Bancho de Saluiatis, ex quibus resultat, vt potuerit Nasus dictum mandatum reuocare, & iura taliter Bartholomęis cessa alteri cedere. *Bart. in l. factum. §. si hæres, nu. 5. versic. Aut enim cessio. Castr. num. 4. in secundo casu ff. ad Trebell. Osasc. decis. 44. numer. 4. & decis. 61. num. 6.* licet hæc principaliter concernant interesse DD. de Bartholomęis, & eorum iura, quę fuerunt in omnibus pręseruata, & ideo quatenus ipsi velint de eorom iuribus experiri, siue agendo, siue excipiendo, debent probare hanc esse veram cessionem, non autem mandatum, vel dotationem pignoris, vel saltem debent eorum creditum ostendere, tàm si agant, contra Dominos de Oricellarijs reos conuentos quàm si excipiant contra Dominam Syuiam, quę cum in sua cessione fundauerit suam intentionem, Bartholomęi excipientes de anteriori cessione dicuntur in huiusmodi exceptione Actores, *l. quingenta. ff. de probation. leg. 1. ff. de except. Bald. in l. frustra in prima oppositione. Cod. de probatione.*

15 Quod autem dicebatur, quod cessio Nasi ad fauorem Bedini habeat in ventre liberationem Bartholomeorum, & sic conditionalis, quatenus consignetur talis liberatio, fuit reseruatum, nec desuper aliquid decisum per Dominos, qui dixerunt, cessionem suffragari Dominę Syluię, nisi obstet exceptio huiusmodi liberationis.

REVERENDISSIMO P. D.

LVGDVN EN.

Lucana Bonorum Veneris 18. Martij 1611.

ARGVMENTVM.

In Pręscriptione computatio temporis fit de momento ad momentum. Cetera vide in Summarijs.

SVMMARIVM.

Possessio nulla, & infecta nullum producit effectum, nu. 1.

Præscriptio est præiudicialis, & odiosa, & ideo computatio temporis fit de momento ad momentum, nu. 2.

Confirmationis tempus attenditur, & non concessionis ad effectum inducendi præscriptionem, n. 3.

Possessionis causæ mutatio colligitur ex animo, & animi decla-

declaratione: numer. tertio.
Vsufructuarius non possidet, nec præscribit. nu. 4.
Præscriptio non inducitur ex possessione diuersis titulis causata. nu. 7.

DECISIO CCCIV.

1 DOmini steterunt in decisis vnanimi consensu ex rationibus satis copiose deductis in decisione, quibus etiam aliqui ex dictis Dominis addiderunt possessionem, quam in vim suæ impetrationis accepit Pellonus fuisse vitiosam, & infectam cum nedum ex testatoris voluntate, sed etiam ex dispositione iuris inualida esset impetratio Altaris, quod vnitum erat Ecclesiæ Sancti Michaelis, & per consequens nullos ex dicta possessione potuit haberi effectus.

2 Non obstat, quod contra decisionem deducitur Pellonum compleuisse quadragenariam. Esto enim quod ex emptoris magis exacta computatione deficiant complemento præscriptionis duo tantum menses, non autem octo, vt fuit dictum in decisione, tamen hoc nihil est, cum semper idem ius maneat, ex quo in præiudicialibus, & odiosis, qualis est præscriptio computatio temporis etiam de momento ad momentum admittitur, vt bene *Alciat. in l. anniculus. 134. de verb. signif. Cuiac. in leg. 3. §. minorem, de min. & in l. 5. ff. qui test. fac. poss.*

3 Nec facit, quod attento tempore, quo obtenta fuit Apostolica confirmatio concordiæ dici possit completa præscriptio, confirmans enim trahitur ad tempus confirmati, & non è conuerso, *leg. si fundus. in principio. de pignor. l. vero. ff. de solut. l. fin. C. ad Macedon. Signor. consilio 19. numero octauo*, deinde ad effectum, de quo agitur, sufficit sola concordia. Ex illa enim elicitur animus Pelloni, & declaratio animi satis est, non solum ad causam possessionis mutandam, sed etiam ad amittendam omnem possessionem, maxime ad istum effectum, vt odiosa præscriptio dicatur interrupta.

4 At verò ante concordiam Pellonus possidebat suo nomine, & iure absoluto, sed in concordia fuit contentus reseruatione fructuum, cum hoc insuper, vt ipse quandoque annuam quantitatem solueret, vnde videtur, quod in simplicem conditionem euaserit, & de eo etiam quid remanserit vsufructuarijs habemus in iure, quod fructuarius non possidet, nec præscribit. *§. idem placet. vers. fructuarius. Instit. per quas personas nobis acquir. Vbi Aret. l. naturaliter. in princip. Ibique Doct. de acquir. poss.*

5 Sed hæc omnia dicuntur ex abundanti, quia vt dictum fuit in decisione, non potuit aliquo modo præscribere. Pellonus non solum, quia Ciuilis possessio fuit penes etiam quod ipsi fratres S. Romani mouerunt illi litem per quam non solum ex capite litigiosi, sed etiam ob superuenientiam scientiæ testamenti fuit omnino impeditus vlterior præscriptionis progressus.

6 Atque in hoc capite sequitur etiam non posse cõiungi possessiones Pelloni, & fratrum siquidem fratres, qui produxerunt testamentum, & litem super eo per annos plures agitarunt, sciuerunt possessionem Pelloni esse improbam, ideoque non potuerunt illa possessione vti ad complementum, videlicet potius ad inchoationem suæ præscriptionis, vltra quod tituli possessionum fuerunt non solum diuersi, sed etiã contrarij, sed cessat omnis difficultas, ex quo mortuo Pellono Rector Sancti Michaelis habuit possessionẽ bonorum, de quibus agitur per quam fuit interrupta omnis præscriptio, & data interruptione frustra agetur de coniungen. possessionibus.

7 Non obstat, quod Monasterium posset venire ex titulo sibi magis proficuo, vt per *Aym. cons. 24. n. 13.* cum alijs allegatis, & per consequens ex possessione Pelloni, cuius habet iura cessa. Nam respondetur, eo tempore, quo iura fuerunt cessa, non fuisse completam præscriptionem, nec ad illam complendam suffragari illam reseruationem fructuum, de qua supra dictum est quam etiam si vellemus appellare possessionem, tamen vt veniens ex alio titulo fuit noua possessio, & per consequens noua præscriptio, ad notata *per Sarnen. super reg. de trien. q. 46. n. 46.* Vnde non possunt fratres illa iuuari, quia per paucos admodum annos durauit, ita vt vndequaque patens bonum ius Ecclesiæ Sancti Michaelis, Et ita fuit decisum vtraque parte informante.

REVERENDISS. P. D. COCCINO DECANO.

Bononien. Bonorum. Veneris 18. Martij 1611.

ARGVMENTVM.

Pronepotes an, & quando comprehendantur in emphyteusi concessa ad tertiam generationem.

SVMMARIVM.

Concessio emphyteusi facta simpliciter ad tertiam generationem non comprehendit pronepotes. num. 1. Declara, vt num. 2. & 3.
Relatum est in referente cum omnibus suis qualitatibus. numer. tertio.
Procuratoris mandatum potest quandocunque produci, etiam post sententiam, quando de mandato non fuit oppositum. nu. 4.
Emphyteusi finita infra quot tempus debeat peti à proximioribus illius reinuestitura. nu. 5.

DECISIO CCCV.

1 HOc dubium an sententia sit confirmanda, vel infirmanda habet plures inspectiones. Prima est, an pronepotes, qui petunt renouationem, sint comprehensi in inuestitura de anno 1490. Et Domini cum præsupposito, quod constet de illorum descendentia affirmatiue responderunt. Quia licèt quando concessio est facta simpliciter ad tertiam generationem, pronepotes non comprehenduntur in illa, vt de communiori videtur dicere *Gabr. de iure emphyt. concl. 4. n. 1. in fin. vers. tenendo opinionem. Verall. dec. 18. par. 2.*

2 Tamen secus est, quando inuestitura est facta ad tertiam generationem completam, ex *allegat. per Gabr. loco præcit. n. 5.* vel quando additur pronomen ipsis, vel ipsorum generationẽ. Quia istud pronomen per necesse operatur, vt pronepotes comprehendantur in tertia generatione, cum nemo possit generare se ipsũ. *Bal. in auth. quas ruinas. nu. 4. C. de sacros. Eccl. Ias. in l. 2. nu. 166. C. de iur. emphyt. Ruin. cons. 146. nu. 6. libr. 1. Dec. cons. 624. in prin. Gozad. cons. 25. nu. 17. qui testatur de communi. Bellon. cons. 8. n. 7. Iul. Clar. in §. emphyteusis. q. 34. Gabr. d. loco n. 4. in prima limit.* & fuit resolutum in causa Farsen. Villæ Caprelolæ 20. Maij 1592. coram Reuerendiss. D. meo Decano, & in causa Assisien. Emphyteusis 13. Nouemb. 1598. coram bon. mem. Gipsio, & in alia Romana Domorum 24. Maij 1600. coram bo. me. D. Cardinali Seraphino, quę fuit confirmata in proxima Rota 14. huius, coram R. P. D. meo Ludouisio, & in alia causa Romana Domus 4. Maij 1609. coram R. P. D. meo Sacrato.

3 In casu autem, de quo agitur, vt constat ex narratiua instrumenti fuit conclusus tractatus ad tertiam ipsorum generationem, & Moniales inherendo huic tractatu cõcesserunt ad tertiam generationẽ, & licèt nõ adsit pronomen, tamen intelligitur, cũ cõcessio fuerit

Aa 2 facta

facta in hærendo tractatui, in quo fuerat conclusum ad tertiam ipsorum generationem. Relatum enim est in referente, cum omnibus suis qualitatibus, *leg. asse toto. ff. de hared. instit.*

4 Secunda inspectio est, an sententia sit valida, & pariter affirmatiuè fuit responsum, quia quicquid dicatur, Arbor, & articuli fuerunt transportata. Et testes licèt iurauerint, non constat fuisse examinatos. Nullitas verò mandati Sauorini non releuat, quia cum de eo non fuerit oppositum, potest quandocunque etiam post sententiam produci, *Rota decis. 19. de procur. in antiqu. Put. decis. 283. libr. 2. num. 8. Aym. consil. 108. num. 1.*

5 Tertia inspectio est, an alia obstent sententiæ, & pariter fuit negatiuè responsum. Nam quod inuestitura non fuerit petita statim finitis viginti nouem annis, non releuat, cum fuerit petita infra annum. *Clar. §. feudum. quæst. 49.* Deteriorationes verò non subsistunt, quia incisio arborum fuit facta de licentia Monialium, sepes verò non constat debuisse fieri. Hodie autem non adesse Berledam non releuat, cum illa proueniat, & perdatur ex decrescentia, vt crescentia fluminis, *Alex. cons. 120. lib. 2. Bald. cons. 463. volum. 4.* Et ita fuit decisum.

REVERENDISSIMO P. D.

LVGDVNEN.

Aprutina Beneficij 21. Martij 1611.

ARGVMENTVM.

Beneficium quando dicatur litigiosum, ad hoc, vt intret regula de subrogando, & alia ad hanc materiam.

SVMMARIVM.

Beneficium quando, & ex quibus dicatur litigiosum. n. 1.

Mortuo collitigante super beneficio, alter collitigans subrogatur in iuribus mortui. nu. 2.

Patroni non possunt pendente lite inter alios præsentatos alium in locum vnius præsentati mortui præsentare. num. secundo.

Litem fuisse iustam saltem colorate sufficit ad effectum, vt superstes subrogetur in iuribus beneficij, quæ mortuus habebat. nu. 2.

Regula de subrogando, non habet locum in fauorem intrusi, quando beneficium est extra diæcesim. n. 3. & nu. 4.

DECISIO CCCVI.

1 NOn dubitarunt Domini, quin inter quondã Laurum, & Donatum lis fuerit, per quam Beneficium, de quo agitur, fuit effectum litigiosum. Quamuis enim patroni essent in causa, & contenderent super Iure præsentandi, tamen lis erat principaliter inter prædictos Laurum, & Donatum, quia dictis patronis præsentati fuerant coram Ordinario, à quo etiam petebant institui, & per consequens beneficium fuit effectum litigiosum, & in his terminis fuit dictum in causa Mediolanen. Beneficij 1. Iunij 192. coram bon. memoriæ Cardinale Seraphino. Idque fortius procedit, quia Donatus obtinuit institutionem ab Ordinario cuius sententia, cum in generali gradu appellationis a Vicario Firmano reuocata fuisset, Donatus causam appellationis nullitatis, & iniustitiæ contra dicti Vicarij sententiam commisit in Rota cum clausula quam, & quas. Inde enim litigiosum insurgit; tamen ex eo quod stante sententia, & institutione Ordinarij Donatus dicebat beneficium esse suum, iuxta *doctr. Bart. in authent. litigiosa. nu. 1. C. de litigios.* quam etiam ex eo, quod per dictam clausulam quam, & quas fuit introducta lis super titulo beneficij, quod propterea efficitur litigiosum, vt fuit dictum in causa Mediolanen. Cappellaniæ 3. Iulij, & sexta Nouembris 1595. coram bon. mem. Cardinale Pamphilio, & in causa Elnen. Præceptoriæ 18. Nouembris 1608. coram me.

2 Itaque existimarunt Domini eidem Donato dandam esse subrogationem in iuribus dicti Lauri collitigantis, qui lite in Rota pendente obijt tam vigore regulæ, quam ex dispositione iuris communis, *in cap. 2. vt lite penden. in 6.* maximè, quia durante ista lite inter compræsentatos non possunt patroni aliquem in demortui Lauri locum præsentare. *Calder. consil. 1. de Iurepatron. Lap. alleg. 22. num. 3. Cassad. dec. 3. numer. 5. vt lit. penden.* & ideo datur subrogatio præsentato superstiti, vt innitens tam suo Iuri, quam mortui collitigantis non possit non iuste obtinere beneficium, vt ait contra *Felin. Sarnen. quæst. 13. nu. 1. super reg. de subrog.* Nec in hoc casu agendum est de lite calumniosa. Nam ad effectum regulæ sufficit, litem fuisse iustam saltem colorate, vt per *Rebuff. ad d. reg. gl. 7. num. 3.* & hic adest iustitia plus quam colorata, ex sententia, & institutione Ordinarij.

3 Hoc autem dicunt cum præsupposito, quod beneficium sit in diœcesi Aprutina, sicuti hucusque in hoc iudicio semper assertum fuit, & exposuit etiam Aldumbellus in memoriali, quod porrexit Illustrissimo Cardinali Datario. Ceterum si beneficium esset in diœcesi Montis Alti, sicuti in hac positione allegarūt Informantes pro Aldumbello, non deberetur subrogatio Donato, quia remaneret exclusus à regula, quæ verbis expressis excipit intrusos si beneficium non est in diæcesi Aprutina, quia habet titulum à non habente facultatem instituendi. *Abb. in cap. quia diuersitatem. in secundo notab. de concess. præbend. Mandos. super reg. de subrog. q. 4. num. 2. Sarnen. super eadem reg. quæst. etiam 4. & super reg. de trien. q. 47.*

4 Ceterum quod istud beneficium sit in diœcesi Montis Alti, non fuit aliquo modo iustificatum, & Informantes pro Donato docuerunt quidem in dicta diœcesi Montis Alti quoddam beneficium nuncupatum Sanctæ Crucis de Monte, quod olim erat diœcesis Aprutinæ, sed illud, de quo agitur, nuncupatur Sanctæ Crucis ad Massam. Ideoque in his terminis fuit conclusum pro Donato, &c.

R. P. D. VBALDO.

Casalen. Domus. Lunæ 18. Aprilis 1611.

ARGVMENTVM.

Possessio probatur per testes, & per confessionem partis cessio quando dicatur, seu probetur simulata Reliqua vide in Summarijs.

SVMMARIVM.

Possessio probatur per testes, qui dicunt vidisse aliquem possidere. nu. 1. & nu. 6.

Possessio probatur ex confessione partis, & ex sustentatione litis. nu. 2.

Spoliatus cedere potest alteri actionem spolij, quam habet aduersus spoliatorem. num. 3. Vbi etiam an requiratur cessio expressa.

Saluianum interdictum datur constito de hypotheca actoris, & possessione Reorum. nu. 4.

Instrumentum facit probationem probatam, & probat hypothecam. nu. 5.

Personarum legitimatio parte non petente omissa processum non vitiat. nu. 7.

Citatio pro singulis successiuis diebus licet sit vaga, & incerta, sustinetur tamen ad aliquot sequentes dies. nu. 9.

Simu-

Simulatio non præsumitur, & ideo debet concludenter probari, nec coniecturæ sufficiunt vbi nulla adest simulandi causa, num.11.
Cessio an sit facta iusto, vel potius modico pretio, æstimandæ sunt expensæ litis faciendæ labores, dubius euentus, & personarum qualitas, an scilicet cedens tempore cessionis esset pauper. num.12.
Cessio numquid dicatur simulata ex sola confessione de recepto. num.12.
Cessio non præsumitur simulata, quando cedens habet ius certum, vt puta instrumentum guarentigiatum, num.13.
Exceptio simulationis non impedit immissionem ex c. redintegranda, vel ex vtili Saluiano interdicto, nu.14.

DECISIO CCCVII.

1 FVerunt latæ duæ sententiæ in partibus ad fauorem Annæ filiæ, & hæredis Helenæ cessionariæ Leandri de Vialardis, qui pro tertia parte domum pro indiuiso possederat cum duobus patruis, qui etiam super eadem domo annuum censum Scutorum sexdecim ad fauorem eiusdem Leandri imposuerant, & cum esset intentatum contra tertios possessores domus iudicium duplex, alterum restitutorium ad tertiam partem domus, quam Leander possederat, alterum vtilis Saluiani pro immissione duas reliquas tertias partes tanquam hypothecatas pro impositione census, & prætensæ sententiæ emanassent, causa introducta in Rota dubitaui, an sententiæ essent confirmandæ, vel infirmandæ. Et Rota censuit, quo ad vtrumque remedium esse confirmandas. Quia quo ad primum, ex cap. redintegran. 3. quæstione prima, constat de possessione Leandri, ex confessione patruorum Leandri, à quibus Antonius tertius possessor causam habet, qui in instrumento impositionis prædicti census asserunt, se domum habere pro indiuiso cum Leandro, de quo instrumento in Summario, *numer.* 1. & adminiculatur probatio ex instrumento decisionis dictæ domus inter Io. Dominicum patrem Leandri Io. Franciscum, & Augustinum fratres Ioan. Dominici, de quo in dicto Summario. *num.6.* & ex depositione testium, qui dicunt vidisse Leandrum possidere dictam domum pro tertia parte, vt in dicto Summario *num.* 10. *glos. in l. stipulatio ista. §. hac quoque. ff. de verb. oblig. Bart. in tract. de testib. vers. testis dixit aliquem possidere, num.* 9. *cum alijs per Honded. qui de communi testatur consil.17. nu. 15. libr. primo. Pontan. de spol. libr.17. capit.14. numer. 94. in fine.*

2 De possessione Antonij aduersarij constat ex eius confessione, vt in dicto Summario. *nu.9.* qua nulla est melior probatio. *cap. per tuas, de probat. Aym. consil. 61. nu.3.* & fuit dictum in vna Romana redditionis computorum 7. Februarij huius anni coram me, & ex sustentatione litis. *Cæsar de Graff. decis. 4. num. 2. de restit. spol. Pontan. de spol. lib.2. cap. vlt. nu.185. Veral. dec. 309. p.2.* Vnde satis constat, de iustitia sententiarum eo ipso, quod probatur antiquior possessio Leandri, & recentior Antonij. *Abb. in c. cum ad sedem. nu.19. de restit. spol. Rip. in cap. cum Ecclesia Sutrina. num.32. de caus. poss. & propriet. Afflict. decis. 327. numer. 2. Alex. consil. 6. num.5. libr.3.*

3 Neque obstat, quod huiusmodi actio spolij egeret expressa cessione, quia contrarium est verius. *Socin. in leg. rem quæ nobis, num.10. versic. si vero tale remedium, ff. de acquir. poss. Pontan. de spol. lib.1. c.13. nu.131. vers. & quo ad iam dicta.*

4 Quo vero ad secundum remedium intentatum in vtili Saluiano, videbatur Dominis etiam constare de iustitia sententiarum de partibus. Cum enim constet de hypotheca ad fauorem Leandri, & de possessione imponentium censum, nec non de hodierna possessione Antonij, dubitari, non potest, quin intret Saluianum, *l.1. vbi gl. C. de precar. & Salu. interd. Bart. in l. 1. num.3. ff. eo. Afflict. dec.383. num.6. Aret. in §. item Seruiana. num.9. Instit. de act. Natt. cons. 474. num. 34. Menoch. de adipisc. remed.3. nu.18.* quam opinionem seruat Rota, vt fuit dictum in Romana Saluiani 8. Iunij 1601. coram Reuerendiss. D. meo Attrebaten. & in alia Romana Saluiani 10. Ianuar. huius anni, coram me. Vbi etiam alia allegantur.

5 De hypotheca constat ex publico instrumento impositionis census cum hypotheca bonorum omnium præsentium, & futurorum, quidam facit probationem probatam. *Bald. in l. interest. nu.2. C. de solut. Dec. cons. 36. nu.2. Surd. dec. 177. nu. 4.* & ex solo instrumento obligationis probari primum extremum in Saluiano, fuit tentum in dicta Romana Saluiani coram Reuerendissimo Attrebaten.

6 De possessione Io. Francisci, & Augustini patruorum Leandri, qui censum imposuerunt, cōstat ex depositione testium, qui etiam testatur eos possedisse dictam domum, cum Io. Dominico patre Leandri, vt in Summario. *n.7.* De possessione vero hodierna Antonij, quomodo constet iam dictum est supra.

7 Non obstat, quod Anna non legitimauerit personam suam in iudicio, videlicet quod sit filia, & heres Helenæ, cui fuit facta cessio à Leandro, quia fuit responsum talem legitimationem à patre non fuisse petitam, & eius omissionem vitiare processum parte opponente, quando adest contradictor. *Ias. in rubr. C. qui admitti. nu.4. Boer. dec.171. sub nu.19. Aret. in §. præiudiciales. sub nu.3. Instit. de act.* & fuit dictum in vna Ciuitatis Castellanæ Molendini 26. Nouembr. 1599. coram R.P.D. meo Lancellotto.

8 Non obstāt, quæ dicuntur de minori ætate Antonij quia tolluntur ex facto cum asserta petitio curatoris esset pro Hercule altero fratre laico, contra quem etiā ab initio fuit motum iudicium, non pro Antonio quem constat Anno 1604. fuisse ætatis annorum 28. cum eo Anno Canonicatum Casalen. obtinuisset, & ita pro iustificatione suæ gratiæ firmauit. Rota 13. Ianuarij 1606. in causa Casalen. Canonicatus coram Reuerendiss. D. meo Attebaten.

9 Non obstat asserta nullitas examinis testium, quasi fuerit citata pars ad videndum iurare testes pro certa die, & alijs successiuis, & testes iurauerunt inde ad duos menses, quia hoc etiam tollitur ex facto ex quo fuit ostēsum emanasse aliam citationem, in cuius termino, vel post terminum intra tres dies Antonius cōparuit, & dedit interrogatoria. Citatio enim illa, & successiue, &c. licet sit vaga, sustinetur tamen ad aliquot dies sequentes, *Cæsar. de Grass. dec.9. num.6. de sent. & re iu. præsertim, & antiquo stylo de partib. Felin. in c. 2. nu.30. vers. fallit tertio. de testib. Cæs. de Grass. d. dec.9. vbi alios allegat.*

10 Non obstat dictum duorum testium pro parte Antonij, qui deponunt, Ioan. Iacobum filium Io. Francisci qui alienauit domum eam possedisse tempore alienationis, vt in Summar. *nu.7.* quia hoc non excludit possessionem aliorum ante alienationem, & sic tempore impositionis census, immo potius arguit occupationem à Io. Iacobo factam de portionibus domus ad alium spectantibus cum de eorum antecedenti possessione, satis constet ex instrumento, census, & alijs supradictis.

11 Deniq; non obstat exceptio simulationis cessionis, *ex l. per diuersas, & l. ab Anastasio. C. mand.* quia quę adducuntur ad probandā simulationē non verificantur in facto, & cum simulatio non præsumatur debet cōcludenter probari *Caput aq. dec.163. n.2. & seqq. p.3.* præsertim cum hic nulla adsit causa simulandi, quo casu nullo modo sufficiunt coniecturę ad probandam simulationem. *Corn. cons.189. n.12. lib.2. Honded. cons.41. n. 28. lib.2. Rot. dec.69. nu.2. par.2. diuers.*

12 Nec obstant, quæ dicuntur de modicitate pretij quia

quia vltra quod non est probata, respondebant Domini ad dignoscendum, An actio sit vendita iusto pretio esse æstimandas impensas litis, labores, & dubium euentum, vt in puncto declarat *Bart. in d. l. per diuersas. nu. 6. & 7. Castr. cons. 398. sub num. 3. vers. circa quintum, & vltimum, par. 2.* vbi etiam subdit, considerandam esse personam cedentis, an sit pauper, qualis tempore cessionis dicitur fuisse Leander, & ibi dicit etiam sufficere confessionem de recepto ex parte cedentis, quando alias cessio sit facta iusto pretio, & sequuntur plures relati per *Tiraquell. de retract. lignag. §. 1. gl. 18. num. 86. Gabr. in tit. de action. conclus. 5. nu. 25. vers. contrarium.*

13 Accedat, quod cum hoc casu, iura Leandri cedentis essent clara, cum haberet pro se instrumentum impositionis census cum guarentigia, cessat quælibet calumnia & præsumptio redemptionis litium, vt tradit *Ang. in d. l. per diuersas. num. 2. Cresc. dec. 10. num. 3. de sent. & re iud.*

14 Vltimo dicebant Domini eiusmodi exceptionem requirere altiorem indaginem, & ideo nō debeat impedire, vel restitutionem ex cap. redintegranda. vel immissionem ex vtili *Saluiano, l. fin. Cod. quorum bonorum.* & fuit dictum in Romana Saluiani. 3. Iulij 1696. coram Dom. meo Lancellotto, & alijs sæpè. Et ita fuit decisum.

REVERENDISS. P. DOMINO
ATTREBATEN.

Ferrarien. Prioratus. Lunæ 18. Aprilis 1611.

ARGVMENTVM.

Beneficij vltimus status, & quasi possessio conferendi an, & quando attendatur, vbi agitur de validitate Collationis quomodo, & per quantum tempus dicti Beneficij vltimus status, & quasi possessio conferendi probatus dicatur.

SVMMARIVM.

Beneficij status spacio 40. annorum legitimè præscribitur. num. 1.

Possessio turbida, & proueniens ex titulo contrario, vel incerto non releuat. nu. 2.

Beneficij status mutatio, vt probata, & præscripta dicatur per lapsum 40. annorum, requiritur potestas, & voluntas mutandi statutum. num. 3. & 4. vbi amplius, quod requiritur bona fides. & nu. 5.

Mala fides Authoris nocet etiam successori. nu. 5.

Beneficij collatio, vt valida reputetur, attenditur dicti Beneficij vltimus status, & quasi possessio conferendi. Declara, vt nu. 6.

Collatio de beneficio regulari facta sæculari est nulla ipso iure. num. 2.

Collatio beneficij quando est nulla ipso iure. nu. 7.

Collatio beneficij quando est nulla ipso iure, tunc eiusdem beneficij status non probatur per quasi possessionem, nisi bona fide fuerit continuata per 40. annos. nu. 7.

Collatio beneficij differt ab institutione vigore nominationis factæ à prætenso patrono. nu. 8.

DECISIO CCCVIII.

1 FVit in hac causa resolutum coram R. P. D. meo Decano, Prioratum, de quo agitur, esse beneficium regulare, vt in decisionibus datis, quæ modo quo ad hoc non impugnantur. Sed informantes excipiunt de statu contrario legitime præscripto spacio 40. annorum, iuxt. cap. cum de beneficio. de præben. in 6. Quod in facto non subsistit, nam ab anno 1561. vsque ad vltimam vacationem, adsunt tantum anni 38.

Nec suffragatur, quod prætenditur hunc Prioratū
2 fuisse rectum per sæculares ab anno 1529. quia Thomas Mustus prouisus de illo anno per obitum Trotti qui fuerat prouisus vti de sæculari, obtinuit etiam Commendam à Sede Apostolica, ita vt potuerit possidere vigore Commendæ. Quare ipsius possessio vti turbida, & proueniens ex titulo contrario, vel saltem incerto non releuat. *Abb. cap. 2. in fin. de censib. Fel. in cap. cum Bertoldus. nu. 26. vers. merito dicit Abb. de re iudicata. Dec. in cap. in præsentia. nu. 58. de probat.*

Nec sufficit solus lapsus 30 annorum cum constet
3 de priori statu regulari certo, sed requiritur potestas, & voluntas statum mutandi, *vt notat. in d. cap. cum de beneficio. vbi per Archid. Ioan. Andr. & Franc. numer. 6. & Gemin. num. 9. Felin. in cap. in nostra. num. 41. versic. 2. nota. de rescript. Silua. de benef. par. 3. quæst. 11. nu. 124. & seqq. Rebuff. super concordat. tit. de collat. §. volumus. in verb. regularia. vers. 3. requiritur.* & hinc est, quod dici solet, prouisiones Papæ non mutare statum, quia deficit mentio, & voluntas.

Præterea cum possessione quadragenaria requiri-
4 tur bona fides, vt post *Lap. in dict. cap. cum de beneficio. num. 1. tradit. Prob. in addit. ad Monach. num. 7. & præal. Doct. Calder. cons. 12. de Iure patron.* & de istis tribus requisitis copiose fuit dictum in Perusina S. Benignati 13. Martij 1588. & 17. Martij 1509. coram bon. mem. Card. Pamphilio, & in Vrgellen. Parochialis. 13. Ianuarij 1606. coram R. P. D. meo Marcomontio, horum autem nullum in præsenti casu verificatur. Episcopus enim non habet potestatem conferendi beneficia regularia, quando sunt exempta. *cap. Abbate. & ibi Abbas num. 3. de verb. sig. Vitalin. in rubr. Clem. de supplenda neglig. Prælat. num. 16.* Neque constat de intentione primi Episcopi qui fecit prouisionem de hoc Prioratu vti de sæculari, ad hunc enim effectum debuisset exprimere in collatione se conferre beneficium sæculare, *vt not. in d. cap. cum de beneficio. & per Fel. Silu. & Rebuff. locis allegatis.*

5 Deficit etiam bona fides in prima institutione facta vti de sæculari, cum detur malum initium, attento statu præcedente, quem non poterat ignorare Episcopus primum instituens, qui ex officio tenebatur quotannis visitare suam Ecclesiam, & se informare de statu beneficiorum suæ diœcesis, nec est habenda ratio bonæ fidei successorum etiamsi non potuissent incipere, quia non datur cursus 40. annorum à tempore secundæ prouisionis, nec datur accessio temporis prædecessoris, qui erat in mala fide, *Con. arr. in reg. possessor. secunda parte. §. 9. num. 6. vers. 7. apparet. de reg. iur.* & fuit firmatum in dicta causa Perusina S. Beuignati.

6 Non obstat, quod ad effectum validitatis collationis attenditur vltimus status, & quasi possessio conferendi c. consultationibus. de Iure patr. quod licèt loquatur in præsentatione, tamen habet locum etiā in quasi possessione conferendi. *Bal. cons. 437. nu. 1. lib. 2.* & ita sepè fuit à Rota decisum, procedit enim vbi non agitur de mutatione status ipsius rei, sed solum de vsu & statu ipsius vsus, quo casu tantum debet attēdi status qui tūc est, vel possessio, secus vbi agitur de status mutatione in preiudicium alterius, & vbi probatur aliū statum legitime prescriptum præcessisse, vt loquitur & distinguit *Rot. dec. 2. n. 2. de præb. in nou. Fel. d. cap. in nostra. n. 43.* Nam priore casu attenderetur possessio quæ sola impediret impetrantem, vel sibi prodesset, posteriore autē non sufficeret possessio, sed requiritur præscriptio, vel consuetudo præscripta. *vt d. c. cum de beneficio. ponderarunt Io. Monach. Archid. & Io. And. & Gl. in verb. institutis, cum sua additione, & Lap. Abb. n. 4.*

7 Preterea huiusmodi collatio de benenefici o regulari facta sæculari est ipso iure nulla. *cap. super eo. de regularib. cap. cum singula. §. prohibemus. de præbend. in 6. Clem.*

Clem.1. de elec. Clem.1. de suppl. negli. Prælat. Concil. Trid. sess.14. c.10.& 11. de reform. & est reg. Cancellariæ 42. Rot. decis. 28. de præben. in nou. vbi loquitur in collatione beneficij regularis facta sæculari, quando autem collatio est nulla ipso iure, non sufficit quasi possessio, nisi bona fide fuerit continuata per 40. annos. *Ægid. decis.172. quam refert Felin. in d. ca. in nostra. n.44. Rebuf. de pacif. possessorib. nu.159. in fi.*

8 Placuit etiam Dominis aliud fundamentum, quod omnes vnanimiter amplexi fuerunt, quia videlicet Episcopus non contulit vnquam libere, sed ad præsentationem Ducum Ferrariæ ex vsurpatione ortum habentem instituit, quæ institutiones non possunt deseruire pro quasi possessione libere conferendi ad effectum, vt intret alternatiua, cum aliud sit libera collatio, aliud institutio proprie sumpta, per quam superior velit nolit tenetur ius transferre in præsentatum per patronum, vt est notum, cessante vero vsurpatione, Prioratus quasi postliminio omne ius suum recepit, absque eo quod maneant reliquiæ effectus vsurpationis apud Ordinarium, vt possit prætendere acquisiuisse aliquem statum libere conferendi personæ sæculari, *arg. l. cum loca. ff. de relig. & sumpt. fun. l. si ager. ff. quib. mod. vsusfruc. amitt. l. in bello. §. codicilli. ff. de capt. & postli. reuer.* Atque hinc tolluntur quæ dicuntur de quasi possessione cum bona fide, &c.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. CARD. LANCELLOTTO.

Romana Hæreditatis de Marescottis. Lunæ 18. Aprilis 1611.

ARGVMENTVM.

De hærede instituto in re certa aliena an, & quando ei dictæ rei alienæ debeatur æstimatio.

SVMMARIVM.

Legatario rei alienæ, seu instituto in re aliena non debetur æstimatio, quando testator credidit rem esse suam, & non alienam. Declara, vt nu.3.& 4.

Filio instituto à patre in re aliena debetur æstimatio, etiam quod pater credidit rem esse suam, nu.4.

Legatum rei alienæ testatori tamen debitæ an, & quando operetur, vt legatario illius æstimatio debeatur. nu.10.

Legatum rei alienæ, in qua testator habet tantum vsumfructum, verificatur in vsufructu, postquam non potest habere locum in proprietate. Declara, vt nu.11.

Vsusfructus in bonis filio donatis à Principe non acquiritur nec patri, nec auo. nu.12.

Legatum recipit interpretationem iuxta facultates testatoris. num.13.

Legatum fauorem filiorum est latissimè interpretandum. num.13.

Filius magis præsumitur dilectus à testatore quàm extraneus nu.13.

DECISIO CCCIX.

1 Domini perstiterunt in decisis, quod scilicet debeatur æstimatio Castrorum, quatenus testamentum Alphonsi sustineatur, sub hac enim conditione facta fuit præcedens, & præsens decisio, nempè si testamentum sustineretur, de quo erit agendum, quod si testamentum non sustineretur, & esset nullum intraret alia inspectio de clausula codicillari, cuius vigore prætenditur, quod Marcus Antonius censeretur retenta sibi legitima grauatus per fideicommissum restituere residuum Iuliæ hæredi institutæ ab Alphonso, sed si testamentum sustineretur, placuit Dominis decisio in hac causa facta, cum stantibus sententia capitali contra D. Alphonsum lata Anno 1592. confiscatione Castrorum Iulianelli, & Parrani cum ceteris bonis, & Cameræ Apostolicæ incorporatione, ac illorum restitutione facta de anno 1596. D. Sfortiæ nullo iure in ipsis reseruato ad fauorem Alphonsi, & stante etiam scientia D. Alphonsi ob eius interesse quamuis Castra prædicta essent D. Sfortiæ, sequitur, quod dum ipse Alphonsus de anno 1602. instituit D. Marcum Antonium eius vnicum filium in dictis Castris cum instituerit scienter in re omnino aliena ei debere æstimationem dictorum Castrorum, quatenus testamentum sustineatur ex rationibus, & auctoritatibus in alia decisione relatis, non obstantibus ijs, quæ pro parte D. Pyrrhi deducta fuerunt.

2 Et primo non obstat, Dominum Alphonsum non instituisse Marcum Antonium in Castris, sed tantum in testamento declarasse, quod alias dicta Castra relinqueret, nam fuit responsum, quod verba testamenti sunt adeo clara, vt nullam egeant interpretatione, cum dicat testator, *& l'instituisco, & nomino herede, &c.* quæ verba hæredis institutionem, non autem declarationem important.

3 Secundo non obstat, quod Alphonsus crederet Castra esse sua, ex quo credebat retrodonationem factam à Marco Antonio non potuisse subsistere vti factam in preiudicium filiorum, & quod per hanc credulitatem poterat Marcum Antonium in dictis Castris instituere, vti in rebus donatis, ita vt stante tali credulitate non debeatur æstimatio ex dispositione *l. Sticho. ff. de vsufruct. legat.* Nam fuit responsum, quod ista credulitas non applicetur, cum credere retrodonationem non posse subsistere non sit credere Castra esse sua, sed esse donatarij, aut legatarij. & *d. l. Sticho. & DD. allegati loquuntur*, quando testator tempore legati coniunctæ personæ crediderit rem, quam legauit ad se pertinere ex aliquo titulo speciali, qui tamen eo ignorante fuerat extinctus, vt per *Couar. in cap. filius vero. 40. de testamen. & per Mantic. de coniect. lib. 9. tit. 9. num. 40. vers. & hoc sane.* Sed hic Alphonsus non poterat prætendere ad se spectare Castra ex titulo speciali ipso ignorante extincto, quia cum omnia eius iura fuerint extincta per confiscationem non potest allegari ignorantia in facto proprio ab eo præsertim, qui fuit carceratus, & deinde condemnatus, & Castra Cameræ incorporata, ipsoque præsente Sfortiæ restituta.

4 Vltra quod limitatio adducta in dicta *l. Sticho.* non procedit in institutione filij, quia tunc fauore testamenti ne rumpatur, valet legatum, & debetur æstimatio. Guglielmus de Cuneo, quem refert, & sequitur *Bald. in l. scimus. num.9. & ibi Paul. de Castro. nume.4. Salicetus in d. l. scimus. §. repletionem. sub num. 6. vers. quæro id* quod de cautione dicitur. *C. de inoffic. testamen. Eman. Cost. in c. si pater. in 2. par. in verbo subsequenter. & filia. num.6. de testamen. Guglielmus de Benedictis. in repetit. 2. c. Rainutius. in verbo in eodem testamento relinquens. il primo. num.262. in fi. eod. tit.*

5 Demum vero dicitur, quod Alphonsus credebat retrodonationem non posse subsistere in præiudicium filiorum, tollitur ex deductis in alia decisione, vltra quod cum dictam retrodonationem acceptauerit, & illa pluries vsus fuerit in iudicio, & extra tam ante confiscationem, quam post, non poterat credere retrodonationem non sustineri.

6 Tertio non obstat, quod Marcus Antonius pro recuperatione Castrorum dum lis pendebat in Camera coram bo. mem. D. Lomellino donatione ipsius Alphonsi vsus fuerit, & quod etiam ex hac donatione Papa motus fuit ad restituendum Castra nepotibus. Nam vltra ea, quæ circa hoc deducta fuerunt in decisione, fuit etiam responsum id non releuare, & præcipue quod Marcus Antonius pro redimendis Castris, vsus fuerit donatione, nam hoc magis tendit ad corrobo-

roborationem decisionis, quia Camera præsupposita dicta donatione censuit Castra non esse restituenda Nepotibus, sed posse confiscari ob delictum Alphonsi, & hoc, quia extabat retrodonatio, de qua fiscus, & Camera iam eo tempore habuerunt notitiam, cum ea Alphonsus vsus fuerit antea per actum Penazzol coram A.C. contra Fiscum, prout etiam non releuare, quod Pontifex motus fuerit ex donatione, quia vltra quod hoc non tollit retrodonationem, nihilominus in breui non legitur, quod motus fuerit ex dicta donatione, neque est hoc præsumendum, stante resolutione facta in Camera contra dictam donationem, & sic dicendum est, prout in breui legitur, quod Pontifex motus fuerit ad restituendum Castra ob fideicommissa, non autem ob donationem vltra quod hoc non potest adaptari ad limitationem. *l. cum rem alienam. neque ad l. Sticho.*

7 Quartò non obstat, quod dicitur de legitima, quia non facit ad rem, cum in breui nulla fiat mentio de legitima, vltra quod si ex bonis Alphonsi erat detrahenda legitima, hoc erat ad fauorem Marci Antonij non autem Sfortiæ.

8 Quintò non obstat, quod dicitur de Scutis 4. mill. per Alphonsum solutis ad computum Scutorum 10. mill. Cameræ Apostolicæ pro compositione D. Sfortiæ, quia satis fuit sublatum in decisione.

9 Quo vero ad alia Scuta 6. mill. redigen. ex tenuta Sanguinaria, vltra quod dicta Scuta 6. mill. Alphonsus promisit soluere Cameræ, nec soluisse docetur, nihilominus illa tenuta non erat Alphonsi, sed Sfortiæ donata in primo Chirographo Clementis, & propterea D. Sfortia hodie repetit ab Alphonso præcipue dicta Scuta 6. mill. ex pretio Sanguinariæ per ipsum venditæ, vt ex actis causæ, vltra quod etiam in his militaret ratio in alia decisione deducta circa Scuta quatuor mill.

10 Hinc tollitur, quod saltem Marcus Antonius dicatur institutus in illo credito Scutorum 4. mill. Cameræ solutorum, quia illa fuerunt soluta de proprijs pecunijs Sfortiæ, & in testamento clare constat Iuliam fuisse etiam in omnibus creditis hæredem institutam, quo fit, vt si Alphonsus esset verus creditor dictorum Scutorum 4. mill. hoc in specie fuit relictum Iuliæ eius hæredi, vt legitur in testamento, addito vlterius, quod etiam admisso credito Alphonsi tradita per *Surdum cons. 113. num. 14. & sequen. & per Manticam de coniect. lib. 9. tit. 1. num. 15.* quod censeatur testator reliquisse illam actionem tantum licet personalem, non videntur habere locum in omni actione personali, quæ nihil habeat commune cum re legata, sed in illa actione personali, quæ competit ad rem ipsam, tunc enim verum est, vt inquit Surdus post alios, quod censetur illud ius, siue reale, siue personale relictum, & loquitur quando res est testatori debita, vt in his terminis loquitur. *Bal. in l. cum rem alienam. num. 2. in fin. & alijs per Surdum allegatis, num. 15.*

11 Sexto non obstat, quod dicitur de prætenso vsufructu quem Alphonsus ex transactione facta inter ipsum, & Marcum Antonium habeat in Castro Parrani in quo vsufructu dicitur institutus Marcus Antonius non autem in æstimatione Castrorum, iuxta *tex. in l. vxor patrui.* Nam fuit responsum id non applicari, quia ex transactione facta ante restitutionem Castrorum Alphonsus tantum habebat vsumfructum in Castro Parrani; dum autem instituit Marcum Antonium, in Castris Iulianelli, & Parrani, & in Castro Iulianelli, nec vsumfructum, nec aliud ius haberet, & stante scientia supradicta, quod Castra essent aliena, dicendum est, reliquis se æstimationem non autem vsumfructum, cum non sit dicendum noluisse relinquere æstimationem vsusfructus, quem habebat in Castro Parrani, & æstimationem Castri Iulianelli, quod bene probatur ex eo, quia institutio Marci Antonij habet relationem ad donationem Alphonsi in qua Castra Iulianelli, & Parrani fuerunt donata, non autem vsusfructus Castri Parrani idcirco de Castris est intelligenda institutio, non autem de vsufructu, cum relatum sit in referente cum omnibus suis qualitatibus, & sic non applicatur. *l. vxor. patrui.* Quia hic mens testatoris, est clara, quod voluerit filium instituere in Castris Iulianelli, & Parrani, vt patet in testamento, & quando testator voluit intelligere de tota re, prout in casu de quo agitur non procedit dicta *l. vxor patrui. Gomez. c. 12. num. 15. col. 4. vers. 2. limitat.* & fuit dictum. in causa Romana de incoronatis coram *Cotta, quæ est diuersorum 621. par. 1.*

12 Et hinc tollitur, quod dicitur Papam non prohibuisse Alphonso vsumfructum in dictis Castris. Vltra quod sat est ei non reseruasse vsumfructum, prout fecit in donatione bonorum allodialium, immo illum vendidit Camera Sfortiæ, vt legitur in Breui, & tanquam Auus paternus non poterat prætendere vsumfructum, quia in bonis donatis à Principe non quæritur vsusfructus, nec Patri, neque *Auo. l. cum multa. C. de bon. quæ liber.* prout etiam non releuat, quod Castra fuerint restituta Sfortiæ, vel per transactionem, siue donata, quia sat est ad hunc effectum, quod tempore testamenti Castra erant Sfortiæ non autem Alphonsi.

13 Septimò non obstat, quod non sit verisimile testatorem voluisse relinquere æstimationem Castrorum Marco Antonio, quæ absorberet, immo excederet totam hæreditatem, & sic non solum institutio hæredis remaneret superflua, & esset circuitus inanis, sed etiam resultaret damnosa, & quod legatum ex facultatibus testatoris æstimetur, & interpretationem recipiat, iuxta *l. quæsitum. de acquir. hæredit. Card. Mantic. de coniect. lib. 6. tit. 12.* Nam fuit responsum, quod legatum fauore filiorum est latissime interpretandum. *l. cum rem alienam. C. de legatis.* & maxime quando voluntas testatoris est clara, & manifesta, patet quod ita voluit, prout in casu nostro, in quo pater scienter filio rem alienam reliquit, & sic dici etiam potest, quodam in hoc casu voluerit testator se conformare cum dispositione iuris communis. Mantica vero allegatus dicens, quod institutus sit magis dilectus, hoc dicit ad ostendendum non esse bonam limitationem, videlicet, quod sit late interpretandum legatum dum tamen non sit relictum à pari, vel magis dilecto. Nam inquit Mantica, si ista limitatio esset vera, aut nunquam, aut valde de raro legatum ratione coniunctionis esset late interpretandum, quia semper institutus dicitur magis dilectus, & ita procedit *Mantica arguendo. num. 24. 191.* sed ego considero, &c. ita vt nulla præsumptio maioris dilectionis instituti non tollat, quin legatum sit late interpretandum ad fauorem filiorum, vt habetur in *d. l.* cum rem alienam, & sic ad fauorem filiorum latissima sit interpretatio legati, quamuis etiam institutus sit magis dilectus, quod hic de plano procedit. Quia hæres institutus est persona extranea, legatarius vero filius vnicus, qui magis præsumitur dilectus, quam extraneus ex deductis in alia decisione, quibus additur *Bero. cons. 9. nume. 2. & 3.* neque potest considerari inuerisimilitudo, quæ desumitur ex prohibitione testatoris, qui mandauit, vt relicto acquiesceret, quia immo hinc sequitur, mentem testatoris fuisse, vt deberetur ei præstare æstimatio, iuxta iuris dispositionem, alioquin non poterat sperare, vt filius acquiesceret, quia remaneat præteritus.

14 Nec potest considerari inutilis circuitus, nec dici hæres grauatus in plus, & hæreditas damnosa, quia ijs omnibus fuit à lege prouisum, & in speciem per facultatem adeundi hærenditatem cum ben. *le. & inuentar.*

15 Quod si ad coniecturas, & circumstantias facti recurrere velimus sine dubio preualent coniecture pro hac

hac parte, quod omnia scilicet bona Alphonsi, fuerint relicta Iuliæ vxori ad istum effectum, vt ad Marcum Antonium, siue eius filios deuenirent, non autē ad personas extraneas, quod esse contra omnem equitatem, & rationem, & in antecedentibus testamentis, Iulia semper fuit hæres vsufructuaria instituta, filij vero Marci Antonij, & ipsemet Marcus Antonius proprietarius signum euidens, quod Alphonsi intentio erat, vt bona post mortem Iuliç per æstimationem legati transirent ad filium, seu nepotes, & ideo Marcus Antonius dum vixit non molestauit super hac æstimatione Iuliani matrem, sed cum dispositio super tali æstimatione sit clara ex iuribus, rationibus, & auctoritatibus, in alia decisione adductis non est opus coniecturis.

R. P. D. CAVALERIO.

Vratislauien. Matrimonij. Lunæ 28. Februar. 1611.

DECISIO CCCX.

Est inter Caualerio impressa.

DECISIO 142.

REVERENDISS. P. D. COCCINO. DECANO.

Pientia Iuris patronatus. Ven. 22. Aprilis 2611.

ARGVMENTVM.

Ius patronatus donari non potest sine licentia Episcopi. Nec propterea sufficit licentia Vicarij sine speciali mandato. Et quid si Episcopus sit abscens.

SVMMARIVM.

Donatio Iuris patronatus fieri non potest absque consensu Episcopi, ita, & taliter, quod non sufficiat consensus Vicarij absque speciali mandato. num. 1.
Probatio æquiuoca non releuat. num. 2.
Ordinarius quis dicatur an Episcopus, an vero eius Vicarius. num. 2.
Episcopi, & Ordinarij licentia numquid præsumatur ex cursu temporis. num. 2. in fine.
Verba sunt intelligenda in potiori significatu pro validitate actus. Fallit in materia probatoria. num. 3.
Vicarius Episcopi abscente Episcopo an possit dare licentiam in donatione Iuris patronatus. num. 4. Vbi etiam generaliter de materia.

DECISIO CCCXI.

1 CVm iuxta decisiones factas Ius patronatus, de quo agitur, spectet ad familiam de Cacciacomitibus, Domini dixerunt ex donatione allegata non spectare ad familiam de Albertis, cum fuerit facta absque consensu Episcopi, qui ita, & taliter est necessarius in donatione Iuris patronatus, vt non sufficiat consensus Vicarij absque speciali mandato. *Calderin. cons. 1. de off. Vic. Ferrettus consi. 343. num. 7. lib. 2. Thom. de Tan. decis. 20. lib. 1.*

2 Neque obstat, quod in donatione enuncietur cum iuramento fuisse habitam licentiam ab Ordinario Episcopatus, quia non inde infertur, quod fuerit habita licentia ab Episcopo, quia vel ista verba sunt æquiuoca, vel magis conueniunt Vicario, *iuxt. not. per glos. in c. Romana. in princ. vers. generaliter. de appellat. in 6.* & si licentia fuisset habita ab Episcopo, facilius fuisset dicere ab Ordinario Pientino, prout proprie appellatur Episcopus, quam ab Ordinario Episcopatus, quæ verba magis conueniunt Vicario, vt dictum est, & propterea ista probatio, tanquam æquiuoca non releuat. *ca. in præsentia. de probat.* nec potest declarari ex iuramento, cum cadat super ipso æquiuoco, quod eo magis augetur, cum facta perquisitione in scripturis Notarij, qui de dicto consensu fuit rogatus, reperitur tantum licentia Vicarij, & hoc non deducitur ad excludendum, quod non potuisset dari alius consensus Episcopi, sed ad corroborandum, quod verba enunciata sunt æquiuoca, & de alio consensu non apparet, nec potest præsumi ex cursu temporis, cum non adsit obseruantia. *Abb. in c. Albericus. nume. 6. de testibus. Alex. consil. 12. num. 7. lib. 4. & fuit pluries resolutum.*

3 Neque obstat, quod pro validitate actus, verba sunt intelligenda in potiori significatu, & ideo verba illa, de licentia Ordinarij Episcopatus, sunt intelligenda de Episcopo, quia prædicta regula non habet locum in materia probatoria, vt per *Dec. in consil. 321. num. 6. & 7. versic. & probatio facta simpliciter. Abb. in c. in præsentia. num. 9. in penult. not. de probat.*

4 Non obstat, quod Episcopo absente, Vicarius videatur posse dare huiusmodi licentiam, quia omisso, quod abscentia Episcopi non videbatur probata, ista conclusio iure non probatur, quia *Archidiac. in cap. Reatina. 63. distinct.* quem sequitur Turrecrem. & Præposit. ibid. & multi, quos allegat additio ad *Roman. singul. 700. incip.* ex longæua, hoc non dicunt, loquuntur enim, quando ante electionem de consuetudine requiritur consensus Episcopi, vel alterius superioris, qui si est extra Episcopatum suum, sufficit tunc requirere consensum Vicarij, & mouentur authoritate, *text. in cap. ex frequentibus. de instit.* vbi expresse dicitur, quod institutio beneficiorum de iure spectat ad Episcopum, vel eius officialem, ibi, sine consensu Episcopi, vel officialium suorum, qui hoc de iure possunt, qui casus longe differt à præstatione consensus super donatione Iuris patronatus, quia in illo casu adest necessitas, & vtilitas Ecclesiæ, ne diu beneficium vacet, & propterea absente Episcopo, ne impediatur dicta vtilitas, vel necessitas Ecclesiæ, Iura dilatant Vicarij potestatem, *cap. cum nullus. de tempor. Ordin. lib. 6.* & eleganter *notat. Abbas in cons. 88.* Videtur dictum. *D. Ioannem num. 6. col. 3. in fin. vers. venio ad quartum*, ibi, primo propter abscentiam in remotis. *lib. 1.* in præstatione autem consensus super donatione Iuris patronatus nulla adest necessitas, aut vtilitas Ecclesiæ, & hoc tenet expresse. *Ferrettus in d. consi. 343. num. 13. versic. nec obstat si diceretur, & cons. 327. num. 6.*

5 Quod autem licentia Vicarij non fuerit bene compulsata, non citato Procuratore D. Francisci, non videbatur facere, quia ipse non est in causa cum nunquam produxerit suam gratiam, & sufficit citasse illos, qui sunt in causa, vltra quod dicta licentia adducitur pro nudo adminiculo tantum.

REVERENDISS. P. D. PEGNA DECANO.

Romana Iuris patronatus de Cardellis. Veneris 22. Aprilis 1611.

ARGVMENTVM.

De probatione Iuris patronatus secundum ius commune multa explicantur notanda, de quibus in Summarijs.

SVM-

SVMMARIVM.

Ius patronatus priuatorum non continetur sub dispositione Concilij Tridentini, quod loquitur in casu præsumptæ vsurpationis, sed remanet in puris terminis iuris communis. num.2.
Ius patronatus de iure communi probatur per quadragenariam vna cum fama, num.3.
Ius patronatus probatur per longissimam possessionem vltra centum annos, & isto casu præsumitur titulus fundationis. num.4.
Enunciatiuæ duæ antiquissimæ in diuersis instrumentis contentæ probant Ius patronatus, etiam contra tertium. n.6.
Ius patronatus probatur per plures præsentationes, de quibus. num. 7. & seqq.
Enunciatiua assertio Pontificis præsertim in antiquis emanata etiam de facto alieno plene probat. num. 18.
Sententia super statu beneficij inter alios lata, facit ius quo ad omnes, num.19.

DECISIO CCCXII.

1 CVm de anno 1609. vacasset hæc Cappellania ad Altare S.Luciæ in Parochiali Ecclesia S. Ceciliæ ad Montem Iordanum de Iure patronatus Domini Iulij de Cardellis per obitum Nicolai Vari vltimi Rectoris, ad eam fuit à prædicto Domino Iulio præsentatus Michael Angelus Zitus coram Domino Cardinale Montalto, ad quem ratione tituli Ecclesię S.Laurentij in Damaso spectat institutio. Sed cum idem Dominus Cardinalis eandem Cappellaniam tanquam liberam contulisset Domino Stellæ de Stellis, cõmissa causa in Rota, dubitaui, An constaret de Iure patronatus ad effectum, vt non Domino Stellæ, sed Michaeli Angelo à patrono præsentato Cappellania esset adiudicanda: & Rota, vtraque parte informante, de Iure patronatus constare censuit.

2 Nam præsuposita veritate, quod articulus versabatur in Iure patronatus priuatorum, in quo Concilium Tridentinum nihil innouauit, & consequenter abesset præsumptio vsurpationis, & sic probatio Iuris patronatus esset relicta in terminis iuris communis, vt sæpe dixit Rota, & signanter in causa Tuden. Iuris patronatus die 13. Iunij 1572. coram bo.mem. Cardinale Lancellotto tunc Rotæ Auditore.

3 In hoc casu, & sufficiens, & superabundans de iure communi aderat probatio, quæ afferebatur præter quadragenariam cum fama, ex quibus resultat legitima probatio. *Cassadorus decis. 2. incip. fama regulariter. nu. 4. de probat. Puteus decis. 60. incip. in eadem fuit dictum, in fine, & decis.* 140. *incip.* sexta Iunij 1541. in fine. *lib. 1. Achill. decis. 6. incip. fama, quæ probat in antiquis. & decis. 7. incip. Ius patronatus ex fundatione. nume. 4. de Iure patron.*

4 Concurrebat longissima possessio vltra centum annos, vnde præsumitur titulus fundationis. *Abbas in c. querelam. num. 9. de electione. Idem Abbas consil. 76. incip. inuocato Christi auxilio. in 1. dubio. lib. 2. Zabarella in Clem. 2. quæst. 5. de Iure patron. Bald. in l. cum super. num. 3. C. de rei vendic. Rocchus de Curte, trac. de Iure patron. in verbo, ipse vel is. quæstione 36. num.87. & 88. Dec. cons. 126. incip. in causa Dominici Francisci. num. 3. Gabr. consi. 192. incip. si velimus. lib.2.* & tenuit sæpe Rota, & signanter in causa Pampilonen. Iuris patronatus, die 16. Iunij 1586. coram bonæ memoriæ Orano tunc Rotæ Auditore.

5 Præsentationes enim continuatæ, & effectuatæ aderant ab anno 1479. vsque ad præsens: nam de prædicto anno Sixtus Quartus, cuius literæ Apostolicæ originales sub plumbo fuerant in actis productæ, mandabat prouideri de hac Cappellania S.Luciæ tunc vacante per obitum Don Baptistæ de Panibus sub illis verbis, quæ de Iure patronatus Laicorum existit, Euangelistæ de Panibus, qui fuerat præsentatus, per dilectum filium Laurentium de Panibus Cappellaniæ præfatæ verum, & vnicum patronum, & existentem in pacifica possessione, vel quasi Iuris patronatus huiusmodi, & præsentandi personam idoneam ad prædictam Cappellaniam.

6 Illud vero mandatum de prouidendo effectum habuisse constabat, quia successiue eodem anno Cosmus de Vrsinis Archiepiscopus Tranensis dictarum literarum executor illarum vigore cum eadem enunciatiua Iuris patronatus Cappellaniam eidem Euangelistæ contulit, & in realem possessionem induxit, vt apparebat etiam ex publico instrumento originali similiter in actis producto: istæ autem duæ enunciatiuæ antiquissimæ in diuersis instrumentis contentæ probant etiam contra tertium. *Puteus decis. 209. incip. in vna Bononien. nume. 1. lib. 2. Achill. decis. 8. incip. alia tamen vice. num. 2. de Iure patron. Crauet. tract. de antiq. tempor. par. 1. §. ampliatur nunc. nume. 14. & pluribus seq.* quia habent vim probationis famæ. *Cassadorus decis. 1. & 2. de probat.* & fuit resolutum in vna Tudertina prioratus, die 17. Nouembris, 1599. coram bo.mem. Orano.

7 Supradictis succedebat alia præsentatio effectuata de anno 1527. vigore literarum Clementis VII. mandantis conferri dictam Cappellaniam per obitum Marci de Alzatellis tunc vacantem Iulio de Cardellis Clerico Romano dictę Aureliæ filio sub verbis, quod esset de Iure patronatus Aurelie quondam Laurentij de Panibus relictæ quondam Stephani de Cardellis Ciuis Romani, dummodo eiusdem Aureliæ ad hoc accedat assensus, prout in literis originalibus sub plumbo in actis productis.

8 Huic autem prouisionis eodem anno sub die 13. Nouembris Aurelia suum præstitit assensum, vt constabat etiam ex publico originali instrumento, & die 15. eiusdem mensis Octobris, idem Iulius Cardellus vigore dictarum literarum Apostolicarum, & prouisionum processus fulminati immissus fuit in possessionem, vt pariter constabat ex instrumento publico desuper confecto. Vnde post mortem Laurentij de Panibus Aurelia eius filia admissa ad præsentandum præsentauit, & Iuris patronatus continuatio, quod ad eam peruenerat, in progeniem de Cardellis transmissa, & conseruata fuit, nam anno 1558. supradictus Iulius Cardellus, & Aurelia quondam Laurentij de Panibus eius mater, tanquam patroni ad dictam Cappellaniam S. Luciæ tunc vacantem per resignationem de ea factam ab ipso Iulio Cardello, Alexandrum Solimannum de Vrsinis in manibus Alexandri Cardinalis Farnesij Titulo S. Laurentij in Damaso, & in eius absentia Rainutij Cardinalis Farnesij Titulo S. Angeli præsentarunt, & vigore illius præsentationis subsecuta fuit institutio in persona eiusdem Alexandri Solimanni.

9 Præterea anno 1560. per resignationem ab eodem Alexandro Solimano factam ad fauorem Simonis Tegeroni in manibus Papæ, Pius Papa Quartus eandem Cappellaniam conferri mandauit eidem Tegerono sub illis verbis, quæ de Iure patronatus Laicorum Iulij de Cardellis nobilis Ciuis Romani existit, de qua etiam prouisione confectum fuit publicum instrumentum in actis productum.

10 Ceterum, quia Tegeronus dictæ gratiæ cesserat, idem Pius Quartus dictam Cappellaniam contulit Ioanni de Canibus sub verbis, quæ de Iure patronatus Laicorum, videlicet Fabricij Ciuis Romani in pupillari ætate etiam sub tutorum cura constituti, ex fundatione, & dotatione existit: item sub verbis, & Fabricij præfati, seu illius tutorum, vel alicuius eorum ad hoc accedat assensus.

11 Anno item 1575. cum per obitum Ioannis de Canibus

nibus hæc Cappellania vacasset, Fabricius Cardellus mediante procuratore ad id specialiter constituto coram Cardinale Farnesio presentauit Vincentium Sanctinum, & Vincentius sic præsentatus fuit per Cardinalem institutus.

12 Item anno 1580. cum Fabricius Cardellus donasset Angelo Romano ius præsentandi pro vna vice ad prædictam Cappellaniam, cum primum vacaret, & super hoc obtinuisset à Gregorio XIII. Breue directũ vrbis Vicario, vt dictam donationem confirmaret quatenus de Iure patronatus, constaret causa cognita, idem Vicarius pronunciauit Ius patronatus præsentandi ad dictam Cappellam Fabricio Cardello ex dotatione, & fundatione competiuisse, & competere, & consequenter donationem Angelo factam confirmandam.

13 Anno autem 1590. per obitum Vincentij Dominus Cardinalis Montaltus Titularis S. Laurentij in Damaso ad præsentationem supradicti Angeli Romani donatarij pro illa vice Iuris patronatus in dicta Cappellania instituit Fabium Romanum, & Fabius fuit immissus in realem possessionem.

14 Anno item 1597. per resignationem Fabij ex causa permutationis Clemens Papa VIII. dictam Cappellaniam contulit Nicolao Varo sub verbis, quæ de Iure patronatus Laicorum ex fundatione, & dotatione existit.

15 Demum per obitum Nicolai Vari præsentatus hodie existit Michael Angelus Zitus.

16 Atque ex ista serie præsentationum effectum sortitarum longissimi temporis spacio concludenter remanet probatum Ius patronatus. *Cassadorus d. dec. 2. nu. 4. de probat. Puteus d. decis. 140. lib. 1.*

17 Et cessat omnis difficultas ex successiuis vacationibus, & continuatis præsentationibus effectum sortitis per obitum, aut resignationem præsentatorum, ex quibus etiam probatur effectus *Oldradus cons. 229. incip.* hæc sunt dubia.

18 Rota autem in hoc articulo multum considerauit enunciatiuas à Summis Pontificibus emanatas, præsertim antiquas, quę etiam de facto alieno plene probant, iuxta communem opinionem, de qua pluribus relatis testatur *Gabriel. tit. de probat. conclus. 2. num. 59. versic. 3. limita.*

19 Magnum etiam fecit fundamentum in sententia lata à Vicario Vrbis vigore rescripti fel. recor. Gregorij XIII. in qua pronunciauit, istud Ius patronatus competere Fabricio de Cardellis ex dotatione, & fundatione, quæ cum fuerit lata super statu beneficij, facit ius quo ad omnes, *l. ingenuum. vbi Gl. Bart. & Doctores, ff. de statu hominum.*

REVERENDISSIMO P. D. ATTREBATEN.

Mediolanen. Iuris patronatus. Ven. 29. Aprilis 1621.

ARGVMENTVM.

Ex Summarijs sume argumentum.

SVMMARIVM.

Altare maius sortitur eundem titulum, quem habet Ecclesia principalis, num. 1.

Vicarij assertioni de pertinentibus ad eius officium standum est. num. 2.

Identitas duabus demonstrationibus probatur, numero 2. in fine.

Decimæ non omnes sunt spirituales, & ideo quandoq; etiam decimæ ad laicos spectant. num. 3.

DECISIO CCCXIII.

1 Postquam in decisionibus vltimo loco in hac causa factis resolutum fuit, constare de Iure patronatus Cappellæ in Ecclesia Sanctæ Mariæ Rubeæ, quæsitum est, an constaret de identitate Cappellæ Iuri patronatus subiectæ, & Domini tenuerunt Cappellam maiorem, quæ est in capite Ecclesię, & habet eundem titulum cum ipsa Ecclesia esse Iuris patronatus. Nam regulariter altare maius sortitur eundem titulum, quem habet Ecclesia principalis, vt in simili fuit dictum in Hipporegien. Cappellæ 16. Nouembr. 1609. coram R. P. D. meo Decano. Atque hæc Cappella sola est collatiua, & habet proprios redditus, Ecclesia vero ipsa, & alia altaria non habent aliquam dotem, nisi legatum pro duabus missis in hebdomada, vt constat ex visitatione. Nec apparet aliquod altare extitisset de tempore fundationis, neque ostenditur aliqua scriptura, quæ faciat mentionem Iuris patronatus alterius Cappellæ.

2 Quod autem ista Cappella maior sit collatiua, patet ex præsentationibus, & institutionibus spacio 90. annorum effectuatis, in quibus omnibus adest eadẽ demonstratio Cappellæ Sanctæ Mariæ Rubeæ, loci de Garbagnato, & non Ecclesię, vel alterius alicuius Cappellæ, quæ demonstratio similiter continetur in omnibus alijs iuribus, vt in vnione Hospitalis de anno 1477. legitur, quod Ottho Vicecomes est solus patronus Cappellæ Sanctæ Mariæ Rubeæ, & huic Cappellæ S. Mariæ, & eius sacerdotali beneficio vnitur Hospitale. Quin etiam in vnione facta anno 1568. quę dedit causam huic liti, expresse dicitur, quod Cappella est sub titulo S. Marię Rubeę, quę vnio cum sit facta à Vicario Archiepiscopi, eius assertioni de pertinenti ad eius officium standum est *Verall. dec. 87. num. 3. part. 3.* Accedit, quod Visitator anno 1573. dicit, ornamenta Ecclesiæ esse Cappellæ vnitæ Archidiaconatui, vnde apparet cappellam S. Mariæ esse maiorem, eamque considerari vti principalem. Quæ coadiuuantur ex depositionibus testium de fama, & auditu à maioribus, ex libro taxarum, in quo cappella ista enunciatur sita in Ecclesia S. Mariæ Rubeæ, & census taxati non pro Ecclesia, sed pro cappella, quod indicat cappellam dedisse nomen Ecclesiæ, & alias enim ipsa Ecclesia fuisset taxata. Quibus omnibus simul iunctis visum fuit sufficienter probari identitatem ad quam probandam sufficiunt duæ demonstrationes, *l. forma de censibus*, & fuit resolutum in Papien. Bonorum. 22. Nouembris 1596. coram bon. memor. Card. Seraphino.

3 Non obstat, quod intret redditus cappellæ extant decimæ, quarum laici sunt incapaces, vt fuit dictum in hac causa 20. Iunij anni præteriti. Respondebatur enim argumentum non esse necessarium, cum non omnes decimę sint spirituales, *c. generali, super verbo regalia de elect. lib. 6. Bald. tit. Episcopi, vel Abbates. num. 8. de vsib. feud.* tum quia laici possunt habere decimas ex priuilegio, vel ex immemorabili cum fama priuilegij *Verall. dec. 241. & 242. par. 1.*

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. CARD. LANCELLOTTO.

Chartaginen. Fructuum. Lunæ 2. Maij 1611.

ARGVMENTVM.

Remissoria non datur ad probandum ea, quæ per scripturam probari possunt, vtputa ad probandum, vsum & obseruantiam statuti.

SVM-

SVMMARIVM.

Remissoria non datur ad probandum ea, quæ possunt per scripturam probari. num. 1.
Remissoria non datur ad probandum vsum, & obseruantiam statuti. num. 1.
Possessio tradita à non habente potestatem sustinetur, quando fuit tradita præsentibus illis, qui tradendi possessionem potestatem habebat. num. 3.

DECISIO CCCXIV.

1 Fvit dictum Remissoriam petitam non esse concedendam, quia cum statuta articulata possint probari per scripturas, non debet dari remissoria ad illa probanda per testes. *Ægid. decis. 496. & 304. Rota decis 17. de testibus. in antiquis. Cæs. de Graff. decis. 1.* de dilationibus, prout etiam per scripturas veniunt probandi actus, & casus, ex quibus illorum obseruantia deducitur, qua ratione ad probandum vsum, & obseruantiam statuti, fuit sæpe denegata remissoria in Rota, & in specie, in causa Bonon. Portonis. 4. Martij 1609. coram R.P.D. meo Decano, & 10. Iunij eiusdem anni, coram R.P.D. meo Pamphilio. Vltra quod, statutum cum sit incertum, inter alia præsumitur vsu receptum, nec loquitur, quando Canonicus fuit impeditus residere, in quo casu prætenditur esse Dominus Coxa. Et quo ad statutum de puritate eadem militat ratio, maximè cum Coxa iam fuerit per Capitulum admissum absque aliquo examine, mine, & aliqua exceptione suæ impuritatis, vel huiusmodi statuti.

2 Quod verò emolumenta, & distributiones Canonicatuum, & præbendarum lucrentur solum per præsentes, nec de illis participent absentes, est de iure, neque id controuertitur pro parte Coxæ, qui fundat se solum in impedimentis. Quod autem traditio possessionis, non spectaret ad Archidiaconum, sed ad Episcopum, vel Capituli præsidentem, neque releuat, quia cum fuerit tradita ab Archidiacono nomine Capituli præsentibus, & scientibus Capitularibus sustinetur possessio ex decisione. *Cassad. 8. de caus. possess. & propriet.* Et in indiuiduo respectu istius possessionis Coxæ, fuit decisum, die 25. Maij 1609. quando iste articulus fuit discussus cum Domino Gualdeleso.

3 Et quod ad contradictionem capituli in traditione possessionis est probanda per acta Secretarij, & scripturas, & in curia adest processus talis possessionis cum omnibus suis circumstantijs, de quo etiam fuit actum cum Domino Gualdeleso, ex quo processu tota series, & veritas facti colligitur, ita vt vel articuli possint probari per scripturas, vel sint irreleuantes, vel etiam timeri possit de aliqua collusionis calumnia, propter quæ denegatur remissoria. Et ita fuit resolutum.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

D. CARD. LANCELLOTTO.

Ianuen. Pecuniaria. Lunæ 2. Maij 1611.

ARGVMENTVM.

De probatione valoris cambiorum, præsertim per testes. Et si testes sunt hinc inde contrarij, quod magis credatur deponentibus de maiori valore, & summa, quam de minori.

SVMMARIVM.

Valor cambiorum probatur per testes practicos, & versatos in similibus cambiorum negotijs, & quomodo testes debeant super probatione deponere. num. 1. & sequentib.
Valor cambiorum probatur etiam per listam Notarij, & Cancellarij Gabellæ cambiorum. num. 6.
Testibus deponentibus de minori summa minus credendum est, quam deponentibus de summa maiori. num. 7.
Testes plures magis probant, quam numero minori. nu. 8.
Testibus excludentibus delictum magis creditur, quam illud includentibus. num. 8.
Cambia non debent esse vniformia, quia possunt variari secundum qualitatem personarum. Declara, vt num. 9.

DECISIO CCCXV.

1 Proposito dubio reseruato in decisione diei 7. Iunij 1610. Ad quam scilicet summam ascenderint cambia in Ciuitate Ianuę, Anno 1590. vsque ad annum 1593. inclusiuè, Domini censuerunt probari, quod excesserunt Scuta sex pro centenario, idque primò per quinque testes pro Simeone in prima instantia examinatos, qui concludunt, quod de dicto tempore cambia excesserunt Scuta sex, & reddunt causam scientiæ, quia viderunt libros, siue listas, & fecerunt computa, & isti testes multum faciunt, & de per se soli sufficerent. Tum quia sunt quinque, Tum quia sunt pratici, & versati in similibus negotijs cambiorum.

2 Secundò idem probatur per alios tres testes pro eodem Simeone in secunda instantia examinatos, quorum secundus deponit de interesse cambiorum spacio 15. annorum vsque ad tempus suæ depositionis ad rationem Scutorum decem. Quartus quod ad minus ascendit ad Scuta octo pro centenario. Septimus vltra octo pro centenario, qui testes sunt similiter in negotijs cambiorum versati.

3 Non obstat, quod isti testes fuerint nulliter examinati ex defectu citationis ad videndum iurare, quia in actis adsunt huiusmodi citationes.

4 Tertiò, talis excessus probatur ex duobus testibus per partem aduersam examinatis, nempè pro Io. Iacobo, qui propterea plene contra ipsum probant, & qui dicunt cambia reddidisse octo pro centenario, & est ponderandum, quod tam isti testes Io. Iacobi, quam alij Simeonis, dicunt etiam, quod lucrum cambiorum in Ciuitate Ianuę passim calculatur ad rationem octo pro centenario, & quod tale emolumentum semper dant, & dederunt cambia realia, & quod hoc reputatur pro vtili fere certo.

5 Quæ probationes excessus cambiorum in Scutis sex de per se sufficientes adminiculantur ex alijs pluribus testibus vigore Remissorię examinatis, qui vno ore deponunt, quod cambia de dicto tempore reddiderunt quandoque Scuta octo, quandoque 10. & 12. pro centenario, & nunquam fuerunt minoris redditus Scutorum sex, qui testes licet nulliter examinati, negari non potest, quin magnum faciant adminiculum ex opinione, quam tenet Rota.

6 Ex confirmatur ex attestatione, siue lista Notarij, & Cancellarij gabellæ cambiorum, qui recenset cambia in qualibet feria inter negotiatores Ianuæ firmata, & factis computis, & per peritum deputatum calculatis, apparet quod illa excesserunt Scuta sex singulis annis, incipiendo ab anno 1590. vsque ad annum 1593. inclusiue, quæ attestatio, tanquam de pertinentibus ad eius officium, & de his, quæ in suis libris reperiuntur descripta, multum facit ad veritatem comprobandam.

7 Non obstant testes pro parte Ioa. Iacobi adducti ad probandum, quod cambia non reddiderint Scuta sex, tum quia isti non probant de hoc tempore, sed dicunt

cunt de anno 1589. & dum dicunt de anno 1590. verificari possunt in prima feria Mensis Ianuarij dicti anni, nec concludunt de integro anno 1590. nec de annis 1591. 92. & 93. de quibus agitur, tum quia isti testes loquuntur deductis impensis gabellæ, & prouisionis, quæ vt plurimum soluuntur ab illis, qui pecunias recipiunt ad cambium, vt dicunt testes tam examinati pro Simeone, quam pro Io. Iacobo, tum quia in omnem euentum istis deponentibus de non excessu, & de minori summa essent præferendi alij deponentes de excessu, & de maiori summa, cum de ea deponant concludenter, & assertiue. *Alex. consil. 64. numer. 7. & seq. lib. 2. Salycet. in leg. 2. num. 28. & sequent. C. de rescindend. vend. Cæsar. de Grass. decis. 10. numer. 7. & seq. de test.*

8 Maxime quia isti deponentes de maiori summa, sunt plures numero, quo casu præferuntur paucioribus deponentibus de minori. *Aret. cons. 65. ante medium, versic. hic tamen non est casus noster*, & quia isti sunt practici, & bene informati, & deponunt de affirmatiua, illi vero de negatiua, & quia cum istis concurrunt adminicula, & in specie dicta attestatio Cancellarij gabellæ cambiorum, & quia inter istos adsunt etiam aliqui pro parte aduersa examinati, prout etiam sunt præferendi isti, quia eorum depositio excludit delictum, quod includeret depositio illorum. *Natt. cons. 592. nu. 24. Gabr. de test. concl. 4. num. 20.*

9 Non obstat, quod cambia non debeant esset vniformia, vt dicunt testes, & fuit in pluribus causis resolutum in Rota, & quod possint variari, secundum qualitatem personarum, quia non dicitur, quod debeant esse vniformia, sed quod excesserunt Scuta sex, licet excessus non fuerit vniformis, & testes deponunt de cambijs, quæ communiter currebant, quod sufficit per resolutione præsentis dubij, in quo agitur solum de firmando, & stabiliendo facto.

R. P. D. VBALDO.

Romana Fideicommissi. Die 4. Maij 1611.

ARGVMENTVM.

Fideicommissis, & institutionibus an, & quando filiorum appellatione veniant feminæ.

SVMMARIVM.

Filij positi in conditione censentur vocati ex statuto Vrbis lib. 1. cap. 142. nu. 2.

Filiorum appellatione veniunt etiam feminæ, quamuis testator in conditione posuerit filios masculos, nu. 2.

Filiarum feminarum existentia excludit substitutum sub conditione, num. 3.

Substitutio plurium descendentium in dubio intelligitur facta discretiue. Ita vt singulis institutis substituti succedant. Non autem vt omnium institutorum mor expectari debeat, nu. 4. & nu. 7.

Filiorum appellatione, quando veniant feminæ, si testator in testamento conseruandæ agnationis, rationem habuit, numer. 5.

Probibitio alienandi non inducit fideicommissum, quando est personalis, nu. 6.

Statutum Vrbis lib. 1. c. 145. quo disponitur, vt filii, & nepotes masculi excludant filias feminas, non extenditur, vt filiæ fœminæ excludantur per patruos, nu. 8.

DECISIO CCCXVI.

1 Domini perstiterunt in decisis die 20. Decembris, proximè præteriti coram R. P. D. meo Decano, videlicet Flaminiam potuisse succedere in portione Bernardini sui patruis. Constare enim videbatur in testamento Hieronymi fuisse factas duas substitutiones principales. Prima est, per quam testator ex tribus filijs institutis Bernardino, Pasquali, & Andrea, decedente vno sine filijs legitimis, & naturalibus, alios superstites eidem substituit. Altera est, per quam decedentibus omnibus eidem substituit filios masculos superuiuentes si superuixerint, sin autem feminas & ex vtraque substitutione, dicebant Domini Flaminiam videri vocatam ad portionem patris sui, qui sine filijs masculis decesserat, superstite Andrea fratre vno ex institutis.

2 Quo ad primam dicebant Flaminiam vocari ex clara dispositione statuti Vrbis *lib. 1. c. 142.* vt filij positi in conditione censeantur vocati. Neq; obstare, quod essent positi in conditione filij masculi generis, quia nihilominus etiam filiæ continentur, *l. si ita scriptum, in princip. vbi Doctor. not. ff. de legat. 2. l. si quis ita in princip. de testament. tut. l. iusta. leg. filij appellatione, ff. verb. signific. Alciat. l. Herrennius, num. 7. & in l. quisquis, num. 4. & in l. inter stuprum. §. fin. num. 16. eodem tit. Anch. 170. nu. 3. Bald. in l. 1. §. filiorum. de legit. hæred. Marsil. sing. 317. Illustrissimus Mant. de coniect. vlt. volunt. lib. 11. tit. 14. nu. 1. & 2.* Vbi hoc dicit maxime procedere in vltimis voluntatibus. *Alex. cons. 38. lib. 6. cons. 17. nu. 9. lib. 7. Ruin. cons. 140. n. 3. lib. 2. Curt. sen. latè cons. 63. nu. 10. Idem Illustrissimus Mant. lib. 8. tit. 7. nu. 1.*

3 Et quod existentia filiarum excludat substitutum sub conditione prædicta tenuit *Alex. consil. 85. numer. 10. lib. 3. & dicto cons. 38. lib. 6. Socin. consil. 227. colum. vltim. libr. 2.* qui etiam testatur Collegium Bononien. Auenionen. & Perusinum pro hac opinione consuluisse post *Castrens. consil. 409. part. 2. & Crot. consil. 17. num. 26. libr. 1.* testatur se vidisse originale consilium Collegij Perusini, & de veriori, & magis communi post plurimos ab eo relatos testatur Illustrissimus *Mantica d. lib. 11. tit. 14. sub numer. 7. vers. & hanc quidem sententiam*, & firmauit Rota in Camerinen. Fideicommissi. 8. Nouembris 1599. coram R. P. D. meo Decano, vbi subiungit id procedere, etiam si vnica filia fuerit relicta, post *Corn. consil. 202. num. 8. lib. 3.* & alios ibi allegatos.

4 Quo ad secundam substitutionem, res adhuc videbatur clarior. Nam cum cessantibus masculis vocentur feminæ, & Bernardinus nullis relictis filij masculis decesserit, dubitari non potest, quin Flaminia patri suo succedere possit, licet feminæ videantur vocatæ decedentibus omnibus institutis sine filijs masculis, qui casus non euenit, cum superstit Andreas, vnus ex institutis tamen dicebant Domini substitutionem plurium descendentium in dubio intelligi factam discretiue, adeo vt singulis institutis, substituti sint filij masculi, si extent, sin minus feminæ, non autem vt debeat expectari mors omnium institutorum, *Ruin. consilio 122. numer. 8. libr. 2. & consil. 115. num. 5. & 12. libr. 3. Paris. consil. 18. numer. 1. libr. 3. Alexand. consil. 93. num. 9. libr. 3. Illustrissimus Mant. de coniect. libr. 7. titul. 5. numer. 17.* Et fuit dictum in Firmana fideicommissi. 5. Maij 1593. coram bon. memor. Seraphino, & in Cesenaten. bonorum 23. Ianuarij 1608. coram Reuerendissimo D. meo Attrebaten. alias dicendum esset, non solum fuisse substitutos filios, sed etiam transuersales, & sic multiplicarentur fideicommissa absque necessitate, vt fuit consideratum in dicta Firmana Fideicommissi.

5 Non obstat, quod hic fuerit habita ratio conseruandæ agnationis, & ideo donec masculi supersunt, feminæ non videntur vocatæ, quia fuit responsum, vel quod hic nulla est facta mentio agnationis, *Cephal. consil. 401. num. 39. libr. 3.* vel quod filijs masculi sunt tantũ vocati in primo gradu, & inuicem substituti, & ijs deficientibus testator non est progressu, ad plures substitutionum gradus fauore masculorũ, sed statim vocauit feminas. Vnde nullam videtur habuisse ra-

se rationem agnationis, *Aym. cons. 306. n. 5. Illustrissimus Mant. de coniect. vltim. volunt. lib. 6. tit. 15. nu. 5. & nu. 9.* Et fuit dictum in Amerina successionis 28. Maij 1597. coram R. P. D. meo Decano.

6 Non obstat prohibitio alienationi, quia vltra quidam est personalis, cum sit facta eisdem, & vtrique ipsorum scilicet institutis, & substitutis, & sic non inducit fideicommissum, *Rip. in l. filiusfamilias. §. Diui, n. 108. & 111. ff. de legat. 1.* Et fuit dictum in Foroliuien. Fideicommissi. 16. Nouembris 1580. coram Seraphino, quæ est *dec. 649. nu. 1. p. 1. diuers.* est etiam consecutiua ex præcedenti vocatione. Vnde ex ea non potest aliquid inferri, *ad cons. Dec. 636. nu. 8.*

7 Non obstat, quod si illa secunda substitutio intelligitur discretiuè, videatur superflua, cum jam per primam substitutionem filij positi in conditione posset succedere suis patribus, tanquam vocati ex statuto. Quia respondetur ex prima substitutione non apparere, an filij masculi præferantur feminis, cum illa conditio, sine filijs esset apta etiam feminas comprehendere, vt supra dictum est, sed hoc ex secunda substitutione fit manifestum.

8 Non obstat statutum Vrbis *lib. 1. c. 145.* quia disponit, vt filij, & nepotes masculi excludant filias, non autem vt filiæ excludantur per patros. *Socin. consil. 55. in fin. lib. 3. Ruin. cons. 143. nu. 10. lib. 2. Socin. iun. cons. 158. n. 50. lib. 2. Gabr. cons. 97. n. 9. & 14. lib. 1. cum alijs per Honded. cons. 57. num. 72. libr. 1.* & tenuit Rota in Romana Castrorum. 11. Maij 1590. coram Gipsio; & in dicta Camerinen. fideicommissi, coram D. meo Decano, & in Romana de Stanchis 13. Ianuarij 1597. coram Cardin. Seraphino, & in Romana successionis de Zitelis anno præterito coram D. meo Coccino, quæ etiam loquitur in fortioribus terminis. In alijs placuerunt Dominis responsiones datæ in d. Camerinen. Fideicommissi. & in hac eadem causa coram D. meo Decano, & datæ etiam per Informantes pro Flaminia. Et ideo fuit conclusum standum esse in decisis.

REVERENDISSIMO P. DOM. DAMASCENO.

Calaguritana Liquidationis de Autol. Mercurij 4. Maij 1611.

ARGVMENTVM.

Fructus percepti post intentatum possessorium retinendæ veniunt restituendi Actori, non autem percepti à principio litis super petitorio, vel possessorio ordinario.

SVMMARIVM.

Fructus percepti post intentatum possessorium retinendæ veniunt restituendi actori, non autem percepti à principio litis super petitorio, vel possessorio ordinario. n. 1.

Fructus percepti lite pendente veniunt restituendi, quia dicuntur percepti mala fide. Declara, vt sint restituendi in iudicio ordinario, non autem in iudicio Summario retinendæ. nu. 2. Declara, vt nu. 3.

DECISIO CCCXVII.

1 TEnuerunt Domini, in mandato de manutenendo venire tantum fructus perceptos post intentatam manutentionem, non autem perceptos à principio litis, super petitorio, vel possessorio ordinario, & hanc dixerunt esse regulam interdictorum, *leg. 3. ff. de interd. l. 1. §. ex die. ff. de vi, & vi armata,* & in terminis huius interdicti retinendæ. *Ioan. Fab. super instit. de interd. §. retinendæ. nu. 14. vers.* item fructus Rota in causa Licien. Redecimę 14. Octobris 1583. coram bonæ memoriæ Illustrissimo Cardinale Seraphino, & in Turritana Tertiarie 18. mensis Decembris 1595. coram eodem Illustrissimo Seraphino, & in Seguntina Canonicatus 23. Ianuarij 1610. coram R. P. D. meo Caualerio *Facit dec. Put. 61. lib. 3.*

2 Non obstat, quod prædicti fructus, cum sint percepti lite pendente, dicantur percepti cum mala fide, & proinde veniant restituendi, quia non negatur esse restituendos, sed in iudicio ordinario, vt bene distinguit *Ioan. Fabr. vbi supra Rota in d. Licien. redecimæ. Put. dec. 61. in fin. & licet Bart. in d. l. 3. vers. tu dic,* de interdictis voluere extendere prędictam conclusionem de malæ fidei possessore, etiam ad interdicta, attamen, vt patet ex prædictis, eius doctrina non est tuta, & in effectu *si tex. in d. l. 3.* haberet tantum locum in bonæ fidei possessoribus, esset superfluum, & de indubitabili. *Menoch. vero tit. de retin. remed. 3. nu. 289. allegat solum Io. Fab. in d. §. retinendæ,* qui dicit contrarium, vt supra demonstratum est.

3 Quantum ad Rotam in causa Mediolanen. Fructuum 13. Februarij 1595. coram bon. mem. Gipsio, licet satis ample loquatur, fuit dictum posse saluari, vt habeat locum in suo casu, quando scilicet fructus decursi petuntur principaliter, prout in pensionibus, vel annuis præstationibus decursis ante intentatam manutentionem, secus quando petitur aliqua res fructifera, quia tunc res ipsa principaliter petitur, & fructus veniunt ex quadam consequentia. Vnde nil mirum si in secundo casu non habetur eadem ratio fructuum, quæ habetur in primo, & ista distinctio fuit de mente Rotæ in prædicta Turritana Tertiariæ.

REVERENDISS. P. D. COCCINO. DECANO.

Parmen. Datij. Lunæ 9. Maij 1611.

ARGVMENTVM.

Fideicommissaria bona alienari possunt pendente conditione fideicommissi, nisi adfecta etiam fuerit expressa alienationis prohibitio. Legitima non recipit onus Trebelliana autem prohiberi potest à testatore etiam filijs primi gradus.

SVMMARIVM.

Fideicommissaria bona alienari possunt pe r hæredem grauatum pendente conditione fideicommissi, nisi etiam adsit expressa alienationis prohibitio, num. 2.

Emptor non tenetur stare venditioni, quando constat rem venditam esse fideicommisso suppositam, num. 2.

Legitima prohiberi non potest, nec aliquod onus recipit, numer. 3.

Trebellianica prohiberi potest à testatore, etiam filijs primi gradus, num. 3.

DECISIO CCCXVIII.

1 DOmini dixerunt, constare de fideicommisso, quod obstat venditione Datij, de quo agitur. Nam bonæ memoriæ Illustrissimus Dominus Comes Sanctæ Floræ instituit hæredem vniuersalem in omnibus eius ponis feudalibus, & iurisdictionalibus, & alijs bonis, & nominatim in omnibus, & quibuscunque Datijs Longæ Padi Illustrissimum Dominum Franciscum Sfortiam eius filium, nunc Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, cui decendenti sine filijs masculis legitimis, vel cum filijs masculis, & legitimis, qui & ipsi si sine filijs masculis morerentur,

tur, ita quod nullus extaret filius descendens masculus, & legitimus, substituit illum, vel illos ex Illustrissimis fratribus ipsius testatoris, qui tunc superfuerint, & successiue eorum filios masculos, legitimos, & naturales in stirpes, & non in capita. Illis vero deficientibus, agnatum masculum legitimum, & naturalem de domo, agnatione, & familia, ita quod successiue perpetuis futuris temporibus proximior masculus, seu proximiores masculi legitimi, & naturales, vt supra in gradu succedant, &c. cum amplissima prohibitione alienandi. Et propterea cum hodie adsit Excellētissimus Dominus Dux Sfortia, qui habet filios & dicti testatoris sit ex fratre Pronepos, dubitari non potest de fideicommisso claro, quod etiam per Agētes Illustrissimi Domini Cardinalis non impugnabatur.

2 Neque obstat, quod pendente conditione fideicommissi hæres grauatus potest alienare. *Alex. cons. 65. lib. 5. Castr. cons. 370. lib. 2.* quia hoc non procedit, quando testator expresse prohibuit alienationē, prout in casu isto, in quo, vt dictū est, adest expressa prohibitio. Inseruiendum enim est voluntati testatoris. *l. verbis legis. ff. de verb. signif. legem. C. de pact.* & in proprijs terminis notant Doctores *in l. filiusfamilias. §. Diui. de legat. 1. Becc. cons. 100. num. 1.* & dixit Rota in causa Romana Palatij. 23. Octobris 1579. coram bonę memoriæ Lauretano, maxime, quia in casu alienationis non alienātes sunt vocati, & cessat omnis difficultas, quia Illustrissimus Dominus Cardinalis promisit Datium esse liberum ab omni fideicommisso purificato, & purificando, & propterea emptor cum detegat fideicōmissum, non tenetur stare venditioni, quia expresse voluit emere rem liberam, vt nuper fuit resolutum in causa Asculana bonorum 11. Martij præteriti coram R. P. D. meo Pirouano.

3 Reseruarunt tamen Domini, vt particulariter videatur, An Illustrissimo Domino Cardinali suffragentur legata, & debita testatoris, ac detractiones, quę restringuntur ad legitimam, & Trebellianicam, quę fuerunt prohibitę cum clausula, omni meliori modo. Sed cum legitima non recipiat onus. *l. quoniam in priorib. ff. de inoff. testam.* etiam quod adsit clausula prædicta omni meliori modo, vt fuit in hac Rota resolutū in causa Foroliuien. fideicōmissi. corā R. P. D. meo Pamphilio, secus autē Trebellianica, quæ secundum opinionem, quam Rota seruat, potest prohiberi etiam filijs primi gradus. *Cassad. dec. 4. de testam. Sarnen. dec. 94. incip. Trebellianica. Simonet. dec. 86. incip. in vna Romana Crescent. dec. 2. de testam.* & fuit sępissime resolutum. Et hanc etiam opinionem dicit magis communem *Bertrand. cons. 130. n. 5. lib. 3. p. 2. & sequitur Molin. de primogen. Hispan. lib. 1. c. 17. n. 12. vers. contrarium tamen.* Ideo tota difficultas restringitur ad hoc, An legata, & debita testatoris, ac detractio legitimæ suffragentur Illustrissimo Domino Cardinali ad effectum, quod vēditio Datij sustineatur.

REVERENDISSIMO P. D.

LVGDVNEN.

Bononien. Fideicommissi de Pannolinis. Lunæ 9. Maij 1611.

ARGVMENTVM.

Firmatur in hac decisione conclusio, quod tacita substitutio inducitur ex coniecturis, ex testamento desumptis, & inde plura explicantur notanda, de quibus in Summarijs.

SVMMARIVM.

Substitutio tacita inducitur ex coniecturis ex testamento desumptis. nu. 1.

Substitutio reciproca ex coniecturis tacite inducitur, etiam quod substituti non fuerint expresse vocati. nu. 1.

Fideicommissi grauamen elicitur etiam ex coniecturis. nu. 2.

Fictio in casu ficto operatur idem, quod veritas in casu vero. nu. 3.

Onus iniunctum hæredi substituto assumendi arma, & nomen familiæ testatoris, inducit præsumptionem voluntatis conseruandi agnationem. nu. 4.

Præsumptionum, & fictionum concursus admittur, quando vna venit in consequentiam alterius. nu. 5.

Clausula vt supra, est relatiua omnium præcedentium. nu. 6.

Substitutus in hæreditate censetur substitutus in tota hæreditate, & non in parte hæreditatis. nu. 7.

Abundans cautela non nocet nec vitiat sententiam. nu. 9.

Infantes possunt etiam in sententia condemnari, citato eorum patre, & eorum legitimo administratore. nu. 9.

Relatio facienda est ad eos, ad quos facta relatione dispositio non infirmetur, vel inutilis reddatur. nu. 10.

verba sententiæ intelligenda sunt iuxta dispositionem iuris. num. 10.

Iudex censetur pronunciasse, prout de iure tenebatur. n. 10.

Sententia nulla parte non opponente, potest confirmari etiam per ipsum iudicem nullitatis. nu. 11.

DECISIO CCCXIX.

1 IN decisis propter vrgentissimas coniecturas ex testamento desumptas, quibus induci vocationem etiam ad portionem patrui fuit latè comprobatum in decisione, & tradunt præter tunc allegatos. *Aym. cons. 885. num. 2. Decian. consil. 44. num. 73. lib. 3. Cabal. cons. 105. num. 39.* Quibus coniecturis stantibus, frustra agitur de reciproca, & de illius requisitis, quia talis disputatio non est necessaria in hoc casu, in quo tamen nec dicta requisita deficiunt, & quod dicitur non adesse vocationem expressam, non impedit reciprocam, quando concurrunt coniecturæ, vt sæpius resoluit Rota, & tenuerunt quamplurimi Doctores, quos cumulauit *Rustic. in tract. An liberi in condit. posit. lib. 6. cap. 5. num. 17. ponit Illustriss. Cardin. Mant. de coniect. lib. 7. tit. 5. num. 2.* Et qui contrarium dixerunt, loquuti sunt cessantibus coniecturis, vt declarant *Soc. cons. 249. nu. 11. lib. 2. Menoch. cons. 85. nu. 43. & cons. 376. nu. 25. Soc. iun. cons. 110. num. 39. lib. 3. Dec. cons. 26. nu. 56. lit. 2. Zanch. in repet. §. cum ita. p. 6. nu. 246. Odd. de compend. par. 5. art. 6. nu. 4.*

2 Sed neque in alia positione, neque in hac voluerunt Domini firmare dicta requisita, ne superfluis disputationibus locus daretur. Quæ nec admittendæ sunt circa passiuam vocationem, de qua hodie non agitur, & quam tamen in perpetuo fideicommisso esse actiuæ correlatiuam necesse est. Nec dubium est, quin etiam grauamen eliciatur ex coniecturis, *Curt. iun. cons. 121. num. 15. Aym. cons. 136. num. 16. latè Marzar. cons. 7. num. 10. Card. Mant. vbi supra, libro 11. tit. 6.* Fuit dictum in Vrbeuetana Fideicommissi 24. Nouembr. 1610. coram R. P. D. meo Coccino, in qua etiam fuit expressum, quod huiusmodi grauamē censetur inductum potissime ex coniectura conseruationis agnationis.

3 Non obstat, quod non versemur in veris descendentibus Testatoris, neque in veris Patruis, & Nepotibus, nec sit habita ratio conseruandæ agnationis, cum fuerint instituti extranei. Nam respondetur Testatorem habuisse iuuenes institutos pro suis, perinde ac si ex ipso geniti forent, & voluisse, vt tam ipsi, quam masculi descendentes ab ipsis assumerent cognomen, & insignia agnationis ipsius. Et de ista agnatione conseruanda cogitauit, quam eo quo potuit modo inductam dilexit pro vera. Ideoque locus est conclusioni alias firmatæ, quod fictio in casu ficto idem quod veritas in vero operatur.

4 Et quod onus iniunctum deferendi arma, inducat præ-

præsumptionem voluntatis conseruandæ agnationis, notarunt *Rip. in leg. centurio, numer. 164. de vulg. Parif. consil. 19. num. 35. libr. 2. Cephal. consil. 251. num. 50. & seqq. lib. 2. Non obstat Molina de primogen. Hispan. ex aduerso citatus libr. 2. cap. 14. num. 9.* Quia loquitur secundum consuetudinem Hispaniæ, & fatetur secus esse in Italia. Et ita de consuetudine Italiæ testatur *Gratus etiam ex aduerso allegatus consil. 132. numero 17. libr. primo, & consil. 5. num. 86. libr. secundo.* Sentit filias testatoris, quamuis nuptas conseruare patris agnationem, quando earum filij assumunt nomen, & arma aui materni.

5 Non obstat, quod iuxta intellectum decisionis inducantur, successiue plures præsumptiones, quia & præsumptionum, & fictionum concursus admittitur, quando vna venit in consequentiam alterius. *l. si is, qui pro emptore. vbi Bart. & Doctor. de vsucap. DD. in l. 1. C. de dotis promiss. Put. dec. 36. lib. 2.* fuit dictum in causa Ciuitatis Castelli bonorum. 18. Martij proxime præteriti coram me.

6 Non obstat, quod vbi adest expressa dispositio, cesset tacita, & ideo non sit in hoc casu recurrendum ad coniecturas, cum deficiente vna linea sit locus electioni fiendæ per Commissarios, quod dicitur expressum in illis verbis, & deinceps toties quoties huiusmodi institutorum lineæ, vt supra defecerint, eligatur per Commissarios vnus iuuenis, &c. Fuit enim responsum huic considerationi obstare verba, & mẽtem testatoris. Verba quidem, quia non fuit simpliciter dictum, quoties lineæ defecerint, sed cum clausula, vt supra, quæ cum sit relatiua omnium. *Bart. in l. 1. §. hoc edicto. in fin. ff. de postul. Osasch. dec. 164. nu. 13. Surd. dec. 291. num. 13.* Refert sine dubio deficientiam eo modo, quo in superiore testamenti parte expressa fuerat, nempe omnibus hæredibus institutis deficientibus absque filijs, & descendentibus masculis, qui casus non euenit, quia D. Albertus est filius vnius ex dictis hæredibus institutis.

7 Mens etiam repugnat, quia testator quando digressus est ad substitutionem iuuenis eligendi, fuit concepta substitutio in tota hæreditate ibi eligatur iuuenis ad huiusmodi hæreditatem. Illa enim dictio importat totam hæreditatem, vt fuit consideratum in alia decisione, & ponit post alios. *Surd. consil. 336. numer. 12. lib. 3.* At si deficientibus singulis lineis locus esset electioni, non relinqueretur locus substitutioni in tota hæreditate. Deinde cum testator voluerit institutos eorumque descendentes masculos deferre nomen, & arma ipsius, apparet electionem esse remedium subsidiarium, quod non intrat, nisi deficientibus institutis, eorumque descentibus: quia remanentibus filijs, aut descendentibus ex qualibet linea conseruabatur agnatio absque dicta electione.

8 Et quod testator contentus fuerit conseruatione agnationis per vnam duntaxat lineam patet, quia vno vel pluribus sine filijs descendentibus superuiuentes vnum, vel plures substituit. Et quidem mortuo Octauio non fuit facta electio, sed Marius, & Iacobus æqualiter inter se portionem dicti Octauij diuiserũt. Non obstat, quod iuxta hunc intellectum illa clausula supradicta, & deinceps, &c. remanet superflua. Quinimo enim est necessaria saltem ad maiorem declarationem mentis testatoris: quia supra fuerat expressus casus, quando instituti decederent sine filijs. Hic autem potest intelligi alius casus, quando instituti quidem, vel aliqui ex illis habuissent filios, sed postea dicti filij, vel eorum descendentes omnes deficerent absque prole, sicuti & intelligi potest de deficientia lineę iuuenum eligendorum. Testator enim de per, etua agnationis conseruatione cogitauit, vt colligitur ex verbis, deinceps toties quoties.

9 Non obstat, quæ in hac positione fuit allegata primæ sententiæ nullitas, ea ratione, quod fuerit lata contra infantes. Fuit enim responsum, quamuis in dicta sententia fuerint condemnati infantes filij D. Ioan. Baptistæ, tamen id fuisse ad cautelam abundantiorem, quæ non nocet. *leg. testamentum. C. de testamen. Rom. consil. 343. num. 7.* Et sufficit pro validitate sententiæ, quod in eadem sententia fuit condemnatus idem D. Ioan. Baptista pater, & administrator dictorum suorum filiorum infantium, qui etiam fuerat citatus ad sententiam, & ad omnes alios actus iudicij, *iuxta practicam Baldi in leg. donatarum. num. 2. versic. Et ideo sis cautus. C. de acquir. possess.* Et pro ista condemnatione simultanea administratoris, & infantis faciunt notata per *Guido. Papæ, dec. 431. Et Surd. consil. 99. num. 36. & seq.* vbi quod sententia potest concipi contra procuratorem Dominum Litis effectum, & contra ipsum Dominum.

10 Nec obstat, quod asseritur Ioan. Baptistam fuisse condemnatum vti hæredem. Nam qualitas hæredis expressa in sententia referenda est ad filios, non autem ad patrem, non solum quia relatio ita fieri debet, vt dispositio non infirmetur, vel inutilis reddatur. *Rom. cons. 94. num. 7. & cons. 112. num. 3. Dec. in capit. secundo requiris num. 16. de appell. Alexand. cons. 48. nu. 6. lib. 1. Aym. consil. 70. num. 4.* Verum etiam, quia filij erant hæredes, non autem pater, & dicta qualitas immediate posita est post nomina filiorum. Præterea vt dictum est, D. Ioan. Baptista fuerat citatus vti administrator, & in dubio intelligitur facta condemnatio eo nomine, quo quis in iudicio comparuit, & verba sententiæ sunt intelligendæ, iuxta dispositionem iuris. Quia Iudex censetur pronunciasse, vt de iure tenebatur. *Aym. cons. 74. num. 9. & cons. 188. n. 8.* cum alijs in Tudert. damnorũ 31. Maij 1604. coram R. P. D. Ludouisio. Nec applicatur dec. Veral. 123. parte 3. Quia ibi non discrepabant citatio, & sententia, vt in hoc casu contigisse prætenditur, sed Rota dixit sententiam non afficere Hospitale, quia Administratores fuerant citati, & condemnati vti hæredes, non autem vti Administratores, & sic Hospitale in effectu non fuerat citatum.

11 Denique cum illa prima sententia, per aliam posteriorem sententiam fuerit confirmata, non essent hodie audiendi D. Ioan. Baptista, vel eius filij super huiusmodi asserta nullitate, vt fuit dictum in supradicta Tudertina, Sententia enim nulla potest parte non opponente confirmari, etiam per ipsum nullitatis Iudicem, vt tradunt *Gabr. consil. 49. n. 1. lib. 1. Alexand. cons. 111. lib. 3. cum alijs per Gabriel. de execut. rei iud. conclus. 1. num. 14. Vant. de nullit. ex defect. citat. nu. 132. Vestr. in praxi libr. 6. cap. 1. num. 15. & seqq. ibique Add. num. 34.*

12 Sicque sublatis omnibus oppositionibus, Domini vnanimi iterum consensu steterunt in decisis, vtraq; parte informante, & dixerunt esse locum statuto pro executione sententiarum.

R. P. D. PIROVANO.

Romana Fideicommissi de Vrsinis. Lunæ 9. May 1611.

ARGVMENTVM.

Substitutio vulgaris, & directa, quando resoluatur in fideicommissariam, stante præsertim clausula codicillari, ita vocati censeantur omnes futuri descendentes, an vero secus.

SVMMARIVM.

Decisionis status controuersiæ refertur. nu. 1. & 2.
Instituti non copulatiue, sed ordine successiuo vocati censentur,

sentur, quando testator habebat necessitatem sic eos instituendi. num. 3.

Descendentes in substitutione vocati, censentur vocati in vim tam vulgaris, quam fideicommissariæ substitutionibus numer. 4.

Descendentium nomen est collectiuum plurium personarum, & graduum, num. 4.

Suorum appellatione, veniunt descendentes, numero 4. in fine.

Descendentes quando sunt vocati in substitutione, an censeantur vocati primi tantum descendentes, an vero alij in futurum, num. 4. & seqq.

Descendentes quando sunt vocati in substitutione, tunc vocati censentur non solum primi descendentes, sed etiam alij omnes in futurum quando in dicta substitutione sunt apposita verba, explicantia tempus futurum, vtputa semper in infinitum quandocunque, & similes, vel si fuerit facta mentio hæredum, nu. 5. Alias secus num. 6. & seqq. Vbi hæc couclusio declaratur, quomodo procedat.

Substitutio vulgaris, & directa quando, & ex quibus verbis inducta dicatur, & quando fideicommissaria, nu. 3. & seqq. & per totam decisionem.

Clausula codicillaris in testamento apposita operatur, quod verba ciuilia important fideicommissum, & obliquantur, quando substitutio non potuit valere iure directæ substitutionis, numer. 8. Contra, numer. 9. Resolue, vt num. 10. & sequent.

Substitutio vulgaris, & directa resoluitur in fideicomissariam per clausulam Codicillarem, quando sic apparet fuisse de intentione testatoris, numer. 11. & num. 13. vbi etiam declaratur, quando sic constare dicatur de mente testatoris.

Substitutio reciproca non excedit personas institutorum, nu. 14. Declara, vt d. num. 14. & 15.

Filij in conditione positi sub qualitate masculinitatis censentur vocati existentibus coniecturis nu. 15. & 16. Vbi quod istæ coniecturæ remittuntur arbitrio iudicis.

Substitutio censetur fideicommissaria, quando testator digressus est ad plures substitutionum gradus, & quia voluit bona sua in agnatione conseruari. nu. 18. & 19.

Vbi declaratur, quando testator dicatur digressus ad plures gradus, & nu. 20. & 21. Vbi etiam quando testator dicatur habuisse respectum, vt bona remaneant in agnatione, & nu. 22. & seq. Vbi an dicatur habita ratio conseruationis bonorum in agnatione, quando in substitutione sunt admissæ etiam feminæ.

Proximioribus in substitutione vocatis censentur vocati omnes simul existentes in eodem gradu, nu. 26.

DECISIO CCCXX.

1 IO. Conradus Vrsinus decedens testamentum condidit, in quo instituit, fecit, atque reliquit suos vniuersales hæredes Hieronymum, & Vicinum suos filios legitimos, & naturales, & omnes alios suos filios masculos nascituros legitimo, & naturales si nasci contigerit, & eorum descendentes masculos legitimos, & naturales pro æquali portione.

Et si decesserint, seu eorum descendentes in pupillari ætate, vel postea quandocunque, quod vnus moriatur alteri, & alter alteri pro æquali portione, non obstante, quod sint de diuersis matrimonijs. Et si contingeret, quod dicti sui filij, & hæredes, & eorum descendentes masculi omnes decederent sine filijs legitimis, & naturalibus masculjs, tunc & in eo casu voluit, ac mandauit succedere Maherbalem.

2 Mortuo testatore, & adita per illius hæredes nominatos hæreditate. Vicinus suscepit filios, Martium scilicet, & Corradinum legitimos, & naturales. Decessit exinde Martius relictis DD. Maherbale, & Horatio suis filijs legitimis, & naturalibus. Demum clausit diem suum Corradinus, scripto prius sibi inhæredem D. Horatio altero ex filijs Martij.

3 Moto iudicio per Dominum Maherbalem inuiorem prætendentem factum esse locum fideicommisso Ioan. Corradi ad sui fauorem, causa fuit in Rota comissa, & proposito dubio. An constaret de fideicommisso Ioan. Corradi in casu, & ad effectum de quo agitur. Domini dixerunt constare. Quia, & ex verbis, & ex mente, bene probatur vocatio descendentium testatoris, & reciproca inter eos substitutio. Ex verbis, dum instituit, fecit, atque reliquit hæredes Hieronymum, & Vicinum suos filios, & eorum descendentes, qui cum à testatore non copulatiue, sed ordine successiuo vocati fuerint propter necessitatem eos instituendi. *Glos. in l. Gallus, §. quidam recte. ff. de lib. & posthum. quam sequuntur ibidem Bart. num. 4. Bald. num. 5. Alber. num. 9. Alexan. num. 6. & communiter receptum dixerunt Socin. iun. consil. 171. num. 4. lib. 2. Clar. in §. testamentum, nu. 80. Petr. de fideic. q. 5. num. 153. Illustris. Mant. de coniect. vlt. vol. lib. 4. tit. 7. in 1. Menoch. de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 70. nu. 3.*

4 Dicuntur in vtroque casu tàm vulgaris, quam fideicommissariæ vocati propter nomen, descendentes collectiuum plurium personarum, & graduum. *Auth. de hæred. ab intest. ven. post princ. l. vlt. Cod. de suis, & legit. Graff. in §. fideicommissum, q. 15. Galliaul. in leg. Gallus, §. quidam recte. num. 4. ff. de lib. & posthum. Crau. cons. 22. num. 5.* quod terminari non solet in primis adeuntibus secundum naturam vulgaris, *l. post aditam, C. de impub. Alex. cons. 14. colum. 3. lib. 4.* sed ad omnes profertur descendentes de gradu in gradum propter implicitum statum futuri temporis obliquando directã institutionem. *l. filiusfam. §. vt quis hæredem, ff. de legat. 1. l. ex facto. in princip. ff. ad Trebell. l. verbis ciuilibus, ff. de vulg.* quem intellectum vti naturæ, & voluntati testatoris amicum probauit *Bald. in institutione de Colta, & eius descendentibus cons. 303. volum. 3. sed plenius, cons. 492. pro eodem Collat. vol. 2. & in institutione de filio, & nepote. Paul. de Castr. in l. Gallus, §. quidam recte. num. 9. vers. tenendo opinio. Bart. de lib. & posthum. Couar. in cap. Rainutius, §. 2. num. 7. de testamentis,* idem comprobans, quando vel adest nomen collectiuum, vel apposita sunt verba futurum tempus respicientia, & in substitutione facta de Beatrice, & suis, quod verbum, suis exponitur pro descendentibus, *secundum Dec. in cons. 217. ad finem respondit Crau. cons. 22. nu. 7. Simon. de Pret. de interpr. vlt. volunt. in substitutione de suis, & descendentibus lib. 3. interpret. 2. dub. 1. sol. 5. nu. 46. vers. quod tamen intellige. pag. 239. à tergo. vbi miratur de Crauet. qui non allegauit. cons. Bald. 492. vol. 2.*

5 Et quamuis multi senserint, quod verbum, descendentes, primis adeuntibus ad fideicommissum non trahatur, nisi concurrant verba explicantia tempus futurum, vel quia sit facta mentio hæredum, vel additæ fuerint dictiones, semper, in infinitum quandocumque, & similes, prout in præcisis terminis in institutione de filio, & eius descendentibus, vel de fratre, & suis aperte tenuerunt *Cuman. in l. cum ita. §. in fideicommisso. num. 4. ff. de l. 2. & in l. Gallus, §. quidam recte. num. 7. vers. vbi autem instituuntur, ff. de lib. & posthum. Aret. ibid. nu. 7. vers. aduerte tamen. Socin. sen. nu. 5. vers. quartus casus est. Alex, cons. 24. num. 5. lib. 3. Dec. cons. 205. num. 4. cons. 248. num. 5. & per totum cons. 253. num. 2. cons. 287. num. 7. & consil. 291. num. 2. & cons. 384. num. 6. Curt. consil. 48. num. 5. Crau. cons. 22. num. 5. Rimin. iun. consil. 50. per totum, & cons. 535. num. 18. Decian. consil. 26. num. 37. volum. 2. Ruin. consil. 92. num. 5. lib. 2. & cons. 99. & 100. eodem volum. Petr. Ant. Anguiss. consil. 72. 80. & 86. per totum lib. 6. Marcobr. cons. 61. num. 88. Laderch. cons. 92. & in substitutione de filio, & eius descendentibus latissimè Menoch. libr. 4. præsumpt. 71. num. 10. Petra de fideicomm. q. 5. num. 165. Simon. de Pret. lib. 3. interpret. vltim. volunt. 2. dub. 1. sol. 5. num. 46. & seqq. Surd. decision. 346. numer. 18.* qui infinitos pro hac opinione referunt, attestantes, etiam de magis recepta Scribentium opinione, à qui-

quibus non dissensit Rota in vna Vrbeuetana Castri Sepij, 15. Iunij 1579. coram bon. mem. Card. Seraphino, inter impressas diuersorum 579. nu. 9. part. 1. & in Florentina fideicomm. de Detis 3. Decembr. 1607. coram R. P. D. Manzanedo, & nouissime in illa Bononien. Fideicom. de Pannolinis 10. Decembr. 1610. coram R.P.D. Marcomontio.

6 Tamen eorum dicta, & rationes bene videntur procedere, quando testator in concipienda institutione vsus fuisset verbis duntaxat directis, videlicet instituit heredes fecit, & similibus, qui a secundum eorum propriam naturam impossibile est, quod trahantur ad fideicommissum, ex quo à principio iure directo valere possunt. l. verbis ciuilib. l. in substitutione. ff. de vulg. l. non codicillum. de testam. Bart. in l. centurio. colum. pen. ff. de vulg. quę ratio fuit precipua illius opinionis, & ex ea signanter mouentur. Aretin. in dict. leg. Gallus, §. quidam recte, num. 7. versic. nam hoc videtur impossibile. ff. de lib. & posthum. Socin. consil. 113. num. 6. volum. prima, fatendo esse rationes Aretini. Decian. consil. 248. num. 3. versic. quia impossibile est. Rimin. iun. consil. 50. numer. 7. & 33. volum. 1.

7 Secus vero si testator verbis directis, & communibus est vsus, prout contigit in casu, de quo agitur, ibi, instituit, fecit, atque reliquit, quod verbum, reliquit commune est secundum Bart. in l. his verbis, num. 3. de hæred. instit. & in l. centurio. num. 33. de vulg. Alex. consil. 90. in l. apud Iulianum, §. non omnes. num. 7. ff. ad Trebell. Franch. in repetit. cap. si pater. numer. 85. de testam. in 6. & tunc quia non tenditur directo, ad impropriandam naturam verborum, non erit inconueniens, si institutio obliquetur, ex quo in ea adsunt verba apta recipere talem formam, quę fideicommissum respiciat. Dec. consil. 248. num. 3 vers. 2. respondetur, admmittendo doctrinam Castr. in d. §. quidam recte num. 9. bene procedere in his terminis Simon. de Pret. de interpr. vlt. volum. d. sol. 5. num. 46. limitando rationes Aretin. Berret. cons. 33. num. 2. dicens hoc modo conciliari auctoritates aliquorum, qui visi sunt Castr. aduersari, Rimin. iun. loquens in proprijs terminis, considerando naturam verbi, reliquit. cons. 50. nu. 36. & 38. vol. 1.

8 Et eo maxime predicta videntur procedere, accedente clausula codicillari, apposita in testamento, de quo agitur, per quam concludit. Socin. sen. in l. Gallus, §... ad finem. ff. de lib. & posthum. quod tunc verba etiam ciuilia important fideicommissum, & obliquantur, quando substitutio non potuit valere iure directę substitutionis, atque ita concludunt Bart. & Bald. in leg. verbis ciuilibus, ff. de vulg. Fulgos. in l. precibus col. 10. Cod. de impub. Matthesil. sing. 141. nota mirabilem doctrinam Anchar. cons. 27. in princip. Socin. sen. cons. 14. & 144. in 1. vol. Curt. qui prædictos refert, & sequitur consil. 48. num. 6. versic. ex alio etiam fundamento 1. lib. quibus accedunt Crauett. cons. 22. num. 8. & consil. 210. num. 4. & cons. 131. num. 10. Paris. consil. 41. num. 53. lib. 2. Galliaul. in l. centurio, num. 299. ff. de vulg. Neuiz. cons. 53. num. 14. Grat. cons. 8. num. 13. lib. 2. Cagnol. in leg. precibus, numer. 197. Cod. de impub. Menoch. libr. 4. præsumpt. 71. numer. 36. Ruin. consil. 174. numer. 13. volum. 2. Beret. consil. 23. num. 5. Vnde cum in proposito casu filij filiorum institutorum non possint venire ex substitutione vulgari, quę expirauit per aditionem hereditatis factam per eorum parentes, virtute dictę clausulę codicillaris, dicentur vocati ex fideicommisso.

9 Non ignorant tamen Domini alios quamplures cōtrarium sensisse, nempe Bald. cons. 319. col. fin. libro 5. Dec. consil. 205. num. 9. 248. num. 8. & in l. præcibus, num. 18. vers. vlterius tamen. Cod. de impub. Ripam in l. hæredes §. peto, num. 9. ad Trebell. Alciat. consil. 5. num. 39. libr. 4. tom. 1. Socin. iun. cons. 180. num. 77. volumine 2. Anguiss. consil. 38. num. 7. & 8. consil. 72. num. 6. lib. 6. Laderch. cons. 92. num. 17. Petr. de fideicomm. quæst. 5. numer. 168. Rimin. iun. cons. 50. numer. 66. qui omnes mouentur ex rationibus Decij in d. consil. 248. num. 8. videlicet, quod cum de natura clausulę codicillaris sit conseruare voluntatem testatoris, vt notat Bald. in l. fin. colum. 4. versic. nunc aliqua Cod. de codicillis, voluntas autem testatoris versetur circa directam dispositionem, non potest operari effectum contrarium ex defectu intentionis illius, qui non cogitauit de fideicommissaria, & eo casu dum clausula codicillaris habet relationem ad illud, quod disposuit testator, non potest ex sui natura confirmare, aut corroborare, quę apta non sunt recipere fomentum, & robur, ex quo venit accessorie ad dispositionem, non autem eam principaliter ampliandam.

10 Sed hę rationes de defectu intentionis bene euitantur in casu, de quo agitur, quia verba non repugnant fideicommissariæ, nam verbum commune, reliquit, additum institutioni potest vtramque formam recipere absque verborum impropriatione, propterea conueniunt ad inuicem termini compendiosæ propter aptitudinem obliquationis, ex quo non sunt verba, quæ clarè contineant vulgarem, sed potius dubia, quę possunt etiam continere fideicommissariam, vt considerant Curt. iun. d. cons. 48. nu. 6. vers. nam vt supra diximus, Crau. d. cons. 22. num. 8.

11 Præterea vbi etiam verba clarè continerent vulgarem, si tamen de intentione testatoris appareat, quod non statim, quod esset mortuus prouidere voluerit, sed futuram testamenti annullationem considerauerit admittunt etiam prædicti DD. quod clausula codicillaris trahat secum fideicommissariam, & signanter, Rimin. iun. in præcisis terminis in alleg. consil. 50. num. 66. volum. 1. & huiusmodi est clausula codicillaris testamenti Conradi, quæ datur in Summario sub litera E. dum dicitur in ea, & hoc voluit esse suum testamentum, quod si iure testamenti non valeret, valere, voluit iure codicillorum, hoc inquam verbum, valeret, quod præteriti imperfecti subiunctiui, modi, ex sui natura partim designat præteritum continuatiue, ad actus perfectionem; rursus, quia imperfectum sic in futurum tendens, ad futurum ex propria natura tendit, vnde idem importat, ac si dictum fuisset, si non valet, vel valebit iure testamenti Bald. declarans in leg. si quis agere, quæ est fin. numer. 22. Cod. de codicil. Bursat. referens eadem verba Bald. & illum sequens in consil. 89. numer. 44. volum. prima.

12 Demum videtur etiam concurrere cōsideratio successiui temporis, ex qua omnis scrupulus esset sublatus, nam cum in casu, de quo agitur alij descendētes, præter filios natos, & institutos non essent tempore testamenti in rerum natura, & consequenter concurrere nō possent, videtur dispositio habere relationem ad mortem institutorum, vt sit sensus de descendentibus post mortem testatoris, qui habent implicitum tractum temporis, prout verbum hæredis Socin. sen. cons. 43. col. 5. vol. 3. Rimin. iun. consil. 50. num. 20. volum. 1. quod tempus successiuum magis etiam testator explicauit ex compendiosa filijs institutis facta ex digressu ad plures substitutionum gradus, & alijs, quæ infra dicentur in probatione fideicommissi ex mente testatoris resultante.

13 Non obstat, si dicatur, quod iste tractus temporis sit considerandus in eodem casu, & in eadem substitutione, quæ respicit vocatos, non autem ex alijs partibus testamenti, quia tractus temporis, qui respicit personam primo vocati ad aliam personam extendi non debet, vt aduertunt Crauett. cons. 131. num. 4. Petra de fideic. q. 5. nu. 166. Rim. iun. d. cons. 50. num. 53. Nam prædicta bene videntur procedere, quando aliter non cōstaret de mente testatoris, de qua tamen satis constare videtur ex infra dicendis, quo casu implicitus tractus temporis potest per coniecturas etiam designari, secundum Socin. sen. cons. 12. colum. 3. in 3. dub. libr. 3. & Simon. de Pret. de interpret. vltimar. volunt. libr. 13. allegat.

gat. fol. 5. num. 46. vers. sed cessat ratio, *pag. mihi 239.* Et his stantibus claris verbis in testamento legitur reciproca substitutio inter omnes descendentes Conradi, quia facta institutione de filijs, & descendentibus eorum subdit, & si decesserint, siue eorum descendentes in pupillari ætate, vel postea quandocunque vnus moriatur alteri, & alter alteri æquali portione, ex quibus verbis inductum videtur fideicommissum expressum inter filios, & eorum descendentes institutos secundum quod casus mortis in perpetuum de eis euenerit. *l. si pater. de testamentis. lib. 6. ibi*, filiæ morerentur. *Oldr. cons. 125. vers. & posset poni exemplum cum alijs per Informantes allegatis*.

14 Non obstant considerationes adductæ per Informantes pro D. Horatio, vt scilicet reciproca non excedat personas institutorum, quamuis dictum fuerit, & eorum descendentes, quia testator loquutus est, retentis ijsdem terminis, de quibus in institutione, qui de vulgari tantum sensum recipere debent, vnde substitutio, quæ facta reperitur inter Hieronymum, & Vicinum non debet extendi de persona ad personam. *Rol. consi. 56. num. 24. Nat. consi. 470. num. 6. cum alijs allegatis.* Quia pro responsione fuit dictum, quod cum fuerit firmatum ex verbo descendentes, nedum vulgarem, sed & fideicommissariam comprehendi cessat obiectum cessante præsupposito in vulgari duntaxat constituto.

15 Ex mente etiam vltimo loco dixerunt Domini constare de fideicommisso reciproco inter descendentes Conradi, ex quo filij, & descendentes cum qualitate masculinitatis fuerunt bis in conditione positi, ibi, si decesserint, seu eorum descendentes, & iterum, ibi, si contigerit, quod dicti sui filij, & eorum descendentes masculi omnes decesserint sine filijs legitimis, qui existentibus coniecturis censentur vocati ex communi opinione, quã sæpissime est amplexa Rota, & signanter in illa Montis falisci fideicom. 20. Nouembris 1602. coram bon. mem. Card. Pamphilio, & in Perusina de Alphanis 22. Iunij 1607. coram R.P.D. Ludouisio, relata in illis de Pannolinis. 10. Decembris 1610. coram R.P.D. Marcomontio.

16 Quæ coniecturæ, etsi de per se minus efficaces essent, iunctæ tamen, quod sufficiant ad fideicommissum inducendum, quippe quæ arbitrio iudicis relatæ fuerint, Domini admiserint in illis de Alphanis, & de Pannolinis supra relatis, & aperte probant *Bero. consi. 104. num. 12. lib. 2. Gras. in §. fideicommissum. q. 14. Sur. decis. 162. num. 11.*

17 Et ex eis elici quoque vocationem ad portionem patrui, seu alterius cohæredes probarunt. *Corn. consi. 306. in fine. vol. 4. Gabr. cons. 2. num. 13. in fine. lib. 2. & cons. 115. num. 13. lib. 1. Bursat. cons. 202. num. 42. vol. 2.* & sæpius hanc conclusionem tenuerunt Domini, vt in illa Romana de Quinque coram R.P.D. Ludouisio 12. Nouembris 1607. in Vrbeuetana fideicom. coram. R.P.D. Coccino 27. Ianuarij 1606. & nouissime in illa de Pannolinis alleg. quæ fuit confirmata 9. Maij 1611. coram eodem D. Marcomontio.

18 Inter ceteras autem, quæ recensenter per Informantes D. Maherbalis, scilicet ex qualitate masculinitatis ex feminarum exclusione propter masculos, ex vocatione feminarum in defectum masculorum, ex reciproca inter institutos, etiam vocatione extraneorum, ex compendiosa inter eosdem institutos, & alijs adductis, illæ videntur firmiores, quæ deducuntur ex digressu ad plures substitutionum gradus, & ex ratione conseruandi bona in agnatione, quibus aliter satisfieri non videtur posse, nisi vnus alteri sit grauatus restituere, ex quo testator actum successiuum considerauit. *Socin. sen. qui in his terminis loquitur consil. 250. num. 14. lib. 2. Ias. cons. 140. col. 4. vers. mens autem. lib. 2. Curt. iun. con. 16. num. 7. Marzar. consi. 4. col. 1. vers. confirmantur præmissa, & consi. 5. col. 6. vers. veruntamen, & consi. 6. col. 6.* & id videtur etiam maxime suaderi, quia alias dispositio redderetur inutilis, cum nec ad vlteriores in gradibus nominatis, nec ad illos de agnatione bona possent peruenire, vt considerat *Crau. consil. 22. num. 2. Curt. iun. consi. 48. num. 4.* quos Rota sequitur in Vrbeuetana Castri Sepij coram bonæ memoriæ Cardinale Seraphino inter impressas 579. nume. 9. & hæc bene probantur in casu testamenti Conradi.

19 Nam digressio ad plures gradus colligitur ex eo, quod testator considerando deficientiam aliquorum ex institutis, & secundò loco omnium institutorum, & eorum descendentium masculorum vocauit feminas descendentes cum onere nubendi illis de Mugnano, vel de Pitiliano altera eorum recusante, & demum alijs de domo Vrsina in genere, & illis descendentibus sine prole vocauit masculos de eisdem domibus, primo de Mugnano, secundo de Pitiliano, quæ successiua subordinatio aperte significat digressum ad plures gradus substitutionum, vt considerat *Menoc. consil. 310. num. 12. vol. 4.*

20 Non obstat, quod hæc digressio ad plures gradus, licet facta sit in plures gradus diuersos, vnica tamen sit censenda, cum dependeat ab vnico casu, scilicet quando filij, & descendentes decesserint sine filijs. *Gabr. consil. 117. nume. 14. libr. 1.* Quia ex facto tollitur obiectum, dum vna expirata non cessant aliæ substitutiones, quia præsupponitur successio vocatorum, & decessus sine filijs, qui sunt gradus distincti, & personę diuersæ, & sufficit ad hunc effectum, quod testator considerauerit actum successiuum possibilem, vt supra fuit dictum ex *Socin. & alijs allegatis*.

21 Contemplatio agnationis videtur etiam sufficienter probata, quia & si expresse non legitur, quod testator voluerit bona remanere in familia de Vrsinis, tamen certum est, quod in familia effectiua non veniunt alij, quam descendentes, prout eos vocauit testator semper præferendo masculos ipsis feminis descendentibus, & quando feminas vocauit eas cum onere nubendi in familijs de Vrsinis voluit admitti, terminando postremo omnes substitutiones in familia contentiua de Vrsinis, atque ita cùm alio non tendant substitutiones, quam ad effectiuam sui ipsius testatoris, & ad contentiuam sub qua comprehenditur non videtur dubitandum, quin ratio conseruationis intret ad hunc effectum, vt in fortioribus terminis ex sola prælatione masculorum considerarunt. *Crauet. consil. 130. num. 10. versic. in proposito nostro. Veggius consil. 74. num. 201. Dec. consi. 31. nu. 97. Bald. in l. maximum vitium. C. de liber. præt.*

22 Non obstat, quod ex admissione feminarum videatur destrui ratio conseruandæ agnationis, quia per feminas non solent conseruari. *§. ceterum. instit. de legit. agnat. success. Crauet. cons. 306. num. 5. Menoch. consi. 150. num. 39.* nam feminæ non fuerunt simpliciter vocatæ, sed cum onere nubendi in altera ex familijs supradictis de Mugnano, vel de Pitiliano, quod magis videtur confirmare mentem testatoris ad conseruationem agnationis relatam.

23 Ad id autem in quo Informantes pro D. Horatio valde insistebat, si aliquo modo intelligi posset, quod in hoc testamento esset indutum fideicommissum, non tamen fuisse sublatam facultatem ipsis descendentibus, & vocatis instituendi hæredem aliquem ex familia ex illis verbis; sed ad proximiores agnatos masculini generis deferatur hæreditas, vel ex testamento per suos posteros faciendo, vel ab intestato per *text. in l. pater filium. §. quindecim. ff. de legat. 3.* vbi permissa licentia alienandi in collibertos legatarios sustinetur alienatio facta in vnum ex eis, & eum *text.* declarat *Menoch. consi. 327. num. 99. volumine 4.*

24 Omissis alijs responsionibus, quæ ab Informantibus deducebantur, placuit Dominis, quod illa licentia posteris concessa deferendi hæreditatem in proximiores

miores ex testamento, vel ab intestato præmissa non fuerit ad euersionem, nec ad limitationem sequentis fideicommissi. Non ad euersionem, quia verba licentiæ hanc interpretationem non patiuntur, cum sint restricta ad proximiores, & conueniens fideicommisso in inferiori parte testamenti posito.

25 Non etiam ad limitationem respectu personarum in eodem gradu existentium, quia proximioribus enunciatis omnes in eodem gradu existentes simul vocati censentur. *Bald. in l. peto. §. fratre. in 1. versic. secunda q. ff. de leg. 2. Crott. in l. filiusfam. §. Diui. nume. 173. ff. de legat. 2. Surd. consil. 247. num. 8. vol. 2.* & in tantum hoc est verum, quod si dixisset hæreditatem deferendam in proximiorem venirent, tamen eodem tempore omnes existentes in pari gradu, & singularis numerus contineret pluralitatem. *§. sed si plures. instit. de legit. agn. success. Ancharan. consil. 180. num. 3. Roland. consil. 38. num. 46. vol. 4. Idem Surd. d. consil. 247. num. 10. volum. 2.* Quare siue dictum fuerit, quod hæreditas deferetur proximioribus, siue in singulari vsus esset testator verbo proximiori, ad omnes tamen æqualiter in eodem gradu existentes hæreditas per posteros, vel ex testamento, vel ab intestato erat deferenda.

26 Nec *text. in l. pater filium. §. quindecim. ff. de legat. 3.* videbatur posse deseruire terminis, de quibus agitur. Nam eo casu venditio iudicio testatoris sustinetur, quia permiserat testator quemlibet ex libertis partem colliberti posse emere, quod idem non consideratur in hæreditate destinata proximioribus, qui singuli in eodem gradu existentes iudicio testatoris ad hæreditatem venire non possunt, vt supra fuit dictum. Atque ita vtraque parte informante Domini resoluerunt, &c.

R. P. D. VBALDO.

Pampilonen. Parochialis de Arcoz. Veneris 13. Maij 1611.

ARGVMENTVM.

Subrogatio gratiosa in ius collitigantis defuncti, vt iustificata dicatur sufficit iustificare litem, obitum in possessione, & clericatum, & quomodo hęc iustificata, & probata censeantur.

SVMMARIVM.

Subrogatio gratiosa in ius collitigantis defuncti, vt iustificata dicatur sufficit iustificare litem, obitum in possessione, & clericatum. num. 1.

Beneficium dicitur litigiosum ad effectum gratiosæ subrogationis per inhibitionem relaxatam à Rota, & illius executionem. num. 2.

Mors probatur ex libro parochi, in quo mortui describuntur. num. 3.

Possidens de præterito præsumitur possidere in futurum, possessioque præsumitur semper continuata vsque ad mortem. num 4.

Clericatus ex literis Ordinarij plene probatus censetur. nu. 5.

DECISIO CCCXXI.

1 PRo Informante videlicet literas subrogationis gratiosæ ad possessionem Didaci ad fauorem Sanctij esse iustificatas, nam cum Didacus Enriquez accepisset possessionem cuiusdam Parochialis de Arcoz Pampilon. Diœc. vigore præsentationis, & institutionis sibi factæ lis fuit illi mota in petitorio à dicto Sanctio ad eandem parochialem præsentato per eiusdem oppidi iuratos, & Vniuersitatem, nec non à Promotore Curiæ Episcopalis contendente Ecclesiam esse liberam, & cum pro eius libertate pronunciasset ordinarius Pampilonen. causa appellationis fuit in Rota introducta coram bon. mem. Iusto, qua lite pendente Didacus decessit, & in eius locum, & ad ipsius possessionem fuit Sanctius collitigans gratiose subrogatus de cuius literarum iustificatione dubitaui vna tantum parte informante, quia altera pars pluries citata noluit informare, & Domini pro iustificatione responderunt, vt supra, quia in huiusmodi subrogatione sufficit iustificare litem, obitum in possessione, & Clericatum, vt fuit resolutum in Lucana maiusculatus 13. Octobris 1586. coram Orano, & in Burgen. præstimonij de Pancoruo 24. Octobris 1588. coram Gipsio, & alios sæpe.

2 De lite constat ex magno processu agitato coram Ordinario Pampilonen. & ex commem. oppositionis directa bon. mem. Iusto, cuius vigore emanauit citatio cum inhibitione personaliter executa contra *Didacum, vt in Summario. num. 2.* quod sufficit, vt beneficium dicatur litigiosum ad officium gratiosæ subrogationis *Clem. 2. & ibi Vitalin. num. 7. vt lit. penden. Vital. de clausulis, tit. nil. nou. lit. pend. num. 2. ver. & dicitur hunc casum. Lancel. de attentat. par. 2. cap. 4. in præfatione, num. 48. Sarn. in reg. de subrog. collitig. quæst. 3. versi. tamen contrarium. Rot. decis. 42. num. 12. par. 2. diuers. 3.*

3 De obitu Didaci constat ex libro Parochi, in quo mortui describuntur, cuius partita fuit legitime extracta per compulsum, & producta in actis citata parte. *Imol. consil. 110. in fin. Aym. de antiqui. tempor. p. 1. §. videmus, & abunde. num. 1.* præsertim cum hic non agatur ad officium reseruationis, sed simpliciter ad probandum vacationem, vt fuit dictum in Salamantina Beneficij de Arapilles 3. Iulij 1600. coram R. P. D. meo Decano.

4 De possessione eiusdem Didaci constat ex toto processu, & testibus qui dantur in Summario, *num. 4. & 5.* vbi habetur comparitio eorum, qui ab ordinario fuerant deputati custodes, seu depositarij fructuum dictę Ecclesiæ qui petierunt, & obtinuerunt se declarari pro liberis à dicta deputatione ex quo Didacus adeptus fuerat possessionem, & fructus perceperat quę possessio Didaci præsumitur continuata. *Natta consi. 572. num. 18. lib. 3. Honded. consi. 20. num. 12. lib. 1. Menoch. de recuper. remed. 15. num. 387. & de præsumpt. lib. 6. præsum. 64. num. 1. Rot. decis. 4. num. 12. & seq. par. 2. diuers.* & quidem vsque ad obitum. *Nat. cons. 562. num. 6. lib. 3. Rot. decis. 4. de probat. in nou.* etiam ad officium immissionis vigore subrogationis gratiosæ, vt fuit dictum in Placentina Canonicatus 26. Nouemb. 1593. coram Orano, & in Hispalen. Beneficij 2. Iunij 1597. coram Gipsio.

5 Clericatus Sanctij probatur ex literis ordinarij Iacen. qui illum ordinauit ad ordinem presbyteratus de licentia ordinarij Pampilonen. vt in Summario, *num. 7. Grammat. decis. 81. num. 1. Cæs. de Graff. decis. 87. alias vnica. de præsump. num. 5. Put. decis. 144. num. 5. lib. 2.* Ex quibus fuit conclusum literas subrogationes esse iustificatas.

REVERENDISS. P. D. PEGNA DECANO.

Hipporegien. Cappellæ Sancti Martini. die 15. Maij 1611.

ARGVMENTVM.

Possessio iunior antiquiori non præiudicat in Concessione mandati de manutenendo. Possessionemque alicuius Ecclesiæ accipiens, quando censeatur apprehendisse possessionem omnium bonorum ad dictam Ecclesiam spectantium.

SVM-

SVMMARIVM.

Possessio anterior præferenda est posteriori in materia concessionis mandati, de manutenendo. num.2.
Possessionem alicuius Ecclesiæ, seu beneficij adipiscens, censetur etiam apprehendisse possessionem omnium bonorum ad dictam Ecclesiam spectantium. Declara, nisi prius eorundem bonorum possessio ab alio capta fuerit, numero 3.

DECISIO CCCXXII.

1 CVm in Castro Turris, Hipporegien. diœcesis per obitum Faustini della Torre vacassent duo beneficia, vnum Sancti Iacobi quod est de Iure patronatus Dominorum d. Castri, alterum Sancti Martini, Turinus de Turinettis prouisus à Papa de beneficio Sancti Martini cum vellet apprehendere personam D. Carolus Bernardinus vnus ex Dominis dicti Castri præsentatus, & institutus in beneficio Sancti Iacobi exequutioni literarum Apostolicarum se opposuit asserendo non extare, nisi beneficium Sancti Iacobi. Vicarius tamen Hipporegien. non obstante d. oppositione Turino tradidit possessionem Beneficij Sancti Martini, de cuius existentia postea in Rota constare. Fuit decisum illudque habere aliqua bona, quæ per decisiones Rotales fuerunt specificata, quibus ad fauorem Turini constitutis petebat mandatum de manutenendo, super quo dato dubio Rota illud sibi denegauit.

2 Quia licet Turinus accepisset possessionem beneficij Sancti Martini, sub die 22. Aprilis 1600. prædictus tamen Carolus paulò antea, sub die 2. eiusdem mensis Aprilis in specie acceperat possessionem eorundem bonorum, cuius possessio tanquam anterior in hoc concursu erat præferenda, *ca. licet causam. de probat. Menoch. de retinen. remed. 3. num. 725.* & sufficit anterioritas per horam, vt dixit *Bal. in l. de rebus. num. 2. C. de donat. ante nupt. Cassad. decis. 20. incip. quotidianum est in Curia, num. 1. de præb. Put. decis. 372. incip. in vna Tiburtina. lib. 2. Ferret. consi. 5. incip. in causa Canonicatus, nu. 8. lib. 1.*

3 Possessio autem Turini de beneficio non extendebatur ad bona per Carolum tunc possessa. *Abb. cons. 71. inci. videntur prima fronte. num. 3. vers. dummodo alius. lib. 2. Paris. consil. 25. incip. vidi consilium. num. 36. libro 4. Crauet. de antiquit. temp. par. 4. §. 1. num. 58. vers. dummodo alius.* Licet enim verum sit possessionem bonorum alicuius beneficij existere penes Cappellam, seu Ecclesiam, siue in hoc casu penes beneficium S. Martini, cuius Turinus possessionem apprehenderat, vt consequenter videretur possessionem bonorum apprehendisse, id tamen non habet locum, quando medio tempore, id est post vacationem beneficij, & ante adeptam illius possessionem tertius naturalem possessionem apprehendit. *Innocen. in capit. cum in officio, num. 6. versic. & ideo. de testam. Papazzonus ad Rotam dec. 1. num. 4. vers. respondeo ad primum, de restitu. spoliat. in nou.* & fuit dictum in vna Lucana optionis. die 24. Aprilis 1606. coram D. Manzanedo.

4 Ceterum, quia in deductis, & declaratis in Rota ad fauorem Turini constabat de eius bono iure, & quod multa de bonis per Carolum occupata re vera pertinebant ad beneficium Sancti Martini. Domini dicebant de opportuno remedio Turino prouidendum. Nam licet ei per viam manutentionis subueniri non potuisset, non tamen concludebatur ab alijs iuris remedijs. Et ita fuit conclusum.

R. P. D. VBALDO.

Fauentina Bonorum de Naldis, Mercurij 18. Maij 1611.

ARGVMENTVM.

Eligendi successorem facultas alicui à testatore data, quando in vita eligentis fieri possit.

SVMMARIVM.

Eligendi successorem facultas alicui à testatore data si fuit restricta ad tempus mortis, electio antea facta non valet, secus si fuerit data facultas eligendi non modo tempore mortis, sed etiam in vita. num. 1. Declara, vt num. 2. & 3.
Electio successoris non potest fieri in vita eligentis, quando hæreditatis restitutio facienda est post mortem. nu. 3.
Substitutio vna non infert ad alteram, quando verba non sunt dubia, sed clara, sunt que substitutiones singulæ per se perfectæ, & separatæ. num. 4.
Filius an, & quando in fideicommissis censeatur vocatus post mortem patris. num. 5. & 6.
Dictio deinde denotat ordinem successiuum. num. 7.
Substitutio, quando censeatur facta ordine successiuo. numero 7.

DECISIO CCCXXIII.

1 PLacuerunt Dominis decisiones duæ conformes in hac causa factæ, altera coram bon. mem. Iusto 2. Maij 1608. altera 3. Decembris præteriti coram me, ex rationibus ibi adductis. Neque obstare dixerunt, quod in casu *l. cum pater. §. à filia. ff. de legat. 2.* & alijs allegatis, facultas eligendi esset restricta ad tempus mortis, & ideo electio ante facta irritaretur propter præiudicium eorum, qui tempore mortis eligi potuissent, vt illum tex. intelligit *Molin. de primogen. Hispan. lib. 2. cap. 4. num. 23. & sequen.* Sed hic videatur permissum Lauræ, vt eligeret non modo tempore mortis, sed etiam in vita, cum etiam si transire vellet ad secundas nuptias posset eligere, & sic intrare videatur doctrina. *Bald. in rubr. C. de reuoc. his, quæ in fraud. credit. num. 7. in fi.* quod electio non collata in tempus mortis potest fieri in vita. *Bartol. in l. vnum ex famili a. num. 6. in fi. ff. de leg. 2. Anchar. consil. 202. nu. 4.* cum alijs alleg.

2 Quia fuit responsum, licet electio non esset restricta ad tempus mortis, tamen restitutionem hæreditatis fuisse expresse coarctatam ad dictum tempus, & sic si non electio, saltem effectus electionis fuit collatus in tempus mortis, quo casu licet hæres elegerit in vita, tamen eius electio non est sortita effectum, nec potuit dici electio quo vsque potuit retractari. Potuit autem reuocari vsque ad mortem, cum fuerit facta in vltima voluntate. Siue postea electio in temqus mortis collata esset, siue simpliciter, siue tam in vita, quam in morte concederetur, vt expresse dicit *Molin. loco supra cit. sub nu. 36. vers. si in vltima.*

3 Vltra quod Doctores ex aduerso citati loquuntur, quando hæres iussus est restituere simpliciter, secus si post mortem, vt hic. Tunc enim non potest fieri præiudicium ijs, qui supersunt tempore, quo cedit dies fideicommissi, dicta *l. cum pater. §. à filia, & ibi glo. in ver. electionem. ff. de leg. 2. l. filius familias. §. Diui. il 1. ff. de leg. 1.* cum alijs allegatis in dictis decisionibus, & hanc distinctionem sensit *Illustriss. Cardin. Mantica, de coniect. vltim. volunt. lib. 8. tit. 5. sub num. 20. vers. neque obstat.*

4 Non obstat, quod in casu secundarum nuptiarum substitutio haberet locum in vita Lauræ, quia ab vna substitutione non potest inferri ad alteram, cum verba non

ba non sint dubia, sed clara, *Gabr. consil. 124. num. 19. lib. 2. Odd. consil. 95. num. 51.* & sint substitutiones singulæ per se perfectæ, & separatæ, *Bart. in l. iam hoc iure, §. vltimo ff. de vulg. Gabr. consil. 95. num. 12. lib. 1.* Præterquam quod nec eiusmodi substitutio plenum dici poterat sortiri effectum, cum reuertente muliere ad statum viduitatis esset sibi restituenda hæreditas à substituto à se electo, vt expresse cauetur in testamento.

5 Non obstant, quæ dicuntur de vulgari, quod scilicet caducato vno gradu subintret alius per modum vulgaris. Vnde defuncto Ænea ante mortem Lauræ, & sic ante euentum diei fideicommissi videatur subintrare eius filius per doctrinam *Barto. in l. quamdiu institutus. num. 10. ff. de acquir. hæred. Menoch. consil. 106. num. 158. lib. 2. cum alleg.*

6 Quia respondetur illa procedere, quando substitutio est facta de persona certa, vt si hoc casu Æneas esset substitutus, & post eum ipsius filius, eo præmoriente, fieret locus substitutioni vulgari, ad fauorem filij, sed hic fuit substituta persona incerta, vel certa de incertis, vt fuit latius deductum in decisione prædicta coram me, & ideo deficiente vocatione Æneæ, qui non fuit vocatus sub certa denominatione, neque ipsius filius vocatus dici potest, tanquam deficiente fundamento vocationis, vt fuit dictum in Maceraten. Hæreditatis. 18. Iunij 1607. coram bo. memoriæ Iusto, & in eadem causa 18. Iunij 1610. coram R.P.D. Manzanedo, vbi in specie respondet ad. *d. consil. Menoch. 106. lib. 2.*

7 Addebant etiam nonnulli ex Dominis, quod hic omnino excludi videbatur vulgaris ex clara voluntate testatoris, qui voluit primogenitum succedere post obitum patris electi, vt clare colligitur ex illis verbis, quia primo voluit post Lauram eius vxorem hæreditatem, & bona peruenire ad vnum ex filijs Vincentij, & deinde ad primogenitum sic electi, ponderando illud verbum, Et deinde, quod denotat ordinem successiuum. *l. potior. ff. qui potior. in pignor. habebantur. Rebuff. in l. portus. & in l. appellatione parentis. in verbo, deinceps. ff. de verborum signif.* & requirit, quod electus primo successerit, vt primogenitus succedere posset, vt in similibus terminis fuit consideratum in dicta Maceraten. hæreditatis. vers. quæ comprobantur. coram bo. mem. Iusto. Atque ita decisum.

REVERENDISSIMO P. D.

ATTREBATEN.

Constantin. Iurisdictionis. Mercurij 18. Maij 1611.

ARGVMENTVM.

Territorium, quando dicatur exemptum à iurisdictione Episcopi, & nullius Diœcesis, latè in hac decisione explicatur, & etiam declaratur an, & quando exemptio non faciat, vt loca exempta sint extra diœcesim.

SVMMARIVM.

Abbates, alijque inferiores Prælati vbi habent territorium separatum illud dicitur esse nullius Diœcesis, sed est propria Diœcesis, & per se, & hoc respectu etiam ipsi quoque vocantur Diœcesani. num. 1.

Papa solus ex priuilegio sæculari potest separare Diœcesim, & illam alicui Abbati, seu Prælato inferiori supponere. num. 2.

Priuilegium exemptionis non facit, vt loca exempta sint extra Diœcesim. num. 3. & seqq.

Priuilegia eximentia Monasteria, & eorum membra non dicuntur eximere loca, & Castra, siue Populum, nec concludunt territorium separatum, sed exempti dicuntur habere tantum iurisdictionem in personis, non in locis. numero 6.

Locus exemptus an, & quando constituat territorium per se diuersum. nu. 3. & seqq. & nu. 7. seqq.

Exemptio à Diœcesi, licet sufficiat titulus putatiuus, & inualidus, vt præscribatur, ista tamen titulus debet esse iusto errore causatus. nu. 8. vbi etiam quando titulus putatiuus dicatur iusto errore causatus. nu. 8.

Pars considerari non potest, nisi respectu totius. num. 9.

Dominium, & iurisdictio temporalis, nihil commune habent cum territorio, & iurisdictione spirituali. nu. 10.

Præscriptio nulla operari potest, vt in eadem Ciuitate sint duo capita, quod scilicet eadem Ciuitas subiaceat Episcopo, & Abbati, seu alio Prælato inferiori. nu. 11.

Episcopalia iuria præscribi possunt ab inferioribus. num. 12. Vbi declaratur, quomodo procedat hæc conclusio. ibid.

Testes deponentes de eo, quod iuris est, non probant, nisi reddant sufficientem causam scientiæ. nu. 13.

Præscriptio immemorabilis excluditur per actus contrarios. numero 13.

DECISIO CCCXXIV.

1 POst decisionem in hac causa factam 16. Nouembris anno 1607. de concedendo mandato de manutenendo Abbati S. Galli in exercenda iurisdictione spirituali in Ecclesijs Parochialibus, & locis articulatis dominio illius temporali subiectis, causa iterum atque iterum proposita fuit super iisdem. Verum quia medio tempore pro vtraque parte literæ Compulsoriales, & remissoriæ expeditæ, & ad Vrbem remissæ, multæque nouæ probationes factæ fuerunt, Domini animaduertentes resolutionem pendere à negotio principali, ordinarunt causam restringi. Cumque primo loco disputandum occurreret, an Ecclesiæ Parochiales de quibus agitur essent in Diœcesi Constantiensi, Informantes pro Abbate contenti fuerunt illud præsupponere, & cum tali præsupposito, sine veri præiudicio, disputare, an Abbas habeat territorium separatum: quo discusso, dictum fuit hoc non probari: Eo enim ipso, quod huiusmodi Ecclesiæ & loca sunt in Diœcesi, non possunt constituere territorium separatum. Hoc enim idem foret, ac si essent extra Diœcesim, quæ sibi inuicem repugnant, & implicant contradictionem, simulque stare non possunt. Ideoque vbi Abbates, vel alij inferiores Prælati habent territorium separatum, illud dicitur esse nullius Diœcesis, ita vt nec in Diœcesi nec de Diœcesi alterius conferri possit, sed est propria Diœcesis, & per se, respectu cuius ipsi quoque Diœcesani vocantur. *glos. in clem. 1. §. volumus. in verb. Diœcesanis. & ibi Card. in 4. q. num. 2. Vitall. num. 4. Imol. num. 38. Abb. num. 15. de foro compet.* ac de talibus dici potest, quod habent territorium siue forum, *l. pupillus, §. territorium de verb. signif.*

2 Huiusmodi vero territorium solus Papa concedere potest ex priuilegio speciali, ad quem solum spectat, vt partem separet à Diœcesi, *Host. in c. cum contingat, num. 1. de foro compet. & ibi Butr. num. 11. vers. de consuetudine autem. Panorm. num. 18. Belem. num. 15. vers. tamen certum est,* & fuit dictum in Calaguritana Iurisdictionis 16. Iunij 1606. coram me.

3 Talia autem visa non fuerunt priuilegia, quibus Abbas S. Galli fulcitur. Illa enim continent exemptionem, quæ non facit, vt loca exempta sint extra Diœcesim: licet enim non sint de Diœcesi, tamen sunt in Diœcesi. *c. cum Episcopus,* & ibi *Franc. in 2. notab. & Gemin. num. 3. de offic. ordin. in 6. c. 2. & ibi Gemin. num. 17. vers. fundamentum, & Franc. in §. statuto num. 10. & seqq. de constit. eod. lib. glos. in clem. frequens. in verb. primi anni, & ibi Vitall. num. 127. de excess. prælat. idem in clem. 2. nume. 42. & seq. de priuil. Abb. in c. Apostolicæ.*

lic. num.3. de donat. Anchar. in c. postulasti, numer.45. de for. compet. & in d. c. 2. num. 10. de constit. in 6. Felin. in c. graue num.2. de offic. iud. ordin. Federic. de Sen. consil. 2. nu. 4. vers. quod autem, & num.7. Vbal. de Canonica. Episcop. & paroch. c.4. q.6. nu.11. Fuit dictum in Volaterranen. Iurisdictionis. 14. Ianuarij 1581. coram bonæ memoriæ Brauo, quæ est diuers. 207. par. 2. & in dicta Calaguritana Iurisdictionis 16. Ianuarij 1604. coram R.P.D. meo Decano, & 16. Iunij 1606. coram me.

4 Idque ratione comprobatur, quia si loca non essent in Diœcesi, frustra impetraretur priuilegium exemptionis, tale autem priuilegium solum eximit à subiectione, non autem à situatione, & denominatione. Vitall. d. Clem. 2. nu.44. de priuil. & Franch. in d. c.2. §. statuto. versic. sed aduerte. de constitut. in sexto.

5 Et generaliter omnia, quæ per priuilegia exemptionis Episcopo expresse non adimuntur, illi censentur reseruata, & remanent sub eius Iurisdictione. Anchar. d. c. postulasti. num. 45. ante med. vers. quod probo. de for. compet. & d. cap. 2. sub num. 10. ante med. ver. sic. quod probo. Franch. etiam num. 10. vers. quando Prælatus. de constit. in 6.

6 Præterea priuilegia eximentia Monasteria, & eorum membra non eximunt loca, & castra, siue populum. Ideoque non concludunt territorium separatum, sed exempti dicuntur habere tantum iurisdictionem in personis, non in loci: c. per exemptionem. vbi Gemin. numer. 5. Franch. num. 3. vers. 5. nota. & Anchar. num.3. vers.4. nota. de priuil. in 6. Guiliel. de Monte Lauduno, in Clement. pastoralis. num. 24. lib. 1. Fuit dictum in Aretina, seu Montis Politiana iuris visitandi 9. Maij 1586. coram bo.mem. Rubeo, & in Tirasonen. Iurisdictionis de Tudela 5. Iunij 1593. coram Illustrissimo Card. Mellino.

7 Et quamuis Doctores nonnunquam dicant, quod locus exemptus constituat territorium per se, quos cumulat. Roland. consi.33. num. 44. & seqq. par.3. illi loquuntur impropriè, vel intelligendi sunt quo ad certos effectus, & per modum æquiparationis. Fel. in d. c. graue num.2. in fin. fuit dictum in d. Volaterranen. Iurisdictionis. num.4. & in Salamantin. Iurisdictionis 14. Decembr. 1579. coram bo.mem. Card. Seraphino, & in dicta Calaguritana.

8 Ex quibus sequitur dicta priuilegia, nec esse talia, quæ saltem causam prebeant præscribendi. Licet enim sufficiat titulus putatiuus, & inualidus, tamen intelligitur, quando est iusto errore causatus, vt per Capuciaq. decis. 361. num.4. lib.2. Fuit dictum in Toletana Decimarum 22. Maij 1592. coram Illustriss. Cardin. Arigonio. Qui iustus error non cadit in istis priuilegijs, cum non solum sint restricta ad exemptionem, verum etiam clara, dum enunciant Monasterium S. Galli, oppidi de S. Gallo, S. Benedicti Constantien. Diœcesis, Prouinciæ Maguntinæ, & in contextu Episcopum Constantien. nominant Ordinarium, Ita vt ex lectione ipsorum priuilegiorum resultet mala fides quo ad iurisdictionem quasi Episcopalem excluso Ordinario. Gemin. consil. 96. num. 4. vers. sed quoties legunt.

9 Non obstat, quod priuilegia eximunt membra tam sæcularia, quam spiritualia, quæ Abbates pro tempore possidebant, & in posterum poterant adipisci. Nam Ecclesiæ, de quibus agitur, non possunt dici membra Monasterij, nisi illi fuerint vnitæ, cum pars considerari non possit, nisi respectu totius, vt nol. in Clem. 1. de excess. prælat. & in Clem. 1. vbi Imol. num.29. de rescrip. Corn. consil. 262. num.3. lib.3. & in terminis fuit dictum in Eugubina S. Petri de Vignato. 14. Martij, & 21. Maij 1591. coram bon. mem. Bubalo, & in Alexandrina S. Stephani 20. Iunij 1497. coram bon.me. Litta.

10 Nec facit, quod Abbas in istis locis obtinet dominium, & iurisdictionem temporalem, quia illa nihil habent commune cum territorio, & iurisdictione spirituali. c.1. de relig. domib. glos. in c. 1. in vers. diuisis. 10. dist. glos. in Clem. ne Romani. §. sane. in vera. diœcesim. de elect. Host. in c. super eo. num.3. de paroch. & in c. querimoniam. num. 2. & ibi But. in fin. de Iure patron. Felin. in c. cum causam. numer. 12. versic. 2. scias. de probat. Guillel. de Monte Lauduno. in d. Clem. pastoralis. num.21. de re iudic. & fuit dictum in Burgen. Iurisdictionis S. Ioannis 4. Decembris 1595. coram bo.mem. Orano, & in dicta Calaguritana coram me.

11 Neque vero Abbati suffragari potest consuetudo, siue præscriptio: Quicquid enim alias dictum sit, cum ageretur solum ad effectum manutentionis, & negaretur territorium Abbatis esse intra fines Diœcesis Constantien. at nunc quandoquidem non agitur de manutentione, vel de exercitio iurisdictionis, sed de territorio in genere, & attento, quod ponitur territorium Abbatis esse intra fines, nulla consuetudo, vel præscriptio operari potest, vt in eadem Ciuitate sint duo capita, hoc enim esset monstrum, vt not. Host. in d. c. cum contingat. num. 1. de for. compet. & in c. quanto. nume. 13. & cap. quoniam. num. 2. de offic. Ordinarij, vbi tradit, quod cum Episcopatus sit vnum corpus, cuius caput est Episcopus, si ponantur ibi duo Episcopi, fiet vnum corpus duo capita habens, quod est mõstrosum, siue prodigiosum, quod natura abhorret, & ius respuit: Et quod hoc non sit possibile, vt Abbates, vel Prælati inferiores præscribant territorium, vt separatum ab Episcopo, ita vt quasi caput faciant in eadem Diœcesi, post Host. docet Butr. in d. c. quoniam contingat. nume. 11. vers. de consuetudine. & ibid. post vtrumque. Abb. num. 18. & 19. & Bellem. num. 15. vers. ego autem relinquens, & nume. 16. vers. nec valet ratio. Esset enim consuetudo, siue præscriptio irrationabilis, & circa ea, quæ de sui natura præscribi non possunt, in quibus præscriptio etiam immemorabilis locum non habet. Gabr. de præscript. concl.1. num. 8. & num. 36.

12 Nec obstat, quod omnia iura Episcopalia ad vtranque legem, siue iurisdictionalem, siue Diœcesanam pertinentia sunt per inferiores Episcopis præscriptibilia, ita quod Episcopus non possit ibi constituere Officialem, & sic possunt præscribi etiam cum territorio. Rot. decis.2. de præscrip. in no. quam allegat Abb. in d. c. cum contingat. num. 11. de for. compe. Fuit dictum in Volaterranen. seu nullius iurisdictionis 13. Aprilis 1584. coram bon.mem. Orano: Quia hoc intelligendum est, vt se explicat Abb. vbi sup. num.18. & seq. nec non alij præcitati, si volunt quærere quasi sub Episcopo, si vero præscripserint territorium separatum, non amplius dicendi sunt esse in Diœcesi.

13 Accedit, quod testes Abbatis deponentes de eo, quod est iuris, absque eo quod reddant sufficientem causam scientiæ, non probant, & immemorabilis excluditur per actus contrarios, de quibus in facto c. illud, & ibi gl. in verb. inconcussæ, & verb. interruptio, c. auditis. & ibi Innoc. sub num. 5. de præscript. Bar. in l. naturaliter, sub nume. 27. ff. de vsucap. Balb. de præscrip. 3. par.6. par. prin. q.4. princ. num.40. vers. idem dicit Bart. Put. decis. 436. lib. 2. & fuit resolutum in Aquinaten. beneficij 29. Aprilis 1602. coram R. P. D. meo Ludouisio, & in d. Burgen. S. Ioannis, coram bon.mem. Orano: Nec non per testes examinatos pro parte Episcopi, quorum depositiones habent pro se assistentiam iuris, & reddunt causam scientiæ, & numerant multos actus singulares.

R. P. D. VBALDO.

Mantuana Bonorum. Veneris 20. Maij 1611.

ARGVMENTVM.

Appellare quando liceat à decreto examinis testium ad perpetuam rei memoriam, præsertim si iudex te-

testium examinatorum depositiones mandauit poni ad partes.

SVMMARIVM.

Decretum, in quo iudex pronunciat procedendum esse ad vlteriora, in examine dicitur interlocutorium, & ab eo interposita appellatio non causat attentata. nu. 1.

Appellatione ab interlocutoria non obstante, potest iudex à quo recipere testes ad perpetuam rei memoriam. nu. 2.

Testes quot iudex examinari mandat, & eorum dicta poni ad partes dicuntur examinati non ad publicationem.

Sed ne probationes pereant, eosque examinare ad perpetuam rei memoriam etiamsi examinatio petatur ab Actore. num. 3. & 4.

DECISIO CCCXXV.

1 CVm Iudex delegatus ad recipiendum testes ad perpetuam rei memoriam pro parte D. Æmiliæ fuisset interlocutus procedendum esse ad examen, prout processit, à quo decreto fuit appellatum ad A. C. & demum tota causa ad Rotam esset deuoluta, prætendebatur dictum examen fuisse attentatum, & reuocandum. Quare dato de hoc particulari dubio, Domini resoluerunt non constare de attentatis, quæ veniant reuocanda, quia tale decretum per quod iudex pronunciauit procedendum esse ad vlteriora in examine videtur fuisse interlocutorium *capit. significantibus, de nou. oper. nunc. Franc. in cap. cum cessante. nu. 49. de appell.* vnde appellatio ab eo interposita non causauit attentata, cum adhuc non esset inhibitum, *cap. non solum de appell. in 6. Guid. Pap. dec. 436. nu. 10. Berous cons. 106. nu. 9. lib. 3. Lancell. de attent. appel. pend. limit. 1. nu. 6. Marant. de ordin. iudic. par. 6. in verbo. Et quandoque appellatur, nu. 172.*

2 Et in specie, quo non obstante appellatione ab interlocutoria possit iudex à quo, recipere testes ad perpetuam rei memoriam, tradit *Felin. in cap. quoniam frequenter, sub nu. 4. vers. & vt intelligas, vt lit. non contest. Marsil. singul. 258. incipit plura, Marant. vbi sup. nu. 206. Menoch. de recuper. remed. 17. nu. 40. Lancell. dicta limit. 1. nu. 7. & 8. & limit. 38. nu. 1. & 2. & limit. 43. nu. 3. & seqq. Vestr. in prax. lib. 6. cap. 2. num. 4. Rolan. cons. 23. n. 19. lib. 3. & adducunt ad hoc Felin. Marsil. & alii, Rotam dec. 2. de testib. in antiq.* quæ tamen loquitur de Iudice ad quem, quod possit tales testes recipere, non autem de Iudice à quo, vt etiam aduertit *Lancellot. dicta. limit. 43. nu. 7.*

3 Atque prædicta eo facilius videbantur procedere in hoc casu, in quo iudex non attulit parti præiudicium irreparabile, cum oppositiones factas pro parte D. Caroli contra dictum examen non reiecerit, sed reseruauerit suo loco, & tempore discutiendas, immo mandauerit dicta testium poni ad partes, ex quo apparet, fuisse illos testes examinatos non ad publicationem, sed ne probationes perirent, quo casu licet eos examinare etiam si examinatio petatur ex parte actoris, *Bart. in l. in lege Aquilia si deletum. sub num. 1. in 1. casu. ff. ad leg. Aquil. Corn. cons. 172. num. 1. lib. 2.* quia parti non præiudicat, & saluæ sunt sibi exceptiones, & contra personas, & contra dicta testium. *Roland. d. cons. 23. sub nu. 22. lib. 3.* & tales testes ad partem positi habentur pro non examinatis. *Vestr. in prax. lib. 6. c. 2. nu. 24. Surd. cons. 311. nu. 74. lib. 3.* & omni casu poterant dicti testes suo tempore repeti, si superuiuerent. *Lancellot. dicta limit. 38. nu. 4.*

4 Ex quibus cessant, quæ ex aduerso adducuntur, de grauamine illato ex dicto decreto, cum potuerit D. Æmilia statim agere via ordinaria, & testes formiter inducere, vnde non videbatur sibi fuisse concedendũ remedium extraordinarium examinandi ad perpetuam rei memoriam, *Io. And. in cap. significauit, nu. 16. & ibi Addent. in litera C. de testib. vbi etiam Felin. num. 6. vers. 2. conclusio*, cum alijs allegatis, cum ex prædictis appareat, nullum fuisse parti illatum grauamen. Vltra quod dicebatur ex potentia, & oppositionibus aduersarij nunquam potuisse deueniri ad litis contestationem. Ideoque iustam fuisse datam occasionem D. Æmiliæ petendi dictum examen ad perpetuam rei memoriam, *Lanfranc. in cap. quoniam contra. concl. 8. de prob. Gail. pract. obseru. lib. 1. obseru. 92. num. 12.* Cetera quæ opponebantur circa nullitatem, & iniustitiam dicti decreti, non videbantur esse præsentis inspectionis, in qua solum agitur de attentatis. Et ita decisum.

REVERENDISS. P. D. COCCINO

DECANO.

Calaguritana Beneficij de Alegria. Mercurij 25. Maij 1611.

ARGVMENTVM.

Quasi possessio conferendi beneficia suffragatur ad effectum validitatis collationis, de qua agitur.

SVMMARIVM.

Quasi possessio conferendi beneficia suffragatur ad effectum validitatis collationis, de qua agitur. nu. 1.

Subreptio non præsumitur, nisi probetur, nec subreptionis exceptio impedit quasi possessionem conferendi beneficia, nisi super ea per tres conformes fuerit cognitum. nu. 2.

DECISIO CCCXXVI.

1 DOmini perstiterunt ini resolutis, scilicet beneficium esse adiudicandum Ioanni Lascano, cum obtinuerit prouisionem ab Episcopo, qui est in quasi possessione conferendi, iuxta motum proprium Sixti, de quibus prouisionibus constat in alio processu coram me in causa Calaguritana nullitatis indulti, quæ quidem quasi possessio suffragatur ad effectum validitatis collationis, vt dicitur in alia decisione, & cum dignitas sit in ista quasi possessione, illa suffragatur, etiam successori in causa Montis Regalis iurisdictionis coram me.

2 Neque obstat, quod Motus Proprius Sixti Quinti fuerit subreptitius, quia hoc non probatur, & quatenus probaretur non releuaret, vt dicitur in alia decisione, quia ad effectum validitatis collationis attenditur quasi possessio, & Breue Clementis Octaui non est attendendũ cũ fuerit subreptitium, & licet replicetur quod si non est attendendum illud Breue tanquam subreptitium, non est quoq; attendendus Motus proprius Sixti Quinti, qui est subreptitius, quia, vt iam dictum est, non constat de ista subreptione, & quatenus constaret cum adsit quasi possessio conferendi, donec per tres conformes cognoscatur super subreptione, interim Episcopus non est sua possessione priuandus.

3 Ceterum, quia Clerus ante Motum proprium Sixti erat in quasi possessione conferendi, & hoc non dubitatur, & cum in decisionibus Calaguritanis Sanctorũ Andreæ, & Iacobi 28. Februarij 1603. & 23. Februarij 1604. coram bo. mem. D. Litta dicatur, quod vigore Breuis Clementis Octaui Episcopus restituit Clerum ad illam quasi possessionem in quo existebat ante Motum proprium Sixti Quinti, quod si esset verum Clerus esset in quasi possessione. Cum Episcopus facto proprio cecidisset. Ideo super hoc particulari statui iterum consulere Dominos meos. Et ita fuit conclusum.

ILLV-

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

D. CARD. LANCELLOTTO.

Carpentoraten. Pensionis. Mercurij 29. Maij 1602.

ARGVMENTVM.

Pensio translata vigore facultatis transferendi, an dicatur noua pensio, vel antiqua, & an dicatur conditionalis, per clausulam dummodo centum remaneant pro Rectore, & quis debeat hanc conditionem probare.

SVMMARIVM.

Pensio translata in vim concessæ facultatis transferendi an dicatur noua pensio, an vero sit eadem antiqua, & quomodo reguletur. num. 1. & seqq.

Pensio reseruata cum clausula dummodo centum remaneant pro Rectore, an sit conditionalis, & quis debeat probare, quod centum remaneant pro Rectore. num. 3. & sequentib.

Alius dictio licet proprie sumpta diuersitatem significet in supposito, denotat tamen identitatem in substantia. num. 7.

Similis dictio significat identitatem in effectu. num. 7.

DECISIO CCCXXVII.

1 POst factam resolutionem, quod Dominus Episcopus Tridentinus non teneretur ad iustificationem clausulæ dummodo, nisi in casum in quem super Episcopatu Carpentoraten. aliæ pensiones adessent, quia hoc solum casu intraret dicta clausula, & pensio fuisset conditionalis, fuerunt pro parte Domini Episcopi Carpentoraten. ostensæ literæ reseruationum duarum pensionum ad fauorem Illustrissimorum Cardinalium Baronij, & Burghesij. Nam S. D.N. postquam bo.mem.Cardinali Madrucio concesserat facultatem transferendi, & antequam fieret trãslatio,has duas pensiones super fructibus Mensę Episcopalis Carpentoraten. imposuerat, ac ideo cum in pensione translata videretur repetita dicta clausula dummodo,attento quod vigore facultatis transferendi translatio facienda erat cum eisdem clausulis, de quibus in prioribus reseruationibus, & iuxta priorũ reseruationum continentiam,& tenorem tantum, & cum de tempore translationis reperirentur illæ duæ pensiones, videbatur dicendum,pensionem translatã fuisse conditionalem,quamuis talis non esset antiqua, quæ cum tam vigore facultatis transferendi,quam in ipsa translatione fuerit extincta,& hæc noua reseruata potuit diuerso iure censeri, & sic recipere hanc conditionem istius clausulæ dummodo. Quæ vt in alia decisione dictum fuit, erat apposita etiam ad fauorem titularis, & Ecclesiæ. Cum enim hæc forma sit in facultate transferendi præscripta, vt antiqua pensio cassetur, absurdum erat dicere, quod hæc secunda reseruanda, esset illamet iam cassata. Ac inde *Cassad. decis. 10. unm. 8. de rescrip. Vestrius in praxi. c. fin. numero 2. libro 3.* dicunt, non esse dandam clausulam sine retardatione contra titularem, & ad fauorem translatarij, cum non ex primis, sed ex secundis literis translationis agatur, quæ afferant secum exceptionem primę pensionis extinctæ,nec prima pensio transeat, cum illa extinguatur, & illa reseruetur, & quatenus sit idem onus tamen hic continuatio, siue subrogatio oneris fit per viam cassationis antiqui, & creationis.immo alias Rota in causa Brixien. pensionis 23. Maij 1594. coram D. meo Mellino noluit possessionem transferentis continuari in trãslatarium, & annuit pensionem translatam esse diuersam à prima.

2 Præterea dicebatur ex *Gabr. consil. 186. num. 7.* quod ius transferentis non transfertur, sed nouum quod habetur à Papa, & non à pensionario. Rursus ponderabatur verisimilis mens Papæ nolentis in hac materia translationis odiosa propter seruitutem, quæ prorogatur in beneficio magis fauere translatario incognito, quam Cardinali noto, nec pinguius prouidere Ecclesiæ in prima reseruatione, quam in translatione, maxime quia in facultate transferendi, videbatur facta mentio de alijs, per clausulam,etiamsi alię existant, & per derogationem Concilij Lateranen. & reg. de consensu, ex quibus videbatur nedum Papam cogitasse, quod de tempore translationis poterant adesse aliæ pensiones,sed etiam deducebatur diuersitas pensionis,cum hæc non soleant,nisi in nouis reseruationibus apponi. Ad quod etiam ponderabantur alia verba facultatis transferendi,in quibus conceditur facultas aliam similem reseruandi. Vnde si est alia, quæ reseruatur, & si est similis, sequitur, quod non sit eadem cum antiqua, cum nullum simile sit idem.

3 Item afferebatur simile de vsufructu translato, & duob. relicto,qui diuersus ex auctoritatibus allegatis cum pluries dixerit Rota in decisionib. alleg. Vsumfructum, & pensiones ijsdem regulis regulandas, & demum,quia in dubio Rota solet tenere pro Ecclesia, & reo, & contra translatarium, & alia plura adducebantur ab Informantibus pro Episcopo Carpentoraten. Quapropter dubitaui, an propter supradictas duas pensiones dictis Illustrissimis Card. reseruata pensio, de qua agitur, sit conditionalis. Quo dubio per Dominos discusso vnanimiter resolutum fuit, pensionem non esse conditionalem ex duobus potissimum fundamentis.

4 Et primo,quia ad effectum,vt sit habenda ratio pensionum impositarum post primam reseruationem, & facultatem transferendi, pensio translata non potest haberi pro noua, cum in substantia, & re vera sit eadem. *Vital. in clem. 1. §. eadem. num. 3. de supplen. negl. Præl.* Quamuis enim in translatione procedatur per viam cassationis antiquæ,& nouę reseruationis,tamen hoc procedit ad certos effectus respectu,scilicet mutationis personæ, vt vnus solus possit exigere,& vt sciatur per cuius obitum debeat extingui.

5 Item quo ad viam executiuam, & quasi possessionem, & alia huiusmodi,non autem respectu substantiæ ipsius pensionis,quæ in substantia est eadem cum antiquam cum omnib. suis qualitatibus,& ideo quamuis respectu cassationis antiquę dicatur noua. Tamen cum ista cassatio sit correspectiua ad reseruationem nouæ, per istam nouam reseruationem non augetur aliquod onus Ecclesiæ, ita vt possit dici noua pensionis impositio. Sed fit solum mutatio personæ, & quædam subrogatio vnius in locum alterius, & sic quo ad effectum, de quo agitur, pensio translata non potest dici noua.& in hoc placuerunt *DD. decis. Crescen. 1. de reb. eccle. non alien.* & aliæ decisiones in causa Segobien. pensionis 20. Maij 1598. coram Dom. meo de Corduba, Bononien. translationis, 20. Iunij 1601. coram D. meo Mellino, Terulen. pensionis 15. Decemb. 1600. coram D. meo Sacrato, *& cons. Paris. 5. nu. 86. lib. 4.*

6 Et hinc est,quod facultas retinen.pensionem in promotione ad Episcopatum non dicitur noua gratia pensionis cum fiat in ipso actu promotionis ante extinctionem, & non addatur aliquod onus, licet cessante retentione, pensio statim vacasset, vt in causa Firmana coram D. meo Mellino, & Terulen. coram D. meo Sacrato. Hinc etiam in translatione non est necessaria derogatio Concilij cum non inducatur nouum grauamen.

7 Hoc quoque suadent verba ipsa facultatis transferen.in qua conceditur facultas pensiones prius reseruatas transferendi, quasi de vna in aliam personam, quod

quod tamen fiat per viam extinctionis, quia oportet extinguere ius in transferente, vt illud idem in alium transeat. Vnde in facultate sequuntur alia verba, & illorum loco aliam similem reseruan. ponderando relatiuum aliam, quod proprie sumptum, licet significet diuersitatem in supposito, Tamen denotat identitatem in substantia, *ex alleg. per Alber. in verb. alii.* Item ponderando verbum illud similem, quod denotat eandem pensionem in effectu, & ratione, ex relatis per *Rebuff. super concord. in forma lite. execut. mand. Apost. in verb. similis forma*, & sic quo ad substantiam, & effectum pensio est eadem, licet diuersa, quo ad suppositum.

8 Idque etiam DD. deducebant ex eo, quod pensio cassata, seu de nouo creata debet esse omnino similis antiquæ, at si loco primæ pensionis, quam iam fuit resolutum esse simplicem, & puram, & non conditionalem crearetur noua conditionalis respectu pensionum, quæ non aderant, nec de tempore antiquæ reseruationis, nec de tempore facultatis transferen. vtique hæc noua non esset similis primæ. Ad quod similiter ponderatum fuit, quod translatarius, qui tenetur iustificare valorem, & alia in gratia contenta, debet ea probare de tempore antiquę reseruationis, non autem de tempore translationis, quod ostendit pensionem in substantia esse eandem, alias valor esset probanda de tempore nouæ creationis.

9 Rursus placuit DD. consideratio, quod ista cassatio est momentanea, & facta ad effectum, vt statim, & in continenti alia similis reseruetur, ac ideo non haben. in consideratione, sicuti de momentanea acquisitione facta ad effectum renunciandi tradit *Soci. quem pluries Rota sequuta est cons. 53. lib. 4.*

10 Neque obst. in contrarium deducta, nam quod non sit danda clausula sine retardatione cum non agatur ex primis, sed ex secundis literis, ex *Cassad. & Vestr. allegatis*, non obstant, cum id possit habere particulares ronnes, quia scilicet translatarius posset esse incapax pensionis, vel non iustificare suam gratiam, aut translatio esset nulla, non autem ex eo necessario sequitur, quod pensio in substantia sit noua.

11 Et hoc modo tollitur decisio in causa Brixien. pensionis 23. Maij 1594. coram D. Mellino, quæ loquitur ad effectum quasi possessionis, quæ non suffragatur translatario. Vnde debet suam gratiam iustificare, prout etiam circumscripta quasi possessione debuisset eam iustificare transferens.

12 Sicut etiam cessat, quod in translatione sit necessaria derogatio reg. de præstan. consensu, cum id procedat respectu mutationis personæ, ex quo translatarius est noua persona ad cuius fauorem non se obligauit titularis.

13 Non obst. *Paris. consi. 45. num. 12. cum seq. li. 4.* quia loquitur in pensione, quæ erat omnino extincta, & diu beneficium remanserat liberum non autem de extinctione, quæ fit ad effectum translationis, seu nouę reseruationis.

14 Non obst. simile de vsufructu, qui si sit relictus heredi, & constet testatorem de secundo etiam hærede sensisse, non eundem, sed diuersum vsumfruct. habebit secundus heres, nam termini sunt diuersi: in illis. enim casibus ab initio vsusfr. debebatur duabus personis, & per mortem extinguitur in persona vnius, sed in hoc casu quo ad substantiam pensionis nunquam fuit extincta, cum in ipso actu cassationis antiquæ fuerit processum per viam subrogationis ad illam, vt supra dictum est. Ex quibus etiam sublata sunt, quæ dicebantur de vsufructu translato, & quod ius transferentis non transfertur ad nouum, quod habetur à Papa.

15 Aliud fundamentum decisionis fuit, quia vigore facultatis transferendi, non videtur in translatione posse fieri repetitio clausulæ dummodo, &c. Nam licet pensio debuisset transferri cum omnibus, & singulis immunitatibus, clausulis, decretis &c. iux. priorum reseruationum continentiam, & tenorem tempore: Tamen hæc omnia sunt apposita ad fauorem translatarij cum tota illa clausula, quæ incipit in loco, & terminis &c. in cuius medio posita sunt hæc verba cum clausulis, & decretis fauorem translatarij tantum concernant. Verba autem subsequentia iux. priorum reseruationum continentiam, & tenorem tantum id solum important, vt non possint excedi limites priorum reseruationum, & ostendunt mentem Papæ, quod noluit aliquid concedere vltra contenta in reseruationibus antiquis. Vnde debet attendi solum prior reseruatio, quæ est restricta ad pensiones existentes de tẽpore reseruationis ad fauorem Illustrissimi D. Cardinalis Madrucij, quatenus extarent, non autem important illa verba, vt censeatur adiecta conditio pensionis etiam respectu pensionum postea reseruatarum. Quod colligitur non obscure ex ipsa facultate transferen. dum dicitur, quod transferatur pensio super eisdem fructibus, etiam si super illis aliæ pensiones reseruatæ existant, absque eo, quod fuerit apposita clausula, dummodo omnes insimul medietatem non excedant, quod ostendit non fuisse in facultate trasferen. repetitam conditionem, quo ad alias pensiones, quæ est primam reseruationem impositæ fuerint.

16 Et hoc etiam confirmatur propter verisimilem mentem Papæ, qui quando concessit facultatem trãsferendi, non potuit diuinare, quod postea essent imponendæ aliæ pensiones, ita vt ad hunc effectum noluerit repetere clausulam dummodo propter pensiones de nouo imponendas, nec est verisimile, quod cogitauerit de isto casu, neque quod ei voluerit prouidere, quia huic casui prouidendum erat in secundis reseruationibus, apponendo in illis similem clausulam dummodo, & sic retorquetur, quod dicitur Papam cogitasse, quod de tempore translationis poterant adesse aliæ pensiones, & ex his decisum fuit pensionem non esse conditionalem.

R. P. D. PAMPHILIO.

Terdonen. Iuris patronatus. Mercurij 1. Iunij 1611.

ARGVMENTVM.

Attenta post appellationem, & inhibitionem reuocanda sunt.

SVMMARIVM.

Inhibitio Rotalis semper timenda est. nu. 1. & 2. Vbi ampliatur etiam, quo ad non nominatum in Commissione.
Appellatione pendente attentata reuocanda sunt. nu. 3.

DECISIO CCCXXXVIII.

1 PRo Informante, nempè institutionem, & possessionem Io. Baptistæ Felegariæ esse attentatas, ex quo emanarunt à Vicario Tendonen. postquam illi fuerat præsentata inhibitio Rotalis, qua stante non poterat vlterius ad institutionem, & possessionis traditionem procedere, cum inhibitio Rotalis semper sit timenda. *Put. decis. 395. lib. 2. Achil. decis. 29. de appellat. Caput. decisione nonagesima tertia, par. 2.*

2 Nec obstare, quod Felegaria non esset nominatus in Commissione, cuius vigore inhibitio emanauit, quia ad effectum attentatorum sufficit, quod fuerit institutus à Vicario inhibito, & ab eo sibi tradita possessio. *Abb. in c. bonæ. nu. 16. vers. vt appellatio. & ibi Præposit. num. 18. vers. vel aliter potest. de appellation. Bisigne. decis. 4. num. 5. eodem tit. Cæsar de Graff. decis. 8. num. 7. & sequ. de caus. poss. & propriet.*

3 Ex alio quoque Dominis visa fuit attentata institutio,

tutio, & possessio Felegariæ, quia à sententia dicti Vicarij ad ipsius fauorem lata iam fuerat appellatum *c. non solum. de appellation. in 6. Sarnen. decis.*31. & fuit dictum in Valentina, Beneficij. 7. Iulij 1610. coram R.P.D. meo Lancellotto, & alias sæpissime.

REVERENDISSIMO P. D.

BONONIEN.

Parmen. Status. Veneris 1. Iunij 1611.

DECISIO CCCXXIX.

Est impressa inter Ludouis.

DECISIO 503.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

D. CARD. LANCELLOTTO.

Valentina, seu Romana mercedis. 3. *Iunij* 2602.

ARGVMENTVM.

Salarium procuratori promissum, & conuentum in certa annua quantitate debetur illi etiam, quod in causa nihil fecerit, & nihil actum fuerit, quia satis est, quod eueniente occasione erat paratus suas operas præstare.

SVMMARIVM.

*Salarium, seu merces procuratori constituta à principali solui debet. nu.*1.

Salarium, seu merces annua à principio constituta, & conuenta cum procuratore solui illi debet, etiam quod in causa nihil fuerit actum, si per procuratorem non steterit, qui adueniente occasione erat paratus suas operas præstare. nu. 2. *& seqq. Vbi de materia.*

*Salarium, seu merces commensuranda est pro modo laborum. Declara, nisi partes quantitatem specificauerint, & expresserint. num.*3.

Procurator potest constitui à matre tutrice ad defendendum litem pupillæ. num. 5.

*Literarum missiuarum recognitio fit per testes habentes notam manum, etiam quod non viderint scribere. nu.*7.

*Iudex compulsorialis potest facere recognoscere iura compulsata. nu.*8. *Vbi an parte citata, & quomodo.*

DECISIO CCCXXX.

1 CVm Domina Comitissa Eleonora, quæ de eo tempore 27. Octobris 1586. promisit Doctori Ioanni Baptistæ Viues, quem prius constituerat procuratorem in quadam causa graui, salarium annuum librarum 100. Regni Valentiæ, pro laboribus quos in dicta causa idem Procurator sustinebit. Domini dixerunt huiusmodi salarium deberi, quia ita fuit conuentum. *l. salarium. ff. mandat. l. prima. C. eodem tit. Surd. consil.* 306. *nume.* 9. *vol.* 3. & fuit dictum in causa Toletana mercedis 18. Decembris 1595. coram D. meo Iusto.

2 Neque obstare, quod nihil fuerit actum in causa per procuratorem, quia satis est, quod per ipsum non steterit, & sufficit, quod adueniente occasione esset paratus suas operas præstare ad effectum, vt pro toto tempore salarium consequatur. *l. sed addes. §. cum quidam. l. si operas. ff. loca. glos. magna in l. si vno. §. cum quidam. ver. cum autem. ff. eod. titu. Natta alios referens cons.* 452. *num.* 2. *vol.* 2.

3 Vnde quod dicitur salarium esse commensurandum pro modo laborum, maxime quia hic videtur assignatum pro laboribus, non applicatur in hoc casu, io quo ita fuit conuentum, sed hic cessat omnis difficultas, quia salarium non fuit promissum intuitu, & contemplatione laborum, ita vt cessantibus laboribus non debeatur in totum, vel in parte, sed fuit simpliciter, & libere constitucum, & id, quod dicitur in literis de laboribus, non stat taxatiue, sed demonstratiue, quod scilicet si non poterit in plus remunerari labores, dabit libras centum. Hoc enim clare colligitur, tum quia Comitissa, & Comes erant rei in causa, & sic satis eis erat vincere ex eo, quod actor non iustificabat suam intentionem, tum etiam ex literis ipsius Comitisse, & Ioannis Baptistæ de Valle, qui fuit mediator Constitutionis salarij istius, & cum quo iuxta ordinem ipsius Comitissæ de negotijs, & meritis causæ tractandum erat, ex quibus apparet, quod Comitissa nolebat, quod in causa procederetur, sed quod potiùs protelaretur, quantum erat possibile, ita vt solum attendere deberet Procurator manus aduersarij, prout expresse scribebant, & solum quando aduersarius ad certamen exibat, ei obuiam iret. In reliquis vero quantum fieri posset differret. Immo Ioannes Baptista *del Valle* monuit Dominum Viues, vt peteret salarium, & scriberet Comitissæ etiam si nihil scriberet, quam monere, quod nihil fiat, quod ostendit eorum intentionem, quod causa differetur, & in ea nihil fieret, & quod plus est cum D. Viues scripsisset Comitissæ, quod conueniens erat vlterius progredi in causa ipsa, respondit, quod non, quodque pro parte ipsius nihil innouaretur, sed solum casu quo aduersarius aliquid moueret, ipse non esset negligens, postquam aduersarius nihil dicit, non erat cur aliquid fieret pro parte ipsius.

7 Nec contrarium dicit Ioannes *del Valle* in literis sub die secunda Augusti 1585. Nam dicit solum, quod Viues poterit vlterius progredi, quantum erit necesse, quod intelligendum est, iuxta alias literas quatenus molestarentur ab actore, & in eadem Epistola hoc idem declarauit, dum dicit sibi persuaderi non posse, quod hæc causa vlterius progrediatur, & deinde subdit, quodam procedatur in causa expectando aduersarium.

5 Quod autem mandatum non fuerit à Comitissa, quę tanquam mater, & tutrix poterat procuratorem constituere. *Put. decis.*318. *lib.* 1. & huiusmodi expensas, quas ex necessitate facere tenetur, petere potest, vt per *Gasp. Rort. de deci, tut. in Hisp. præst. cap.*4. *num.*59. maxime attenta qualitate personarum, & grauitate causæ, in qua agebatur de illegitimitate, & de auferendo ei statum, ita vt id esse necessarium nedum vtile, ac ideo non esse inconueniens constitutio salarij procuratori in Curia, qui paratus esset si opus fuisset suscipere causæ defensionem. Quod Comitissa fuerit remota à tutela vltra quod de hoc non constat, nihil ad D. Viues cui nunquam fuit intimata ista remotio, & qui nunquam fuit reuocatus.

6 Nec obstat, quod Comitissa in suis literis, sub die 2. Augusti 1598. dicat se admirari de huiusmodi promissione, quia non ideo potuit præiudicare conuentioni initæ cum D. Viues, qui istis literis acceptis non acquieuit, sed mouit hanc litem contra Comitem, & Comitissam pro consecutione mercedis sibi promissę.

7 Non obstat, quod literę non fuerunt sufficienter recognitæ, quia cum agatur de recognitione literarum missiuarum, in quibus non solent adhiberi testes, sufficiunt testes habentes notam manum etiam, quod nō viderunt scribere. *Ruin. cons.*70. *n.*4. *vol.*4. & fuit dictum in causa Barchinonen. matrimonij. 31. Ianuarij 1565. coram bo. mem. Oriolen. & alias sæpe maxime in casu nostro concurrentibus adminiculis, tam ex transmissione mandati, quam ex literis Ioannis de Valle, quam denique quia Comitissa non negauit suam manum, quod

quod certe fecisset si literas ipsa non scripsisset.

8 Hæc autem recognitio quicquid exemplo dicatur potuit fieri in vim compulsorialium, coram iudice compulsore, qui habet facultatem faciendi recognoscere iura compulsata, & sic pro illorum recognitione recipiendos testes, & ita passim seruatur, vt notissimum est alias opus esset post factam compulsationem recipere remissoriam pro recognitione iurium.

9 Non obstat, quod Comes, & Comitissa non fuerint citati, quia satis est, quondam fuerint citati initio, & causæ procuratorem constituerint, quo citato fuerunt decrtæ literæ compulsoriales in forma, & in compulsatione iurium præcessit diligentia de Comite reperiendo, & nunquam accessit ad domum vtriusque, & satis est, quod iura fuerint compulsata citato Ludouico Citena procuratore Comitis, & Comitissæ, prout ordinatum fuit Nuncio Executoris, qui accesserat ad dictos Comitem, & Comitissam citandos. Nã ei dictum fuit, quod citaret D. Ludouicum Comitis, & Comitissæ procuratorem, qui semper in iudicio compulsationis comparuit, & Comitissa respondit ad interrogationes datas super iurium recognitione, iuxta decretum à Iudice compulsore factum in præsentia dicti Ludouici, quod ostendit scientiam, & ratificationem à dicto Ludouico factam. Defectus citationis ad videndum iurare testes tollitur ex monitione per iudicem facta ad videndum iurare testes, & d. Ludouico personaliter intimata. Et ita fuit decisũ, &c.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

D. CARD. LANCELLOTTO.

Ianuen. Vsurarum. Lunæ 6. Iunij 1611.

ARGVMENTVM.

Vsura an sit, & quando sit, taxata à principio interesse.

SVMMARIVM.

Vsura est in mutuo certa taxatio interesse. num. 1. Vbi quod hoc procedit etiam in mercatore.

Vsura non est taxare interesse in commodo rei fructiferæ. n. 2. Declara, vt num. 4. & 5.

Cambia non dant lucrum vniforme, sed aliquando plus, & aliquando minus, & quandoque etiam sunt in damno. num. 2.

Vsura an sit, taxare à principio interesse concurrente verisimilitudine, & proportione. num. 3. & 4.

Vsura non est taxare interesse ab initio fauore matrimonij. num. 5.

DECISIO CCCXXXI.

1 Ordinarius Ianuensis declarauit contractum de quo agitur, sustineri, Sauonensis vero, ad quem fuerat appellatum, dixit, bene pro parte Ioannis Iacobi appellatum, & male per Ianuensem iudicatum. Modo dubitatur, an sententia Sauonensis sit confirmanda, vel infirmanda. Et pro confirmatione videtur extare firmum fundamentum, quia in mutuo certa taxatio ab initio est illicita, & continet vsurariam prauitatem. *Bal. in l. rogasti. §. si tibi. ff. de reb. cred.* cum alijs allegatis per Informantes pro Ioanne Iacobo. Quod procedit etiam in mercatore. *Crauett. consi. 87. num. 5. & consil. 189. num. 8. Dec. consil. 116. num. 2. Mandel. consi. 211. nume. 7. Rota Ianuen. decis. 193. num. 5. & 6.* Et hanc sententiam profitetur Rota, & signanter in Romana pecuniaria Mediolanen. simulationis die 1. Iulij 1602. coram D. Card. Mantica, tunc Rotæ Auditore, & in causa Lugdunen. pecuniaria die 2. Aprilis 1604. coram bon. mem. Litta. Et est etiam sententia communis Theologorum, in quibus Antesignanus est *S. Thomas, pater veritatis. 2. 2. q. 78. art. 2.* Ad primum argumentum. Vbi cum in terminis quæsiuisset vtrum pro pecunia mutuata liceat aliquam commoditatem expetere, ad primum argumentum dicit, quod licet ille, qui mutuum dat, possit absque peccato in pactum deducere recompensationem damni, non potest tamen in pactum deducere, quod aliquid ex pecunia debeatur. Idem profitentur *Scholastici lib. 4. senten. distinct. 37.*

2 Non obstat, quod ista regula limitatur in commodo rei fructiferæ, quia hic articulus non est talis, & pecunia de sui natura sterilis est, & infructifera, vt dixit Aristotiles. Nec etiam obstant decisiones in hac causa factæ, quod Castellinus respectu instrumenti retinebat pecunias super cambijs, & quod cambia ab anno 1590. vsque ad annum 1593. excesserint summam Ducatorum sex pro centenario, quia respondetur id casualiter euenisse, quia regulariter cambia non dant lucrum vniforme cum aliquando plus aliquando minus, aliquando nihil vtilitas conferant. Immo aliquando sint in damno, vt sæpe dixit Rota, & signanter in causa Mediolanen. Cambiorum, die 16. Maij 1591. coram bo. me. Cardinali Seraphino, tunc Rotæ Auditore.

3 Non obstat, quod aliquando Rota admiserit taxationem ab initio concurrente verisimilitudine, & proportione, vt apud *Cæsarem de Graff. decis. 1. & 2. de vsur. iuxta opinionem Dec. in c. cum Venerabilis. num. 14. de except.* quia respondetur primo istam opinionem esse valde controuersam, & contrariam opinionem esse veram. *Roland. cons. 55. nu. 20. in fine, lib. 2.*

4 Secundo respondetur, quod quando agitur de re fructifera, & fructus ascenderent ad interesse tunc nõ defuerunt qui senserint posse ab initio taxari certum interesse, & in his terminis loquuntur duæ decisiones Cæsaris de Graffis, allegatæ, ibi enim agebatur de Castro Sancti Angeli cesso à quodam Antonello cuidam Camillo Vrsino, & fuerat conuentum, quod pro pretio Scutorum trium millium soluendorum casu quo ille non solueret promisit singulis annis Ducatos 170 pro interesse pretij non soluti, & in illa facti specie non respicit prædictam taxationem, sed in casu pro posito secus est, quia pecuniæ non sunt fructiferæ, sed steriles, & ista taxatio ab initio nullo iure sustineri potest in mutuo, nec debet ab hoc tribunali similis decisio prodire, non prohibetur tamen Simon conuolare ad alia remedia. Non omitto me audiuisse à maioribus de Rota, & signatura, quod illæ decisiones Cæsaris de Graffis in signatura Sanctissimi non audiuntur.

5 Postremo non ambigo, quia in aliquibus casibus particularibus à iure decisis admittatur ista quasi taxatio ab initio, vt fauore matrimonij in c. salubriter, & in venditione rei fructiferæ, vt proximè dictum est, sed iste casus ægre toleratur à signatura. In mutuo tamen nunquam est licita taxatio ab initio, vt bene distinguunt Doctores allegati per Informantes pro Ioanne Iacobo.

REVERENDISSIMO P. D.

ATTREBATEN.

Calaguritana iurisdictionis de Nagera. Lunæ 6. Iunij 1611.

ARGVMENTVM.

Confessarij non debent approbari ab alijs, quàm ab Episcopo. Et numquid sufficiat approbatio Abbatis, quando Abbatia habet separatum territorium à diœcesi.

SVM-

SVMMARIVM.

Mandatum de manutenendo datur ex sola assistentia iuris absque alia probatione. nu. 1.
Confessiones sæcularium audire nemo potest, nisi Confessarius approbatus ab Episcopo. num. 1.
Confessarius numquid sufficiat, quod sit approbatus ab Abbate, quando Abbatia est nullius diœcesis. num. 2.
Abbas priuari non debet sua quasi possessione habendi territorium separatum à diœcesi. numer. 3. Declara, vt numero 4.
Verba sententiæ sunt stricti iuris, nec debent plus operari, quàm de necessitate importent. num. 5.

DECISIO CCCXXXII.

1 STricte proposito dubio an Episcopus Calaguritanus sit manutenendus in approbandis Confessarijs Ecclesiarum S. Crucis, & S. Michaelis oppidi de Nagera, in quarum Ecclesiarum Clericos, & Cappellano Abbati Sanctæ Mariæ, Ordinis Sancti Benedicti competit iurisdictio priuatiue, Domini pro Episcopo responderunt, nam decretum Concilij Tridentini Sessio. 23. cap. 15. de Reformat. disponit, quod nemo admitti possit ad Confessiones sæcularium audiendas, nisi approbatus ab Episcopo. Ita quod assistentia iuris est clara, propter quam datur manutentio, absque alia probatione possessionis, *vt in c. cum personæ. de priuil. in 6.*

2 Non obst. in contrarium adducta, quod enim attinet ad immemorabilem, illa non est probata, & probata non releuat, vt pote sublata per Concilium, quod Abbas sit nullius diœcesis, ideoq; ipse possit suos Clericos, & Cappellanos ad audiendas confessiones approbare. Fuit decisum 4. Iulij 1603. & 16. Iunij 1604. coram R.P.D. Pegna, & 26. Iunij eiusdem anni, & nouissime 5. Maij 1608. coram me. Monasterium esse in, & de diœcesi Calaguritana. Hinc est, quod iam ante aliquot annos Illustrissima Congregatio Sacri Concilij Tridentini Interpretum respondit, eos qui approbandi sunt ad confessiones audiendas in Ecclesijs Abbati subiectis, ab ipso Abbate offerri debere Episcopo, & cum præsupposito, quod Abbas habeat iurisdictionem quasi Episcopalem priuatiue ad Episcopum.

3 Nec facit, quod donec Abbas probare potest se habere territorium separatum, non debeat sua quasi possessione priuari, vt in Conchen. iurisdictionis. 4. Decembris 1592. coram Illustrissimo Cardinali Mantica, quia loquitur in casu specialiter præseruato à Concilio, & in quo ius commune non refragabatur, sed potiùs suffragabatur, vt in ea dicitur.

4 Hic autem ius refragatur tàm quo ad approbationem Confessariorum, quàm quo ad status nullius diœcesis. Vltra, quod mens, & verba Concilij stant pro Episcopo, qua ratione Illustriss. Congregatio Sacri Conc. Interpret. in causis matrimonialib. & criminalibus, in quibus Concil. non sustulit immemorabile declarauit, Episcopum manutenen. esse in earum cognitione, donec per tres conformes inferior immemorabilem probet, & sequuta est Rota in Baren. iurisdictionis 18. Maij 1609. coram R.P.D. meo Coccino.

5 Postremo, quod attinet ad sententiam arbitralem Roberti, à Sede Apostolica confirmatam, in ea nullum legitur verbum de approbatione Confessariorum, eadem loquitur de iurisdictione competente Abbati potest intelligi de iurisdictione contentiosa, non de voluntaria, non potest fieri illatio de exemptione Clericorum ad exemptionem loci præsertim cum verba sententiæ sint stricti iuris, nec debeant plus operari quàm de necessitate important, vt in terminis istius sententiæ fuit dictum in hac causa 12. Ianuarij 1609. coram me.

R. P. D. CAVALERIO.

Fesulana Iuris patronatus. Lunæ 6. Iunij 1611.

DECISIO CCCXXXIII.

Est inter Caualerio impressa.

DECISIO 159.

REVERENDISS. P. DOMINO BONONIEN.

Massilien. Pecuniaria. Lunæ. 6. Iunij 1611.

DECISIO CCCXXXIV.

Est inter Caualerio impressa.

DECISIO 506.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. CARD. LANCELLOTTO.

Parisien. Pecuniaria, Veneris 10. Iunij 1611.

ARGVMENTVM.

Tertius comparens pro suo interesse ad impediendum iudicium docto de interesse admittitur, alias secus.

SVMMARIVM.

Tertius non auditur ad impediendum actorem nisi docto de interesse. num. 1.
Tertius comparens pro suo interesse docto de interesse auditur, & ad iudicium admitti debet. num. 2.

DECISIO CCCXXXV.

1 DIxerunt Domini, quod Bartholomæi non possunt impedire Bedinam agentem contra Oricellarios absque eo, quod illa eius cessionem contra ipsos Bartholomæos iustificet, nisi doceant de eorum iure contra eosdem Oricellarios. Si enim non ostendant eorum ius contra Oricellarios, frustra quærunt impedire Bedinam, & exigunt iustificationem tanquam non profuturam eis, quorum nihil interest, & à quibus nihil prætenditur pro parte Bedinæ. Cum enim ipsi non possideant, & velint solum impedire Bedinam, debent probare eorum dominium, siue ius, vt per *Couarr. pract. quæst. cap. 16. nume. 3. ver. quartus casus.* & bene facit *tex. in l. is à quo. ff. de rei vendic.* Alias tanquam non habentes interesse, veniunt à limine iudicij repellendi, iuxta notata per *Felin. & alios in cap. ex parte de testibus*, & tradunt omnes in *l. si pupilli. §. videamus. de neg. gest.*

2 Secus dicendum est probato eorum iure contra Oricellarios. Tunc enim nedum haberent interesse, sed etiam dicerentur legitimi contradictores, & partes in iudicio, maxime cum fuerint per Bedinam citati, & ipsi prius iudicium contra Oricellarios intētauerint, & bene intrarent tradita per *Gaill. lib. 1. obseru. 71.* alias daretur locus collusionibus inter vnum creditorem, & debitorem admittendo iura informia, & alias imperfectas probationes ad excludendum alium creditorem, & hoc casu quando est contentio inter competitores, & legitimos inuicem contradictores, & agitur

tur in eodem iudicio debet vnus alium citare, & contra illum etiam iustificare, saltem ratione interesse, iuxta notata in *d.l.is, à quo, & in c. veniens, il 3, de testibus*. Vbi præcipue Innocen. &c.

REVEREDISSIMO P. D. COCCINO DECANO.

Parmen. Datij, Veneris 19. Iunij 1611.

ARGVMENTVM.

De fideicommissario emente rem subiectam fideicommisso conditionali ad sui fauorem, quod non censeatur fideicommisso renunciare.

SVMMARIVM.

Cedens non potest redire ad ius cessum, num. 1.
Fideicommissarius scienter emens rem subiectam fideicommisso conditionali ad sui fauorem non censetur renunciare fideicommisso, sed eo purgato potest sibi mutare causam dominij, & repetere pretium, quasi à semetipso euicerit. num. 2.
Vendere quando quis dicatur rem vti propriam, & liberam, an vero ius quod habet in ea. num. 3.

DECISIO CCCXXXVI.

1 FVit resolutum, Illustrissimum, & Reuerendissimum Dominum Cardinalem excludi à detractionibus super Datio, de quo agitur, quia cum cesserit ad fauorem fideicommissi Excellentissimo Domino Duci Sfortiæ eius Nepoti, Iura pro eis sibi competentia mediante reseruatione mobilium, pecuniarum, argentorum, gemmarum, & facultatis disponendi de summa Scutorum quinquaginta millium, ac promissione Domini Ducis consentiendi alienationibus factis pro summa Scutorum quadraginta quinque millium, ac soluendi alia Scuta quinquaginta milla, vt in conuentionibus inter ipsos habitis non potest denuo redire ad dicta iuria cum illa cesserit. *l. quæritur. §. si venditor. ff. de ædilit. edict. l. si maritus. la 2. §. si negauerit. ff. de adult. l. non videtur. ff. si quid in fraud. patroni.*

2 Neque obstat, quod mediantibus dictis conuentionibus, istud Datium videatur remansisse liberum Illustrissimo Domino Cardinali, cum in eis fuerit conuentum, quod venderetur Excellentissimo Domino Duci, iuxta pretium arbitrandum per Serenissimum Magnum Ducem, & eo intra certum tempus non arbitrante remaneret liberum Domino Cardinali, & licet Serenissimus Magnus Dux fuerit arbitratus, & sequuta venditio tamen ab ea postmodum fuit recessum de communi partium consensu. Quia fuit responsum, dato etiam quod venditio habuisset effectum, quod non propterea Domus Dux sibi præiudicasset: quia fideicommissarius scienter emens rem subiectam fideicommisso conditionali ad sui fauorē non censetur renunciare fidei commisse, sed eo purificato potest sibi mutare causam dominij, & repetere pretium, quasi à semetipso euicerit, *l. fundo. ff. ad legem Falcid. l. huiusmodi. §. qui seruum. de legat. 1.* pulchre *Castren. in l. qui res. num. 1. vers. quid autem. ff. de act. empt. & in cons. 448. si iste masculus. num. 3. vers. nam licet pariter. lib. 1. Alex. in l. qui Romæ. §. duo fratres. num. 35. ff. de verb. oblig. vbi in vers. Io. Andr. in addit. ad Specul. testatur de magis communi opin. Cuman. in consil. 33.* vbi in vers. ego vero. expresse loquitur in casu, in quo sit prohibita alienatio, quia non intelligitur prohibita in vocatum de familia. *Ruin. consil. 146. num. 4. lib. 1.* & ita practicatur, vt post alios dicit *Ludouici. Morot. cons. 73. num. 19.*

3 Et hinc Cardinalis in instrumento venditionis factę eidem Duci Sfortie promisit Datium esse liberum ab omni fideicommisso purificato, & purificando, præterquam à fideicommisso paterno, & promisit facere consertire omnem personam præterquam nominatas in dicto fideicommisso Comitis Sfortiæ. Vnde apparet, quod non vendebat Iure libro, & proprio, sed Ius, quod habebat in dicto fideicommisso conditionali, durante vita sua. *l. in venditione. ff. de act. empt. l. ex iis præsidijs. C. de euiction. glos. in l. cum venditores. ff. de contrah. empt. Bal. in Rubric. num. 6. C. eod. tit. Dec. consil. 483. vers. sed dato*, & voluit sibi cauere de pretio ne teneretur illud restituere, ibi, *Il qual prezzo* (hoc est pretium Datij) *resti libero à total dispositione, & piacimento di S. S. Illustrissima per farne tutto quello che le parerà commodo, senza che lui, ne li suoi heredi ne possino essere molestati dal detto Signor Duca, & suoi descendenti, come che hauesse euitto da loro medesimi, ne per fideicommisso, nè per altra causa*, quia vt dictum est, fideicommissarius si emit scienter rem subiectam fideicommisso conditionali purificato fideicommisso dicitur euincere à semetipso, & mutat causam dominij, & incipit tenere titulo fideicommissi, & pretium repetere potest, & propterea dum subditur (*& quando dalla predetta Altezza Serenissima non si dichiarasse* (scilicet pretium) *il detto Datio, & Gabella sia libera di detto Signor Cardinale*) hæc verba sunt intelligenda ab onere vendendi, non à fideicommisso, ita vt Dominus Cardinalis censeretur sibi retinere, quod vendere tenebatur Duci, scilicet Ius, quod habebat durante vita sua, vt dictum est, iuxta *not per Roman. in consil. 503. num. 10. vers. vnde pro habenda. Aret. consil. 63. num. 6. col. penul. vers. sed posito. Aym. consi. 24. num. 1. & consi. 211. num. 7. Alex. consi. 211. num. 3. cum seq. lib. 5.* & in simili censuit Rota in causa Romana Montium 8. Nouembris 1577. coram fel. record. Clem. VIII. maxime quia, nec Dux poterat renunciare fideicommisso strictissimo contra expressam prohibitionem testatoris, & si Dominus Cardinalis voluisset Datium sibi remanere liberum à fideicommisso sicuti voluit non teneri ad restitutionem pretij, ita expressisset de Datio, sicuti expressit de dicto pretio, *iuxta notat. in c. susceptum. de rescript. in 6. & in c. cui de non Sacerdotali. de præbend. eod. lib.* & dixit Rot. in causa Marsicana Beneficij 16. Nouemb. 1576. coram eodem Clemente VIII. &c.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. CARD. LANCELLOTTO.

Romana Hæreditatis de Marescottis. Lunæ 13. Iunij 1611.

ARGVMENTVM.

Testamentum non dicitur nullum ob præteritionem filij, qui fuit institutus in re certa aliena, siue testator sciuerit, siue ignorauerit illam rem esse alienam.

SVMMARIVM.

Testamenti capit est hæredis institutio, num. 1.
Hæredis institutio ore proprio testatoris fieri debet. num. 1.
Hæres institutus in re certa dato cohæredi vniuersali habetur loco legatarij. Fallit in filio ne testamentum ob præteritionem rumpatur. num. 2.
Testamentum patris non dicitur nullum ob præteritionem filij, si filius fuerit institutus in re certa etiam aliena. numero 2. & 3.
Legatario rei alienæ, seu instituto in re certa alienæ debetur æstimatio, etiam quod testator ignorauerit, rem esse alienam. nu. 4. Præsertim quando legatum est factum coniunctæ personæ, num. 5.

Filius

Filius non potest dicere patris testamentum nullum ob ipsius præteritionem, quando dictum testamentum approbauit. num. 6.
Legatum fauore filiorum est latissime interpretandum, præsertim vt testamentum sustineatur. nu. 7.
Testatores plerumque existimant plus esse in eorum hæreditate, quam vere sit. nu. 7.
Testamentum nullum allegare non potest, qui interesse non habet. nu. 8.
Testamentum nullum dicere non potest is, qui illud approbauit. nu. 8.

DECISIO CCCXXXVII.

1 FVit resolutum, testamentum Alphonsi esse validum, quia habet omnia substantialia pro eius validitate requisita. Adest enim heredis institutio, quod testamenti caput dicitur. §. *antè hæredis. instit. de leg. &* §. *in primis, Instit. de fideicomm.* & testator ore proprio nominauit, & scripsit, *iuxta text. in l. iubemus. C. de testament. & l. hæredes palam. ff. eod.* & adsunt alia omnia pro testamenti solemnitate necessaria, *iuxta text. in leg. hac consultissima. C. de testament.* §. 1. *Instit. de testam. ordin. Crass. in* §. *testamentum. q.* 10.

2 Nec potest dici nullum testamentum ex eo, quod Marcus Antonius filius Alphonsi Testatoris tit. institutionis non videatur honoratus, cum institutus in re certa, dato cohærede vniuersali, prout in casu nostro sit loco legatarij, quia id non procedit in institutione filij. Nam fauore testamenti, ne filius tanquam præteritus vltimam patris voluntatem possit infirmare, dicitur hæres. *Bald. in l. scimus. nu. 9. & ibi Paul. de Castr. nu. 9. Salicet. n. 6. C. de inoffic. testam. Guglielm. de Bened. in repet. cap. Rainucius. in verb. in eodem testamento relinquens. il primo. nu. 255. vers. attamen. & num. 258. eod. tit.*

3 Nec minus potest nullum prætendi, ex eo quod prædictus Testatoris filius, tanquam institutus in Castris Parrani, & Iulianelli non proprijs, sed alienis præteritus videatur. Quia cum fuerit expresse ab Alphonso patre in dictis Castris, licèt alienis institutus, non potest dici præteritus, quia in eorum loco succedit æstimatio, & in ea filius dicitur institutus. *Bald. in d. l. scimus. nu. 9. & ibi Castren. nu. 4. Salic. num. 8. vers. quæro propter. Ias. nu. 1. C. de inoffic. testam. Bald. in l. humanitatis. nu. 19. C. de impub. & alijs subst. Gomez. var. resol. tom. 1. cap. 10. nu. 16. in fin. vers. adde tamen. Menoch. lib. 4. præsumpt. 116. nu. 24.*

4 Et in presenti casu dubitandum non est, an Alphonsus testator sciuerit rem relictam esse alienam, vel ne, *iuxta distinctionem* §. *non solum. Institut. de leg. l. cum alienam. C. de leg.* quia scientia Alphonsi, quod Castra non essent propria, sed nepotum, non potest controuerti, cum ipsemet interfuerit stipulationi concordiæ super dictis Castris inite cum Camera, & successioni, & donationi de eisdem ad fauorem nepotum, sed nihilominus omni casu deberi æstimationem dicunt *Bald. in d. l. humanitatis. num. 63. gl. fin. in cap. filius. vbi Canonistæ, de testam. de communi Corn. cons. 32. nu. 3. lib. 2. Capra cons. 107. nu. 7. Crass. in* §. *legatum. quæst. 14. num. 15. vers. vnde quæro*, & tenuit Rota in Romana hæreditatis 26. Iunij 1592. coram Illustrissimo Mellino in Romana legati Vineæ, 10. Martij 1608. coram bon. mem. Litta.

5 Et tanto magis, quia quando relinquitur coniunctæ personæ, vt hic, tunc non procedit dicta distinctio, & debetur æstimatio, siue testator sciuerit, siue ignorauerit rem esse alienam, *iuxta communem Doctor. opinionem in d. l. cum alienam, de qua per Gomez. d. cap. 12. num. 13. & per Crass. in d.* §. *legatum. q. 14. num. 3. Illustrissimus Mantica de coniect. vlt. volunt. lib. 9. tit... nu. 40. cum alijs per Menoch. de præsumpt. præsumpt. 116. nu.* 15. & fuit dictum in hac causa 10. Decembris 1610. coram me.

6 Et denique corroboratur ex approbatione testamenti facta à Marco Antonio, qui erat vnicus testatoris filius, & præteritio nulli alteri, quam ei viam succedendi aperiebat, cum solus esset ab intestato successurus, & ideo potuit voluntati Alphonsi acquiescere, vt acquieuit *Imol. in l. filio præterito. n. 69. in prin. vers. vnde pro clariori. ff. de iniust. rupt. & irrit. testam. Alex. cons. 36. nu. 19. lib. 3. late Gugliel. de Bened. in repet. cap. Rainucius. nu. 112. C. de testam.*

7 Neque obstat, quod non sit verisimile testatorem voluisse relinquere æstimationem Castrorum Marco Antonio, quæ absorberet totam hæreditatem, & sic institutio vxoris remaneret superflua; tum quia relictum fauore filiorum est latissime intretandum. *l. cum rem alienam. C. de leg.* & maxime quando voluntas testatoris est clara, & manifeste patet, quod ita voluerit prout hic vbi pater filio scienter rem alienam reliquit vt fuit dictum in hac causa 18. Aprilis 1611. coram me. Tum etiam, quia hic non solum concurrit fauor personæ, sed etiam testamenti, vt sustineatur, & ne reddatur nullum præteritione filij ex trad. *per Menoch. præsumpt. 116. num. 24. & sequent. lib. 4.* Tum denique quia solent homines plerumq; existimare plus esse in eorum hæreditate, quam vere sit. §. *in fraudem. Inst. quib. ex cau. manum.*

8 Præterea cum D. Iulia ex testamento Alphonsi adierit illius hæreditatem, & D. Pyrrhus aduersarius, tanquam hæres prædictæ D. Iuliæ petierit se immitti in possessionem dictæ hereditatis tam ex testamento Alphonsi, quam Iuliæ, non potest venire contra factum defuncti, & dicere de nullitate testamenti. Nam Pyrrhus non potest allegare nullitatem testamenti Alphonsi nomine proprio, cum ipsius non interfit, iuxta trad. in fortioribus terminis hæredis, vel extranei per *Gugliel. de Bened. vbi supra, sub num.* 112. neque tanquam hæres D. Iulia, quia illud approbauit. *leg. si ab arbitrio. ff. qui satisdare. ff. de fideiuss. Aymon. cons. 204. num.* 15. & fuit dictum in vna Foroliuien. de Monsignanis 3. Iunij 1602. coram Reuer. P. Domino Pegna, & consequenter non potest contra eius factum venire. *leg. cum à matre. Cod. de rei vendic. cum alijs allegat.*

R. P. D. VBALDO.

Bononien. de Zaualeis. Lunæ 13. Iunij. 1611.

ARGVMENTVM.

Creditor potest auctoritate propria capere possessionem bonorum debitoris vigore præcarij in instrumento appositi, etiam contra singulares successores, & tertios possessores.

SVMMARIVM.

Authoritate propria potest quis accipere possessionem bonorũ debitoris vigore pacti precarij appositi in instrumento, etiam contra singulares successores, & bonorum possessores. num. 1. & 2. Vbi etiam idem vigore statuti Bononiæ.

DECISIO CCCXXXVIII.

1 FVit dictum, mandatum de associando concessum ab A. C. Equiti Danesio ad bona illorum de Zaualeis etiam à Tertij possessa, esse exequendum, quia de eius validitate non dubitatur, & de iustitia constat, quia Domini de Zaualeis imposuerunt censum super certis bonis, quem vendiderunt Herculiano de Posterlis sub fideiussione Equitis Danesij, qui postea fuit coactus soluere virtute mandati

Rota-

Rotalis, & reportauit cessionem, vt in Summario *nu. 1. 2. & 3.* Constat etiam de pacto precarij apposito in instrumento census ad fauorem dicti fideiussoris cuius vigore potuit accipere possessionem propria auctoritate, & multo magis petere associationem, etiam contra singulares successores, & possessores dictorum bonorum. Tum de iure communi, *Bartol. in repet. leg. 3. sub num. 25. vers. sed pone quod debitor. Cod. de pignor. Tiraquel. in tract. de iure constitut. possessorij prima parte, num. 43. Ruin. cons. 127. numer. 1. Vbi de communi libro 5. Neuizan. consil. 82. numer. 15. & 16. Put. decision. 444. num. 6. libr. 2. Menoch. qui alios refero, de adipiscen. remed. 5. numer. 140.*

2 Tum ex forma statuti Bononien. vt apparet ex amplissima extensione precarij secundum stylum Bononien. de qua in Summario, *num. 4. & tenet Montarent. in gloss. dicti Statuti, in verb. alterius Grat. in terminis respons. 37. nu. 12. lib. 1. Bero. cons. 42. libr. 3. Ferrent. Gargiar. patroc. 13. fere per totum lib. 2.* Et ita fuit Danesio solum Informante decisum.

R. P. D. PIROVANO.

Tullen. Præpositturæ S. Apri. Lunæ 13. Iunij 1611.

ARGVMENTVM.

Instrumentum sine testibus nullam facit probationem. Quid, & quantum in hoc operetur contraria consuetudo, & quando talis consuetudo dicatur probata.

SVMMARIVM.

Declaratoria ob non paritionem regulariter dari solet seruatis quatuor terminis post intimationem executorialium, numer. 1.

Possessio probatur per instrumentum alio non existente possessore. num. 2.

Instrumentum sine testibus, nullam facit probationem, numer. 2.

Instrumentum sine testibus probat, quando consuetudine introductum est, nu. 3.

Consuetudo quod credatur instrumento, sine testibus, quando dicatur probata, nu. 3. & 4.

DECISIO CCCXXXIX.

1 QVartus regulariter seruatis, quatuor terminis post intimationem executorialium non solet, denegari declaratoria ob non paritionem. *Crescent. de sequestr. possess. & facit dec. 1. Felin. in c. ad proban. num. 6. de re iudic.* Tamen quia resolutio facta fuerat vna tantum parte Informante, & releuantia deducuntur contra mandatum de manutenendo, noluerunt Domini dare declaratoriam.

2 Fuerat enim præsuppositum ex instrumento constare de possessione Philippi de Nexeuilla, quæ ad eũ effectum suffragatur, alio non existente in possessione. *Caputaq. decision. 173. part. 3. & decision. 333. part. 2.* cum alijs allegatis in decisione in hac causa facta. die 21. Iunij 1610. & tamen instrumentum, productum carebat testibus, adeo quod super eo nullum poterat constitui fundamentum, tanquam carente forma probanti *gloss. in leg. generali. Cod. de tabul. lib. 10. Dec. in c. 1. de fide instrum. num. 34. Felin. num. 14. Specul. eodem tit. §. 2. ad fin.*

3 Quæ conclusio, & si videatur restringenda, quando consuetudo releuaret ab hac solennitate secundũ *Innoc. in d. c. 1. & Felin. ibidem num. 14.* eiusmodi tamen consuetudo non probatur per Philippum ex simili instrumento possessionis, captæ per aduersariũ, quod pariter sine testibus rogatum fuerat. Tum quia frequentatio actuum non intrat, quæ requiritur ad eam inducendam *gl. in c. monasteria, glos. 2. de vit. & honest. clericor. gloss. in §. fin. in auth. de defensor. ciuit. Crauett. cons. 134. num. 7.*

4 Tum etiam si constaret obseruatum in pluribus instrumentis, & essent producta non releuarent per ea, quæ tradit *Ias. in l. de quib. in fin. de legib.* Vnde cum possessio Philippi ex prædictis turbida reddetur fuit dictum non esse dandam declaratoria, &c.

R. P. D. VBALDO.

Mantuana Bonorum. Veneris 17. Iunij 1611.

ARGVMENTVM.

Citatio vbi fuit facta pro hora præcisa, decretum Iudicis extra illam horam emanatum dicitur nullum; quando detur appellatio à declaratione Iudicis super executione facienda, & quod appellandi termino durante, attentata sint reuocanda.

SVMMARIVM.

Citatio vbi respicit horam præcisam, si actus fiat extra illam horam, dicitur fieri sine citatione, & non valet. num. 1. & 2.

Appellare licet à decreto iudicis declarante executionem fieri debere in vna re potius, quam in alia. Declara, vt numer. 4.

Appellandi termino durante nihil inouandum, & attentata omnia sunt reuocanda, nu. 4.

DECISIO CCCXL.

1 DOmini dixerunt, executionem de qua agitur esse reuocandam tanquam nullam, & attentatam, Nullitas deducitur ex eo, quod procurator D. Æmiliæ, & sororis fuit citatus 26. Iulij 1576. de mane hora iuris pro prima hora iuris sequenti, & die 28. Iulij eiusdem anni. Sententia fuit ab executore lata sine alia citatione partis, sed solum accusata contumacia dicti procuratoris, vt apparet in Summario *nu. 7. & 8.* Vnde sententia prædicta, & omnia inde sequuta remanent nulla ob defectum citationis. Vbi enim citatio respicit horam præcisam, si actus fiat extra illam horam, dicitur fieri sine citatione, & non valet. *Bart. in leg. at qui aliter in princip. & l. vlt. §. fin. ff. quod vi, aut clam. & cons. 176. pluries contingit. libr. 1. quem sequitur, Ruin. consil 209. sub num. 16. lib. 1. & cons. 28. num. 21. lib. 4. & consil. 61. sub num. 4. in fine. lib. 5. Alex. cons. 213. nu. 8. libr. 2. Aym. consil. 122. num. 17. Afflict. decis. 387. num. 5. Euerar. in loco de tempor. ad loc. sub numer. 2. vers. hinc etiam est, quod sicut actus, &c. Vant. in tit. de nullit. ex defect. citat. num. 73. vbi alios allegat Felin. in cap. 1. nu. 22.* vbi dicit, citatum in casu prædicto non esse contumacem. de iudic.

2 Neque obstare videbantur citationes ex aduerso datæ in Summariolo quas apparet cadere in secunda, vel tertia die post earum exequutionem, quia vltra quod hoc videtur esse allegare inconueniens, & contra regulas iuris, vt ex prædictis patet, potuit etiam hoc contingere in dictis casibus, quia dies intermedia esset feriata, vt apparet in citatione septima in qua principale fit ex aduerso fundamentum, quod in hoc casu non probatur quod scilicet dies 27. Iulij fuerit feriatus quod tamen erat necessario probandum ad sustinendam prædictam sententiam, ne remaneat sine citatione, vt fuit in terminis dictum in vna Taruisina pensionis 8. Iunij 1590. coram Orano, cuius copia data fuit.

3 Quod autem exequutio fuerit attentata, deducebatur,

batur, quia executor expressit bona super quibus dande erat, vel non danda immissio Domine Carolo vt in eodem Summario. *num.7.* Vnde per hanc declarationem dicitur intulisse nouum grauamen à quo licuit appellare. *Felin. in cap. quo ad consultationem, nu. 16. vers. 2. limita. de re iud. Ruin. cons. 76. num. 1. libr. 5. Capic.decis.34. num.4. Vrsill. ad Afflict. dec. 35. num. 2.* & fuit dictum in vna Legionen. Sancti Thomæ 10. Decembris 1576.coram Robusterio,quæ est *dec.100.nu.1. par.1. in impress.*

4 Neque obstant, quæ habentur in eadem decisione 100. *numer. 13. & seqq.*quia præterquam quod fuerunt motiua trium Auditorum, qui contrarium sentiebant, & sic minoris partis, vt apparet ex principio decisionis, procedunt, quando declaratio executoris non versatur nisi circa ea, quæ continentur in sententia cuius petitur executio, & sic dicitur declaratio me re interpratiua qualitatum sententiæ præcedentis non augendo, nec minuendo, vt in dicta decisione, *num.14. & 15. & bene explicat Rom in. consil.45. numer. 3.* Sed in casu isto executor non videtur simpliciter declarasse sententias Præcedentes,cum expresserit bona super quibus facienda esset executio, tanquam non comprehensa in inuestituris concessis pro hæredibus vtriusque sexus. Ideo cum daretur appellatio, executio facta, & omnia inde secuta pendente termino, ad appellandum fuerunt nulla, & attentata capite non solum de appellatio.in 6.& in terminis executionis,fuit dictum in Asculana bonorum 24. Nouembris 1595. & 13. Maij 1596. coram Orano,vt in copijs,quæ fuerunt datæ.

5 Quæ eo magis videbantur Dominis procedere, quia non præcessit vlla legitima liquidatio coram iudice competente, quæ essent terræ concessæ pro hæredibus vtriusque sexus,pro quibus non esse dandam immissionem Iudex tertiæ instantiæ pronunciauerat præsertim cum id pars per ipsset,vt fuit dictum in Zamonen. spolij de Thoro.10.Octob.1575.coram Grasso *quæ est dec.352. nu.3. part. 1. diuers.* & tradit in terminis executionis, *Aym. cons.164.n.2.* & fuit dictum in vna Turritana Tertiariæ. 18. Decembr.1595. coram Card. Seraphino. Et ita fuit decisum.

R. P. D. PIROVANO.

Tirasonen. Decimarum. Veneris 17. Iunij 1611.

ARGVMENTVM.

Possessorium retinendæ probata possessione non impeditur per opposita priuilegia etiam habentia clausulam sublata, &c. & decretum irritans.

SVMMARIVM.

Decimarum percipiendi possessio facit, vt possessori dandum sit mandatum de manutenendo.nu.1.
Ius possidentis non variatur,nec alteratur ex mutatione personæ contra quam possidetur, num.1.
Possessorium retinendæ positum est in sola insistentia, & detentatioue rei, nec propterea immissio impeditur per alias exceptiones, num.2.
Priuilegium soluendi decimas numquid suffragetur Religioni Hierosolymitane, nu.2.
Clausulæ sublata, & decretum irritans positæ in priuilegijs non operantur suum effectum,nisi postquam cognitum fuit an priuilegium intret,num.3. & 4

DECISIO CCCXLI.

1 Placuit Dominis deductio pro Capitulo, vt ei debeatur manutentio, quia de eius possessione percipiendi Decimas in specie ex huiusmodi prædio deponunt testes dati in Summario, primus,secundus,& tertius, quod sufficit ad eum effectum, *§. retinendæ. Instit. de interdict. leg. 1. §. sicut.ff. vti possid.* Rota in vna Bononien.Iurisdictionis coram bonæ memoriæ Cardinale Lancellotto inter impress.595.parte 2.quæ possessio suffragatur contra omnes successores in isto prædio,quia ex mutatione persone,contra quam possessio suffragatur contra omnes successores in isto prędio, quia ex mutatione persone, contra quam possidetur,non variatur, nec alteratur ius ex parte possidentia, quin semper idem remaneat *leg.2.§. ex his, ff. de verb. oblig. Guido Papæ decisione 625,* quem pluries sequuta est Rota, & signanter in vna Tirasonen. Decimarum 25. Iunij 1607. coram Domino meo Marcomontio.

2 Non obstant priuilegia exemptionum religionis Hierosolymitanæ, quæ & si videantur possessoribus derogare, dum Sanctissimus in eorum concessione præsupponit semper decimas ab aliquo possideri, vt considerat *Dec. consil.113. num.7. versic. ratio. diuersitatis. Cassad. de priuileg.decis. 1. Card. in c. penult. de decim. in fin. cum alijs adductis in Adrien. Decimarum.* 14 Decembris 1607. coram Manzanedo. Tamen quia priuilegia non continent derogationem capite nuper de decimis, quod tanquam conciliare requirit indiuiduam derogationem. *Archidiac. in cap.1. num.2.de constitut. in 6. Oldrad. consil.326.* Rota in Mediolanen. Decimarum 10. Aprilis 1606. coram R. P. D. Coccino, Item prætenditur non comprehendere bona particularia Equitum, dum per ipsos Equites retinentur,quę omnia videntur ius, & merita causæ concernere, vt propterea manutentionem impedire non possint,que in sola insistentia, & detentatione posita est. Rota in Romana Vineæ. coram Robusterio inter impressas 641. *nu. 8. par.* 1. & in Oriolen. Decimarum 19. Iunij 1592.coram Gipsio.

3 Clausula autem sublata, & decretum irritans tanquam accessoria ad priuilegia visum est,non posse effectum operari,nisi postquam fuerit cognitum priuilegia intrare *Gabr. de clausula conclusione 3. nu. 82.* & in terminis Rota declarauit in allegata Oriolen. Decimarum, & in alijs passim cum prædicta distinctione transiuit, vt in causa Parmen. Prioratus, coram bonæ memoriæ Orano 16. Februarij 1598. & in Cusentina Cappellaniæ 26. Octobris coram Cardinali Mellino, & coram me in Leodien. Canonicatus 22. Aprilis 1611.

4 Nec decisio Adrien.Decimarum, quæ datur coram Reuerendo Patre Domino Manzanedo videtur prædictis repugnare,quia in ea non erat controuersia super irreleuantia priuilegiorum, vel super vsu eorundem pro bonis particulariter, per Equites possessis, sed duntaxat, an continerent clausulam sublata,& decretum irritans,quæ cum in priuilegij adessent, merito alio non obstante clarum remanebat, priuilegia intrare, & consequenter inficiebant ne dum Dominium sed etiam possessionem, qui sunt proprij effectus illarum clausularum. *Ægid.decis. 835. Cassad.super regul. decis.7.nu.3.Gabr. de claus.conclusione 3.nu.50.* cum alijs in decisione Adrien. Decimarum allegatis. Atq; ita fuit resolutum.

REVEREDISSIMO P. D.

COCCINO DECANO.

Barchinonen. Parochialis, de Mataro. Lunæ 20.Iunij 1611.

ARGVMENTVM.

In hac decisione magistraliter explicatur quando habeat, vel non habeat locum regula de subrogan. Et præsertim an, & quando vitium litigiosi transeat in tertium,

tertium, qui habet causam ab aliquo ex collitigantibus, ita vt non possit iuuari regula de triennali.

SVMMARIVM.

Subrogatio in ius defuncti non datur collitiganti superstiti super beneficio, nisi lis fuerit super titulo beneficij, & nisi defunctus fuerit triennalis pacificus possessor. nu. 1.

Lis non dicitur pendere super titulo beneficij, quando erat super possessorio adipiscendæ. num. 2. Vbi declaratur hæc conclusio quomodo procedat.

Lis censetur esse introducta etiam super petitorio, quando in commissione adest clausula, Vna cum incidentibus, & dependentibus. nu. 2.

Beneficium dicitur effectum litigiosum, quando agitur de iure reali super collatione facta. nu. 2.

Vitium litigiosi, an transeat in tertium habentem causam ab aliquo ex collitigantibus. Ita vt non possit iuuari regula de triennali. nu. 3. & seqq. Vbi constituuntur duo casus.

Beneficium non dicitur litigiosum ad effectum, vt mortuo collitigante superstes subrogetur in eius locum, quando lis fuit calumniosa. nu. 7. Vbi declaratur hæc conclusio, quomodo procedat.

Calumniam in litigando excusat causa probabilis, & colorata num. 7.

Testes nulliter examinati adhuc faciunt indicium. numer. 7. in fine.

Collitigans non subrogatur in ius defuncti, quando lis iam fuerat derelicta per decem annos. Declara, vt nu. 8.

Subrogatio in ius collitigantis defuncti in beneficio litigioso non datur illi, qui in dicto beneficio se intrusit. Declara, vt num. 9.

Subrogatio in ius defuncti litigantis super beneficio iuxta tenorem regulæ de subrogan. non datur nisi fuerit petita intra mensem. Declara, vt nu. 10.

DECISIO CCCXLII.

1 IOannes Caluo resignauit primo Parochialem, de qua agitur de anno 1600. ad fauorem Iacobi Pratis qui ab exequutore obtinuit immissionem, & causa introducta in Rota, Ioanni fuit concessa manutentio & deinde de anno 1605. lite sic inter eos pendente. Idem Ioannes iterum resignauit ad fauorem Valentini Plandesans, qui adeptus fuit possessionem, & denique obijt de mense Iunij anni 1610. Vnde dubitaui, an Iacobo esset danda subrogatio. Cuius dubij resolutio pendet ex duobus. Primo an lis fuerit super titulo beneficij, vt requirit *tex. in cap. 2. vt lit. pend. in 6. Cassad. dec. 6. sub nu. 2. de rescript. & dec. 4. vt lit. pend. Mandos. super reg. de subrogan. quæ est 29. q. 2. per totam, & præsertim. n. 5.* Secundo an Valentinus fuerit triennalis pacificus possessor, quia si fuit talis, Iacobus nō potest dici collitigans ad effectum obtinendi subrogationem gratiosam, vt est decisio *Peregrini Fabij 97. lib. 1. Incipiens, Didacus resignauerat. Mohed. dec. 4. vt lit. penden. Put. dec. 421. lib. 2.*

2 Quantum attinet ad primum, licèt inspecto initio iudicij coram exequutore lis non penderet super titulo beneficij, cum esset super possessorio adipiscendæ, quæ non facit beneficium litigiosum. *Cassad. dict. dec. 6. num. 2. de rescript. & melius dec. 4. vt lit. pend. &* fuit resolutum in causa Casalensi Canonicatus. 22. Octobris 1607. & 4. Februarij 1609. coram R.P.D. Ludouisio: tamen cum causa appellationis à decreto exequutoris super immissione ad fauorem Iacobi Prats fuerit vigore commissionis introducta in Rota cum clausula, vna cum incidentibus, & dependentibus, censetur etiam lis introducta, super petitorio. *Bellamera dec. 618. incipien. Si in causa beneficiali. Cassad. dec. 9. num. 13. de caus. possess. & propriet. Mandos. super d. reg. de subrugan. q. 14. num. 7.* qui loquitur ad effectum subrogationis, & propterea cum ageretur de iure reali, scilicet super collatione iam facta Iacobo, beneficium fuit effectum litigiosum. *Bald. in Auth. litigiosa. C. de litigios. Put. dec. 496. num. 2. lib. 2. DD. post gl. in cap. 2. vt lit. pend. in 6.*

3 Quantum attinet ad secundum, An Valentinus fuerit triennalis pacificus possessor, pendet ex eo, an vitium litigiosi transeat in tertium, qui habet causam ab aliquo ex collitigantibus, ita vt non possit iuuari regula de triennali, & sic an vitium litigiosi transierit in dictum Valentinum. In quo articulo videtur facere difficultatem, quod *Paleot. dec. 200. in causa Visen. de Papignos 7. Febr. 1560. incipien. dubitaui, an sit locus regulæ, &c.* dicit, quod Rota nunquam firmare voluit illam conclusionem, an vitium litigiosi transeat in tertium, qui habet causam ab aliquo ex collitigantibus, ita vt non iuuari possit regula de triennali, quam decisionem refert *Lancellott. de attent. à tertio cap. 1. nu. 29.* Et pro parte negatiua, scilicet, quod vitium litigiosi non transeat in tertium, ita vt iuuetur regula de triennali, videtur decisio *Ioannis Pauli Tholom. dec. mihi 59. incip. Nullius Abbatiæ S. Saluatoris, & Mohed. 14. de caus. possess. & propriet.* quę est eadem cū decisione Ioannis Pauli, quas allegat *Paleot. & sunt decisiones allegatæ Peregrini Fabij 97. lib. 1. Mohed. 4. vt lit. pend. & Put. 421. lib. 2.*

4 Ceterum pro resolutione huius difficultatis Domini constituebant duos casus. Primus est, quando tertius habet causam à collitigante possessione vacante, vel existente penes non collitigantem. Secundus casus est, quando tertius habet causam à collitigante possessione existente penes ipsum collitigantē, qui est noster casus. In primo casu procedunt adducta in contrarium, quia tunc apprehendens possessionem efficitur triennalis pacificus, secus verò in secundo casu, vt eleganter considerat *Mohed. decis. 8. vt lit. penden.* Et ratio primi casus est, quia licèt proprietas sit litigiosa, ita vt ordinarius eueniente vacatione non possit conferre, tamen possessio cum sit vacans, vel penes alium non collitigantem respectu tertij, qui illam apprehendit, non est litigiosa, & propterea vitium litigiosi non transit in ipsum. Quia ad hunc effectum duo copulatiue requiruntur, nempe quod res sit litigiosa, & quod tertius habeat causam ab vno ex collitigantibus, vt per *Præpos. in cap. bonæ. num. 18. vers. vel aliter potest solui. de appel.* & iste est casus decisionum Fabij, Mohedani, & Putei. Quia ibi fuerat facta resignatio ante litem motam, per quam fuerat abdicatum omne ius, etiam respectu possessionis, ad fauorem resignatarij. Vnde licuit ipsi tertio capere possessionem vacantem, lite inter resignantem, & alium pendente, quia possessio non existebat de tempore litis penes resignantem. *Lancellott. de attentat. à tertio. c. 1. num. 28. & c. 3. nu. 5. & 6.* qui ita intelligit, & declarat prædictas decisiones.

5 Hinc videmus, quod possessio illius, qui non existit in lite, non cadit sub ipsa lite; & ideo collitigans, absque vitio attentatorum potest extraiudicialiter, calore iudicij, accipere possessionem existentem penes dictum non collitigantem, vt dicit *Lacellott. de attentat. a tertio. c. 3. nu. 55. & seqq.* qui mouetur authoritate Fabij, & Mohedani in decisionibus allegatis. Hinc etiam videmus, quod si moriatur vnus ex collitigantibus possessor, si tertius prouideatur, & capiat illam possessionem vacantem, alius superstes collitigans non potest ab eo illam euincere via attentatorum. Quia non dicitur litigiose quo ad ipsum tertiū. *Sarnen. de trien. q. 41. nu. 2. vers. non obstat. Ant. August. in Epit. super reg. de triennali. §. 11. Lancellot. de attent. à tertio. cap. 3. nu. 3. & seqq.* & iste est casus decisionum Io. Pauli, & Mohedani quas allegat Paleotus, qui quicquid dicat, casus est decisus, quod subrogatio non sit danda collitiganti, quando tertius cepit possessionem vacantem, vel non existentem penes collitigantes,

gantes, vt patet ex prædictis.

6 Ratio vero secundi casus, quod subrogatio sit danda collitiganti, quando tertius non collitigans cepit possessionem existentem penes aliquem ex collitigantibus, qui est casus noster, ea est: quia nedum proprietas, sed etiam possessio est in lite, & tertius succedit in dicta possessione litigiosa facto, & in locum alterius ex collitigantibus mediante resignatione, *iuxta not. per Butr. in c. bonæ. num. 15. ante medium, vers. in attentatis autem. de appellat.* quæ duo quando concurrunt, vtique vitium litigiosi transfertur in tertium, vt dictum est ex Præposito, *in d. cap. bonæ. nu. 18. vers. vel aliter potest solui, vsque ad finem. Mohed. dec. 13. & 14. de caus. possess. & propriet.* & admittitur in dictis decisionibus Fabij, Mohedani, & Putei. Et in terminis, quod tertius capiens possessionem existententem penes collitigantem attentet, *est decisio Rotæ 3. vt lit. pend. in nou. Than. dec. 73. Anton. August. decis. 1. lib. 1. Lancellot. de attent. à tertio. cap. 3. nu. 19.* Et propterea in casu nostro sequitur, quod, cum Ioannes Caluo possessor resignauerit, lite pendente inter ipsum, & Iacobum Prats Parochialem, de qua agitur, ad fauorem Valentini prædicti, ipse Valentinus non potest dici triennalis pacificus possessor, quia lis fuit in ipsum translata vigore resignationis, etiam quo ad possessionem, stante maxime constitutione Gregoriana *de publican. resignat. in §. sed ne in beneficijs*, in qua cauetur, quod lis cum resignante, afficiat resignatarium etiam respectu actorum, & sic ei non possunt suffragari verba regulæ, Antiquas lites penitus extinguendo, saltem durante decennio, vt infra dicetur, quia disponunt, quando quis fuit effectus triennalis pacificus possessor, qualis non fuit Valentinus, vt dictũ est.

7 Neque est verum, quod huiusmodi lis fuerit calumniosa, ita vt Iacobus sit exclusus à regula de subrogandis. Nam ita aduitandam calumniam litis ad hunc effectum, sufficit ne dum causa colorata. *Rebuff. super regul. de subrogan. collitigan. glos. 7. num. 3.* & fuit dictum in causa Gerundensi Canonicatus. 14. Maij 1601. coram R. P. D. Ludouisio. Sed etiam causa probabilis. *Ægid. dec. 103. Cassad. dec. 3. de restit. spoliat.* & fuit resolutum in causa Collensi Parochialis. 11. Decembr. 1595. coram bon. me. Cardinali Seraphino. Et propterea licèt vnum ex beneficijs resignatis ex causa permutationis per Iacobum ad fauorem Ioannis esset litigiosum, ex quo deducitur calumnia, tamen cum in supplicatione permutationis, adsit clausula, nec non litis, & causæ si quæ sint, status, & merita, nominaque collitigantium, &c. ex qua clausula censetur facta sufficiens mentio litis. *Gemin. cons. 120. nu. 6. Achil. dec. 9. de rescript. Put. decis. 2. eodem tit.* & fuit pluries resolutum, non est tam clarum, quod Ioannes resignans ignoraret, vnum ex beneficijs cõpermutatis fuisse litigiosum, maxime cum de eius scientia deponant plures testes, qui licèt sint nulliter examinati, negari tamen non potest, quin faciant adminiculum. *Veral. dec. 206. nu. 6. lib. 2.*

8 Minus etiam est verum, quod in omnem euentum Iacobus, qui petit subrogationem, habuit litem pro derelicta, & ad hunc effectum sufficiunt decem anni, propter verba illa regulæ, Antiquas lites penitus extinguendo, quorum sensus est, vt censeantur extinctæ lites, quæ per decennium ante triennium fuerũt motæ secundum quartum intellectum, de quo per *Sarnen. super regula de triennali. q. 61. num. 11. quem Rota probauit, vt per eundem d. loco. num. 19. vers. quæ cum ita sint. Ant. August. in Epit. super hac Regula de possessione pacifica. nu. 11.* Nam fuit dictum, responderi posse, quod tunc sufficiunt decem anni, quando exactis constat de non iure. Quia tunc lis censetur habita pro derelicta. *Achil. dec. 3. & dec. fin. n. 3. vt lit. pend. Put dec. 15. & dec. fin. eod. titul. Lancellot. de attent. 2. par. cap. 4. de attent. lit. pend. in præfat. num. 275. & seqq.* & fuit resolutum in causa Vrgellensi Canonicatus 15. Maij 1592. coram R. P. D. meo Decano, per decis. Cassad. 5. vt lit. pend. quæ ita declaratur; & istud est fundamentum, ex quo datur ille intellectus Regulæ, vt videre est ex Sarnen. loco allegato. Hic autem ex actis non constat de non iure Iacobi, & propterea isto casu requiruntur triginta anni. *Achil. dec. 7. num. 3. & dec. fin. nu. 7. & seqq. vt lit. pend.* Sed omissa hac disputatione, de qua non est opus, firmiter fuit responsum, quod hic non effluxit decennium, quia vltimus actus inter Ioannem Caluo resignantem, & Iacobum resignatarium fuit de mense Decembr. 1601. & Valentinus obijt de mense Iunij 1610. maxime quia etiam intra dictum tempus Iacobus petijt subrogationem, nempe de mense Iulij eiusdem anni 1610.

9 Neque obstat, quod subrogatio non est concedenda intruso, vt expressè legitur in regula, & dicit *Rebuff. super eadem regula glos. 4. & Mandos. etiam super eadem regula, quæ est 39. q. 4. Gigas de intruso. nu. 68.* Nam fuit responsum, quod cum intrusio Iacobi deducatur ex eo, quod fuit immissus ab exequutore vigore literarum resignationis, ista non potest dici intrusio, de qua in regula. *Gig. præcitato loco, nu. 78. Mandos. dicta q. 4. nu. 3.* Et in omnem euentum, quicquid sit, an Iacobus ab initio fuisset intrusus, satis est ad effectum subrogationis, quod non sit intrusus de tempore, quo eam petit, vt per *Sarnen. in dicta regula. subrog. q. 18. un. 3. Gig. de Intruso. nu. 8.* & fuit dictum in allegata causa Collensi parochialis. Quod autem Iacobus hodie non sit intrusus, satis patet, cum vsque de anno 1601. Io. Caluo obtinuerit manutentionem.

10 Denique non obstat, quod Iacobus Prats non petijt subrogationem intra mensem, iuxta tenorem regulæ de subrogan. quia, quicquid sit, de hoc cum subrogatio non fuerit data tertio, non videtur per dictã regulam fuisse præfinitum tempus Iacobo collitigãti ad illam petendam, vt fuit resolutum in eadem cau. Collensi, Parochialis, & in causa Pampilonensi, Abbatiæ 20. Iunij 1603. coram R. P. D. Ludouisio, & coram me in causa Hispalensi præstimoniorum. 6. Iunij 1607. Mensis enim, de quo in regula, non intelligitur à die obitus collitigantis, iuxta opinionem Alphonsi Soto super hac regula in princ. *& Sarnen. ibidem q. 1. in principio, & q. 10. vers. sed maior est difficultas, & Mandos. super eadem regula, q. 2. per totum.* Sed mensis incipit currere secundum opinionem Rotæ à die subrogationis concessæ certio, vt per *Put. dec. 141. & 144. libr. 3. & dec. vnica. tit. de subrog. Achil. pariter dec. vnica, eod. tit. Ant. August. in Epit. super regula de subrogan. §. vlt.* quæ opinio Rotæ est conformis verbis regulæ, dum inquit voluit, quod si collitigantem in ius, vel ad ius subrogari concesserit, aliorum impetrationes, vel concessiones intra mensem ante concessionem huiusmodi, nullius sint roboris, vel momenti. Et sic impetrationes ante concessionem huiusmodi, scilicet factam collitiganti, quia dictio, huiusmodi, est repetitiua præcedẽtium. *gl. in cap. si Abbatem. §. huiusmodi, in dict. verbo, de elect. in 6.* & ita in terminis fuit resolutum in dicta causa Hispalensi præstimoniorum, coram me; & propterea cum subrogatio adhuc non sit concessa tertio non est agendum, an intra mensem, vel post, Iacobus superstes petierit subrogationem, vt dicitur in allegatis decisionibus.

R. P. D. PIROVANO.

Romana Spolij Vineæ. Lunæ 20. Iunij 1611.

ARGVMENTVM.

Fructuum liquidatio, quomodo fieri debeat plura notanda, de quibus in Summario.

SVM-

SVMMARIVM.

Fructuum liquidatio probatur ex eorum descriptione in causa principali, quam facit iudex, vt certam super illis ferre possit sententiam, nu.2.

Fructus præsumuntur percepti in ea quantitate, in qua constat eos perceptos fuisse annis præteritis, nu.3. & 4.

Fructus liquidandi modus à iure approbatus qualis sit, n. 4.

Fructuum liquidatio est difficilis probationis ideo in ea leues sufficiunt probationes, & coniecturæ, nu.6.

Testis vnicus non probat. nu.5.

Fructuum qualitas ex bona, vel mala cultura mutari potest, & ideo non censetur probata ex eo, quod vicini fundi reddere soleant, nu.5.

Pretium iustum dicitur illud, quod à principe taxatum est, numer.6.

Vini valor probatur per taxam Illustrissimi Domini Vicarij Vrbis num.6.

Fructus debentur à die motæ litis, nu.7.

Libello generali proposito potest actor absque nouo instantia quamcunque actionem in generalitate comprehensam attendere.num.8.

Commissio vt iudex procedat cum auctoritate Rotæ, non facit causam commissariam, nu.9.

DECISIO CCCXXXII.

1 PRoposui dubium die Veneris 15. Aprilis præteriti, ad quam summam probarentur ascendere fructus percepti per Francionum ex vinea, ad cuius possessionis redintegrationem Modernus erat admittendus ob nullitatem subhastationis, & Domini dixerunt, liquidationem esse faciendam iuxta descriptionem, & secundum taxam minorem Illustrissimi Vicarij respectu partis vineæ, non melioratæ die motæ litis. Verum quia fuit reseruatum videre, de quo tempore mota erat lis, & descriptio, fructuum facta reperiebatur duntaxat pro tribus annis, cum tamen eorū collectio prætenderetur ab anno 1605. vsque ad annum 1610. hodie proposui partem dubij reseruatam. Et Dominis placuit, fructus deberi ab anno 1605. & pro annis in quibus fructus descripti non reperiuntur esse liquidandos, iuxta ordinam datum mihi ponen.

2 Et quo ad decernendam quantitatem fructuum, libenter amplexi sunt descriptionem fructum iudicialiter factam ad instantiam Moderni actoris, quæ ad eum effectum solet fieri in causa principali, vt super illis absque alia liquidatione, seu probatione possit certa, & determinata sententia ferri secundum *Bart. in l.1. eligitur. ff. de ventr. in possess. mitten. per illum text.* ibi obsignare non debere, sed tantum pernumerare, hoc est, describere, quem sequuntur *Papien. in sua praxi, sub rubr. de forma sequestr. num.1. Salicet. in l. 1. num. 3. in fin. C. de prohibit. sequestr. Anchar. qq. fam. q.47. nu.16. par.1. Aufr. ad Cappel. Tholos. 478. nu.5. Latissime Bursatt. consil.188. num.7. vol.2.*

3 Et quamuis duntaxat pro annis 1606. 1608. 1609. facta talis descriptio reperiatur, tamen placuit ex eis posse desumi probationem pro annis 1605. & 1607. descriptione carentibus computato sterili anno cum fertili, cum non agatur formaliter de probanda perceptione, sed quantitate, quia bona hæc, super quibus erat cōmissum spoliū de sui natura erant fructifera, vt animaduertit *Neguss. de pignorib. in 2. membr. par.3 num. 19. versi. sed in hoc posset dubitari*, quem sequuta Rota in Perusina Liquidationis fructuum coram R. P. D. Coccino 13. Ianuarij 1609. Vnde à consuetis quantum ager in illis tribus annis reddiderit bene, concludit probatio. *Angel. in l. si fundum. in fin. Cod. de rei vendic. Achil. decis.22. de restit. spoliat. Natt. consil. 510. numer. 4. versic. sed Angelus, & 536. numer. 5. Surd. consil. 293. num.31. volum.2.* præsumitur enim perceptum, quod communiter consueuit percipi. Idem *Bald. in consil. 423. in fine, lib.2.*

4 Demum pro anno 1610. fuit dictum ex presumpta quantitate, & anno percipien. secundum mensuram annorum præteritorum, ex quinque partibus duas Franciono esse remittendas, propter informationem sterilitatis vinearum in ea regione, quam habet Domini, & secundum quam potest quantitas fructuum liquidari, cum sit modus à iure approbatus, *Bal. cons. 323. nu.4. vol.2. Ang. in §. omnium nu.14. Instit. de act. Bertran. cons.273. nu.10. vol. 4. cum alijs alleg. per Surd. cons. 293. num.31. vol.2.*

5 Non obstat, quod quantitas fructuum articulata per Madernum probetur etiam testibus, quibus standum videtur, & si minus concludenter deponant, cum in hac materia, quæ est difficilis probationis sufficere debeant leues probationes, & coniecturę. *Bald. l.1. num.22. C. de fruct. & lit. expens. & consil. 323. num. 4. volum.2. Achill. dec.22. de restit. spoliat.* Quia fuit responsum, quod vnus tantum testis de consueto vineę articulatæ deponit, videlicet secundus primus vero, & tertius deponunt de vicinis, & adiacentibus vineis, & omnes adijciunt multas conditiones, quando videlicet vineæ sunt bene, & opportunis temporibus cultæ, quæ non verificantur. Vnde respectu vineæ controuersæ ex vnico teste, probatio non est sufficiens, *l. vbi numerus, ff. de testibus leg. iusiurandi, C. eodem tit. Gabriel. consil.94. numer.3. & 146. num.12. volum.2.* & respectu vicinarum alij testes non concludunt, quia prædiorum qualitates ex bona, vel mala cultura mutari potuerunt, vt considerat *Cagnol. in leg.2. num.233. versic. & prædictis rationibus, Cod. de rescindend. venditio.* & eam pro sufficienti Rota non habuit in terminis liquidationis fructuum in vna Papien. fructuum coram Robusterio, quæ est inter impressas 245. parte secunda.

6 Dixerunt Domini secundo loco valorem vini esse liquidandum secundum taxam minorem Illustrissimi Vicarij, cum illud iustum dicatur pretium, quod à Principe taxatum reperitur. *Cæpoll. Veronen. de simulat. contract. præsumption. 2. num. 8. Cagnol. in leg. 2. num. 25. & 269. C. de rescinden. vendit. Couar. variarum resolut. cap.9. num.6. in fine. Velasc. cons.43. num.14. tom. 1.* & sępe Rota approbauit, hunc modum liquidandi valorem, vt in vna Imolen. Tutelæ 33. Octobris 1595. coram Illustrissimo Pamphilio, & in Perusina Liquidationis fructuum 12. Ianuarij, coram R.P. D. Coccino & in alia Perusina Liquidationis, coram R.P.D. Pegna Decano, 1. Martij 1610.

7 Postremo fuit dictum, fructus deberi à die motæ litis, quod & inter partes controuersum non erat, & probatur *in leg.3. de interdict. Alexand. in l. Nesennius, §. fundum, num.4. de re iudic.* & pluribus fuit confirmatum in Romana Fructuum Pertarum 20. Nouembris 1585. coram Gipsio, sed controuertebatur à quo tempore, quod vt supra fuit dictum placuit Dominis habuisse initium ab anno 1605. 16. Septembris. Nam Madernus eo die citauit Francionum, ne auderet aliquid in vinea innouare attenta nullitate deliberationis, qui ex aduerso comparuit, & instituit nihil fieri contra eum nisi seruatis seruandis, vt in Summario Maderni, *numer.* 1. Ex huiusmodi autem citatione, & negatione satis de existentia litis apparere dicitur, quia concurrunt requisita ad litem inducendam, de quibus per *Guido Papæ dec.488. per totum.*

8 Nec releuat, quod Madernus proposita nullitate subhastationis ex capite incapacitatis licitantis remedium redintegratorium prosequutus fuerit, & cōsequenter nouum iudicium, à quo tempore duntaxat fructus veniunt restituen. Quia fuit dictum nullitatem subhastationis fuisse in genere oppositam, quæ cum potuerit varijs modis exerceri tam ratione incapaci-

pacitatis personę, quam iudicis nulliter procedentis, potuit Madernus intentionem suam quibuscunque mandatis absque noua instantia defendere. *l. 3. in fin. ff. de appellat. Fran. in cap. dilecto. de appellat. nu. 46. Vant. de nullit. tit. quot, & quibus modis. null. prop. possess. num. 105. & sequentib.*

9 Cessat etiam difficultas nouæ Commissionis impetratę à Maderno, quia ex ea non extinguitur lis primo intentata, nec nouum iudicium super spolio introducitur, sed tantum mandatur procedi cum voto Rotę, quod non tollit Ordinariam iudicis facultatem, & consequenter, non facit iudicem de ordinario delegatum, ita vt lis à Commissione trahat initium. *Dec. cons. 404. num. 10. vers. non obstat ergo. Felin. in cap. eam te. num. 16. versic. si Papa. de rescript. Roman. cons. 285. num. 2. Boer. dec. 151. num. 6. Mandos. in gloss. faacult. §. sitque. verb. ordinarius. in fine.* Atque ita fuit resolutum, &c.

R. P. D. PIROVANO.

Comen. Præpositura. Lunæ 20. Iunij 1611.

ARGVMENTVM.

Quando Papa confert beneficium alicui, vti reseruatum Sedi Apostolicę, numquid prouisus teneatur gratiam iustificare, quod scilicet beneficium esset reseruatum.

SVMMARIVM.

Prouisus Apostolicus Motu proprio, non indiget iustificatione gratiæ, quod beneficium esset reseruatum stante narratiua Papæ, quod est reseruatum. nu. 1.

Papæ narratiuæ factæ in gratia Motu proprio expedita, standum est etiam de facto alieno nu. 1.

Papa quando contulit beneficium, vt reseruatum, ex eo quod vacabat propter mortem Protonotarij, & cum clausula, dummodo hac vice collatio ad nos spectet, tunc prouisus debet iustificare, quod dictum beneficium esset reseruatum. nu. 2.

DECISIO CCCXLIV.

1 FVit conclusum, non esse Domino Theoldo adiudicandum beneficium, quamuis docuerit, se habere collationem ab ordinario, tanquam de vacante in mense Iunij, quod semper est ordinarij, siue gaudeat Episcopus alternatiua, siue non gaudeat. Habet enim D. Turrianus prouisionem Apostolicam de huiusmodi beneficio vti de reseruato vacan. per obitum Annibalis Carcaui Protonotarij Apostolici, qui alia iustificatione non eget, dum gratia Motu proprio fuit expedita, & eo casu narratiua Papæ, etiam quod sit de facto alieno, & in ea fundetur dispositio, probat reseruationem ad effectum saltem releuandi prouisum Apostolicum ab onere probandi narrata. *gloss. in Clement. prima. verbo fecisse narramus de probationibus. Alexand. consil. 112. nu. primo. lib. septimo. Oldrad. cons. 258. Plene Gabr. de probat. conclusione secunda. nu. 55. vers. 3. limit. Put. dec. 101. lib. 3. Achil. dec. 10. de probat. Mynsinger. centur. 5. obseru. 34. num. 7. & sequentibus.* Constito autem de reseruatione, vel saltem non probata per D. Theoldum falsitate narratorum per D. Turrianum collatio ordinarij non valuit, quia in reseruatis non potuit se intromittere.

2 Non obstat, quod Papa voluerit conferre Preposituram, vt reseruatam propter Protonotariatum, vt apparet ex clausula dummodo hac vice collatio ad nos spectet, & considerarunt Domini in Salamantina Portionis. 5. Decembris Ann.... coram Gipsio, & in Romana Clericatus Sancti Petri. 27. Nouembris 1602. coram bonę memorię Cardinale Pamphilio, & in Conimbricen. Canonicatus 9. Maij 1607. coram Reuerendo Patre Domino Ludouisio. Ita vt reseruatio videatur plene probanda, ne Motus proprius operetur aduersus intentionem concedentis. *Gabr. de claus. concl. 2. nu. 20. & 24.* Quia fuit dictum, ex facto cessare obiectum dum huiusmodi clausula non legitur in literis Domini Turriani.

REVERENDISS. P. D. ATTREBATEN.

Romana Palatij. Mercurij 22. Iunij 1611.

ARGVMENTVM.

Soluens iussu iudicis an, & qando ab obligatione liberatus censeatur.

SVMMARIVM.

Solutio iussu iudicis liberat soluentem ab omni obligatione. n. 1. Declara, vt nu. 2. & seqq.

DECISIO CCCXLV.

1 DOmini inhęserunt decisis in hac causa die 4. mensis Martij, proxime preteriti, quia promissio D. Caroli de soluendis Scutis quatuor millibus creditoribus Alexandri in tot bonis, & iuribus, est clara, & Camerali obligatione vallata. Ad euitandam autem huiusmodi obligationis executionem opponit, quod soluerit hanc summam Iulię vxori Alexandri creditrici anteriori, ratione suarum dotium, idque de mandato iudicis, quę solutio tribuit plenam liberationem *Bart. in l. creditor. in fine. ff. de solut. l. ait. prætor. §. 1. ff. de minorib.*

2 Verum ad hoc vt iussus iudicis liberet, necesse est vt constet, eum cui soluitur esse creditorē. Sed hic Domina Iulia receperat solutionem per assignationē in bonis mobilib. & certis domib. in quib. declarauerat se velle solutionem fieri, & quamuis huiusmodi assignatio fieret, vt pretenditur, temporalis pro recuperatione dotis ob vergentiam viri ad inopiam, dos autem deberetur in pecunijs, tamen quicquid sit de eo, an potuerit variare, nihilominus tenebatur reddere rationem, & facere restitutionem mobilium, & bonorum, quę habuerat, nec facit, quod illa fuerit euicta à filijs Alexandri, & Iulię vigore eiusdem fideicommissi, & donationis D. Hieronymi Gabrielis ad fauorem eorum factę, quod nullibi constat de aliqua euictione sed tantum de nuda declaratione, quod post obitum patris indebant retinere dicta bona vigore facultatis in donatione concessę, abrogato pretenso assignandi, si quod factum fuerat de dictis bonis, pro dote, & iurib. dotalib. D. Iulię, eorum matris, quę declaratio nō potest importare euictionem bonorum assignatorū D. Iulię, quia assignatione stante, non possidebantur per Alexandrum tempore mortis, ita vt filij possent eorum possessionem retinere preterquam quod ante omnia erat discutiendum de iuribus fideicommissi, nec non de identitate bonorum, quę omnia, vt requirentia altiorem indaginem, erant proponenda coram iudice, atque illius cognitioni permittenda.

3 Secundo tenebatur Dominus Carolus denunciare molestias omnibus creditoribus, vel eorum legitimo procuratori, non autem Melciadi Gualterio tantum, qui non erat procurator omnium, cum inter ceteros adesset soror Hieronyma de Grassis monialis domus Pię, quę erat certa creditrix nominata in testamento emptionis Palatij, quod cum non fecerit, sponte soluisse censetur.

4 Tertio debebat resistere ne solueret, & apponere omnes exceptiones competentes. Alias enim non facta resistentia præsumitur spontanea solutio, vt fuit deductum in causa Pistorien. pensionis 24. Nouembris 1603. coram R.P.D. meo Decano, quæ in proposito eo magis procedunt, quia ipsomet D. Carolo instante fuerat satisfactum Iuliæ, per supradictam assignationem. Quare cum hanc exceptionem haberet ex propria persona omnino debebat illam allegare, iuxta textum *in l. idemque §. generaliter. ff. mandati. cum alijs per Alex. cons. 57. nu. 1. vers. & non videtur excusandus, vol. 1.* & fuit ponderatum in Aquilana releuationis indemnitatis 28. Iunij 1577. coram bonæ memoriæ Oriolen. *quæ est diuers. 113. nu. 19. p. 1.* Ex quibus retorquentur duæ conclusiones D. Caroli, vna quod vbi notorie constat de iniustitia euincentis, non est necessaria denunciatio, altera quod ipse habet cessionem D. Iuliæ, vigore cuius prætendit retentionem, quia prætensiones D. Iuliæ visæ fuerunt adeo turbidæ, vt D. Carolo, & creditoribus multa suppeterent, quæ contra eas apponerent, nedum vt possint dare exceptionem, & retentionem contra intentionem creditorum ad D. Carolum, Et ita fuit resolutum.

R. P. D. PIROVANO.

Burgen. Iurisdictionis. Mercurij 22. Iunij 1611.

ARGVMENTVM.

Sicut Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Sede vacante succedit in iurisdictionalia Episcopi, & in ius visitandi, ita etiam Sede vacante per mortem Abbatis habentis iurisdictionem quasi Episcopalem, Capitulum Collegiatæ succedit in iurisdictionem dicti Abbatis, & ius visitandi, & quid si tale ius Abbati competebat ex præscriptione, vel priuilegio.

SVMMARIVM.

Abbas habens iurisdictionem quasi Episcopalem, & territorium separatum, potest eam in Ecclesijs sibi subditis exercere, prout exercet Episcopus in sua Diœcesi, & territorio, nu. 1.

Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Sede Episcopi vacante succedit in iurisdictionalia ipsius Episcopi, & etiam in iure visitandi. nu. 2.

Capitulum Collegiatæ Sede Abbatiali vacante, succedit in iure visitandi suo Prælato spectante. num. 3. Et quid si ius visitandi competebat Abbati mortuo ex præscriptione, vel priuilegio, an tunc Capitulum in ius illud succedat. num. 4. & 5.

DECISIO CCCXLVI.

1 PRoposui dubium, an Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ de Couarruuias, Sede Abbatiali vacante, possit visitare Parochialem Ecclesiam Sancti Thomæ eiusdem oppidi. Et Domini cum præsupposito, quod Abbas habeat ius visitandi resoluerunt, illud competere Capitulo Abbatiali vacante. Nam cum dictus Abbas de Couarruuias habeat iurisdictionem quasi episcopalem, & territorium separatum, & eam in Ecclesijs sibi subditis exercere possit, prout exercet Episcopus in sua Diœcesi, & Territorio per ea, quæ tradit *Abb. in c. sicut venire. nu. 3. de excess. Prælat. & in cap. Ioannes, nu. 2. de testam. Card. cons. 47. in princip.*

2 Consequitur, quod quemadmodum Capitulum Ecclesiæ Cathedralis succedit in iurisdictionali sede Episcopi vacante, *cap. cum olim. de maior. & obed. vbi Abb. num. 2. & Bald. in princip. Federic. de Sen. consil. 16. num. 2. vers. item potest Capitulum. Pauin. de potest. Capit. Sed vacan. p. 1. q. 7. nu. 3.* & in iure visitandi, tanquam de iurisdictionalibus dixerunt Domini in causa Burgen. Procurationis 10. Martij 1597. coram Orano.

3 Eadem ratione, vt Capitulum Collegiatæ Sede Abbatiali vacante succedit in iure visitandi suo Prælato spectanti, quod est de pertinentibus ad iurisdictionem, *c. conquerente. de offic. Ordinarij c. 1. §. hanc autem de censibus in 6.* Et in terminis Ecclesiarum inferiorum *est tex. in cap. his, quæ 2. respons. de maiorit. & obedient. & firmarunt Abbas in d. c. nu. 2. post alios alleg. Felin. dicens communem cum Abb. ibid. num. 2. & secundum Pauin. de potestat. Capit. Sede vacan. d. q. 7. vers. septima sedes est Abbatialis.*

4 Non obstat si Abbati ius visitandi cōpetebat, quod illud duntaxat competere poterat ex præscriptione, vel priuilegio, cum ius visitandi de iure pertineat ordinarijs priuatiue quod inferiores Prælatos existentes in Diœcesi eorum. *Sarmient. post alios select. interpretat. lib. 3. cap. 15. Mandos. cons. 35. num. 8. & 37. num. 11.* Et ea quæ de iure speciali conceduntur ad capitulum non solent transire *Abb. in capit. cum olim. num. 2. de maior. & obedien. in 5. q. & ibidem Felin. num. 5. & 6. Rebuff. in praxi tit. de deuolut. nu. 68.*

5 Nam prædicta visa sunt non vrgere, tum quia eo argumento non obstante. *Felin. in d. c.* dixit communem opinionem in contrarium, tum etiam, quia obiectum videtur procedere in auctoritate legata, & nomine Sedis Apostolicæ, prout vere loquuntur *Abb. in d. c. cum olim.* & alij allegati, quod non conuenit cum iurisdictione ordinaria, & quę exercetur per Abbatem nomine proprio.

6 Ad vltimum vero obiectum de iurisdictione Archiepiscopi Burgen. priuatiue quo ad Abbatem, & Capitulum nihil fuit dictum, quia cum præsupposito Domini transierunt, quod Abbas habeat ius visitandi, vt in princ. fuit dictum super quo poterunt particulariter audiri si opus erit.

R. P. D. VBALDO.

Barcn. Beneficij Veneris 1. Iulij 1611.

ARGVMENTVM.

De probatione Iuris patronatus per quasi possessionem presentandi, ac de probatione filiationis per tractatum, & reputationem, nonnulla notanda, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Iuris patronatus quasi possessio probatur per vltimam præsentationem effectuatam. nu. 1.

Iuris patronatus quasi possessio releuat ab onere probandi descendentiam à primo fundatore. nu. 1. in fine.

Filiatio probatur per tractatum, & reputationem, iuncto actu filiationi proportionato. nu. 2.

DECISIO CCCXLVII.

1 CVm vacaret per obitum cuiusdam Sabbini beneficium simplex de Iure patronatus laicorum, fuit ad illud presentatus Iulius quidam à Francisco, & Magistri Angeli, nec non à Ioanne Dominico, & Angela alijsque quinque assertis patronis, vt patet ex instrumento præsentionis, dato in Summario, num. 2. Sed cum ex aduerso alij pretendentes etiam Ius patronatus in eodem beneficio presentassent Vincentium de Cioncis, causa Rota introducta proposui dubium, an constaret de Iure patronatus eorum, qui Iulium presentarunt, & Rota eo solum Informante censuit constare quo ad predictos Franciscum, Ioannem, Dominicum, & Angelam. Nam vt Franciscus de anno 1571. presentauit Sabinum,

in d.

in d. Summario. num. 1. per cuius obitum vltimo loco vacauit beneficium, vt dictum est, ex quo probatur effectuatio præsentationis, iuxta cons. Oldr. 229. Sæpe in Rota canonizatum, & sic Franciscus est in quasi possessione præsentandi, & consequenter ad eū pertinet ius præsentandi, *cap. consultationibus. de Iure patronatus. Rot. dec. 14. in antiq. & dec. 7. in nou. eod. tit. Put. dec. 189. lib. 1.* que quasi possessio etiam releuat eum ab onere probandi descendentiam à primo fundatore, vt fuit pluries decisum, & nouissime in causa Firmana Iuris patronatus 13. Maij, proximè præteriti coram Illustrissimo D. meo Cardinale Lancellotto.

2 Quod verò pertinet ad Ioannem, Dominicum, & Angelam illi sunt filij, & hæredes Abraham, vt dicunt testes in Summario, nu. 3. qui deponunt de communi tractatu, & reputatione, ex quibus filiatio probari solet. *gl. in cap. Michael. de fil. presbyter. cap. per tuas. de prob. Butr. in cap. transmissæ. sub nu. 10. vers. quandoque adest. qui fil. sint legitim. Castr. cons. 151. lib. 1. Alex. cons. 25. sub num. 10. lib. 4.* præsertim iuncto actu proportionato filiationi, videlicet, quod sunt hæredes dicti Abraham. Ruinus consilio 53. numero sexto. & septimo. libro quinto. Abraham vero ille de dicto anno 1571. vna cum dicto Francisco fratre suo præsentauit dictum Sabinum, vt constat ex dicto instrumento præsentationis, & fuit ita decisum quo ad istos constare de Iure patronatus. Quo ad alios verò qui Iulium præsentarunt nulla fuit data probatio.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. CARD. LANCELLOTTO.

Parisien. Pecuniaria Veneris 1. Iulij 1611.

ARGVMENTVM.

Remissoria in profanis etiam absque fumo conceditur, quando articuli sunt releuantes. Releuantes autem dicuntur, quando faciunt aliquod adminiculum, Nec præsumpta calumnia impedit concessionem remissoriæ, quando datur fumus, & semel concessa, iterum conceditur ex causa.

SVMMARIVM.

Remissoria in profanis passim conceditur absque fumo, quando articuli sunt releuantes. nu. 1.

Mercatores tenentur exhibere libros etiam pro eorum memoria confectos, probata existentia, & interesse petentis illos exhiberi. nu. 3.

Fides non facit fidem in probatione styli, qui propterea formiter probari debet. nu. 4.

Remissoria non facile denegatur propter præsumptam calumniam præsertim quando datur fumus. nu. 6.

Remissoria non retardatur per exceptiones testibus examinandis datas. nu. 7.

Remissoria semel concessa quandoque etiam iterum conceditur ex causa. nu. 8.

DECISIO CCCXLVIII.

1 Domini dixerunt dandam esse Remissoriam, quæ in profanis passim conceditur, etiam absque fumo, quando articuli sunt releuantes. *Cassad. dec. 2. de dilat. Cæsar. de Grass. dec. 1. eod. tit. nu. 10. Put. dec. 334. in fin. lib. 2. Caputaq. dec. 68. p. 3.* & sæpe decisum fuit.

2 Et tamen in hoc casu vltra releuantia datur etiam magnus fumus ex testibus, qui metu excommunicationis deposuere, dicentibus, quod Epistola, de qua agitur, fuit scripta à Bartholomeis anno 1589. & quod in illa liberatur Oricellarius ab omni eo, quod Bartholomæi prætendere poterant super schedula Scutorum viginti millium, quæ illis antea à Naso fuerat consignata, respondendo omni, & cuicunque hypothecę, & quod talis epistola reperitur registrata in quodam libro appellato Copia di lettere, ex quibus resultat etiam releuantia. Nam si pro parte Syluiæ probetur, Bartholomæos de anno 1589. scripsisse predictam epistolam, & quod illam registrarunt in libro dicto Copia di lettere, quodque literæ registratæ in dicto libro habuerunt suum effectum, Oricellarij essent liberati à molestijs Bartholomæorum, quibus sublatis Syluia poterit facilius exigere suum creditum.

3 Neque obstat, quod mercatores non teneantur exhibere libros pro eorum memoria confectos, quia contrarium verius est de æquitate Canonica, & iuxta stylum Rotæ, quæ vbi constat de interesse partis probata existentia, cogit ad exhibendum. *Rot. decis. 5. de probation. in nou.* & fuit resolutum in causa Ariminen. Castrorum. 21. Aprilis 1597. coram bonæ memoriæ Cardinale Seraphino, & in causa Sublacen. Bonorum 18. Nouembris 1603. coram bon. mem. Litta, quod maxime procedere debet in casu isto, vbi non requiritur totalis perquisitio librorum, sed destinatus locus, & pagina.

4 Prout non obstat, quod libri continentes copias literarum non probent post biennium, vt ex fide, quæ datur, quia fides non facit fidem, maxime cum sit valde exorbitans, & propterea stylus debet firmiter probari, vt fuit resolutum in causa Aretina Spolij prima Iulij 1604. coram R. P. D. meo Coccino.

5 Neque etiam obstat, quod non constet de præsentatione epistolæ, quia prætenditur probari consuetudo, quod in huiusmodi libris, maxime solent registrari literæ, quæ alias non sint transmissæ, & præsentatæ imo etiam prætenditur probari præsentatio obseruantia, & alijs circumstantijs, sed nihilominus etiamsi non probaretur præsentatio literarum tamen negari non potest, quin illæ etiam non præsentare faciant magnum adminiculum, quod sufficit pro releuantia probationis.

6 Non obstat suspicio calumnię, & timor subornationis, quia vltra quod nullibi adest calumnia, nihilominus propter presumptam calumniam non facile denegatur Remissoria. *Ægid. dec. 624.* & fuit dictum in causa Aridunen. Fructuum 16. Nouembris 1605. coram me, & maxime quando datur fumus.

7 Quæ dicuntur de exceptionibus contra testes non releuant, quia sub huiusmodi pretextu non retardatur examen, saltem cum clausula saluis exceptionib.

8 Neque obstat, quod Remissoria fuerit semel concessa, tum quia ille fuerunt litere compulsoriales ad extrahendum iura, non autem remissoriales pro examinandis testibus. Tum quia ex causa solet etiam cōcedi secunda, precipuè autem quando vigore primę testes non fuerunt examinati. *Peregr. dec. 47. lib. 3. p. 3. Rot. dec. 11. de probat. in antiq.* & fuit resolutum in causa Bergomen. Legati 7. Iunij 1602. coram Reuerendissimo Attrebaten.

R. P. D. PIROVANO.

Tirasonen. Canonicatus. Veneris 1. Iulij 1611.

ARGVMENTVM.

Instrumenta in partibus compulsata, quando dicantur extracta ex originalibus, & Protocollis, quomodo hoc probetur, & quando sint in forma probanti.

SVMMARIVM.

Instrumenta, & scripturæ quando dicantur extractæ, non ex simplici registro, sed ex originalibus libris, & Protocollis num. 2. & 3.

Protocollum dicitur liber originalis, in quo Notarius extendit instrumenta rogata. nu. 3.

Instrumenta desumpta ab originali registro, & ab eo exemplata bene probant. nu. 3.

Episcoporum collationes de iure præsumuntur, rogatæ à Notarijs per tempora regentibus Scribaniam Episcopalem, numer. 4.

Instrumenta extracta vigore compulsorialium, & pro authenticis admissa plenam inducunt probationem. nu. 5.

Archiui authoritas non potest supplere imperfectionem scripturarum. Declara, vt nu. 6.

Subscriptio Notarij, & sigillum non sunt de substantia primæ matricis instrumenti, dummodo in eo adsint testes numer. 6.

Episcoporum literæ requirunt Episcopi subscriptionem, & sigillum, nu. 7.

DECISIO CCCXLIX.

1 CApta resolutione collationes esse bene extractas, exinde emanauit alterum dubium, an eædem essent informa probantis, & his eo proposito nihil resolutum fuit, quia partes circa factum obscure versabantur, demum repropostito fuit dictum collationes esse in forma probanti, quia originale registrum à quo extractæ fuerunt memoratæ collationes, & prouisiones Domini reputarunt procollum seu originalem librum, in quo Notarij per tempora Scribanias Regentes rogita collationum extendebant.

2 Primo in attestatione Notarij in iudicio compulsoriali, quæ datur in Summario num. 5. habentur hec verba, fuerunt comprobata, & collationata dicta publica instrumenta, & literæ, & scripturæ compulsatę & extrahi mandatæ cum suis originalibus libris, registris, & protocollo, ex quibus patet non tractari de scripturis ex simplici registro de sumptis, sed extractis ex originalibus libris, & protocollis, quæ sonant in instrumenta, & probant, capite cum P. Tabellio. de fide instrum. *Cyn. in l. contractus in l. vltima q. Cod. de fide instrum. Bart. in l. si quis ex argentarijs, §. 1. ff. de eden. Spec. in tit. de instrum. edit. §. ostenso. num. 15. versic. illud quodque. cum seq.*

3 Et quamuis Notarij regentes Scribanias in eorum subscriptionibus alijs dicant prædicta instrumenta extraxisse à suo originali libro, seu registro Secretariæ, alij à suo originali registro, non tamen videtur iudicandum registrum copiarum, propter verbum originali additum, quod conuenit protocollo, vel libro rogationum, in quo instrumenta à Notarij extenduntur.

Nam *Bart. in l. si quis ex argentarijs, §. si initium. il 2. num. 3.* appellat protocollum originalem librum. *Bal. vero in rubr. C. de fid. instrum. n. 39. Bero cons. 1. nu. 5. vol. 2.* illud extensum in libro rogationum non habent pro scriptura originali, sed pro desumpta, propterea conueniunt verba illa Notarij dicentis, seu registro, & à suo originali registro, tanquam à secunda scriptura, quæ dicitur liber rogationum, & ex vtraque exemplata instrumenta bene probant. *Bero. dict. consil. 1. num. 5. vol. 2. Auth. de Tabellione. §. illud Alexand. cons. 105. in princip. vol. 2. & cons. 79. num. 4. vol. 5. Felin. in cap. pastoralis, num. 4. de iudic. & in c. quoniam contra. de probationibus, numer. 10.*

4 Secundo huiusmodi collationes, si iuris præsumptione censetur rogatæ à Notarijs per tempora regentibus Scribaniam, vt fuit resolutum in causa Virasonen. Cappellaniæ coram Reuer. P. D. Pamphilio 2. Maij 1608. eo quia soleant se rogare de omnibus gestis coram Episcopo, & non extraneæ personæ, sequitur necessario dicendum eas fuisse extractas à protocollo, & matrice, & non à libro copiarum, quia Notarij attestantur de originalibus registris exemplasse, quia verba non conueniunt simplici exemplo scripturæ, quod originale non dicitur, quando authenticum iuris præsumptione potest censeri reconditum, & conseruatum in Archiuo.

5 Tertio prædicta satis comprobantur ex instrumẽtis possessionum collationum prædictarum, quæ cum fuerint in actis deducta per Hieronymum, & sint in forma probanti, quia vigore compulsorialium extracta, contineantque tenores collationum videtur cessare omnis hæsitatio tum, quia concordant cum exemplatis per Scribas, tum quia pro authenticis fuerunt admissa, & secundum illorum tenorem obseruata, quod sufficit secundum *Bald. Cin. Ias.* etiam quo ad dandam fidem instrumento minus solenni, de quibus per *Crauett. consil. 101. num. 4. cons. 158. nu. 1. Becc. consil. 103. num. 26. Ioseph. Ludouic. sua conclus. 38. versic. infertur 4.*

6 Non obstat, quod instrumenta collationum, quæ fuerunt exemplata in forma literarum patentium in fine cuiuslibet earum habeat illa verba, in quorum fidem præsentes literas, siue hoc præsens instrumentum manu nostra subscripta, & sigillo munitas cõcessimus, & tamen nec subscriptio, nec sigillum legitur in exemplis. Vnde videtur dicendum, vel quod resignatio sit imperfecta, vel quod non extent in libris collationes originales, quibus supplere non potest Archiui auctoritas, nec scribarias regens, ad quem pertinet duntaxat, dare transumptum iurium, prout in Archiuio. *Verall. decis. 41. part. 1.* cum alijs allegatis per Informantes pro Alphonso. Nam ad hæc fuit responsum, quod cum non agatur de registratione alterius scripturæ, sed de originali scriptura in Archiuo conseruata cessat primum obiectum, originali autem nihil deesse videtur, quia subscriptio, & sigillum non sunt de substantia primæ scripture non carentis testibus secundum *Hostiensem, & Card. quos refert, & sequitur Menoch. de arbitr. casu 513. num. 54.* ex quo prædicta subrogantur ad supplendum defectum *testium cap. 2. de fid. instrum. vbi Felin. Abb. in c. post cessionem eod. tit. Rot. in nou. dec. 1. & 10. eod. tit. de probationib.* & hoc est, quod dubitarunt Domini in illa Tirasonen. Cappellaniæ, quia ne eo in casu institutio posset dici authentica, quia carebat testibus, & exemplum non continebat mentionem sigilli supplentis defectum testium, in qua non hæsitassent si scriptura testibus munita fuisset, & prout collationes exemplatæ per Hieronymum producta non carent.

7 Nec vim facit, quod Episcopus asseruerit literas esse sua manu subscriptas, & sigillo munitas, & deinde & ex eis neutrum appareat factum, quia non ideo deficit earum probatio concurrentibus testibus, vltra quod sigillum, & subscriptio, & sigillum Episcopi videntur referenda ad literas, quæ dantur prouiso, quæ de stylo Curiarum subscribuntur, & sigillantur ab Episcopis locorum, cum edantur à Notario scriba sine testibus, vt merito indigeant authenticatione, & sigillo, & subscriptione proueniente cum alia deficiant, & ita resolutum fuit.

R. P. D. CAVALERIO.

Romana Census Veneris 1. Iulij 1611.

ARGVMENTVM.

Agitur in hac decisione de inualiditate cuiusdam census impositi à Canonicis alicuius Ecclesiæ de licentia Papæ.

S V M M A R I V M.

Sententia dicitur iusta, quæ ex Rotæ decisione declarata fuit iniusta. nu. 1.
Census impositus super re non capace adhuc sustinetur, quando censum habebat alia bona, nu. 2.
Inuentarij beneficium non suffragatur ei, qui in confuso sine specificatione per pondus, numerum, & mensuram mobilia in eo descripsit. num. 3.
Census impositus à Canonicis cum licentia Papæ sub quadam conditione illum extinguendi infra tantum tempus, debet sic extingui, vt Papa mandauit. nu. 4.

DECISIO CCCL.

1 Domini resoluerunt, pro Informante videlicet sententiam Rotalem esse confirmandam. Nam Canonici Sanctæ Priscæ vti hæredes Carlerij cum beneficio legis, & inuentarij præcedente licentia Clementis VIII. felic. mem. constituerant censum Scutorum 300. sortis principalis in fauorem Vidaschi pro soluendo ære alieno hæreditario similis summæ consistente in tot societatibus officiorum, eumque postea recusarent soluere fructus sub prætextu, quod census esset inualidus, obtinuerunt sententiam fauorabilem ab Auditore Cameræ, quæ postea in Rota præuia decisione coram R.P.D. meo Manzanedo fuit reuocata, contra quam, cum nihil opponeretur, satis visum fuit constare de iustitia illius.

2 Nec visum fuit obstare, quod in dicta decisione resolutum fuerit pro validitate census, quatenus suppetant bona hæreditaria Carlerij, quia in eadem decisione firmatum etiam fuit Canonicos teneri docere, quod bona non suppeterent.

3 Ex his autem, quę deducta fuerunt non solum non probbatur in sufficientia, immo ex inuentario potius de contrario constabat, videlicet, Carlerium reliquisse vineam decem petiarum, & alia bona mobilia, quorum aliqua non fuerunt specifice in inuẽtario descripta, nisi simpliciter duæ capsæ suppellectilium in cõfuso, & sine spefications per pondus, numerum, & mensuram. Vnde beneficium inuentarij non suffragatur. *Roland. cons. 73. num. 49. & seq. lib. 2. Natt. cons. 574. per totum.* Præterea Canonici non reddiderunt rationem de alijs mobilibus, quę ex dicta hæreditate habuerunt *Aym. cons. 316. nu. 5. vers. 9. dubitatur, &c.* cum alijs adductis in vna Tudertina fideicomissi. 16. Iunij 1608. coram R.P.D. meo Manzanedo.

4 Et licet de anno 1599. fuerit data in solutum cuidam creditori vna petia dicta Vineæ, & de anno 1606. fuerit facta exequutio ad instantiam alterius creditoris pro Scutis 86. tamen adhuc superant bona sufficientia pro solutione huius census. Nam vltra residuum vineæ, & mobilia supradicta dicebatur per plures annos fuisse in eadem vinea venditam fodinã Terræ Puteolanæ, ex qua fuerunt perceptæ plures pecuniarum quantitates, quæ ad hunc effectum soluendi censum debent computari, cum Papa mandauerit extingui intra sex annos, & propterea quod Canonici quolibet anno pro extinctione facienda deberet deponere Scuta 50. Ex quibus alijs allegatis in supradicta decisione conclusum fuit, sententiam Rotalem esse confirmandam.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

D. CARD. BONONIEN.

Calaguritana Beneficij de Cuacu. Veneris 1. Iulij 1611.

DECISIO CCCLI.

Est impressa inter Ludouis.

DECISIO 515.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

D. CARD. BONONIEN.

Cæsaraugustana Pensionis. Veneris 2. Iulij 1611.

DECISIO CCCLII.

Est impressa inter Ludouisio.

DECISIO 516.

R. P. D. PIROVANO.

Bononien. Locationis. Lunæ 7. Nouembris 1611.

ARGVMENTVM.

Census quando dicatur impositus super re incerta, & finibus non designata.

S V M M A R I V M.

Census impositus super re certis finibus non designata nullus & inualidus est. nu. 1. & 2. Vbi etiam quando census dicatur sic impositus in re finibus non designata, & nu. 3. & 4.

DECISIO CCCLIII.

1 In hac eadẽ causa corã Illustrissimo Cardinale Lancellotto, tũc Rotæ Auditore sub die 10. Iunij præteriti Domini censuerunt, sententiã in Saluiano latã esse cõfirmãdã, fundamẽtis decisionis vno dũtaxat excepto, pars, acquiescebat, & illud erat, quod cẽsus non fuerat impositus super re certis finib. designata, iuxta cõstitutionẽ fel. rec. Pij V. & sic nulitas cẽsus refutabat.

2 Incertitudo autẽ deducebatur ex eo, quod cẽsus fuisset impositus ad mensurã super tornaturis 70. *fũdi nũcupati al Palazzo del Lino*, quæ numeratio operatur incertitudinẽ respectu quotæ, quia expressã nõ fuit tertia, vel quarta pars fundi censiti, ac etiam respectu loci dum tornaturæ 70. desumendæ ex corpore maioris perticatus non fuerunt numeratæ & distinctæ à residuo, vt considerant *Alex. & Ias. in l. 3. §. incertum. ff. de acquir. possess. & Paris. cons. 59. nu. 17. 28. 29. lib. 1.*

3 Verũ prædictis non obstantib. Domini steterunt in decisis, quia rationi loci fundus remanebat certus. Nã instrumẽtũ census nedũ exprimit fũdũ, & regionẽ, in qua situatur, & in quo tornaturæ 70. sunt supponẽde oneri cẽsus, sed etiã in qua parte fundi, scilicet sint numerãdæ videlicet capiendo dictas tornaturas 70. à dictis ædificijs eundo in corpore maioris numeri perticatus versus domum Theodosij de Cruce, & versus bona D. Alexandri Stiatici, ac in confine bonorũ per ipsũ D. Antoniũ emptorẽ à D. Bombello de Bõbellis, ex quibus demonstrationibus visa est Dominis satis certificata pars fũdi, censita in euentum periculi subeundi per emptorem iuxt. mentem Pij V. & bene probat *Bart. in l. demonstratio falsa q. 7. ff. de cond. & demonstr.* & alij in decisione in hac causa facta allegati.

4 Nã obstat, quod locus nõ certificetur nisi demũ sequuta numeratione, & superatione, quia dictum fuit quod *Alex. Ias. ac Paris. alleg.* hoc nõ præsupponũt, sed afferũt exẽplũ de eo, qui emit cẽtumtabulas Terræ in prædio vẽditoris in illa parte in qua eligeret vel cẽtũ tabu-

tabulas Teræ extali fūdo pro indiuiso & in illis casib. quia situs, variari potest in euetū periculi, vt magis ab vna parte, quā ab alia numeratio sequatur, tūc bene intrat incertitudo, secus vero quando certificatur aliqua pars fundi, in qua tornaturæ sint numerandæ. Nā tunc in euentum periculi cessat variatio, & consequenter allegata constitutio non repugnat.

R. P. D. VBALDO.

Romana mercedis, Lunæ 14. Nouembris 1611.

ARGVMENTVM.

Salarium, seu merces non taxata quomodo taxari, & solui debeat seruienti in officio Computistæ.

SVMMARIVM.

Periti relationi tertij de consensu partium electi in casu discordiæ aliorum peritorum omnino standum est. nu. 1.
Merces non expressa quantitate promissa taxanda venit officio iudicis. nu. 2.
Salarium, seu merces promissa non expressa quantitate solui debet iuxta solitum. nu. 3.
Salarium, seu merces maior debetur magis laboranti, quam minus. nu. 4.
Salarium, seu merces duplex debetur habenti duplex officium nu. 4. in fin. & nu. 5.
Animus, & intentio hominis in mente retenta nihil operatur num. 6.

DECISIO CCCLIV.

1 FVit resolutum mercedem deberi Horatio Erculeo iuxta relationem vltimam D. Camilli Moretti, de qua in Summario Horatij. nu. 50. Cum enim D. Camillus erit tertius peritus de consensu partium electus, illius relationi standum videtur. *gl. in l. item si vnus. §. principaliter. in verb. authoritati. in fin. & ibi Bal. in fin. ff. de arbitr. Bartol. in l. 3. ad fin. C. de pign. Abb. in cap. proposuisti. nu. 10. & ibi Fel. n. 6. de prob. Corn. cons. 43. circa hanc col. 3. lib. 1. Paris. cons. 96. num. 32. libr. 1. Neuiz. cons. 94. n. 10.* & fuit dictum in causa Romana Saluiani 11. Ianu. huius anni coram me.

2 Et hoc eo magis, quia dicta relatio videbatur iustificari ex deductis pro Horatio, cui fuit expresse promissa merces, pro reuisione rationum Hieronymi mei olim tutoris Excellentiss. D. Ducis ab Altemps, vt constat ex fide iurata Illustrissimi Cardinalis Sancti Eusebij eiusdem D. Ducis curatoris, & licèt non fuerit expressa quantitas non venit taxanda officio iudicis. *glos. in l. 1. in princ. in verb. dicere. ff. de var. & extraord. cogn. Magon. decis. Floren. 11. nu. 4.* & fuit sæpe in Rota decisum.

3 Et in proposito cum alteri calculatori pro eadem reuisione ab altera parte deputato fuerit taxatum salarium Scutorum duorum in singulos dies, & postea reductum, ad Iulios 17. illi solutos, per D. Cardinalem, & D. Octauium Costam fideiussorem tutoris videbatur idem salarium præstandum Horatio, quia quando quis deputatur ad aliquod officium sine constitutione certi salarij videtur conuentum de salario solito præstari pro illo officio. *l. licet. vbi Bald. C. locat. Alexan. cons. 206. nu. 1. lib. 2. cons. 46. nu. 8. lib. 5. Surd. cons. 42. nu. 13. lib. 1. & cons. 460. nu. 30. lib. 4. Rota dec. 88. nu. 5. par. 2. diuers.*

4 Præsertim cum Horatius magis laborauerit in dicta reuisione, quam Adelasius alter calculator, vt constat ex dicta fide D. Cardinalis, & ex depositione eiusdem Adelasij, & ideo maior merces videbatur deberi. *l. Seio. in princ. ff. de dam. leg. Bald. in leg. qui duobus in fin. ff. de condi. & demonstr.* Et tamen in dicta relatione fuit sibi assignatum salarium longe minus, iuxta supputationem, de qua per Informantes pro Horatio, & per hoc tollitur, quod executio obijciebatur de parte panis, & vini, quam Horatius habebat in domo D. Ducis. Alter autem deputatus non habuit, quia apparet à tertio perito fuisse habitam rationem dictæ partis, ideoque diminutum fuisse salarium Horatio, quod tamen ex prædictis videbatur potius augendum vltra quod dicta pars, licet ab initio fuisset, & constituta pro reuisione tamen succedente vacatione Còputistæ ordinarij domus D. Ducis, & electo ad dictum officium eodem Horatio cessit in mercedem, & salarium eiusdem officij, vna cum septem Scutis menstruis, prout habebat Computista antecessor Horatij. Ex quo sequitur, quod cum duplex officium gesserit, duplex coram illi merces debeatur. *§. illud. vbi gloss. in verb. periculum. auth. vt iud. sin. quoque suffrag. fiant. leg. ijs scholaribus. Vbi Io. de Plat. Cod. de erogat. mil. anno. lib. 12. Rom. cons. 25. & ibi addent. Surd. cons. 66. nu. 1. lib. 1. Gail. lib. 1. obseru. 44. nu. 8. Menoch. de arbitr. libr. 2. cas. 223. nu. 7. & seq.*

5 Neque obstat, quod officium Computistæ, & reuisoris non videatur distinctum, quia contrarium apparet ex facto, cum ante recessum Columbi Computistæ ordinarij fuerit Horatius electus ad calculandum rationem tutoris, & postea assumptus etiam in Computistam, & sic proprie intrat *d. cons. Rom. 25.* quem in his terminis procedere dixit Rota in causa Romana mercedis. 26. Ianu. 1604. coram bon. me. Card. Pamphilio, quod etiam magis iustificatur ex mandato D. Ducis in quo expresse supponuntur tanquam diuersa officia in persona eiusdem Horatij. Et quæ opponuntur de minori ætate D. Ducis tolluntur ex Breui Apostolico ei concesso, vt possit sine auctoritate tutoris administrare.

6 Non obstat declaratio D. Cardinalis circa tertium caput, quia versatur circa ipsius animum, & intentionem, quæ in mente retenta nihil operatur. *l. si repetendi. Cod. de cond. ob causam.* & contrarium colligitur ex priori ipsius testificatione ex mandato D. Ducis, & alijs supradictis.

7 Non obstat confessio ipsius Horatij, quod non incubuerit, nisi soli seruitio reuisionis, quia dicta verba vel excludunt propria negotia Horatj, vel sunt prolata ad extendendam enixam diligentiam in perficiendo illo negotio reuisionis, iuxta vulgatum loquendi genus, non sò altro, non attendo ad altro. Ceterum non est verisimile, eum non fecisse etiam ea, quæ in domo opulenta pertinent ad Computistam ordinarium cum statim recedente Columbo fuit ipse suffectus tanquam ad officium maximè necessarium. Et contrarium constat ex libris Computistariæ illius temporis manu Horatij consumptis, & ex dicta declaratione D. Cardinalis, circa quintum caput. Ad alia leuiora fuit responsum per Informantes pro Horatio, & ita fuit decisum.

REVERENDISS. P. D. COCCINO DECANO.

Illerden. Visitationis. Lunæ 14. Nouemb. 1611.

ARGVMENTVM.

De Capitulo administrante bona Ecclesiæ, An Episcopo solo rationem de administratis reddere debeat, An vero adiunctis alijs ab eodem Capitulo deputatis.

SVMMARIVM.

Administratores locorum piorum de administratis rationem reddere tenentur soli Episcopo, nisi contraria adsit con-

consuetudo, quo casu non Episcopus solus, sed iunctus cum illis, quibus de consuetudine redditur ratio, rationes recipere potest. numero 1. & numero 3. Declara, vt num. 4.

Consuetudo præscribitur spacio quadraginta annorum, etiam quod consuetudini ius resistat. nu. 2.

Tutor administrans tutelam per alium ab ipso deputatum, tenetur ipsa de administratis rationem reddere actione tutelæ, & non eius minister. num. 4. Vbi tamen quod tutor a suo ministro, & substituto administrationis rationem recipit. ibid.

Tutor tenetur reddere rationem de administratis actione tutelæ. num. 4.

Administratores locorum piorum tenentur ad omnia ea, ad quæ tenentur tutores. num. 4. in fi.

Administratio eleemosynarum, & similium, de iure est communis Episcopo cum Capitulo. num. 5.

Ecclesiæ bona Capitulum arrendere, eorumque fructus exigere, & colligere non potest, nisi ratione administrationis. num. 6. & 7.

Confessione facta in contractibus etiam absente parte plene probant contra confitentem, præsertim si sint geminatæ, concernant factum proprium, & in foro Ecclesiastico. num. 8.

Protector non potest alienare, nec disponere de rebus Ecclesiæ, sed solum habet ius protectionis, & præeminentiæ. num. 9.

Iura extracta vigore Compulsoriæ dicuntur esse in forma probanti. num. 11.

DECISIO CCCLV.

1 NOn controuertebatur, quod vigore *Conc. Tridentini sess. 22. c. 9. de Refor.* omnes Administratores Fabricæ Ecclesiæ Hospitalis, Confraternitatis, Eleemosynæ, Montis pietatis, & aliorum locorum piorum, teneantur reddere rationem Episcopo; Sed controuersia erat An ex quo Capitulum ex Constitutione, vel consuetudine deputat quosdam, quibus redditur ratio, inter limitatio Concilij in §. *Quod si ex consuetudine*. Vbi quod si ex consuetudine, aut priuilegio, aut ex Constitutione aliqua loci non Episcopo, Sed alijs ad id deputatis ratio reddenda sit, tunc cum ijs adhibeatur etiam idem Episcopus. Ita vt in casu isto non Episcopus solus, vt in prima parte Concilij, sed vna cum deputatis à Capitulo prædictus Episcopus rationes recipere habeat.

2 Et pro parte Capituli deducebantur tria Statuta antiquissima, in quibus disponitur, quod Capitulum deputet certos Ministros, & Auditores Computorum, qui respectiue administrent, & computa reuideant; Et insuper adest etiam consuetudo præscripta spacio quadraginta annorum, vt deponunt testes, quod quidem tempus sufficit etiam quod consuetudini ius resistat. *c. auditis. de præscr. c. fin. & ibi Doct. post glos. in ver. legitime. de consuetud. Ægid. decis. 1. sub nu. 2. vers. modo ista regula*.

3 Ex quibus inferebatur pro parte Capituli, quod siue attendantur statuta, siue consuetudo, versamur in limitatione Concilij in dicto §. *Quod si ex consuetudine*. Ita vt Episcopus recipere possit rationes non solus, sed vna cum Auditoribus Computorum deputatis ab ipso Capitulo.

4 Prædictis tamen non obstantibus causa mature discussa contrarium censuerunt Domini, scilicet non constare de Consuetudine, aut Constitutione, quæ suffragetur Capitulo, & sic recedendum à decisis sub die 30. Aprilis 1610. Quia licet deducta pro eius parte non possint simpliciter negari: secus tamen est in casu isto, cum Capitulum ipsum sit Administrator principalis: Deputati vero ab ipso nudi Procuratores, & Ministri, & ideo intrare primam partem Concilij, quodam ratio sit reddenda Episcopo, non limitationem allegatam in dicto §. *quod si ex consuetudine*, quæ est intelligenda quando Administrator principalis reddit rationem alijs, quam Episcopo ex Constitutione, vel consuetudine, secus autem quando Administrator subordinatus à principali Administratore ipsi reddit rationem, prout est in casu isto. Quia licet satisfaciat respectu Administratoris principalis, non tamen satis facit respectu Episcopi, cui Administrator principalis, hoc est Capitulum, tenetur reddere rationem. Vnde solus Episcopus eam recipere debet, iuxta primam partem Concilij, vt sunt iura aperta. in *l. ita autem. §. gessisse. & l. tres tutores. §. non solum. ff. de administrat. tut.* vbi per alium tutelam administrat tenetur actione tutelæ, quia gessisse videtur qui per alium gessit. In qua quidem actione principaliter venit redditio rationis. *l. 1. §. officio. ff. de tutel. & rat. distrab. per quæ iura dicit Andreas Siculus in consi. 92. incip. Capio primam hæsitationem. num. 3. & 4. lib. 3.* quod tutor exigit rationes à suis factoribus, vt eas postmodum reddat pupillo, & bene faciunt notata per Ioan. Andr. *in c. 1. num. 1. de procur. in 6.* vbi quod substitutus tenetur erga Procuratorem, & Procurator erga Dominum, & per *Escouar. in tract. de ratiocinijs. c. 3. nume. 20. & 31.* vbi quod potestas tenetur reddere rationem de gestis à suis Officialibus. Et vt dictum est, prædicta iura sunt aperta, & in terminis decidunt præsentem casum, quia licet loquantur in Tutore, & Curatore. Tamen idem est in istis Administratoribus, qui Tutoribus, & Curatoribus æquiparantur, ita vt ea omnia præstare teneantur, quæ illi præstant, vt in puncto est *tex. in Clem. quia contingit. §. vt autem. vbi Vital. nu. 65. de relig. dom.*

5 Quod autem Capitulum sit Administrator principalis satis probatur. Nam agitur de Administrationibus Operis, Piæ Eleemosynæ Claustri, Anniuersariorum maiorum, Anniuersariorum Emanuelis de Argentona, ornamentorum, & similium. Incipiendo enim à dispositione iuris communis cum agatur de bonis Ecclesiæ, & hoc sit in confesso apud partes, non autem Episcopi, aut Capituli, licet administratio sit communis Episcopo, & Capitulo *c. nouit. & c. quanto. de his quæ fiunt à Prælat. Felin. in c. edoceri. nu. 3. cum sequen. de rescrip. Cæsar de Grass. decis. 4. nu. 4. de his quæ fiunt a maio. par. Capit.* tamen vigore consuetudinis Capitulum exclusit Episcopum, de qua consuetudine deponunt Testes, vt mox dicetur. Et per huiusmodi consuetudinem cum excludatur Episcopus efficitur, vt sola administratio spectet ad ipsum Capitulum.

6 Sed ex euidentia facti manifestissime etiam apparet Capitulum esse Administratorem principalem; nam præcitati Testes super Quinto dicunt, quod in fine anni Capitulum congregatum deputat duos Electores, quatuor Auditores, & duos Substitutos, & quod Electores nominant Officiales, qui gubernant membra sibi commissa, & dant suas rationes Auditoribus, qui computa, & rationes prædictas examinant, & referunt in Capitulo, & quod Capitulum approbat, improbat, & solidat rationes, quodque absque Episcopo administrat applicando redditus membrorum in vsus destinatos, bona arrendando, affictus exigendo, & fructus colligi faciendo, & cum aliqua ex dictis membris habeant iurisdictionem, Capitulum per se, & Officiales suos, & ministros ad nutum amouibiles prædictam iurisdictionem exercet, Vassallique solum Capitulum recognoscunt in Dominum, ex qua quidem depositione apparet, quod Capitulum vere est Administrator. Tales autem Deputati ab eo, Procuratores, & nudi Ministri, quia cum ista sint bona Ecclesiæ, vt dictum est, prædicta omnia præstare, & ordinare non potest Capitulum, nisi ratione administrationis principalis, vt in puncto colligitur ex tex. in dicta *Clemen. quia contingit. §. vt autem vers. Sed eorum gubernatio, de Relig. dom. & in simili not. Doctor.*

Flor. in c. decernimus. de iudic. vbi Butr. num. 6. ante med. vers. si quæritur. An possit esse Administrator. & vers. si quæritur. An possit esse Administrator. & vers. si quæritur. An possit constitui proprio nomine. Rip. num.8. & 52. in fin. vers. Ego igitur. Et in respons. vnic. nume.1. vers. Quid tenendum, & nu. 7. & 10. de oblat. Eccles. & Collect. earum. Inn. in c.2. num.1. de ætat. & qualit.

7 Et prædicta depositio Testium detegitur verissima ex forma Statutorum, in quibus disponitur, quod eligantur dicti Administratores, & Auditores Computorum, & ex forma electionis, quæ quotannis fieri solet, eliguntur enim quamplures, quibus singulis sub nomine Administratoris, & Procuratoris demandantur singula officia.

8 Et videtur cessare omnis difficultas, Tum ex quamplurimis ordinibus datis per Capitulum Officialibus prædictis, vt soluant pecunias diuersis, qui Ordines per necesse arguunt administrationem principalem spectare ad Capitulum: Quia cum ista sint bona Ecclesiæ, & non Capituli, vt dictum est, non potuit alia ratione dare prædictos Ordines, nisi ratione administrationis, iuxta notata in dicta *Clemen. quia contingit. §. vt autem. vers. Sed eorum gubernatio. de Relig. dom.* Tum etiam ex quamplurimis cofessionibus Capituli in contractibus, mandatis, & ordinibus datis, in quibus fatetur administrationem spectare ad ipsum, quæ quidem Confessiones faciunt validissimam probationem, *l. cum te. C. de transact.* non obstante quod emanauerint absente Episcopo, cum sit geminatæ. *Roman. cons.290. nu.7.* vbi Apostilla, & cum emanauerint circa factum proprium. *Dec. cons.151. num.2. vers. & cum contra.* Et cum versemur in foro Ecclesiastico cessat omnis difficultas, vt per *Curt. iun. in cons.168. numer.12.* qui de communi testatur, & reprehendit *Alexan. in cons.180. nume.7. lib.2.* qui asserit communem esse in contrarium, maxime cum dictæ confessiones sint adminiculatæ, vel potius in casu isto deducantur pro adminiculo. *Felin. in c. olim. in octaua fallen. de rescr.*

9 Nec prædicti actus, & confessiones possunt impugnari quasi Capitulum eas fecerit protectorio, non administratorio nomine, quia in quamplurimis Capitulum vocat se simpliciter Administratorem. Et licet in aliquibus vocet se Protectorem. Tamen subdit, & Administratorem, quę confessio Administratoris prę ualet, & est attendenda, cum illæ confessiones sint in contractibus, & mandatis, quæ non possunt sustineri Protectorio, sed Administratorio nomine. *Anchar. in c.1. sub nume.2. vers. qui vero pro vtilitate. Gem. nu.7. ante fin. vers. sed si haberet Rectorem. & Franc. nu.7. vers.* quod si Ecclesia haberet Rectorem. *de reb. eccles. non alien. in 6.* vbi dicunt, quod quando Ecclesia inferior habet Rectorem, alienationes, & contractus debent fieri nomine ipsius Rectoris, quia hoc est de ijs, quæ pertinent ad ius administrationem licet Episcopus, tanquam Superior illas auctorizet. Cum autem in casu isto Capitulum constituerit procuratores ad lites, & ad negotia, & exegerit, & solui mandauerit pecunias, ex isto modo contrahendi apparet, quod hoc fecit tanquam principalis Administrator, non vti Protector, quia isti actus debent fieri ab Administratore, ad quem negotium spectat, cura, & solicitudine, non autem à Protectore, qui solum habet ius protectionis, & præeminentiæ, vt per *Anchar. in dicto c.1. sub num. 2.*

10 Non obstant declarationes Concilij, quæ dantur, in quibus dicitur, quod Deputati Fabricæ, vna cum Episcopo recipere debeant rationes. Quia vt constat ex declaratione enunciata in illa Cremonensi, pretendebatur, quod Episcopus non posset recipere rationes, stante, quod ipse nunquam interuenit dum fuit reddita ratio, quæ à solis Deputatis recepta fuit, & Congregatio Illustrissimorum Interpretum resoluit contrarium, quia ex verbis Concilij tollitur etiam immemorabilis, & in secunda declaratione, quæ datur, dicitur, quod ratio sit reddenda Episcopo, & Deputatis ea ratione, quia consuetudo erat, quod solis Deputatis redderetur, & propterea intrabat limitatio Concilij, vt isto casu Episcopus vna cum alijs recipere posset rationes, & ita sunt intelligendæ aliæ declarationes, quæ propterea in casu isto non officiunt, quia nulla adest consuetudo, aut Constitutio, quæ obstent, vt supra dictum est.

11 Neque subsistit, quod iura super quibus fundabatur Episcopus non sint in forma probanti. Quia, vt patet ex prædictis, etiam illis circumscriptis firma remanet decisio. Sed veritas est in contrarium, quia, fuerunt extracta parti in vigore Compulsorialium partium vero à successore in officio. Vnde dubitari non potest, quin sint in forma probanti. *Dec. in auth. si quis in aliquo. num.26. C. de eden. Verall. decis.244. num. 3. & decis. 351. par. 2.*

REVERENDISSIMO P. D.

DAMASCENO.

Conchen. Beneficij de Valdezudios. Lunæ 14. Nouembris 1611.

ARGVMENTVM.

Constitutiones Apostolice, & præsertim Clementis VII. & aliorum Antecessorum de extendendis consensibus in libris Cameræ infra 15. dem à die missæ, numquid per non vsum, aut contrarium vsum sublata dicantur accedente præsertim tacito consensu Papæ.

SVMMARIVM.

Constitutiones Clementis VII. & aliorum Pontificum de extendendis consensibus in libris Cameræ infra 15. dies à die missæ, non sunt in vsu. num.1. & sequentib. Sed an iste non vsus sit attendendus nec ne. numer. 7 & seqq.

Constitutionis non vsus debet probari in specie, & concludenter, quod super non vsu fuerit alias iudicatum. num. 3.

Stylus difformis an, & quando sit attendendus, vt consuetudinem inducat. num. 4.

Constitutio non est nouum, quod seruetur in aliqua parte, & in alia parte in desuetudinem abeat. num.6.

Constitutio Apostolica, & illius validitas per non vsum, vel per contrarium vsum minime tollitur. num.7. Declara, vt num. 8.

Cancellaria Apostolica dicitur organum Papæ. num. 8.

Scientia Papæ, imo & consensus infertur, & præsumitur ex scientia suorum Officialium, & præsertim Cancellariæ Apostolicæ. num.8.

Error communis excusat à pœna. num.9.

Pœna est amittere ius suum. num.10.

Ius dicitur quæsitum per solam signaturam Papæ etiam non expeditis literis. num.11.

Literarum Apostolicarum expeditio, & extensio consensus non fit ad substantiam gratiæ, sed ad probationem.

DECISIO CCCLVI.

1 Dvbitaui, an Constitutiones felicis recordationis Clementis VII. & aliorum Antecessorum de extendendis consensibus in libris Cameræ infra 15. dies à die missæ obstarent Gregorio, qui illas non obseruauit, & quia Gregorius pro sui defensione faciebat totum fundamentum in non vsu prædictarum Constitutionum, difficultas fuit restricta ad duo. Primum an probaretur dictus non vsus. Secundum an probatus releuaret.

2 Quo ad primum fuit dictum, constare de non vsu ex plu-

ex plurimis consensibus spacio septuaginta annorum præstitis post quindecim dies à die missæ, quorum copia fuit data pro parte Gregorij, nec non etiam ex testibus Curialibus, & practicis pro eius parte examinatis, & ex fide septem Notariorum Cameræ, hoc idem attestantium, & vlterius ex decis. Oradini in causa Barchinonen. Canonicatus. 10. Octobris 1594. 24. Maij 1568. hoc idem per testes vsque tunc examinatos affirmantibus.

3 Quibus non obstare visum fuit, quod multi consensus fuerint etiam præstiti intra quindecim dies, vnde infertur istum vsum tanquam difformem non suffragari ex allegatis, quia fuit responsum, Constitutiones habere duas partes; primam, quod consensus debeant extendi infra quindecim dies, alteram quod illis non extensis resignatio sit nulla, & beneficium moriente resignante vacet per obitum. Prima pars admittitur varie obseruata, secunda vero nequaquam, cum non probetur, quod aliquando ob non extensum consensum intra quindecim dies fuerit annullata resignatio, ita in proposito respondet *Dec. cons. 11. num. 12. vers. & considerandum est*.

4 Vlterius fuit dictum, quod quando diuersitas reperitur in actibus, qui se compatiuntur cum consuetudine, talis diuersitas non impedit consuetudinem, siue desuetudinem, quia qui potest extendere post quindecim dies, multo magis intra quindecim dies, vnde extensio facta intra quindecim dies, non attribuitur obseruantiæ Constitutionis, sed facultati facientis, ita *Dec. post Bart. dicto consi. 11. num. 12. vers. 3. & vltimo. Fanuc. de inuent. par. 3. num. 93. faciunt tradita per Alexan. cons. 108. num. 15. volum. 2. Anchar. cons. 339. num. 7. in fi. vers. ad secundam, Crau. cons. 197. num. 12. vers. opt. facit. Roland. consil. 53. num. 3. vol. 2. Rota in causa Parmen. status* 14. Martij 1580. coram Robusterio relata inter diuer. impress. *decis. 294. nu. 6. par. 2.*

5 Non etiam obstare visum fuit, quod in pluribus decisionibus fuerit habita ratio istarum Constitutionum, nempè apud *Verall. in manu script. 225. lib. 1.* Veronen. Sancti Zenonis coram Aldobrandino, qui postea fuit Clemens Papa VIII. de qua inter diuers. impress. *decis. 215. par. 1.* & in alia Veronen. pensionis 27. Iunij 1590. coram Illustriss. Plato, quia in prædictis decisionibus minime fuit actum de non vsu prędictarum Constitutionum. Nam decisio Verall. firmat tantum Constitutionem Clem. esse extrauagantem, non autem simplicem regulam Cancellariæ, decis. Clem. Papę VIII. dictam Constitutionem præsupponendo disputat de intellectu, & ante disputationem super vsu causa fuit concordata, vt fuit repertum in illius adnotationibus, decisio coram Illustriss. Plato fuit facta vna parte Informante, & sic nemine opponente de non vsu, propterea quando fuit formiter actum de vsu, & examinati testes Rota censuit pro non vsu, & in dicta Barchinonen. Oradini.

6 Similiter fuit dictum non obstare, quod Constitutiones adhuc obseruentur quo ad multa, nempè in descriptione consensuum in libris Cameræ, adnotatione Missę super supplicatione, & similibus, quia fuit responsum non esse nouum, quod Constitutio seruetur quo ad aliqua, & quo ad alia habeat in desuetudinem. *Ruin. consil. 55. in fin. lib. 5. Corn. consil. 20. num. 2. versic. nec etiam obstat. libr. 3. Gabr. consil. 78. num. 9. lib. 2. Aragon. decis. 1.*

7 Circa secundum, Domini habebant pro indubitato, quod non vsus, siue contrarius vsus populorum sine consensu Papæ nihil potest operari contra validitatem Constitutionum Apostolicarum, ex late deductis in Romana concordia S. Petri die 13. Nouembr. 1609. 11. Ianuarij, & 12. Februarij 1610. coram Reuer. P. D. Cauallerio.

8 Difficultas erat in hoc casu, quod iste non vsus, siue contrarius vsus fuit obseruatus in ipsamet Cancellaria Apostolica, quæ dicitur organum Papæ. *Cassad. decis. 2. num. 7. super reg. de vnion. Cæs. de Gras. decis. 1. num. 8. de probat.* vnde inferebatur non solum ad scientiam ipsius Papæ, quæ regulariter infertur ex scientia eius Officialium, *Bart. in l. si publicanus. §. in omnibus. numer. 1. ff. de public. & vectig. Craue. de antiq. temp. par. 4. §. absolutis. num. 23. Boer. decis. 264. num. 19. Alb. cons. 64. nume. 51.* cum alijs per *Surd. cons. 429. num. 54.* verum etiam ad consensum, qui colligitur tam ex eo, quod quicquid gessit Cancellaria videtur gestum ab ipsomet Papa, cuius ipsa est organum, ex alleg. supra; & sic ipsemet Papa videtur fuisse, qui legem abrogauit, non subditi, dicitur enim factum Papæ etiamsi ipse gesserit cum alio, *Feder. cons. 117. nume. 2. Vitalin. in clem. 1. num. 26. de probat. Gabr. conclu. 2. num. 2. eod. tit.* Rota in causa Salamantina iurisdictionis 17. Maij 1577. coram bo. me. Cardinali Seraphino relata inter diuer. *impres. decis. 171. num. 2. par. 1.* & in causa Oxomen. beneficij 24. Octobris proximi coram me: Quam etiam ex altero, nempè quia iste non vsus, siue contrarius vsus fuit in Curia Romana, infra parietes Sacri Palatij. Vnde Summi Pontifices ob nullam aliam causam videntur tacuisse, quam quia contenti fuerint, prædictas constitutiones in desuetudinem abire. Et per prædictam rationem, quod non vsus, siue contrarius vsus fuerit obseruatus in Cancellaria Apostolica, quæ est organum Papæ, & dictæ constitutiones fuerint abrogatæ, conclusit Rota in decis. Oradini supra allegatis.

9 Ceterum quatenus prædicta possent pati difficultatem circa abrogationem dictarum Constitutionum, considerabant Domini, quod Gregorius non intendit substinere, quod dictæ constitutiones amplius non ligent, immo offert se paratum illas in futurum semper obseruare, sed dicit, se excusandum à pœna dictarum Constitutionum propter iustam causam, quam ex prædictis habuit, credendi, quod non essent amplius in vsu, siquidem communis error excusat à pœna. *Bartol. in l. quis sit. §. apud Labeonem. ff. de ædil. edic. cum cumulat. per Roland. consil. 96. numer. 6. cum pluribus sequentib. lib. 2. Surd. consil. 327. num. 51.*

10 Et pœna videtur esse, quod quis per non extensionem consensus in certo tempore amittat ius sibi delatum ex gratia Apostolica, quem consensum resignantis, indubitatum est, tunc temporis adfuisse, pęna enim est amittere ius quæsitum, *gl. in c. de puellis. verb. nullatenus. 36. quæst. 2. & in c. fin. verb. ex vi, & ibi Abb. num. 7. in fin. de iur. patron. Rom. cons. 236. in princ. Paris. cons. 5. num. 193. vol. 4. Surd. decis. 7. num. 13. & 232. num. 9. ad fin.*

11 Et ius dicitur quæsitum per solam signaturam Papæ. *Put. decis. 94. num. 2. par. 2. Caputaq. decis. 301. par. 3.* fuit dictum in causa Barchinonen. prioratus 9. Maij 1547. coram Mohedano relata inter diuers. impress. *decis. 7. lib. 1. par. 3.* in Tuden. beneficij 9. Maij 1578. coram Illustriss. Blanchetto, quæ est 418. *num. 3. par. 1.* diuers. & in Cusentina pensionis 13. Ianuarij 1596. coram bon. mem. Litta, in Pampilonen. Parochialis 21. Aprilis 1610. coram Domino Attrebaten.

12 Etenim literarum expeditio, & extensio consensus non fit ad substantiam gratiæ, sed ad probationem. *Gemin. consilio 106. numero 6. vers. in contrarium. Rot. decis. 87. numero 3. de rescript. in antiq. Mohed. decis. 9. vt lit. penden. Verall. decis. 267. par. 1.*

R. P. D. VBALDO.

Auximana fideicommissi. Sabbati 26. Noueb. 1611.

ARGVMENTVM.

In hac decisione magistraliter explicatur an, & quando vocati, & substituti post mortem hæredis vocati cen-

censeantur per vulgarem substitutionem tantum, & non per fideicommissum, & quando per clausulam codicillarem fideicommissum inducatur,

SVMMARIVM,

Filij eorum, in quibus non cadit necessitas instituendi eos hæredes si ad hæreditatem fuerint vocati, à testatore ordine successiuo post eorum parentes intelliguntur vocati per vulgarem substitutionem, non autem per fideicommissum, num.1. Etiam si plures sint vocati per nomen appellatiuum, puta de scendentium, vel liberorum, nisi adesset aliud verbum significans tractum temporis. num. 1. & 2.

Descendentes, seu liberi si à testatore fuerint vocati post mortem heredis ad suam hæreditatem, quando intelligantur vocati per vulgarem substitutionem, & non per fideicommissum, nu.2. & 5.

Substitutio vulgaris per quæ verba à testatore censeatur inducta potiùs, quàm fideicommissum, & è contra remissiuè, num.3.

Filij alicuius si fuerint substituti post mortem hæredis censentur vocati per substitutionem vulgarem, non autem per fideicommissum. num.3.

Filij nascituri si à testatore post mortem hæredis fuerint expressè vocati, intelliguntur substituti per vulgarem substitutionem, & non per fideicommissum, nu.4.

Descendentium appellatione veniunt etiam nascituri, nati tamen, vel concepti tempore euenientis conditionis, non qui postea nascuntur. nu.5.

Substituti post mortem hæredis censentur substituti non solum per vulgarem, sed etiam per fideicommissum, filij autem substitutorum cum eorum parentibus vocati non per fideicommissum, sed tantum per vulgarem vocati censentur. num. 6. Amplia etiam, quod dictio post mortem in eadem oratione fuerit apposita. nu.7.

Substitutio facta per verbum Relinquo, vel per aliud verbum commune censentur vulgaris, & non fideicommissaria, nisi adsint verba tractum temporis significantia, num. 7.

Substitutio vna, & eadem potest diuerso iure censeri, attentata diuersitate rationis, & personarum, vt scilicet vno casu censeatur vulgaris, & alio casu fideicommissaria, num.8.

Clausula codicillaris confirmat tantum, & corroborat voluntatem testatoris, non autem eam alterat, & extendit, num. 9.

Clausula codicillaris an, & quando inducat fideicommissum, num.9. 10. & 11.

Substitutio compendiosa comprehendit fideicommissariam, num. 10. & 11.

DECISIO CCCLVII.

1 CVm testator instituto hærede fratre germano post eius mortem relinquere se dixisset Cornelio, & Pompilio alterius fratris præmortui filijs, & eorum filijs legitimis, & naturalibus, fuit dubitatum, an filij Pompilij, qui patruo hæredi iam successerant, essent vocati per fideicommissum ad bona testatoris, & Rota 12. Ianuarij 1604. coram Illustrissimo D. Cardinale Lancellotto, tunc Rotæ Auditore, respondit, vna parte Informante pro fideicommisso, quo dubio iterum proposito vtraque parte Informante sub die 22. Aprilis huius anni, coram me eodem modo Rota censuit filios Pompilij esse vocatos per fideicommissum, sed cum in Rota Martiniana 26. Nouembris eiusdem anni tertio proponeretur, Domini dixerunt, recedendum esse à decisis. Fundamentum fuit ex regula communi, quæ habet, quod vocatis personis, in quibus non cadit necessitas instituendi, & earum filijs, vt hic quatenus filij vocentur ordine successiuo post parentes intelliguntur vocati per vulgarem non autem per fideicommissum. *l. Doctores in l. Gallus. §. quidam recte. ff. de liber. & posthu. vbi Cuman. num.8. Aret. consi. 4. vers. 2. videtur. errare. Socin. num 8. in 3. casu. Alciat. numer. 48. Socin. iun. de communi. num. 38, Alex. consi. 13, num, 9. lib. 4. Dec. consi. 205. alias 204. in causa istorum. num, 4. & seqq. consi. 248. alias 247. visa, vers. sed patris, & consi. 291. alias 290. visa. num. 2. vers. sed breuiter. Alciat. consi. 5. num. 39. lib. 4. Bursatus consi. 236. num. 4. lib. 3. Clar. in §. testamentum. q. 80. num. 4. Menoch. de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 71. num. 8. & 10. Moder. de fideicomm. art. 14. num. 4, in 2. casu, & ibi dicit num. 5.* conclusionem in his terminis nullam habere difficultatem, *& art, 19, numer. 3. & 4. Surd. decis. 346. num. 17. & seq. & cons, 315. num, 14. lib, 3. Cephal. consi. 326. num. 27. lib. 3,* & sensit Rota in causa Ariminen. Statuti 6. Iunij 1578. coram Bubalo, & in Viterbien. Fideicommiss. 14. Ianuarij 1605, coram R.P.D. Ludouisio.

2 Quæ conclusio habet locum non solum si plures sint vocati per nomen appellatiuum filiorum, vt in hac casu, sed etiam si per nomen collectiuum, puta descendentium, vel liberorum, adhuc enim intelliguntur vocati per vulgarem tantum, nisi adesset aliud verbum significans tractum temporis. *Cuman. in l. cum ita. §, in fideicommisso. nume. 4. de leg. 2. & in dicto §. quidam recte, num. 7. in fin. Ruin. consi. 19. num. 6. & seq. lib, 3 Socin. iun. consi. 81. num. 12. lib. 3. Aym. consi. 161. nu. 9. Menoch. consi. 85. num. 54, & 67. lib. 1. & dicta præsump. 71, num. 27. & seq. Rimin. iun. consi. 371. num. 148. & seq. Laderch. consil. 58. num. 31. Surd. de communi dicta decis. 346. num. 22,* & tenuit Rota in dicta Ariminen. Statuti coram Bubalo, & dicta Viterbien. Fideicommissi coram Domino meo Ludouisio, & pro communi opinione admisit in Florentina de Detis 3. Decembris 1607. coram R.P.D. Manzanedo.

3 In proposito autem non videbantur adesse verba, quæ tractum temporis significant, quæ qualia sit declarat *Alexand. in dicto §. quidam recte. num. 6. Menoch. post alios, dicta præsump. 71. numero 34. & consil. 85. num. 54. lib. 1. Et Modern. de fideicom. art. 18. num. 14. Petr. de fideicom. quæst. 5, num. 170. Rota decis. 579. num. 9. & sequentib. par. 1. diuers.* quia hic sunt substituti Cornelius, & Pompilius, & eorum filij, quod verbum filij per se non significat tractum temporis, cum possint simul succedere cum suis parentibus, vel successiue vocentur, intelliguntur vocati per vulgarem ex prædictis, & in specie consuluerunt *Alexand. consil. 13. nume. 7. lib. 4. Socin. sen. consilio 113. lib. 1. Parisi. consil. 82. num. 11. lib. 2.* vbi de communi, & alij plures relati per *Menoch. dicta præsump. 71. num. 8. & dicto consil. 85. num. 79. & sequent.* vbi reddit illam rationem, quia tali casu nullum adest verbum significans tractum temporis.

4 Neque obstat, quod fuerit simpliciter relictum filijs Cornelij, & Pompilij, ex quibus vnus tantum natus erat tempore testamenti, quasi cum vocentur etiam alij nascituri videatur implicari tractus temporis successiuus *ad not. per Ias. consil. 108. colum. 4. lib. 4. Curt. iun. consil. 48. num. 4. cum alijs allegatis,* quia fuit responsum, quod etiamsi nascituri essent expresse vocati, intelligerentur per vulgarem, non autem per fideicommissum. Decius consilio 286. incipit in Ciuitate Placentiæ, *num. 2. in fin. vbi consuluit contra Ias. dicto consil. 108. & idem Decius dicto consi. 247. sub num. 5. Alciatus consi. 5. num. 34. & 36. lib. 4. Rimin. iun. consi. 535. nu. 14. & num. 29, lib. 5. vbi reprobat Curtium iun. dicto consil. 48.*

5 Necobstat, quod dicti filij tempore mortis hæredis, & sic eueniente casu substitutionis non fuerint nati, quia sat est, quod potuerunt nasci plures dicto tempore, & admitti per vulgarem, non adeuntibus parentibus substitutis, sicut dicimus in vocatis nomine collectiuo descendentium, vel simili, quod sine dubio continet nascituros, & tamen veniunt tantum per vulgarem, ex supradictis, etiam si non sit verisimile tempore euenientis conditionis omnes existere.

Gabr.

Gabr. consil.64. num.43. lib.2. Sed admittuntur nati, vel concepti tempore euenientis conditionis, non qui postea nascuntur. *l.si cognatio. ff. de rebus dub. Rot.decis. 38. numero primo, par. prima diuers. Modern. de fideicom. art.19. numero nono. Alban. consilio centesimo sexto, numero 17. Zanch. in l.heredes mei. §.cum ita, par.4. num.224. vers. contraria tamen. ff. ad Trebell.*

6 Non obstat dictio post mortem, quia illa fuit apposita personæ Petri Christophori hæredis instituti, & ideo sequitur quidem, vt Cornelius, & Pompilius vocati post mortem hæredis ei dicantur substituti, non solum per vulgarem, sed etiam per fideicommissum, tanquam vocati per compendiosam, vt etiam in decisione consideratur, sed non sequitur, vt eorum filij quibus non est talis dictio apposita sint parentibus substituti, nisi per vulgarem. *Ruin. consilio 102. num.8. & sub num.6. vers. concluditur ergo, & sub nu. 8. & sub num.6. vers. concluditur, ergo. & sub num.11. vers. quia igitur. lib.2. Decia. consil.77. num.24. lib.5. Craue.cons. 131. num. 4.* vbi dicit, quod tractus temporis respiciens personam primo vocati ad aliam personam extendi non debet, & idem tradit *Alciat.consil.5.num.40. lib.4. Rimin.iun.dicto consi.371. num.162. & seqq. Petr.de fideicommiss.quæst.5. num.169. Modern.de fideicommis. art.18. sub num.13. vers. contra tamen. Lardech. consil.58. num.31. vbi reprobat Socin. in dicto §.quidam recte.sub num.10.vers. si tamen. vbi contrarium sensit in via disputatiua, & Craue. consi.22.num.7. prout etiam facit Menoch.d.cons.85. num.97. lib.1.*

7 Et prædicta procedunt etiam si dictio post mortem in eadem oratione fuerit apposita, *Alexand. consil. 13.num.6.& 7. lib.4.* quem sequitur *Ruin.consil.19. num. 10. lib. 3.* & quamuis substitutio sit facta per verbum Relinquo, vel aliud commune, quia adhuc censenda est vulgaris, & non fideicommissaria, nisi adsint verba tractum temporis denotantia. *Dec.consi.205. num.6. & 291. num. 2. Menoch. dicta præsump. 71. num. 8. lib. 4. & dicto cons.85. num. 74. & seqq. Moder. de fideicomm. d. art. 18. num. 7. Laderch.* post plures ab eo relatos dicens, hanc sententiam esse verissimam secundum omnes, *dicto consi. 58. num. 30. & in specie de verbo relinquo not. Cuman. in d. §. in fidei commisso. Ruin.cons.92. num.5. lib.2.*

8 Non obstat, quod substitutio non debeat diuerso iure censeri ad not. in l. iam hoc iure. de vulg. quia fuit responsum, vel quod non est inconueniens, attenta diuersitate rationis, & personarum. *Menoch. consil.238. numero 50. libro tertio,* cum alijs per *Tiraquell. de nobilit. cap. 28. numero duodecimo, in fin. cum seqq.* & in terminis nostris. *Decian. dicto consil.77. numero 25. lib. 5.* vel quod respectu hæredis post cuius mortem relinquitur Cornelio, & Pompilio, & eorum filijs, semper substitutio est compendiosa, tam quo ad parentes, quam quo ad filios, qui intelliguntur vocati quatenus substitutio non habuisset effectum in persona ipsorum parentum, *Castr. consilio 374. visis. sub numero 3. vers. cum ergo, lib. primo.* Sed respectu ipsorum parentum, etiam per fideicommissum substitutorum filij intelliguntur vocati per vulgarem tantum. *Laderch post alios, consilio 3. num. 10. certum enim est in fideicommissis posse fieri vulgarem substitutionem. l. vt hæredib. de legat.2. Alciat. dicto consil.5.num.40.lib.4. Ruin. cons.90.num.5. lib.2. Menoch. consi.376. num.7. lib.4.*

9 Non obstat clausula codicillaris, quia placuit responsio, quod dicta clausula confirmat tantum, & corroborat voluntatem testatoris, non autem alterat, & extendit prout extenderet, in casu isto, si dicti filij, vocati tantum per vulgarem, ex supradictis vocarentur, etiam per fideicommissum, de quo testator non cogitauit. *Dec. cons.205. num. 9. & dicto consil.286. & 290. vtrobique sub num. 3. & 4. Alciat. dicto consilio. 5. num. 39. lib.4. Laderch. dicto consil. 58. num.32. & seqq.* & fuit dictum in dicta Viterbien. fideicommissi, coram Domino meo Ludouisio?

10 Neque in contrarium facit, quod virtute dictæ clausulæ substitutio etiam verbis directis facta trahatur ad fideicommissum. Alexander consilio octuagesimo secundo, numero secundo, libro secundo. cum alijs allegatis, quia hoc procedit in substitutione compendiosa, quæ sui natura comprehendit etiam fideicommissariam. Ideo quamuis concepta verbis directis potest ex dicta clausula trahi ad fideicommissum, prout declarat *Dec. dicto consil.205. num.9. & cons. 247. sub num.5. in fine. & num. 6.* cum alijs per Illustrissimum Dominum Cardinal. Manticam *de coniecturis lib.5. tit.2. num.7.8.9. & 13. & lib.6. tit.4. num.15. Modern. de fideicommis. art.18. num.6. vers. contrarium tamen.* hic autem quo ad filios in successione suorum parentum non est inducta compendiosa, sed sola vulgaris, vt dictum est.

11 Non obstant plures decisiones in contrarium allegatæ, quia in ijs aderant verba adnotantia tractum temporis, vt apparet ex earum lectura, quæ cum hoc casu desint, neque adsit vlla ratio expressa conseruandæ agnationis, vel dictio exclusiua feminarum, ideo ex prædictis, & alijs adductis per Informantes Domini recesserunt à decisis.

REVERENDISS. P. D. COCCINO DECANO.

Pampilonen. Iuris patronatus de Ianzi. Lunæ 28. Nouembris 1611.

ARGVMENTVM.

Episcopo extra suam diœcesim quando dicatur concessa iurisdictio ordinaria, & confessio eorum, quæ iuris sunt, confitenti non nocet.

SVMMARIVM.

Episcopum habere iurisdictionem ordinariam extra diœcesim non præsumitur. num. 1.

Confessio eorum, quæ in iure consistunt, confitenti non nocet, num.2.

Confessio quod quis sit vsurarius in genere confitenti non nocet. num. 2. in fi.

Deputatio Episcoporum non simpliciter facta, & ad certum effectum non tribuit deputatis Episcopis ordinariam iurisdictionem. num.3. in fi.

DECISIO CCCLVIII.

1 CVm per tres sententias Rotales fuerit pronunciatum, constare de Iure patronatus ad fauorem Catherinæ, Episcopus Pampilonen. tanquam Ordinarius venit ad causam, prætendens dictas probationes non esse sufficientes contra ipsum, licet tales fuerint visæ, dum incidenter agebatur inter compatronos, & Rota omisso huiusmodi articulo voluit videre, An constaret Episcopum Pampilonen. esse ordinarium loci de Ianzi, & negatiue fuit resolutum, quia ipse hoc non probat concludenter, prout tenetur, *Abb. in c. cum olim. nume.2. de censibus,* qui loquitur in terminis.

2 Licet enim ipse alleget plures confessiones Catherinæ in mandatis datis, in quibus enunciatur locum de Ianzi esse Pampilonen. diœcesis, tamen istæ confessiones non nocent, cum sint circa ea, quæ in iure consistunt, nempè quòd locus de Ianzi sit in diœcesi vnius, vel alterius. *l. ornamentorum. ff. de aur. & argen. leg. Bart. in l. 1. nu. 12. ff. si certum pet.* & ideo si quis confiteatur se furtum commisisse (si re vera furtum non commiserit) talis confessio non præiudicat, puta si res quam dicit se subtraxisse erat propria ipsius confiten-

fitentis, & si quis fateatur se esse vsurarium generaliter talis confessio non præiudicat, quia quod quis sit vsurarius in iure consistit,& non statur simplici confessioni, nisi aliter exprimatur actus, vt eleganter per *Aym. in cons. 48. num.7. & seqq.*

3 In proposito autem licet Catherina fassa fuerit, locum de Ianzi esse Pampilonen. diœcesis, tamen ista confessio potest intelligi in casu disposito in Breui Pij V. de quo mox dicetur, *iux. not. per Rui. in consi.170. nu.8.& 10.lib.3.* & in omnem euentum multum elliditur, ex quo in Breui concessionis Iuris patronatus factæ per Pium IV. enunciatur locum de Ianzi esse Baionen. diœcesis, & ex sententia Episcopi Baionen. lata, tanquam ab Ordinario super Iure patronatus ad fauorem Catherinæ,& ex dicto Breui san.mem.Pij V. in quo narratur, quo locus, de quo agitur est in diœcesi Baionen. Regni Nauarræ, in dominio tamen Regis Catholici, & quo ad euitanda pericula animarum, quæ potuissent accidere ex conuersatione in locis suspectis ordinatur Episcopo Baionen. vt deputet Vicarium foraneum pro causis cognoscendis, & Metropolitano, vt deputet alium pro causis appellationum, ne Populus congeretur adire Ciuitatem Baionen. in Regno Franciæ, ex quo fluctuabat à fide quibus negligentibus intra 60. dies hoc facere loco Episcopi Baionen. deputauit Pampilonen. loco vero Metropolitani Calaguritanum Episcopos, quæ deputatio fuit facta non perpetuo, sed durantibus calamitatibus, & propterea hæc deputatio Episcoporum non debet operari,vt Episcopus Pampilonen. dicatur Ordinarius simpliciter, cum fuerit hoc ordinatum ad certum effectum, nempè pro cognitione causarum, ne Catholici contaminarentur conuersando in loco suspecto. *Bald.consi.472. num.2. vers. Sed vbi apponitur clausula, lib.2. Angel. de Perus. consi.66. num.6. vers.Clausula enim.*

4 Non ob.quo Breue Pij V.non sit in forma probanti, quia si esset in forma probanti, cessaret omnes difficultas, sed deducitur adminiculatiue, vt ex illo, & alijs reddatur turbida confessio Catherinæ, ita vt dicatur Episcopum Pampilonen. ex illa confessione non plene probasse intentionem suam, prout de iure tenetur, vt per *Abb. loco superius allegato.*

REVERENDISS. P. DOMINO DAMASCENO.

Romana Vineæ, & Saluiani de Rusconibus. Lunæ 28. Nouembris 1611.

ARGVMENTVM.

Instrumentum probat possessionem non constito de anteriori possessione alterius. Nec possessio amittitur per mandatum iudicis nulliter relaxatum susceptoque termino ad soluendum, nihil innouandum est, terminusque habetur pro rato, etiam, quòd iudex nihil interloquutus fuerit.

SVMMARIVM.

Instrumentum possessionis probat possessionem non constito de anteriori alterius possessione. num.1.

Possessio ammittitur ab eo, qui à possessione expulsus fuit,per mandatum iudicis, quando Iudex ritè, ac rectè procedit Aliàs secus. num.2.

Dilatione pendente ad soluendum data nihil innouari debet. num.3. & 5.

Termino ad soluendum suscepto etiam, quod Iudex terminum non dederit, nihil innouandum est. num.4.

Videaur verbum importat arbitrium boni viri. num.6.

Terminus ad soluendum ex notorio stylo A. C. omnibus dari debet. num.7.

Executio excessiua in modico, in totum est nulla propter illius indiuiduitatem. num.8.

DECISIO CCCLIX.

1 FVit resolutum pro manutentione Do. Angelæ de Ricchis, nam de eius possessione tempore motæ litis non controuertitur, & probatur per instrumentum captæ possessionis, quod non docto de alterius præcedenti possessione probat possessionem. *l.non idcirco. C. de fid. instrum. Abb. in c. cum nobis. num. 5. ver. Item per instrumenta. de præscript. cum alijs per Natt. consi. 572. numer. 15.* & ad effectum manutentionis. *Cæs. de Graff. decis.5. num.1. de cau.poss.& proprieta.* Rot.in causa Ceruien.bonorum.20. Septemb.1578. coram Brauo relat. inter diuer. impres. *decis. 500. nume.1. part.1. diuers.* & in Illerden. beneficij S. Lazari, 5. Iulij 1608. coram me.

2 Non obstat, quod fuerit expulsa ab Aud. Cam. cuius mandatum potuit illam priuare ciuili, & naturali possessione. *Ang. in l. qui vniuersas. §. item cum Prætor. in fi. ff. de acqu. poss. Dec. consi. 103. num. 1. vers. sed tunc insurgit. Mohed. decis. 4. num.4. de rest tu. spol.* Quia hoc procedit, quando iudex ritè, ac rectè procedit, alias non priuat possidentem sua possessione, quia habetur loco priuati. *Corn.consi.193. num.4. lib.3.* Rot.in causa Pennen. & Adrien. beneficiorum. 4. Iulij 1584. coram bo.mem. Cardinale Seraphino, relat. inter diuer.impress. *decis.802. num.7. vers. quia pro responsione par.1.* & in causa Sancti Seuerini bonorum 20. Decembris 1610. coram me.

3 Ritè autem,& rectè non visus fuit processisse Aud. Cam. in hoc casu, quandoquidem ante immissionem Angela confessa fuit debitum, & suscepit terminum triginta dierum, & nihilominus pendente huiusmodi termino data fuit immissio, quod fieri minime potuit, tam de iure communi,quia data dilatione est supersedendum. *l.siue pars. C. de dilat. Anchar. consil.36.n. 6. latè Gabr.de dilat. concl.1. num.1.cum plurib.seqq.* Quam ex forma Constit. Pij Papæ V. super Tribunal Aud. Cam. in Bullar. impres. 117. ver. quodam si parti petenti.

4 Nec suffragari visa fuit responsio, quod huiusmodi terminus minime fuerit datus à Iudice, quia cum fuerit ab Angela petitus, & debuisset dari, habetur pro dato paria enim sunt fecisse, vel facere debuisse. *l. si finita. §. eleganter. ff. de dam. infect. l.si creditori. C. de fideicommiss. l. 1. & ibi gl. verb. manifestum. C. de instit. & substit. Castr. consi. 80. num. 1. vers. & ideo. lib. 1. & consi. 338. in fin. lib.2. Alexan. consi.102. num. 1. lib.1.* Et in simili de Apostolis, qui si in quo debuissent dari fuerint petiti, habeantur pro datis. *Clement. quamuis. §. quod si Iudex. de appell. c. ab eo. eodem titu. in 6. Feder.de Sen. cons.192. num.2. ver. 2. membro princip. Bal. consi.44. num.8. lib.3.*

5 Nec debet culpa Iudicis in deneganda dilatione, quam dare debebat, operare validitatem actus, qui alias data dilatione sine dubio fuisset nullus. *per tex. in dicta l.si finita. §. eleganter. cum ibi no. per Castr. in prin. ver. habetur ergo. ff. de dam. infec. glos. in cap. ex ratione. verb.impotentiam. de appell. Dec. consil.356. num.1. Afflict. decis.50. num.5. cum alijs per Vrsill.ibi.num.1.*

6 Quod autem Aud. Cam. debuisset dare huiusmodi dilationem non obstan. quod Constit. Pij V. in dicto ver.quod si potenti, non vtatur verbis preceptiuis,sed arbitrarij, ibi danda videbitur longior dilatio. Dixerunt Domini posse firmari ex eo quod verbum videbitur importat arbitrium boni viri. *l.fideicommissaria libertas. la terza. ver. si tibi videbitur. ff. de fideicom. libert. Bart. in extrauag. ad reprimen. verb. videbitur. in princip. Roman. consilio 467. numero 1. Alexand.consil.163. num.4. lib.6. Dec. cons.493. num.19.*

7 Ex

7 Ex pluribus autem saltem simul iunctis dicebatur ita fuisse arbitran. nempe quia ex notorio stylo Aud. Cam. iste terminus de soluen. nemini solet denegari, & quia summa crediti erat modica respectu bonorũ, in quibus petebatur immissio, & quia creditum non erat originarium istorum de Rusconibus, sed paulo ante procuratum per viam cessionis, & quia agebatur cum muliere, quibus propter earum imbecillitatem iura fauent, & quia ex deposito facto per D. Angelam eadem die, qua fuit data immissio, & alijs oblationibus de soluen. per eandem factis durante lite, satis apparere visum fuit, quod immissio in eius Vineas nimis affectabatur. Vnde non visa fuit posse excusari præcipitantia, & grauamen.

8 Ex alio etiam dicebatur immissionem fuisse nullam nempe quia fuit data pro summa petita Scut. 110. Bonon. 76. dempta tamen sexta parte correspondente Scutis centum restitutis ab Helena. Et nihilominus plusquam sexta partes erat excomputan. stantibus Scut. 25. quæ ijdem Rusconi rehabuerunt ab eadem Helena ad computum pecuniæ per eos solutæ, pro fructibus, vt latius deducitur per Informantes pro Domina Angela, & clarum est in iure, quod excessus licet in modico propter indiuiduitatem vitiat totam exequutionem. *Put. decis. 323. numer. secundo, libro primo, Roman. consil. 450. num. 3. ad fin. Castr. in leg. si non sortem. §. si certum. num. 2. Ias. num. 1. ff. de condict. indebit. Paris. consil. 81. numer. 36. libro secundo.* Fuit dictum in vna Romana Spolij, 2. Februarij 1600. coram bon. mem. Iusto.

R. P. D. VBALDO.

Toletan. Confraternitatum de Pastrana. Veneris 26. Decembris 1611.

ARGVMENTVM.

Ex Summarijs sume Argumentum.

SVMMARIVM.

Possessio quomodo censeatur probata per testes, quando agitur de probatione primi extremi. nu. 1.
Testes examinati in causa criminali pro informatione Curiæ faciunt adminiculum in causa ciuili. nu. 1.
Possessio rei conuenti censetur probata per sustentationem litis. nu. 1.
Clausula quam, & quas in commissione appelllationis apposita operatur, vt censeatur commissum, & deductum omne ius competens etiam per viam querelæ. nu. 3.
Testes deponentes extra articulos, quando probent. nu. 5. Vbi de materia.
Fides non facit fidem. nu. 6.
Præscriptio, seu quasi possessio quando, & quomodo detur in facultatiuis. nu. 7.

DECISIO CCCLX.

1 FVit conclusum esse locum redintegrationi Confratrum Oppidi de Pastrana ad quasi possessionẽ recipiendam ornamenta necessaria pro diuinis officijs celebrandis, nec non vsus campanarum à Collegiata eiusdem loci de qua possessione late deponunt testes in iudicio ciuili examinati, de quibus in Summario Confratrum. *num. 2. Alex. cons. 54. sub num. 5. vers. tamen adhuc lib. 5. Caput. dec. 370. par. 2. cum alijs alleg. per Informan.* quibus accedunt testes examinati pro informatione, de quibus in dicto Summario, nu. 3. qui deseruiunt saltem pro adminiculo. *Put. dec. 61. nu. 4. lib. 2.* Et fuit dictum in causa Lunen. Tarzanen. cap. 20. Nouembr. 1600. coram D. meo Sacrato. Vnde remanet probatum primum extremum.

2 Secundum vero extremum probatur eisdem testibus, qui deponunt Confratres fuisse perturbatos in dicta possessione, & nonnulli deponunt de visu, & ex sustentatione litis. *Bar. in l. fin. ff. de precar. DD. in cap. querelam. de elec. Aym. cons. 107. nu. 3. & cons. 140. n. 1. Soc. iun. cons. 18. nu. 17. lib. 2. Cæs. de Graff. dec. 4. nu. 2. de restit. spoliat. Pontan. de spol. libr. 2. cap. vlt. num. 185. Verall. dec. 369. par. 2.*

3 Non obstat, quod hæc causa spolij non videatur commissa in Rota, ex quo Confratres coram Ordinario Toletan. intentarunt querelam criminalem, vnde Thesaurarium dictæ Ecclesiæ Collegiatæ sub prætextu prædicti spolij, & Decanus, & Capitulum eiusdem Collegiatæ conuenerunt confratres sub prætensa inualiditate statuti per eos conditi, super qua solum fuit à dicto ordinario pronunciatum, & eius sententia fuit confirmata in secunda instantia à qua per appellationem fuit causa ad Curiam deuoluta, & sic cũ in spolio non fuisset pronunciatum, causa quæ in gradu appellationis in Rota pendet, non videatur comprehendere prædictum spolium, quia fuit responsum difficultatem cessare ob clausulam, quam & quas, &c. in commune appositam, ex qua censetur omne ius competens in iudicium deductum. *Sar. de infirm. resign. quæst. 34. num. 4. vers. & hoc vlterius,* quem sequitur additio ad *dec. 23. num. 3. de rescr. in nou. Cæs. de Graff. dec. 1. num. 2. de iudic. Pont. de spol. lib. 2. cap. 4. num. 18.* etiam si competat per viam querelæ, vt tenuit Rota in causa Salamantina Canonicatus. 11. Febr. 1577. coram Illustrissimo Blanchetto, & potest specificari quælibet causa. *Achill. decis. 22. num. 2. de appell. Rota quæ loquitur in Spolio. decis. 684. num. 3. lib. 3. part. 3. diuers.* & de specificatione in causa Spolij Spolij hic videtur apparere ex transportatione per appellantes, facta de processu causæ criminalis, in quo in specie legitur petitio restitutionis, & habentur probationes factæ super primo extremo.

4 Non obstat, quod non fuerit pronunciatum in causa criminali, nec super Spolio, quia respondetur, quod eo ipso Consilium Toletan. grauauit partem, quæ ante omnia petierat purgari Spolium. Vnde cũ appellauit non solum à sentententia lata à quocumq; grauamine, & causam in Rota commiserit modo, quo supra dictum est, non videtur dubitandum, causam etiam spolij censeri commissam.

5 Non obstat, quod Testes deponentes de spolio videantur deponere extra articulos, præsertim cum non iurauerint super tota causa, iuxta *pract. Specul. in tit. de peste. §. sequitur. vers. illud autem notan. Rot. dec. 593. p. 1. diuers.* quia fuit responsum articulos pro parte Capituli fuisse mutilate datos, & ex lectura secundi articuli dati pro Confraternitatibus apparet fuisse articulatum, quod dictæ Confraternitates sunt antiquissimæ, & tempore immemorabili se congregarunt, & celebrarunt in dicta Collegiata, & quod sunt fundatæ in illa per quamplures annos antequam esset Collegiata, vnde Testes super dicto articulo examinati bene potuerunt deponere super quasi possessione celebrandi, & accipiendi ornamenta necessaria à dicta Collegiata, cum etiam si modicum quid faciat ad articulum Testis dictum, non dicatur impertinens ad articulum. *Ang. in l. iam dubitari. ff. de hæred. instit. post gl. ibidem in verb. excessus. Bald. per illum text. in capit. quoniam. n. 3. de test. & in l. ad probationem prima. in 3. not. C. de probat. Dec. cons. 161. in causa, quæ agitatur. sub nu. 2. & cons. 517. in causa dicitur. nu. 2. Doct. in l. 1. vbi Ias. n. 44. Dec. 3. lect. nu. 50. Hier. Cagn. num. 75. ff. si cert. pet. Curt. sen. cons. 70. nu. 8.*

6 Non obstat, quod causa fuerit concordata, quia non iustificatur ex præcepto Archiepiscopi Toletani, neque ex fide Notarij, quia non est Notarius rogatus de concordia, sed alius. Ideo non facit fidem. *Abb. in*

in c. sicut nobis, de sent. excomm. vltra quod dicitur concordiam non habuisse, effectum propter contradictionem Capituli, ideo non attenden. *cap. 2. de verbo signific.*

7 Non obstat, quod hæc materia dandi ornamenta videatur facultatiua, ideoque potuerit Collegiata quandocumque cessare à pretensa datione ornamentorum, quia fuit responsum, quod cum Confraternitate sint fundatæ in dicta Ecclesia cum onere, & consuetudine celebranda, vt supra, materia non videtur mere facultatiua, sed potius talis, vt ex vnico actu, & multo magis ex pluribus, & reiteratis actibus potuerit acquiri quasi possessio, ad trad. per *Rip. in cap. cum Ecclesia. numer. 52. de caus. poss. & propr.* vltra quod hic viget fauor piæ causæ, & diuini cultus, quo casu non censetur materiam facultatiua. *Abb. in cap. suam nobis num. 8. de Sim. Gabr. tit. de præscript. conclus. 10. num. 12;* & fuit dictum in causa Segobien. Cantorum 11. Febr. 1604, coram Illustrissimo Cardinali Lancelloto, Et ita decisum, &c.

REVERENDISS. P. D. PEGNA DECANO.

Romana Fideicommissi de Naris. Veneris 2. Decembris 1611.

ARGVMENTVM.

Reciprocæ substitutionis requisita, & quando per Testatorem facta dicatur, notabilis, decisio.

SVMMARIVM.

Substitutio reciproca censetur inducta à testatore, quando in substitutione apponit dictionem inuicem, num. 8.

Substitutio reciproca semel admissa inter filios eadem esse dicitur inter filios filiorum, & alios vocatos, nu. 9.

Substitutio facta relatiue ad præcedentem substitutionem censetur facta cum eisdem qualitatibus, quibus facta est substitutionis relatio. num. 10. & seq.

Substitutio reciproca duobus, vel pluribus conuenit non vni soli. num. 12.

Testator præsumitur, quod magis diligat proximiores descendenres, quam remotiores. nu. 12.

Filij positi in conditione censentur vocati vigore Statuti Vrbis. dec. 361. nu. 12. in fin.

Filij positi in conditione censentur vocati, quando testator ad plures gradus substitutionum progressus est perpetuitatem suæ familiæ, & conseruationem suæ agnationis respiciens. num. 13.

Substitutio reciproca censetur inducta inter filios, qui positi in conditione censentur vocati. nu. 13.

Substitutio reciproca censetur inducta per testatorem, quando prohibuit bona sua alienari. nu. 14.

Substitutionis reciprocæ, requisita, nu. 15. & seqq.

Hæreditatis restituendæ onus semper intelligitur impositum vltimo morienti. num. 15. etiam quod fiat verbis expressis, num. 16.

Substitutio reciproca requirit, vt fuerit facta in tota hæreditate. num. 17.

DECISIO CCCLXI.

1 Tiberius Narus condito testamento hæredem vniuersalem sibi instituit Lucium Martium filium cum prohibitione alienandi quæcumque bona sua vsque ad 30. ætatis annum, inde vero ordinauit, vt Lucius Martius, & alij, si qui forent hæredes, de bonis, & hereditate testatoris libere disponere possent, excepto tamen prædio, vulgo nuncupato, il Casale de Monte Meliore, quod cum annexis prohibuit ex quauis causa, & titulo in toto, vel in parte vllo vnquam tempore alienare, vt perpetuo esset in bonis, & hæreditatem testatoris pro manutentione, & ampliatione nobilis familiç de Naris etiam absque detractione legitimæ, Trebellianicæ, aut cuiusuis alterius iuris, ita vt remaneret illæsum, & indiuisibile quo ad proprietatem, licet fructus inter Lucium, seu alios hæredes, & illorum descendentes in perpetuum diuidi possent.

2 Rursus deueniẽdo ad substitutionem. Primo filios masculos vulgariter, & pupillariter, & per fideicommissum inuicem æquis portionib. substituit hoc modo, videlicet decedente vno ex ipsis filijs, & hæredib. institutis, relictis filijs legitimis, & naturalib. tam masculis, quam feminis, quod ipsi filij masculi, vel feminæ talis decedentis, legitimi tamen, & naturales tantum succedant in bonis ipsius decedentis, & eius rata portione, si uero sine filijs legitimis, & naturalibus masculis, uel feminis, decesserit vel decesserint, quod alter ipsorum hæredum superuiuens, seu etiam defuncto, eius filij, seu filiæ succedant, prout eorũ pater successisset per stirpes, & non per capita, si vero ipsi omnes hæredes instituti, vt supra decesserint sine filijs, seu filiabus legitimis, & naturalibus, ex se ipsis, & legitimo matrimonio procreatis, & reperitur aliquis filius naturalis præfatorum hæredum, vel alterius eorum, quod talis filius naturalis de domo, & sanguine de Naris in hæreditate succedat etiam vulgariter, & pupillariter, & per fideicommissum, vt supra.

3 Et non existentibus legitimis, neque naturalibus masculis, neque feminis ex dictis hæredibus, & ab illis descendentibus in perpetuum vltimus superuiuens dictorum hæredum, seu descendentiũ teneatur adoptare vnum quem voluerit personam tamen nobilem, virtute, & bonis moribus insignitum, qui per legitimum matrimonium contrahendum per eũ domum, & familiam prædictas ampliare, & manutenere posset, & cognominetur de domo, & familia de Naris, vtaturque insignijs & honoribus, iuribus, immunitatibus, & Priuilegijs eiusdem, & sic tam ipse adoptandus, quam omnes descendentes ab eo in perpetuum, vt supra, ad quos bona, & hæreditas prædicta deuenerint, videlicet nati natorum, & qui nascentur ab illis, seu in euentum prædictum adoptabuntur, perpetuo tempore de domo, & familia de Naris nuncupentur, vt supra, & ad eum dicta hæreditas deuoluatur, vt supra modo, & forma superius expressis, & non alias aliter, nec alio modo, etiam vulgariter pupillariter, & per fideicommissum, vt supra quos omnes respectiue, & successiue dictus testator substituit, & ore proprio nominauit.

4 Tiberio Testatore cum prædicto testamento nullis alijs susceptis filijs vita functo, obijt Lucius Martius illius filius, & hæres sine filijs in 19. ætatis, anno condito prius testamento in quo circa, prædium de Montemeliore cum suis annexis narrata dispositione & voluntate paterna omni meliori modo quo potuit hæredes instituit, & nominauit Ioannem Antonium, & Hieronymum, fratres de Naris cum conditionibus & oneribus similibus in dispositione paterna appositis, & contentis.

5 Vitã functo Lucio Martio obijt etiam Hieronymus sine filijs condito testamento, in quo circa suã medietatẽ prædij de Monte Meliore hæredẽ instituit prędictum Ioannem Antoniũ, cum oneribus, & conditionibus in testamento Lucij Martij appositis, grauauit tamen Ioanne Antonium, vt restitueret medietatem prædictam Francisco Nato tertio communi fratri.

6 Ceterum cum uigore Testamentorum Tiberij, & Lucij Martij, Ioannes Antonius prætenderet, Hieronymum de dicto predio disponere non potuisse, ex quo altero decedente sine filijs superstes substitutus

tus in eius portione successurus erat prædictam medietatem Francisco restituere negauit: Vnde orta lite super hac cõtrouersia, quia causa erat grauis vtraq; parte informante die 5. Maij 1610. proposui dubium, an esset inductum fideicommissum reciprocum inter Hieronymum, & Ioannem Antonium de Naris, ita vt Hieronymus potuerit, vel non potuerit disponere ad fauorem Francisci.

7 Et quoniam Dominis fuit visum difficile, & latè patens, ordinatum fuit, quod restringeretur, & videretur: An in testamento Tiberij adesset reciproca inter omnes vocatos, & causa proposita die 9. Maij 1611. propter difficultates occurrentes non fuit resoluta, sed ordinatum, quod iterum proponeretur, quare iterum proposita, & Ioanne Antonio informante, nam Aduocat pro pupillis hæredibus Francisci potius informarunt super modo informandi quam super prædicto dubio proponentes Dominis considerandũ per particulare Memoriale in hac propositione datum, primum quod dubium erat generale, An adesset reciproca inter omnes vocatos, non autem speciale, quales, vel qui essent casus. Secundo, quia Ioann. Antonius aduersarius inducebat testamentum Tiberij, non quia in eo vocaretur, aut nominaretur, sed per relationem, quam prætendebat ad illud habere testamentum Lucij Martij, cuius vigore agebat, & tamen ex lectura vtriusque testamenti euidenter patebat eã inter se in multis etiam substantialibus differre, cum testamentum Tiberij, plures, & diuersos casus, & gradus vocatorum contineret, à quibus Lucius Martius expresse recesserat. Tertio, ne inordinato modo terminaretur causa cum testamento Tiberij, parte inaudita super testamento Lucij Martij continente expressas dispositiones ad fauorem pupillorum.

8 Istis tamen nunc omissis, de quibus si necesse foret suo loco, & tempore particulariter ageretur. Rota censuit in testamento Tiberij fuisse inductam reciprocam substitutionem inter omnes vocatos. Et respectu filiorum Tiberij omnes fatebantur inter eos expresse fuisse inductam reciprocam ex illis verbis, vulgariter, pupillariter, & per fideicommissum inuicem si decederent, æquis portionibus substituendo, ponderando dictionem, inuicem, quod etiam post clarius explicauit in illis verbis hoc modo videlicet, &c. hæc enim est propria formula substitutionis reciprocæ, *l. Lucius, vbi Bart. & Doct. ff. de vulgar. & pupil.* quare in hoc primo gradu reciproca substitutio erat expressa, & clara.

9 Maior difficultas erat in vlterioribus gradibus circa filios filiorum, & ceteros vocatos. An essent reciproce substituti. Et Rota reciprocam in istis etiam agnouit, nam admissa semel reciproca substitutione inter filios Tiberij, eandem esse dixit inter filios filiorum, & alios vocatos. Et quantum ad filios filiorum institutorum expressa dicebatur substitutio contineri, cum Tiberius filios institutos inuicem substituisset, nam immediate prosequendo subiecit, hoc modo videlicet, decedente vno ex ipsis filijs, & hæredibus institutis relictis filijs legitimis, & naturalibus, tam masculis, quam feminis, quod ipsi filij masculi, vel feminæ talis decedentis legitimi tamen, & naturales tãtum succedant in bonis ipsius decedentis, & eius rata portione, si vero sine filijs legitimis, & naturalibus masculis, vel feminis decesserit, vel decesserint, quod alter ipsorum hæredum superuiuens, seu etiam defũcto, eius filij, seu filiæ succedant, &c. ex his enim verbis, adinuicem declarauit testator, quomodo intellexisset præcedentia verba, cum dixit hoc modo videlicet, quæ erant declaratiua præcedentis substitutionis per quam declarationem non solum vocauit filios decedentis in portione patris, sed casu quo sine filijs decederet, vocauit fratrem superuiuentem, & illo etiam vita functo voluit, quod eius filijs succederent, & sic in declaratione dictæ substitutionis, reciprocæ nedum comprehendit filios proprios inter quos fuit facta, sed etiam filios istorum filiorum.

10 Rursus immediate subsequebatur substitutio de filijs naturalibus sub conditione, si ipsi omnes, quos ante vocauerat decessissent sine filijs legitimis, quo casu substituit filium naturalem, vulgariter, pupillariter, & per fideicommissum, vt supra per quam dictionem, vt supra, testator fecit relationem ad præcedentes substitutiones, & ad illarum qualitates, ita vt si primæ fuerunt reciprocæ, ista etiam reciproca esse debeat, vt in terminis substitutionum notat *Dec. cons. 227. incip. in casu ad me transmisso, nu. 3. & Paris. cons. 48. incip. vidi testamentum. nu. 14. lib. 2. & merito, quia vt dixit Bart. in l. 1. §. hoc edicto, num. 2. ff. de postulan.* loquens de hac dictione, illa refertur ad contentos in proximo præcedenti capite.

11 Præterea statim prosequens testator negotiũ substitutionum digreditur ad substitutionem adoptandi, vt ceteris deficientibus adoptatus domum, & familiam præfatam ampliare, & manutenere possit, & cognominetur de domo, & familia de Naris, vtaturq; insignibus eiusdem familiæ, ita vt tam ipse adoptandus quam omnes descendentes ab eo in perpetuum, vt supra, ad quos bona deuenerint, videlicet nati natorum, & qui nascentur ab illis, seu in euentum prædictum adoptabuntur, perpetuò de familia de Naris nuncupentur, vt supra, & ad eum dicta hæreditas deuoluatur, vt supra modo, & forma superius expressis, & non alias aliter, nec alio modo etiam vulgariter pupillariter, & per fideicommissum, vt supra, ponderando illa verba, ad eum dicta hæreditas deuoluatur, vt supra modo, & forma superius expressis, quę referunt eandem reciprocam supra expressam ex Decio, & Parisio paulò ante relatis.

12 Nec refert, quòd ista vltima substitutio facta de adoptando, sit vni tantum facta contra naturam reciprocæ, quæ duobus, vel pluribus conuenit l. iam hoc iure. ff. de vulgar. Quia fuit responsum, quod vocando vnum adoptandum, de omnibus necessario adoptandis, Testator intellexit, & de illorum filijs, & descendentibus in perpetuum. Et hæc considerauit Rota insistendo verbis ipsius testamenti, vnde testatoris mens colligebatur, quamquam etiam censeret non defuisse graues coniecturas ex eodem testamento desumptas, quæ substitutionem reciprocam inter omnes vocatos inducere viderentur. Et illa in primis, quia cum facta fuisset expresse inter filios Tiberij institutos. Testator multo magis illam fecisse voluit inter descendentes remotiores, & minus sibi dilectos, & magis inter extraneos adoptandos, *Socin. iun. cons. 110. num. 6. & 10. & 39. lib. 3. Crauett. consil. 130. incip. de anno 1361. num. 6. Decian. cons. 28. incip. in prima fronte, num. 21. libr. 2. Surd. consil. 344. incip. nepotes ex filijs, numer. 17.* Præterea, quia cum filij filiorum essent positi in conditione in substitutione reciproca institutorum, & substitutione naturalium, tam legitimi, quam naturales essent positi in conditione adoptandorum videbantur etiam vocati iuxt. dispositionem Statuti Vrbis.

13 Progressus etiam fuerat testator ad plures gradus substutionum, atque adeo enixe perpetuitatem suæ familiæ, & conseruationem agnationis optauit, vt istis concurrentibus positi in conditione vocati censerentur, vt sæpè Rota censuit, & signanter in vna Romana fideicommissi die 12. Nouẽb. 1607. coram R. P. D. Ludouisio, & in vna Bononien. de Pannolinis, coram Domino Marcomontio.

Vnde inferebatur, quod cum prædicti omnes sic in conditione positi ex tot coniecturis censerentur uocati etiam inter ipsos reciproca substitutio esset inducta. *Ripa in leg. hæredes mei, §. cum ita numero vintesimo nono, ff. ad Trebellian. Ruin. consil. 167. incipiend. prima*

prima videtur. num.5. libr. 3. Socin. iun. consil. 150. incip. viso puncto, num.12. lib.2. Gabriel. de substitut. conclus.1. nu. 28. latè Decian. cons.44. num.68. lib.3. Surd. d. consil. 344. num. 17. Sfortia Odd. consil. 66. incip. Dominus Nicolaus, num.72. & alij per hos relati, Rota in vna Bononien. de Felicinis, coram bon. memorię Cardin. Seraphino tunc Rotæ Auditore.

14 Prohibitio etiam alienationis reciprocam arguebat, cum voluisset testator bona sua in familia conseruari, nam tunc inter omnes illos censetur inducta reciproca, *l. pater filium, §. pater. ff. de leg.3. Bald. cons. 283. incip. verba testamenti, nu.1. lib.2. Anchar. cons.152. incip. plura sunt dubia, num.3. Menoch. lib.4. præsumptio. præsump. 62. num. 37.*

15 Nec videbantur deesse requisita ad reciprocam, de quibus Cardinalis Mantica *lib.7. de coniectur. vlt. volunt. titul.5. num.6.* videlicet quod omnes isti fuerant à testatore vocati, & substitutio fuerat facta vltimo morienti, & fuerat facta in tota hæreditate. De primo enim requisito constabat ex serie totius testamenti, & ex hactenus deductis. De secundo apparebat ex eodem testamento dum testator vltimo morieñti de sua familia substituerat adoptandũ, & illius descendentes & vltimo substituit iterum in prædictum euentum adoptandum. Et licet non expressisset à quo hæreditatem vellet restitui, semper tamen intelligitur onus impositum vltimo morienti. *Bar. in l. qui duos, in ff. & alij communiter. ff. de vulgar. quos refert, & sequitur Dec. d. cons.44. num.63. Curt. iun. consil. 111. incip. D. Paulus, numer.13. Socin. iun. consil.151. incip. inspectis verbis testamenti, numer.6. libr.2.* & testatur de magis communi, *Paris. cons. 43. incip. Dominus Ambrosius, numer. 33. in fin. libr.2.*

16 Nec est opus, quod substitutio fiat verbis expressis vltimo morienti, *Socin. iun. d. cons.151. numer. 6. & 9. & cons. 110. num. 33. libr. 3.* & fuit dictum in dicta causa Bononien. de Felicinis: quicquid voluerit *Socin. cons. 104. lib.2.* & alij, quod substitutio facta in tota hæreditate non intelligatur facta vltimo morienti, nec importet reciprocam, nam contrariam sententiam veriorem profitentur, *Paris. d. consil. 43. nu.33. libr.2.* vbi testatur de veriori, & magis communi. *Curt. iun. consil. 156. incip. in testamento condito. num.2. & d. cons. 111. num. 13. Cephal. cons.383. incip. viso, & perlecto testamento, nu. 27. & plures attestantes de magis communi refert Simon. de Pretis. lib.3. interpret. dub. 3. solut.1. numer.2. versic. hanc ego quoque.*

17 Tertium requisitum ad reciprocam inducendam, quod fuerit facta in tota hæreditate apparebat ex illis testamenti in verbis in substitutione adoptandi, ad eum dicta hæreditas deuoluatur, vt supra, quod etiam legebatur in substitutione naturalium ibi: in hæreditate succedat, & in substitutione filiorum ibi: succedant in bonis ipsius decedentis. Præterea quo ad Casale, & sic quo ad corpus certum integrum, & indiuisibile substitutio apparebat facta, & consequenter de toto. *Mantica dict. lib.7. tit. 5. num. 15. vers. Sed quod ibi.* nisi substitutio fiat in omnibus bonis, vel in toto eo quod est relictum, quod verificabatur in facti specie, cum testator exceptis fructibus prædij quo ad proprietatem prædium diuidi prohibuisset, *leg. Titia Seio, §. Seia libertatis, ff de leg.2.* nec dubium, quod in hoc prædio, seu Casali per fideicommissum succedendum foret vigore eiusdem testamenti, ibi; & per fideicommissum.

18 Nec ad rem pertinebat dicere, Tiberium respectu prædij, seu Casalis reciprocam expressam non fecisse, sed tantum respectu vniuersalis hæreditatis inter filios primi gradus, quasi ad istos tantum dispositio pertineret, & in dicto casu solum illa verba inuicem fuerint apposita. Quia fuit responsum, fuisse apposita quo ad omnes, & consequenter reciprocam fuisse inductam etiam respectu prædij, seu Casalis: nam quamuis testator instituto Lucio tantum, & quo ad Casale prohibita in perpetuum alienatione pro perpetua ampliatione, & conseruatione familiæ de Naris, nihil de reciproca expresse dixerit, non erat necesse, donec peruenit ad substitutiones in clausula, & in casu quo Phenicia, in qua vocauit nascituros simul cum Lucio, inter dicta illis bonorum alienatione, vt antea fuerat expressum, & consequenter quo ad Casale in perpetuum, quo ad alia bona vsque ad 30. annos, inde prosequutus eosdem filios vulgariter, pupillariter, & per fideicommissum in portionibus decedentium substituit, illa vero substitutio cum ceteris subsequentibus ad prædium etiam patenter refertur, in quo omnes fuerunt substituti cum prohibitione alienationis.

R. P. D. VBALDO.

Aquilana Pecuniariæ. Lunæ 5. Decembris 1611.

ARGVMENTVM.

Defenditur hic mandatum relaxatum vigore cessionis factæ fideiussori soluenti contra alios Confideiussores, & heredes principalis debitoris à pluribus nullitatibus contra illud oppositis. Et inde propterea plures firmantur conclusiones, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Negatiua quando est fundamentum actoris debet ab eo probari, nu.2.
Solutionem negans transfert probandi onus in aduersarium, numer. 2.
Negans aduersarium adimpleuisse id, quod adimplere tenebatur transfert onus probandi implementum in eundem aduersarium, num.2.
Fideiussor accedens in contractu, censetur approbare omnia contenta in cantractu, num.4.
Relatio ad obligationem alterius operatur, ac si omnia in obligatione, ad quam fit relatio, contenta essent expressa, nu.4.
Fideiussor soluens, non potest agere contra confideiussorem nisi pro rata eius, quod soluit, & non pro tota summa, quam soluit. nu.5. Vbi declaratur hæc conclusio quomodo procedat.
Mandatum executiuum relaxatum contra aliquem pro summa pecuniarum dicitur indiuiduum, nu.5.
Hypotheca sequitur rem hypothecatam, existentem penes quemcunque possessorem, nu.6.
Liber priuatus probat pro scribente quantitatem debitam, quando debitum non negatur, num.7.
Liber priuatus probat pro scribente adminiculis concurrentibus, num.8.
Instrumentum non dicitur esse in forma probanti, quando est exemplatum à Notario non rogato sine citatione partis, & alijs requisitis, Declara, vt num.9.

DECISIO CCCLXII.

1 Locauerat Serenissimus Dux Parmæ suos redditus in Prouincia Aprutina Alexandro Romanello, & socijs, pro quibus accesserunt vti fideiussores, principaliter tamen se obligantes, & in solidum Octauius Viuius, Ioannes Mattheus Romanellus, & alij, sed finita locatione, cum conductores remansissent debitores in Scutis 1049. Octauius fuit coactus dictam summam soluere, & reportauit cessionem, cuius vigore egit coram Auditore Cameræ, & obtinuit relaxari mandatum contra hæredes Alexandri, & Ioannem Matthæum. De cuius mandati validitate, & iustitia cum dubitaretur in Rota, multa contra illud opponebatur.

2 Primo, quod obligatio fideiussorum fuit solum in subsidium in casu quo principales conductores non obseruarent promissa. Tunc enim de suo teneri voluerunt, vnde non videtur potuisse agi cōtra fideiussores, non excussis principalibus, nec docto de eorum inobseruantia, quia cum talis negatiua sit fundamentum intentionis actoris, debet ab eo probari. *Doct. in l. in illa. ff. de verb. oblig. Alex. consil. 37. num. 13. lib. 2.* Sed fuit responsum, quod immo fideiussores promiserunt quod principales affictatores obseruarent omnia promissa, alias de suo teneri voluerunt. Nec obstat, quod dicitur de negatiua, quia fallit in eo, qui negat sibi fuisse solutum, qui non tenetur illud probare. *Rip. in dicta l. in illa. num. 15. de verb. obligat.* & generaliter cui aliquid implendum est, sufficit, si neget fuisse impletum, quia onus probandi implementum transfertur in aduersarium, *leg. 1. Cod. de probat. leg. qui commeatus, ff. de re milit. Bero. cons. 125. num. 13. libr. 1. Natt. consil. 226. num. 3. libr. 1. cum alijs per Surd. decision. 64. num. 29. & sequent.*

3 Secundo opponebatur exceptio non adimplementi, cum in Capitulis affictus fuisset promissum pro parte Serenissimi Ducis consignare librum, siue notulam introituum, & creditorum Domini Duci per dictos Conductores exigendorum, de qua tamen consignatione non constat. Hæc obiectio videbatur cessare, cum fuerint conductoribus consignatæ patentes Ducales, in quibus enunciatur etiam traditio dictæ notulæ reddituum, iuxta formam Capitulorum, vt in Summario Octauij nu. 3. quæ sane redditur multum verisimilis, cum alias non potuissent exigere tantam summam ascendentem ad Scuta viginti octo millia, & vltra, quam postea soluerunt Domino Duci durante conductione, nisi habuissent notulam redituum Domini Ducis.

Tertio obijciebatur defectus citationis, Ioannis Matthæi, qui sine dubio redderet mandatum nullum. *l. de vnoquoque. ff. de re iud.* cum vulg. Sed respondebatur, hanc nullitatem cessare ex citatione facta hic in Curia in domicilio electo ab affictuarij pro se, & fideiussoribus, quæ electio videtur à fideiussoribus approbata, cum se obligauerint eo, modo, & forma, quæ in Capitulis continetur, & cum expressa confessione plenæ scientiæ eorum omnium, quæ ibi habentur, & alias fideiussor accedens contractui, censetur approbare omnia contenta in contractu, *l. 1. §. sed etsi serui, vbi glos. & Doctor. ff. quod iussu. l. exceptione. vbi Bal. C. de euict. cum alijs per Decian. respons. 15. num. 27. libr. 1.* Tanto magis in hoc casu stante prædicta forma obligationis fideiussorum relatiuæ ad obligationem principalium, *iuxta not. in auth. Si quis in aliquo C. de edend. Paris. cons. 79. num. 10. lib. 3. Ruin. cons. 84. nu. 4. lib. 1.* quo casu censetur repetita, & inserta dicta electio domicilij, etiam in obligatione fideiussorum. *Caputaq. decis. 204. nu. 4. par. 1.*

5 Quarta oppositio erat, quia non videtur potuisse Octauius agere contra Ioannem Matthæum confideiussorem suum pro toto summa, sed dempta rata sua *gloss. in l. fideiussoribus in verbo nomina. ff. de fideiussor. Bart. in leg. Modestinus, numer. 9. versic. dic ergo. ff. de solution.* Vnde cum mandatum fuerit relaxatum pro tota summa, videtur fuisse nullum in totum propter indiuiduitatem. *Rota decis. 221. num. 1. part. 2. Put. decisione 323. num. 1. & 2. lib. primo.* Respondebatur, obiectionem procedere, quando Octauius egisset, tanquam fideiussor, sed quia egit vti cessionarius Domini Ducis potuit agere insolidum. Sicut enim creditor potuisset agere contra quemlibet fideiussorum in solidum, ita virtute cessionis videtur eodem modo agere potuisse ipsius cessionarius. Et ita fuit resolutum in causa Romana Cessionis 10. Iunij 1575. coram bonæ memoriæ Rubeo, quæ tamen responsio apud nonullos ex Dominis habuit difficultatem.

6 Ideo fuit aliter responsum, quod non fuit solum actum contra Ioannem Matthæum fideiussorem, sed etiam contra hæredes Alexandri principalis debitoris, contra quem bene potuerunt à Domino Duce cedi iura integra, absque illa detractione, vt per *Barto. expresse in dicta l. Modestinus. sub num. 4. vers. dic ergo,* & fuit facta executio super domo expresse hypothecata ab Alexandro pro hoc affictu, quę domus, licet postea dicatur peruenisse ad Ioannem Matthæum per diuisionem inter ipsum, & Alexandrum fratrem, tamen diuisio non potuit præiudicare anteriori hypothecæ antea constitutæ ab Alexandro, & à Ioanne Matthæo approbatæ ad fauorem Domini Ducis. *Abbas consil. 72. col. 3. vers. tertio etiam facit. lib. 2.* & non potest impedire, quin hypotheca possit exerceri in solidum contra possessorem domus per ea, quæ ponit *Surd. consi. 209. sub num. 5. vers. eodem modo datur hypothecaria. lib. 2.*

7 Quintò fuit oppositum, quod non præcesserit liquidatio crediti Domini Ducis, sine qua non poterat deueniri ad executionem. *Bald. consil. 99. lib. 5.* cum allegatis. Conductores enim non se obligarunt ad certam quantitatem annuam, sed promiserunt exigere reditus Ducales in libro consignando descriptos, eosque respectiue soluere in Vrbe. Vnde cum non appareat in qua summa remaneant debitores, videtur mandatum relaxatum sine vlla liquidatione, sed fuit responsum, satis apparere ex Cedulono, seu libro Rationalis, siue Computistæ Domini Ducis, in quo continentur partitæ annexæ, & correspectiuæ, & verisimiles, qui liber, licet regulariter pro scribente non probet, tamen, cum hic non videatur dubitari de debito in genere, sed de quantitate, videtur fidem facere ad not. per *Cor. consi. 318. ad fin. versi. & licet index. lib. 4. cum alijs per Surd. decis. 199. num. 5.*

8 Præsertim quia hic concurrunt plura adminicula, videlicet mandatum hæredum debitoris principalis ad confitendum, Dominum Ducem remanere creditorem in summa Scutorū 1049. pro residuo affictus, verificatio aliarum partitarum, solutio fideiussoris, & cessio iurium obtenta, & alia considerata per Informantes, quibus stantibus adminiculis, fides adhibenda videtur dictæ scripturæ ex tradictis per *Rot. decis. 756. nume. 3. & decis. vlti. num. 2. & seqq. par. prima diuersorum,* & quod confessio debitoris præiudicet etiam tertio, quando est verisimilis tradit *Sur. post alios decis. 55. num. 3. Cephal. consi. 101. num. 35. & seqq. lib. 1.*

9 Sextò, & vltimo omissis leuioribus opponebatur instrumentum accessionis fideiussorum non esse in forma probanti, tanquam exemplatum à Notario nō rogato sine citatione partis, & alijs requisitis. *Caput. decis. 244. par. 2. cum allegatis.* Et licet responderetur, Primò quod ista exceptio non fuit opposita, quando fuit productum instrumentum, ideo non videtur posse amplius opponi. *Ægid. decis. 539. Put. decis. 159. lib. 1. Caputaq. decis. 5. num. 5. par. 3.* Secundò, quod transumptatio erat facta à Notario subrogato ex speciali priuilegio Proregis, ideoque poterat tanquam à successore in officio exemplari sine citatione. *Cardin. in c. cum P. Tabellio. circa principium vers. addunt aliqui sextum, & in versic. & ita iste illi subrogatus. de fid. instrum.* Tertio, quod in dictis partibus sit consuetudo, vt in exemplatione instrumentorum non adhibeatur citatio partis, tamen quia responsiones non videbantur omnino tutæ, neque verificari in facto. Ideo Domini in hac propositione causæ, resoluerunt mandatum Auditoris Cameræ esse confirmandum cum præsupposito, quod iura essent in forma probanti, de quo voluerunt, vt particulariter videretur.

REVERENDISS. P. D. PEGNA DECANO,

Recanaten. Hæreditatis Veneris 9. Decembris 1611.

ARGVMENTVM.

Substitutio directa vulgaris non solum verbis expressis sed etiam tacite inducitur ex coniecturis, ex testamento desumptis, de quibus in hac decisione, liberique pariter non solum expresse, sed etiam tacite institui possunt heredes, vt testamentum sustineatur, & de materia.

SVMMARIVM.

Substitutio præsumitur tacite inducta ad portionem patris, quando fuisset substitutus expresse, & expresse vocatus ad portionem patrui. nu. 2.
Plures coniecturæ, quibus, vulgaris, & directa substitutio tacite inducta censetur, num. 1. & seqq.
Filiæ positæ in conditione coniecturis censentur vocatæ non solum per fideicommissum, sed etiam per vulgarem substitutionem, numer. 4. & sequentibus, Vbi respondetur contrarijs.
Testator in dubio præsumitur voluisse testamentum valere, numer. 11.
Liberi ne dum verbis expressis, sed etiam coniecturis possunt tacite institui, nu. 12. & seqq. Vbi respondetur contrarijs, & de materia.
Substitutio tacita non habet locum ad fauorem vnius, quando est facta substitutio vulgaris expressa ad fauorem alterius. Declara, vt nu. 15.

DECISIO CCCLXIII.

1 HÆc causa fuit sæpe proposita, & in ea fuerunt factæ multæ resolutiones, & restrictiones, & tandem die 19. Ianuarij proximè præteriti post ponderatas multas ll. ab vtraque parte allegatas super ea, quæ opinio esset magis vera in illo articulo, An directa substitutio possit induci ex coniecturis, tunc quin non potuit capi resolutio, in hanc sententiam itum fuit, posse in aliquo casu induci vulgarem directam ex coniecturis, quales autem sint illi casus, & quales coniecturæ indagandum esse ex verbis testamentorum in indiuiduo, quia in abstracto difficulter certa regula constitui poterat. Vnde in hoc casu presupposito testamento Equitis Horatij Leopardi, & alijs vtrinq; deductis insistendo superiori restrictioni dubitaui an inde deducerentur sufficientes coniecturæ ad effectum, vt Lydia, & Magdalena de Leopardis fuerint vocatæ per vulgarem, & causa bis proposita, & propter difficultates dilata, tandem mature discussa, Rota censuit articulum versari in casu, in quo Lydia, & Magdalena censerentur vocatæ ex coniecturis per vulgarem ad portionem patris sui.

2 Nam cum Lydia, & Magdalena essent expresse substitutæ per vulgarem in portionibus, Petri, & Bernardini suorum patruorum, & etiam Hortensiæ vxoris testatoris adeo, vt si hodie moreretur Petrus non adita hæreditate testatoris sine filijs masculis, & feminis, ad eius portionem admitterentur istæ feminæ per vulgarem, ita expresse Testatore disponente, consequenter eodem modo debebant admitti imo multo magis per vulgarem ad portionem patris sui mortui ante Testatorem, cum portio patris magis sit debita filiabus, quam patrui nepotibus. *Rimin. sen. consil. 189. incip. in hac difficultate, numer. 11. vers. quibus sic præmissis, & multis sequentibus lib. 1.* qui licet loquatur in fideicommissaria, eius tamen rationes concludunt, etiam in vulgari, stante quod in dicta portione patruorum fuit facta expressa substitutio vulgaris vnde bene subintrabat supradicta ratio, quod multo magis censeretur facta in portione proprijs patris, *Menoch. cons. 152. incip. respondendum videbatur num. 11.* & hæc coniectura placuit Rotę in hac causa in decisione facta die 30. Aprilis 1610. & in Vrbeuetana fideicommissi, coram R.P.D. Coccino, & conferunt *trad. per Ruin. cons. 160. nu. 24. lib. 2.*

3 Secunda coniectura vehemens deducebatur ex eo quod in portione Iacobi prædefuncti sine dubio fuerunt vocati per vulgarem non solum Petrus, & Bernardinus si superuixerint, sed etiam eorum filij, & filiæ, vt expresse legebatur in testamento, ergo si non censerentur propriæ filiæ Iacobi vocatæ per vulgarem tacitam, consequeretur, quod fratres testatoris eorumque filijs, & filiæ excluderent proprias Iacobi filias, imo vero excluderent etiam filios masculos, cum eodem modo fuerint positi in conditione filij masculi, & feminæ.

4 Tertia coniectura placuit, quia istæ filiæ Iacobi fuerant positæ in conditione, & licet ex coniecturis censerentur vocatæ per fideicommissum ad *not. in l. Lucius, ff. de hæred. instit.* etiam si coniecturæ sint leuiores, vt docet *D. Cardinalis Mantic. lib. 11. titu. 3. nu. 29.* tamen stantibus coniecturis vrgentib. quales aderant in hoc casu, vocatæ etiam censebantur per vulgarem. *Socin. iun. in his terminis, cons. 29. incip. circa propositam quæstionem, nu. 3. & seq. lib. 3.*

5 Nec obstabat responsio data per Aduocatos pro DD. de Leopardis, quod in quibus casibus datur directa vulgaris tacita, id fit ex potestate, vel ex coniectura legis, quæ potest hoc inducere ex præsumpta mente testatoris, *vt in leg. iam hoc iure, ff. de vulgar.* & quod propterea non debeat idem inferi ex simplici hominis coniectura. Quia fuit respōsum, Primo Rotam sentire contrarium in decisione vltimo loco facta vbi in fin. dixit id esse rimandum, & exquirendū in concreto ex verbis testamentorum. Vnde sensit, quod possimus ex testamentis ipsis elicere coniecturas directæ vulgaris, non autem solum ex solis casibus, & verbis præcisis, & expressis ipsarum legum.

6 Secundo fuit responsum, quod in casu dictæ l. iam hoc iure, vulgaris tacita includitur in expressas pupillari, & è conuerso iuxta voluntatem testatoris, & hoc dicitur fuisse inductum ex constitutione Diui Marci. Vnde quatenus auctoritas legis exigeretur, non videbatur in hoc casu deesse cum Principes, & legislatores ex similibus coniecturis ex verbis & men te testantium deductis, & leges sæpe conderent, & responsa redderent.

7 Et ad hoc propositum signanter vnus ex Dominis tum in alijs propositionibus huius causæ, tum in hodierna potissimum controuersia hunc casum, qui lōge ante constitutionem Diui Marci contigerat in Republica Romana, commemorauit. Testator in testamento ita scripserit: si mihi filius in 10. mensibus gignitur, isque prius moritur, quam in suam tutelam venerit, tunc mihi Manius curius hæres esto. Accidit autem vt cum vacuo ventre, esset Testatoris vxor, non pleno, quemadmodum suspicabatur, posthumus nullus nasceretur. Vnde orta est controuersia inter Coponium, & Curium, Coponius proximitatis, aut sanguinis iure bona vendicare nitebatur, eo quod substitutionis conditio defecisset, Curius substitutus mentem testatoris spectandam esse dicebat, cum testator posthumo non nato æque, ac si natus impubes decessisset, bona ad substitutum peruenire voluisset.

8 Coponij causam recepit Q. Scæuola insignis Iurisconsultus, Curij L. Grassus clarus orator. Acta causa fuit apud centum Viros magno Popoli concursu, & expectatione. Scæuola ex scripto Testamentorum iura

iura defendebat, negabatque Curium hæredem esse posse, nisi posthumus nascerentur, & antequam in suam tutelam veniret, moreretur: Crassus diuersæ partis Aduocatus Testatoris mentem spectandam affirmabat, multisque auctoritatibus, & exemplis ostẽdebat testatorem hac mente fuisse, vt si filius sibi non esset, qui in tutelam veniret, Manius Curius hæres esset. Iudicium centumuirale sententiam Crassi amplexum pro Curio pronunciauit ob prædictam præsumptam mentem Testatoris elicitam ex coniecturis hominum, non legis, quæ nulla adhuc lata erat.

9 Huius vehementis, & acris controuersiæ mentionem sæpe facit *Cicero*, *tum in lib. 1. & 2. de Orat. tum in lib. de claris oratoribus*, *tum alibi*, *& Fabius Quintilianus lib. 7. cap. 7. & Brissonius de formulis Populi Romani. lib. 7. pag. 679. & Michael. Grass. tit. de substit. quæst. 81. nu. 6. & D. Card. Mantica de coniectur. vlt. volunt. lib. 5. tit. 3. num. 5. & Menoch. cons. 326. incip. grauissimi ponderis. num. 24. lib. 4.* & latissime vtriusque opinionis fundamenta prosequitur, & dicit veriorem opinionem esse pro Crasso, & pro substituto. Idem *Menoc. de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 65. nu. 2. & seq. & signanter. num. 22.* Vnde nulla ratio videtur suadere, vt sicut ibi eo tempore potuit coniecturari mens testatoris, vt substitutus censeretur vocatus per vulgarem tacitam etiam sine adminiculo legis, ita hodie non possimus eodem modo coniecturari istam tacitam vulgarem, cum id nulla lege prohibeatur.

10 Doctores vero in contrarium allegati ad probandum, quod ad inducendum vulgarem tacitam requiratur potestas legis omnes fere loquuntur in tacita vulgari contenta sub expressa pupillari, in qua circumscripto nunc proximè relato disputato inter Scæuolam, & Crassum, non mirum, si requiritur potestas legis, quia verba repugnant, cum verba pupillaris sint affirmatiua, verba autem vulgaris negatiua, & ideo ad coniecturandam mentem defuncti in casu vulgaris contra expressam conceptionem verborum fuit necessaria potestas legis, *vt d. l. iam hoc iure.* cum similibus, sed non propterea infertur, quod quando non repugnat expresse proprietas verborum, concurrentibus coniecturis non possit induci vulgaris tacita præsertim ad fauorem liberorum.

11 Vrgentissimam etiam coniecturam deducebant Domini ex validitate Testamenti, quam in dubio censetur Testator voluisse. *arg. l. 3. de milit. test.* nam si istæ filiæ fuissent filij masculi, & non censerentur vocati per vulgarem reperirentur præteriti, & consequenter annullarent testamentum. *l. inter cetera. ff. de liber. & posthum.*

12 Supradictis accedebat ratio, quam Rota fuit communiter amplexa, quod ageretur de testamento inter liberos quo casu verior videtur opinio, quod liberi nedum verbis expressis, sed etiam coniecturis possint institui, ad quod fuit ponderatus *tex. in. l. fin.* ibi quibuscunque verbis, vel indicijs inueniantur relictæ, *C. famil. ercisc.* quod eo magis videtur procedere, quando prout in hac facti specie, alter ex institutis iam adiuit hereditatem, quia tunc cessat inconueniẽs quod testamentum sustineatur in herede, de quo non apparet aliunde, quam ex coniecturis, ad quod propositum conferebant deducta per *Menoc. lib. 4. de præsump. præsump. 19. num. 11.*

13 Nec refragabatur, quod predicta *leg. fin. Cod. famil. ercisc.* fit solum intelligenda respectu defectus solennitatis, quia replicabatur, quod imo ista formalitas, quid heres palam debeat exprimi, videtur concernere solennitatem, quia alias in materia vltimarum voluntatum sufficit quoquomodo apparere de voluntate Testatoris etiam per indicia, & coniecturas. *Paul. de Castr. cons. 123. numer. 2. in fin. lib. 1. D. Card. Mantic. lib. 3. de coniect. tit. 3. numr. 2. & consequenter dum prædicta l. fin.* in testamento inter libero tollit solennitates, vt admittebant Informantes pro Leopardis videtur etiam tollere istam formalitatem, quod heres debeat nominatim institui, qui sensus maxime videbatur colligi ex precitatis *d. legis verbi*, quibuscunque verbis vel indicijs.

14 Rursus non obstabat, quod predicta lex fin. non habeat locum, quando agitur de preiudicio filiorum in hoc casu preiudicium deducebatur ex eo, quod filij Iacobi poterant habere bona superlucrata per Auiam maternam, & sic plusquam ipsimet filij, quia fuit responsum id esse euentuale, & accidentale, quod regulariter non habetur in consideratione presertim cum Auia illa potuisset non superlucrari, & pro exploranda voluntate Testatoris non tam est attendendum, quod factum est, quam quod fieri potuit.

15 Postremo non obstabat, quod tacita substitutio vulgaris non habeat locum ad fauorem vnius, quando est facta substitutio vulgaris expressa ad fauorem alterius. *§. filio impuberi, ff. de vulgar.* quia placuit responsio data per Informantes pro Lydia, & Magdalena, quod quando substituti sunt filij Testatoris vnus alteri, si quis eorum decedat sine liberis, & sic liberi positi in conditione, excluderent, prout hic fratres Iacobi etiam per vulgarem ex coniecturis *sup. relatis, Ruin. qui alios. allegat, cons. 93. incip. viso primo, & secundo testamento. numc. vndecimo. libro secundo.*

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

D. CARD. BONONIEN.

Parmen. Status. Veneris 9. Decembris 1611.

DECISIO CCCLXIV.

Est impressa inter Ludouis.

DECISIO 531.

R. P. D. VBALDO.

Mantuana Bonorum. Die Veneris 16. Decembris 1611.

ARGVMENTVM.

Nullitatem ex defectu citationis Rota, etiam habens arbitrium à Signatura, sanare non potest, prout nec etiam potest petitorium cum possessorio cumulare ad effectum suspendi possessorium.

SVMMARIVM.

Arbitrium Rotæ regulatur a iure. nu. 1. Licet vere hoc arbitrium aliquid remittat de rigore iuris. num. 3.

Sententia nulla ex defectu citationis reuocanda est, idque non de rigore, sed de æquitate inductum dicitur. num. 2. & 3.

Sententia nulla ex defectu citationis sanari non potest à Rota, etiam quod eius arbitrio hoc commissum fuerit. num. tertio.

Sententia numquid possit ferri absque citatione in quocunq; die contra citatum contumacem, & non comparentem in termino citationis. nu. 4.

Mandatum de exequendo super eisdem rebus petitis, quando relaxari possit sine alia citatione. nu. 5.

Clausula de plano, sine strepitu, & figura iudicij non tollit defectum citationis, quæ est de iure naturali. nu. 6.

Exequutor non debet procedere ad exequutionem non facta legitima liquidatione per iudicem competentem super qualitate bonorum, in quæ datur immissio. nu. 7.

Nulli-

Nullitate prohibita non censetur prohibita nullitas notoria ex eisdem actis. num.8.

Possessorium de iure prius terminari debet, quam petitorium, præsertim quando agitur spolio. num.9.

Spoliatus non tenetur respondere in petitorio antequam fuerit restitutus in sua possessione. num. 10.

Rota etiam habens à Signatura arbitrium, non debet supersedere in possessorio per cumulationem petitorij. nu.9. & 10.

Et quid si spolium est turbidum. num. 11.

Iudex nulliter procedens ad exequutionem, dicitur spoliare eum, contra quem decernit exequutionem. nu.12.

DECISIO CCCLXV.

1 CVm die 17. Iunij proxime præteriti, fuisset resolutum, executionem instante Domino Carolo in partibus factam, nullam fuisse, & attentatam, ex rationibus, quæ in decisione tunc extensa afferuntur, fuit pro parte eiusdē D. Caroli adita Signatura SS. pro sanatione nullitatum, & reiectione atentatorum, nec non pro cumulatione petitorij, & possessorij, sed SS. circa attentata nihil rescripsit. Quo vero ad nullitates, & cumulationem rescripsit, Arbitrio Rotæ. Ideo emanauit dubium, an intraret arbitrium, & Rota negatiue respondit, quia hic deficit citatio ad sententiam, vt fuit ostensum in dicta decisione. Vnde cum arbitrium reguletur à iure. *Bart. in extrauag. ad reprimendum. in verb. videbitur. num.8. Rota decis. 349. sub nume.1. par.1. diuers. Cæs. de Grass. decis.7. num.7. & decis. 8. num.2. & 4. de sent. & re iud.*

2 De iure est, vt sententia nulla, ex defectu citationis reuocetur. *Clem. sæpe. §. sententiam. de verb. signif. Clem. pastoralis. de re iud. l. 1. §. item cum ex edicto. ff. quæ sent. sin. appell. resc. Dec. cons.603. nume.11. Vant. de nullit. ex defect. cit. nume.56. Cæsar. de Grass. decis.11. numer.2. de sent. & re iudic. relata inter impressas, decis. 361. numer. 2. par. 1.*

3 Et licet arbitrium aliquid remittat de rigore iuris *Cresc. decis.4. nume.3. de testib.* & sæpe tenuit Rota, tamen quod pars citetur non est rigor, sed potiùs æquitas, cum respiciat defensionem de iure naturali competentem. *Bartol. in d. extrauag. ad reprimendum in verb. & figura. num. 6. glos. in d. Clem. sæpe. in verb. defensiones. de verb. signif. Bald. in l. cum fratrem. in fin. C. de his, quib. vt indign. Socin. cons. 12. col.2. libro 1. Marant. de ordin. iudic. par.4. 16. distinct. num.10. & par.6. in tit. de citation. num.3.* Et propterea alias Rota ad effectum sanandi eiusmodi nullitatem prouenientem ex defectu citationis, censuit non esse locum arbitrio, vt in Zamoren. Pecun. 20. Martij 1609. coram R.P.D. meo Caualerio, & in Romana Nullitatis subhastationis 10. Iunij eiusdem anni, coram R.P.D. meo Ludouisio.

4 Non obstat, quod procurator D. Æmiliæ fuerit contumax in termino citationis, qui erat pro prima hora iuris sequenti, & sic de sero, ipse vero comparuerit paulo post citationem, vt in Summario D. Caroli. *num.6.* qua stante contumacia, potuerit iudex sine alia citatione, quandocunque ferre sententiam, iuxta not. per *Bald. in l. cum non eo die. C. quando prouoc. non est necess. Castr. cons.254. sub. nu.3. versic. præterea etiam. par.2.* Quia præter responsiones datas per Informantes, aduertendum est, illam Bald. & Castr. opinionem, quod in contumaciam non comparentis in termino, possit ferri sententia absque alia citatione, quacumque die, quantumuis remota, esse controuersam, quia immo non nisi die sequenti tantum ferri potest, secundum veriorem, & magis communem opinionem, quam sequuntur *Alex. in l. si finita. §. Iulianus. nu. 48. ff. de dam. infect. Ruin. consi. 136. num.2. lib.5. pro qua est text. & ibi Doct. in c. consuluit. de offic. de leg. faciunt. not. per Alex. in l. de vnoquoque. num.7. de re iud. cum alijs per Gabr. de citation. conclus. 1. in 69. limit. numer. 447. & 449.* In casu autem nostro sententia fuit lata secunda die post terminum citationis.

5 Non obstat, quod in mandato de exequendo, in quo versamur, quando petitur super eisdem rebus petitis, non requiratur noua citatio, secundum magis communem opinionem, de qua per *Cassad. decis.6. nu. 2. de caus. poss. & propr. Gabr. de citat. concl.1. nu.131. cum alijs per Honded. cons.20. num.45. lib.1.* Quia fuit responsum, quod id procederet quando condemnatio precessisset præcise, & in specie, super rebus petitis, non autem in genere, vt in hoc casu, in quo Iudex pronunciauit in genere D. Carolum esse immittendum in possessionem bonorum, quæ non essent concessa pro hæredibus vtriusque sexus, & sic intrat doct. *Bart. in l. à Diuo pio. §. in vendit. sub numer.2. vers. ego dico,* & ibi etiam alij. *ff. de re iudicat.* quod requiratur noua citatio, præsertim cum non fuerit eadem persona iudicis, qui tulit sententiam, & executoris. *Alex. in d. §. in venditione. num. 35. Marant. de ord. iud. par. 6. in titu. de execut. sent. num. 18. Ios. Ludouic. decis. Perus. 6. sub num. 2. & 3. par. 1. Gabr. d. concl. 1. de citat. num.131.*

6 Non obstat statutum Mantuanum, quod in executione possit procedi de plano, sine strepitu, & figura iudicij, & sic videatur tollere ordinem iuris ciuilis, & rem redigerere ad terminos iuris naturalis, quia non propterea censetur sublata necessitas citationis, quæ est de iure naturali vt constat ex prædictis, & ita respondet *Socin. cons.12. col.2. lib.1.*

7 Adest etiam in proposito alia nullitas considerata per Dominos in decis. in hac causa facta, quia executor processit ad executionem, non facta legitima liquidatione per Iudicem competentem, super qualitate bonorum, in quæ dabatur immissio. *l. hæc autem. §. 1. ff. ex quib. caus. in possess. eatur. Bald. consil.165. lib.4.* quia stante incertitudine sententia executioni mandari non potest. *Surd. cons. 186. nume. 24. lib. 2.* Et quæ contra eam dicuntur, bene videbantur tolli tum ex decisione prædicta, tum ex adductis per Informantes pro D. Æmilia.

8 Non obstat aliud statutum Mantuanum, quod non possit dici de nullitate, nisi intra certum tempus, quia placuit illa responsio, quod non intelligatur de nullitate notoria ex eisdem actis ex allegatis in *decis. Pedemon. Osasc.142. num.33. Surd. cons.354. num.16. lib.3.* Et in statuto Mantuæ tenuit *Rota decis. 666. numer. 3. par. 1. diuers.*

9 Quod vero pertinet ad cumulationem petitorij, & possessorij, pariter Domini censuerunt non esse locum arbitrio, cum de iure prius debeat terminari possessorium, quam petitorium. *l. ordinarij. C. de rei vendic. l. incerti. C. de interd. l. si de vi. ff. de iud.* præsertim cum simus in spolio, quod est magis priuilegiatum, quam cetera possessoria. *Clem. 1. vbi glos. in verb. spoliantis. de caus. poss. & propr. Gozad. consi. 10. num. 3.* adeo vt spoliatus sit ante omnia restituendus. *l. si quis ad se fundum. C. ad leg. Iul. de vi publ. l. si coloni. C. de agric. & cens. lib.11. Doct. in l. naturaliter. §. nihil commune, vbi Rip. num. 46. ff. de acquir. poss. Surd. consi.28. num. 29. lib.1. & consil. 166. num.1. lib.2. Gabr. consil.149. num.22. lib.2. Paris. cons. 70. num.25. lib.4. Menoch. de recuper. remed.1. num.2.*

10 Nec teneatur ante restitutionem spoliatori respondere in petitorio. *Doctor. in dicto §. nihil commune. vbi Alexan. num 20. & Rip. nume.52. idem Rip. in c. sæpe. num. 37. & 50. de restit. spol. Dec. consi.57. num.6. vbi de commu. Gabr. in tit. de rest. spol. conclus.1. num.45. Menoch. de recuper. remed.15. num.471. & cons.2. num.189. lib.1.* quæ procedunt etiam in bonis feudalibus, quibus Vasallus sit spoliatus à Domino. *l.1. §. si vero. de mil. vasal. qui contum. est & ibi Afflict. nume.74.80. & seq. & in c.1. vers. sed laudatum. de contr. inter. epis. & vasall. ibique Afflict. in 4. notab. num.11. Rolan. cons.6. num.11. lib.3. & cons.32. num. 52. lib.4. Socin. iun. cons.68. num.129. lib.3. Loffred. consi.5. num.27. & seq. Gabr. d. concl.1. de restit. spol. num.44. & concl. 5. num.*

5. num.8. *Menoch. de recuper. remed. sub num.98.* propter quas rationes alias Rota censuit non esse locum arbitrio ad prædictam cumulationem, in vna Perusina Spolij 8. Iunij 1607. coram R.P.D. meo Decano.

11 Nec videbatur obstare, quod quando spolium est turbidum, Rota soleat admittere eiusmodi cumulationem, vt in causa Romana Cottigij. 6. Martij 1606. coram D. meo Sacrato, in Narnien. Confinium 7. Aprilis eiusdem anni, coram D. meo Coccino, & in alijs allegatis. Quia respondebatur, spolium in hoc casu non videri turbidum, cum fuerit deuentum ad executionem, absque valida citatione, & non precedente liquidatione legitima, cuius defectus causat spolium, vt fuit resolutum in Romana Vineę 24. Octob. 1605. coram D. meo Ludouisio, cuius copia data fuit, in qua cumulantur aliæ plures decisiones, & non est dubium, quod Iudex nulliter procedens, dicitur spoliare. c. conquerente. vbi *Abb. de restit. spol, Alberic. in l. si de vi, num. 19. ff. de iud. Aym. consi. 140. sub num. 2. Surd. cons. 168. num. 26. & cons. 189. num 30. lib. 2. Gabr. de rest. spol. concl. 1. num. 124. Menoc. de recuper. remed. 8. num. 3.*

12 Quod pertinet ad attentata non videbatur Dominis tractandum de Arbitrio, cum super ijs Sanctissimus nihil rescripserit, vt supra dictum est. Et ita decisum.

REVERENDISSIMO P. D. DAMASCENO.

Bononien. Manutentionis. Veneris 16. Decembris 1611.

ARGVMENTVM.

De manutentione concedenda vsufructuario plura notanda, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Vsufructuarius potest propria auctoritate continuare possessionem vsusfructus sibi legati à testatore pariter vsufructuario. num. 1. Vbi præsertim quando sibi in testamento data est licentia propria auctoritate capiendi vsumfructum.

Possessionis mutatio de administratrice in vsufructuariam præsumitur facta absque alia declaratione. num. 1.

Possessio iunior habetur loco turbationis, & non est manutenibilis in præiudicium veri possessoris, qui se non habuit pro spoliato. num. 2.

Vsufructuarius non dicitur habere ciuilem possessionem. num. 3. Vbi declaratur hæc conclusio, quod licet non habeat ciuilem possessionem, habet tamen quasi ciuilem.

Manutentionis remedium datur ciuiliter possidenti aduersus occupantem possessionem naturalem. Declara, vt num. 3.

Confessio semper interpretanda est, vt minus præiudicet confitenti, quam sit possibile præsertim in iudicijs. num. 5.

Possessorium summariissimum manutentionis non admittit exceptionis requirentes altiorem indaginem. num. 6.

DECISIO CCCLXVI.

1 FVit conclusum pro manutentione Bartholomeæ Sensariæ in stantijs, seu cubiculis, de quibus agitur, nam constat, quod istæ stantiæ fuerunt simul cum alijs bonis Caroli Antonij senioris possessæ per dictam Bartholomæam, partim proprio nomine, cum ipsa esset vsufructuaria pro dimidia bonorum dicti Caroli Antonij senioris, & partim vti tutricem, & administratricem Caroli Antonij iunioris hæredis relicti in tota proprietate, & altera medietate vsusfructus à dicto quondam Carolo Antonio seniore, & successiue, quod mortuo dicto Carolo Antonio iuniore ipsa Bartholomæa, quæ in tali casu erat substituta in asserta medietate vsusfructus, continuauit possessionem, quod potuit facere propria auctoritate, & absque ministerio Iudicis, vt late in terminis vsufructuariæ fuit coram me deductum in causa S. Seuerini Bonorum 20. Decembris 1610. maxime stante licentia Testatoris sibi concessa de apprehendenda possessione bonorum vsufructui subiectorum propria auctoritate, vt etiam in prædicta decis. S. Seuerini fuit consideratum, & mutatio possessionis de damnistratrice in vsufructuariam, post mortem dicti Caroli Antonij iunioris, præsumitur facta, absque alia declaratione, iuxta opinionem, quam Rota sequitur, vt apud *Put. decis. 451. lib. 1. Cas. de Grass. 19. num. 6. de prob.* in causa Sabinen. Castrorum 17. Aprilis 1581. coram Cantuccio relat. inter diuers. impr. decis. 143. num. 4. par. 2. & alibi sæpe.

2 Non obstat possessio capta per Bartholomæam iuniorem, & successiue per eius filios tanquam hæredes ab intestato dicti Caroli Antonij iunioris, quia, stante dicta anteriori possessione Bartholomeæ senioris, ista habetur loco turbationis, & non est manutenibilis in præiudicium veri possessoris, qui se non habuit pro spoliato. *c. licet causam. eum ibi not. de probat. Bart. in l. si duo, num. 4. vers. si vero testes. ff. vti possid. Put. decis. 419. in fin. lib. 2.* Rot. in causa Romana Deuolutionis Domus 5. Nouembris 1599. coram Illustrissimo Lancellotto.

3 Et licet Bartholomæa senior, cum esset solum vsufructuaria, non possit dici habuisse ciuilem, *ad not. in l. naturaliter, in princ. ff. de acquir. possess. Castr. consil. 396. in princip. parte 2.* cuius ciuilis vigore solet dari remedium manutentionis aduersus occupantem naturalem, vt in præcitatis iuribus, attamen habuit quasi ciuilem, quæ remanet penes vsufructuarium. *l. prætor ait. & ibi glos. ff. ex quib caus. ma. Bart. in l. si plures. §. deiectum. vers. vltimo nota. ff. de vi, & vi arm. Rip. in l. 1. num. 34. ff. de acquir. posses. Aret. in §. quadrupli. num. 49. vers. non obstat. inst. de act. Petr. de Rauenn. sing. 761. Boer. decis. 199. num. 8. Surd. consil. 172. num. 8.* & quod vsufructuario competat interdictum retinendæ, not. in *l. fin. ff. vti possid. Bart. in l. 1. num. 3. ff. eod. tit. Bald. in l. vnica. in fin. Sal. num. 24. C. eod. tit. Aret. in d. §. quadrupli. nume. 48. instit. de act. Abb. in c. licet causam. numer 37. vers. nunc vero. de probat. cum alijs per Menoch. de retin. remed. 3. num. 70.*

4 Et cessat omnis difficultas, quia possessio prædictę Bartholomeæ iunioris, & filiorum fuit cum clausula sine præiudicio vsusfructus Bartholomeæ senioris, vnde, vel censetur præseruata possessio dictæ Bartholomeæ senioris, vel, quatenus stare simul non possent, potius vitiabitur possessio Bartholomeæ iunioris, & filiorum, vt pariter fuit dictum in prædicta S. Seuerini bonorum coram me.

5 Ad illud, quod Bartholomæa senior habuerit se pro spoliata, ex quo in positionibus dixit, *Che il Conte Giulio Cesare doppo la sepoltura di Bartholomea ha tenuto le chiaui di dette stanze, & hoggidì le tiene, Che d. S. Sensaria, dal giorno di detta sepoltura in quà, non può hauere l'vso di dette stanze,* fuit responsum ista non importare dimissionem ciuilis, seu quasi ciuilis possessionis de qua supra, sed explicare molestias quas de facto patiebatur Bartolomæa Sensaria super dd. stantijs, etenim in confessione semper fit interpretatio, vt quanto minus præiudicet confitenti. *l. si quis intentione. ff. de iud. Rom. cons. 455. num. 4. & 6. Mohed. decis. 2. de restit. spol.* & vt quis voluerit de suo quanto minus proijcere, ad not. in l. cum de indebito. de probat. maxime in iudicijs, in quibus, cum sint ordinata ad acquirendum, quis præsumitur noluisse deducere ius suum modo sibi magis proficuo. *Rot. decis. 2. in fin. de al. iud. mut. caus. fact. Corn. cons. 18. num. 5. lib. 3. Ang. cons. 399. num. 4. Castr. consil. 199. num. 4. lib. 2. Alex. cons. 38. num. 3. lib. 3.* cum igitur verba Bartholomeæ non importent per necesse,

se, quod ipsa depofuerint animum possidendi, sed possint verificari in molestijs de facto passis à Co. Iulio Cæsare, dicebant DD. esse ita in dubio faciendam interpretationem per regulas prædictas.

6 Circa aliud, quod DD. Barzelini vellent retinere istas mansiones pro legitima Caroli Antonij iunioris, quæ non potuit grauari onere vsusfructus ad fauorem Bartholomeæ Sensariæ. *l. quoniam in prioribus. ff. de milit. test.* fuit responsum, quod ista tanquam requirentia altiorem indaginem, non erat admittenda in hoc summarijssimo possessorio. *Bar. in l. 3. §. ibidem. ff. ad exhib. Rip. in l. 4. §. condemnatum. numer. 20. ff. de re iud. Rom. cons. 323. num. 5. Surd. cons. 99. num. 8. Rota in causa Romana Casalis relata inter diuer. intreff. decis. 103. num. 5. p. 1. nam*, & si certum sit deberi legitimam, non tamen est certum, quod debeatur in istis mansionibus, cum potuerit esse per prius deducta, vel non deberi in istis stantijs, forte quia congrue non possit dismembrari à reliquo corpore domus possessæ per Bartholomæam Sensariam, vel propter alias causas, quarum discussione pendente, possessor est manutenendus. *§. retinendæ, inst. de interd. cum concord.*

REVERENDISSIMO P. D.

LVGDVNEN.

Cæsaraugustana Pensionis. Ven. 17. Decemb. 1611.

ARGVMENTVM.

Dispensatus à Papa, vt in casu contracti, & consummati matrimonij cum quacumque muliere possit pensionem retinere, censetur etiam dispensatus si vxorem duxerit viduam.

SVMMARIVM.

Pensio potest etiam retineri per habentem vxorem ex Apostolico indulto. num. 1.
Mulieris appellatione in indulto venit etiam vidua. numero 2.
Mulieris verbum verificatur proprie in muliere corrupta, non autem in virgine, num. 2.
Etiam dictio est extensiua. num. 2.
Vniuersalis dictio adiecta verbo mulieri comprehendit, & virgines, & viduas. num. 3.
Clericus, qui de Clerico aliquid ostendere non tenetur æquiparatur illi, qui vxorem viduam duxit. num. 5.
Clausulæ derogatoriæ, licet non ampliant gratiam, illam tamen declarant. num. 5.
Bigamia, quæ contrahitur non per iteratas nuptias, sed per contractum matrimonij cum vidua, dicitur bigamia interpretatiua, & facilius dispensabilis. num. 6.

DECISIO CCCLXVII.

1 VNa tantum parte informante, sed altera etiam sæpe citata, fuit dictum sententiam Rotalem esse confirmandam, cum de illius iustitia constet ex decis. Domini mei Lancellotti, in qua pluribus rationibus fuit deductum per contractum matrimonij inter Petrum, & Antoniam non fuisse extinctam pensionem ad fauorem eiusdem Petri reseruatam, quia per fel. rec. Clem. Octauum fuit ei indultum, vt certas pensiones ibi expressas retinere libere, & licet valeat etiamsi matrimonium cum quacumque muliere nullo sibi iure prohibita contraxerit, & carnali copula consumauerit.

2 Nec obstat, quod Antonia esset vidua, quando Petrus cum illa contraxit matrimonium, nam verbum mulier, appositum in indulto aptum est comprehendere etiam viduam, vt optime fuit in Decisione notatum. Et bene in proposito D. Ambros. Ep. 1. lib. 1. mulier inquit sexus est, virgo species, & vidua mulier dicitur *l. filij. §. vidua mulier. ff. ad municip. & non solum in l. ex empto. §. si quis virginem. ff. de act. emp.* alias allegata, sed etiam in *l. si collactaneus. ff. de manumis. vind.* distinguuntur ab inuicem mulier & virgo. Atque quodam magis est mulier magis proprie significat corruptam, neque virginem capit nisi extensiue, vt patet ex *l. seruis legatis. §. mulieribus. ff. de leg. 3.* vbi dicitur legatis, etiam mulieribus, virgines deberi, ponderando dictionem etiam, quam notum est esse extensiuam. *l. extraneum. C. de vulg. & simil.* & ad eandem extensionem facit etiam. *l. argumento. §. muliebri. ff. de auro arg. legat.*

3 Vnde cum sequatur etiam vniuersalis dictio (quæcunque) non est verisimilis illa interpretatio, quodam Pontifex voluerit cum Petro dispensare in eo tantum casu si matrimonium contraheret cum virgine, præcipue, quia dictio vniuersalis non potest habere aliquem effectum considerabilem, nisi comprehendat viduas, vt bene fuit in d. decisione animaduersum, & propterea perinde esse debet, ac si de viduis facta fuisset specialis mentio. *l. 2. & 3. ff. de liber. & posthu. c. ex parte N. de off. deleg. Paris. consi. 141. num. 6. Cagnol. in l. in toto iure. num. 11. de reg. iur.*

4 Concurrit etiam ratio efficacissima, quod ad effectum retinendi pensiones, nihil refert, an matrimonium fuerit contractum cum virgine, vel cum vidua. Quia incompatibilitas consistit in ipso matrimonij contractu, non autem in qualitate mulieris. *Gig. de Pension. q. 54.* Ideoque dum Papa dispensauit in casu contracti, & consummati matrionij cum quacumque muliere vrgens insurgit ratio, quod voluerit etiam comprehendere casum matrimonij contracti cum vidua.

5 Idque amplius suadetur ex quo voluit Petrum retinere pensiones non obstante, quod non incederet in habitu, & tonsura, & sic noluit Petrum compellere ad ostendendum aliquid de Clerico. Clericus autem qui aliquid de Clerico ostendere non tenetur exemplificatur in eo qui viduam duxit, *gl. magna in c. Ioannes, de cler. coniug.* Deinde derogat constitutionibus Pij V. Constitutio autem illius sanct. me. Pont. in ordine Bullarij septuagesima tertia facit mentionem de facultatibus retinendi pensiones concessis milicibus coniugatis etiam bigamis. Hinc sequitur declaratio, quod in hoc casu censeri debeat concessa dispensatio etiam in casu bigamiæ. Quia clausulæ derogatoriæ licet non ampliant gratiam, tamen illam declarant. *Cacet str. in l. in ijs. num. 2. de legib. Mandell. consi. 585. num. 20. & seqq. vol. 3.*

6 Quæ omnia eo magis in hoc casu admittenda sunt, quia ista bigamia, quæ contrahitur non per iteratas nuptias, sed per contractum matrimonij cum vidua, est interpretatiua, & facilius dispensabilis. *Felin. in ca. postulasti. numer. 12. de rescrip. Maiol. de irregul. lib. 1. c. 37. late Modern. Cordubens. de matrim. vol. 2. lib. 7. q. 84. in prin. & num. 7.*

REVERENDISS. P. D. COCCINO

DECANO.

Ferrarien. Bonorum. Lunæ 19. Decembris 1611.

ARGVMENTVM.

De pacto in concessione emphyteusis apposito, quod illa non possit transferri, & alienari in loca, & personas prohibitas, & quæ dicantur isto casu personæ, & loca prohibita.

SVM-

SVMMARIVM.

Constitutio Bonifaciana prohibet, bona in emphyteusim data transferri in loca, vel personas de iure prohibitas, hoc est in loca pia, & in Ecclesias, quæ nunquam moriuntur, & ideo non est spes, quod emphyteusis amplius redeat ad Dominium directum. num. 1.3. & 4.

Hospitalia fundata auctoritate Episcoporum, gaudent priuilegiis Ecclesiæ, & ideo eorum bona non possunt alienari sine solennitatibus requisitis in alienatione bonorum Ecclesiæ, num. 1.

Priuilegia concessa Ecclesijs censentur etiam concessa locis pijs. num. 1.

Pactum in concessione emphyteusis, quod illa non transeat in loca, & personas prohibitas, & conforme iuri communi, & valet, num. 2.

Emphyteusis concessa cum pacto, quod non possit transferri in loca, & personas prohibitas, quando eueniente casu dictæ translationis saltem æstimatio debeatur, num. 4.

DECISIO CCCLXVIII.

1 THomas à Flumine obtinuit inuestituram bonorum, de quibus agitur, pro se, & filijs, & nepotibus tantum, cum prohibitione alienandi dicta bona in personas prohibitas secundum tenorem Constitutionis Bonifacianæ, in qua cauetur, quodam de vtili dominio, translatio, donatio, vel legata, in loca, vel personas de iure prohibitas fieri non debeant, nec possint, & facta penitus viribus non subsistant. Huiusmodi autem loca prohibita sunt loca pia, & Ecclesiæ, quia si bona emphyteutica transirent ad Ecclesiam, & loca prædicta fieret deterior conditio Domini, non enim esset spes, quod res ad ipsum redire possent per mortem, cum Ecclesia, & dicta loca non moriantur, & tamen alias defuncto emphyteuta sine hærede, reuertitur emphyteusis ad dominum, nec etiam Ecclesia, & pia loca possunt iura sua sic facile alienare, sicut priuatus, quia requiritur, quod subsit causa, & interueniant solennitates, & alia, & sic facile Dominus non reciperet Laudemium sicuti quando emphyteusis transfertur in priuatum. Et propterea cum Ecclesia sit cultrix, & autrix iustitiæ, & non patiatur aliquid contra iustitiam fieri in se, vel alium, & clarum sit, quodam Dominus nimis grauaretur, ex quo emphyteusis nunquam ad se reuerteretur. Propterea hoc non patitur Ecclesia, quæ seruat in aliorum persona, quod seruari debet in sua, cum sit vltimum, & supremum refugium oppressorum, & hoc non quidem ex vi arctatiua, sed directiua rationis, & ex approbatione Romanorum Pontificum, atque ita est intelligendus textus, dum dicit Ecclesiam esse personam prohibitam in *c. 1. de alien. feud. & ibi Afflict. in principio, & num. 4. & 5. cum seqq. Isernia. num. 4. Bald. num. 5. Præposit. in §. unde potest. num. 3. per totum. Specul. de emphyteusi, alias de locato. §. sine aliqua. vers. 116. Imol. in cap. potuit. nu. 25. de loca. Ias. in l. fin. num. 95. C. de iur. emphyteut.* & in terminis Hospitalium fundatorum authoritate Episcopi, & locorum piorum colligitur, ex *Felino in c. de quarta. n. 3. versic. secundo in alienatione rerum Hospitalis, & n. 10. & 11. de præscript.* vbi quod bona istorum locorum non possunt alienari sine solennitatibus. *Abb. in c. accedentibus. num. 3. de priuileg.* vbi quod priuilegia concessa Ecclesijs, censentur etiam concessa pijs locis, & propterea in locis pijs militat eadem ratio, quæ in Ecclesijs, scilicet perpetuitas, & difficultas alienationis, ita vt cesset spes Laudemij. Vnde fit deterior conditio Domini directi, quod sufficit, vt per *Alberic. in dicta l. fin. in princip. vbi Salicet. num. 14. Ias. num. 97. C. de iur. emphyteut. Imol. in cap. potuit. num. 25.* de locat. & in terminis Bonifacianæ, quod alienatio sit prohibita in pijs locis, dixit *Rim. sen. in consi. 422. num. 3. & seqq. vol. 3.*

2 Ex quibus resoluerunt Domini, Ecclesiam Rauennaten. non teneri inuestire Corradum, & litis consortes, cum præsupposito tamen, quod sint hæredes dicti Thomæ à Flumine, ad fauorem locorum piorum tantum, quia ita operatur pactum prædictum, cum sit conforme dispositioni iuris communis. *Specul. loco superius allegato in dicto vers. 116. Ias. in d. l. fin. nu. 91. vers. & propterea secundum eum. Imol. in dicto c. potuit. allegato num. 25.*

3 Neque obstat, quod Constitutio Bonifaciana velit, quod huiusmodi bona subiaceant legato, testamento, & codicillis, quia continet in ventre prædictam limitationem, dummodo non fiat in personas de iure prohibitas, per quæ verba videtur prohibita omnis potentia, vt ponderatis verbis prohibitiuis Bonifacianæ in puncto dicit *Rimin. iun. consi. 453. num. 8. & 12. & seqq. vol. 4.*

4 Nec est verbum, quod in casu isto debeatur saltem æstimatio, iuxta receptam sententiam *Speculatoris in d. §. nunc aliqua. vers. 117. Io. Andr. in d. c. potuit. nu. 9. Imol. num. 25. ante finem. Ias. in allegata. l. fi. nume. 96.* Quia hoc posset considerari si emphyteusis non esset finita per obitum Thomæ, quia illo casu ageretur de solo præiudicio vocatorum; non autem de preiudicio Ecclesiæ, & ita loquuntur *Specul. Io. Andr. & alij supra allegati.* Secus tamen est quando emphyteusis est finita, prout est casus noster, quia tunc prohibitio Bonifaciana operatur ad tollendum præiudicium Ecclesiæ, vt per *Socin. iun. consi. 74. num. 20. vol. 1.* qui ita declarat dictum *Speculatoris, & in proprijs terminis dicit Rimin. iun. loco allegato, num. 25.* vbi mutatis mutandis deciditur præsens casus.

5 Minus etiam est verum, quod saltem durante vita Corradi, & aliorum debeatur inuestitura, ita vt loca pia reportent lucrum, quia cum sint hæredes ad fauorem locorum piorum tantum, Thomas noluit illos proprie instituere hæredes, & sic cum deficiat consensus Thomæ in institutione, non potest illis tanquam hæredibus inuestitura concedi, vt eleganter in simili dicit *Bald. in consi. 475. num. 7. vers. 3. casu. li. 1. Crot. in l. non solum. §. morte. num. 124. ff. de oper. nou. nunciat.* & fuit resolutum in causa Lucana Locationis. 18. Martij præteriti, coram Illustrissimo D. Cardinale Lancellotto.

R. P. D. VBALDO.

Casalen. Domus, Veneris 12. Ianuarij 1612.

ARGVMENTVM.

Habere verbum an referatur ad dominium, vel ad possessionem.

SVMMARIVM.

Habere verbum refertur ad dominium, & ad possessionem. num. 1.

Instrumenta declarantur, & corroborantur à testibus, & è contra. num. 2.

Testes etiam nulliter examinati deseruiunt pro adminiculo. num. 2.

Voluntatis declaratio etiam ex actu nullo colligitur. num. 2.

Habere verbum declaratur, & recipitur secundum subiectam materiam. num. 3.

Possessorium ex Saluiano interdicto non impeditur per exceptionem requirentem altiorem indaginem. num. 4.

DECISIO CCCLXIX.

1 IN hac causa die 18. Aprilis, anni præteriti fuit resolutum, sententias de partibus esse confirmandas, tam in iudicio spolij, quam Saluiani, vt in decisione tunc

tunc extensa latius continetur, quæ postea fuit confirmata die 28. Nouembris præteriti, vna tantum parte informante, & demum hodie cum causa proponeretur super eisdem, vtraque parte informante Domini steterunt in decisis, ex rationibus alias allegatis, quibus non obstare dixerunt, quod non videatur probatum primum extremum in spolio, & sic possessio Leandri ex instrumento impositionis census, in quo ipsius patrui asserunt se habere domum pro indiuiso cum Leandro, quasi verbum habere, potiùs referatur ad dominium, quam ad possessionem, quia fuit responsum, immo tale verbum referri etiam ad possessionem, vt est textus expressus in *l. stipulatio ista. §. habere. ff. de verb. oblig.* vbi habere, dupliciter accipitur. Nam eum habere dicimus, qui rei dominus est, & qui dominus quidem non est, sed tenet. Facit *tex. in l. 1. §. quod autem. ff. de vi, & vi armata in l. 2. §. habere. ff. nequid in loc. publi. l. habere. ff. de verb. signif. Rebuff. in l. id apud te est. 3. eod. tit. tradit Contard. de moment. possess. in verb. rationes decidendi. num. 34. Decian. consil. 108. num. 32. lib. 3.* neque in contrarium quicquam facit *Afflict. in contrarium allegatus decisi. 394. num. 7.* Quia ibi solum dicit per hæc verba in libro Monasterij scripta, habet Monasterium redditum talis Terræ, vel similia non probari, quod possessio, vel dominium dictæ Terræ sit penes monasterium. Vnde non fit vis ibi, in verbo habere. Sed in fide libri Monasterij.

2 Quibus accedit adminiculum ex testibus, qui in specie deponunt de possessione Leandri, ex quibus bene sumi potest declaratio illius verbi habere, quod referatur ad possessionem cum instrumenta declarentur, & corroborentur à testibus, & è contra. *Cagnol. in l. 2. num. 233. C. de rescind. vendit. Rota decisione 463. num. 2. parte 1. diuers.* & licet multa opponantur contra dd. testes. Taman negari non potest, quin testes etiam nulliter examinati deseruiant pro adminiculo. *Ruin. consi. 46. num. 10. lib. 4.* & fuit sæpe decisum, & pro declaratione, cũ etiam ex actu nullo declaratio colligi possit. *l. vlt. ff. de rebus eorum. Put. decis. 92. num. 2. lib. 2.* Vltra quod multa deducebantur ad saluandam nullitatem dicti examinis, quæ Dominis placuerunt.

3 Non obstat, quod testes deponant per verbum credo, quia dum deponunt de possessione Leandri tertię partis domus, deponunt de visu. Sed per verbum credo deponunt circa situm dictæ tertiæ partis. Quo ad Saluianum similiter Domini dixerunt, probari primum extremum, nempè possessionem patruorum Leandri imponentium censum. Tum ex dictio instrumento, in quo asserunt dictam domum se habere pro indiuiso cum Leandri, quo casu cum verbum habere accipiatur secundum subiectam materiam, vt per *Decian. dicto consil. 108. num. 33. lib. 3.* materia subiecta vtique suadet, vt possessio domus pro sua rata esset penes imponentes censum super ea, cum non soleat census imponi super rebus ab alio possessis, tum ex testibus prædictis deponentibus de possessione patruorum, tum & vltimo ex instrumento diuisionis, in quo vnus ex Dominis considerabat pactum initum inter fratres diuidentes, quod in euentum alienationis faciendæ ab aliquo ex fratribus de sua tertia parte teneatur illam vendere, & tradere alijs duobus fratribus, quod quidem pactum de tradendo arguit possessionem domus fuisse penes diuidentes, iuxta illud, nemo dat, quod non habet, argumento. *l. tradito. de acquirend. rerum dominio.*

4 Quo ad caput simulationis cessionis placuerunt responsiones, de quibus in Prima decisione in hac causa facta, iunctis ijs, quæ fuerunt nunc data per Informantes pro Anna, & videtur illa sufficere, quod hęc exceptio requirat altiorem indaginem, per quam non debet retardari immissio in Saluiano, vel restitutio in Spolio, vt fuit sæpissime decisum. Et ita conclusum, stanquum esse in decisis.

R. P. D. PIROVANO.

Romana Pecuniariæ. Veneris 13. Ianuarij 1612.

ARGVMENTVM.

Sententię conformes exequi debent, nec eorum exequutio impeditur per restitutionem in integrum petitam, postquam dicta exequutio cœpta est, & nonnulla alia notanda, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Sententiæ conformes exequendæ sunt, tam de iure communi, quam vigore statuti vrbis. num. 1.
Restitutio in integrum petita post cœptam exequutionem aliam non impedit, vbi præsertim, quid si incidenter petita fuerit. num. 2.
Titulus quando deducitur ad non titulum priores obligationes non extinguuntur. num. 3.
Creditor non tenetur de euictione rei debitoris subhastatæ ad eius instantiam. num. 4. Declara, vt num. 5. & 6.
Compensatio, quando admittatur in recuperatione rei nulliter subhastatæ ad instantiam creditoris cum fructibus, ab eodem creditore perceptis de re subhastata. num. 8.
Expensas litis soluere tenetur is, qui se temere liti obtulit. num. 9.
Acquiescere dicitur quis sententiæ contra eum latæ, si ab ea non appellat. num. 9.

DECISIO CCCLXX.

1 Reuerendus Parmenides, qui vigore nullitatis subhastationis declaratæ coactus fuit vineam sub hasta emptam relaxare Hieronymæ Rosatæ, in cuius præiudicium mandatum fuerat subhastari instantibus Federico, & Flaminia coniugibus pro eorum credito fructuum census, & sortis principalis obtinuit conformes contra dictas coniuges pro rehabendo pretio subhastationis, ac etiam reportauit condemnationem expensarum contra Hieronymam, quæ temere se opposuerat in iudicio recuperationis pretij exbursati, hodie vero causa deuoluta ad Rotam cum clausula si quid exequendum. Dubitatur an aliquid exequendum. Et quo ad coniuges Domini resoluerunt, relaxandum esse mandatum pro Scutis 112. cum habeat tres sententias in ea parte conformes, quæ faciunt rem iudicatam, & sunt exequendę, tum ex dispositione iuris communis. *Clem. vt calumniis, de sent. & re iud. Dec. consi. 285. num. 1. Couarr. pract. quæst. c. 25. num. 1. tum iure municipali Vrbis, cap. 178. lib. 1.* hoc ipsum admittente si fuerint etiam duę inter ciues tantum.

2 Neque executionem prædictam visum est posse retardari ex petitione restitutionis in integrum per eosdem coniuges cum superuenerit nedum post petitam, sed cœptam executionem, quæ non sufficit. *Put. decis. 285.* numero secundo. libro secundo. censetur enim petita eo casu ad impediendam executionem, & sic incidenter, non autem principaliter contra rem iudicatam, quæ non retardat, tanquam requirens altiorem indaginem, vt declarat *Rip. in l. 4. §. condemnatum, num. 30. ff. de re iudicat.* Sequitur. *Couarr. pract. quæ. cap. 25. num. 7.* & pluries tenuit Rota signanter in vna Reatina. Castren. inter impressas. 346. numero sexto parte prima. & in Burgen. præeminentiarum. 3. Iunij 1605. coram Reuer. Patre Domino Manzanedo, in quibus aliæ allegantur.

3 Nec dubitarunt Domini de validitate, & iustitia sententiarum, Sobhastatio enim facta ad fauorem Parmenidis declarata fuit nulla, & quando titulus reducitur ad non titulum priores obligationes non extinguuntur, & coniuges primæuas eorum actiones contra Hieronymum retinent integras. *l. si quis ante. §. si*

§. si quis conduxerit. ff. de acquirend. possess. vbi Ias. post alios, num. 13. Hieronym. Gabriel. consil. 36. num. 66. volum. 1. Sur. decis. 51. num. 19. & 20. Et ideo cum pretium remaneat penes coniuges sine causa, merito potest per Parmenidem repeti, tum conditione indebiti, tum ex æquitate legis, si & me, & Titium. ff. si cert. petat. licet ad eos auctore Iudice tale pretium peruenerit. Natt. consi. 532. num. 12.

4 Non obstat, quod creditor, qui pro iure suo obtinet subhastare, & deliberare, non teneatur de euictione, sed duntaxat docere se verum creditorem, & anteriorem fundum habere hypothecatum. l. 1. & 2. C. cred. euict. pignor. non deb. vbi Salicet. Neguzan. de pign. parte 6. membro 1. numer. 40. Rota in Romana Vineæ, int er impressas. 281. num. 33. par. 2.

5 Fuerunt enim datæ plures responsiones, & primo prædicta procedere, quando subhastatio remanet valida, & res subhastata euincitur à tertio, quo casu datur vtilis actio re euicta, secus cum nulla declaratur, quia ex ea non potest dari actio vtilis propter resolutionem contractus. Gabr. d. consil. 36. num. 66. lib. 1. Surd. decis. 51. num. 20.

6 Secundo non etiam procedere dispositionem dictæ l. primæ. & secundæ. quando ille, qui vendidit, vt creditor, docere non potest, se esse creditorem. text. & gloss. in dicta l. 1. Salicet. in l. rescriptum. §. 1. ff. de distract. pignor. Idem Neguz. d. membro 1. num. 40. versic. & 1. fallit. Bald. consil. 227. in 1. lib. Tales enim fuerunt coniuges prædicti, qui pro sorte principali non poterant dici creditores Hieronymæ, quæ ex forma Bullæ Sanctissimæ memoriæ Pij V. de censibus, non adstringitur ad restitutionem sortis principalis.

7 Omissionem autem intimationis molestiarum non etiam præiudicare Parmenidi fuit dictum, quia non erat quæstio super euictione, sed super nullitate, quam venditor præuidere debuerat ad sustinendum proprium contractum.

8 Demum cessat exceptio compensationis cum fructibus ex vinea perceptis per eundem Parmenidem, quia quidquid sit respectu Hieronymæ pendet iudicium, coram Reuer. P. Domino Caualerio super eorundem liquidatione, qua pendente non admittitur compensatio l. final. C. de compensat. Paris. consilio 121. num. 22. & sequentib. volumine 1. Ludouic. decis. Perus. 15. num. 15. Surd. dicta decis. 184. num. 6. respectu autem ipsorum coniugum non intrat, cum non sint creditores fructuum. l. si constat. C. de compens. ita vt spoliator ex alia causa, & contra aliam personam non videatur prohibendus interim agere. c. cum dilectus. de ordin. cogn. & l. fi. C. eod. tit. vbi Salicet. nu. 1. & 3.

9 Quo vero ad Hieronymam respectu expensarum cum habeat sententias contra se, quæ fecerunt transitum in iudicatum, visum est Dominis exequutionem non esse retardandam, temere enim se obtulit liti, & causæ in qua nullum ius, aut interesse prætendere poterat. Nec exceptio super excessiuitate quidquam obstare videtur, cum ab ea non fuerit appellatum, ita vt illi acquieuisse credendum sit, l. ab eo. C. quomodo, & quando iudex. c. solicitudinem. cap. cum sit. de appel. Et ita fuit resolutum, &c.

R. P. D. PAMPHILIO.

Mediolanen. Decimarum Sancti Iuliani. Veneris 13. Ianuarij 1612.

ARGVMENTVM.

Decime debentur Ecclesiæ parochiali, intra cuius fines fructus colliguntur. Quomodo ius exigendi decimas probetur, & quomodo etiam probetur, Ecclesiam esse parochialem.

SVMMARIVM.

Priuatio præsupponit habitum. num. 1.

Ecclesiam esse parochialem probatur ex visitatione Episcopi illam enunciantis talem esse. num. 2.

Testes inter alios examinati, & mortui, cum repeti non possint faciunt semiplenam probationem. num. 2.

Enunciatiuæ orationes in instrumentis repertæ etiam non antiquæ faciunt magnam præsumptionem. num. 3.

Decimæ debentur Ecclesiæ parochiali intra cuius fines colliguntur. num. 4.

Decimæ quod debeantur à laicis, probatur per quasi possessionem exactionis earum ex instrumentis, ac depositionibus testium. num. 5.

DECISIO CCCLXXI.

1 PRo Informante nempè constare decimas locorum de Rancate, & Cliuesio ante dismembrationem anni 1578. spectasse ad Ecclesiam, & Canonicos Sancti Iuliani in strata Laudensi. Nam quod ante huiusmodi dismembrationem Ecclesia Sancti Iuliani esset Parochialis, & loca prædicta essent sub illius cura, & intra eius limites Parochiales probatur ex instrumento ipsius dismembrationis, non solum quia in eo ita narratur, sed etiam quia ab ea dicta loca dismembrantur, quæ dismembratio fieri non potuisset, si loca huiusmodi prius non fuissent de cura, & limitibus Parochialibus ipsius Ecclesiæ Sancti Iuliani, cum priuatio præsupponat habitum. l. decem. ff. de verbor. obligat. c. ad distribuen. de despons. impuber. eum similibus. & fuit dictum in Mediolanen. Bonorum. 18. Aprilis 1603. coram R. P. D. meo Ludouisio, & sæpe alias.

2 Quod vlterius comprobatur ex visitatione facta de anno 1566. à delegato Sancti Caroli Mediolanen. Archiepiscopi de dicta Ecclesia Sancti Iuliani, in qua ipsa enunciatur Parochialis, & caput Plebis, & inter loca eius curæ subiecta enunciantur Ecclesia Sanctæ Mariæ de Rancate, & Cliuesium, cui visitationi multum est tribuendum, vt fuit dictum in Toletana primitiarum 22. Aprilis 1581. coram bo. mem. Cardinale Seraphino, ac etiam ex testibus examinatis de anno 1513. qui licet fuerint inter alios examinati, tamen cum sint mortui, & repeti non possint, faciunt semiplenam probationem. Bart. in l. admonendi. num. 45. & ibi communiter ceteri Scribentes. ff. de iureiur. Caputaq. decis. 49. num. 3. par. 3.

3 Nec non ex enunciatiuis plurium instrumentorum, in quibus dicta Ecclesia Sancti Iuliani enunciatur curata, & intra limites suæ Curæ, & parochiæ habere loca Cliuesij, & Rancati, quæ enunciatiuæ magnam faciunt præsumptionem, licet non sint antiquæ. Petr. de Bella. in l. cum aliquis. in fine versic. dixerunt quidam, & Castr. num. 6. C. de iure deliber. Florian. de S. Petro in l... in finalibus. num. 2. ff. fin. regundor. & fuit dictum in Maceraten. hæreditatis 13. Februar. 1609. coram R. P. D. meo Manzanedo.

4 Hinc sequitur, quod ad ipsam Ecclesiam Sancti Iuliani, & eius Canonicos ante eandem dismembrationem spectabant Decimę dictorum locorum, cum notissimum sit Decimas deberi Ecclesiæ Parochiali intra cuius fines colliguntur. c. fin. de paroch. c. cum contingat. & ibi glos. verb. de iure. de decim. glos. in c. ad Apostolicæ. §. non eritis. verb. consuetudo. & in cap. cum sint homines. & ibidem Doct. communiter eod. tit. c. ad decimas. de restit. spol. lib. 6. & fuit sæpissime decisum in Rota, & signanter in Braccaren. Decimarum. 3. Iunij 1594. & 19. Ianuarij 1601. coram bonæ mem. Cardinali Pamphilio.

5 Et cum ista iuris communis dispositione concurrit etiam

Nam fuit responsum, Thomam non egisse contra Barbadorum, tanquam creditore pecuniarum, eius nomine solutarum Pernicæ, sed vigore promissionis indemnitatis sibi factæ, pro qua est releuandus ab omni damno, & consequenter redintegrandus de fructibus census per eum huc vsque solutis. *Bal. & Salicet.in l.2. C. de sent. quæ sine cert. quant. Surd.consi.150. num.4. vol.1.*

3 Nec indebiti periculum, quatenus vigore mandati generalis soluisset eam summam Pernicæ, in causam debiti non subsistentis, pertinet ad Thomam, qui de pecunia Domini, & bona fide debitum prima facie verum soluit. *Bartol. in l. si procurator.* limitando illum *textum, ff. de condict. indebiti.* quem sequuntur *Bald.& Angel.ibid.& Fulgos.& Alex.*dixerunt opinionem Bart. esse veram. Bona autem fides, & debitum prima facie verum colligitur ex eo, quod pecuniæ fuerunt acceptæ ad cambium pro computo Barbadori, & de eius mandato, vltra quod dantur literæ in Summario, ex quibus colligitur scientia eiusdem Barbadori de extinctione cambiorum ex pretio constituti census.

4 Neque Dominis placuerunt, quæ obijciebantur circa simulationem personæ Thomæ mandatarij, ac Bonarelli,cui census erat vendendus, quia census vere reperitur venditus Bonarello, & in hac parte fuit seruata forma mandati, sed quod Bonarellus magis emeret censum nomine proprio, & de pecunijs proprijs, quam ipsius Thomæ hoc non pertinet ad causam simulationis,quia non videtur prohibitum,quod quis alteri,& non sibi acquirat. *l.1. C. si quis alteri*, vel sibi, & ne dum tacite, sed expressis verbis hoc videtur licere, vt tradit *Surd. post multos quos allegat decis. 226.in princ.& 325.per totam*, maxime,vbi non versatur præiudicium alicuius. *Dec. consi.543. nume.19. vers.& supradicta*. Prout appropriatio census Thomæ Barbadoro non præiudicauit, cui dumtaxat præcipuum fuit recipere pretium pro extinguendis cambijs. Nec etiam obstat, quod Dominicus habuerit diuersas pecuniarum summas Barbadori, cum quibus potuerit extinguere censum, quia visæ fuerunt Dominis controuersæ, & consequenter inefficaces ad impediendam obligationem Cameralem habentem executionem paratam, *Gales. ad form. Camer.oblig. par.1. q.2. num. 9.& sequentib.*

5 Non obstat remissio Scutorum 300. quæ dicitur non esse controuersa, & per quam prætenditur censum Scutorum 300.saltem ad ratam fuisse extinctum. Quia etsi Scuta 300. peruenerint ad manus Thomæ, vt firmatur in calculo, & apparet ex bancarijs parcellis, quæ dantur in Summarijs Barbadori, nume. 12.In causam tamen census non cesserunt, cum adhuc super cambijs remanerent Scuta 225.& ex fructibus census cesserat dies pro soluendis Scutis 113. cum quibus summis prius erat fienda compensatio vti grauioribus, & odiosis per moram debitoris. *l.1. C. de solut.l.in bis. §. Imperator. eodem tit. l. si vsuras. C. de vsur. Surd.consi.290. num. 61. vol. 2.* ac etiam vti ipsi Barbadoro vtilioribus respectiue ad cambiorum extinctionem magis, quam ad fructuum censum. *Crass. consil. 106. num. 9. Menoc. cons.121. num.45. & in comm. de præsumpt. lib.3. præsumpt.136. num.16.*

6 Quinimmo nec cedere potuerunt, tum quia summa non erat æquiualens ad pretium census, quo casu emptor cogi non poterat ad recipiendam sortem suam minutatim. *Lup. de vsur. comm.2. §.2. num.71.* Et fuit dictum in Romana Census 29. Nouembris 1593. coram bo. mem. Cardinale Seraphino. Tum etiam, quia Thomas carebat mandato ad extinguendum censum, quod erat necessarium,sicut ad recipiendam retrouenditionem, vt in his terminis firmauit Rota in causa Ariminen.Census, 1.Iulij 1588. coram bo.me. Cardinale Seraphino.

7 Quod autem pertinet ad alium censum Scutorum 315. pro cuius fructibus pariter fuit dictum in decisione esse relaxandum mandatum, quia ad eum constituendum Thomas non habebat mandatum, prout habuit pro altero Scutorum 500.Domini reseruarunt particulariter videre, cum pendeat ab origine crediti Dominici occasione præstitę fideiussionis,ad cuius releuationē, & indemnitatem se obligauerat Barbadorus. Et ita vtraque parte informante fuit resolutum.

REVERENDISS. P. D. PEGNA

DECANO.

Lucana Iuris patronatus. Lunæ 23. Ianuarij 1612.

ARGVMENTVM.

Quatuor conclusionibus magistraliter in hac decisione explicatur, quando præsentatus à vero patrono preferendus sit præsentato à patrono putatiuo, existente scilicet in quasi possessione præsentandi.

SVMMARIVM.

Ius patronatus quando non reuocatur in dubium ad validitatem præsentationis,& ad effectum, vt præsentatus instituatur, tunc attenditur quasi possessio, ita vt præsentatus ab existente in quasi possessione præsentandi institui debeat. num.3.

Præsentatus à patrono putatiuo existente in quasi possessione præsentandi, si cum eo concurrat præsentatus à vero patrono, de cuius Iure patronatus legitime constat, vel per confessionem aduersarij, vel per rem iudicatam, vel per publicum instrumentum, tunc in isto concursu præferendus est præsentatus à vero patrono. num.4.

Ius patronatus ad effectum, vt præsentatus à veris patronis præsentato à putatiuis præferatur ad hoc, vt constare dicatur sufficit de eo constare publicum instrumentum, etiam quod non adsit confessio partis, vel res iudicata. num.6.

Ius patronatus vbi iudici legitime constat à vero patrono præsentatus præferri debet præsentato ab existente in possessione præsentandi, absque eo quod probetur de non iure existentium in possessione. num.7.

DECISIO CCCLXXIV.

1 Die 22. Martij 1610. fuerat in hac causa decisum ad fauorem Lælij Guidiccionij, qui ad hoc altare fuerat præsentatus ab operario vero, & indubitato patrono, ex fundatione, & dotatione, non obstante, quod à Montecatinis, & Balthassarijs, & ab operario Ecclesiæ SS. Paulini, & Donati de Luca, existente in quasi possessione præsentandi, Thomas de Montecatinis fuerat præsentatus, ex eo potissimum, quod Lælius ratione proprietatis videbatur præferendus, nam operarius, qui illum præsentauerat, fuerat repertus verus patronus.

2 Ceterum,quia in fine decisionis reseruaueram maturius discutiendum hunc articulum,ex quod doctrina *Panormitani in c. consultationibus num.9.de Iure patron.* dicentis, quod si ante institutionem constiterit de proprietate, tunc verus patronus est præferendus, ex quo proprietas absorbet causam possessionis, c. cum dilectus,de caus.possess. & propriet. non videtur procedere simpliciter, & indistincte, sed requiritur super proprietate,vel partis confessio, vel res iudicata: quia non potest dici constare de non iure, quamdiu de eo doceri potest, ideo super hoc articulo, qui omnino visus fuerat Dominis matura discussione dignus, causa fuit sæpe proposita,videlicet die 29. Aprilis, & die 27. Iunij 1611. & tunc propter diffidentes Dominorum sententias non potuit capi aliqua resolutio,quam tandem in hac propositione ceperunt,in deci-

decisis persistentes, & totam hanc materiam dilucidantes per infrascriptas conclusiones.

3 Prima fuit, quando Ius patronatus non reuocatur in dubium, ad validitatem præsentationis, & ad effectum, vt præsentatus instituatur, attenditur quasi possessio, ita vt præsentatus ab existente in quasi possessione præsentandi debeat institui, nec semel Canonice institutus est amouendus. *c. consultationibus. de Iure patron. c. querelam. de elect.* & vtrobique notant Canonistæ, & *Calderinus consi. 23. incip. an si Papa. nu. 1. de præben. Oldrad. consi. 312. incip. thema quæstionis tale est. nu. 2.* & fuit sæpissime in Rota firmatum. Et ad hanc conclusionem firmius stabiliendam pertinebant fere omnia deducta pro Montecatinis.

4 Secunda conclusio fuit, quod quando cum præsentato à patronis putatiuis, videlicet existentibus in possessione præsentandi concurrit alius præsentatus à vero patrono, de cuius Iure patronatus legitime constat, vel per confessionem aduersarij, vel per rem iudicatam, vel per publicum instrumentum, tunt in concursu præferendus est præsentatus à vero patrono. *Panormitanus in d. c. consultationibus. numc. 9. de Iure patron. Antonius de Butr. in c. ex literis. num. 8. eodem titulo. Ripa in c. cum Eccles. nume. 130. de caus. possess. & propriet. Decius consi. 127. incip. plura dubia. num. 1. & consil. 149. incip. in causa Iuris patronatus. nu. 2. Lambertinus, de Iure patron. lib. 2. p. 1. quæst. 3. art. 6. nu. 4. & sequen. & art. 9. num. 2. Rocchus de Curte in verb. competens. q. 19. num. 45. Paulus de Cittadinis tract. de Iure patron. par. 6. art. 3. num. 16.* & hanc conclusionem tenuit etiam sæpe Rota, & signanter in vna Imolen. Iuris patronatus die 7. Iunij 1577. coram bonæ mem. Cantuccio, tunc Rotæ Auditore. Et in causa Senen. Iuris patronatus die 9. Ianuarij 1598. coram me, & in causa Romana de Publicolis, die 21. Ianuarij 1600. coram bon. mem. Don Andrea Cordoua, & in Meleuitana Iuris patronat. die 18. Aprilis 1608. coram R. P. D. Dionysio de Marcomont. vbi aliç decisiones Rotales recensentur.

5 Hęc conclusio in hoc casu veritate facti nitebatur quoniam de proprietate Iuris patronatus in persona, Operarij, qui Lælium præsentauerat, constabat ex publico instrumento testamenti fundationis, & dotationis in forma probante in actis exhibitio, vnde patebat, Franciscum quondam Marci Parducij testatorem die 28. Octobris 1430. *ordinasse, & mandasse*, vt per Laurentiam eius matrem, & hæredem de bonis ipsius testatoris in Ecclesia Sanctorum Antonij, & Paulini erigeretur altare sub inuocatione S. Acconcij, ad quod erectum per operarios eiusdem Ecclesiæ SS. Antonij, & Paulini, perpetuo præsentaretur Sacerdos, qui Missas celebraret. Notum est enim, publica instrumenta authentica, & in forma probanti existentia facere probationem probatam. c. licet causam. vbi communiter Canonistæ, de probat. Eiusdem vero ordinationis effectuatio ostendebatur ex multis, quæ ab Informantibus pro Lælio deducebantur in facto, quæ cum veritate niterentur, non poterant in dubium reuocari.

6 Tertia conclusio fuit, vt de proprietate Iuris patronatus constare dicatur ad effectum, vt præsentatus à veris patronis præsentato à putatiuis præferatur, non requiritur, vt de proprietate Iuris patronatus doceatur, vel per propriam aduersarij confessionem, vel per rem iudicatam tantum, cum & per publicum instrumentum de ea doceri possit. Doctores enim, & decisiones antiquiores Rotales supra in secunda conclusione allegati, non restrinxerunt probationem ad prędicta duo, videlicet ad confessionem, vel ad rem iudicatam, sicut restrinxisse videtur bonæ memoriæ Cardinalis Seraphinus, tunc Rotæ Auditor in causa Valentina Parochialis de Cosentina die 27. Ianuarij 1589. cum & per publicum testamenti instrumentum de proprietate doceri possit, sicut in casu proposito

clare fuit ostensum, Ius patronatus solius operarij ex testamento fundatoris, nisi dicatur, Seraphinum prædictæ decisionis compilatorem non exclusisse alios modos legitimos vere probandi veritatem, & proprietatem Iuris patronatus, nam consultis Doctoribus allegatis, videlicet *Panormitano, Antonio de Butrio, Francisco de Ripa, Philippo Decio, Lambertino, Roccho de Curte, Paulo de Cittadinis apparebat*, eos non restringere probationem ad prædicta duo genera probationum, quemadmodum neque antiqua Rota restrinxit apud *Ioannem Paulum Tholomæum decis. 47. inci. Postnanien. Parochialis. Tit. de Iura patron.* cum simpliciter dixerit cum Doctoribus, quos allegauit, quodam præferatur præsentatus à veris patronis, quando constat de proprietate, tum quia proprietas absorbet possessorium: tum quia veritas debet præferri opinioni, quod procedere censuit ibi Rota, etiamsi putatiuorum præsentantium voces essent plures, quam verorum patronorum: quia vincit ratio, quod petitorium absorbet possessorium, sicut nec restrinxit Rota in causa Imolen. Iuris patronatus coram Cantuccio die 7. Iunij 1577. neque in alijs decisionibus, quas recensuit Dominus Dionysius de Marcomont. prædicta causa Meleuitana Iuris patronatus, & hæc opinio eo præsertim nomine videtur tenenda, quia non reperitur interdicta probatio, quæ potest fieri per publicum instrumentum.

4 Quarta conclusio fuit, cum de proprietate Iuris patronatus Iudici constiterit, ad effectum, vt præsentatus à veris patronis obtineat, non est amplius necessarium docere de non iure existentium in possessione præsentandi. *Panormitanus in dicto cap. consultationibus, num. 9. de Iure patronat. Idem in cap. ex literis, num. 8. vers. quandoque. vbi Antonius de Butr. num. 12. eodem tit.* quia si isto casu institueretur præsentatus ab habente solam possessionem, proprietarius spoliaretur, & priuaretur fructu sui Iuris patronatus quodam nunquam recuperaret: nam sine dubio contingere, posset, quod præmoreretur instituto, & nunquam alias præsentaret, vt prudenter considerauit *gl. in c. ex literis. in verbo, vel antequam, vers. nec obstant contraria, vbi etiam Panormitanus, num. 8. & 9. de Iure patron.* licet ad aliud ferè propositum, & consequenter non placuit Dominis doctrina *Ripæ in dicto cap. cum Ecclesia. num. 130. de cau. poss. & propriet. super doctrina Panormitani in d. cap. consultationibus. de Iure patronatus.*

8 Et ex prædictis fuit conclusum, quod cum operarius qui præsentauerat Lælium, docuerit de iure suo ex fundatione, & dotatione Iuris patronatus, licet non docuerit de non iure præsentantis Thomam Montecatinum: nihilominus deberet obtinere, & ab Ordinario institui, non expectato prius, vt videretur de futoro litis euentu ne damnum irreparabile vero patrono inferatur.

9 Nec refert, quod hoc modo summarium possessorium destrueretur, & euerteretur dispositio Sacri Canonis in dicto cap. consultationibus. Quia fuit responsum, terminos huius possessorij esse diuersos ab alijs terminis possessorij ordinarij ob rationes prædictas, & signanter propter damnum irreparabile, quod inferretur veris patronis, dum sine culpa sua sui Iuris patronatus fructibus priuarentur, &c.

R. P. D. PIROVANO.

Bononien. Vsusfructus. Veneris 27. Ianuarij 1611.

ARGVMENTVM.

Vsusfructus à testatore alicui relictus in omnibus suis bonis, an trahatur ad vsumfructum bonorum fideicommissariorum, & emphyteuticorum.

SVMMARIVM.

Testari nemo præsumitur de alienis bonis. nu. 2.
Vsusfructus omnium bonorum, à testatore alicui relictus, non extenditur ad vsumfructum bonorum fideicommissariorum, & emphyteuticorum, quia talia bona non sunt testatoris. nu. 2. & seqq. nisi contrarium suadeatur ex coniectu-rata testatoris voluntate. nu. 5.
Bona emphyteutica, & fideicommissaria non dicuntur esse propria testatoris. nu. 3.
Hæres institutus in vsufructu censetur etiam institutus in vsufructu bonorum emphyteuticorum eorum, scilicet, quæ sunt acquisita ab ipso testatore libera ad transferendum in quemcumque voluerit, prout sunt hæreditaria, secus autem in vsufructu bonorum emphyteuticorum, quæ non sunt hæreditaria, sed ex facto, & prouidentia, & quæ filius non capit à patre, sed à concedente. nu. 7.
Verba quantumcumque vniuersalia, & generalia patiuntur exceptionem, secundum subiectam materiam. nu. 8.

DECISIO CCCLXXV.

1 IOannes de Armis condito testamento institutionẽ hæredum per formalia verba expressit. In omnib. autem suis mobilibus, immobilibus, allodialibus, emphyteuticis, liuellariis, & precariis, & aliis quibuscunque rebus, iuribus, & actionib. instituit heredes suos vniuersales, & vsufructuarios tantum, D. Catherinam Marescottam eius testatoris vxorem, & Dominũ Aurelium eius filium, æquis portionibus, interim verò durante vsufructu quo ad nudam proprietatem, instituit hæredem eundem D. Aurelium. Et dum prætenderet Dom. Catherina medietatem vsusfructus ex omnibus indistincte bonis fuit alias resolutum coram bo. me. Iusto. 27. Ianuarij 1606. solum deberi vsumfructum D. Catherinæ deducto ære alieno in tota hæreditate, cuius æris alieni appellatione cum etiam possent contineri bona emphyteutica, & fideicommissaria, tanquam de hæreditate testatoris, post illius mortem deducendam dubitaui, An D. Catherine debeatur dimidia vsusfructus, etiam bonis fideicommisso subiectis, & emphyteuticis. Et Domini quo ad bona fideicommissaria negatiue responderunt, de emphyteuticis autem non deberi, quatenus fuerunt maiorum testatoris ex pacto, & prouidentia.

2 Ratio decisionis fuit, quia cum nemo præsumatur de alienis testari. *gl. in l. conficientur. in verb. testatur. in fin. de iure codicillor. & in l. 1. C. qui testam. fac. poss. Petra de fideicom. q. 8. nu. 276. Ceph. cons. 516. nu. 11.* videtur dicendum, institutionem quibuscumq; verbis factam esse restringendam ad id, quod erat testatoris, legantis, ita & inuestiendo videtur solum reliquisse ius, quod habet. *l. serui electione. §. fin. de leg. 1. l. quod in rerum. §... eod. tit. l. vxor patrui. C. de legat. Dec. cons. 454. nu. 11. Couar. pract. quæst. Surd. cons. 113. nu. 14. & dec. 11. nu. 10. & dec. 93. nu. 16.*

3 Bona autem fideicommissaria, & emphyteuticalia, vti restitutioni subiecta post mortem fideicommissarij, & emphyteutæ, non dicuntur esse propria ipsorũ testantium. *l. vnum ex familia. §. 1. ff. de leg. 2. l. si quis. ff. de manumiss. Surd. dec. 93. nu. 19. & 20.* Reputantur enim, vt æs alienum, quod detrahi debet. *l. irritum. C. ad leg. Falcid. Illustr. Mantic. de coniect. vlt. volunt. lib. 9. tit. 6. nu. 12.* & consequenter non comprehenduntur in vniuersali institutione vsusfructus omnium bonorum, & hanc partem post *Cephal. & Paris.* bene probauit *Illustr. Mantic. d. lib. 9. tit. 6. nu. 8.* eandem firmarunt post alios, quos allegant *Petra de fideicom. q. 8. nu. 269. Menoc. in commun. de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 142. nu. 12. Surd. latissimè cons. 354. nu. 33. & seqq. vol. 3. & dec. 93. nu. 17.*

4 Et quamuis non defuerint, qui contrarium senserint, prout *Alba. cons. 73. qui in hismet terminis consulit. Crau. cons. 714. nu. 17. Ferr. cons. 119. nu. 12. vers. item quia testator. Corn. cons. 74. nu. 82. lib. 2. Alciat. cons. 611. nu. 1. secundum antiq. impress. Ruin. cons. 150. nu. 12. lib. 3. Soc. iun. consil. 68. num. 14. vol. 4. Ruin. cons. 114. num. 16. vol. 2. & hanc opinionem sequutus est. Marz. post alios, quos allegat in epit. fideicom. q. 4. nu. 14.*

5 Tamen placuit Dominis contraria opinio cum distinctione, nisi contraria voluntas testatoris, saltem ex probabilibus coniecturis probetur, quam etiam alias in hoc Sacro Auditorio fuisse sequutam in causa Bononien. Spolij inter Gonzagam, & Pepulos, & in alia Bononien. Bonorum, refert idem *Marz. d. epitome q. 4. nu. 13.* vbi fatetur, quamuis sequatur contrariam standum esse iudicio Patrum Auditorum quidquid contrarium fuerit consultum.

6 Nec dicatur, conclusionem verificari in emphyteusi, quæ vel vna cum morte testatoris extinguitur, vel transit in tertium non hæredem, secus quando ad hæredem peruenit, ea ratione, quia de bonis hæredis, sicut i de proprijs potuit testator disponere, prout considerarunt *Capra, cons. 146. nu. 5. & seqq.* & alij pro contraria opinione supra relati. Fuit enim dictum quæstionem esse voluntatis, non autem potestatis, quę voluntas vel verbis expressis, vel ex probabilibus coniecturis debet probari, & eo casu duntaxat debere intelligi dispositum de re hæredis, quando particulariter disponitur, secus si vniuersaliter, quia vniuersalis dispositio ad res testatoris refertur, non autem ad res redis. *l. sequens quæst. ff. de lega. 2. & sic præcise declarant Alex. cons. 91. nu. 10. lib. 1. Ceph. alleg. cons. 516. nu. 22. & 23. Peregr. d. art. 6. num. 16.* Ad replicationem autem, quod immo circa bona emphyteutica voluntas testatoris verbis expressis legitur, & quo ad bona fideicommissaria vrgent probabiles coniecturæ.

7 Fuit responsum, quod etsi testator instituendo Dominam Catherinam hæredem in medietate vsusfructus expresserit etiam bona emphyteutica, & eo casu non videatur dubitandum quin vsusfructus de emphyteuticis debeatur. *Paul. de Monte Pico in l. Titia cum testamento. §. cum Titia nuberet. nu. 28. ff. de l. 2. Surd. cons. 74. n. 71. & dec. 11. nu. 10. vers. Doctores loquuntur.* tamen quia & ipsa bona emphyteutica sunt duplicis generis, alia acquisita ab ipso testatore libera ad transferendum, prout hæreditaria, quæ etiam cadunt sub generalia dispositione. *Menoch. cons. 129. num. 11.* & tenuit Rota in causa Bonon. de Bologn. coram bo. me. Cardinali Seraphino, inter impress. 154. par. 1. diuers. in quoscumq; hæredes. Alia ex pacto, & prouidentia, quæ non capit filius à patre, sed à concedente. *Aret. consil. 53. col. 2. con. 1. vers. sed quamuis. Socin. iun. cons. 72. nu. 61. vol. 1.* Ideo videtur dicendum, testatorem de proprijs emphyteuticis bonis, quæ in eius potestate erat non autem de subiectis restitutioni, voluisse disponere propter pronomen, suis, quod videtur restringere dispositionem ad bona, de quibus testator potest disponere, & dominium habet, quando decedit. *l. Quintus. §. argento. vbi Bart. & alij. ff. de aur. & arg. leg. Rolan. consil. 71. num. 28. vol. 2. cum alijs alleg. per Surd. d. 93. n. 20. & cons. 354. num. 19. & 20. vol. 3.*

8 Respectu autem bonorum fideicommisso subiectorum non dantur coniecturæ probabiles, ex quibus possit voluntas testatoris trahi ad bona fideicommissaria. Nam, & verba vniuersalia in omnibus bonis, & verba generalia, & alijs quibuscumque rebus patiuntur restitutionem secundum subiectam materiam, & intelliguntur pro illo iure, quod ad testatorem ipsum spectabat, vt bene declarant. *Cephal. in alleg. cons. sub n. 33. & Peregr. d. art. 6. nu. 14.* Atque ita fuit resolutum vtraq; parte informante.

R.P.D.

R. P. D. PIROVANO.

Casalen. Quartæ Funeralium, Merc. 2. Febr. 1612.

ARGVMENTVM.

Quarta funeralium regulariter debetur Ecclesię parochiali nisi Cathedralis Ecclesia, vel illius quasi possessionem per annos 40. prescripserit, vel in erectione parochialis Ecclesiæ in signum subiectionis eam sibi recusauerit.

SVMMARIVM.

Quarta funeralis de iure debetur Ecclesiæ Parochiali. nu. 1.
Quarta funeralis, licet de iure debeatur Ecclesiæ Parochiali, fallit hoc tamen, nisi Cathedralis Ecclesia per 40. annos illius quasi possessionem acquisiuerit. nu. 2.
Quartam funeralem Cathedralis Ecclesia sibi reseruare potest insignum subiectionis, quando aliæ parochiales Ecclesiæ fuerunt postea erectæ. num. 3.
Possessio præsumitur continuata ex præcedenti titulo. nu. 3.

DECISIO CCCLXXVI.

1 PRo Informante fuit resolutum, nempe quod quarta funeralis sit adiudicanda Capitulo Cathedralis Ecclesię Sancti Euasij, quia bene probatur eam fuisse vnicam Ecclesiam parochialem in Ciuitate Casalen. quamuis postea intra limites Cathedralis fuerint erectæ aliæ Ecclesiæ parochiales, hoc enim per rationes concludentes asserunt, testes examinati vigore remissoriæ, quod idem prius affirmarunt testes examinati de anno 1224. quorum dicta dantur in Summario. Idem colligitur ex priuilegio Sanctissimę memorię Vrbani III. sententia Rotali, decretis visitationum annorum 1577. & 1584. ex quibus non videtur dubitandum de qualitate Matricitatis huius Ecclesiæ, qua stante, & si quarta funeralis debeatur Ecclesiæ Parochiali c. 1. & 2. de sepultur.

2 Cum tamen Ecclesia cathedralis sit in quasi possessione illam percipiendi per 40. annos, & vltra, vt deponunt testes remissoriales. Dixerunt Domini, vel tanto tempore legitime præscriptam fuisse, iuxta *glos. in cap. vltim. in verb. legitime præscripta. de consuetud. in 6.* cum totum deferatur consuetudini in casu, de quo agitur, vbi non adest iuris resistentia. *Innoc. in capit. dilectus, num. 4. de cappell. Monach. & in cap. ad audientiam, de eccles. ædific. vbi etiam Ancharan. numer. 6. versic. 4. quæro.*

3 Vel & verius, ecclesiam cathedralem illud ius sibi reseruasse, quando aliæ parochiales fuerunt erectæ quod potuit insignum subiectionis. *Butr. in cap. ad audientiam. il 1. circa finem de eccl. ædific.* ita vt facilius præsumendum videatur, continuatam possessionem fuisse ex titulo, & iure matricis preambulo. *leg. 2. C. de acquirenda possess. Crauet. cons. 10. num. 9. Alciat. cons. 31. nu. 2. alias est cons. 29. num. 20. tom. 1. lib. 1.* & fuit dictum in vna Calaguritana Thesaurariæ inter impressas 363. *n. 2. par. 1.* quam ex prescriptione nouum ius Cathedrali fuisse quæsitum, & ita resolutum.

REVERENDISS. P. DOMINO DAMASCENO.

Bononien. de Bouijs. Lunæ 6. Februarij 1612.

ARGVMENTVM.

Administrator, cui à testatore remissa est redditio rationis, non tenetur de administratis rationem reddere, nisi constet de illius vero dolo, & quid si amplius idem testator illi concesserit liberam facultatem disponendi de fructibus hereditarij, quid, & quantum operetur talis facultas, & de materia.

SVMMARIVM.

Administrator liberatus à redditione rationis, cum libera facultate deponendi, & priuatione contra hæredes, in casu molestiarum, non potest cogi ad reddendam administrationis suæ rationem, nisi probato vero dolo. num. 1.
Administratori data libera facultas disponendi de fructibus rerum administratarum non suffragatur, quando administrator tali facultate vsus non fuit, nec dicitur quod vsus fuerit per institutionem hæredis, nu. 2.
Liber administratori, non probat contra eum, qui illum deputauit administrationi, nisi constet de deputatione, & etiam constito de deputatione non probat contra deputantem, nisi constet, quod ille librum confecerit nomine deputantis, num. 3. & 5.
Pater est vsufructuarius hæreditatis relictæ suo filio, nu. 4.
Testator in eo, quod non deponit videtur reliquisse sub dispositione iuris communis, nu. 5

DECISIO CCCLXXVII.

1 FVit tentum, D. Andream non probari in aliquo creditorem fructum hæreditatis quondam Iulij administrate per quondam Episcopum Ioannem Carolum. Primo, quia cum prædictus fuerit per amplissima verba liberatus à redditione rationis, & ei data facultas libere disponendi de prædictis fructibus cum priuatione contra hæredes in casu molestiarum, non potest ab ipso Episcopo, siue eius heredibus peti aliqua redditio rationis, nisi probetur ipsum fuisse in dolo vero, ex latè deductis coram me, in alia Bononien. administrationis, die 28. Februarij, & 10. Iunij 1611.

2 Et quatenus dicebatur per Informantes pro Dom. Andrea, hic non peti redditionem rationis, sed reliquatum, de quo constat ex libris Gandulphi deputati à Faba, quem Fabam ipse Episcopus proposuerat isti administrationi, nec posse hæredes ab intestato dicti Episcopi excusari à restitutione dicti reliquatus sub pretexu amplæ facultatis, quam habebat Episcopus disponendi de istis fructibus, ex quo ipse ea vsus non fuit specialiter disponendo de illis, cum alias non sufficiat generalis dispositio, quę fit per Institutionem heredis, vt in Romana Sripturę. die 5. Iunij 1609. coram R.P.D. Marcomontio. Vnde multo minus debeat sufficere tacita, siue pręsumpta, quę oritur ex successione ab intestato, vt in specie ad not. *Gabr. cons. 143. n. 7. lib. 1. Surd. dec. 272. nu. 37.*

3 Fuit responsum illum librum nullam mereri fidem cum non constet de deputatione facta à Faba de persona Gandulphi, qui dictum librum conscripsit, ad *cons. Alex. 186. num. 6. lib. 2.* cum concordan. Et rursus dato, non concesso, quod constaret, ille liber non fuit confectus nomine Episcopi, ad effectum, vt ipse Episcopus posset reddere rationem alijs, sed est confectus à Faba, & vt ipse posset reddere rationem Episcopo, vnde nullum concludit reliquatum penes Episcopum. Etenim potest esse, quod reddita per Fabam ratione nomine Episcopi, & restituto reliquatu, prout vtrumque fecisse probatur ex publico instrumento, cuius copia fuit data, ipse Episcopus, iuxta suam facultatem de predicto reliquatu ante mortem disposuerit. Vnde probatio non concludit extantiam reliquatus penes Episcopum de tempore mortis, nisi petatur redditio rationis ab heredibus ipsius Episcopi, quod non licet, ex supra allegat.

4 Secundo fuit dictum D. Andream non posse petere fructus hæreditatis Iulij ab hæredibus Episcopi quia

quia in omnem euentum spectassent ad D. Alexandrum patrem dicti D. Andreæ, qui de iure fuit vsufructuarius hæreditatis Iulij relictæ Andreæ filio suo *l. cum oportet. vbi Bart. Bald. Salicet. & alij. C. de bon. quæ liber. l. cum non solum. Cod. eod. tit. §. igitur. Instit. per quas pers. nob. acquirit. Ambar. cons. 176. nu. 1. Socin. cons. 192. num. 1. vol. 2.*

3 Nec satisfecit responsio, quod ex quo Iulius dedit facultatem Episcopo disponendi de fructibus hæreditatis, videtur per hunc modum ademisse vsumfructum patri Andreæ, quod potest fieri etiam tacite. *Boer. decis. 193. numer. 3.* quia admittebant Domini, quod si Episcopus disposuisset, non potuisset Alexandro sub pretextu vsusfructus sibi debiti reuocare factum Episcopi. Verum cum Episcopus non disposuerit, vt profitetur D. Andreas ex supra deductis, & Iulius testator in casu, quo Episcopus non disposuisset, minime dixerit quid agendum esset de prædictis fructibus, videtur illos reliquisse sub dispositione iuris communis, *ad not. in l. commodissime. ff. de liber. & posthum.* Et consequenter promisisse, quod deuenirent ad patrem hæredis, iuxta *d. leg. cum oportet.* & quod replicabatur videri dispositum ad fauorem D. Andreæ, per descriptionem ad sui creditum factum in libris Gandulphi, quæ descriptio habet vim translationis dominij, vt in Romana Computorum die 7. Maij 1604. coram me. Fuit dictum resolutionem patere ex supradictis, nempe non constare, quod illi libri fuerint descripti nomine Episcopi, & quatenus constaret Episcopum voluisse fieri libros administrationis prædictorum fructuum, hoc non sufficeret ad effectum, quod describens posset transferre dominium fructuum in aliquem, quia fuisset necessarium speciale mandatum ad sic disponendum, vt patet ex tradit. per *Scribent. in l. contra iuris, §. filius, ff. de pact. gl. in leg. procurator cui, in fine, Bart. in princ. ff. de procurat. Abb. in c. petitio. nu. 1. in fin. eodem tit. Bald. cons. 371. num. 2. lib. 4. Federic. consil. 177. num. 1. Dec. consil. 402. num. 9.* Et ita fuit conclusum, &c.

R. P. D. PIROVANO.

Aprutina Beneficij. Lunæ 6. Februarij 1612.

ARGVMENTVM.

Subrogationem non gratiosam, sed rigorosam qui obtinuit, quid iustificare debeat, vt immutatur in possessionem beneficij defuncti.

SVMMARIVM.

Subrogationem non gratiosam per verbum subrogamus, sed rigorosam per verba subrogari mandamus habens, non potest immitti in possessionem beneficij, ministerio iudicis, qui non potest possessionem tradere nisi illi, qui habet bonum ius in beneficio, audiendo partes, & eorum iura discutiendo, nu. 1.

Subrogationem rigorosam qui obtinuit non solum debet iustificare idoneitatem, & qualitatem Clericatus, sed etiam debet iustificare ex iure defuncti sibi ius competere in beneficio, de quo agitur, nu. 2.

DECISIO CCCLXXVIII.

1 DVm instaret Donatus, vt sequestrum super beneficio ex rescripto Rotæ appositum remoueretur, Domini voluerunt dari dubium, & eo proposito sub die 19. Decembris 1611. placuit eisdem, non esse reuocandum, sed Donatum teneri producere in actis causæ suam gratiam, illamque iustificare. Hodie vero nimis propere non iustificata gratia voluit disputari dubium, an sit subrogandus, & immittendus in possessionem beneficij, de quo agitur, & non esse dandam immissionem, fuit resolutum, quia Donatus non habet subrogationem gratiosam per verbum subrogamus, sed rigorosam per verba subrogari mandamus, cuius vigore non potest dari immissio, nisi ministerio iudicio. *Cassad. dec. 1. num. 4. & per totum, vt lite pendent.* & ille non potest possessionem tradere, nisi illi, cui de iure competit, id est habenti bonum ius in beneficio, vt dicit *Mobedan. decis. 11. vt lit. penden.* audiendo partes eorum iura discutiendo, exceptiones etiam de subreptione cognoscendo.

2 Vnde quamuis Donatus iustificaret idoneitatem, & qualitatem clericatus, quę eius personã respiciunt, nihil adhuc egisse videtur, nisi iustificauerit ex iure Lauri defuncti sibi ius competere in beneficio, de quo agitur, vt bene declarat *Mobed. alleg. dec. 11. num. 1.* De quo cum non doceatur, sequitur non esse in casu de omittendo in possessione, maxime quia opponitur beneficium esse in alia diœcesi, scilicet Montalti, non autem Aprutina, qua stante appareret de intrusione impeditiua effectum subrogationis prædictæ. Et ita fuit resolutum.

REVERENDISS. P. D. PEGNA DECANO.

Pacen. Canonicatus Veneris 10. Februarij 1612.

ARGVMENTVM.

In hac decisione præsupponuntur tres gratiæ Prima quod fuerit obtenta ob non publicationem cessionis Secunda in confirmationem primæ, etiam quod fuerit nulla ob non publicationem in tempore. Tertia etiam valere in casu, quod beneficium vacaret per obitum. Plenè discutitur quomodo huiusmodi gratiæ iustificari debent.

SVMMARIVM.

Gratia beneficij obtenta ob non publicationem non suffragatur, nisi verificata negatiua non publicationis eaque concludenter probata. nu. 2. & nu. 6.

Gratia beneficij obtenta ob non præsentationem literarum, non suffragatur, nisi probata negatiua dictæ non præsentationis literarum, eaque concludenter reprobata, numero 3.

Gratia etiam valere an, & quando dicatur noua gratia, vel potius confirmatoria primæ. nu. 4.

Gratia beneficij si alternatiue continet duplicem vacationis modum an, & quando sufficiat vnum vocationis modum iustificasse. nu. 5.

Gratia potest iustificari per confessionem aduersarij tacitam, & in consequentiam. nu. 7. Declara, vt num. 8. & 9.

DECISIO CCCLXXIX.

1 PRouisus auctoritate Apostolica Alphonsus Salgadus de hoc Canonicatu per cessionem Antonij Mosquera, quem Petrus Munez ob non publicationem dictæ cessionis impetrauerat, iuxta formam Constitutionis Gregorij XIII. & quoniam dubitauerat de validitate primæ gratiæ, ex eo quod ipse literas desuper confectas intra tẽpus in Constitutione de publicandis pręfixum non pręsentauerat in Rota, obtinuit secundam gratiam primæ reualidatoriam. Preterea cũ vlterius dubitaret an dictus Canonicatus adhuc vacaret per obitum Ioannis Morquecho tertiam gratiã impetrauit etiã valere casu, quo canonicatus per eundem obitum vacaret, & proposito dubio in Rota iuxta restrictionem paucis antea diebus factam, an constaret de iure Petri Rota non constare censuit.

2 Vigore primæ gratiæ ob non publicationem cessionis Antonij non constabat de bono iure Petri, quia cum negatiua non publicationis esset fundamentum suæ intentionis illam debuit concludenter probare, vt sæpe fuit in Rota decisum, & signanter in Aretina Commendæ die 16. Februarij 1596. coram bon. mem. Cardinale Pamphilio tunc Rotæ Auditore, & in Ripana beneficij die 17. Aprilis 1600. coram R. P. D. Sacrato, & in Syracusana Prioratus die 4. Februarij 1605. coram Domino meo Ludouisio, & in causa Zamoren. parochialis die 2. Aprilis 1607. coram Domino Attrebaten. hanc autem negatiuam non publicationis Petrus non probauerat.

3 Vigore secundæ gratiæ, similiter non constabat de bono iure Petri, quia cum esset reualidatoria primæ gratiæ ob non præsentationem suarum literarum in lite agitata inter Alphonsum, & Antonium cedentem consequenter subiacebat eisdem regulis, & easdem qualitates, quas prima gratia induebat. *Gemin. consil. 128. incip. super primo dubio. nu. 7. Gomes. in regul. de non iudican. iuxta formam supplicat. quæst. 7. num. 5. Mandos. super regul. 10. q. 1. nu. 4.* Debuerant enim omnia narrata in prima gratia iustificari, vt *Gemin. & Sarnen. præcitatis locis docuerunt*, & fuit resolutum in Rota, in causa Aquilana Canonicatus die 29. Aprilis 1588. coram bon. memoriæ Gipsio. Vnde si Petrus volebat capere vocationem ob non publicationem cessionis Antonij necessario reincidebat in difficultatem primæ gratiæ, quam non iustificauerat.

4 Tertia gratia nullum ius tribuebat Petro, cum non esset noua gratia, sed prius confirmatio primæ, vt patebat ex illis verbis, concedimus, quod singulæ literæ huiusmodi cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis, & decretis, valeant plenamque roboris firmitatem obtineant, & ille suffragentur in omnibus, & per omnia, etiam si Canonicatus, & præbenda prædicti adhuc per obitum ipsius Ioannis vacauerint, & vacent, quasi quod Papa non concesserit nouam gratiam per obitum Ioannis, sed potius voluerit gratias primas ob non publicationem concessas valere, quatenus Canonicatus per obitum Ioannis vacauisset, vel vacasset non Ius Antonij resignantis. Inde enim inferebatur, quod etiam in ipsa tertia gratia includebatur vacatio ob non publicationem.

5 Et quamuis sufficiat, in modis vocationis alternatiue conceptis vnum tantum iustificare, secus tamen est, quando Papa non processit per nouam gratiam, sed confirmando priorem, tunc enim modum vacationis ob non publicationem debuit Petrus verificare, licèt non de iure saltem de facto, vt censuit Rota in causa Abulen. beneficij, die 13. Octobris 1595. coram D. Cardinale Blanchetto, tunc Rotæ auditore, quod maximè procedit, quando talis gratia est restricta ad vnum tantum modum vacationis, vt in causa Bononiensis Canonicatus die 13. Februarij 1590. coram bon. mem. Cardin. Pamphilio. Vnde cum prima gratia in ista tertia confirmata esset restricta ad solam vacationem ob non publicationem, quam Petrus non verificauerat consequenter, nec tertia gratia confirmatoria primæ poterat iuuare.

6 Nec ad rem pertinebat, quod Petrus diceretur venire hodie per vacationem per obitum Ioannis, & quod Alphonsus excipiens de dicta vacatione iam consumpta per prouisionem Antonij teneretur de illa docere & prouisionem Antonij sui antecessoris iustificare, quia fuit responsum, prędicta procedere, si Petrus niteretur noua gratia per obitum Ioannis. Sed cum veniret ex gratia confirmante primam per non publicationem etiam in causa vacationis per obitum Ioannis & consequenter semper insisteret primę gratię ob nō publicationem tertię gratiæ non iustificata prima, sibi non poterat suffragari, & sufficiebat Alphonso respondere Petrum non iustificasse suam gratiam.

7 Dicebatur præterea gratiam D. Antonij videri iustificatam ex confessione Petri in precibus in prima gratia porrectis, quatenus narrauit Antonium fuisse prouisum de isto Canonicatu, & præbenda, de quo postea per liberam cessionem Antonij prouisus fuit Alphonsus, & non publicauit, quæ non confessio aderat etiam in narratiua secundæ gratiæ, quæ suffragabatur Alphonso, & probabat consumptionem dictæ vacationis per obitum D. Ioannis. *Put. dec. 36. incip. Dominus Nicolaus lib. 3.* & fuit dictum in vna Caurien. iurisdictionis die 22. Iunij 1582. coram Illustrissimo D. Cardinale Blanchetto tunc Rotæ Auditore.

8 Ad maiorem corroborationem prædictorum addebatur non potuisse Petrum iuuari tertia gratia. Nam quatenus volebat capere vacationem per obitū Ioannis, & narrauerat Canonicatum per dictum obitum adhuc vacasse, & vacare, duo probare debuit, videlicet modum vacandi per obitum dicti Ioannis, & Canonicatum, & præbendam adhuc vacare de tempore impetrationis *gloss. 1. in cap. 2. de rescript. vti communiter Canonistæ, & signanter Fel. n. 21. & Ripa nu. 39.* Et fuit decisum in terminis in causa Cæsaraugustana Parochialis. die 8. Nouembr. 1599. coram bon. mem. D. Card. Pamphilio.

9 Hoc autem vltimum, quod adhuc, vacaret de tempore suæ gratiæ, Petrus probare non poterat, nisi etiā doceret, quod prouisio Antonij per eum narrata fuerat nulla. Et consequenter, quod vacatio ex persona Ioannis non fuerat consumpta, vt fuit dictum in causa Pampilon. de Ianzi die 21. Iunij 1604. coram R. P. D. meo Coccino, quod etiam probatur in prædicta causa Cæsarauguſtana proxime allegata. Gratia enim quæ præsupponit non fuisse ius penes alium non potest habere locum, nisi constet illum ius non habuisse, vt fuit dictum in causa Carthaginen. Canonicatus. die 5. Iulij 1606. coram D. Cardinale Lancellotto, tūc Rotæ Auditore, pro quo facit, quia dispositio vnum præsupponens, non habet locum, nisi verificato præsupposito. gl. in l. mancipia. in verbo auocandum. C. de seru. fugit. Dec. consil. 644. incip. viso & per lecto. n. 15. Surd. dec. 289. incip. inter alias quæstiones. nu. 4.

10 Vnde cum Petrus nondum probauerit huiusmodi non ius Antonij, quinimo illud etiam magnifecerit impetrando Canonicatum ob non publicationē cessionis, quam fecit Antonius, consequenter probare non poterat, quod Canonicatus vacauerat ex persona Ioannis de tempore suæ gratiæ. Et ex prædictis fuit conclusum, non constare de iure Petri &c.

R. P. D. PIROVANO.

Romana, Saluiani Interdicti. Veneris 10. Februarij 1612.

ARGVMENTVM.

Statutum Vrbis, quod duæ conformes faciant rem iudicatam, comprehendit personas Ecclesiasticas, Collegium, Communitates, & Monasteria.

SVMMARIVM.

Statutum Vrbis, præsertim de duobus conformibus, quod faciant rem iudicatam, ligat etiam personas Ecclesiasticas. num. 1.

Statutum Vrbis de duobus conformibus prædictis comprehendit etiam Collegium, Communitatem, & Monasteria. num. 2.

DE-

DECISIO CCCLXXX.

1 Latis conformibus pro Excellentiss. Dom. Duce de Comitibus, contra Collegium Anglorum Vrbis & tertio loco prouocante Collegio, causa fuit commissa cum clausula constito, quod Statuto de duabus conformibus, & executioni locus sit, sententiæ exequantur. Dubio igitur iuxta rescriptum signaturæ proposito, Domini resoluerunt esse locum Statuto. Nam quod sub eo comprehendantur Ecclesiasticæ personæ, visum est carere difficultate, Tum quia Statutũ est Papale conditum à deputatis à Papa, nec rescriptum ad forum Capitolinum, sed seruandũ in omnibus curijs. Tum etiam, quia sæpissime Rota idem tenuit, ac firmauit signanter coram Sanctissimæ mem. Clemente Octauo in causa Romana de Comitibus, 21. Iunij 1577. in Romana census, seu reconuentionis, 12. Maij 1606. coram bonæ mem. Litta, & in Romana separationi Thori, 2. Decemb. 1605. coram R.P.D. Marcomontio.

2 Maior difficultas excitabatur, vt non comprehenderetur Collegium, quia nec ciuis Romanus, nec incola proprie nuncupari poterat, prout statutũ mandat, stricte seruari inter eos. Verum, etsi alias fuerit releuans, ita vt Domini nihil deliberare voluerint, in causa Romana Secretariatus. 20. Nouembris 1593. coram Illustrissimo Cardinale Mellino, tamen, cum idem dubium contigisset in causa Romana, seu Hesperia census, 19. Martij 1599. coram bonæ memoriæ Cardinale Seraphino. Fuit resolutum Statutum comprehendere Communitatem, quæ est persona ficta, & exinde iterum fuit firmatum contra fratres, & conuentum Sanctorum Apostolorum, coram bonæ memoriæ Litta in causa Romana census, seu reconuentionis 12. Maij 1606. quæ resolutiones placuerunt Domini, quia non repugnat proprietati verborum Statuti quin Collegium dicatur ciuis, *Bart. in l. prima, num. 12. ff. ad municip. Cucch. maior. Instit. lib. 2. tit. de Canonic. numer. 27.* nec ratio suadet restringen. esse statutum ad veros ciues, & non fictos, postquam eodem modo collegium possidet bona, contrahit, administrat, succedit, prout ciues alijs Romani, & incolæ faciunt.

3 Quę autem opponebantur circa validitatem, & iustitiam sententiarum, dictum fuit non obstare, quia omnia sunt sublata in decisionibus in hac causa factis coram Dominis meis de Manzanedo, & Vbaldo Atque ita fuit resolutum, &c.

R. P. D. PIROVANO.

Aquilana Exequutionis Breuis Lunæ 13. Februarij 1612.

ARGVMENTVM.

Exequutio litterarum Apostolicarum, quando impediatur per exceptionem Iuris patronatus, & quo modo ad istum effectum Ius patronatus, probari debeat.

SVMMARIVM.

Breuis, & litterarum Apostolicarum de capienda possessione beneficij exequutio non impeditur per exceptionem iuris patronatus, nisi clarè, & notoriè probetur ex fundatione, vel dotatione, siue ex multiplicatis, & continuatis dotationibus, nu. 1.

Ius patronatus non censetur probatum ex dote legata, & illius fundatione a testatore facta, nisi dicti legati effectuatio probetur, & alias, nu. 2.

Iuris patronatus quasi possessio probata per vnicam præsentationem, & post centum annos à die prætensæ fundationis non sufficit, ad effectum retardandi exequutionem litterarum Apostolicarum, nu. 3.

DECISIO CCCLXXXI.

1 Ivdicium hocce super exequution Breuis, cum prius esset cœptum coram Auditore Cameræ, & ab eo quia admiserat articulos ad probandum exceptionem Iuris patronatus, per appellationem ad Rotam deuolutum dubitaui, an Breue sit exequendum. Et Domini affirmatiue responderunt. Apparet enim Cæsarem Pasqualem auctoritate Apostolica prouisum fuisse de Cappellania in collegiata Sanctæ Mariæ de Paganica per obitum Ioannis defuncti, anno 1608. mense Maij Sedi Apostolicæ reseruato, qui exinde obtinuit Breue de capienda possessione nomine Cameræ directum A.C. Vnde Honuphrio excipienti de iure patronatus contra reseruationem ad retardandam exequutionem Breuis onus incumbit probationem claram, & notoriam afferre ex fundatione scilicet, vel dotatione, siue ex multiplicatis, & continuatis præsentationibus, iuxta formam dispositionis Sacri Concilij Tridentini sess. 25. capite 9. de reformat. alias tanquam exceptio requirens altiorem indaginem reijcienda est ad petitorium, vt pluries fuit decisum, signanter in Iacen. Parochialis 27. Iunij 1603. coram bonæ memoriæ Cardinali Pamphilio, in Tiburtina Iuris patronatus 5. Iulijs 1599. coram Reuerendissimo Domino Pegna Decano, & in Aretina Cappellaniæ, 3. Decembris 1610. coram Illustrissimo Lancellotto tunc Rotæ Auditore.

2 Huiusmodi autem probationem circa subsistentiã Iuris patronatus non affert Honuphrius. Nã quamuis coram Auditore Cameræ fuerit productum testamentum, per quod videatur constare quendam Antonium Martium legasse Cappellæ suæ in dicta Ecclesia Sanctæ Mariæ sub vocabulo Sancti Thomæ nonnulla bona nuncupatim pro dote, & ad vsum cappellani in ea præsentandi, & instituendi, & paulo infra, mandauerit, quod in perpetuum per Capitulum dictę Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, & eiusdem testatoris hæredes præsentaretur, & institueretur idoneus sacerdos. Tamen quia non constat de effectuatione dicti legati, dum non apparet, quod Cappella possideat, aut alias possideret bona in testamento relicta, nihil adhuc egisse videtur Honuphrius, vt in specie fuit dictum in Terulen. beneficij 12. Februarijs 1609. coram Domino meo Marcomontio, potuit enim contingere, quod cappella iam erecta esset dotata, & iterum relinqueretur dotanda, quo casu dictum legatum tanquam in augmentum dotis nihil releuaret. *Abb. cons. 166. num. 2. par. 2. Rocch. de iure patronat. versic. & dotauit num. 11. versic. autem Ecclesia sit iam constructa. Innocent. in rubr. num. 2. vers. nemo alius eodem tit.* & fuit dictum in causa Nolana Beneficij 19. Ianuarij 1594. coram Illustrissimo Cardinale Arrigonio, & in Placentina parochialis vlt. Ianuarij 1594. coram Orano.

3 Non obstat obseruantia deducta ex vnica præsentatione in personam Sancti Vliui possessoris, quia vltra quod est nimis remota, scilicet post 100. annos, & est vnica, non sufficit ad probandam quasi possessionem Iuris patronatus ad effectum retardandi executionem Breui, vt sæpè fuit resolutum in compsana Iuris patronatus, coram bonæ memoriæ Litta 23. Ianuarij, & 3. Decembris 1604. in Valentina Parochialis de carlet. 4. Maij 1601. coram Illustrissimo Lancellotto, & alijs per Informantes allegantis. Debuisset etiam probare præsentationem fuisse factam à veris patronis probando descendentiam à quondam Antonio Martio Testatore, quæ necessaria est, & per gradus distinctos *Innoc. in rubr. num. 4. de Iure patron. Abb. in c. cum sæculum num. 1. de Iure patronat. Lambert. de Iure patron.*

trov. lib.1. p.2. art.2. secundæ quæstionis principalis, nu.16.

4 In visitationibus autem ordinariorum quæ dantur non fuit constitutum fundamentum, cum nihil plus continere possint, quam ipsum testamentum productum, à quo Ius patronatus desumitur. Et ita solo Cæsare informante fuit resolutum.

REVERENDISS. P. D. COCCINO DECANO.

Parmen. Datij Lunæ 13. Februarij 1611.

ARGVMENTVM.

Renunciatio fideicommissi ad hoc, vt valeat, quæ requirantur.

SVMMARIVM.

Cedens ad ius cessum redire non potest, remittentibus quæ iura suo, non datur ad ea vlterior regressus, nu.1.

Pacta censentur correspectiua, quando in eodem instrumento apposita reperiuntur, ita vt vnum pactum contemplatione alterius appositum censeatur. Declara, vt nu. 2.

Fideicommissarius scienter emens rem subiectam fideicommisso ad sui fauorem sibi non præiudicat, & solutum prætium euincere potest. nu.3. & 5.

Fideicommisso conditionali non purificato in dubio renunciatum non censetur, nu.4.

Renunciatio facta fideicommisso ad hoc, vt valeat, oportet quod renuncians sciuerit, & viderit verba fideicommissi, & quod in renunciatione exprimantur verba. Visis, &c. numer. 4.

Donationes factæ contemplatione futuri matrimonij sunt latissimè interpretandæ, nu.7.

Intentio agentium semper attendenda est. nu.7.

DECISIO CCCLXXXII.

1 OCcasione matrimonij contrahendi inter Excellentiss. D. Ducem Sfortiam, & excellentissimam Dominam Eleonoram Vrsinam Neptem Sereniss. Magni Ducis Illustrissimus, & Reuerendiss. D. Cardinalis Sfortia promisit dare eidem Domino Duci omnia bona sua feudalia, & allodialia, quæ possidet in suo statu Lombardiæ Ducatu Mediolani, Parmæ, & Placentiæ ponendo dictum Dominum Ducem in locum suum, & in quolibet suo iure etiam quoad detractiones legitimæ, & Trebellianicæ, & occasione æris alieni, & legatorum, & dotium, & pro qualibet alia causa, &c. reseruatis sibi mobilibus, gemmis, argentis, & facultate disponendi pro Scutis 50. millibus cum promissione, quod Dux solueret alia Scuta 50. millia, & consentiret alienationibus, iam factis vsque ad summam Scutorum 55. millium. Et in capitulo separato fuit conuentum, quod Cardinalis venderet datium longæ Padi subiectum fideicommisso ad fauorem dicti Ducis, eidem pro pretio arbitrando per Sereniss. Magnum Ducem, pacto adiecto, quod pretium remaneret liberum Cardinali, ita vt purificato fideicommisso Dux, quasi à semeptiso euicerit, non posset repetere pretium. Addito insuper, quod Sereniss. Magno Duce pretium non arbitrante datium remaneret liberum Cardinali, vnde sequuta venditione cum Dux postmodum retrouendiderit Cardinali, & Cardinalis Illustriss. D. Marchioni S. Secundi, Dubitaui, an ex dictis conuentionibus Cardinalis excludatur à detractionibus super datio, vel potius pactum super datio sit correspectiuum ad iura detractionum in casu, & ad effectum, de quo agitur, qui est, vt D. Marchio teneatur, vel non teneatur stare venditioni cum D. Cardinalis promiserit, datium esse liberum ab omni fideicommisso purificato, & purificando. Quod die 10. Iunij præteriti fuit resolutum ad fauorem D. Marchionis: Quæ resolutio etiã hodie placuit Dominis Nam quantũ attinet ad primam partem dubij, res videbatur clara, quod Dominus Cardinalis excludebatur à detractionibus super datio, cum illas cesserit ad fauorem Ducis, *Bart. in l. emptor. C. de hæred. vel actio. vendit. & in leg. si quis rem in princ. ff. d procur. & in l. qui stipendia. Cod. eo. tit Socin. Sen. cons. 18. num. 16. vol. 1.* remittentibus enim iura sua non datur ad ea vlterior regressus, *l. quæritur, §. si venditor. ff. de ædi. edi. c. eos. 7. q. 1. c. sic illic. 23. q. 4. Anchar. consil. 339. nu. 10. Aym. cons. 114. nu. 10.*

2 Et quantum attinet ad secundam, licet pro parte Cardinalis diceretur, quod correspectiuitas non poterat euitari, quia quando in eodem instrumento sunt diuersa pacta, censentur correspectiue, ita vt vnum pactum, & vna dispositio contractus sit contemplatione alterius, ita quod vnu m non fecero, nisi tu aliud fecisses. *Tiraqu. de retract. lignag. §. 23. gloss. 1. num. 3. & seqq. vbi num. 10. & 11.* dicit communem opinionem, & neminem contradicere. *Surd. cons. 219. nu. 20.* Tamen dicebat Domini, quod hoc parum faciebat. Nam aut dicendum est, non obstante retrouentione facta per Ducem Cardinali datium remansisse in eo statu, in quo erat penes ipsum Ducem vigore primæ venditionis, & D. Marchio habent intentum, est enim subiectum fideicommisso: Quia in venditione facta per Cardinalem Duci promisit datium esse liberum ab omni fideicommisso purificato, & purificando, preterquam à fideicommisso Comitis Sanctæ Floræ, & promisit facere consentire omnes personas, præterquam nominatas in dicto fideicommisso, alias istæ præseruationes fuissent superfluæ, nisi datium remansisset subiectum fideicommisso. *Gemin. cons. 65. nu. 8. vers. ergo patet.*

3 Quod etiam manifestissime ostenditur, cum cardinalis sibi cauerit de pretio quæ cautio non fuisset necessaria, si Datium non remansisset subiectum fideicommisso, & tunc est necessaria, quando fideicommissarius scienter emit rem subiectam fideicommisso conditionali, quia alias purificato fideicommisso dictus fideicommissarius dicitur euincere à semetipso, & pretium petit. *Bart. in l. qui Romæ. §. duos fratres, q. 12. Ias. numer. 68. Rip. numer. 92. Bolognett. num. 202. ff. de verb. oblig.*

4 Aut vero stante retrouenditione facta per Ducem Cardinali datium debet remanere liberum Cardinali, correspectiuitas etiam allegata parum nocet Marchioni, quia Domini intelligebant verba: Remaneat liberum, scilicet eo modo, quo erat cessante obligatione vendendi, non autem liberum à fideicommisso, vt de eo Cardinalis libere disponere posset, quia fideicommisso conditionali non purificato in dubio non censetur renunciatum, *Bart. in d. l. qui Romæ, §. duo fratres, in 4. q. ff. de verb. oblig.* qui communiter approbatur, vt dicit ibidem *Castr. Rom. cons. 403. Fulgos. cons. 41. nu. 5. vt pariter de communi, & Decian. in cons. 33. nu. 163. & seqq. lib. 1.* dicit, quod ad hoc vt renunciatio facta fideicommisso valeat, oportet, quod renunciantes sciuerint, & viderint verba fideicommissi, & quod in renunciatione exprimantur, verba illa. Visis, &c. de quibus *in l. de his, ff. de transact.* & concludit hoc habere, locum, ne dum in transactione, sed in pacto, & esse communem sententiam, & in practica seruari.

5 Nec etiam liberũ, vt illud Cardinalis alienare posset. Quia si hoc esset, verum, certum esset, quod Cardinalis sibi cauisset de pretio, prout sibi cauit in casu emptionis faciendæ per Ducem, ad cuius fauorẽ erat inductum fideicommissum. Nam si Dux dedisset licentiam alienandi ad fauorem tertij, purificato fideicommisso potuisset agere ad pretium, cum fidiecommissarius, si pẽdente conditione consentiat alienationi, licet

ni, licèt conditione purificata non possit agere ad bona, agat tamen ad pretium, vt est communis sententia de qua per *Curt. iun. in cons. 4. nu. 22. lib. 1. Crescen. dec. 6. nu. 2. de testam.*

6 Neque est verum, quod sicuti venditione sequuta pretium remanebat liberum Cardinali, ita venditione non sequuta debebat remanere datium liberum: Quia pro responsione considerabatur, quod militat diuersitatis ratio venditione sequuta, & non sequuta. Nam etsi in primo casu pretium remanebat liberum Cardinali, non tamen inde sequebatur in secundo, quod datium debuisset remanere liberum à fideicommisso. Quia cum datium esset, & remaneret subiectũ fideicommisso, vt supra dictum est, Magnus Dux non poterat arbitrari pretium in tanta quantitate, ac si datium esset liberum à fideicommisso, maxime quia purificato fideicommisso Dux non poterat agere ad pretium, & ideo non æquiponderat, quid prædicta venditione eo modo facienda non sequuta Datium remaneret liberum Cardinali à fideicommisso, ita vt de eo libere disponere posset, sicuti in primo casu venditione sequuta poterat disponere de pretio. Quia si in secundo casu venditione non sequuta haberet liberum Datium, plus haberet Cardinalis, quam in primo casu venditione sequuta, ex quo pretium non erat Datij liberi, sed subiecti fideicommisso, maxime quia satis æquiualet obligationi prædictæ, de vendendo, si Datium remanebat liberum Cardinali eo modo, quo erat cessante dicta obligatione vendendi, cum ex eo quotannis perciperet Scuta tria millia.

7 Neque etiam est verum, quod prædicta possent considerari, si Datium fuisset datum per Ducem Cardinali, sed Cardinalis illud possidebat, & ideo censetur datium liberum Cardinali in recompensam detractionum cessarum, quæ longe excedebant valorem Datij & aliorum reseruatorum. Quia fuit responsum quod cum huiusmodi donationes, & cessiones fuerint factæ contemplatione futuri Matrimonij cum Nepte Sereniss. Magni Ducis, & in augumentum fideicommissi, & primogenituræ, quæ propterea cum fauorabiles sint, late sunt interpretandæ, *Card. Mantic. de coniec. vlt. vol. lib. 7. tit. 1. n. 14. & seqq.* Non est inuerisimile, quod in isto casu D. Card. voluerit refundere de suo, cum ageretur de conseruatione fideicõmissi, & primogenituræ, maxime cum adhoc faciendum, & alij Proceres familiæ conuenerint. Finis enim & intentio agentium sunt attendenda. *Oldr. cons. 283. in princ.* Alias parum vtilis fuisset ista cessio Duci, nisi Cardinalis refudisset de suo, cum post obitum illius alia cessa spectarent ad Ducem vigore fideicommissi.

Neque tandem est verum, quod Cardinalis inter alia reseruauerit sibi pro suis detractionibus Datium ponderando verba illa instrumenti donationis ibi. Et riseruandosi il datio della lunga del Pò: Quia est aduertendum, quid illa reseruatio non fuit simpliciter facta, sed ad effectum vendendi Duci donatario iuxtam formam conuentionum, & sic relatiue ad conuẽtionum, & sic relatiue ad conuentiones ibi. Riseruandosi però il datio della lunga del Pò da vendersi al medesimo Duca in esecutione, & per osseruanza delle sopradette conuentioni, & ideo pro intelligentia, interpretatione istius reseruationis recurrendum est ad dictas conuentionis. *Surd. decij. 70. alias 71. per totam.* Quod clarius comprobatur ex eo, quod ista donatio fuit facta per Cardinalem mediante persona procuratoris, vigore Mandati, in quo expresse legitur facultatem dicti procuratoris fuisse restrictam ad donandum iuxta formam conuentionum, quas ibi voluit haberi pro expressis, cum clausula. Non alias aliter nec alio modo, &c. & sic omnia regulantur, & interpretationem habent à conuentionibus, vt dictum est, in quibus non adest talis reseruatio, sed solum promissio de vendendo, & ideo talis reseruatio debet intelligi iuxta promissionem factam in Capitulis, ad *Sur. sup. allegatum.*

REVERENDISS. P. D.

DAMASCENO.

Romanæ Vineæ, & Saluiani de Rusconibus. veneris 17. Februarij 1612.

ARGVMENTVM.

Terminus ad soluendum datur etiam reo conuento in Saluiano Interdicto, & etiam obligato in forma Cameræ, & cum iuramento.

SVMMARIVM.

Debitori ad soluendum concedi debet modica dilatio. num. 1. & iudex denegando dilationem dicitur grauare. dicto numer. primo.

Terminus ad soluendum de notorio stylo A. C. omnibus dari debet. num. 1. Vbi ampliatur ex Constitutione Pij V. super Tribunali A. C.

Terminus ad soluendum dari debet etiam Reo conuento in Saluiano Interdicto. nu. 2. & nu. 3.

Agens Saluiano Interdicto, licèt principaliter dirigat iudicium contra rem, illi tamen principaliter non debetur res, sed creditum. nu. 2. & 3.

Terminus ad soluendum datur etiam debitori obligato in forma Cameræ. nu. 4.

Appellatio non datur condemnato in Saluiano Interdicto. numer. primo.

Terminus ad soluendum censetur datus à iudice eo ipso, quod debitor illum petat, etiam quod iudex super hoc non interloquatur. nu. 5.

DECISIO CCCLXXXIII.

1 DOmini perstiterunt in decisis coram me, & in hac causa sub die 8. Nouembr. proximi. Et tutissimum visum fuit fundamentum, quod post confessionem debiti, & terminum susceptum per Angelam ad soluendum non debebat dari immissio. Et vltra alias ponderata in decisione ad ostendendum, quid verbum videbitur, de quo in Constitutione Pij V. super Tribunali A. C. importet necessitatem, fuit consideratum, quod etiam de iure communi debet concedi debitori ad soluendum modica dilatio. *Io. de Anan. in c. quærenti, nu. 3. Butr. n. 11. Imol. nu. 7. de off. dele. Bart. in l. si cum exceptione, §. quatenus, nu. 5. Bald. nu. 5. Odof. in l. in col. 2. vers. sed denuo, ff. quod met. caus. idem Bart. in l. in fideicommissis, num. 4. Bald. nu. 7. ff. de vsur. Iacob. de S. Georg. in l. si debitori, num. 19. de iud.* & iudex denegando huiusmodi dilationem, dicitur grauare. *Rip. in l. 2. num. 29. ff. de re iud. Rom. cons. 261. num. 6. vers. modo sic.* Et proinde cum verbum videbitur importet arbitrium boni viri, *Bart. in extrauag. ad reprim. verb. videbitur*, cum alijs in prædicta dec. alleg. immo arbitrium iudicis ordinarij, *l. vir bonus, ff. iud. solui*, concludebatur omnino debuisse dari prædictum terminum, stante etiam notorio stylo A. C. in illo dando, qui stylus facit ius, *Abb. in cap. ex literis, nu. 6. de constit. Dec. cons. 699. num. 5. Thessaur. dec. 1. nu. 9. latè Euer. in loco à stylo Curiæ, nu. 1. & per totum.*

2 Nec mouit Dominos fides aliquorum Notariorum asserentium non vidisse dari terminum, quin quis conuenitur in Saluiano, nam præter quod non concludit in verbis, quia potest esse, quod fuerit datus, & ipsi non viderint, & cum Angela habeat regulam pro se, debet limitatio ex aduerso plene probari, *Ias. in leg. cetera, nu. 3. & 4. ff. de leg. 1. Anchar. cons. 368. nu. 3. Gemin. cons. 25. nu. 8. Rolan. cons. 81. num. 5. & 6. lib. 1. illi* Nota-

Notarij sic asserentes conuincuntur de mala informatione, ex quo pro parte Angele fuerunt dati casus particulares, in quibus etiam conuento ex Saluiano fuit datus terminus, & dicebatur militare eandem rationē in vtraque casu. Nam & si agens Saluiano principaliter dirigat iudicium contra rem, ex cuius fructibus petit satisfieri, attamen non debetur illi principaliter res, sed creditum, Rot. in causa Rauennaten. Saluiani 20. Iunij 1607. coram R. P. D. Ludouisio. Vnde possessor offerendo dictum creditum liberatur, *l. Paulus. in fin. ff. quib. mod. pig. vel hypoth. Rolan. cons. 14. n. 9. & 10. lib. 1. Menoch. de adipis. remed. 3. n.* 181. Rot. in causa Senogallien. præ iij 1583. coram Bubalo, & in Bononien. Saluiani 21. Iunij 1599. coram Illustriss. Card. Lancellotto.

3 Et proinde non applicantur quæ dicuntur de actione reali, & de eo cui debetur res, quia si debetur res in casu Saluiani, id est secundario, & incidenter, hoc est quatenus creditum non offeratur, immo iste tertius possessor, qui est in bona fide, & non commisit moram in soluendo debito à se contracto, sicut fecit principalis debitor, est dignus maiori priuilegio, & sic multo magis debet illi concedi dilatio, quam principali debitori, cum patiatur ob alienam culpam. ad *l. si fideiussor. §. si necessaria, & ibi Bart. in princip. ff. qui satisd. cog. Bal. in l. de die. §. tutor. ff. eod. tit. Gl. in l. fin. verb. generando, C. si tut. vel cur. interue. Archid. in cap. peruenit. in fi. 18. dist. Inn. in cap. cum inter. num. 1. Felin. num. 11. de except.*

4 Circa aliud, quod terminus non datur, nisi pro debitis habentibus obligationem Cameralem, nec talis limitatio visa fuit alicubi probari, & rationem esse potius in contrarium, quia si datur obligato strictiori obligatione, prout est ille, qui se obligauit in forma Cameræ, & contra formam iuramenti contenti in dicta obligatione, per quod iurans videtur se obligasse præcise soluere de conuento, iuxta not. per *Glos. in l. si pecuniam, verb. necesse ff. de condit. cau. dat. Butr. in cap. fin. nu. 4. ne prælat. vices suas, Alex. cons. 89. nu. 5. lib. 7. Ias. cons. 9. n. 10. lib. 1. Soc. cons. 90. n. 10. lib. 4. Gozad. cons. 24. nu. 9. Guid. Pap. dec. 627.* quanto magis debet dari tertio, qui taliter se non obligauit, neciurauit, & quod replicatur, hoc ideo esse propter citam exequutionē, quam trahit secum obligatio Cameralis, vt scilicet debitor habeat tempus parandi pecunias, quod non est necessarium in iudicijs ordinarijs, in quibus proceditur per tres, & aliquando per quatuor instantias, fuit dictum in omnem euentum non applicari conuento iudicio Saluiani, cui non conceduntur istæ tres instantiæ, sed denegatur appellatio. *Bart. in l. 1. n. 4. ff. de Salui. interd. Corn. cons. 190. num. 2. lib. 1. Thesaur. dec. 175. nu. 3. Veral. dec. 106. par. 3.* Rot. in causa Romana, seu Amerina domus. 8. Iunij 1576. coram Cantuccio relata inter diuers. impress. dec. 34. nu. 3. part. 2. & in Roman. Saluiani interd. 26. Nouembris 1605. coram R. P. D. Manzanedo.

5 Ad aliud, quod iudex non dederit terminum, sed Angela illum sponte susceperit in actis Notarij confitendo debitum, placuit responsio ex notorio stylo, quod A. C. non solet interloqui super istis terminis, super quo etiam fuerunt dati actus particulares, in quibus ita fuit seruatum. Et cum prædicta viderentur sufficere Domini non aggressi fuerunt aliud caput decisionis, an scilicet exequutio fuerit excessiua.

REVER. P. D. MANZANEDO.

Meliten. Testamenti. Veneris 17. Februarij 1612.

ARGVMENTVM.

Testamentum à demente conditum non valet, & qualis debeat esse ista dementia, de quo tempore, & quomodo probanda.

SVMMARIVM.

Furiosus, & mente captus testamenti factionem actiuam non habet. nu. 1.
Furiosus, & demens nemo præsumitur, sed sanæ mentis. nu. secundo.
Furor, & dementia ab allegante concludenter probanda est. num. 3.
Mentis integritas, & sanitas in testatore sufficit, quod adsit tempore testamenti. nu. 3. & nu. 10.
Sanæ mentis præsumitur testator, si in eius infirmitate assumpsit sacramenta. nu. 4.
Imbecillis, & non habens illum mentis vigorem, quem ætas postulat, non prohibetur contrahere, aut testari. nu. 5.
Testes consanguinei in ciuilibus admittuntur ad testificandum maxime, quando habent contestes. nu. 6.
Testes non probant dementiam, si in eorum depositione non reddunt concludentem probationem. nu. 7. & 8.
Testibus deponentibus de sana mente, magis creditur, quam deponentibus de dementia. nu. 9.
Testamentum, vt minime valeat, quia factum à demente probanda est, dementia tempore testamenti. nu. 3. & 10.
Testamentum præsumitur factum tempore sanæ mentis, quando ex illius inspectione apparet rite, & solenniter factum esse. nu. 10. & 11.
Maritus non prohibetur a iure maritali sermone vxorem prouocare, quando testatur, vt ipsum faciat hæredem. num. 12.

DECISIO CCCLXXXIV.

1 CVm contra testamentum Hieronymæ opponeretur de inualiditate, ex capite, quod testatrix esset mente capta, & demens. Dubitaui, an dictum testamentum esset nullum, & Domini pro illius validitate responderunt. Licet enim certi iuris sit, furiosum, & mente captum non habere testamenti factionem actiuam. *l. 2. §. furiosus. ff. de iure codicil. l. nec codicillos. C. de codicill. leg. furiosum. C. qui testam. fac. poss. cap. fin. de success. ab intest. & vtrobique Doct.*

2 Nihilominus etiam est indubitati iuris, neminem dementem, sed potius sanæ mentis præsumi, *tex. in dicta l. nec codicillos. & ibi Bald. Paris. cons. 87. in princ. lib. 3. Menoch. de præsumpt. lib. 1. q. 18. nu. 6.* & qui contrarium asserit, ad illius probationem tenetur, iuxta *text. in dicta l. nec codicillos. & in d. cap. final. Dec. & alij in dicta furiosum. nu. 20. & Paris. vbi sup. nu. 3. & Menoch. nu. 7.*

3 Quin & concludenter probanda est dementia. *Bar. in l. is potest. nu. 15. ff. de acquir. hæredit. Salicet. in l. fin. n. 2. C. de hæred. instit.* Sed in casu nostro vltra dictam præsumptionem adsunt testes testamentarij, deponentes de tempore conditi testamenti Hieronymam sanæ mentis fuisse, quod sufficit pro illius validitate, quamuis antea demens extitisset, cum integritas mentis de tempore testamenti exigatur, *text. in l. 2. & in l. qui testamento. §. quæcunq. vers. ne furiosus. ff. de testam. l. 2. & d. l. furiosum. C. qui testam. fecere poss. & tex. in dicto cap. fin.*

4 Vltra quod de eadem sana mente ante testamentum, & in ipsa infirmitate, in qua decessit, deponunt, & alij testes, quibus accedit assuetam esse Hieronymā sua peccata confiteri, & sacram Eucharistiam assume re, quæ etiam sacramenta in vltima infirmitate illi administrata fuerunt, quæ plurimum adiuuant sanæ mentis præsumptionem, ad not. per *Corn. cons. 219. nu. 5. in princ. lib. 1. Decian. cons. 127. num. 3. lib. 3. Menoch. præsumpt. 45. nu. 21. lib. 6.*

5 Et quamuis Hieronyma ex testibus in contrarium datis posset forsan dici imbecillis videri, quasi non habens illum vigorem mentis, quem ætas postulat, indeque indiscreta appareret, vel debilis ingenij, non potest dici ex eo non habere iudicium ad contrahendum, *vt in l. si frater, & ibi Castr. C. qui testam. fac. poss. Socin. cons. 47. num. 9. lib. 3.* cum alijs adductis per *Rot. dec. 577. par. 1. diuers.* ex quibus colligitur, quantum distet dementia à discretione, seu imbecillitate.

6 Nec obstat, quod aliqui ex testibus deponentibus de sana mente sint consanguinei, cum isti in ciuilibus admittantur ad testificandum, absque vlla fidei diminutione, maxime quando habent contestes, vt in nostro casu. *Bald. cons. 19. num. 4. lib. 5,* cum alijs adductis in vna Forosempronien. Parochialis. 7. Maij 1593. coram Illustrissimo Mantica.

7 Minus obstant testes pro dementia inducti, cum deficiant in ratione sui dicti, & ex eo non probetur. Ratio enim magis, quam dictum attenditur. *Socin. consil. 42. num. 4. lib. 1. Ias. cons. 2. num. 9. lib. 1. Paris. cons. 88. num. 58. lib. 3.* præcipuè quando agitur de probanda dementia, quæ debet concludentissime probari ex supradictis.

8 Nec publica vox, & fama, de qua isti testes deponũt quicquam facit, cum tollatur ex probatione in specie super sanitate mentis ipsius Hieronymæ.

9 Et quamuis ex dictis testibus insania Hieronymæ videretur probata, in concurrentia tamen probationem magis standum est testibus, de sana mente deponentibus, cum illorum depositiones conueniant naturæ, & iuri communi, vt respondit *Corn. in dicto consilio 219. num. 7. lib. 1. Decius in dicta l. furiosum. num. 20. & Decian. cons. 127. num. 35. lib. 3. Gabriel. de testam. concl. 4. num. 19. Rota dicta dec. 577. num. 10. Menoch. præsump. 45. num. 21. lib. 6. post Boer. q. 23. nu. 93.* dicentem, quod plus creditur duobus testibus de sana mente, quam mille de insania deponentibus. *Ias. dicto cons. 2. nu. 10. & sequen. lib. 1.*

10 Vlterius, quia isti testes super dementia, non deponunt de tempore conditi testamenti, prout est necesse ad illius inualiditatem, *iuxta text. in dicta l. 2. & dicta l. qui testamento. vers. ne furiosus. cum alijs supra adductis.* Nec videtur admittendum, quod dementia presumatur continuata etiam in actu testandi, cum hoc excludatur ex testibus de sana mente de tempore testamenti deponentibus. Tum etiam, quia ex inspectione testamenti rite, & solenniter facti, contrarium apparet Illustrissimus *Mant. de coniect. vltimar. volunt. libro 2. tit. 5. num. 7. Honded. consil. 78. num. 61. lib. 2.*

11 Minus facit iuramentum appositum de non reuocando testamento, cum ex hoc potius videatur excludi fatuitas ipsius Hieronymæ, quam sana mens.

12 Tandem non obstat depositio testium, quod Hieronyma fuerit astutia inducta ad testandum, cum ex ipsis non appareat de minis, nec de metu per maritum concusso, & de iure maritis non sit prohibitum iudicium postremum vxoris in se ipsos maritali sermone prouocare, vt sunt verba *text. in l. fin. C. si quis aliq. testari prohib.* Ex quibus pro validitate testamenti fuit conclusum, &c.

R. P. D. PIROVANO.

Romana Census. Veneris 17. *Februarij* 1612.

ARGVMENTVM.

De muliere imponente censum sine statutarijs solennitatibus, quod eadem census impositio sit inualida, neque cum oriretur per solutionem dictorum censuum & quod sententiæ contrarium continentes non transeant in iudicatum, nec exequi debeant.

SVMMARIVM.

Sententia transit in iudicatum per lapsum quatuor annorum à die appellationis ab ea, absque sufficienti prorogatione fatalium, nu. 1.

Sententias iniustas seu nullas Rota non attendit, etiam quod transitum fecerit in iudicatum, nu. 1.

Mulier ex statuto Vrbis sine iudicis decreto, & consanguineorum præsentia contrahere non potest, non solũ in illis quatuor casibus a statuto expressis, sed etiam in omnibus alijs, in quibus viget eadem ratio. nu. 2.

Hypotheca dicitur principale fundamentum Saluiani interdicti. nu. 3.

Hæredes possunt opponere omnes exceptiones, quas defunctus opponere poterat. nu. 4.

Hæres non potest opponere nullitatem contractus, de qua defunctus viuens conquestus fuit. Declara, vt nu. 5.

Soluens indebitum vigore nullitatis contractus à debitore celebrati, non censetur per solutionem validare dictum contractum. num. 6.

DECISIO CCCLXXXV.

1 Fvit resolutum, obstare rem iudicatam, non ex eo simpliciter, quod lapsi sint quatuor anni à die appellationis sententiæ A.C. & absque sufficienti prorogatione fatalium, appellatio remanserit deserta, *cap. cum sit Romana. de appell. auth. ei qui. C. de temp. appell.* sed quia de iustitia prædictæ sententiæ non apparet, sine qua Rota non solet attendere sententias extra Tribunal latas. *Mohed. dec. 11. num. 2. de sent. & re iud. & dec. 3. num. 1. de testib. Put. dec. 401. num. 2. lib. 1.* & passim seruat Rota, & signanter fuit dictum in Vrbeuetana legati. 14. Ianuarij 1585. coram bo. mem. Card. Pamphilio, & in Romana alimentorum. 4. Iulij 1607. coram bo. mem. Scoto.

2 Apparet enim impositionem census fuisse nullam vel factam à Domina Dianora, muliere absque duobus coniunctis sine decreto iudicis, & causæ cognitione, prout statutum Vrbis cap. 151. lib. 1. mandat obseruari. sub pena nullitatis, quid statutum nedum in quatuor casibus expressis, sed etiam in omnibus alijs in quibus adest ratio læsionis procedere sæpè fuit resolutum *Verall. decis. 195. n. 2. par. 3. Put. decis. 7. nu. 2. & 3. & dec. 55. nu. 1. lib. 3. & dec. 162. n. 2. lib. 1.* & fuit dictum in Romana Cambiorum. 26. Maij 1593. coram Illustrissimo Cardinale Mellino.

3 Data autem nullitate census destruitur per consequens hypotheca, quæ dicitur mater, & principale fundamentum Saluiani per Christophorum intentati. *Bart. in l. 1. n. 3. ff. de Salu. interdicto. Bald. in l. rem alienam. vbi etiam Bart. nu. 5. ff. de pign. act. Neguſ. de pign. par. 2. memb. 3. nu. 19. Menoch. de adipisc. rem. 3. q. 29. n. 160.* eo casu cessare fructus. Fuit resolutum in causa Vrbeuetana nullitatis census. 21. Maij 1595. coram Gipsio, & iterum in causa Romana officij 20. Maij 1602. coram Illustriss. Card. Mellino, resoluto enim contractu remanet sors purum, & merum mutuum in quo non cadit perceptio fructuum.

4 Non obstat quod hæc nullitas possit opponi dumtaxat ab ipsa Dionora. *Osas. decis. 94. num. 23. cum aliis alleg,* quia fuit responsum, quicquid sit in tertio, in herede tamen, prout est D. Federicus, non procedere limitationem. *l. hæredes. C. ad Velleian. Salic. in l. si sciens. in vlt. not. eod. tit. Gabr. cons. 125. num. 6. lib. 1. Lambert. de contract. eorum fin. n. 267.* qui hoc comprobat exemplo restitutionis in integrum, & Velleiani.

5 Nec refert, quod ipsa Dionora viuens de nullitate conquesta non sit, ita vt nec eius hæres mouere quæstionem possit per ea, quæ trad. *Surd. cons. 86. num. 10. & 11. Becc. cons. 9. num. 8.* Non enim versamur in casu euitanda caducitatis, prout loquuntur *Surd. & Becc.* sed

sed in casu nullitatis, de qua potest hæres dicere. *l. hæredes. C. ad Velleian. cum alijs supra alleg.*

6 Et quamuis Dionora viuens pluries soluerit fructus census, ita vt soluendo videatur approbasse contractum census, & agnouisse bonam fidem non tamen videtur sufficere ad saluandum contractum à vitio nullitatis, quia sicuti expresse sine solennitatibus Statuti non poterat contrahere, multo minus tacite absque solennitatibus contractum inualidum confirmare potuit, cum non penderet à voluntate illius. *Bal. in l. mancipia. num. 1. vers. nota, quod ratificatio. C. de rebus alien. non alienan.*

7 Quæ autem dicta fuerunt de restitutione sortis, & fructuum, saltem in ratione damnorum, & interesse, visa fuerunt non pertinere ad dubium, & ita fuit resolutum.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. CARD. BONONIEN.

Romana census. Veneris 17. Februarij 1612.

ARGVMENTVM.

Attentare non dicitur procurator non habens mandatum, quando vnus procurator constitutus censeatur reuocatus per constitutionem alterius, & quando etiã procurator Dominus litis effectus possit sine causa reuocari expresse, vel tacitè.

SVMMARIVM.

Procurator constitutus, quando nomine principalis possit agere ea, ad quæ est constitutus alter procurator specialis, & sic quando per constitutionem secundi procuratoris censeatur reuocatus primus. nu. 1.

Dominus litis effectus non potest agere, nec comparere in alia & diuersa causa ab ea, in qua fuit constitutus procurator. num. 2.

Procurator Dominus litis effectus, quando possit sine causa reuocare. nu. 3.

Voluntas in quolibet actu requiritur. nu. 6.

Communio operatur, vt quis habeat locum in qualibet re. nu. 7. & seq.

DECISIO CCCLXXXVI.

1 DOmini steterunt in decisis, M. Alphonsum non attentasse nomine Alexandri & Cyri, quia in mandato, quod dedit in personam D. Serræ, non legitur facultas comparendi, aut aliquid faciendi nomine ipsorum, immo non potuit eam concedere ex quo ipsi ad idem alium procuratorem constituerant, quo casu M. Alphonsus nihil pro ipsis facere poterat, neque vti litis consors, neque vt coniuncta persona ex adductis in decis. Quibus non obstat, quod pro parte DD. de Rangonibus dicitur, illa non procedere, quando procurator constitutus negligit agere. *Paul. de Castr. in l. cum prætor. ff. de iudic. Alexand. & Iason. in leg. exigere. Cod. de procur.* exemplo alleg. quia non daretur procuratorem non recusasse, aut neglexerit neque doceri potest, nisi pro exhibitione omnium actuum, quæ facta fuerunt in Ciuitate Ianuæ. Et cum agatur de intellectu mandati D. Serræ, & de intentione mandantis, quando dedit mandatum certum non ppotuit, tunc considerari negligentia procuratoris Cyri, & Alexandri.

2 Non obstat, quod Marchio facere potuerit, vti procurator constitutus à patre ipsorum, & Dominus effectus litis, quia aut volumus, quod causa, quæ agebatur in Ciuitate Ianua esset diuersa, & in ea non poterat comparere, nec aliquid agere, vti Dominus litis, vt per *Surd. decis. 89. num. 17.* dicitur enim Dominus instantiæ. *Oldrad. consil. 351. num. secundo. Rot. dec. 20. de procurat. in nou. Achill. dec. 13. eod. titul.* Et quod esset causa decisa videbatur aliquibus Dominis. Aut volumus quid sit eadem, & per constitutionem dicti procuratoris fuit in hoc reuocatus. *l. si quis procuratorio. §. fin. ff. de procur.*

3 Nec facit, quod prior dominus litis effectus non possit sine causa reuocari, quia hoc procedit, quando expresse reuocatur, non quando tacite, vt per *Cassad. dec. 2. num. 4. & 5. de appell.* Neque contrarium dicit *Achill. dec. 14. de procur.* & ad istum effectum non referret, si secundus procurator non acceptasset mandatum, quia adhuc censeretur reuocatus procurator. *Bald. in d. l. si quis procuratorio. §. fin. nu. 9. & ibi Angel. circa princip.*

4 Quo ad voluntatem quæ pariter requiritur in quolibet actu *leg. multum. C. si quis alteri, vel sibi. leg. cum te. vbi Bald. C. de donat. ante nupt.* illa est omnino aliena, vt constat ex lectura mandati, iuxta ponderationes, de quibus in decis. manifeste ostendunt illud esse restrictum ad personam, & interesse Alphonsi, & sicut excluso vno, quod voluerit dare mandatum, nomine Cyri, & Alexandri vti litis consor. & coniuncta persona, ita etiam quod tanquam procurator ipsorum, & dominus litis effectus. Nullum enim verbum de tali procura, & litis dominio, & tamen hoc debuisset significari procuratori Domini Serræ ad trad. per *Corn. cons. 73. nu. 8. & 9. lib. 3.*

5 Non obstat illa mentio, quæ facta fuit de Alexandro & Cyro, quia vt in dec. dicitur facta fuit, vt magis cognosceretur portio debita M. Alphonso, & quamuis forsan non fuisset necessaria, attamen non inde potest concludi mandatum fuisse datum etiam homine ipsorum, quia in verb. dispositiuis, & substantialibus apparet, illum se restrinxisse ad propriam personam, & proprium interesse, & consideratio quæ fit de nouo super illis verbis dictis nominibus, & alio quouis nomine, est satis sublata in decisione.

6 Dum autem Informantes pro Dominis de Rangonibus distinguunt duo capita mandati, quorum primum concernit proprietatem locorum montium cũ inuestimento faciendo fructuum decursorum ante annum 1518. Alterum, quod concesserit fructus decursos à dicto anno 1518. & quod in primo capite semper loquatur de omnibus locis montium, quia vult, quod loca 116. deleantur de columna Federici, & ponantur in columna Io. Francisci senioris, & quod omnes fructus decursi ante annum 1518. multiplicentur, & quod sub columna istorum adnotentur, & quod non possint alienari, & in 2. cap. vbi agitur de fructib. decursis ab anno 1518. se restringit ad suam portionem ex quo eliciunt, quod aliquando scil. in cap. quod voluerit Marchio dare mandatum nomine dicti Alexandri, & Cyri, constaret cum loqueretur de re communi cum illis, & de omnibus locis, & fructibus, non autem de sua portione, tantum.

7 Ad hoc enim super quo insistunt multum Informantes pro Rangonibus, responderunt Domini, prout respondet decisio, hoc intelli pro iure suo, & proprio interesse, & quod ius ius respicit omnia loca, & omnes fructus inuestien. dupliciter. Primo, quia stante communione habet ius in quolibet loco, & in quibuslibet fructib. inuestiendi, *l. Mæuius, §. duobus. ff. de leg. 2. Fede. de Sen. consil. 159. sub num. 8. vers. sic. Natt. cons. 171. num. 13.* cum alijs adduct. Secundo, propter spem quam potest habere ipse, aut eius hæredes descendentes etiam in portione Cyri, & Alexandri, vigore fideicommissi.

8 Etsi Marchio, quin loquutus est in primo capite de proprietate montium, & de fructibus inuestiendis communibus intellexisset, etiam de portione, & interesse Alexandri & Cyri, sicut postea quin loquutus est de fructibus decursis ab anno 1518 de-

dedit mandatum ad instan. & facien. scribi, & adnotari, hæc eadem similia verba (respondeatur vt supra de paghis,& prouentibus dd. omnium locorum respectiue quorumcumque annorum præteritorum ab anno 1558. exclusiue, citra,& de cetero de anno in annum pro duabus quartis partibus cum dimidia ipsi M. Alphonso) Ita etiam dixisset de portione Alexandri, & Cyri.

9 Et ex isto interesse,quod vt dictum est,habet Marchio respectu communionis,& respectu fideicõmissi eodem modo respondetur decreto Prætoris,si in aliquo fauet Alexandro, & Cyro,vltra quod ad effectũ dubij,de quo quæritur,an Marchio attentauerit nomine Cyri, & Alexandri,sufficit,quod ipse neque pro se,quia erat absens,neque per procuratorem,quia nõ dedit mandatum ad hoc aliquid fecerit nomine procuratorum,vbi D. Serra fecisset,quod numquam probatur nihil ad Marchionem, quia non fecisset vti procurator ab eo constitutus.

10 Et dum dicitur debere renunciari, quando fuit attentatum à procuratore non habente mandatum ne aliter videatur habere rata attentata. Respondetur, quod renunciatio deberet fieri ab ipsis Cyro, & Alexandro quorum nomine essent facta non à Marchione,vltra quod ipse fecit generalem renunciationem, quæ etiam si opus essent hunc casum comprehenderet, licet hæc non percutiant dubium, de quo agitur.

REVER. P. D. MANZANEDO.

Bononien. de Lambertinis. Lunæ 20. Februarij 1612.

ARGVMENTVM.

Saluianum interdictum datur pro consequutione legati, nec ex illo immissio impeditur per exceptionem fideicommissi, & quid exceptioni illegitimitatis.

SVMMARIVM.

Saluianum interdictum competit quotiescunque datur hypothecaria. nu.1.

Saluianum interdictum datur pro consequutione legati, numero 1.

Hypothecaria actio datur hypothecarijs, & fideicommissarijs numer. 1.

Legatarius pro legato habet hypothecata omnia bona testatoris, num.2.

Inuentarium ab hærede confectum probat, quod testator tempore mortis, suæ possidebat omnia bona in inuentario descripta: num.2.

Exceptio fideicommissi non impedit immissionem legatarij ex Saluiano interdicto, tanquam requirens altiorem indaginem. num.3.

Hæredes non possunt venire contra confessionem testatoris, numer.4.

Exceptio illegitimitatis quando impediat immissionem ex Saluiano,nu. 4. & 5.

Legitimandi facultatem quod Campegij habeant, est notissimum.num.6.

Legitimandi facultas Campegiorum nunquid extendatur ad filios Illustrium Comitum, & Baronum.num.7.

DECISIO CCCLXXXVII.

1 Dominus Comes Cæsar obijt de anno 1608. condito testamento, in quo D. Imeldæ ipsius filiæ naturali librarum ducentarum millium sum. Bon. ex causa dotis legauit, Vnde petijt virtute Saluiani immissionem sibi dari in bonis sui patris pro dicto legato, & dato dubio, an dicta immissio esset danda. Domini affirmatiue respondendum censuere. Nam iuxta communem,de qua per *Gabr. cons.46. numer. 21. libr.1.* hoc interdictum competit quotiescunque datur hypothecaria, *vt not. in l.1. Cod.de saluian. interdict. Aret. in §. item Seruiana. num.8. Instit. de Action. Rot. decision. 44. num.4. par.1. diuers.* Hypothecaria autem datur etiam pro legatis, & fideicommissis, vt probat *text. in leg. prima, Cod. commun. de legat.* & fuit dictum in Fordliuien. Bonorum 24. Febr.1561.coram bo.me-mor. Cardinale Paleotto, & in Recanaten. hæreditatis 31. Ianutrij 1603 coram D. meo Decano, & in hac eadem causa coram me in prima decisione, 22. Iunij 1609. & alias sæpe.

2 Extrema vero in Saluiano requisita, sine difficultate probari visa fuerunt cum de credito appareat ex ipso legato, & de hypotheca ex regula supra firmata, de text. *in l.1. C. commun.de legat.2.* ex quo omnia bona testatoris pro legato censentur hypothecata. *§. nostra autem Instit. de legat. & ibi gloss. & Doct.* Possessio autem testatoris satis probatur per inuentarium ab hæredibus confectum,ad tradita per *Bart.in l.fin. §. licentia. C. de iur. deliber. & per Paris. cons.45. numer.20. libr. 2. Modern.de fideicom. art.44. num.2.* Quod vero ista bona per dictos hæredes hodie possideantur, demonstrat substentatio litis.

3 Quibus non obstat exceptio fideicommissi in contrarium apposita,cum illa respiciat petitorium,& dominium, & requirat altiorem indaginem, vt not. *Ripa in rubr.ff. de pignor. num.19. prope fin. Natt. consil. 532. num.4. libr. 3. Menoch. de adipiscen. remed. 3. numer.180. versic. & in hoc iudicio.* Et tenuit Rota in præfata Foroliuien. Bonorum,coram Cardinale Paleotto, quod ex eo magis in nostro casu habet locum, cum licet semel Rota coram me dicta die 22.Iunij 1609. dixerit, nihilominus causa reproposita die 11.Martij 1611.Domini à prædicta decisione recesserunt, existimantes, non constare de dicto fideicommisso, & quamuis dictas decisiones reuidere decreuerint, interim non potest negari,quin aut de fideicommisso non constet, aut illud habeat magnam difficultatem, ex quo non debet prædicta immissio impediri ex supra adductis.

4 Nec etiam obstare videbatur exceptio illegitimitatis D. Imeldæ, cum ad hunc effectum sufficere videatur testatorem in suo testamento illam legitimatam vocasse contra cuius confessionem aduersarij, tanquam hæredes Cesaris,venire non valent, *l. cum a matre. C.de rei vendic. Paris.cons.11.nu.39.lib.3.*

5 Nec obstat opinio *Grat. cons.140.nu.30.libr.1.Ruin. & aliorum,quos refert dec.455.par.2. apud Verall.* tenentium quod defectus legitimitatis sit ante omnia discutiendus,quia vt Rota in eadem decisione respondit, prædicti Doct.loquuntur in exceptionibus notorijs,non vero in requirentibus altiorem indaginem, quæ reseruantur videnda in petitorio. *Gozzad. cons.6.n.86.& seq.*cum alijs ibi adductis.

6 Vltra quod constat de legitimatione D. Imeldæ facta à Dominis de Campegijs,quorum facultas,in hac materia est notissima,& sepius in Rota canonizata,& presertim in illa Bononien. de Bologninis, de anno 1576. 17. Iunij.

7 Minus obstat exceptio desumpta ex ventre ipsius facultatis legitimandi concessæ Dominis de Campegijs,quæ non extenditur ad filios illustrium Comitũ & Baronum, Quia respondetur, predicta verba non comprehendere D. Cæsarem, quamuis admodũ nobilem, referi ad Illustres Principes, aut Illustres Comites,prout & censuit *Curt.sen.cons.73.in fin.* Et in terminis dixit Rota in Romana de Zambeccarijs, 23. Iunij 1589. coram Reuerendissimo Perusino.

8 Nec tandem obstare visum fuit, non constare de descendentia legitimantis ab illis, quibus facultas legitimandi fuit concessa,cum hæc exceptio fuerit sub

lata

lata ex testibus, tam hic in Curia, quam in partib. examinatis, bene ad istum effectum descendentiam prædictam probantibus. Ex quibus pro dicta immissione sic fuit resolutum.

REVERENDISS. P. DOMINO DAMASCENO.

Bononien. de Maluetijs. Veneris 24. Februarij 1612.

ARGVMENTVM

Filius spurius legitimatus non excludit in fideicommissis substitutos, vigore Constitutionis Pij IV. quando legitimatio eueniret contra voluntatem testatorum, secus si secundum eorum voluntatem. Et hinc sumpta occasione bene declaratur an, & quando filij naturales, & præsertim legitimati substitutum excludant de iure communi.

SVMMARIVM.

Filius spurius legitimatus nō excludit in fideicommissis substitutos vire Constitutionis Pij IV. quando legitimatio eueniret contra voluntatem. nu. 1. & omnibus seqq.

Verba posita in proœmio Constitutionis denotant causam finalem ad effectum interpretationis dictæ Constitutionis, præsertim si sint repetita. nu. 1.

Legitimationes secundum voluntatem testatoris non præiudicant vocatis in testamento, quia tunc non est legitimatio, quæ tollit successionem, sed voluntas testatoris. nu. 1.

Sobstituti exclusio, quæ fit ex voluntate testatoris non est contra ius, & æquitatem, sed secundum ius, & æquitatem. num. 2.

Testatoris voluntatem seruare æquissimum est. nu. 2.

Interpretatio semper capienda est illa, quæ minus exorbitans est ab æquitate, & a regulis iuris. nu. 3.

Legitimandi facultas, quandoque à Principe datur, vt legitimati succedant etiam contra voluntatem testatoris. num. quarto.

Verba quantumuis generalia restringuntur per rationem expressam in Constitutione. nu. 5.

Constitutionis vna pars aliam declarat. n. 5.

Descendentium appellatione veniunt etiam filij naturales. n. 7. Declara, nisi sint nati ex damnato, & punibili coitu. nu. 8. Vbi tamen quod hæc declaratio fallit, quando isti nati ex damnato coitu fuerunt legitimati.

Spurij legitimitati etiam nati ex damnato coitu excludunt substitutos ex præsumpta mente testatoris. nu. 8. & 9.

Spurij, & præsertim legitimati eo magis excludunt substitutos, quando testator erat illegitimus. nu. 10. Idem quando in alia parte testamenti vocauit aliquem illegitime natum. nu. 11. Idem quando in alia parte testamenti adiecit qualitatem legitimorum. nu. 12.

DECISIO CCCLXXXVIII.

1 Dubitaui, an Constitutio fel. mem. Pij Papæ Quarti super legitimationibus, in Bullario 86. in ordine, obstet Domin. Herculi de Maluetijs, & de ordine Dominorum fuit pro tunc, & sine præiudicio particularis disputationis super hoc fiendæ præsuppositum, quod D. Hercules sit filius quondam D. Pyrrhi. Item fuit præsuppositum, quod ipse sit legitimatus, cum de legitimatione constet per publicum instrumētum, quibus præsuppositis, fuit conclusum, Constitutionem non obstare D. Herculi. Nam visum fuit Dominis, quod Constitutio, dum tollit vim legitimationibus ad effectum excludendi substitutos in fideicommissis debet intelligi, de exclusionibus, quæ mediante legitimatione euenirent contra voluntatem testatorum, secus si secundum illorum voluntatem, qui sensus Bullæ colligitur ex repetitis verbis Bullæ ibi, non obstantibus testatorum voluntatibus succedant, & ibi vt in huiusmodi fideicommissis non obstantibus testatorum voluntatibus succedant. Quæ verba cum sint posita in proœmio denotant causam finalem ad effectum interpretationis, *leg. fin. & ibi Bartol. num. 3. ff. de hæred. instit. Bald. in l. nostram. num. 1. vers. tu dic. C. de testam. Alexand. consil. 7. num. 5. lib. 2. Roman. consil. 180. num. 6. Crauet. consil. 192. num. 2. Curt. iun. cons. 20. num. 7. versic. confirmatur tertio. maximè cum sint repetita, ad not. in leg. Balista. ff. ad Trebell. in leg. cum scimus & ibi Bart. Cod. de agric. & cens. lib. 11. Felin. in cap. fin. num. 1. de offic. deleg. Corn. cons. 249. num. 5. libr. 4. Dec. consil. 24. num. 3. Curt. sen. cons. 49. num. 67. in fin. & numer. 68.* & satis colligitur ex verbis, ibi in præiudicium vocatorum in testamento, legitimationes enim, quæ fiunt secundum voluntatem testatoris, non præiudicant vocatis in testamento, quia tunc non est legitimatio, quę tollit successionem, sed voluntas testatoris, vt bene per *Aret. in leg. ax facto. num. 12. vers. sed huic rationi respondetur. ff. de vulg. & pupill. Castr. consil. 461. num. 4. lib. 1. & cons. 3. num. 1. & 2. eodem lib. Socin. cons. 226. nu. 7. lib. 2. Ias. in l. Gallus. §. & quid si tantum. num. 140. ff. de liber. & posthumis. Laderch. cons. 23. num. 22. latè Menoch. de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 79. numero 2. versic. ...*

2 Et hic faciunt alia verba Constitutionis, ibi, Decernentes Comites, & alios legitimandi facultatem habentes, nullas in præiudicium fideicommissorum, & voluntatum testatorum legitimationes facere posse, & paulo infra, ibi, vt pote contra ius, & æquitatem, exclusio autem substituti, quæ fit ex voluntate testatoris, non est contra ius, & æquitatem, sed imo secundum ius, & plenè *not. in l. ex facto. §. si quis rogatus. ff. ad Trebell. in l. generaliter. §. cum autem. ff. de institut. & substitut. & in cap. per venerabilem, qui fil. sint legitim.* & secundum æquitatem, quia nihil magis æquum est, quam seruare testatorum voluntatem. *l. 1. C. de sacrosanct. Eccles. §. disponat. authent. de nupt. leg. si pars. ff. de inoffic. testam. l. in conditionibus primum locum. ff. de condit. & demonstrat. l. vel negare. ff. quemadmod. testament. aper. gl. in cap. tua nobis. verb. voluntatem. de testam. Bart. in auth. sed cum testator. nu. 1. C. ad leg. Falcid. Dec. cons. 10. nu. 20. ad fin.*

3 Ex quibus duobus resultat, quod quatenus esset dubium, prout saltem negari non potest, quin sit, quænam fuerit intentio Summi Pontificis, quod supradicta interpretatio sit capienda, tanquam minus exorbitans ab æquitate, & à regulis iuris, quia ita in dubio fieri debet. *cap. cum dilectus. de consuetud. leg. cum inter veteres. C. de fideicom. libert. Bald. in l. si defunctus. nu. 8. C. de suis, & legit. Roman. cons. 61. nu. 4. Gemin. cons. 131. in princ. Abb. cons. 78. in princ. lib. 2. Alex. cons. 83. nu. 5. lib. 2. Socin. cons. 159. nu. 28. lib. 2.*

4 Nec visum fuit subsistere, quod secundum istum intellectum Constitutio redderetur inutilis, siue de indubitabili, cum nemo excludat, siue succedat contra voluntatem testatorum, quia imo est vtilis, & de dubitabili. Etenim concessiones facultatum adeo lōge processerant, vt aliquibus reperiantur concessa facultas legitimandi, taliter quod legitimatus succedat, etiam contra testatorum voluntatem, vt patet ex *Alexand. cons. 2. num. 19. vers. respondeo insuper. lib. 1. Dec. cons. 624. nu. 6. vers. non obstat. Paris. cons. 1. nu. 64. lib. 2. Surd. cons. 472. nu. 3. & 9. Beccius cons. 56. nu. 38. 39. & 58.* & talis est facultas Dominorum de Campegijs pro parte D. Herculis producta, cui inconuenienti per istam Bullam reperitur prouisum.

5 Sicut etiam non mouerunt Dominos verba prægnantia Bullæ, contra legitimationes pronderata per Informantes pro Domino Pyrrhi heo, quia sunt intelligenda quatenus legitimationes fiant contra voluntatem testatorum, & prejudicetur vocatis in fideicommissis,

missis, iuxta mentem Pontificis, & rationem expressam in alia parte Constitutionis. Etenim verba, quantumuis generalia, restringuntur per rationem expressam. *leg. cum pater, §. dulcissimis, de legat. 2. Roman. cons. 403. num. 23. Alexand. consil. 113. numer. 2. lib. 7. Natta cons. 546. num. 11. & 12. Crauet, consil. 236. numer. 6.* secundum mentem proferentis, *capit. secundo requiris. de appellat. cap. intelligenda. de verb. signific. Bald. in leg. prima, num. 2. C. de negot. gest. Innoc. in capit. petitio. num. 2. de procurat. Calder. consil. 8. num. 1. de donat. Angel. consil. 261. numer. 4. Crauet. consil. 221. numer. 7. & vna pars aliam declarat, leg. si seruus plurium. §. fin. ff. de legat. 1. Bartol. in leg. vtrum. in principio, ff. de petit. hæredit. Iason. in leg. qui filiabus, num. 2. ff. de legat. 1. Alexand. consilio 170. num. 5. lib. 5. Dec. cons. 336. num. 20. Crauet. consil. 226. num. 6.*

6 Et pro supradicto intellectu in terminis istius Bullæ tenuerunt *Eugen. cons. 52. nu. 65. lib. 1. Laderch. cons. 23. nu. 23. Illustrissimus Mantica de coniect. vltim. volun. lib. 11. tit. 10. nu. 46. vers. extat etiam consimilis. Menoch. cons. 461. num. 9. & 30. Lup. tract. de illegit. comm. 3. §. 1. num. 5.* & in terminis constitutionis Venetæ valde similis. *Decian. cons. 42. num. 38. lib. 10. Menoch. cons. 459. num. 34. & 37. ac cons. 461. n. 9. Illustriss. Mantic. de coniect. vlt. volunt. d. lib. 11. tit. 10. num. 46. ex quibus apparet, male consuluisse Odd. cons. 16. nu. 14. Honded. cons. 64. nu. 39. cum seq. lib. 1.*

7 Difficultas igitur reduci videbatur, an in proposito casu testator voluerit, quod spurius legitimatus excluderet substitutum, & pro affirmatiua fuit tentum, quia testator in descendentibus Pyrrhi, qualis est D. Hercules, nullis vsus fuit verbis denotantibus legitima natalia, sed simpliciter fecit mentionem de descendentibus, quod verbum descendens, est naturale, vnde aptum comprehendere etiam naturales. *Bart. in l. tutelas. nu. 4. ff. de cap. diminut. Ang. in l. ex facto. §. si quis rogatus. nu. 4. vers. fallit si statutum. ff. ad Trebell. Fel. in cap. in præsentia nu. 22. de probat. Dec. cons. 3. nu. 80. lib. 1.* Rota in causa Tirasonen. Eleemosynariæ. 14. Nouembris 1603. coram Illustrissimo Lancellotto, & in Ianuen. Iuris patronatus, 23. Ianuarij proximè præteriti anni, coram R. P. D. meo Pamphilio.

8 Et licèt hoc possit habere difficultatem quandocũque quis est natus ex damnato, & punibili coitu, prout est D. Hercules, per ea, quæ tradit *Angel. in l. generaliter. §. cum autem num. 4. C. de institut. & substit. Alex. in l. ex facto. §. si quis rogatus. nu. 7. ff. ad Trebell. Cephal. consil. 591. num. 4.* Id tamen cessat concurrente legitimatione, vt concurrit in D. Hercule, etenim tunc concurrit natura communis tam natis, ex damnato, quam non damnato coitu, & macula damnatæ procreationis, per quam sic procreati regulariter arcentur a successionibus, aboletur per legitimationem. Vnde tales legitimati excludunt substitutum, sicut mere naturales. *Anchar. cons. 225. num. 2. in fin. Ias. consil. 40. num. 5. & sequentib. lib. 3. Castr. cons. 102. num. 3. in princip. & fin. vers. 5. & vltimo. lib. 2. Alex. cons. 2. num. 41. lib. 1. Socin. iun. in l. Gallus. §. si eius. num. 5. vers. quartus casus. ff. de liber. & posthu. Socin. iun. consil. 77. num. 18. volum. 3. Paris. cons. 8. num. 5. & 9. lib. 2. Dec. cons. 3. num. 82. 83. & 89. lib. 1. Laderch. cons. 23. nu. 9.* Rota in causa Camerinen. Fideicommissi. 25. Octobris 1596. coram R. P. D. Pegna.

9 Tales autem exclusiones non veniunt ex simplici ministerio legis, sed ex præsumpta mente testatoris. *Aret. in dicta l. ex facto. num. 12. ff. de vulg. & pupillari. Castrens. consil. 461. num. 4. lib. 1. Anchar. consil. 225. nu. 5. versic. & verisimile est. Socin. consil. 226. num. 7. libr. 2. Thobias Non. consil. 69. num. 8. vers. & præsertim, Tiraquel. in leg. si vnquam, verb. susceperit liberos. num. 86. C. de reuoc. donat. Decian. dicto consil. 42. num. 38. in fin. lib. 1. Menoch. consil. 459. numer. 4. Laderch. dicto consil. 23. numer. 22.*

10 Quod eo magis videtur dicendum in hoc casu, in quo testator erat illegitime natus, quo casu eo minus videtur abhorruisse sibi similes, *Dec. in cap. præsentia, num. 125. de probat. Rolan. cons. 76. in fin. lib. 3. Tiraquel. de legib. connubial. par. 5. gl. 1. num. 26. Paleott. de nothis, & spur. cap. 17 num. 7. Surd. cons. 140. num. 27. Menoch. dicta præsumpt. 79. nu. 20. lib. 4.*

11 Item quia explicite vocauit in alia parte testamenti Iulium Cæsarem, ex fratre nepotem, illegitime natum *Bart. in l. ex facto. §. si quis rogatus. num. 2. Ripa, num. 17. ff. ad Trebel. Ruin. cons. 168. num. 13. lib. 9. Paleott. d. cap. 27. nu. 7. Gabriel. tit. de testam. concl. 10. nu. 2. Illustrissimus Mantic. d. lib. 11. tit. 9. nu. 12. Menoch. cons. 266. nu. 23. volum. 3.*

12 Item quia descendentibus Pyrrhi qualitatem legitimorum natalium adiecit, & pluries repetijt. Vnde non sine mysterio expressionem talis qualitatis in descendentibus Pyrrhi videtur omisisse. *leg. vnica. §. sin autem deficientis. C. de caducis tollend. Corn. consil. 220. num. 6. versic. vbi autem. lib. 3. Alexand. consil. 170. num. 7. libr. 5. Anan. consil. 22. num. 3. vers. est etiam multum ponderandum. Gozzad. cons. 29. num. 16. Menoch. consil. 266. num. 21. & 22. & 71. Decian. cons. 42. num. 26. vers. quod autem. & num. 38. libro primo.* Rota in hac eadem causa die 23. Martij 1609. coram me. Et in causa Ianuen. Iuris patronatus 23. Ianuarij proximi, coram R. P. D. meo Pamphilio.

R. P. D. VBALDO.

Hispalen. Legitimitatis. Veneris 24. Februarij 1612.

ARGVMENTVM.

Instrumentorum, & scripturarum transumptio facta non in vim compulsorialium, & sine solennitatibus sustinetur, quando ab aduersa parte quis fuit impeditus propter recursum ad curiam sæcularem.

SVMMARIVM.

Transumptio instrumentorum facta in partibus, non in vim compulsorialium sustinetur stantibus impedimentis à parte præstitis propter recursum ad iudices sæculares. numero primo.

Transumptum instrumenti, & scripturæ à successore in officio fidem facit absque alia solennitate. nu. 2.

Probatio non sufficiens suppletur ex adminiculis. nu. 3.

Confessio facta in vno iudicio probat in alio, vel saltem facit adminiculum. nu. 3.

Impediens probationem aduersarij sui conuincitur minori probatione. nu. 4.

DECISIO CCCLXXXIX.

1 Productis pro parte D. Anne Cerron de Nouo nonnulis alijs scripturis preter alias quarum extractio nem illi suffragari iam Rota resoluit sub die 12. Decembris, proximè præteriti fuit dubitatum, An dictis scripturis nouiter productis esset adhibenda fides. Et Rota vtraq; parte informante affirmatiue respondit: quia scripturæ continebant primo transumpta duorum testamentorum parentum dictæ D. Annæ, quæ fuere extracta ex processu in causa possessorij in partibus factæ, quæ probant vigore Innocentianæ. *Capitaq. dec. 351. num. 6. par. 2.* Et licèt transumptatio non fuerit facta in vim compulsorialium Rotæ, tamen stantibus impedimentis a parte præstitis propter recursum ad iudices laicos, habetur pro legitima, vt in dicta decisione fuit latè deductum.

2 Secundo continent duo transumpta partitæ, seu notæ matrimonij extractæ per modernum Parochum ex

ex libro matrimoniorum suæ Ecclesiæ. Primum quidem adhibitis testibus, & Notario, & ante litem in curia introductam. Secundum verò accedente etiam auctoritate, & iussu Vicarij generalis Hispalen. quod duplex vniforme transumptum factum à Moderno Parocho, tanquam successore in officio etiam sine alia solennitate videtur, fidem mereri, iuxta not. in authent. si quis in aliquo, vbi *Dec. num. 26. C. de eden. Caputaquen. decis. 244. num. 2. parte 2.*

3 Et quatenus probatio non esset sufficiens, veniret supplenda ex pluribus adminiculis, quæ hic concurrunt. *Caputaq. decis. 234. par. 1. Put. decis. 359. numer. 1. & 2. lib. 2.* Concurrit enim confessio partis aduersæ in iudicio possessorio, quod inter parentes D. Annæ venit matrimonium contractum, quæ licet facta in alio iudicio negari non potest, quin vel probet, vel faciat saltem adminiculum in isto, ad not. per *Dec. in l. 2. sub num. 62. vers. & prædicta distinctio. C. de edend.*

4 Accedit depositio testium qui interfuerunt prædicto matrimonio. Item extractio eiusdem notæ matrimonij ex eodem Parochi libro, facta per partem aduersam eiusque productio in eodem iudicio possessorio, & probata per testes examinatos in curia, quæ omnia saltem simul iuncta, & stantibus impedimentis, de quibus supra, visa sunt Dominis releuantia ad hoc, vt prædictis scripturis esset adhibenda fides, iuxta dictam decisionem. *Put. 359. lib. 2. Rot. decis. 124. sub num. 4. & decis. 206. num. 3. par. 2. diuersorum.* Et ita decisum fuit.

R. P. D. PIROVANO.

Clusina Postæ Puteoli. Ven. 24. Februarij 1612.

ARGVMENTVM.

Emphyteusis, seu feudum ad tertiam, vel ad quartam generationem non intelligitur, nisi de descendentibus, & generatione finita emphyteusis, seu feudum reuertitur ad dominum.

SVMMARIVM.

Inuestitura feudi, seu emphyteusis facta ad secundam, vel tertiam generationem, non comprehendit, nisi descendentes. num. 2.

Emphyteusi, seu feudo concesso ad secundam, vel ad tertiam generationem, finita generatione deuoluitur ad dominum, etiam feudatarium durante vtili dominio. num. 2.

Inuestituræ tenor in concessione emphyteusis, seu feudi præcipue attendendus est. num. 3.

Exceptio de iure tertij dari non potest sine consensu tertij. num. 4.

Assertioni Papæ standum est in concernentibus præiudicium Cameræ Apostolicæ. num. 4.

DECISIO CCCXC.

1 IN concessionibus felicis recordationis Iulij III. & Pij IV. de toto Territorio Clusij Perusini primo in personam Dominæ Iacobæ eiusdem Iulij Papę III. sororis Germanæ, deinde in bo. mem. Fuluium Cardinalem, & Ascanium Corneum eorum vita durante, & demum in Dominium Diomedem Corneum eiusdemque Diomedis filios, & nepotes masculos vsque ad secundam generationem eiusdem Diomedis. Legitur ea conditione, & pacto factas fuisse concessiones, vt inuestiti teneantur etiam seruare concessiones, prouisiones, & assignationes alijs personis per Sanctissimos Pontifices super dicto Clusio factas, quę tamen cum cessauerint quouis modo, vel per lapsum temporis, siue per lineam finitam, aut delictum, pactorumve, inobseruantiam, vel alia quacumque causa fructus omnes eidem Dominæ Iacobæ, & alijs in prædictis concessionibus nominatis accrescerent, sicuti Cameræ Apostolicæ accreuissent. Inter alias autem per Sedem Apostolicam factas aderat concessio sanctæ memoriæ Pauli III. qui postam Puteoli intra fines eiusdem Clusij existentem concesserat bonæ memoriæ Cardinali Alexandro, & Paulo de Sfortijs, & pro eorum hæredibus, & successoribus vsque in tertiam generationem per quorum amborum mortem sine liberis modernus Marchio prætendere cœpit, eandem postam ad sui fauorem deuolutam posse auocari à Domino Duce Alexandro Sfortia successore, & nunc bonorum prædictæ postæ possessore. Vnde cum primo loco dubitatum fuisset, an Dominus Dux esset absoluendus, nec potuisset capi resolutio, omisse illius dubij discussione de ordine Dominorum dubitaui. An Dominus Marchio habeat fundatam intentionem in casu, de quo agitur, & affirmatiue fuit responsum, nisi obstent Breuia Pij Quarti, & Gregorij Decimitertij.

2 Apparet enim ex tenore inuestituræ concessæ bonæ memoriæ Cardinali Alexandrino, & Paulo Sfortijs pro se, & hæredibus, & successoribus, & vsque in tertiam generationem, apertam fuisse deuolutionem Postæ Puteoli ex capite lineæ finitæ, eo ipso quod decesserunt nullis relictis filijs, & descendentibus, cum generatio solos descendentes comprehendat. *Bald. in auth. si quas ruinas. num. 4. C. de sacrosanct. eccles. Clar. in §. emphyteusis. quæst. 28. vers. secundo modo,* quo casu deuolutum intra fines feudi nedum ex pacto, sed ex ipsa natura feudorum, tanquam augmentum debet pertinere ad Dominum Modernum Marchionem nepotem bonæ memoriæ Diomedis feudatarium durante vtili dominio. *c. 1. §. similiter. versic. si quis de manso. tit. si de inuestit. feud. contr. Ioann. And. in addi. ad Specul. in tit. de locat. §. nunc aliqua. quæst. 93. num. 116. vers. qui tabernas. in fine Tiraq. de retract. lignag. ad fi. tit. numer. 110. Decian. consil. 123. num. 54. vol. 3. Honded. post alios consil. 86. num. 22. lib. 2. quibus accedunt Molin. de primogen. c. 26. num. 18. Schrader. de feud. 2. par. nonæ par. princ. sect. 2. nu. 5. vers. 3. concludo. Rosenthal. de feud. c. 10. conclus. 44. num. 1. & c. 7. conclus. 32. num. 15.*

3 Quæ sine difficultate tanto magis procedunt, cum ex tenore concessionum habeatur, quod cessantibus inuestituris aliorum per lineam finitam, & ex alia quacumque causa, fructus, & quælibet alia emolumenta accrescere deberent ad commodum comprehensorum, prout Cameræ Apostolicæ accreuissent, qui tenor semper in hac materia solet attendi, ita vt ab eo non sit recedendum. *capit. 1.* ibi, propter tenorem inuestituræ. de duobus fratribus à *Cap. inuestitis. Afflict. decisione 335. numero 15. Idem Honded. in hac causa respondens dicto consil. 86. num. 8.* cum infinitis additis per *Rosenthal. de feudi diffinitione parte 1. cap. 1. conclus. 12.*

4 Et quamuis multa fuerint ex parte D. Ducis deducta, ad subuertendum fundamentum intentionis Domini Marchionis, tamen visa fuerunt Dominis non obstare. Ad oppositionem de non implemento ex eo, quod in concessione Iulij Tertij Scuta duodecim millia oblata per Dominam Iacobum primam acquirentem Cameræ Apostolicæ non appareant soluta, fuit dictum, vltra quod de prædicta exceptione Dominus Dux dare non potest, citra consensum Cameræ Apostolicæ, de cuius iure agitur. *Bartol. in l. 2. num. 1. ff. de except. rei iudic. Thessaur. qui loquitur in feudatario, opponente de iure directi Domini, decisione 4. nu. 3. versic. 3. casus.* videtur etiam sufficienter probata solutio ex attestatione Sanctissimæ memoriæ Pij Quarti in confirmatione primæ concessionis, cui in concernentibus proprium præiudicium standum est. *Clem. literis. & ibi gloss. in verb. fecisse. de probat. Put. decisione 245. numero secundo. libro primo. Mohed. decisione*

visione 24. numero tertio, de præbend.

5 Ad id autem, quod Posta Puteoli non sit intra fines Clusij Perusini satisfaciunt testes, examinati in hac causa, qui dantur in Summario D. Marchionis, numero 5. reddentes bonam scientiæ rationem, quia habent notitiam confinium Territorij Clusini, & quia Dominus Marchio in eo loco exercebat iurisdictionem, & similia.

6 Demum non obstat, quod Dominus Marchio, tanquam descendens, à quondam Diomede della Penna non sit comprehensus in concessionibus factis, bonæ memoriæ Fuluio Cardinali, & Ascanio Corneo, cui nec etiam suffragari videtur abrogatio, quæ dicitur extare in amplissima forma cum assensu, & auctoritate Sedis Apostolicæ, cum de ea non doceatur.

Quia ex facto, tollitur obiectum, cum instrumentum arrogationis fuerit productum, & ex abundanti in manibus Ponentis dimissum, ex quo bene iustificatur, Dominum Marchionem vigore subrogationis Diomedis potuisse, & posse succedere in bonis tam allodialibus, quàm feudalibus Ascanij, prout potuissent eius descendentes veri, & legitimi. Cetera autem, quæ pro D. Duce fuerunt considerata, visa sunt Dominis satis leuia, ita vt alia responsione, non egeant, præter tamen deducta ex Breuibus Sanctissimæ memor. Pij IV. & Gregorij XIII. quæ particulariter Domini reseruarunt videre, vt supra fuit decisum.

REVERENDISSIMO P. D. BONONIEN.

Romana Censuum Viginti millium. Veneris 24. Februarij 1612.

DECISIO CCCLXXXXI.

Est impressa inter Ludouisio.

DECISIO 544.

R. P. D. PIROVANO.

Romana Nullitatis Obligationis. Lunæ 27. Februarij 1612.

ARGVMENTVM.

Hæres cum beneficio legis, & inuentarij obligando se soluere legatum à testatore relictum, numquid teneatur ad illius solutionem vltra vires hæreditarias.

SVMMARIVM.

Hæres cum beneficio legis, & inuentarij tenetur vltra vires hæreditarias, quando proprio nomine se obligauit legatum, nu. 2. Contra num. 3.

Hæres tenetur soluere legata relicta à testatore de bonis hæreditarijs, non autem de suo. nu. 2.

Promissio, & obligatio quæcunque nunquam censetus emanata animo nouandi legalem prouisionem. num. 3.

Obligare se quis non præsumitur in illud plus ad quod tenetur nu. 3.

Obligatio, & promissio præsumitur facta in præcedentis tituli, nu. 3.

Nouatio non inducitur hodie, nisi expressè dicatur, vel tacitè propter incompalibilitatem, nu. 4.

Prouisio hominis non facit reficere prouisionem legis, quando cum ea concurrere potest num. 4.

Renuncians omni legum auxilio numquid censeatur renunciare cum beneficio legis, & inuentarij. num. 5.

Clausula in solidum non continetur sub obligatione Camerali nisi exprimatur, nu. 6.

Clausula in solidum arctius ligat contrahentes, non autem auget obligationem. nu. 6.

DECISIO CCCXCII.

1 Bonæ memoriæ Iustus Rotæ Auditor vigore decreti Congregationis B. Petri Principis Apostolorum Vrbis, tribuentis ei facultatem exequendi legatum bonæ memoriæ Laurentij celsi, maritandi puellas cum dote Scutorum 500. ordinauit Dominæ Isabellæ celsę heredi cum beneficio legis, & inuentarij vt solueret eam summam Catherinę filię, quondam Hortensię Alumnę in monasterio Sancti Bernardini de Vrbe, quando monialis efficeretur, & professionem fecerit, quæ Domina Isabella enunciato ordine prædicto per instrumentum se obligauit formalibus verbis promisit, & se solenniter obligauit soluere, & exbursare suprascriptæ Catherinæ filiæ quondam Hortensiæ supradicta Scuta 500. quando ipsa Catherina monialis efficietur, & professionem fecerit additis generalibus enunciationibus, & cum obligatione Camerali. Detecta autem tenuitate virium hæreditatis prætendit Domina Isabella, se ad solutionem legati non teneri vltra vires hæreditarias, quare dubitaui, an obligatio sit valida, & pro Domina Isabella fuit resolutum non teneri vltra, vires hæreditarias.

Fuit enim quæstio hæc antiqua inter DD. an hæres cum beneficio legis, & inuentarij, qui se obligauit proprio nomine cum obligatione suorum bonorum, & in solidum, soluere legata, si discusso inuentario hæreditas reperiatur non soluendo, teneatur de proprio, quam examinarunt ex professo. *Angel. cons. 31. col. 2. vers. secundum inuenio. Corn. cons. 31. num. 11. lib. 3. Aret. cons. 147. num. 2. & 3. Roland. tract. de inuent. in 4. parte in cap. quod incipit.* Beneficium inuentarij an prosit hæredi. *Phanuc. eodem tract. part. 6. num. 110. Dec. consil. 496. num. 12. Boer. decis. 53. numer. 8. Surd. consil. 191. numer. 25. & 26.* & prædicti omnes tenuerunt, hæredem posse astringi ad soluendum de proprio, quia beneficium inuentarij prouidet hæredi circa actiones passiuas descendentes à defuncto non autem subuenit aduersus actiones, quibus tenetur ex suo facto. Obligatio enim proueniens ex causa hæreditaria videtur nouata ex pacto, & stipulatione Dominæ Isabellæ dum pro solutione legati obligauit se, & bona sua, & alia est obligatio, quæ datur pro legatis, secundum quam non obligantur bona propria hæredis, *Bart. in l. 1. in fin. Cod. comm. deleg. Negusan. part. 2. membr. 4. num. 159.* alia est obligatio propria hæredis per quam concernitur, vt noua persona, cui non prodest beneficium inuentarij. *Surd. dict. cons. 191. num. 26.*

Contrariam tamen sententiam amplexi sunt Domini in casu de quo agitur, quia regulare est, quod promissio nunquam centur emanata animo nouandi legalem prouisionem. *leg. 4. §. si ex conuentione. ff. de re iudic. leg. penult. Cod. de execut. rei iud. Bald. consil. 329. num. 1. versic. ex aduerso. volum. 1.* nec est verisimile, quod quis voluerit se obligare in plus, quam fuerit obligatus, ea ratione moti. *Afflict. decision. 299. numer. 13. Natt. consil. 416. Rolan. in tract. de lucro dot. quæst. 37. per totum Surd. consil. 34. num. 34. volum. 1. & in decision. 132. numer. 21. & seqq. Illustrissimus Cardin. Mantic. de contr. libr. tertio, titul. 7. num. 19.* inferunt ad similia de promissione solutionis legatorum, quæ intelligitur saluo beneficio legis Falcidiæ de promissione restitutionis dotis, quæ intelligitur saluo beneficio lucri dotis, de promissione faciendi restaurum, quod intelligitur secundum quod ius commune disponit, ita vt quæ-

vt quelibet simplex promissio videatur continere reseruationem beneficij sibi competentis, quæ conclusio tanto magis in præsenti casu procedere visa fuit, vbi præcessit ordinatio iniungens D. Isabellæ hæredi cum beneficio inuentarij, vt solueret legatum. Vnde promissio, & obligatio subsequens, quæ alias esset sine causa cum soror non teneatur debitum fratris persoluere, videtur de necessitate referenda, ad præambulum titulum hæredis qui fuit causa obligationis. *Felin. in cap. si cautio. num. 16. in 12. fallen. de fide instrument. Surd. post alios consil. 19. num. 20. & 21. volumine 1.* & hic sensus magis videtur conuenire contractui mulieris propter statutum Vrbis, quod requirit causam vtilem obligationis, sine qua nec consanguinei consensum, nec iudex decretum potest interponere ad sustinendum eiusmodi contractum, & huic sententiæ in terminis, de quibus agitur contra *Angel. & alios se subscripserunt Monticulus in tractat. de inuent. quæstione 11. num. 8. Minad. decis. 25. num. 6. & 7. Franc. decis. 323. num. 3. & apertius decis. 638. per totam.*

4 Non obstat exceptio nouationis obligationis, quæ fuit potissima ratio Angeli, quia hodie non inducitur nisi expresse, vel tacite propter incompatibilitatem. *Bald. in l. final. in princ. C. de nouat. Dec. consil. 400. num. 2. Latissime post alios Menoch. de præsumption. lib. 3. præsumpt. 134. num. 36. & in consil. 562. num. 1. lib. 6. Illustrissimus Mantic. de contr. vltim. volunt. lib. 17. tit. 3.* Incompatibilitas autem non videtur considerabilis, quia obligatio propriæ personæ, & bonorum suorum potest conuenire, quando facta discussione inuentarij appareret superesse bona hæreditaria, vt tunc exequendum sit contra personam, & bona promittentis, quod erit vtile creditori, ne illi obijciatur de dispositione. *l. final. §. etsi præfatam. C. de iure deliber.* vt considerat *Franc. dicta decis. 648. in fin.* & quatenus promissio potest concurrere cum dispositione iuris communis, nec illi contrariatur, tunc non facit deficere legis prouisionem. *Bald. consil. 329. num. 1. volumine 1. & Bald. sequitur Gozad. consil. 74. num. 11. Surd. cons. 34. numer. 34. lib. 1.*

5 Non obstant generales renunciationes omni legum auxilio, &c. quæ ponderantur per *Corn. dicto consilio 31. num. 13. volumine 3.* vt ex eis censeatur renunciatum beneficio inuentarij. Quia eadem ratione euitatur obiectum, vt censeatur renunciatum beneficio inuentarij, quando bona hæreditaria non superessent ad effectum executiue agendi contra eum, & bona sua, effectus enim renunciationis est impedimentum remouere pro faciliori executione non autem augere obligationem. *Put. decis. 177. per tot. lib. 1.*

6 Demum non obstat clausula in solidum, quæ consideratur pariter à Corneo, & dicitur comprehensa in extensione obligationis Cameralis, quia vltra quod formula obligationis Cameralis non videtur continere similem clausulam, vt alias fuit dictum in Romana pecudum. 26. Iunij 1592. coram Reuerendissimo Domino Pegna Decano. Cum de natura illius sit, arctius ligare, non autem augere obligationem, *Galles. de obligat. Camer. parte 3. quæst. 3. num. 2. Gabriel. consil. 173. num. 2. lib. 2.* videtur etiam compatibilis, quatenus supersint bona hæreditaria ad faciliorem executionem pro creditoribus, vt euitent incommoda, quæ ex beneficio inuentarij solent parari, & ita fuit resolutum.

R. P. D. VBALDO.

Ianuen. Pecuniaria. Veneris 16. Martij 1612.

ARGVMENTVM.

Testes examinari à Notario sine iudicis commissione, & mandato, numquid valide examinati dicantur, sic præsertim in stylo Curiæ dictante, & quando testis præsumatur cum iuramento examinatus ex assertione Notarij, dicentis testis iuratus, &c.

SVMMARIVM.

Testes examinati coram Notario absque decreto, & commissione iudicis, non probant. nu. 1.
Testes quod à Notario fuerint examinati de commissione, & mandato iudicis præsumuntur, & testium iuramenta recipi possunt à Notario sine interuentu iudicis, sic stylo dictante. num. 2.
Stylus censetur probatus ex attestatione Notariorum, & Causidicorum. num. 2.
Citatio licet fieri non possit à nuncio sine mandato iudicis, de consuetudine tamen mandatum iudicis præsumitur. nu. 3.
Stylus probatur ex inspectione processuum. num. 4.
Stylus quandoque sustinetur, ne irritentur omnes processus iuxta stylum facti. num. 4.
Testes etiam nulliter examinati probant, quando pars aduersa dedit interrogatoria, & ipsa etiam examinauit eodem modo. num. 5. & num. 17.
Testium examen recipitur per Notarium. num. 5.
Citatio ad videndum examinari testes pro singulis diebus, & horis, sustinetur, & valet de consuetudine Aduocatorum, quando testes sunt examinati in termino probatorio. num. 6. & 7.
Notarij assertioni enunciatiue non creditur. num. 8.
Testis quem Notarius iuratum asserit, non præsumitur, quod iurauit tactis scripturis, nisi idem Notarius expresse asseruerit illum iurasse, & alias prout. num. 8. & 9.
Testis quod examinatus iurauerit, probatur eo ipso, quod Notarius de iuramento testatur in actu separato ab actis examinis. num. 10.
Testis præsumitur, quod medio iuramento examinatus fuerint quando iuramentum fuit præstitum sub termino citationis. num. 11.
Testis quod cum iuramento fuerit examinatus, præsumitur quando Notarius dicit testis iurauit. num. 12.
Clausula, &c. comprehendit omnia ea, quæ sunt de natura, & substantia actus. num. 12.
Testis quod iuratus sit examinatus, præsumitur, quando Notarius vltra verbum iuratus vlterius procedit, aliquid addendo, ex quo de iure prætendi possit iuramentum verè interueuisse, nu. 13.
Testes præsumuntur iurasse tactis scripturis, quando est examinatus in loco, in quo de communi stylo iuramentum probatur, ex sola Notarij assertione num. 14.
Citationis solennitatem supplet præsentia partium. n. 16.

DECISIO CCCXCIII.

1 Testes primæ, & secundæ instantiæ fuisse valide examinatos Rota censuit vtraque parte Informante, non obstantibus pluribus nullitatibus contra vtrumque examen adductis.

Nam quo ad primam nullitatē circa examen primæ instantiæ, quod testes fuerint examinati coram Notario absque decreto, & commissione iudicis ad *cons. Gemin. 38. nu. 8. cum alijs allegat.*

2 Fuit responsum, quod talis commissio, & decretum facile præsumitur stante stylo illarum partium recipiendi iuramenta, & examen, per Notarium absque interuentu iudicis de quo stylo constat ex attestationibus plurium Notariorum, & Causidicorum Ciuitatis, Ianuæ, de quibus in Summario *Dom. Simonis., numer. 3. & 6.* & ex fide Ordinarij Ianuen. quæ data fuit,

3 Sicut

3 Sicut in simili licet citatio fieri non possit à nuncio sine iudicis mandato, tamen ex consuetudine tale mandatum præsumitur, & citatio valet, vt per Vantium de nullitatibus ex defectu citationis, *nu.41.* & quod, vbi adest huiusmodi stylus, valeat receptio iuramenti,& testium,in manibus Notarij,est decisione *Verall. 265. par.3.*

4 Qui etiam stylus comprobatur ex inspectione aliorum processuum illius Ciuitatis, vt fuit dictum in causa Florentina Iuris patronatus 3. Decembris anno millesimo sexcentesimo septimo,coram Illustrissimo Domino Cardinale Lancellotto, qui processus ne omnes irritentur vtilitatis causa iste stylus videtur sustinendus,vt fuit dictum in causa Ciuitaten. Constructionis Cappellæ 20. Februarij anno millesimo quingentisimo octuagesimo nono, coram bon.mem. Cardinale Seraphino.

5 Vltra quod pars aduersa dedit interrogatoria nihil opponens de huiusmodi nullitate, vt fuit consideratum in causa Veneta Fœderis matrimonij, octaua Iunij anno 1598. coram Reuerendissimo Domino meo Decano, & examinauit eodem modo. Nec obstat decisio in Aretina Spolij, 5. Iunij anno 1610. coram Reuerendo Patre Domino Coccino. Quia intelligitur de stylo contra ius commune, vt ibi patet; sed hæc consuetudo recipiendi examen per Notarium non est contra ius. *Clement. 1. de offic. deleg.Vestr. in praxi lib. 6.c.2.sub nu.12. vers.quæ consuetudo.*

6 Secunda etiam nullitas,quod citatio ad videndum iurare testes pro singulis diebus, & horis iuridicis sit nimis vaga, & non arctet citatum,cessat ex eo, quod imo talis citatio valet secundum practicam Aduocatorum, de qua testatur *Bald.in l.1.3. quæstione.sub nu. 8. versic. practica Aduocatorum dist.at. ff. si quis caut. Caputaquen. decision.108. num.2. par.1.* & Ratio est,quia talis citatio non inducit perpetuam seruitutem,sed sustinetur pro integro termino probatorio. *Baldus in l. si quando num.11. C.de test. Vestr. in praxi lib.6. c.2. nu. 21. versic.quæ verba,* imo etiam post terminum, dum tamen testes intra terminum iurauerint, *Vestr.ibidem,& ibi Adden.num.59. Rot.decis.3.de testib. in nou. Caputaquen. dec.285. nu.3.par.3.*

7 Non obstat *Caputaquen. decisione 274. parte tertia, & aliæ decision.allegat.* quia loquuntur, quando citatio nullam habent temporis limitationem,iuxta consilium *Bald. 268. factum tale libr.1.* In proposito autem testes in prima instantia bene iurarunt, intra terminum cum duraret vsque ad diem 30. Aprilis, vt ostendunt Informantes in facto pro D. Simone, & testes iurarunt die 13. & 15. eiusdem mensis, vt in eodem Summario. *num.2.* & eodem modo saluatur iuramentum Decij, & Seluaggij, quorum vnus iurauit die 26. Aprilis, alter 28. eiusdem mensis, & sic intra terminum qui durabat,vt supra.

8 Tertia nullitas opponebatur,quod testes non iurarunt corporaliter, tactis scripturis, sed Notarius solum enunciat, quod testis iurauit,quod non videtur sufficere ad decisionem *Caputaquen.123. & 246. par.2.& d.decis.285. & 298.par.3.* Sed fuit responsum illas decisiones procedere, quando verba Notarij sunt simpliciter enunciatiua,vt quando dicit testis iuratus, &c. quo casu Notario non creditur, quia attestatur de actu præterito, de quo forte non est rogatus, *vt in d. decis.285. & 295. part.3. etiam si dicat iuratus, tactis scripturis dict.dec.246.par.2.*& certum est,quod verbis Notarij enunciatiuis, non creditur *Butrius cons.32.in princ. Card.consil.10. num.7. vers. hi, duo, Alexand. consil.147. num.5. lib.6.*

9 Secus videtur quando dispositiue attestatur de iuramento,vt hic,per verbum denotans actum, de quo ipse rogatus fuit cum designatione diei, & horæ, & quem describit in libro attentatorum. *Caputaquen. d. dec.285.num.4.* & fuit dictum in Papien. matrimonij, 28. Nouembris 1595. coram Illustrissimo Mantica. Et licet non dicatur tactis scripturis,tamen quando Notarius,vt supra attestatur de iuramento præsumitur illud interuenisse eo modo, quo debuit, vt bene declarat *Imol. consil.86. num.1. 2. & 3.* Et fuit in simili dictum in dicta Ciuitaten. Construtionis Cappellæ 20. Februarij 1589.coram bonæ memoriæ Cardinali Seraphino, & in Calaguritana Oblationum. 26. Martij 1590. coram Reuerendissimo Perusino, & apud *Cæsar. de Graff.dec.13.& 15.de testib.*

10 Quæ eo magis procedunt, stantibus pluribus circumstantijs,quæ sic concurrunt.

Primo, quod Notarius testatur de iuramento in actu separato ab actu examinis sub certa die, & hora, vt dictum est, & patet in dicto Summario, *num.2.*quo casu Notario fidem meretur,iuxta practicam, de qua *Bart.in l. Theopompus,num.3.ff.de dote præleg.quam Rot.sequitur,* vt fuit dictum in causa Clusina pensionis.30. Martij 1576.coram Blanchetto.

11 Secundo, quia iuramentum fuit præstitum sub termino citationis, vt supra est ostensum, & fuit resolutum in dicta Clusina Pensionis, & in dicta Ciuitaten. Constructionis Cappellæ,coram Seraphino.

12 Tertio,quod Notarius apposuit illam dictionem, &c. testis iurauit,&c.sub qua comprehenduntur omnia,quæ sunt de natura, & substantia actus.*Bart.Socin. & alij,in l. Gallus, §. item credendum. ff. de liber. & posthum. Baldus consil.289. num. 1. libr. 3. latè Cepha l. consil. 88. num.1. & sequentibus libr. 1. Et in his terminis Imol.d. consil.86. num.4. Alciat. in rubr. extra de iureiuran. nu.38. versic. secundus casus.*

13 Quarto,quia Notarius in extensione examinis, dicit testes, iurauit, & de nouo ad cautelam iurat, & suo iuramento testificando,dixit,quando autem Notarius vlterius procedit, aliquid addendo, ex quo deprehendi possit iuramentum vere interuenisse, vt debuit, tunc ei creditur, vt fuit dictum in dicta Ciuitaten. Constructionis Cappellæ, & in proprijs nostris terminis in Vincentina Feudi, 27. Ianuarij 1573. coram felic. recordat. Clemente Octauo, tunc Rotæ Auditore, in qua dicitur id fuisse solenniter resolutum in vna Beneuentana,coram bonæ memoriæ Gropperio.

14 Quinto corroborantur prædicta ex stylo communi illarum partium probata, vt supra, secundum quē sufficit attestatio Notarij, quod testes iurauerit, quia stante stylo,præsumuntur iurasse tactis scripturis, vt concludit *Alciat.loc. citatos versic.tertius casus Couarru. in cap. quamuis prima parte sub num. 2. in fine. de pact.in 6. Menochius consil.114.numer.18.libr.2.* & fuit dictum in dicta Clusina, Pensionis coram Blanchetto, in dicta Ciuitaten. coram Seraphino, in dicta Calaguritana coram Perusino, in dicta Florentina coram Lancellotto.

15 Quo vero ad secundum examen, siue secundæ instantię factum coram subdelegato ab Episcopo Saonen.opponitur,quod subdelegatio fuit facta die duodecima Octobris 1600. in personam Præpositi Sancti Donati cum facultate recipiendi iuramenta, & examen testium seruatis seruandis, & tamen dicitur subdelegatus processisse ad examen de mense Augusti sequentis sine vlla citatione ad videndum iurare coram dicto subdelegato.

Sed ista nullitas cessat ex decreto iudicis facto dicta die duadecima Octobris,partibus præsentibus cũ monitione ad videndum iurare testes,tam in Ciuitate Saonæ,coram iudice causæ,quam Ianuæ coram subdelegato pro singulis diebus,& horis durantibus dilationibus probatorijs, vt in Summario Domini Simonis,numero octauo, quæ dilationes, fuerunt prorogatæ die 31. Iulij 1601. ad viginti dies, & die decima octaua Augusti ad alios decem dies, vt fuit ostensum ex processu, testes autem iurarunt à die 13. Augusti, vsque

vsque ad 28. eiusdem mensis, vt in dicto Summario, *nu.9.* & sic durante termino.

16 Nec obstat defectus citationis, quia sufficit fuisse partes præsentes coram iudice delegante, qui eas monuit ad videndum iurare, vt supra dictum est. Partium enim præsentia supplet defectum citationis, vt fuit dictum in causa Veneta fœderis matrimonij 8. Iunij, Anno 1598. coram Domino meo Decano, neq; etiam receptori, vel delegato erat necessaria ad hoc alia citatio, vt fuit resolutum in dicta Calaguritana Oblationum 26. Martij anno 1590. coram Reuerendissimo Perusino.

17 Et prædicta corroborantur, tum ex eo, quod pars aduersa seruauit per omnia eundem modum, tum ex eo, quod dedit interrogatoria, ex quo videtur neglexisse nullitates hodie propositas *Put, dec.301.libr.3.* & supra dictum est, & licet ex hoc solum non sanarentur aliæ nullitates examinis, præsertim sine Cõmissione sanatoria, arbitrio Rotæ, vt in decisionibus exemplo allegatis, tamen ex prædictis saltem simul iunctis, & consideratis, vt supra Domini resoluerunt pro validitate primi, & secundi examinis.

18 Circa tertium vero factum vigore Remissoriæ Roralis nihil concluserunt, cum Domini Simon, & Cadicio non viderentur velle eo vti, & sine veri præiudicio supponeretur, nullum, vt etiam reum supposuisse Rota, in hac causa 7. Iunij 1610. coram Illustrissimo Cardinal. Lancellotto.

R. P. D. PIROVANO.

Nullius, de Couaruuias. Veneris 16. Martij 1612.

ARGVMENTVM.

Visitandi ius ad Episcopum spectat, & non ad Abbatem nisi probetur contrarium priuilegium, aut præscripta consuetudo per annos 40.

SVMMARIVM.

Visitandi ius non ad Abbatem, sed ad solum Episcopum spectat, nisi in contrarium ostendatur priuilegium, vel consuetudo legitime præscripta nu.1.

Consuetudo visitandi in præiudicium, Episcopi debet esse præscripta, saltem spacio quadraginta annorum, numero 2. & 3.

Visitatio pendet ab ordinaria iurisdictione, num.4.

Testes deponentes super iure visitandi præscripto ad fauorem Abbatis in præiudicium Episcopalis iurisdictionis, quomodo debeant deponere, nu.4.

DECISIO CCCXCIV.

1 CVm in resolutione diei 22. Iunij 1611. in hac causa facta, fuerit dictum capitulo Sede Abbatiali vacante competere ius visitandi Ecclesiam Parochialem Sancti Thomæ cum præsupposito tamen, quod Abbas haberet ius visitandi. Hodie proposui dubium super iustificatioue præsuppositi, & Dominis placuit non probari Abbatem habere ius visitandi cum illud competat ad Episcopum solum, nisi in contrariũ ostendatur priuilegium, vel consuetudo legitime præscripta, vt post *Hostiens. Socin. & alios trad. Sarmient. select. interpret. libr.3. capit. vltim. Mandos. consil.38. num. 8. & consil. 37. numer. 11. Rota decision. 207. num.5. par. 2. diuers.*

2 Abbas autem loci de Couarruuias de Priuilegio non docet, neque de consuetudine præscripta spacio saltem quadraginta annorum, prout requiritur capite de quarta de præscriptionibus, & idem firmat *Bart. eodem tit. parte prima, 5. part. principali, quæst. 12. numero quarto.* Vnde consequitur Abbatem deficere in salutari.

3 Non obstant testes inducti ad probandam talem consuetudinem præscriptam, quia dati in Summarijs omnes deponunt à 15. 16. 17. 18. annis citra, quorum depositio nedum percutit tempus 40. annorum. Sed nec etiam tempus ante litem motam, cuius principium extitit, de anno 1582.

4 Præterea cum visitatio pendeat ab ordinaria iurisdictione, vt dicit *Rota decision.196. n.2.par.2. diuers.* Testes Abbatis debuissent deponere, eum habere omnimodam iurisdictionem quasi Episcopalem cum Territorio separato, quod non est præscriptibile per inferiorẽ sed ex solo priuilegio Principis competit, vt fuit dictum in Constantien. Iurisdictionis 18. Maij anni 1611. coram Reuerendissimo Attrebaten.

5 Nec dicatur, quod hodie cesset interesse Archiepiscopi Burgen. vt lis fuerit terminata inter eundẽ Archiepiscopum, & Abbatem ad ipsius Abbatis fauorem Quia fuit dictum, etsi appareat de auocatione causæ pendentis inter dictos Archiepiscopum, & Abbatem obtenta per Regem Hispaniarum, ex Breui felic. recordat. Clementis VIII. Non tamen ex prædicta auocatione inferri potest ad extinctionem litis inter eundem Archiepiscopum Burgen. & Abbatem de Couaruuias.

6 Propterea vnus ex Dominis animaduertebat, quod si re vera Abbas, vt narratur obtinuit contra Archiepiscopum, multum deseruiret pro capienda resolutione, quod ad ipsum spectet ius visitandi, quia sententia pro ipso lata contra eum ad quem principaliter spectat interesse, deseruire deberet contra Rectorem & Beneficiatos Sancti Thomæ, ad quos non multum pertinet visitari, ab vno, vel ab alio, & tunc cessaret quæstio proprietatis, & Abbas sola possessione iuris visitandi iuuari posset.

R. P. D. VBALDO.

Burgi Sancti Domini Iuris patronatus. Lunæ 26. Martij 1612.

ARGVMENTVM.

Ius patronatus an, & quando transeat ad illegitimos, legitimatos ex Principis rescripto, & quando ad filios illegitimorum natos, tamen in legitimo matrimonio.

SVMMARIVM.

Filius illegitimus licet legitimatus per rescriptum Principis, non dicitur de legitimo matrimonio natus, nec de domo, & agnatione patris, nu.1.

Ius patronatus dicitur gentilitium, & in eo non veniunt illegitimi, quando fundator in fundatione expressit rationem conseruandæ agnationis, nu.2.

Filij illegitimi vbi sunt exclusi censetur etiam exclusi prodeuntes ab ipsis illegitimis, etiam quod sint nati ex legitimo matrimonio, nu.3. & 4.

Agnatio non dicitur conseruari in filijs illegitimorum, etiam quod sint nati ex legitimo matrimonio, nu.4.

DECISIO CCCXCV.

1 DVbitaui, an Galeatius Hieronymus, & litis consortes sint vocati ad Ius patronatus spectantes ad hæreditatem quondam Marchionis Christophori Pallauicini de Buxeto, & Domini negatiue responderunt, informante tantum D. Marchionẽ Alexandro prædictorum aduersario, quia ex testamento Christophori apparet fuisse substitutos proximiores masculos sæculares de legitimo matrimonio natos dun-

duntaxat de domo, & agnatione Pallauicina, vt agnatio masculina sæcularis integra cõseruetur, quę verba excludunt Adalbertum auctorem d. Galeatij, & litis consortium qui fuit illegitimus quamuis legitimatus per rescriptum Principis, *Alex. consil. 172. num. 2. lib. 7.* vbi communi testatur *Socin. sen. consil. 63. num. 18. lib. 3. Parif. cons. 12. num. 145. & 147. libr. 2. Ruin. consil. 103. num. 5. lib. 3. Dec. cons. 154. num. 7. Cephal. consil. 111. num. 6. & consil. 117. num. 21. lib. 1. Modern. de fideicomm. art. 23. num. 45.*

2 Quæ eo magis procedunt cum testator expresserit rationem conseruandæ agnationis, quo casu Ius patronatus dicitur gentilitium in quo non veniunt illegitimi, *Rocch. de Iurepatron. in verb. competens, num. 10. in fin. vers. hanc tamen conclusionem.*

3 Et licet prædicti Galeatius, Hieronymus, & alij consortes, sint nati ex legitimo matrimonio: tamen cum descendant ab Adalberto illegitimo, tanquam prodeuntes à radice infecta, non possunt ad hæreditatem Christophori admitti sicut Adalbertus non poterat ex prædictis. *Ita Alexan. consil. 174. num. 2. libr. 5.* vbi allegat textum probantem in *l. vltima C. de nat. liber. ibi*, sed interuentu sobolis naturalis nullum ius legitimum subesse potest, *Bald. in l. vltima, num. 4. vers. etsi non continetur. C. de verb. signific. Ruin. cons. 158. nu. 7. lib. 1. Tiraq. de iur. primog. quæst. 12. num. 13. & de nobilit. cap. 15. num. 24. Menoch. de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 79. num. 29. & consil. 172. num. 15. lib. 2. Illustrissimus Mant. de coniect. vltim. volunt. libr. 11. tit. 12. num. 35. circa fin. & sequent.*

4 Quibus acedit, quod ipsi tanquam descendentes ab illegitimo non videntur esse de domo, & agnatione Pallauicina, quam testator considerauit. *Bald. in l. vlt. num. 4. C. de verb. signific. Anch. cons. 389. nu. 2. Dec. cons. 85. nu. 8. vers. & idem dicit Tiraquel. d. c. 15. de nobil. num. 24.* Et ita decisum fuit.

R. P. D. PIROVANO.

Toletana, seu Nullius Iurisdictionis. Lunæ 26. Martij 1612.

ARGVMENTVM.

Episcopus habet ius visitandi in omnibus Ecclesijs existentibus intra fines suæ Diœcesis, non obstantibus quibuscunque priuilegijs.

SVMMARIVM.

Episcopus de iure communi habet fundatam intentionem in iure visitandi omnes Ecclesias, existentes intra fines suæ Diœcesis. num. 1.
Inhibitio sine cognitione causæ concedenda non est. num. 1.
Vicinior Episcopo præsumitur ille, contra quem causa committitur, nu. 2.
Episcopus habet ius visitandi in omnibus Ecclesijs existentibus intra fines suæ Diœcesis, non obstantibus quibuscunque priuilegiis, nu. 3.
Remissoria quando articuli sunt releuantes, danda est, nu. 4.

DECISIO CCCXCVI.

1 Visum est Dominis, inhibitionem esse moderandam, quia cum Illustrissimus Achiepiscopus Toletanus de iure communi habeat fundatam intentionem in iure visitandi omnes ecclesias existentes intra fines suæ Diœcesis *ex cap. conquerente de offic. ord.* donec cognoscatur an aliquæ Ecclesiæ, vel loca sint exempta, vel nullius, non est incipiendum ab inhibitione sine cognitione causæ. *c. cum personæ, de priuileg. in 6. cap. constitutus, de relig. domib. Caputaq. dec. 201. par. 2.* quod etiam fuit firmatum in Calaguritana Iurisdictionis, prima Iulij 1605. quin omnis hæsitatio fuit sublata in materia visitationis per Sacrum Concilium Tridentinum, *cap. 8. sess. 7. & cap. 8. de reformat. sess. 21.* vbi derogatur quibuscunq; exemptionib. & iudicium inhibitionibus & datur Episcopis facultas visitandi, tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, & ideo Serenissimus Princeps Philibertus, quamuis prætendat loca sui Prioratus Castellæ esse exempta, seu nullius, effugere non potest visitationem Illustrissimi Archiepiscopi Toletani, vti vicinioris, cui eadem facultas per Sacrum Concilium, *capit. 9. sess. 24. de reformat.* attributa fuit.

2 Nec dicatur vti viciniori non competere facultatem, quia pro parte Serenissimi Principis negetur qualitas vicinitatis, quæ per Illustrissimum Archiepiscopũ vti fundamentum eius intentionis, venit probanda. Quia fuit responsum, illum præsumi viciniorem, contra quem causa committitur *c. 8. de relig. domib.* maximè cum non controuertatur cum alio Episcopo, vt fuit consideratum Calaguritana Iurisdictionis, 16. Iunij 1606. coram Reuerendissimo Attrebaten. & merito ne interim Ecclesiæ subtrahantur à Superioritate ordinariorum, donec qualitas vicinitatis probetur in graue preiudicium animarum, præsertim in Ecclesijs Parochialibus.

3 Et quo ad priuilegium Clement. VII. per quod conceditur exemptio locis Religiosis, Sancti Ioannis Hierosolymitani etiam à visitatione fuit dictum cõprehensum esse sub derogatione Concilij d. sessione 7. *capit. 8. & sessione 21. capit. 8.* quæ loquitur de locis exemptis, & eadem derogatio habetur in his, quæ sunt nullius, *d. c. 9. sessione 24.* & est sermo generalis ibi quibuscumque personas quantumuis priuilegiatis, *Tiraquel. de retract. consang. §. 1. gloss. 14. num. 96. Sarn. in proœm. reg. quæstione 4. columna 5. versic.* istis tamen non obstantibus.

4 In Secunda parte dubij placuit Dominis remissoriam petitam pro parte Serenissimi Prioris esse concedendã post moderatam inhibitionem, tum quia est releuans. *Caputaq. decis. 68. par. 3. Put. decis. 334. in fin. lib. 2.* & sæpius fuit resolutum, tum etiam quia nec alia pars contradicebat.

R. P. D. PIROVANO.

Romana Vineæ de Fabris. Veneris 29. Martij 1612.

ARGVMENTVM.

In materia possessionis plura notanda ponuntur in hac decisione, quæ ex Summarijs elici possunt.

SVMMARIVM.

Possessionis immissio probatur per publicum instrumentum, numer. 1.
Possessione sua nemo priuari debet, etiam quod possessionis causa inualida detegatur, nu. 1. in fin.
Possessio quandocunque quæsita intelligitur quæsita ratione præcedentis tituli, num. 2. ad finem.
Referens non plus cogitare videtur, quam quod iure in relato continetur, num. 3.
Possessionis effectus est, ex ea colligere fructus, nu. 4.
Possessio vno, & eodem tempore apud duos esse non potest numer. 6.
Possessionis causæ, quando plures concurunt, attenditur vltima, num. 6.

DECISIO CCCXCVII.

1 Qvamuis ex publico instrumento constet, Dominum Dionysium de Leonardis, vti Fabrorum procuratorem,

ratorem, & eorundem procuratorio nomine fuisse die 21. Augusti 1591. immissum in realem, & corporalem vineæ possessionem in vim mandati de redintegrando ad eorum fauorem per Rotam relaxati, quod Fabris sufficere videbatur ad probationem primi extremi in iudicio redintagratorio. *l. prædia. ff. de acquir. poss. Menoch. de retinen. rem.* 3. *nu.* 575. *& rem.* 4. *de adipisc. q.* 105. *nu.* 914. *Rot. diuers.* 506. *nu.* 1. *&* 641. *nu.* 2. *p.* 1. & ea ratione fuerit per DD. recessum à decisis sub die 22. Iunij 1607. & 23. Iunij 1608. coram R.P.D. Marcomontio, quia in acquirenda possessione videatur attendendum factum quis scilicet vere immissus fuerit, non autem quis debuerit immitti, & prout in ipso actu adeptæ possessionis non Marifochi, aut eorum creditores, sed hæredes quondam Petri de Fabris fuerunt nominatim immissi, qui propterea non videbantur priuandi eorum possessione etiam, quod causa possessionis non vera detegeretur secundum *Bar. in l.* 3. *num.* 3. *ff. de acq. poss. cum alijs late traditis per Surd. cons.* 93. *n.* 11. *vol.* 1.

2 Tamen placuit Dominis, Fabros non esse redintegrandos ad possessionem, de qua agitur, iuxta alias resoluta sub diebus 22. Iunij 1607. & 23. Iunij 1608. recedendo à decisis, coram eodem R.P.D. Marcomontio, sub die 10. Ianuarij 1611. Nam ex serie facti colligitur, quod Petrus de Fabris emit vineam, de qua agitur ab executoribus testamentarijs Ioan. de Lusar. qui mandauit illam vendi, Petrus autem illam vedidit Antonio Marefocho, & consortibus pretio Scutorum 1677. soluendorum intra decennium, & eo nondum elapso fuit prædictis emptoribus mota lis super vinea ab hæredibus prædicti Ioannis, quam mortuo Petro eius filij, & hæredes susceperunt, & ad eum effectum constituunt procuratorem Dionysium Leonardum, qui in iudicio pro defensione litis semper comparuit, prout etiam emptores comparuerunt, & passi sententiam ab A.C. ac eiectis ipsis emptoribus de possessione vineæ in gradu appellationis instantibus dictis emptoribus, ac ipso Dionysio obtinuerunt redintegrari per sententiam Reuer. Comituli, tunc Rotæ Auditoris facta expressa mentione Dionysij, procuratoris hæredum Petri de Fabris authorum, & necessariorum defensorum Marisochi, & consortium, & cum effectu de anno 1591. mense Augusti secuta est redintegratio, ad requisitionem tamen solius Dionysij, vti procuratoris filiorum, & hæredum Petri de Fabris, non tamen declarantis, quod magis propris vice dictorum hæredum, quam defensorio nomine intraret possessionem vineæ. Vnde cum duæ causæ recuperandæ possessionis in eo actu possent considerari in procuratore agente ad redintegrationem, altera necessaria, & vtilis vigore mandati exequutiui, altera voluntaria, inualida, & inutilis respectu caducitatis à contractu emptionis, ob solutionem pretij non factam tempore conuento, & citra mandatum Rotale cum vti hæredibus simpliciter, qui non possidebant tempore spolij non esset danda redintegratio sequitur dicendum possessionem quandocumque quæsitam intelligendam esse ratione præambuli tituli defensorio nomine, pro quo Fabri fuerunt in iudicio non autem alterius causæ, cui non deseruiebant mandatum exequutiuum. *l. quædam mulier. cum glos. ff. de rei vend. l.* 1. *§.* 1. *ff. de except. rei iudic. l.* 2. *C. de acquiren. possess.* & latissime comprobant hanc conclusionem *Ossasc. decis. Pedemont.* 58. *num.* 18. *Becc. consil.* 6. *num.* 6. *& consi.* 13. *nume.* 2. *Surd. consi.* 19. *num.* 19. *lib.* 1.

3 Quæ eo maxime comprobantur, quia tam idem Dionysius procurator, quam executor in actu immissionis ad aliam causam respexisse non videntur, quam ad eam, quæ ex necessitate mandati oriebatur. Primo namque fuit facta requisitio vigore mandati relaxati, ac repetita protestatio ab eodem procuratore, quod accipiebat possessionem, in vim suprainserti mandati ad fauorem suorum principalium relaxati, mandatum autem continebat fauorem Petri de Fabris, & litis consortium, & erat restrictum ad tenorem, & formam sententiæ Reuerendissimi Comituli in qua Petrus legitur enunciatus auctor, & necessarius defensor. Verba autem executoris idem repetebant, quod iuxta dicti mandati formam continentiam, & tenorem restituebat ad realem, & corporalem vineæ possessionem hæredes dicti Petri, & sic vterq; referens non plus cogitasse videtur, quam quod vere in relato continebatur, *l. asse toto. ff. de hæred. institut. Crauet. consil.* 45. *num.* 4. *Surd. post alios cons.* 105. *num.* 30. scilicet interesse Fabri, vti necessarij defensoris, cui expediebat possessionem recuperare ad commodum emptorum, vt adimpleret legem contractus tradendi, & manutenendi rem venditam liberam, & disbrigatam, vel etiam potuerunt cogitare circa possessionem, quam sibi reseruauit venditor in instrumento, quæ compatibilis est cum possessione emptorum respectu commoditatis, & detentionis rei venditæ, vt fuit consideratum in prima decisione 27. Iunij 1607.

4 Additur, quod hoc ipsum visus est Dionysius magis expressisse, post annum apprehensionis dum intimauit creditoribus de Marifochis, quod fructus vineæ bene custodiant, & colligere suo tempore faciant, ac census annuos, quibus vinea erat grauata, solicitant fatendo creditores prædictos vineam pro eorum creditis occupatam detinere. Hec enim vltra confessionem videntur declarare possessionem, fuisse quæsitam defensorio nomine creditorum, vt illius possessio conseruetur, cuius effectus exinde erat colligere fructus, *l. Titia. ff. de solut. Alex. cons.* 25. *num.* 15. *vol.* 1. *Berous consil.* 94. *num.* 9. *volum.* 3. *Ruin. cons.* 53. *num.* 7. *vol.* 4. *& onera realia soluere. Rota decis.* 592. *lib.* 3. *par.* 3. *diuers.*

5 Nec dicatur, quod hæc confessio Dionysij debeat intelligi de possessione ad effectum colligendi fructus pro satisfactione mutui, quia causa mutui non est expressa, & in dubio magis causæ iustificatæ ex mandato Rotali referenda est confessio, quam interpretatæ ex causa mutui de qua non constat.

6 Non obstat, quod ex locatione facta Angeletto sub die 24. Decembris 1591. & possessione tradita eidem conductori die prima Ianuarij 1592. & ex ratificatione verbaliter, & solenniter facta ab Equite Fabro principali sub die 24. Ianuarij 1592. ante venditionem à creditoribus de Marifochis factam appareat de possessione reali, & effectuata ex parte hæredum Petri differenti à possessione defensorio nomine emptorum, quæ præsupponitur quæsita per dd. hæredes, & quæ possessio in probatione primi extremi sufficere videtur, quo ad redintegrationem contra Angelettum à quo Fabri fuerunt spoliati. Fuit enim responsum, & si ex prædictis videantur Fabri, ex causa propria retinuisse possessionem eo, quod prætenderent venditionem fuisse resolutam, vel non habuisse effectum, quia emptores pro parte eorum non adimpleuerint, & hæc vltima causa in concursu plurium causarum possidendi videatur præualere, *leg. si quis ante. ff. de acquir. possess. vbi hanc colligunt an. & præcipue. Alexandr. numero primo, Iason. Socin. & alij quos refert Surd. decis.* 51. *numer.* 19. tamen quia hæc secunda, quæ alio extante in possessione nulla dicitur *Mohed. decis.* 20. *de restitut. spoliat.* cum apud duos eodem tempore, & ex eadem causa possessio esse non possit *capite licet causam de probat. l.* 3. *§. ex contrario, ff. de acquirend. possess.* per eam non videtur derogatum possessioni defensorio nomine emptorum acquisitæ, ita firmauit limitando dicta conclusionem. *Alex. in l. ex pluribus, §. ex contrario, num.* 13. *versic. gloss.* 1. *ff. de acquir. possess. Menoch. cons.* 381. *num.* 34. *lib.* 4. *idem Surd. d. decis.* 51. *numer.* 19.

7 Et eadem ratione tolluntur, quæ circa collectionẽ fru-

fructuum deducta fuerunt, nempe quod Eques Marcellus Faber de mense Septembris eiusdem anni 1591. vindemiare fecerit vineam publice, & palam vinum vendiderit, pretium receperit, & alia circa vineam egerit, quę veris possessoribus duntaxat conuenire solent. Quia vltra quod videntur actus turbatiui, qui non releuant ad probandam possessionem, non potuerunt præiudicare emptoribus, qui prius possessionem occupauerant ex apprehensione Dionysij eorum defensorio nomine à quibus creditores deducunt ius suum.

8 Non obstat, quod Marisochus ante apprehensionem Dionysij diei 21. Augusti 1591. non possideret, quia obijt die 11. eiusdem mensis, & creditores non docent de eorum possessione, postquam sola cessio nõ transfert possessionem, prout nec titulus venditionis & ideo cessare videatur obiectum nemine de tempore adeptæ possessionis per Equitem Marcellum existente in possessione. Nam fuit dictum, quod nec Marisochus, nec alij egebant noua apprehensione, sed illis sufficit, quod Dionysius defensorio nomine ipsorum fuerit ad possessionem vineæ redintegratus, & restitutus, prout fuerunt, vt supra fuit dictum, & per hac rationem retorquetur fundamentum in decisione vltima pro Fabris consideratum, quod scilicet debeat attendi factum quis immissus fuerit, non autem quis immitti debuerit, quando agitur de acquirenda possessione, nam vere & Maresochus, & consortes fuerunt immissi, & redintegrati ex persona Dionysij agentis defensorio nomine ipsorum, qui in iudicio petierunt ad eam possessionem se restitui, & ita fuit resolutum.

REVERENDISS. P. DOMINO

COCCINO DECANO.

Parisien. Pecuniariæ. Veneris 30. Martij 1612.

ARGVMENTVM.

Confessio non ab obligandum, sed ad probandum facta per scripturam, partis præsentiam non requirit, & de materia.

SVMMARIVM.

Contractus, qui solo consu perfitiuntur, requirunt, aut partis præsentiam, aut saltem Nuncium, vel Epistolam numer. 1.

Scriptura priuata facta principaliter non ad obligandum, sed ad probandum contractum iam perfectum, non requirit præsentiam partis, nuncium, vel epistolam nu. 2.

Confessio emanata per verba enunciatiua de præterito dicitur facta ad probandum, & non ad obligandum. num. 3.

Consignatio schedulæ habet vim traditionis crediti. num. 3.

Verba sunt intelligenda secundum subiectam materiam, numero 4.

Confessio facta ad obligandum, vel ad liberendum requirit præsentiam partis, nu. 6.

DECISIO CCCXCVIII.

1 Bonæ memoriæ Horatius Oricellerius cessit certum ad fauorem Nicolai Nasij, qui sub die 14. Nouembris 1590. in Ciuitate Mantuæ fecit quandam scripturam, ad fauorem Pompei Bedini. Ideo dubitaui, an constaret de tali consensu dicti Pompei circa dictam scripturam, qui suffragaretur Syluiæ eius filiæ, quia cum contractus sit ex illis, qui solo consensu perficiuntur, cum sit emptio, §. 1. *instit. de oblig. ex consensu, vel cessio*, quæ cum interuenerit pretium, emptioni similis est, *l. cum is, qui. ff. de fideiuss.* requirebatur ad illius validitatem saltem nuncius, vel epistola, *vt in d. §. 1. & in l. consensu. cum gl. in verb. consentire. ff. de act. & oblig. l. inter mortis, ff. de don. caus. mort.*

2 Et Domini causa mature discussa amplexi sunt partem affirmatiuam, quia licet esset dubium, an Pompeius interuenerit dum prædicta scriptura fuit confecta per Nasium, tamen cum illa scriptura non fuerit facta principaliter ab obligandum, sed ad probandum contractum iam perfectum, nempe venditionem, aut cessionem, in quo contractu non requirebatur scriptura, vt dictum est, presentia partis, nuncius, aut scriptura non erant necessaria. *Curt. iun. cons. 168. num. 10. & 11. Ægid. decis. 690. num. 8. versic. in extraiudicialibus. vero. Rip. in leg. admonendi. numer. 154. ff. de iureiurand. vbi de communi. Latissimè Surd. consil. 60. num. 6. & 7.* & dixit Rota in causa Ragusina matrimonij 10. Nouembris 1557. coram Robusterio *sub numer. 29. & pro ista opinione videtur bonus text. in lege desiderium. Codice depositi.*

3 Quod autem ista confessio tendat ad probandum, & non ad obligandum, patet ex verbis apochæ, ibi la qual cedola del Signor Rucellai, scilicet, quæ continebat cessionem Oricellarij ad fauorem Nasij, & ogni mio credito dependente da essa tanto del capitale, quanto dell'vtile, &c. io cedo è trasporto al Sig. Pompeo Bedini, &c. al quale hò consignato, detta cedula, & inferius la qual sarà sottoscritta, scilicet schedula, de qua agitur, di mia mano à causa, & mediante la valuta, che io hò riceuuta dal detto Sig. Pompeo à mia sodisfattione, della quale mi sono contento, & egli anchora s'è contento pigliare detro credito à suo periglio, & fortuna, &c. Nam quando verba sunt enunciatiua de præterito, confessio dicitur principaliter facta ad aliquid probandum, & non ad obligandum, *Socin. sen. consil. 21. num. 11. vers. 6. prædicta. vol. 1. Curt. iun. d. cons. 168. nu. 11.* Hic autem Nasius fatetur se consignasse Pompeio schedulam bonę memorię Horatij Oricillarij, per quam consignationem dicitur facta traditio ipsius crediti. *l. 1. & ibi Bald. nu. 3. C. de donat.* Item confitetur, se recepisse pretium ad sui contentamentum, & Pompeum fuisse contentum recipere dictum creditum suo periculo, & idem fatetur ipse Nasius in epistola scripta bonæ memoriæ Horatio Oricellario eadẽ die, qua fuit conscripta apocha. Vnde ex istis omnibus simul iunctis manifestissime colligitur, quod schedula continet actum de præterito, & sic confessionem ad probandum, non ad obligandum, ideoq; adesse in hoc casu consensum sufficientẽ, vt per Curtium, Ægidium, & alios supra allegatos.

4 Neque resistunt prædictis verba illa, cedo, & transporto, &c. quæ sunt præsentis temporis, quia ista verba censentur ita expressa ad maiorem declarationem, quod probatur. Quia si schedula fuit consignata, si partes fuerunt contentæ cessione, si satisfactio fuit facta, per necesse dicendum est, quod verba concludũt circa actum iam factum, & quod verba, cedo, & transporto, &c. fuerunt apposita ad maiorem declarationem. Verba enim sunt intelligenda secundum subiectam materiam, & secundum naturam actus, seu contractus, *corn. cons. 239. nu. 5. lib. 1. & cons. 138. nu. 3. lib. 3. Bero. cons. 106. nu. 24. lib. 1.*

5 Et in omnem euentum si verba illa concluderent ad actum de præsenti, per necesse firmandum esset, quod Pompeius fuerit præsens, vel nuncius, aut interueuerit epistola, & sic vtroque casu Syluia obtineret, quia alias parte absente, & non interueniente nũcio schedula non potuisset consignari, nec potuisset satisfieri, nec alia agi, de quibus supra dictum est, quæ omnia acta fuisse confitetur Nasius.

6 Non obstat, quod in omni casu requirebatur præsentia Pompei ex doctrina *Bart. in leg. generaliter. num. 5. C. de non numer. pecun.* quia *Bartol.* tangit solum articulum, quando confessio fuit facta ad obligandum, vel

vel ad liberandum, & tunc concludit, vtroque casu requiri præsentiam partis, & propterea quidquid sit quando confessio fit ad liberandum, iste non est casus noster, in quo agitur de confessione facta ad probandum, in quo articulo communis opinio est, quod confessio facta, parte absente probat, vt per Doctores supra allegatos.

R. P. D. PIROVANO.

Romana Affictus. Veneris 30. Martij 1612.

ARGVMENTVM.

Conductor exciens de non implemento, quando possit retardare solutionem pensionum, ad quas obligatus erat Camerali obligatione.

SVMMARIVM.

Locator tradendo rem locatam conductori dicitur, quod pro parte sua contractum adimpleuit, nu. 1;
Conductor postquam à locatore conducta res sibi tradita fuit, excipiens se ea vti non posse debet exceptionem probare, numer. 2.
Obligationis Cameralis exequutio non impeditur per exceptiones non plene probatas, nu. 3.
Conductores voluisse præsumuntur omnia ea, quæ pro exequutione pacti in contractu locationis conuenti necessaria fuerunt, num. 5.
Testes super negatiua deponentes non probant, nisi illam coarctent loco, & tempore, ita quod aliter esse non possit, quin ipsi viderint. num. 6.
Probatio dicitur dubia, & requirit altiorem indaginem, quando testes actoris sunt contrarij testibus rei conuenti, numer. 7.

DECISIO CCCCXCIX.

1 Egit Dominus Franciottus Vrsinus contra Dominos Iulium Massam, Fabium Grossum ex contractu locationis, vallato pro exactione terminorum decursorum in mensibus Octobris, & Februarij præteriti, cui se opposuerunt prædicti conductores excipiendo de non implemento, cuius vigore existimarunt, nedum ipsis competere actionem ad damna, & interesse, sed posse agere ad rescissionem contractus, ita, vt contra eos deueniri non possit ad exequutionem, & relaxationem mandati exequutiui pro memoratis terminis. Proposui dubium, an pro terminis Octobris, & Februarij fuerit, & sit respectiue relaxandum mandatum. Et Domini affirmatiuè resoluerunt. Adimpleuerat enim locator ab initio pro parte sua bona conductoribus tradendo, quod est adimplementi signum, vt tradit *Felin. in cap. peruenit. el secondo. num. 5. versic. tertius casus, de iureiuran.* quo etiam fuit firmatum in causa Imolen. Bonorum. 8. Iunij 1592. coram Orano, *Natta consil. 219. numer. 5. Becc. consil. 45. num. 36.*

Contractusque habuit suam executionem per successiuam patientiam Conductoribus præstitam, vt re locata vti, & frui possent, iuxta dispositionem, lege si quis domum, vbi *Bart. in l. ex conducto, in princip. ff. locati.* Vnde si postea conductores dicant, se impeditos fuisse vel patientiam toto tempore conuento non durasse, ad eos pertinet onus probandi impedimentum, quia est fundamentum eorum exceptionis, vt distinguunt *Casch. decis. 52. numer. 9. & seqq. Illustrissimus Mantic. de contractibus lib. 5. tit. 1. num. 17.* adeo, quod statim per solam exceptionem impedimenti dari non possit de non implemento ad effectum impediendi exercitium actionis in locatore, nec ad impediendam subsistentiam contractus locationis quatenus per locatorem probatum non fuerit pro parte sua totum contractum adimpleuisse, iuxta *text. l. Iulianus, §. offerri. vbi Bart. notat. ff. de act. empt.*

3 Huiusmodi autem impedimenta visa sunt Dominis non esse concludenter probata, quæ propterea interim impedire non possunt effectum obligationis cameralis. *Dec. in cap. præterea, colum. pen. de offic. deleg. Felin. in rubr. de except. colum. 1. & in cap. ex parte il secondo, de offic. deleg. Galles. de oblig. Cam. part. 1. quæst. 3. numer. 4.*

4 Nam deducuntur ex eo, quod locator intra fines bonorum locatorum fabricauerit domum ad vsum molendini, ac eleuauerit Paratam de lapidibus, & cæmento constructam longitudinis cannorum 80. & & altitudinis canne vnius, cuius contrauentionis occasione duo inferuntur, primo quod solitus aquarum decursus per caicum nuncupatum della Parata fuit impeditus, & exinde sequutæ sunt fundationes vehementes, ex quibus fuerunt conductores impediti, vti re locata facto, & opere ipsiusmet locatoris. Secundo, quia ex diuersione aquarum, & constructione domus ad vsum molendini alias inutilis, & nunc macinantis, alia duo molendina locata eisdem conductoribus decreuerunt in affictu, rubra 41. in quolibet anno.

5 Quo ad primum impedimentum respectu facti nō est controuersia, quia lex plancta, & designatione nouitates colliguntur, & testes dati in Summarijs conductorum bene probant, sed effectus inundationis controuertitur, quippe ex antiquo argin terraneo, in cuius locum hodie murus fuit subrogatus, siue additus, solitæ essent tempore pluuiarum causari inundationes, non tamen maiores Moderni temporis, vel si maiores, tanquam consequutiuæ ex actu licito, & in contractu locationis pactitato pro conducendis aquis vsum irrigationis pratorum, non videntur sufficientes rescissione contractus, cum conductores voluisse præsumantur ea omnia, quæ pro exequutione pacti fuerunt necessaria. *leg. ad rem mobilem, ff. de procur. leg. illud. ff. de acquiren. hæred. l. 2. §. inspectio. ff. quemadmodum testament. aper. Euerar. in sua Canturia l. in loco à concessione consequentis per tot. Surd. loquens de contractu. decis. 69. nu. 5.*

6 Non obstant testes dati in Summario conductorum, sub n. 4. qui deponunt, nunquam vidisse inundationes ante constructionem Paratæ, quia non coarctant negatiuam loco, & tempore, quod aliter esse non possit, quin ipsi viderint, & consequenter non reddunt probationem concludentem remouendo actum à sensu. *Paris. cons. 19. nu. 23. volum. 3. Ruin cons. 145. num. 2. volum. 5.* quia quod ipsi non viderunt alij potuerunt videre, prout viderunt testes dati in Summario locatoris, sub nu. 3. dum deponunt de iterata inundatione in eisdem locis, ante constructionem Paratæ. Quinimmo sextus testis in Summario conductorum non excludit, quin etiam ante superuenerint inundationes.

7 Nec testes in Summario eorumdem conductorum numero concludunt impossibilitatem, deriuationis aquarum, ex opere constructo pro irrigatione terrarum nūcupatarum le facetelle, quamuis commodius asserant per aliam viam aquam posse irrigationi deseruire. Testes autem locatoris in Summario, numero secundo, asseueranter deponunt, Paratam fuisse constructam pro commodo irrigationis pratorum; atque ita, vel probatio conductorum non est concludens, vel saltem obscuratur ex depositione testium locatoris per quam factum redditur dubium, & quæstio efficitur altioris indaginis *Contard. de moment. limit. 7. nom. 25. Surd. consil. 99. numero decimo, libro primo*, nec apta est impedire effectum obligationis cameralis, vt supra fuit dictum. Quo vero ad secundum principale impedimentum circa decrescentiam redi-

redituum duorum molendinorum aduerterunt Domini non esse iustificatum,nec probatum, quod ante contractionem Paratæ molendina prædicta tanti locarentur.

REVERENDISSIMO P. D.

DAMASCENO.

Romana Vineæ. Ven. 30. Martij 1612.

ARGVMENTVM.

Contractus quando ex quibus præsumatur potius emphyteuticus, quàm censuarius, ad effectum incurrende caducitatis,& de probatione Dominij nonnulla notanda,de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Donatarius agens rei vendicatione tenetur probare Dominium donantis, quando agit contra tertium, secus si agat contra illum,qui donatarium recognouit in Dominium, & concurrant adminicula. num.1.

Dominium in antiquissimis probatur leuioribus probationibus, & adminiculis, num. 2.

Solutio Canonis facta proprietario continua arguit dominium illius, cui fit solutio. numer. 3. & num. 6. vbi de materia.

Donans præsumitur dominus rei donatæ, quando erat persona insignis nobilitatis, & præsertim si donauit loco pio, numer.4.

Dominium præsumitur illius,qui longo tempore se fecit dominum alicuius rei,nomine alio existente, qui asserat se eiusdem rei Dominum,nu.5.

Dominium censetur probatum,etiam non probato titulo authoris,quando concurit recognitio in Dominium illius,qui se dominium prætendit. nu.6.

Dominium an probetur ex sola recognitione in dominium ad effectum deuolutionis,nu.7.

Solutio annuæ præstationis numquid præsumatur facta ex causa census,vel ex causa emphyteusis,nu.7.

Contractus ex quibus præsumatur censuarius, vel emphyteuticus,num.8. & nu.9.

Laudemium non soluitur de alienatione rei censualis, numero 8.

Error non præsumitur in solutionibus, in quibus homines solent esse cauti. nu.8. in fin.

Emphyteuticus contractus requirit scripturam, numero 10. Ibi etiam quando præsumatur scripturam interuenisse, ibidem.

Caducitas rei emphyteuticæ incurritur pro non solutionem Canonis infra biennium. nu.11.

DECISIO CCCC.

1 FVit resolutum,sententiam latam ad fauorem Monialium super deuolutione Vineæ,de qua agitur esse confirmandam. Et quod primo loco opponebatur, non constare,quod quondam Margarita Columna,quæ donauit istam Vineam Monialibus, esset illius Domina, non visum fuit obstare,quia licet regula sit, quod Donatarius agens rei vendicatione prout agunt Moniales tenentur probare dominium donantis, vt per *Ruin. cons.13. num.6. & sequent. libr.4. Roland.consil.46. nu.6. libr. 3.* Hoc tamen est intelligendum, si agat contra tertium, secus si agat contra illum, qui ipsum Donatarium recognouit in Dominum, & concurrant adminicula. *Bartol.in leg. ad probationem. C.locat. Socin. cons.187. num. 2. lib. 2. Dec. consil. 146. num.14. Crauett. cons.434.num.4.* Rota in causa Ciuitatis Castelli bonorum 8. Nouembris 1589. & 12. Februarij 1590. coram bonæ memor. Cardinale Pamphilio, & in Ariminen. Bonorum 4. Februarij 1610. coram R.P.D. Marcomontio.

2 Maximè in materia antiquissima, & supra 200. annos,quo casu in probatione dominij sufficiunt leuiores probationes, & adminicula. *Bald. in leg. indicia. nu. 5. C.de rei vendic. Dec. cons. 42. num. 3. Natt. consil. 283. num.8. Afflict. decis. 23. num.5. Cassad. decis. 2. num. 2. & 3. de probat.*

3 Adminicula autem sunt continuata solutio. *Bald. cons.24. num.1. lib.4. Salicet. in l.cum de in rem verso.num. 12.ff. de vsur. Felin.in c.cum Bertoldus. nu. 28. de sent. & re iudic.Crauet.d.cons.434. nu.5.*

4 Qualitas personæ valde insignis nobilitatis quam non est verisimile donasse,quod suum non erat,vt latè in puncto prosequitur. *Crot. consil. 332. num. 10. & seq. vol. 3.* maxime ad vsum pium. Fuisset enim nimis stulta pietas facere eleemosynam de alieno,vt in simili fuit coram me ponderatum in causa Sabinen. Dotis,23. Iunij 1606.

5 Et denique, quia ab illo tempore citra non est repertus alius, qui asserat se huius Vineæ dominium. *Bart. in leg. cum res, numer.12. vers. qualiter, autem. ff. de probat.* Etenim non solent homines tanto tempore habere res suas pro derelicto, *ad not.in l. cum de indebito, ff.de probat.*

6 Accedat, quod & sine titulo authoris probaretur dominium Monialium in hoc casu ex recognitionib. factis,cum assertione,quod Vinea sit sub proprietate Monialium,vt per *Crauett. cons.20. num.11. Rimin. cons. 14. num.9. versic. non obstat quarto,libr.4. Boer. decis. 211. in fin. Ripa leg. si rem aliquam. numer. 3.ff. de acquirend. possess.*

7 Et quæ alias dicuntur, quod ex sola recognitione non probatur dominium ad effectum deuolutionis. *Bald. in l. ad probationem. num.1.C.loc.* cum concordant. supra allegatis, non procedunt concurrentibus adminiculis ex supra allegatis, vel quando in recognitione non fit mentio de dominio etenim potest esse, quod solutio fiat ex causa census, in dubio enim præsumitur contractus censualis non emhyteuticus, vt in causa Ostumen. locationis 14. Aprilis 1606. coram R. P. D. Marcomontio cum alijs per Illustriss. *Mantic. de tacit. & ambig. libr.27. titul.3.nu. 11. & 17.* quo casu dominium non est apud illum,cui soluitur,sed apud soluentem, & consequēter non subiacere,caducitati ad fauorem recogniti. *Dec. cons. 138, num.5. Illustriss. Mantic. de tacit. & ambig. lib. 22. tit. 3. num.10. Capic. decis.103.num. 7. & fuit coram me dictum in causa Romana Domus, in Burgo, 5. Iulij 1604.*

8 Nec desunt alia probantia contractum non fuisse censualem, nempe requisitio consensus Monialium quia non requirebatur,si res erat censualis. *Dec. cons. 164. num. 2. Illustriss. Mantic. dict. libr.22. titul.3.num.16.* Item solutio Laudemiorum, quando vinea alienabatur,quæ solutio pariter non erat necessaria si res alienanda erat tantum censualis. *Rota diuers. in manuscript. decis. 165. Illustriss. Mantic. dicto lib.22. titul.3. numer.15.* & fuisset mera iactatio contra præsumptionem lege cum de indebito. ff. de probat. nec præsumitur per errorem facta,quia error non præsumitur maxime in solutionibus,in quo genere homines solent esse cauti vt habetur in *d.l. cum de indebito, vers. quas enim solut. Alex.cons.83.libr.1.*

9 Atque hinc cessat aliud obiectum, quod non probetur bona fuisse data in emphyteusim,& posset esse quod fuerint data ad censum, quo casu per non solutionem, minime esset locus caducitati per doctrinas supra allegatas,quia vt mox dictum est,cessat difficultas ex expressione facta in recognitionibus quod vinea esset sub proprietate Monialium, & alijs de quibus supra.

10 Non obstat, quod non reperiantur instrumenta primarum inuestiturarum, & scriptura sit de substantia

tia huiusmodi contractus, *gloss. in leg. 1. Cod. de iur emphyt. Alexand. consil. 80. num. 3. lib. 7.* Quia stantibus recognitionibus cum assertione dominij factis, de quibus supra, istæ scripturæ probant interuenisse scripturam inuestiturarum, tanquam suum necessarium antecedens. Etenim quando consequens probatur per vnam scripturam, videtur probari per eandem antecedens, *l. quicunque C. de apochis priuat. lib. 10. Crauet. de antiq. temp. par. 3. nu. 40.* & fuit in specie dictum in Romana domus 21. Aprilis 1599. coram Illustriss. D. Card. Lancellotto.

11 Quod per non solutionem Canonis infra bienniũ incurratur caducitas in contractu emphyteutico, sunt *text. in c. potuit, de locat. cap. hos ius §. qui rem. 10. q. 2. Auth. qui rem. C. de sacrosan. eccles. §. si vero quis auth. de alien. & emphyt.*

12 Quæ dicebantur pro parte Dominorum de Cuppis, caducitatem fuisse remissam per perceptionem Canonum factam per Moniales post sententiam, fuerunt remissa ad aliam inspectionem. Et ita decisum.

R. P. D. PIROVANO.

Carthaginen. Fructuum. Lunæ 2. Aprilis 1612.

ARGVMENTVM.

Absenti clerico à seruitio Ecclesiæ non debentur fructus, & distributiones, nisi abfuerit iusta causa, & licentia Episcopi, vel nisi Capitulum fuerit in culpa, & dederit causam non residentię, & quando Capitulum dicatur esse in hac culpa.

SVMMARIVM.

Clerico non residenti nec fructus, nec distributiones Beneficij debentur num. 1.

Vbi quod isto casu fructus, & distributiones acquiruntur Capitulo per ius accrescendi, vel non decrescendi.

Absenti clerico, & non residenti in Ecclesia, vt fructus debeantur, debet adesse iusta causa, vna cum licentia Episcopi. num. 2.

Absenti clerico, & non residenti in Ecclesia debentur fructus & non acquiruntur Capitulo, quando Capitulum est in culpa, & præstitit impedimentum, & causam non residentiæ. num. 3.

Vbi etiam quando Capitulum dicatur esse vel non esse in hac culpa. & nu. 4. & seqq. Vbi de eadem materia.

Possidere insolidum eundem titulum naturaliter duo non possunt. num. 4.

Fructus sine residentia Canonico non debentur. numer. 4. in fine.

Lite pendente in Rota super possessione, & proprietate beneficij nihil innouandum est, nu. 6.

DECISIO CCCCI.

1 Domini dixerunt sententiam Rotalem esse confirmandam, fuit enim firmatum in hac eadem causa. 1. Iunij præteriti, coram Illustrissimo Cardinali Lancellotto, tunc Rotæ Auditore D. Caxam, nunquam resedisse cui propterea, nec fructus, nec distributiones tam vigore statuti Ecclesiæ Carthaginen. quam attenta iuris dispositione debebantur, *cap. 1. de cler. non resid. in 6. Abb. in c. conquerente. nu. 8. eodem tit. Oldr. consil. 118. nu. 1. cum alijs alleg.* in prædicta decisione, & eo casu Capitulo acquiri fructus per ius accrescendi, vel non decrescendi secundum *glos. in Clem. 2. in verb. pars dimidia de ætate, & qualitate, & in Clem. 2. verb. suspensus. de vit. & honest. cler.*

2 Maxime, quia de causa sufficienti non residentiæ per Caxam non docebatur, neque de licentia Episcopi, quæ simul concurrere debebat, capite relatum, vbi glosa in verbo prælatorum, & ibi *Abb. num. 4. de cleric. non resid.* & tenuit Rota in Lecien. Fructuum 21. Aprilis 1603. coram bon. mem. Cardinale Pamphilio. Et in Placentine Salarij, 7. Maij 1606. coram Reuerendissimo D. Pegna Decano.

3 Sed hæc non controuertebantur, difficultas tamen super eo versabatur, quod Capitulum esset in culpa, & præstiterit impedimentum, quare Caxa non resederit, & id circo teneatur ad restitutionem fructuum iuxta *dec. Put. 383. lib. 1. Mohed. dec. 6. de præb.* quod fuit etiam firmatum in vna Salamantina Censurarum. 1. Iulij 1594. coram Corduba. Sed Capitulum, neque in culpa, neque impedimentum præstitisse probatur quia etsi Caxa die 19. Septembris 1595. doceat de possessione sua Capitulariter capta etiam in Choro per in stallatione in loco, in quo canonicus sedere consueuerat, & illi non esset deneganda suæ possessionis continuatio, tamen succedente controuersia cum Domino Valdiuiego, qui pariter, tanquam prouisus, & possessor prætendebat eiusdem possessionis continuationem si capitulum recusauit declarare super quæstione circa manutentionem negligendo in hac parte suam iurisdictionem, non ideo aliqua culpa ei imputari potest, sed magis prouide se gessisse dicendum erit, supersedendo, donec veritas declarata fuisset, quis eorum habendus, esset pro possessore.

4 Interim autem non sequuta declaratione non tenebatur eos admittere ad residentiam, neque ad fructuum participationem, quia duo in solidum respectu eiusdem tituli non poterant habere eandem naturalem possessionem, nec eodem modo sedere in loco canonicali, *cap. licet causam, de probation. leg. 3. §. ex contrario. ff. de acquirend. poss. Menoch. de recuper. rem. 15. num. 389.* nec admittere eos fuisset bonum consilium propter timorem scandali, & rixæ, vt considerat *Bar. in leg. si duo. num. 4. ff. vti possidet.* Alteri autem eorum hoc indulgere non etiam poterat capitulum, cui non licebat pendente lite aliquid innouare, & cum ex decisionibus in hac causa factis colligatur, quando probabile fuerit dubium capituli si non deliberauit, quis eorum habendus esset pro possessore, & exinde lis inter Valdiuiegum, & caxam contestata fuerit super titulo, & possessione canonicatus vtrumque scilicet; & dubitatio, & litis pendentia potuit deseruire capittulo pro iusta causa denegandi caxæ continuationem residentiæ, sine qua fructus canonico non debentur *d. c. 1. de cler. non resid. in 6. Cassad. eodem tit. decis. 1. numer. 1. & conferunt tradita per Feder. de Sen. consil. 232. vers. in contrarium videtur.*

5 Non obstat, quod caxa propter conditionem Valdiuiegi, & propter litem postea motam non debebat à capitulo impediri, quo minus dicta lite pendente suam possessionem continuaret, toto titulo lite pendente. Fuit enim responsum, quod nedum pendebat lis super titulo, sed etiam super possessorio retinendę meri to capitulum interim nec potuit, nec debuit magis vni, quam alteri admittere continuationem possessionis.

6 Non obstat, quod Capitulum manifestissime impedimenta præstiterit caxæ, nec suam residentiam faceret, dum de mense Octobris anni 1598. caxa comparuit in capitulo, & petijt admitti ad residentiam, & sibi responderi de fructibus, & distributionibus, & capitulum denegauit residentiam, asserendo eum non habere titulum, neque possessionem, quinimmo positus in choro ad effectum continuandi suam possessionem fuit per vim eiectus, & in carcerem detrusus. Quia non ea ratione capitulum reiecit petitionem caxæ, quia titulum nec possessionem haberet, sed quia lis vertebatur in Rota, tam super possessione quam super proprietate qua pendente nihil poterat capitulum innouare, fauendo magis vni, quam alteri, &

ri, & eodem modo licuit Caxam de facto venientem ante declarationem articuli possessorij de facto expellere, etiam implorato iudicis auxilio. *Mandel. cons. 440. nu. 15. Menoch. de recup. rem. 1. nu. 122.*

7 Ad impedimentum, & culpam Capituli ex eo deductum, quod admiserit Decanum ad votandum, fuit sufficienter responsum in decisione Illustrissimi Cardinalis Lancellotti, vltra quod ex prosequutione causæ, quam sit materia turbida facile colligitur, ex qua propterea elici non potest, cum à principio fuerit in mente Capituli fraudare Caxam suis fructibus, & distributionibus, & ita fuit resolutum.

REVERENDISS. P. D. COCCINO DECANO.

Illerden. Visitationis. Veneris 6. Aprilis 1612.

ARGVMENTVM.

Capitulum de administratis per se de bonis Ecclesiæ tenetur reddere rationem suæ administrationis Episcopo.

SVMMARIVM.

Capitulum de administratis per se de bonis Ecclesiæ, tenetur reddere rationem suæ administrationis Episcopo. numer. 1.

Gesta per ministros alicuius censentur gesta ab eo, qui Ministros deputauit, nu. 2. & 3.

DECISIO CCCCII.

1 Placuit Dominis decisio in hac causa facta sub die 14. Nouembris præteriti, in qua fuit resolutum quod Capitulum tenetur reddere rationem Reuerendissimo D. Episcopo de administratis per ipsum, iuxta dispositionem Concil. Trident. sess. 22. capite 9. de reformat. Non enim versamur in limitatione dicti Concilij in §. quod ex consuetudine, ex deductis in dicta decisione.

2 Quibus non resistunt Constitutiones annorum 1425. & 1429. Quia vltra responsiones datas, dicebatur, quod illæ non præcipiunt deputari officiales, & Auditores computorum, sed præsupposita consuetudine eligendi per Capitulum Officiales, & Auditores prædictos, determinant scilicet prior Constitutio tempora vacationis, & prouisionis officiorum in die Vigiliæ Natiuitatis Domini cuiuslibet anni, & tempora reddendi rationem administrationis per dictos Officiales, & receptionis, siue auditionis per dictos Auditoris, ibi designata, posterior vero statuit tempora relationum per eosdem Auditores in Capitulo faciendarum, & sic cessat fundamentum Capituli, quod dictæ Constitutiones tribuant Capitulo facultatem administrandi ab Episcopo concessam, cum præsupponant totam facultatem concedi à Capitulo, & ideo gesta per eorum deputatos perinde haberi debent, ac si fuisset gesta ab ipso Capitulo. *l. item eorum. §. si decuriones, ff. quod cuiusque vniuersitatis nomine leg. 2. ff. de fideiuss. tut. leg. vnum ex familia §. 1. ff. de leg. 2.*

3 Et non intrat distinctio inter eum, qui deputat sub administratorem particulari nomine, & inter eum, qui deputat ratione officij, & Magistratus, de quo in *l. 1. & tot. tit. ff. de Magistrat. conueniend.* Quia est verum, quod Magistratus si non fuit culpa, non tenetur de administratis per tutorem deputatum ab eo, sed nos summus in primo casu, scilicet in capitulo, quod tanquam Administrator membrorum ecclesiæ ex consuetudine deputat proprio, & particulari nomine capituli, Officiales, & Auditores. Quod vt dictum est probatur, nedum ex ipsis statutis, sed ex contractibus, ex obseruantia, & confessionibus ipsius capituli, & ex alijs, vt in prima decisione dicitur.

R. P. D. PIROVANO.

Perusina releuationis indemnitatis. Lunæ 6. Maij 1612.

ARGVMENTVM.

Obligationes sunt stricti iuris, nec etiam ex maioritate rationis extenduntur non ad expressa, & quid de obligatione relatiua ad aliud instrumentum, pluraque de interpratione, & restrictione verborum generalium.

SVMMARIVM.

Obligationes sunt stricti iuris, & extendendæ non sunt, numer. 1.

Casus omissus in obligatione non censetur in ea contineri, etiam quod in eo sit maior ratio, quam in expresso, numero 1. in fine.

Obligatio relatiua ad aliquod instrumentum obligat ad omnia quæ continentur in instrumento relato. num. 2. Declara, vt num. 3. & 4.

Verba quantumuis generalia restringuntur ad rationem, & causam, propter quam fuerunt prolata, & intelligenda sunt secundum ea, quæ præcedunt. num. 3.

Prooemium denotat causam finalem, nu. 3.

Generalitas verborum restringitur ad præcedentem causam expressam, num. 4.

Dispositionis vna pars aliam declarat. nu. 4. in fine.

Generalia verba restringendæ sunt secundum intentionem proferentis, nu. 5.

Decretum iudicis sine cognitione causæ non valet. nu. 6.

Testis deponens de facto proprio patiens exceptiones non probat. nu. 8.

DECISIO CCCCIII.

1 Placuerunt Dominis fundamenta decisionis, in hac causa facta coram bon. mem. iusto, & ideo censuerunt sententiam esse confirmandam.

Intentio namque Bernardinæ satis clara, & aperta colligebatur ex instrumento promissæ indemnitatis, dum præmissa narratiua, quod Vincentius eiusdem Bernardinæ nomine dixerat, se habere, & tenere in depositum quædam iocalia, sibi tradita, & consignata, per Ioannem Baptistam Boncarubium, quæ vere nec ad manus Vincentij, nec ipsius vmquam peruenerunt, sed omnia simulate peracta fuerunt. Idcirco obligatur conseruare indemnem Dominum Vincentium ex causa dicti depositi, & cum nullum verbum fuerit additum de releuatione pro alijs iocalibus, quæ à D. Grifono Ballemo de Perusia peruenerant ad manus eiusdem Bernardinæ, visum est extensionem non esse admittendam, cum agatur de materia obligatoria fi extraneus. *ff. de condit. cau. dat. leg. si cum dotem. in prin. ff. sol. matrim.* nec aliud esse inquirendum præter id, quod in instrumento est scriptum, dicebat *Bal. in l. fin. in princ. per illum text. C. de fals. caus. adiect. legato,* etiamsi diuinare non possimus, quare casus omissus fuerit, licet sit maior ratio in casu omisse, quam expresso. *Ceph. consil. 626. num. 11.* cum alijs adductis per *Surd. decis. 202. nu. 9. & se qq.*

2 Non obstat, quod Bernardina nedum se obligauerit ad reuelationem pro iocalibus, quæ Vincentius confessus fuerat simulate in depositum, vt in ore, sed adidit, & ex causa contentorum in instrumento manu Ascanij, in quo vere Vincentius pro Bernardina se obli-

se obligauerat, etiam ad restitutionem iocalium, quæ peruenerant à Griffono, quod sufficere videbatur propter virtutem referentis *l. asse toto. ff. de hæred. instit. Bar. in l. 1. ff. de recept. arbit. Osasc. dec. Pedem. 178. n. 5. cum aliis alleg. per Surd. dec. 291. num.* 10. Fuerunt enim datæ plures responsiones, &

3 Primo, quod verba quantumuis generalia debent restringi ad rationem, & causam propter quam fuerunt prolata, & intelligenda sunt secundum ea, quæ præcedunt *l. non est nouum. ff. de leg. l. hæres meus. §. 1. ff. de leg. 1. Crauet. cons. 236. nu. 6. Menoch. cons. 496. nu. 54. vol. 5. Surd. cons. 431. n. 12. lib. 3.* Supra autem non legitur alia causa quam iocalium qua Vincentius simulate confessus fuerat habere in depositum. Ergo ad illud genus promissio trahenda non est, maximè quia pro causa finali deseruiebat tanquam posita in procemio instrumenti *l. 1. in princip. ff. ad Macedon. leg. vlt. vbi Bart. ff. de hæred. institut. Becc. cons. 20. num. 11.* quæ exinde censetur eo modo repetita in stipulatione *l. item quia. §. final. & ibi gl. & Bar. ff. de pact. Crauet. cons. 192. num. 21.* Fuit dictum in Romana affictus Sermonetæ coram me, 10. Iunij 1611.

4 Secundo, quod ex contextu totius instrumenti releuationis apparet, qui sensus fuerit illorum verborum, & ex causa contentorum in instrumento Ser Ascanij. Nam post expressionem causæ releuationis paulo infra dicitur, & quia Præfata omnia in dicto instrumento descripta, & in eo contenta, & in alia parte, & quia prædicta omnia in dicto instrumento contenta fecerit Vincentius &c. quia sicuti ex natura dictionis repetitiuæ causæ præcedentis in ea parte restringunt generalitate ad causam expressam. *Alexand. cons. 140. nu. 4. lib. 6. Surd. post alios cons. 163. nu. 14. & 317. nu. 40.* ita in alia parte instrumenti absque dictione relatiua eundem sensum retinere debent, ex regula quod vna pars dispositionis alteram declaret. *l. qui filiabus. ff. de legat. 1. Menoch. cons. 1. nu. 186. cons. 106. nu. 346. cons. 204. nu. 43.*

5 Tertio, immediate post verba generalia Bernardina declarando intentionem suam, dixit, se prædicta fecisse, & vigore obligationis in dicto tempore factæ, & animo conseruando Vincentium sine damno tam à dicto Ioanne Baptista, & suis heredibus, quam ab alia quauis persona contra quam ius haberet. Ius autem pro proprijs non autem pro Griffoni gemmis habebat, ergo ad intentionem Bernardinç, & ratione certe causę, verba generalia sunt restringenda. *Dec. & Ias. in l. si idem. cum eodem §. vltimo. ff. de iurisdict. omnium iud. Natt. cons. 46. n. 12. Surd. cons. 431. post alios. n. 13. lib. 3.*

6 Quarto & vltimo, obligatio pro gemmis Griffoni tanquam incognita iudicis interponentis decretum pro Bernardina cui non fuit prelectus tenor instrumenti relati, non etiam poterat cadere sub generalitate verborum propter omissionem cognitionis causæ, quam tamen tenetur iudex adhibere ad validitatem decreti. *Rolan. cons. 33. nu. 11. lib. 1. Paris. cons. 85. nu. 28. lib. 3. cum aliis cumulatis pro Simone. de decret. libr. 1. tit. de offic. iud. in interpos. decret. nu. 31.*

7 Non obstat, quod secundum prędictam interpretationem promissio Bernardinæ esset inutilis Vincentio. Quia fuit dictum satis operari, dum Bernardina ex confessione simulatę obligationis Vincentij reassumit onus in se, in casum molestiarum, quę possent inferri per Ioannem Baptistam pro dictis iocalibus.

8 Demum non obstat depositio testis asserentis gemmas Griffoni peruenisse ad manus Bernardinç. Quia quidquid sit, ad probationem veritatis, vt ex ea possit conueniri alia actione, non tamen deseruit ad mutandam voluntatem eiusdem, vt possit contra eam agi vigore obligationis instrumentalis, quę se non extendit, ad gemmas Griffoni, vltra quod est vnicus, & patitur exceptiones, cui propterea fides etiam de facto proprio deponenti non est adhibenda, secundum opinionem, quam seruat Rota. Achil. dec. 3. de testibus. Et ita fuit resolutum.

R. P. D. PIROVANO.

Bononien. Vsusfructus. Lunæ 9. Aprilis 1612.

ARGVMENTVM.

Ex Summarijs sume Argumentum.

SVMMARIVM.

Bona emphyteutica ex pacto, & prouidentia non dicuntur hæreditaria. nu. 1.

Res iudicata pro veritate habetur. nu. 1.

Bona in dubio præsumuntur potius allodialia, & libera, quam feudalia, & seruituti obnoxia. nu. 1.

Instrumenta, quæ non sunt de actis attendenda non sunt. nu. secundo.

Identitas prædij non censetur probata, nisi fuerit probata identitas duorum confinium. n. 2.

DECISIO CCCCIV.

1 Resoluto dubio vsumfructum non deberi Dominæ Catherinæ in bonis fideicommisso subiectis nec in bonis emphyteuticis ex pacto, & prouidentia antecessorum Ioannis testatoris subordinate proposui, an constet aliqua ex bonis contentis in sententia lata per bonæ memor. Iustum, esse emphyteutica, acquisita à maioribus Ioannis Annij ex pacto, & prouidentia, & Domini negatiue resoluerunt. Sententia enim adiudicat Dominæ Catherinæ bona hæreditaria Ioannis, & ea nominatim, & in indiuiduo specificat, sed bona emphyteutica ex pacto, & prouidentia non sunt hæreditaria. *Clar. in §. feudum. q. 7.* ergo virtute prædictæ sententiæ, quæ per transitum in iudicatum pro veritate habetur *l. res iudicata. ff. de reg. iur. Surd. cons. 106. nu. 13. vol. 1.* remanet fundata intentio D. Catherinæ, quæ magis etiam alia iuris præsumptione iuuatur, dum bona alio non apparente semper præsumuntur potius allodialia, & libera, quam feudalia, & seruituti obnoxia. *l. fin. ff. de seruit. Bald. in cap. 1. §. si de feudo fue. controu. inter dominum, & agnat. Dec. cons. 413. nu. 7. Paris. cons. 16. nu. 17. lib. 4.*

2 Non obstat, quod in dicta sententia enuncientur prædia omnia, & possessiones locatæ Ioanni Mariæ de Scappis, & Constantio ab Auro, sub die 25. Augusti 1587. in dicto autem instrumento locationis videantur comprehensa eadem bona, quæ data fuerunt in Summario Domini Aurelij, numero quinto, tanquam emphyteusi ex pacto, & prouidentia subiecta. Nam fuit responsum, de instrumentis, quæ dantur in Summario Domini Aurelij sub numer. quinto, nullam esse habendam rationem, quia non sunt de actis. *Castr. in l. ait prætor. §. si iudex. vers. & pro hoc, de re iud.* quod etiã fuit dictum in causa Romana testamenti 17. Iunij, coram R. P. D. Sacrato, quæ si adhuc producta essent, non propterea satisfecisse videretur ex eo solo, quod in nomine conueniant, nisi saltem duobus confinibus eorum identitas esset probata secundum *Bart. in l. demonstratio falsa. q. 7. nu. 14. ff. de condit. & demonst.* & vlterius etiam ostensum esset francationes eorumdem bonorum, quæ dantur pro D. Catherina non obstante, & cæter.

REVERENDISS. P. D. COCCINO.

DECANO.

Theatina Iurisdictionis. Veneris 4. Maij 1612.

AR-

ARGVMENTVM.

Quomodo probetur ecclesiam esse sitam in territorio potius vnius diœcesis, quàm alterius, quando, & quan tum probent verba enuncictiua.

SVMMARIVM.

Abbatia sita intra fines alicuius diœcesis, dicitur sita intra limites eiusdem diœcesis. nu. 1.
Assertioni Papæ de facto proprio, vel de facto secum gesto plenè credendum. nu. 1.
Enunciatiuæ emanatæ a personis suspectis, & ad suggestionem partis nihil probant. Declara, vt nu. 2.
Duximus verbum prolatum a Papa significat, quod Papa ad hibuerit cognitionem in eo, quod asserit. nu. 2.
Enunciatiuæ etiam emanatæ ad suggestionem partis probant iunctis adminiculis. nu. 3.
Enunciatiuæ emanatæ a personis informatis, quando plures sunt plenè probant. nu. 4.
Enunciatiuæ non probant, quando principaliter quæritur super enunciato. Declara, vt nu. 5.
Enunciatiuæ probant in antiquis, quia habent vim famæ, & fama probat in antiquis. nu. 5.
Limites probantur leuioribus probationibus, iudicijs, & coniecturis. nu. 8.

DECISIO CCCCV.

1 DVbitaui, an Abbatia S. Ioannis in Venere sit sita intra limites Diœces. Theatinæ circumscripto pro nunc effectu, & Domini affirmatiue responderũt. Quia inter alia ad hoc probandum afferentur tres assertiones Summorum Pontificum, Nicolai II. anno 1509. Alexandri III. de anno 1173. & Innocentij III. de anno 1208. dum recipiunt sub sua, & B. Petri protectione hunc Episcopatum Theatinum, subiungendo Nicolaus, & alij Pontifices: Hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis, &c. & verba sequentia sunt ista: A Staphylo intra montes, & ipso Monte de Vrsa, & quomodo pergit in Coza, & ponit terminum in aqua: subtus tertiam vsque ad aquam Sorculam, & quomodo pergit vsque in Montem de Tepe, & vadit per Crinis Montem, & quomodo pergit vsque ad Montem Clani, & quomodo pergit ipso fluuio de Trinio vsque in Litora Maris, & iuxta Mare vsque in Piscariam, & redit in priorem finem, qui est ipso Staphylo. Cum igitur Abbatia Sancti Ioan. in Venere sit intra dictos fines, vt patet ex vtraque mappa data, & ex Mappis impressis, sequitur quod etiam sit sita intra limites Diœcesis Theatinæ, *iuxta cons. Decij 146. nu. 15. vers. vlt. non obstat. Paris. cons. 22. nu. 13. lib. 1. Aym. cons. 54. n. 9. vers. facit etiam*, qui expressè dicunt, locum esse illius Diœcesis, à qua circundatur. Statur enim assertioni Papæ de facto proprio, vel secum gesto. *Clem. vnic. & ibi Imol. nu. 9. de probat. Bart. in l. ambitiosa num. 28. ff. de decre. ab ord. facien. Socin. Sen. cons. 87. nu. 19. lib. 3. Crescen. dec. 2. num. 2. de renunc. Caputaq. decis. 286. par. 2. Mohedan. dec. 4. nu. 4. de restit. spoliat.*

2 Neque est verum, quod istæ non sint assertiones Pontificum, sed enunciatiuæ, quæ emanarunt ad suggestionem Episcoporum, & ideo non probant, quia à personis suspectis. *Aretin. in cap. cum causam. il 3. num. 21. vers. sed tamen aduerte. de probat.* Nam & si verum est, quod ad suggestionem partis recipiant sub sua, & B. Petri protectione Episcopatum Theatinum, cum suis pertinentijs, tamen omisso quia dum Pontifices specificant bona per illa verba: scilicet, &c. & per illa hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis, &c. vt dicuntur quodammodo non ad supplicationem partis, sed assertiue, vel dispositiue dicere, quæ sint ista bona maxime ponderando verbum, Duximus, quod ex sui natura videtur importare, quod Papa adhibuerit cognitionem circa loca, & fines Diœcesis, vt in puncto fuit per Dominos resolutum in causa Spoletana Bonorũ 13. Iunij 1608. coram R. P. D. meo Martcomontio, & prius in eadem 6. Martij 1592. coram R. P. D. meo Decano. Et quamuis simpliciter loquendo deducta patiantur maximam difficultatem, per ea, quæ notat *Innocent. in cap. dudum. num. 3. in fine. de priuileg. & in cap. inter dilectos. nu. 6. circa finem. de iudicijs.* iure attamen in hoc casu videbatur cessare omnis difficultas cum enunciatiuæ emanauerint Motu proprio, vt constat ex alijs, *cap. si Papa. de priuileg. in 6.* quem text. ita ex communi sententia Doctorum declarant *Curt. sen. in cons. 20. num. 12. Romanus cons. 180. num. 3. vers. secundo quia.*

3 Sed quatenus prædictæ essent enunciatiuæ Episcoporum, in deducto enim motiuo Domini non faciebant vim, adhuc nihilominus probarent. Quia habet omnia alia requisita, de quibus per *Aret. in d. cap. cum causam. loco allegato.* Suspicio autem, quod emanauerint à Episcopis, tollitur, cum adsint nedum adminila, quæ sufficiunt, sed aliæ liquidissimæ probationes. *Achil. decis. 1. de confess. & 7. in fin. de Iure patron. Put. dec. 149. lib. 3. Eugen. cons. 44. nu. 65.* & fuit resolutum coram me in causa Feltren. præbendæ. 6. Iunij 1605. concurrit enim actus, in quo fuit facta enunciatio, quod considerarunt Domini in causa Pientina Iuris patronatus coram me. Concurrit qualitas personarũ, nempe Episcoporum, in qua in fortioribus terminis maximum facit fundamentum *Crot. in cons. 332. n. 10. & seqq. vol. 3.* quod Rota sequuta fuit in causa Conchen. limitum. coram R. P. D. meo Sacrato, & concurrunt etiam alia infra dicenda.

4 Secundo hoc etiam probatur ex alijs compluribus enunciatiuis diuersorum Summorum Pontificum, videlicet, Benedicti, Bonifacij, Eugenij IV. Nicolai V. Sixti IV. & Iulij II. & aliorum Principum, & ex alijs pluribus emanatis ab ipsis Abbatibus, in quibus enunciatur Abbatia S. Ioan. in Venere in Diœcesi Theatina, quæ multum faciunt, cum emanauerint à personis informatis. *Ruin. cons. 141. nu. 10. lib. 5. Ceph. cons. 192. num. 38.* & dictæ enunciatiuæ habent omnia requisita, de quibus per Aretinum loco citato. Concurrit quoq; priuilegium Innocentij III. concessum Abbati, & Monachis S. Ioan. in Venere, in quo loca huius Abbatiæ collocantur in Comitatu Theatino.

5 Neque obstat, quod enunciatiuæ non probant quãdo principaliter quæritur super ipso enunciato. *Put. dec. 381. num. 3. lib. 3. lib. 1. Alex. cons. 136. num. 11. libro 1. Dec. cons. 348. in fine.* Quia fuit responsum, quod conclusio est vera, sed non applicatur. Procedit enim quando duo, vel plures contraxerunt, & aliquid incidenter, & propter aliud enunciarunt, tunc si quæratur de validitate, vel inualiditate contractus, enunciatiuæ emissæ propter aliud, & incidenter, non probant ita dum principaliter quæritur super ipso enunciato, ita loquuntur Doctores præcitati, & declarat *Butrius in cap. illud. nu. 3. vers. nota 4. de præsumpt. & optime Aym. in cons. 29. n. 3.* quod manifestissimè ostenditur. Nam ex eo enunciatiuæ probant in antiquis, quia habent vim famæ, quæ in antiquis probat, vt per *Aret. in d. cap. cum causam. Ias. in l. cum aliquis. nu. 7. C. de iur. de liber. Alex. cons. 75. nu. 3. lib. 4. Cassad. dec. 3. num. 3. de procur. Put. dec. 209. lib. 2.*

6 Tertio fundatur intentio Reuerendiss. Archiepiscopi Theatini, quia hodie a parte Montis habet Diœcesim, prout describitur in dictis priuilegijs Nicolai, Alexandri, & Innocentij, & à parte Maris habet alia loca. Et in dismembratione facta de oppido Lancianen. per Leonem X. & erectione in Cathedralem, & postmodum in Metropolim per pium Quartum, & pariter in dismembratione Oppidi Ortonæ Maris per Pium Quintum, & in erectione in Cathedralem, quæ sunt

sunt à parte Maris, vocantur illa loca Diœcesis Theatinę;& propterea,cum non appareat Abbatiam Sancti Io. in Venere fuisse assignatam dictis Ecclesijs erectis, imò ex testibus appareat de contrario,sequitur quod remaneat intra limites Diœcesis Theatinæ.

7 Quarto coadiuuatur prædicta intentio Reuerendiss. D. Archiepiscopi,quia in libris Cameræ, & sacri Collegij annotatur Abbatia Sancti Ioannis in Venere intrà Monasteria existētia intra limites Diœcesis Theatinæ,qui libri cum sint antiqui , satis probant. *Ioan. Andr. in cap. cum causam. nu.* 10. *Butrius n.* 10. *Abb. ante num.* 1. *de probat.* Quod fundamentum hodie est attendendum,cum agatur ad probandum,An hoc Monasterium sit intra fines circumscripto effectu , non autem an sit exemptum,vel nullius.

8 Et prædicta licèt contineant liquidissimas probationes, tamen eo magis visa fuerunt Dominis procedere, quia cum agatur de probandis limitibus , sufficiunt leuiores probationes , indicia , & coniecturæ. *capitul. cum causam. il 3. vbi Felin. num.* 14. *de probat. & ibidem Dec. nu.* 3. *& conf.* 42. *nu.* 10. *Guid. Pap. dec.* 193. & fuit in proprijs terminis resolutum,coram bo. me. Iusto, in causa Fanen. Iurisdictionis 18. Maij 1609. & alias sæpius.

9 Non obstant alia , quæ late fuerunt adducta , quia tendunt ad probandam exemptionem Abbatis , vel quod sit nullius,de quibus suo loco videbitur. Nam cum Dionysius Papa diuiserit Territoria Ecclesiarum. *cap.* 1. 13. *quæstio.* 1. *cap. pastoraliss,de his quæ fiunt a Prælat. Ioan. And. Abb. & alij in rubr. de Paroch. Bertrand. conf.* 350. *volum.* 2. *part.* 1. necesse est, quod Abbatia sit intra limites Diœcesis Theatinæ , & propterea circumscripto effectu satis fuit hodie firmare , quod d. Abbatia S. Io. in Venere sit intra limites prędictos Diœcesis Theatinæ, &c.

R. P. D. VBALDO.

Hispalen. Legitimitatis. Veneris 11. *Maij* 1612.

ARGVMENTVM.

Gratia dispensationis super matrimonio , matrimonio secuto quando iustificata dicatur , quomodove probetur matrimonium ad effectum, vt filij inde nati legitimi dicantur.

SVMMARIVM.

Literæ dispensationis in forma gratiosa suum non sortiuntur effectum , nisi prius a loci ordinarijs tanquam a delegatis Apostolicis summariè,& extraiudicialiter cognoscatur an Preces subreptionis,vel obreptionis vitio subieceant.

Solennitas actus, qui spectat ad officium exercentis actum in extraiudicialibus,semper præsumitur. nu. 1. *in fine.*

Disputatio super mrtrimonio contrahendo,matrimonio secuto præsumitur iustificata,tanquam necessarium antecedens num. 2.

Matrimonium quod fuerit legitimè contractum præsumitur ex cursu triginta annorum. nu. 3.

Matrimonium an , & quando præsumatur legitimum per cohabitationem decennalem. nu. 4.

Filiatio , & legitimitas probatur per tractatum parentum. num. 5.

Testes etiam nulliter examinati faciunt præsumptionem , & adminiculum. nu. 6.

Matrimonium, quando principaliter de illius fœdere agitur, sed ad effectum legitimitatis , probatur leuioribus probationibus. nu. 8.

Obseruantia non suffragatur , nisi concurrat scientia , & patientia eius,de cuius præiudicio agitur. Declara, vt num. septimo.

DECISIO CCCCVI.

1 CVm præsupposito , quod testes pro D. Anna inducti essent nulliter examinati quodque ijs ipsa non vteretur,nisi pro adminiculo,Dubitaui,an literæ dispensationis fel. recor. Gregorij XIII. de anno 1573. obtentæ essent,vel præsumerentur iustificatę. Et Rota,vtraque parte informante,respondit, eas præsumi iustificatas. Fundamentum præcipuum fuit,quia *Sacrum Concilium Trident. disponit sess.* 22. *cap.* 5. *de reform.* vt literæ dispensationis in forma gratiosa,quales istæ sunt,de quibus agitur,suum non sortiantur effectum nisi prius à loci ordinarijs tanquam à Delegatis Apostolicis summarie,& extraiudicialiter cognoscatur,an preces subreptionis,vel obreptionis vitio subiaceant quod ipsum declarauit Sacra Congreg. Illustriss. DD. Cardinalium Coc. Interpretum sub die 14. Ianuarij 1588. videlicet dispensationes gratiosas debere præsentari Ordinarijs,vt ab eis de obreptione, & subreptione cognoscatur. Quare cum post prædictas literas in vim earum fuerit à Parocho contractum Matrimonium in facie Ecclesiæ inter parentes D. Annæ præsumendum est,literas fuisse ordinario exhibitas, ipsumque pro earum iustificatione,voluisse se saltem extraiudicialiter informare, quod vitio subreptionis, vel obreptionis non laborarent,cum in extraiudicialibus semper præsumatur solennitas actus,qui spectat ad officium exercentis actum *Innocen. in cap. innotuit sub num.* 4. *ad med. vers. de solennitatibus autem de eo qui furt. ord. suscep. Ioan. And. in cap. sicut,nu.* 11. *de re iudic. Io. Bapt. Ferret. conf.* 362. *n.* 5. *lib.* 2.

2 Quod eo magis videtur hic dicendum , Cum dispensatio fuerit concessa , quo ad matrimonium de nouo contrahendum cum clausula seruata forma Cōcil. Trident. Vnde cum dispensatio fuerit effectum sortita præsumitùr præcessisse iustificationem , tanquam necessarium antecedens. *Rimin. Iun. conf.* 562. *n.* 20. *lib.* 5. cum alijs alleg. Et in fortioribus terminis , quod ex matrimonio contracto literæ dispensationis in quibus erat clausula,si ita est, quæ in istis, de quib. agitur,non legitur, præsumantur iustificatę , fuit dictum in causa Mediolanen. matrim. 17. Iunij, 1602. coram Illustr. Mellino.

3 Accedit præter effectuationem literarum , obseruantia per annos 30.& vltra,quo temporis spacio partim dicti Coniuges in matrimonio , vt supra contracto permanserunt , partim eorum liberi tanquam ex dicto matrimonio nati pro legitimis habiti , & reputati sunt,ex qua obseruantia, cum lapsu tanti temporis oritur vehemens presumptio,quod matrimonium fuerit contractum cum omnib. requisitis , & sic cum exhibitione literarum coram Ordinario,& earum iustificatione, iuxta ea, quę scribit *Dec. conf.* 409. *num.* 9. *Felinus in capitulo illud. nu.* 6. *de præsumpt. Cephal. conf.* 47. *n.* 13. *lib.* 1. Et fuit resolutum in causa Lucana Decanatus 21. Martij Anno millesimo quingentesimo septuagesimo octauo. coram fel. recordat. Clemente Octauo , tunc Rotę Auditore. Quam decisionem canonizauit Rota in pluribus alijs causis cumulatis per Informantes , & signanter in dicta Mediolanen. coram Illustrissimo Mellino,& in causa Papien. pensionis 11. Decembris 1606. coram Reuerendissimo Attrebaten. vbi alię decisiones allegantur , & in terminis iustificationis narratorum in causa Bononien. pēsionis 17. Maij 1593. coram Illustrissim. Mellino. Quinimo cum ex dicti temporis cursu soleat pręsumi titulus,& auctoritas Sedis Apostolicę qualis de iure requiritur, multo magis debet præsumi iustificatio tituli,vt arguit Rota in dicta Lucana Decanatus, relata inter Impress. dec. quingentesima trigesima quarta, n. 2. par. 1. diuers. & dictę Papien. pensionis coram Reuerend. Attrebaten.

4 Non

4 Non obstat, quod matrimonium non durauerit, nisi per quinquennium propter mortem Annæ Emanuelis, & tamen videatur requiri cohabitatio, saltem decennalis in statu coniugoli, *iuxta not. in d. capitulo illud, vbi Abb. num. 7. de præsumpt. cum alleg.* Quia fuit responsum tempus decennij esse necessarium ad præsumendum matrimonium legitimum, quando de eo aliter non constat, sed in hoc casu agitur de obseruantia ad effectum præsumendi iustificationem dispensationis, quo casu non videtur requiri præcisè tempus decem annorum in figura matrimonij, cum etiam post matrimonium duret effectus legitimitatis filiorum, vt fuit dictum in causa Valentina illegitimitatis. 16. Martij huius anni coram R. P. D. meo Pamphilio in qua etiam habetur, quod tempus ante mortem Coniugum coniungitur cum tempore successorum, quod etiam fuit antea dictum in eadem causa 12. Decembris 1609. coram R. P. D. meo Caualerio.

5 Concurrit etiam hoc casu tractatus patris, & matris, quorum vterque prædictam Annam testamento hæredem instituit, vti filiam legitimam, & naturalem ex dicto matrimonio susceptam, quod facit magnam præsumptionem pro legitimitate dictæ Annæ §. *ad hoc autem, & ibi Bart. num. 2. Authent. vt lic. mat. & au.* iuncta præsertim effectuatione testamenti cum Domina Anna successerit in bonis paternis, & maternis, & in Maioricatu materno sine controuersia, vt etiam fuit consideratum in dicta Valentina illegitimitatis, coram D. Caualerio.

6 Concurrunt etiam Testes bene deponentes de omnibus narratis in dispositione, & de communi reputatione, quod Dom. Anna fuerit habita per spacium temporis supradictum pro legitima, & naturali, qui licèt supponantur sine veri præiudicio nulliter examinati, tamen negari non potest, quin faciant præsumptionem & adminiculum *Bart. in l. admonendi. sub num. 41. ff. de iureiuran. Alex. cons. 147. sub nu. 2. lib. 6. Aym. cons. 198. num. 11. Dec. in cap. 2. nu. 31. in fin. & seq. de Test. Caputaq. dec. 206. num. 6. par. 2.* Et fuit sæpe decisum.

7 Non obstat, quod dicitur obseruantiam non suffragari, nisi concurrat scientia, & patientia eius, de cuius præiudicio agitur. Quia vltra, quod ex lapsu tanti temporis præsumitur, *Rota dec. 28. num. 6. par. 1. diuers.* Dicebatur parentes aduersarij de quorum præiudicio agebatur propter successionem fuisse præsentes, & compatres in celebratione dicti matrimonij inter parentes D. Annæ, quo casu videntur illud approbasse *cap. fin. qui matr. accus. poss. Rimin. Iun. d. cons. 562. nu. 34.* Nec præsumendum est, eos, vel loci ordinarium fuisse permissuros, vt Genitores dictæ Annæ tamdiu permanerent in matrimonio contracto, cum scirent coniunctionem sanguinis inter ipsos, nisi etiam habuissent notitiam præcedentis dispensationis, prout consideratur in dicta Valentina coram Reuer. P. D. meo Pamphilio.

8 Ex quibus, & alijs cumulatis per Informantes pro D. Anna Domini concluserunt literas prædictas Gregorij XIII. præsumi iustificatas, cum præsertim pro iustificatione præsumatur. *Achil. dec. 12. nu. 3. de probat.* Et hic agatur non principaliter de fædere matrimonij probando, sed ad effectum legitimitatis sobolis, quo casu sufficiunt leuiores probationes. *Paris. cons. 57. nu. 41. lib. 4. Ferret. cons. 49. nu. 1. Gemin. consil. 27. nu. 7. in fin.* Quod consilium pluries Rota canonizauit, vt in Parmen. Status 20. Martij 1556. coram Antonio Augustino, & in eadem 6. Martij 1592. coram bon. mem. Card. Seraphino, in Vratislauien. Matrimonij 27. Nouembris 1609. coram R. P. D. meo Caualerio, & in dicta Valentina, coram R. P. Dom. meo Pamphilio, & alias sæpe.

9 Quę dicebantur de prole suscepta ante dispensationem, & quod non probaretur, copulam intercessisse maritali affectu, vltraque non concludenter probari videbantur ex fide Baptismi, quę data fuit, visa sunt Dominis extra pręsens dubium, in quo stricte agitur de iustificatione dispensationis, ceterum an dicta dispensatio sit in radice matrimonij, nec ne, erit particulariter agendum, & ita decisum.

R. P. D. VBALDO.

Burgen. Abbatiæ de Salas. Lunæ 14. Maij 1612.

ARGVMENTVM.

Beneficia Protonotariorum, etiam non participantium sunt reseruata Papę, & quomodo probetur, quem esse Protonotarium.

SVMMARIVM.

Beneficia Protonotariorum, etiam non participantium sunt reseruata Papæ. nu. 1.

Ragistrum supplicationum Sacri Palatij plene probat quem esse Protonotarium. nu. 2. & 3. Declara, vt nu. 5.

Transumptum ex Registro supplicationum an, & quando probet. num. 3.

Fama publica probat quem esse Protonotarium. nu. 4.

Gratia afferens alicui honorem præsumitur ab eo ratificata, & acceptata. nu. 6.

Gratia præsumitur expedita ad instantiam illius, qui in expeditione illius impensam fecit, etiam vnius Ducati. num. sexto.

DECISIO CCCCVII.

1 Dominus Christophorus de Villanoua, Sanctissimi Domini Nostri Papæ intimus cubicularius, prouisus fuit de Abbatia de Salas, vna ex dignitatibus in Ecclesia Metropolitana Burgen. vacante per obitum quondam Andreę de Pesquera, & prouisio fuit tamquam de beneficio reseruato, quia dicebatur Andream fuisse Protonotarium Apostolicum, licet ex aduerso D. Gabriel Manrique fuisset de eodem prouisus ab Ordinario. Introducta causa in Rota dubitaui, An sufficienter probetur dicta reseruatio ex cepite Protonotariatus Andreę, & Domini responderunt affirmatiue pro Domino Christophoro, & in primis quod beneficia Protonotariorum etiam non participantium sint reseruata, dubitari non potest per Extrauag. ad regimen. de preben. renouatam per regulam primam Cancellarię, & sępe fuit tentum in Rota *Put. dec. 313. num. 1. lib. 1. & dec. 81. in fin. lib. 3. Caput. dec. 404. par. 2. & 27. part. 3.* vbi quod omnes sunt familiares Papę, & fuit resolutum in causa Placentina scholastrię 9. & 13. Aprilis 1584. coram Robusterio in Astoricen. delos Pegos. 19. Decembris 1589. coram Reuerendissimo Perusino, in Beneuentana beneficiorum 15. Decembris 1597. coram bonę mem. Cardinali Seraphino, & in Carthaginen. beneficij 26. Februarij 1603. coram Illustr. D. Card. Lancellotto.

2 Quod autem Andreas de Pesquera fuerit Protonotarius Apostolicus satis videbatur probari ex sumpto supplicationis signatę extracto ex registro supplicationum, quod idem facit. *Put. dec. 231. lib. 3. Perc gr. dec. 201. lib. 2. Mandos. super reg. de non iudic. q. 6. n. 2. q. 10. circa fin.* vbi dicit, ita fuisse decisum, in causa Compostellana Parochialis de anno 1548. coram Romano, & fuit etiam resolutum in causa Aquilana Canonicatus 15. Maij 1587. coram Robusterio.

3 Nec videbantur obstare *dec. 10. de fide instrum. & 28. de probat. in antiqu. Aegid. dec. 252. cum similibus,* in quibus dicitur sumptum ex registro supplicationum nō probare, quia vt dicit *Peregr. d. dec. 201.* illę non sunt in vsu, & notat additio ad dictam *dec. 28. de probat. & in*

in terminis Cresc. dec. 2. de fide instrum. vel vt dicit Put. dicta dec. 231. lib. 3. procedunt quando ageretur ad canonizationem gratiæ Andreæ, vt infra etiam dicetur. Immo dictæ decis. Peregr. procedunt in fortioribus terminis, videlicet, in sumpto ex registro supplicationum Legati de latere, quando est bene tentum, & custoditum, quod multo magis debet habere locum in sumptis extractis ex registris Apostolicis quæ optime custodiuntur, vt est notum.

4 Accedunt adminicula testium bene deponentium de publica voce & famã, quod Andreas esset Protonotarius, & quod vti talis vtebatur pileo, in insignibus, & sigillis suis, quæ valde faciunt ad probandam illam qualitatem. *Bart. in tract. de insign. & arm. in princ. l. 1. ff. de off. proconf. & leg.*

5 Non obstat, *reg. de non iudic. iuxta for. supplic.* Quia hoc casu Protonotariatus allegatur non ad canonizandam gratiam Andreæ, in quibus terminis procedit regula, sed ad probandam reseruationem Abbatiæ ex d. capite, quo casu sola supplicatio sufficit. *Cassad. dec. 8. nu. 13. & seq. de rest. spol. Mohed. dec. 2. de priuil. Put. dec. 347. lib. 1. Sarnen. super d. reg. q. 7. num. 6.* vbi aliæ decisiones allegantur. *Caput. dec. 235. & 301. par. 3. Gabr. cons. 190. nu. 13. lib. 1.*

6 Non obstat, quod non videatur constare de consensu, & acceptatione Andreæ, quia fuit responsum, vel quod ad effectum reseruationis non requiritur acceptatio. *Put. dec. 339. nu. 4. lib. 2. Chissanen. dec. 109.* incipit fuit producta, *Verall. dec. 330. libi 1. in manuscript.* & fuit resolutum in causa *Senen. Canonicatus q. 373. lib. 3. par. 3. diuers. & dec.* 1033. *eadem par.* 3. & in dicta Carthaginen. beneficij coram Illustriss. Lancellotto, vel quod cum Andreas esset præsens in Curia, & ista gratia afferret sibi honorem, præsumitur ab eo impetrata, & ratificata. *Put. dec. 28. incipit, coram eodem Marsicano lib. 1. Guidobon. dec. 84. Sarnen. super reg. de impetr. benefic. viuent. q. 5.* præterquam quod dicebatur posse præsumi acceptationem propte. impensam, quæ fit, in expeditione. *Rota dicta dec.* 1033. *par.* 3. quæ à principali facta præsumitur. *Caputaquen. dec. 267. n. 4. par.* 3. & etiam vnius ducati considerabilis reputatur in priuato, vt in terminis, *Puteus dicta dec. 339. lib. 2.* & in casu nostro videbatur etiam constare de vsu gratie, ex appositione pilei in armis, & signis, de qua deponunt testes, vt supra dictum est. Et ita fuit decisum D. Villanoua informante.

R. P. D. VBALDO.

Mantuana Bonorum. Lunæ 14. Maij 1612.

ARGVMENTVM.

Nullitas defectu citationis quando sit sanabilis arbitrio Rotę. Et hinc plura notanda, de quib. in Summario.

SVMMARIVM.

Nullitas defectu citationis est sanabilis, quando non est totalis arbitrio Rotæ. nu. 1.

Citatio nulliter exequuta conualidatur, quando citatus de ea habens notitiam misit procuratores ad respondendum. numer. primo.

Sententia sine citatione nulla est. nu. 1.

Contumacia citati accusari debet in illa die, & hora, in qua cadebat citatio. nu. 2.

Contumax non dicitur vbi non adest contemptus Iudicis. nu. 3. in fine.

Accusata contumacia in illa die, pro qua cadebat citatio, potest iudex per aliquot dies ferre sententiam sine alia citatione. Declara, vt nu. 2.

Liquidatio non est necessaria vbi res corporeis oculis, & non iudicio intellectus subijcitur. Declara, vt nu. 3.

Bona præsumuntur allodialia, & libera. nu. 4.

Emphyteotica bona non præsumuntur omnia ea, quæ continentur intra fines bonorum in emphyteusim concessorum. num. 4.

Spolium licèt prætendatur ex nullitate exequutionis, impeditur tamen restitutio ob non ius eam petentis, quando per sententias præcedentes constaret de bono iure rei conuenti. Declara, vt nu. 5.

Exceptio dominij etiam in continenti probata non admittitur aduersus agentem spolio. nu. 5. Vbi ampliatur etiam, quod talis exceptio esset notoria.

Actore non probante reus absoluendus est. nu. 6.

Sententia incerta non prodest. nu. 6. in fine.

Emphyteusis deuoluta possessio ciuilis, quæ erat penes Dominum directum est consolidata cum naturali. Declara, vt n. 7. vbi etiam an Dominus directus propria auctoritate, & absque vitio spolij possit apprehendere possessionem deuolutæ emphyteusis.

Attentata non possunt reuocari post lapsum tempus 20. annorum. Declara, vt nu. 8.

DECISIO CCCCIX.

1 Placuit Dominis decisio in hac causa facta 16. Decembris preteriti, in qua fuit resolutum, non esse locum arbitrio, ad effectum sanandi nullitatem ex defectu citationis, & liquidationis, & cumulandi petitorium cum possessorio ex rationibus tunc copiose deductis. Quibus non obstare dixerunt. Primo, quod defectus citationis sit sanabilis, quando non est totalis vt videtur non esse in hoc casu, in quo dicuntur emanasse plures citationes pro relaxatione mandati executiui de quo agitur, & sic videtur intrare arbitrium pro sanatione, iuxta not. *Sarnen. in compend. vtriusque Signat. num. 68.* Quia fuit responsum, Sarnen. alios allegatos loqui, quando pro die, qua fuit lata sententia, emanauit citatio, sed fuit minus legitime executa, & constat de ea partem habuisse notitiam, vt quia misit procuratorem ad causam, vel alio modo de notitia citati *constat. Clem. causam. ad finem. de ele. Rom. cons. 410.* & hoc casu dicunt defectum citationis esse sanabilẽ, quia citatio non defuit in totum, sed in casu isto citatio pro die 28. Iulij, quo fuit lata sententia, nulla penitus interuenit, & sic totalis fuit defectus citationis pro illa die, quantumuis mille interuenissent citationes pro alijs diebus, & consequenter sententia remanet sine citatione, & sic nulla, *Marant. de ord. ind. p. 6. in verbo citatio. nu. 68. Felin. cap. consuluit. nu. 3. de offic. deleg.* & alij allegati in decisione in hac causa facta 17. Iunij 1611. in princ. & insanabilis, vt per Sarnen. loco citato, etiam per clausulam arbitrio Rote, vt in Zamoren. Pecuniarie, coram R. P. D. meo Caualerio, & in Romana nullitatis subhastationis, coram Reuerendissimo Domino meo Bononien. allegatis in dicta decisione huius causę 16. Decembris præteriti.

2 Nec visa est applicari doctrina eorum, qui tradunt quod accusata contumacia in illa die, pro qua cadebat citatio, potuit Iudex per aliquot dies ferre sentẽtiam sine alia citatione. *Doct. in d. cap. consuluit. vbi Fel. sub nu. 4. vers. & nota. de offic. delegat. Bald. in l. 1. n. 14. C. quomod. & quando iud. Dec. cons. 18. nu. 12. lib. 1.* tum quia in hoc casu non fuit accusata contumacia in illa die, & hora, in qua cadebat citatio contra *pract. Bar. in l. arbiter Kalendis. ff. de arbitr. & in l. consentaneum. n. 18. C. quomod. & quando iud. Iason. in l. properandum. §. 1. n. 7. C. de iud.* Sed in ea die, & hora qua iudex protulit sententiam, vt ex actis constat, & Summario concordato alias dato. nu. 7. tum quia predicti Doct. loquũtur, quando citatus est contumax, quia non comparuit, neque die quo cadebat citatie, neq; sequentibus, vt per Dec. loco citato vers. & cum non comparuerit. Vnde si iudex expectauit per aliquod spacium, dicitur eo fuisse benignior, cum potuisset in termino citationis

nis sententiam ferre, *Bald. in l. 1. nu. 14. C. quomodo & quando iud. Felin. in d. cap. consuluit, sub nu. 4. & ibidem Dec. n. 18. in fin.* Sed in hoc casu procurator D. Æmyliæ citatus statim comparuit, etiam non expectato termino, vt ex actis constat, vnde nullo modo videtur posse dici contumax, cum hic non adsit contemptus Iudicis, *cap. 2. vbi gl. in vers. contumaciter de dol. & contum. l. contumacia. in princip. & §. 1. vbi etiam gl. ff. de re iud. Aegid. dec. 679. de hæret.*

3 Secundo principaliter non videbatur obstare, quod executor nihil aliud fecisset, quam confrontare terras contentas in inuestituris pro masculis tantum, cum terris contentis in inuestituris pro hæredibus vtriusque sexus, & hoc viso extraiudicialiter, & absque alia extrinseca probatione immiserit D. Carolum in possessionem illarum, non autem istarum, & vbi res subijcitur oculis corporeis, & non iudicio intellectus, non sit necessaria alia liquidatio, *Gallesf. de oblig. Camer. tit. de liquidat. sub n. 13. vers. descendo*, & firmauit Rota in Barchinonen. confinium. 18. Aprilis 1611. coram R.P.D. meo Sacrato. Quia fuit responsum, quod allegata procedunt, quando nulla per Iudicem exequentem profertur sententia liquidatoria, quæ dicto casu non est necessaria, sed præuia extraiudiciali informatione procedit ad executionem, sed in casu nostro executor pronunciauit super quibus bonis esset danda immissio, & sic voluit ipse liquidare per suum decretum, in quo grauauit patrem, & propterea dabatur sibi appellatio, & consequenter executio inde secuta nulla fuit, & attentata, vt in Asculana bonorum 13. Maij 1596. coram bo. me. Orano, & ex alijs allegatis in d. decisione in hac causa facta 17. Iunij anni preterit.

4 Accedit, quod executor concessit tenutam terrarũ quæ ex collatione regionum, quantitatum, qualitatũ & confinium, diuersæ demonstrantur à prædijs comprehensis in inuestituris pro hæredibus vtriusq; sexus, vt in eius sententia legitur, quasi omnes illæ aliæ terræ essent concessæ pro masculis tantum, qua in re errare potuit executor, tum quia confines, & aliæ demonstrationes facile mutari potuerunt, tum quia illa bona quamuis contenta intra fine descriptos poterat esse allodialia, & libera, vt de iure præsumitur. *Surd. post alios cons. 311. nu. 6. & 7. vbi respondet contrarijs. lib. 3.* Sicut dicitur non omne id, quod continetur intra fines bonorum in emphyteusim concessorum præsumi emphyteuticum, vt fuit dictum in causa Asten. feudi, 27. Aprilis 1584. coram Bubalo, in Romana Castri Orciani 1. Aprilis 1591. coram Orano in Ciuitatis Castelli bonorum. 4. Iulij 1590. coram bonæ memor. Card. Pamphilio, in Mediolanen. bonorum 25. Februarij 1611. coram me.

5 Tertio opponebatur, quod constaret de bono iure Domini Caroli per sententias præcedentes, quo casu licet prætendatur spolium ex nullitate exequutionis tamen restitutio impeditur ob non ius eam petentis *Pontan. de spol. lib. 2. nu. 184. Caput. dec. 175. par. 3.* Sed ad hoc omisso, quod aduersus spoliatum non admittitur exceptio dominij, etiam si in continenti probaretur, *Dec. cons. 57. nu. 6. vbi de communi, & cons. 84. colum. 2. vers. secus est &c. Aym. cons. 322. colum. 1. Gabr. de restit. spol. concl. 1. nu. 45. & post infinitos Doct. allegatos. Surd. cons. 189. num. 23. & seqq. lib. 2. & quantumuis talis exceptio esset notoria. Menoch. in 1. respons. causæ Fitarien. post tract. recuper. poss. nu. 84. & seqq.* fuit responsum istud non ius petentis debere esse indubitatum, vel per confessionem partis, vel per rem iudicatam, *Gabr. vbi sup. nu. 117.*

6 Et licèt prætendatur pro parte D. Caroli adesse sententias canonizatorias deuolutionis ad eius fauorem, tamen ista canonizatio est restricta ad terras, quę non essent concessæ pro hæredibus vtriusque sexus. Quæ autem sint istæ terræ, sententiæ non declarant. Et quo D. Æmylia fuit grauata, licèt esset rea, & in possessione bonorum, onere iustificandi, quænam essent terræ subinfeudatæ pro vtroq; sexu, cum tamen hoc sit commodum possessoris, vt actore non probante reus sit absoluendus. *l. qui accusare. vbi Doct. C. de eden.* & in similibus terminis tradit *Soc. iun cons. 67. nu. 18. lib. 1.* & ita viget semper idem motiuum non factæ liquidationis per Iudicem competentem, & grauaminis ab executore illati in exequendo sententia non facta legitima liquidatione. *Bald. consil. 165. lib. 4. Ruin. cons. 22. nu. 9. lib. 1. Soc. iun. d. cons. 67. nu. 16. & seqq. lib. 1. & post alios. Surd. cons. 186. nu. 23. & seqq. lib. 2.* & ideo prædictæ sententiæ tanquam incertæ non prosunt D. Carolo, idem *Surd. cons. 168. sub num. 29. lib. 2.* vltra quod dicebatur in actis non adesse, nisi vnicam inuestituram, de modica petia terræ pro masculis tãtum, & tamen executio facta, & tenuta fuit capta in maxima terrarum quantitate.

7 Quarto non obstat, quod post deuolutionem, præsertim Canonizatam, possessio ciuilis, quæ erat penes Dominum directum fuerit consolidata cum naturali. *Berous cons. 45. nu. 22. vers. 2. naturalis lib. 3.* & potuerit Dominus propria auctoritate apprehendere possessionem, absque vitio spolij, immo quod detur Domino manutentio contra hæredes *Vasalli. Berous vbi supra. num. 13. & 20.* & multo magis id facere potuerit auctoritate Iudicis. *Aym. cons. 302. sub n. 6. cum alijs allegatis.* Quia respondebatur hæc omnia procedere stante deuolutione, & canonizatione clara, quo ex prædictis negatur, præsertim cum verba vltimæ sententiæ sint negatiue concepta contra Dominum Carolum, non esse confirmandam tenutam concessã Domino Carolo, quo ad terras, de quibus in inuestituris pro hæredibus vtriusque sexus, & omni casu quantumuis potuisset Dominus Carolus accipere possessionem propria authoritate debuisset præcedere legitima liquidatio cum citatione partis, *Bart. in l. creditores, nu. 14. C. de pign. Aret. cons. 32. n. 1. Gozadin. cons. 95. nu. 3.* & dixit Rota in causa Cesenaten. spolij 22. Iunij 1590. coram Illustrissimo Mantica, & in causa Bononien. de Canalibus 11. Ianuarij 1602. coram bonæ mem. Cardinale Pamphilio.

8 Non obstat taciturnitas Do. Æmyliæ per tempus 30. annorum à die factæ executionis ad tempus motę litis, quod videtur sufficiens ad reuocationem attẽtatorum, *vt in dec. Peregr. 93. lib. 1. & dec. 552. nu. 1. p. 1. diuers.* tum quia hic agitur non de solis attentatis, vt ibi, sed de spolio attentato, cui non prescribitur, nisi spacio triginta annorum, vt in Mediolanen. Canonis redintegran. coram bon. mem. Cardinale Seraphino. Tum quia debet subduci tempus, quo Do. Æmylia fuit in pupillari etate, vt hic per Informantes pro ea, qui bene etiam videbantur respondere ad alia leuiora, preterquam quod, quo ad attentata, res non videbatur presentis inspectionis, cum in Commissione Sanatoria, nihil fuerit rescriptum super attentatis, vt fuit dictum in alia decisione a qua Domini ex predictis recedere noluerunt.

R. P. D. CAVALERIO.

Lucana Abbatiæ. Veneris 18. Maij 1612.

DECISIO CCCCX.

Est impressa inter Caualerio,

DECISIO 202.

R.P.D.

R. P. D. PIROVANO.

Conchen. Decimarum dell' Infantado. Veneris 18. Maij 1612.

ARGVMENTVM.

De nullitate examinis testium, facti sine citatione ad videndum illos iurare, ac etiamsi fuerunt examinati sine interrogatorijs, datis à parte, & de materia.

SVMMARIVM.

Testis examinati sine citatione ad videndum illos iurare, nulliter examinati dicuntur. nu. 1.

Negatiua alicuius actus satis dicitur probata, si facta reuolutione processus, ille actus non reperitur in processu. nu. primo.

Testis examinati sine citatione partis dicuntur validè examinati, quando de consuetudine talis citatio continetur in concessione termini ad probandum dati. nu. 2. & 3.

Testes examinati sine interrogatorijs datis à parte, non dicuntur nulliter examinati, licèt bene sint repetendi. numero quarto.

DECISIO CCCCXI.

1 FVit resolutum testes in prima instantia pro parte Domini Episcopi esse valide examinatos. Nam etsi opponatur per Rectores defectus citationis ad videndum iurare testes, ex quo regulariter causatur nullitas, *cap. 2. cum gl. de testib. l. si quando. C. eodem tit.* cum alijs allegatis in Hispalen. Beneficij de Marchina. 23. Iunij 1606. coram Reuerendissimo Bononien. & defectus ille dicatur probatus eo ipso, quod facta reuolutione processus non reperitur in actis. *cap. quouiam contra. vbi Doct. de probat. Affl. dec. 107. nu. 5. & 6. Rot. dec. 64. nu. 2. par. 1. diuersor.*

2 Tamen cum in processu comperiatur factum decretum sub die 26. Aprilis 1602. in quo prouisor habuit causam pro conclusa circa articulum probationis, & ipsam causam admisit ad probandum cum termino nouem dierum, infra quem partes facere deberent suas diligentias, quod fuit illico procuratoribus vtriusque partis intimatum, inde sequitur nedum virtualis citatio ad videndum iurare testes, sed certa, & expressa propter formulam, quæ datur in Summario. numero secundo. Vbi cum dilatione dierum nouem ad probandum sequuntur alia verba de stylo iudicis prouisoris, & mandauit citari ambas partes ad videndum præsentare iurare, & recognoscere testes, quos vna pars contra aliam presentaret, quam formulam recenset *Suarez del Balz in suo tract. par. 1. tomo 1. titul. 8. sub Rubr. de sentent. interloc.* quæ visa est Dominis attendenda, non propter stylum, qui pro lege habetur, *cap. ex literis, de constit. cap. quam sit graue. de crimi. falsi. Mohedan. dec. 28. de renunc.* Habetur enim pro forma, à qua non est recedendum, prout notat *Bald. in l. fin. C. quæ sit longa consuetudo. quem sequitur Decian. cons. 11. n. 16. & Alba. cons. 240. in fin.* Tum etiam quia verisimilis est propter ordinem iudicij ex quo dato termino ad probandum, inde sequitur citatio testium & ad videndum eos iurare. *Maran. in sua pract. de ordin. iud. par. 6. titul. de testib. produc. num. 1.* ac etiam ex eo, quod eodem modo Rectores examinarunt suos testes absq; alio decreto, & citatione, ad videndum iurare, vt fuit consideratum in decisione Auximana tutelæ, coram bon. me. Rubeo sub die 16. Februarij 1582.

3 Quibus non obstabat, quod auctoritas Doctoris allegati loqueretur in Practica Salamantina, quæ extra forum illius curiæ extendi non debet. *Bero. q. 120. Surd. dec. 175. num. 8.* quia attestatio illius non est restricta ad certum locum, seu forum, & sufficit, quod ex modo interloquendi prouisoris Conchen. inferatur ad formulam subsequentem, per quam legitur decreta citatio ad videndum iurare testes.

4 Quæ autem dicta fuerunt circa defectum examinis testium, quia non fuerunt examinati cum interrogatorijs partis, videbantur non obstare. Nam etsi multi tenuerunt, si à parte fuerunt data, interrogatoria, & iudex omiserit repetitionem super eis, attestationes non valere. *Felin. in capitul. cum causam. numero tertio, versicul. quibus addc. & ibidem Bellamera. Butr. & alij de testibus. Curt. in tractatu de testibus, conclusione 54.* & ad rem hanc videtur esse *text. in capit. præsentiam. §. testes.* ibi, secundum partis aduersæ interrogatoria diligenter examines. de testibus. in 6. contrariam tamen opinionem sequitur *Rot. secundum Put. dec. 427. libro primo, Gabriel. de testibus conclus. 21. num. 23. Grammatic. consil. 89. numer. 124.* in ciuilibus, qui solum admittunt repetitionem, & fuit dictum in Hispalen. matrimonij. 26. Ianuarij 1608. coram Reuerendissimo Bononien.

5 Quæ repetitio non etiam videtur necessaria, in casu de quo agitur, quia interrogatoria non fuerunt data Iudici, sed duntaxat petita copia articulorum ad effectum faciendi interrogatoria, & prouisor illam decreuit præsentatis pro parte Rectorum suis articulis. An autem Rectores non nisi præsentatis suis articulis videantur grauari, quasi ex illo ablatiuo præsentatis decretum remanserit conditionale, & constituerit eos in necessitate præsentandi articulos, si intendebant dare interrogatoria, & inde causetur nullitas, ob denegatam defensionem, fuit dictum, quod ideo iure cautum non reperitur, quod examen sit nullum, quàuis possit à grauamine appellari, ad quam appellationem docetur fuisse deuentum per Rectores, &c.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

D. CARD. BONONIEN.

Conchen. Decimarum, del Campillo. Lunæ 21. Maij 1612.

DECISIO CCCCXII.

Est impressa inter Ludouisio.

DECISIO 576.

R. P. D. PIROVANO.

Aquilana Exequutionis Breuis. Lunæ 21. Maij 1612.

ARGVMENTVM.

Ius patronatus numquid probatum censeatur per sententias Ordinarij, seu eius Vicarij in præiudicium libertatis Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

Ius patronatus probatum censetur per sentetias Ordinarij illud canonizantis. num. 1.

Notorium, & indubitatum dici non potest illud, quod aliquo modo obseruatur. nu. 1.

Sententia Ordinarij lata inter Compatronos contendentes de voce in suis præsentationibus non facit ius contra libertatem Ecclesiæ. Declara, vt nu. 2.

Sententia lata non ab Episcopo, sed a Vicario non præiudicat libertati Ecclesiasticæ. nu. 3.

Ius patronatus censetur institutum per legatum factum alicui Cappellæ, cum expressa reseruatione Iuris patronatus, num.4. & 5.

DECISIO CCCCXIII.

1 Fuit resolutum, recedendum esse à decisis sub die 23. Februarij præteriti, de nouo enim fuerunt exhibitæ sententiæ Ordinarij, in quibus approbatur Ius patronatus, tam respectu pertinentiæ quam respectu existentiæ illius, per quas obscuratur reseruatio, ita vt notoria, & indubitata dici non possit, prout necessarium est ad effectum executionis, vt fuit dictum in vna Sancti Angeli Lombardorum. 3. Iunij 1612. coram Reuerendissimo Domino meo Archiepiscopo Bonon. & merito quia sententia canonizatoria Iuris patronatus valde considerabilis est, ad fauorem patronorum, cum concernat præiudicium ipsius Ordinarij. *Rot. decis.11. de Iure patr. in nou. Put. decis.172. lib.1. Lambert. de Iure patr. lib.2. parte 2. art.7. q.10. num.11.*

2 Non obstat, quod sententiæ Ordinarij sint latæ inter compatronos inuicem contendentes de voce in suis præsentationibus, ita vt non faciant ius contra libertatem Ecclesiæ, cum tunc non ageretur cum aliquo prouiso, tanquam de libro, vt per *Mobed. decis.8. ad fin. de sent. & re iudic.* Quia fuit responsum, in hoc iudicio exequutiuo, sufficere, quod adsit magnus fumus Iuris patronatus, vt impediatur effectus exequutionis, quicquid sit quo ad excludendam reseruationem, quod non est præsentis indagationis.

3 Nec dicatur, quod cum sententiæ prædictæ fuerint latæ à Vicarijs non ab Episcopo, nec iustificentur ex actis, non præiudicent libertati Ecclesiæ. *Caputaque decis. 127. par. 2. num.4.* quia eadem responsione tollitur obiectum prædicta procedere, vbi ageretur expresse de excludenda reseruatione. Secus vero, quando adducuntur, vt inde detur magnus fumus Iuris patronatus, ad obscurandam notoriam, & indubitatam reseruationem.

4 Sed præterea aduerterunt etiam Domini, adesse testamentum Antonij Masij, in quo reliquit Cappellæ, de qua agitur, multa bona certis finibus designata pro vsu Cappellani præsentandi, adijciens hæc verba, Voluit, & mandauit, quod in dicta Cappella præsentetur, & instituatur per Capitulum ipsius Ecclesiæ, & hæredis ipsius testatoris, in perpetuum vnus idoneus sacerdos, &c. quæ verba clare demonstrant voluntatem testatoris fundandi, & dotandi Cappellam cum reseruatione Iuris patronatus, non autem donare, aut dotem Cappellæ augere, prout declarat *Abb. in consi.16. num.2. par.2.*

5 Neque obstat, quod Cappella esset iam constructa, & sic potuit esse iam dotata, ita vt legatum additum deseruiatur ad augumentum dotis. Quia fuit responsum, quod etiam contingere potuit, quod nullam antea dotem haberet, cum minime necessarium sit Cappellas, & altaria particularia in Ecclesijs habere dotem. Ideo verbis expressis à testatore, inferentibus ad Ius patronatus, standum videtur, donec de contrario pro libertate illius altaris, seu Cappellæ doceatur, quæ omnia magis videntur confirmare præsumptionem Iuris patronatus, ad effectum reddendi turbidam reseruationem, vt impediatur executio Breuis.

REVERENDISS. P. DOMINO COCCINO DECANO.

Romana Successionis Hebræorum. Veneris 1. Iunij 1612.

ARGVMENTVM.

Mater de iure ciuili succedit filio morienti ab intestato, excluso patruo, etiam quod agatur de successione Hebræorum.

SVMMARIVM.

Hebræo defuncto sine filijs ab intestato patruus succedere debet, exclusa matre. num.1. & seq. Contrarium verius. num. 6. & seqq.

Lex Mosaica seruanda est inter Iudæos, quando Christianus non est in causa, nec ius commune aliter disponit inter eosdem Iudæos. num.1. Declara, vt num.8.

Parentes succedunt liberis non de iure naturæ, sed miserationis gratia. num.2.

Feminarum successione familiarum nomen, & splendor occiditur. num.3.

Filij non debent thesaurizare parentibus, sed parentes filijs. num.5.

Filij succedunt parentibus iure naturæ. num.5.

Mater de iure ciuili succedit filio excluso patruo. num.6.

Obseruantia vt operetur debet esse probata in loco, in quo agitur, non autem extra locum. num.10.

DECISIO CCCCXIV.

1 Agitur de successione Hebræorum, an in hæreditate defuncti ab intestato sine filijs masculis, aut feminis, debeat succedere patruus, an vero mater defuncti, & articulus fuit bene discussus, ac pro patruo primo dicebatur, quod ipse debeat succedere exclusa matre ex clara *lege Mosaica Numeri, c. 27.* ibi, Homo cum mortuus fuerit absque filio ad filiam eius transibit hæreditas, si filiam non habuerit habebit successores suos fratres, quod & si fratres non fuerint, dabitis hæreditatem fratribus patris eius, sin autem nec patruos habuerit, dabitur hæreditas his, qui ei proximi sunt, eritque hoc filijs Israel sanctum lege perpetua, per quæ verba patet, quod lex est generalis, licet occasione filiarum Salphaad fuerit promulgata. *S.Thom.1.2. q.105. art.2.* in corpore, vbi quod Dominus dedit Iudices, & legem. *Tostat. in d. c, 27. ante quæstionem 22. & in c. 18. Exodi q. 5. col. 3. in princip.* quæ quidem lex est seruanda inter ipsos Iudæos, cum Christianus non sit in causa, nec ius commune aliter disponat inter eosdem Iudæos. *Calder. cons.10. de const. & 30. de testam. Alexan. in l.1. num. 32. ff. si cert. pet.* & ibi Apostilla dat concordantes, & *Felin. in c. Iudæi. il secondo. num.5. vers. in alijs autem. de Iudæis. & in c. 1. num.27. de const. Barbat. consi. 151 num.1. vers. vnde videtur. lib. 1. Socin. sen. consil. 62. sub num.17. lib.1. Natta cons.621. num.7. lib.3. Bero. consi. 2. num.3. lib.1. Ruin. consil.4. num.2. & 6. lib.2. Rimin. iun. consi.119. num.25. & seqq. Tiraquel. de iur. primogen. q.66. num. 34. Marquar. de Iudæis, par. 2. c. 4. num. 8. Ferrat. caut. 24. num. 2. Surd. decis. 133. in princ. Corn. consi. 180. num 12. & 13. lib. 2.* qui loquitur in terminis dictæ legis, *Numeri cap.27.* de qua agitur, & fuit resolutum in hac causa 11. Martij 1611. coram Illustrissimo Domino meo Card. Lancellotto, tunc Rotæ Auditore. Viget enim ratio agnationis, in qua videtur fundata d. lex, quamuis cesset hodie diuisio Tribuum, & bonorum, & hinc merito ab immemorabili tempore ista lex fuit seruata inter Iudæos, vt deponunt plures testes, & præsertim duo, qui hodie sunt conuersi ad fidem.

2 Vnde inferebatur pro dicto patruo, quod cum mater non sit vocata in dicta lege, censetur exclusa, quia non adest successionis locus, non quidem ex dicta lege Mosaica, quia non reperitur vocata, non ex lege Naturæ, quia parentes non succedunt liberis de iure natu-

naturæ, sed miserationis gratia *l. scripto. in fin. ff.* vnde lib. ibi, non sic parentibus liberorum, vt liberis parentum debetur hæreditas, parentes ad bona liberorum ratio miserationis admittit, liberos naturæ simul, & parentum commune votum, & habetur textus in lege nam & si parentibus, *ff. de inoffic. testam. & in l. iure succursum. ff. de iure dot. & in specie de matre est textus, in §. 1. Inst. ad Tertul. ibi.* & primus quidem Dom. Claudius matri ad solatium liberorum amissorum legitimam eorum detulit hæreditatem, & dispositio Claudij comprehendebat tantum casum, quando filius moriebatur in Castris, vt notat glossa ibidem in ver. amissorum. Sed Tertullianus Senatusconsulto illam extendit in omnem casum, quo filius premoreretur, vt colligitur ex verbis sequentibus textus, ibi-- postea autem Senatusconsulto Trebelliano, quód D. Adriani temporibus factum est plenissime de tristi successione matris non etiam Auiæ deferenda cautū est, &c. & hanc opinionem tenuerunt *Alberic. in d. leg. nam, & si parentibus, num. 2. in fin. Nicola. de Vbald. tract. success. ab intest. 2. par. nu. 1.*

3 Et quod mater excludatur videtur optima ratione dicendum, quia per successionem matris nomen, & splendor familiarum occidit, ex quo bona transferūtur in extraneas appellationes, & in alios honoris titulos, quia filij non matris, sed patrisfamiliam sequuntur *§. fin. Inst. de patr. potestat.* vel quia alienum à iustitia videtur agnatorum spolia in alienum virum transferri, vt dicit *Ioann. Faber. institut. tit. de nupt. in fin.* contraque intentionem defuncti antea patris, cuius etiam animam tristari scripsit Iustinianus, quando mulier secundas experitur nuptias, in authent. de *nupt. §. quæ vero.* vtpote, quod sæpe secundo viro, & bona, & vitam sui filij addicit, lugubrem facit omnē patrimonij statum, & proximiorum mouet lachrimas dum maiorum imagines vident reuulsas, aut alio rum titulis bona ascripta. *l. lex quæ tutores, Cod. de administrat. tut. & alias causas refert Guglielm. de Benedict. vt in cap. Raynut. ad vers. & vxorem nomine Adelasiam. num. 20. & 30. cum seqq. de testament. latè, & eleganter Gregor. Tholosan, syntag. iur. libro 45. c. 9. num. 4.*

4 Quibus pro parte eiusdem patrui subiungebatur non officere, quod in dicta lege Num. cap. 27. nec fuit facta mentio patris, & tamen esset absurdum dicere quod filio succedat patruus excluso patre. Quia vt patet capite 26. Num. ante finem. Dominus mandauerat diuidi bona inter Tribus ibi-- loquutus est Dominus ad Moysem dicens, istis diuidetur terra iuxta numerum vocabulorum in possessiones suas, pluribus maiorem partem dabis, & paucioribus minorem, singulis, sicut nunc recensiti sunt, tradetur possessio, ita vt sors terram Tribubus diuidat, & familijs, quidquid sorte contigerit, hoc vel plures accipiant, vel paucio res. Vnde stante ista ordinatione Domini viuente patre filius non poterat habere nisi bona materna, in quibus non succedebat Tribus patris, sed matris. *Tosta. super dict. cap. 27. Num. q. 33.* & propterea non erat opus in lege mentionem facere de patre, quia nō erat ei successionis locus in bonis, quæ proueniebant ex parte matris, & quamuis filij excedentes vigesimum annum deberent habere portionem suam in Terra promissionis, etiam quod pater viueret, vt colligitur Numeri *cap. 26. in princ. ibi--* numerato omnem summam filiorum Israel à viginti annis, & supra, &c. & expresse dicit *Tosta. Num. c. 27. q. 1. circa principium, & Col. 3. circa fin. versic. si autem essent masculi,* & sic posset dari casus, quo pater excluderetur à patruo.

Attamen cum iste casus expediretur defunctis primis acquirentibus, non erat opus in lege generali de isto casu contingenti facere mentionem, sed si euenisset, consultus fuisset Dominus, & rationi congruum est stante prædicta ordinatione, quod si casus euenisset, ex ratione legis pater successisset.

5 Aliam etiam rationem in puncto legis Numeri affert Tholosanus syntag. *iur. lib. 45. cap. 9. num. 2.* scilicet, quod Dominus ideo meminit in dicta lege de descendentibus, & lateralibus, de ascendentium vero successione nequaquam, quia, vt inquit D. Paulus *epist. 2. ad Corinth. c. 11. & habetur in cap. cum Apostolus, §. prohibemus de censibus, & in cap. prædicator. 16. quæst. 1.* non debent filij thesaurizare parentibus, sed parentes filijs, & ordine naturæ filius succedit *patri. d. leg. scripto in fine. Alberic. in d. l. nam & si parentibus, num. 1.* & subiungit, quod hinc Plato, vt habetur libro 1. de legibus, in successionis lege non meminit ascendentium ibi-- si quis omnino sine liberis masculis feminisque decedat intestatus, mas, & femina, qui ex eodem genere tanquam consortes domum desertam ingrediantur, quibus sors proprie competat, primo soror, deinde fratris filia, sororis filia tertia, quarta paterna soror, paterni fratris filia quinta, sexta paterna sororis filia.

6 Prædictis tamen non obstantibus Domini censuerunt, respondendum esse pro matre, quod debeat succedere excluso patruo secundum dispositionem iuris ciuilis, *vt in §. 1. Instit. ad Tertull. auth. defuncto. C. ad Tertull. vbi Doctores,* quia non est amplius locus, etiam quo ad Iudæos, legis Mosaicæ, de qua in dicto capite 27. Numeri, cum hodie cesset ratio, ex qua condita fuit, & ex qua mater in ea non vocabatur, vt statim probabitur. Ratio enim illius, & ex qua mater in ea non vocatur est, ne sortes tribuum confunderentur, bona enim transijssent de vna tribu in aliam contra voluntatem Domini, vt latius infra probabitur, & hinc Dominus præcepit, vt quando solæ feminæ vnius familiæ superessent, quæ ex dicta l. Moysis erant vocatæ, nuberent in eadem tribu, ne sortes confunderentur, vt habetur Num. c. fin. & propterea cum cesset hodie diuisio tribuum, quia Iudæi, qui apud nos sunt, aut de tribu Iuda, aut de tribu Beniamin, aut de Leuiticis sunt, *Tostat. Deuteron. cap. 28. quæstione 8. col. 3.* nec adsit hodie inter istas tribus aliqua distinctio, & cesset etiam diuisio bonorum, & alienatio prohibita, ne sortes confunderentur, quæ comprehendebat, solum bona, quæ in dictam sortem ceciderant, quare secus erat quo ad domos vrbanas, & quo ad mobilia, quæ poterant libere vendi *S. Thom. 1. 2. q. 105. art. 2. in respons. ad tertium. Tostat. d. c. 27. Num. quæst. 27. per totam, & quæstione 28. circa med. Dominus meus Ludouic. Carbo. de legib. lib. 16. disput. 4. col. 2. circa med. in 7. oppositione.* Vnde cum hodie non agatur de bonis, quæ in sortem ceciderunt, propter quæ promulgata fuit prædicta lex Numeri, vt patebit ex infra dicendis, sequitur quod dicta lex hodie, non sit seruanda, & propterea non obstet. Nam cum omnia præcepta, iudicialia, & sic ista lex, essent instituta ad disponendum statum illius populi, vtiq; mutato statu deberent quoque cessare præcepta iudicialia, & sic prædicta lex. *S. Thom. 1. 2. q. 104. art. 3.* in corpore articuli. vers. præcepta autem iudicialia, & in respons. ad 2. *Conrad. ibid.* in expositione corporis articuli. vers. argumentum in contrarium probat, & expositione responsionis ad secundum, & tertium argumentum porrecta pariter in expositione 2. & 3. articuli, vbi eleganter, & bene D. meus *Ludou. Carbo. de legib. qui etiam in puncto lib. 16. disput. 1. ante fin.* inquit doctrinam esse certissimam, quod multa erant præcepta iudicialia, priuatim accommodata ad populum Hebræum, & loce, vnde mutatis temporibus, & locis, profecto iudicialia, & ciuilia præcepta mutari debent, alias quædam, quæ erant ibi vtilia, & rationabilia, hic damnosa, & sine ratione essent, & quamuis S. Thom. & Doctores prædicti loquantur de præceptis iudicialibus quo ad christianos, tamen eædem rationes militant optime etiam respectu status Hebræorum, quia hodie non est diuisio tribuum, nec diuisio illa bonorum, nec causa, ex qua dicta lex pro-

promulgata est. Nam præcepta iudicialia ab hominibus instituta habent perpetuam obligationem durante illo statu regiminis, sed si Ciuitas, vel gens ad aliud regimen deueniat, oportet leges mutari, non enim eædem leges conueniunt in Democratia, que est potestas populi, & in Oligarchia, quæ est potestas diuitum. *Aristot. 3. Politic, cap. 5, 6. & 9.* & propterea cum etiam respectu status Hebræorum cesset causa legis, debet quoque cessare ipsa lex, vt in terminis dictæ legis Num. dicitur *Conrad. in dicto vers. argumentum* in contrarium vbi ex authoritate Apostoli dicit, quod mutato fine necesse est mutare ea, quæ sunt ad finem, & authoritate Philosophi in Polit. quod omnis lex ordinatur ad conuersationem humanam secundum aliquod regimen. Vnde mutata conuersatione necesse est mutare legem, & optime facit pro ista sententia quod habetur *Paralipom. lib. 2. cap. 15.* ibi, transibunt autem multi dies in Israel absque Deo vero, & absq; Sacerdote, Doctore, & absque lege, &cet. & hanc prophetiam verificari temporibus his late probat Modern. Author in dialogo fidei perbelle ab ipso cõposito in 1. capit. Et pro corroboratione præmissorum est notandum, quod inter Iudæos erat consuetudo ab antiquo, vt filij masculi succederent patrib. in possessione. *Tostat. cap. vlt. Num. q. 1. ante finem, & q. 3. ante medium*, ita vt primogenitus haberet cuncta duplicia, scilicet, quia succedebat in tanta parte bonorum, in quanta duo filij, vt habetur Deuteronom. cap. 21. ibi agnoscet primogenitum, dabitque ei de his, quæ habuit, cuncta duplicia, iste enim est principium liberorum eius, & ei debentur primogenita, & *Genes. cap. 49* cum loqueretur Iacob ad Ruben primogenitum suum in hæc verba Ruben primogenitus meus, & fortitudo mea, & principium doloris mei prior in donis, hoc est in successione, & maior in imperio, id est in dignitate. *Tosta. d. cap. 27. Num. q. 28. & Deuteron. cap. 21. q. 5. Tholosan. Syntag. iur. lib. 45. c. 3. n. 1. & 16. Istella super Genes. cap. 49. num. 2.* filiæ autem non succedebant in toto, vel in parte, ideoq; defuncto patre ab intestato, vel alias non competebat eis ius aliquod in successione paterna, nec etiam dicta bona à Dominis poterant perpetuo vendi, nisi de vno Iubilæo ad aliud, & secundum tempus æstimabantur, & adueniente Iubilæo res vendita redibat ad priorem possessorem, vt habetur *Leuitici cap. 25. & ibi notat Tostat. q. 14. col. 3. & Num. cap. 27. q. 4.* ea ratione ne sortes confunderentur, vt habetur *Num. cap. fin. & dicit Tostat. loco proxime allegat. q. 2. in princip. Aug. Eugubin. in d. cap. fin. Num.* ante finem, cum alijs infra allegandis: Cum vero Populus duceretur in Terram promissionis Dominus mandauit, quod tunc ei diuiderentur bona per Tribus, vt plures maiorem partem haberent, & pauciores minorem, vt habetur *d. cap. 26. & cap. 34. Num.* Interim vero mortuus est Salphaad sine filijs masculis, relictis duntaxat feminis, in quibus nuper incepit lex, vt mortuo patre sine filijs masculis succederent filiæ feminæ, & quia Salphaad fuerat in deserto, & ex hoc erat ei debita aliqua pars Terræ promissionis, petierunt filię, vt postquam deuenirent ad dictam terram, succederent in parte illa, quam Pater esset habiturus. *S. Thom. 1. 2. q. 105. articul. 2. in corpore. Tosta. cap. vltim. Num. locis præcitatis. Dominus meus Ludouic. Carbo. de legibus libr. 16. disput. 4. Dionys. Sarthus. Num. cap. 27. colum. 2. in fi. & colum. 3. in princip.* quæ quidem diuisio postmodum fuit facta per Iosuè dum populus deuenit ad terram promissionis, *Iosuè capit. 11. in fin. ibi* cœpit ergo Iosuè omnem terram sicut loquutus est Dominus ad Moysen, & tradidit eam in possessionem filijs Israel secundum partes, & Tribus suas, & habetur *cap. 15. vsque ad finem cap. 19.* & vtrobique notant Interpretes, & vlterius voluit Dominus, vt postquam fuerit facta illa diuisio, filię, quibus ex defectu masculorum deferebatur hæredita, nuberent suæ tribus hominibus, ad hoc vt adueniente Iubilæo sortes Tribuum non confunderentur, vt habetur *Num. cap. vlt. S. Thom. 1. 2. quæst. 105. articul. 2. in corpore, & responsione ad 2. Ioseph. antiquita. Iudaicer. lib. 4. cap. 7. in fine Dionys. Carthus. Num. cap. 26. colum. 2. in fin. & colum. 3. in princip.* eleganter *Hugo Cardinalis in Matthæum. capit. 1. in verbo Virum Mariæ, & ibi Maldonatus, colum. 16. Nicolaus de Gorran super eisdem verbis, Tosta. super dict. capit. 27. Num. q. 33.* vbi inquit, quod certitudo linearum maxime per possessiones cognoscebatur, quia Dominus volebat, vt manerent in familia, in qua ab initio fuerant & propterea filijs in possessionibus prouenientibus ex parte patris succedebant agnati de familia patris, in possessionibus prouenientibus ex parte matris, succedebant cognati ex familia matris modo præscripto in lege, & subdit cum causa legis prædictæ sit, ne transeant hæreditates de familia in familiam, litera legis est intelligenda, prout iacet, nihil supplendo, ita vt quicunque possederit aliquid in sorte Iuda iudicaretur esse de Tribu Iuda, sors autem Iuda immobilis erat, & cognoscebatur, quæ esset per determinationem *Scripturæ Sccræ Iosuè capit. 15.* ideo homo, qui erat mobilis, cognoscebatur de qua Tribu esset per possessionem immobilem, & sicut cognoscebatur de qua Tribu quilibet esset, ita cognoscebatur de qua familia, & domo esset nam distributiones sortium, quæ prouenerunt ad Tribus, & postea diuisæ sunt in familias, & distributiones familiarum per domos, & distributiones domorum per viros, istæ tamen distributiones non fuerunt positæ in libro Iosuè, quia erãt minus principales, & dabantur infiniti processus, cum cuilibet de populo diuideretur pars possessionis & assignarentur eius limites, istæ tamen distributiones remanserunt scriptæ apud Iudæos in alijs libris, qui non erant Sacræ Scripturæ, vt notat idem *Tosta. & Leuitici, cap. 25. q. 2. colum. 2. vers. quicumque ergo. & Numer. cap. 27. q. 3. circa med. vsque ad fin.* Et prædicta quidem à Sapientia diuina fuerunt ordinata, vt cognosceretur ex qua Tribu Dominus noster IESVS Christus nasceretur. Nam vt bene considerat idem *Tostatus Num. cap. 27. q. 4.* Dominus voluit diligenter obseruari certitudinem cuiuslibet stipitis propter Messiam ad cognitionem veritatis, quia dixerũt Prophetæ Messiam futurum de Tribu Iuda, & de semine Dauid, ad conuincendum ergo Iudæos Christũ Dominum Nostrum esse Messiam, debuit poni ista diligentia in obseruando certitudinem stipitis cuiuslibet ne Iudæi possent dicere, quod non erat Messias in lege promissus, quia nesciebant de qua Tribu esset vel familia, nec an descenderet de stirpe Dauid, data tamen ista certitudine cuiuslibet prosapiæ dubium esse non potuit de Christo, quod esset de stirpe Dauid, & q. 5. loco allegato dicit, quod si non exprimeretur in aliqua prophetia de qua Tribu Christus Dominus noster esset futurus, necessaria erat distinctio familiarum, & certitudinis omnium familiarum secundum successiones hæreditatum, quia Iudæi non accepissent Messiam, nisi constitisset eum esse de semine Iacob, etiam si non constaret eis de qua familia, vel Tribu esset, sed hoc etiam manifestari non poterãt nisi obseruata certitudine omnium stirpium per deriuationes, & possessionum determinationes, scilicet, quod possessio ad aliquam familiam pertinens semper maneret in ea, quia multi de gentilibus conuerterentur ad Iudaismum, & contraherent cum mulieribus Hebræis, sicut nunc faciunt Iudæi conuersi ad Christum cum mulieribus Christianis, post multum tempu, non appareret, An ex Iudæis, vel Gentilibus essent, & ita decerent Christo nescimus an sis ex nobis an ex gentilibus, nunc autem non poterunt negare, quia manifeste patebat linea generationis eius reducendo vsque ad Abraham sicut reducit *B. Lucas, cap. 3.*

cap. 3. & hoc idem notat *Rupertus Abbas in Matthæum cap. 1. lib. 1. colum. penult. vers. sciendum* quippe, vbi quod omnis tam diligenter facta in lege Tribuum, familiarum, siue generationum, domorum, atque cognationum distinctio, maxime illud, quod iussum est, vt vnusquisque de Tribu, ac familia sua duceret vxorem, in vnum & solum omnino Christum tendebat propter veritatem Dei ad confirmnndas promissiones patrum, vt dum veniret, dum nasceretur non incertum sciri posset, aut dici, hæc ille subdens postquam venit, postquam natus est, scilicet Dominus Noster IESVS Christus, non est curandum de illo femore, de illa Tribuum, generationum, familiarum, domorum, atque cognationum diuisione, seu supputatione, & ad hoc attendere post dictum Aduentum pro extrema reputandum stultitia, & late alia prosequitur eleganter.

7 Non obstant in contrarium adducta, & primo quid lex Mosaica est seruanda inter Iudæos, quando agitur inter ipsos, & ius commune aliter inter eos non disponit. Quia, quidquid dicendum sit de prædicta conclusione, ex prædictis apparet non esse seruandam cum deficiant hodie, & adimpleta sint ea, ex quibus dicta lex fuit ordinata; & propterea non est curandũ de dicto Cornei, qui loquitur in terminis legis *Num. cap. 27.* quia eius opinio ex rationibus late supra deductis non sustinetur.

8 Non obstat secundo, quod dicitur non cessare hodie fauorem agnationis, licet cesset diuisio Tribuum. Nam fuit responsum, legem Mosaicam non esse simpliciter fundatam in fauore agnationis, quia cum sint vocatæ filiæ feminæ in defectum filiorum masculorum, certum est, quod per feminas agnatio non conseruatur. *Ruin. cons. 146. nu. 4. lib. 2. Socin. iun. consil. 1. num. 44. lib. 1. Aym. cons. 180. num. 1. lib. 1. & consil. 250. num. 2. vers. ideo libr. 2. Menoch. consil. 95. num. 55. libr. 1.* & excludebantur propter feminas omnes alijs exceptis filijs masculis, qui per virilem sexum erant coniuncti, qui vtique erant de agnatione. *§. 1. Instit. de legit. agnat. tut.* Et quamuis Dominus *Numer. cap. vlt.* præcepisset, quod in eo casu, quo feminæ succederent, nuberent in eadem Tribu, non ideo præcepit, quod nuberent in eadem familia, licet hoc euenerit in filiabus Salphaad, quod cum fuerit per accidens, non ex præcepto Domini, vt ibidem eleganter aduertit *Alphons. Tostat. ante q. 5. & q. 5. & 6. ante finem.* vbi dicit, quod illa verba legis generalis, vt hæreditas permaneat in familia, sunt intelligenda, vt remaneat in Tribu, propter sequentia verba ne sibi misceantur Tribus, & cum Tribus Manasses contineret plus quam triginta millia hominum, vt dicit Tostat. ante d. q. 5. non vtique dici potest, quod Dominus præcepisset, vt nuberent in agnatione, cum impossibile esset, quod tanta quantitas hominum esset de agnatione Salphaad. Et licet aliqui teneant, quod isto casu feminæ non solum deberent nubere in eadem Tribu, sed etiam in eadem familia, vt probat *Maldonatus in Matthæum. cap. 1. col. 16.* Attamen quidquid sit de hoc, in omnem euentum non refert, quia nec isto casu, quo remanerent tantum feminæ, neq; in alijs, in quibus dubitari non potest, quin lex Mosaica perspexerit agnationem, & familiam, dicendum est perspexisse simpliciter fauorem agnationis, & familiæ, sed in ordine, vt agnationes, familiæ, & Tribus distinguerentur non quidem finaliter ad commodũ ipsarum, sed in eum finem, vt per huiusmodi agnationum, familiarum, & Tribuum distinctionem cognosceretur ex qua Tribu Dominus Noster nasciturus esset, vt fuit probatum.

9 Non obstant tertio testes, qui deponunt de immemorabili obseruantia legis Numeri inter ipsos Iudæos; Quia omissis exceptionibus contra aliquos ex testibus, non probant obseruantiam in Vrbe, in qua residet Asylum iustitiæ, imo omnes testes videntur deponere in Dominio Turcarum, in quo Dominio Hebræi ex priuilegio illius Tyranni vtuntur lege Mosaica, vt bene deponit etiam vnus ex testibus, & propterea quidquid dicant testes, cum non deponant de prædicta obseruantia in Vrbe, eorum dicta non officiunt. *Oldrad. consil. 248. numer. 1. in princip. Ancharan. consil. 163.* qui bene ad propositum. *Lap. alleg. 91. numero septimo. vsque ad finem. versic. super quarto.* & ista obseruantia in Vrbe deberet probari aliter, quam per testes Iudæos.

10 Non obstant quarto, que fuerunt deducta ad ostẽdendum, quod merito Mater fuit exclusa à lege Mosaica, quia cum hodie non sit seruanda lex Mosaica, sed ius commune, nostrum non est disputare, An ius commune nitatur bonis rationibus, sed illud debemus seruare. *l. prospexit. ff. qui & a quib. Bald. cons. 459. in princ. lib. 5.*

REVERENDISS. P. D. COCCINO DECANO.

Parmen. Datij. Lunæ 4. Iunij 1612.

ARGVMENTVM.

De executione, obligatio Cameralis quando intret, quiquibus exceptionibus retardetur, & an, & quando alius iudex vltra A. C. possit exequutiue vigore datæ obligationis Camerali, agere.

SVMMARIVM.

Instrumentum facit fidem de his, quæ inter contrahentes geruntur. nu. 2.

Obligationis in forma Cameræ executio danda est contra illum, qui iuxta illius formam se obligauit aliquid facere, vel dare. nu. 3.

Contractus nominatus propter non adimplementum non rescinditur, sed agitur ad implementum. nu. 4.

Contractus ex conuentione legem accipiunt, etiam quod conuentio sit vltra, vel præter natutam contractus. nu. 4.

Feudum de sui naturæ non transit ad extraneos, neque ad feminas, nec potest diuidi, nisi in inuestitura aliud fuerit conuentum. nu. 4.

Contractum non adimplere an, & quando quis dicatur. num. sexto.

Instrumentum quando habet executionem paratam iudex nõ condemnat, sed præcipit debitori, vt soluat, debitorque habetur pro condemnato. un. 8.

Auditor Rotæ vti potest facultatibus Auditoris Cameræ, quando in commissione sic ipsi concessum est. nu. 10.

Excipiens in exceptione dicitur actor. num. 11. & 12. vbi propterea quod ad fauorem rei excipientis fieri potest adiudicatoria.

Iudex causæ principalis est etiam iudex in articulis connexis. nu. 13.

DECISIO CCCCXV.

1 POst resolutiones factas, quod Datium venditum per Illustrissimum, & Reuerendissimum Dom. Cardinalem Illustrissimo D. Marchioni pretio Scutorum octoginta mille, erat subiectum fideicommisso, & quod dicto Illustrissimo D. Cardinali non suffragabantur detractiones, Dubitaui, an Illustrissimo D. Marchioni competeret via exequutiua ad pretium Datij, & contra quos, & quomodo, & Rota causa bis proposita, & mature discussa censuit ei competere talem viam exequutiuam contra Illustrissimum D. Cardinalem pro Scutis octoginta mille, nempe pro liberatione ab obligatione Montis pro Scutis quin-

quinquaginta quinque mille, & pro solutione residui pro Scutis viginti quinque mille. Ac pro clariori ostensione iustitiæ huius resolutionis Domini dicebant illam habere tres inspectiones principales, quarum prima est, an adsit obligatio Cameralis, secunda quatenus adsit, an intret, tertia quatenus adsit, & intret, an Rota habeat facultatem procedendi ad illius exequutionem.

2 Et quantum attinet ad primam visa fuit habere modicam difficultatem, quia expressis verbis in instrumento legitur, quod Dominus Cardinalis se obligauit in forma Cameræ, instrumentum autem facit fidem de his, quæ inter contrahentes geruntur. *Feder, de Senis cons. 199. num. 3. vers. sed dices,*

3 Quantum attinet ad secundam inspectionem, an obligatio intret, satis etiam res videbatur clara, quia Illustrissimus D. Cardinalis vendidit Datium Domino Marchioni pretio Scutorum octoginta mille, & in dicti pretij computum, & diminutionem D. Marchio pro summa quinquaginta quinque mille Scutorum suscepit onus soluendi ratam, & portionem Montis Baronum, & pro alijs Scutis octo mille extinxit quẽdam censum per D. Cardinalem sibi debitum, residuum vero Scutorum septemdecim mille computauit in parte dotis, & D. Cardinalis attentis præmissis se de integro pretio dicti Datij contentum, & satisfactum vocauit, & Dominum Marchionem quietauit, & affirmauit, & promisit, ipsum Datium ad se pleno iure Dominij spectare, & esse liberum ab omni fideicommisso purificato, & purificando, &c. alias in omnibus casibus contrarijs, seu contrauentionis, &c. teneri voluit D. Marchioni emptori ad omnia damna, & restitutionem integri pretij, &c. Pro quibus se in forma Cameræ obligauit. Vnde cum Datium fuerit repertum subiectum fideicommisso Comitis Sanctæ Floræ, nec Illustrissimo D. Cardinali suffragentur destrctiones, vt in decisionibus in hac causa factis, intrat obligatio prædicti D. Cardinalis, qui se obligauit ad restitutionem pretij in euentum, quod præmissa non sustinerentur. *Galles. de obligat. Camer. parte 3. tit. de vi instrum. obliga. Camer. num.* 15. ad quam restitutionem potest agere D. Marchio, vt dicetur in tertia inspectione.

4 Neque obstat, quod cum versemur in contractu nominato propter non adimplementum contractus non rescinditur, sed D. Marchio debet agere ad implementum. *l. venditi actio. C. de act. empt. Bart. in l. 2. nu. 7. C. de condict. ob caus. & in l. in ciuile, in princip. C. de rei vendicat. Socin. in leg. qui Romæ. §. Seia. in quinto not. num. 6. ff. de verbor. obligat.* Quia fuit responsum hanc conclusionem hic non applicari, cum fuerit promissum, Datium esse liberum à fideicommisso, & in casu contrario Cardinalis se obligauerit ad restitutionem pretij, vt expresse dicit textus in d. leg. venditi actio. ibi si non ab initio aliud conuenit. Cõtractus enim ex conuentione legem accipiunt, *c. contractus. de reg. iur. in 6.* etiam quod fuerit conuentum vltra, vel præter naturam contractus. *Castrens. consil. 219. colum. 2. post principium. vers. contractus autem. lib. 2. Calder. cons. 11. ante medium. versicul. ad cuius declarationem. & cons. 12. & 13. de feud.* vbi quod licèt feudum de sui natura non transeat ad extraneos, neque ad feminas, nec possit diuidi, secus est si in inuestitura aliud fuit conuentum, & in puncto fuit resolutum in causa Asculana Bonorum 11. Martij superioris anni coram R. P. D. meo Pirouano, & dicitur in prima decisione in hac causa facta.

Minus etiam releuat, quod cum fideicommissum sit ad fauorem Ducis, in venditione facta Cardinali Dux cessit iura sua ad fauorem eiusdem Cardinalis, & ideo cum stante cessione, nihil remaneat penes Ducem, nulla potest inferri molestia Domino Marchioni emptori. *ad l. quæritur. §. si venditor. ff. de ædilit. edict.* Nam fuit responsum non adesse talem cessionem vt patet ex inspectione instrumenti venditionis Datij, & si adesset non releuaret. Quia nedum vocatur Dux ad fideicommissum, sed etiam eius successores, & adest expressa prohibitio alienationis, & in casu alienationis non alienantes vocantur ad fideicõmissum, vt abunde fuit dictum in prima decisione.

6 Neque facit, quod D. Marchio non possit agere cum non adimpleuerit pro parte sua. *l. Iulianus. §. offerri, ff. de act. empt.* Non enim satisfecit Monti. Nam respondebatur, quod satis adimpleuit pro parte sua, cum in se susceperit dictam ratam Montis, illam autem extinguere non tenebatur, nisi post decennium, quod cum lapsum non sit, non dicitur non adimpleuisse. *l. 1. ff. de pen. lega. & eleganter not. Bald. in consil. 434. vers. item quoniam ante terminum. vsque ad finem lib. 2.* Et dum dicebatur, quod pro residuo non potest agere contra Cardinalem. Quia est debitor dotis, fuit responsum, hanc esse prætensionem postea subortam ex dissolutione matrimonij ipsius Marchionis, contra quam ipse asserit habere suas exceptiones, & propterea D. Cardinalem super ea conuenisse D. Marchionem Mediolani, & litem indecisam penderet, ideo que hoc obiectum non obstat, Quia obligatio Cameralis non admitit exceptiones extrinsecas a contractu, & requirentes altiorem indaginem, sed omnino debet exequi. *Cassad. dec. 1. de mut. petit.* & fuit resolutum in causa Tiburtina Castri S. Poli 17 Martij 1564. coram Cotta.

7 Nec etiam releuat, quod D. Marchio sit totus, cũ in extinctione dicti Montis sit consecuturus iura ipsius Montis, in cuius erectione fuit derogatum omnibus fideicomissis. quia fuit responsum, quod obligatio Cameralis Domini Cardinalis de restituendo pretium non adimpletur cautione, sed solutione, quodque Gregorius XIIII. non erexit dictum Montem Domicellorum in perpetum, sed redimibilem, & ad effectum dictæ erectionis tantum, & Montistarum fauorem suspendi effectum fideicommissorum, & prohibitionem alienandi dicto Monte durant, eisdemque fideicommissis, & alienandi prohibitionibus, illis in suo robore permansuris, ea vice duntaxat derogauit. Vnde Monte extincto cessabit suspensio, & derogatio, & nil remanebit, quod possit cedi. Et insuper ex lectura literarum dictæ erectionis Mõtis, apparet suspensionem, & derogationem fuisse restrictas ad Castra, & bona a quolibet Barone dicto Monti supposita, dictumque D. Cardinalem pro Scutis quadraginta mille Castrum Rocchæ Albenghæ, & Marchionatum Varsij, & D. Paulum Sfortiam pro Scutis quindecim mille Casale Cerueretri, & quosdam census dicto Monti supposuisse.

8 Neque est verum, quod requiratur sententia declaratoria super liquidatione promissionis dictæ restitutionis pretij, factæ in casibus contrarijs, & nullitatis venditionis, Quia Cardinalis in dicta obligatione suscepit mandatum, quo casu non requiritur interlocutio Iudicicis super liquidatione. *Galles. dicta parte 3. tit. de liquidatione. num.* 15. Et cum vigore dictæ obligationis Cameralis versemur in iudicio exequutiuo, Iudex non condemnat, sed præcipit debitori, vt soluat, & ratio est, quia quando instrumentum habet exequutionem paratam debitor habetur pro condemnato. *Castrens. consil. 319. colum. 2. post principium. versicul. & hoc ideo. lib. 1.* vbi quod in iudicijs ordinarijs præcedit cognitio, & sequitur exequutio, in exequutiuis autem è conuerso, & ita se habet stylus Curiæ, vt notum est.

9 Denique non officit, quod D. Marchio non declarauit quid petat, vt Illustrissimus D. Cardinalis possit determinare, an velit cedere, vel contendere, quia ex prosecutis satis D. Marchio declarauit, & hodie declarat, quod ipse D. Cardinalis restituat pretium Scutorum

rum octoginta mille, & recipiat suum Datium, ac ex Scutis quinquaginta quinque mille dicti pretij extinguatur debitum dicti Montis Baronum, & hoc sufficit, vt per *Bart. in leg. si rem, la prima, num. 1. ff. de rei vendicat.*

10 Quantum attinet ad tertiam inspectionem, quæ continet iurisdictionem Rotæ, fuit resolutum adesse iurisdictionem sufficientem. Nam conuentus Marchio à Cardinale, & Montistis pro consecutione fructuum excepit de non adimplemento dicti Cardinalis, & contra ipsum Marchionem fuit relaxatum mandatum pro dictis fructibus à quo decreto Marchio appellauit, & in commissione dixit de iniustitia mandati, attento maxime quod obstat exceptio non adimplementi pro parte dicti Cardinalis, & petijt committi causam appellationis, & quod de nouo audiretur super eo, An obstet exceptio non adimplementi, obtinuit committi in Rota causam cum facultatibus Auditoris Cameræ, sine tamen præiudicio legitimæ exequutionis. Vnde dubitari non potest, quin ex prædictis adsit iurisdictio sufficiens, Quia etsi Auditor Cameræ vigore suarum facultatum est exequutor ob ligationum Cameralium priuatiue quo ad alios iudice, tamen in casu isto Auditori Rotæ fuerunt concessæ facultates Auditoris Cameræ, ideoque illis vti potest quo ad contenta in commissioné, iuxta notat. in *capit. cum dilecti. de donation. & in capit. si propter de rescript. in 6.*

11 Quod autem articulus super rescissione, & nullitate contractus venditionis sit commissus in Rota, non potest dubitari, quod probatur ex eo, quia D. Marchio excepit de non adimplemento, in qua exceptione est actor, licet in principali iudicio esset reus *Alex. consil. 70. num. 3. vbi. dc communi libr. 7.* & in hac exceptione potest obtinere nedum ad actorem repellendum, vt per *Bald. in cons. 187. num. 5. lib. 1.* sed etiam vt adiudicatio sibi fiat, quicquid dixerit idem *Bald. vbi supra* cum concurrant petitio, quam hodie facit Marchio, & probatio intentionis, cum ex alijs decisionibus, & ex prædictis constet de fideicommisso, & obligatione Cardinalis.

12 Quibus duobus concurrentibus ferri posse adiudicatoriam ad fauorem Rei excipientis dicunt *Hostiens. in cap. ex conquestione. num. 10. vers. item quæro de restitutione spol. Cyn. in l. 1. nu. 12. C. vti possid. quos refert, & sequitur Castr. in cons. 311. num. 1. col. 1. in princip. vers. sed cum non valuisset. vol. 2.* Vnde cum sit commissus in Rota articulus non adimplementi per necesse dicendum est cõmissum quoq; articulum super rescissione, & nullitate contractus, cũ Marchio excipiendo, si petat, & probet intentionem suam possit obtinere adiudicatoriam, quæ in casu isto nihil aliud est, quam agere exequutiue ad restitutionem pretij, vt supra dictũ est.

13 Vltra quod etiam ex capite connexitatis iste articulus censetur commissus, vt per *Hostiens. vbi supra nu. 3. vers. dicas quod si quæst. mulieris, & alios Doctores ibidem, & adest Constitutio fel. record. Pij Quarti. 63. in ordine super reformatione Tribunalis in §. & idcirco.* in qua Summus Pontifex statuit, quod vnica Commissio in qualibet instãtia in Rota sufficiat, & vigore illius auditor posit cognoscere cũ omnib. & singulis depẽdentib. & emergẽtib. ac alias quomodolibet incidentibus, ex quo Auditor potest cognoscere super negotio principali, vt per Mandos. commissione secunda, vers. incidentibus, & sic super dicta rescissione, & nullitate contractus.

14 Ex quibus cum adsit obligatio Cameralis, quæ intrat cum Marchio ex fideicommisso, & obligatione Illustrissimi Cardinalis probauerit intentionem suam & adsit iurisdictio exequendi, fuit predicto modo resolutum, procedendum esse exequutiue contra eundem D. Cardinalem.

REVER. P. D. PAMPHILIO.

Hispalen. Præeminentiarum. Lunæ 4. Iunij 1612.

ARGVMENTVM.

De præeminentia inter Portionarios, & Canonicos.

SVMMARIVM.

Portionarij inferioris ordinis sunt, & minus digni, quam Canonici. nu. 1. & seqq.
Indecorum, & inhonestum videtur, quod maior deseruiat minori. num. 4.
Canonicis plura competunt, quæ Portionarijs non competunt. numer. 5.
Portionarijs, licet admittantur in Capitulo, & in eo habeant vocem, non tamen possunt dici de Capitulo. numero 6.

DECISIO CCCCXVI.

1 POst factam resolutionem, quod Breuia pro parte Canonicorum obtenta pro tunc non erant exequenda, eo præcipue fundamento, quod ab eodem Clemente octauo, à quo emanarant, fuerant suspensa, donec super omnibus cognosceretur, dedi dubium, an Breue sub die 30. Iunij 1603. emanatum esset iustificatum, quo supradicta die proposito, DD. affirmatiue responderunt. Nam quod Portionarij Ecclesiæ Hispalen. prætendunt, dum Missam cantant, quod Canonici illius inseruiant pro Diacono, & Subdiacono, ex solito, & consuetudine Ecclesiæ Hispalẽ, quodque super hoc fuerit introducta lis coram Ordinario Hispalen. & forsan etiam coram Nuncio Hispaniarum, prout in dicto Breui narratum fuit, inter partes non controuertebatur, sed controuersia super eo versebatur, quod in eodem Breui dicitur, Portionarios esse ordinis inferioris, ideoque indecens, & indecorum esse, ipsis Missas, & diuina Officia celebrantibus Canonicos pro Diacono, aut Subdiacono inseruire, circa quam narratiuam licet Dominis videretur, illam non esse à Canonicis iustificandam, cum sit narratiua Papæ, vt colligitur ex verbo arbitrantes, & ex verbo censemus. Nihilominus censuerunt, illam esse sufficienter iustificatam, non solum ex iuris communis dispositione, secundum quam certum est portionarios esse inferioris ordinis *gl. in c. penult. verb. assisios, de cler. non resid. Abb. in c. cum non liceat. in 3. not. & ibi Felin. n. 2. vers. gusta bene de præscr. Cæs. de Grass. dec. 4. n. 8. de his, quæ fiunt à maior. par. Capit.*

2 Sed etiam, quia ex quampluribus relatis per Informantes pro Canonicis constat, multas prærogatiuas, & præeminentias illis competere, quæ non competũt Portionarijs, nam Portinarij non habent vocem in electione Prælati, & in administratione Archiepiscopatus, sed vacante, in collatione præbendarum, nec subscribunt actus Capitulares, quæ res fiunt a solis Canonicis, quinimo in referendis negotijs adest disparitas cum Portionarijs id faciant stantes, & capite discooperto, Canonici vero sedentes, & capite tecto, & vlterius soli Canonici assistunt Prælato celebranti, & Pontificalia exercenti, habent quoque prioritatem in sedendo, in thurificatione, receptionis pacis, candelarum, cineris, palmarum, & generaliter in omnibus, & habent plura alia relata per Informantes, quę non habent Portionarij.

3 Ex quib. apparet canonicos esse Portionarijs dignio res, & superiores, & portionarios inferiores canonicis, *c. 1. dist. 25. gl. in c. 1 verb. obedientiam. dist. 93. & in c. statut. in prin. verb. Canonicis, vers. nota ergo, de rescr. in 6. Host in Suma, tit. de maior. & obed. n. 1. ad fi. vers. dispensationis.* Car-

Cardin. conſ.30. n.6. & ſeq. Bal.conſ.387. poſt princ. verſ. ſimiliter etiam. & verſ. inſignia etiam. li.1. Dec. conſ.161. nu. 2. verſ.7. iſta concluſio.

4 Ex hac autem ſuperioritate, & dignioritate Canonicorum, & inferioritate Portionariorum, reſultat etiam iuſtificatio indecoris, & indecentiæ, circa ſeruitium, quod Portionarij prætendunt ſibi præſtari à Canonicis, dum Miſſas, & diuina officia celebrant. Cum ſecundum iuris diſpoſitionem indecorum, ac inhoneſtum videatur, quod maior minori deſeruiat. *c.1. & c. ſtatuimus. de maior. & obed. & ibi Abb. verſ. item nota contra conſuetudinem. & conſ.21. num.4. & 5. lib.1.* cum alijs per Informantes pro Canonicis alleg.

5 Non obſtat allegata æqualitas portionariorum, quia licet portionarij habeant multas prærogatiuas, & præeminentias, quas habent Canonici, non tamen poſſunt dici illis pares, & æquales, nec deſinunt eſſe inferiores, ex quo plura competunt Canonicis, quæ non competunt Portionarijs. *glo. in l.omnes. la ſeconda, verb. Apoſtolicæ, C. de fer. ex iur.* enim communis diſpoſitione Portionarij non ſunt de Capitulo, quod ſoli Canonici conſtituunt, *Compoſtell. in c.1. nu.4. verſ. numquid Portionarij. de elect. Caputaq. deciſ.84. par.1.*

6 Nec ex eo quod admittantur in Capitulo, & in eo habeant vocem poſſunt dici de Capitulo; *Gemin. in c. fin. num. 5. ad fin. verſ.* aut quærimus, de præb. in 6. & fuit dictum in Abulen. iuriſdictionis 6. Februarij, & 17. Aprilis 1589. coram bo. mem. Card. Pamphilio, & in pluribus alijs cauſis præſertim cum (vt dixi) adſint plures actus, in quibus Portionarij non habent vocem, & plures alij, in quibus Canonici eos præcedant, vnde non poſſunt dici æquales.

7 Non obſtat etiam, quod Portionarij in ſacris conſtituti præcedant Canonicos non exiſtentes in ſacris, quia id illis non competit, ratione maioris, vel æqualis dignitatis, ſed in vim particularis ſtatuti editi, in odium Canonicorum, ordines ſacros ſuſcipere negligentium, & vt hac ratione inuitentur ad illos ſuſcipiendos, quo clare apparet, quia ſacris ordinibus initiati ſtatim aſcendunt ſuper omnes portionarios, & ideo hoc non concludit aliquam æqualitatem cum Canonicis.

8 Non obſtat poſtremo, quod Portionarij Eccleſiæ Hiſpalen. propter multas prærogatiuas, quas obtinent communes cum Canonicis, non poſſint dici ſimpliciter, & abſolute inferiores Canonicis, prout ſunt Portionarij, de quibus loquitur *gloſ. & DD. in c. penult. verb. aſſiſios. de cler. non reſid.* de quibus Papa ſenſiſſe videtur ex his, quæ late deducuntur per Informantes pro ipſis Portionarijs, quia quicquid ſit de hoc, fuit reſponſum, id non pertinere ad præſens dubium, quod eſt reſtrictum ad iuſtificationem Breuis, quæ duntaxat concernit in eo narrata, ſed ſolum reſpicere illius ſubreptionem, vel obreptionem, de qua erit particulariter agendum. Et ita deciſum, &c.

R. P. D. PIROVANO.

Auximana Hæreditatis, Lunæ 4. Iunij 1612.

ARGVMENTVM.

Fratri defuncto ab inteſtato ſuccedit ſoror vna cum filijs alterius ſororis, filiuſque ſuccedit in locum patris etiam in ſtatutis, in quibus vocantur proximiores conſanguinei. Et quid ſi vocentur conſanguinei proximiores ex paterna linea.

SVMMARIVM.

Fratri defuncto ab inteſtato ſuccedit ſoror inſimul cum filijs alterius ſororis, & ſic nepotibus ipſius defuncti. n.1.

Filius ſuccedit in locum patris defuncti etiam in ſtatutis, in quibus proximiores vocantur. nu. 2. Declara, vt nu.3.

Filius ſequitur lineam, aut familiam patris, non autem matris. num.3.

Deſcendentium appellatione continentur etiam nati ex fœminis. num.4. Vbi tamen quod non dicuntur deſcendentes ex linea paterna.

DECISIO CCCCXVII.

1 Germano præcedente ab inteſtato ſuperſtite Nicoloſa eius ſorore, & Franciſco ex Prudentia pariter dicti germani ſorore, dubitatum fuit, an hæreditas fratris prædefuncti in totum ſpectet ad Nicoloſam, vel cum ea poſſit concurrere Franciſcus alterius ſororis filius. Et ſemoto ſtatuto Montis Feraptrani ſub rub.40. de ſucceſſorib. ab inteſtato. Domini non dubitabant, quin Franciſcus æqualiter cum matertera eſſet admittendus *per auth. ceſſante. C. de legitim. hæred. Pariſ. conſ.20. nu.22. lib.2. Menoc. de præſump. lib.4. præſump. 95. nu.9. & eſt textus in §. ſi igitus. Auth. de hæred. ab inteſtato. venien.*

2 Ceterum, quia ex ſtatuto prædicto expreſſe cautum eſt, quod omnia bona ſic ab inteſtato morientis deueniant ad propinquiores conſanguineos ex paterna, vel aui paterna linea deſcendentes. Domini ſenſerunt totam hæreditatem ad Nicoloſam ſpectare, non ea ratione, quia vocati ſint proximiores conſanguinei, cum etiam in ſtatutis, vbi proximiores vocantur, filius ingrediatur locum patris defuncti, ſecundum receptiorem ſententiam, quam tenuerunt *Alex. conſ.88. lib.1. Iaſ. conſ.159. nu.7. verſ.5. & vlt. lib.4. Michael Graſ. de ſucceſſ. ab inteſt. q.2. nu.9. & Menoch. poſt alios, de præſumpt. lib.4. præſump.95. num.11.*

3 Sed quia ſtatutum vlterius progreditur vocando proximiores conſanguineos ex paterna, vel aui paterna linea deſcendentes, quæ qualitas in Franceſco non reperitur, cum non ſit ex linea paterna, vel aui paterni eius de cuius ſucceſſione agitur, non enim deſcendit à communi patre cum Nicoloſa, ſed à patre ſuo, qui etiam facit lineam ſuæ agnationis, & filius eam ſequitur non autem lineam, aut familiam matris. *§.1. Inſtit. tit. de legitim. agnat. tut. l. fin. C. de legitim. hæred.* & ita declarat *Bar. conſ.56. num.1. verſ. ad quod. lib.2. Socin. ſen. conſ.33. num.8. lib.3.* dicens, quod linea paterna ea eſt, cuius pater eſt caput, & ab ipſo tanquam à fonte procedit. *l. pronunciatio. §. familiæ. ff. de verb. ſignif.* quod non conuenit Franciſco, qui iungitur Nicoloſæ ex latere, non autem continuatur cum eadem Nicoloſa, & in terminis ſtatuti idem reſpondit *Grat. conſ.27. num. 24. lib.1. Cephal. conſil.591. num.2.*

4 Nec dicatur, quod Franciſcus continetur ſub eadem linea, quia deſcendentium appellatione contineri dicuntur etiam nati ex feminis. *Ruin. conſ.49. num.3. lib.1. Tiraq. de primog. q.13. num.2. cum alijs, alleg.* Quia fuit reſponſum, quod quamuis filius ex femina dicatur deſcendens à patre germani, non tamen dicitur deſcendens ex linea paterna, cum ſub vno, & eodem patre, vel auo non contineatur, quod clarius etiam videtur demonſtratum ex ratione, quam ſubdit ſtatutum, videlicet, cum ſatis ſit conueniens rationi, quod talia bona reuertantur ad eum ſtatum, vnde principium habuiſſe noſcuntur, quæ verba ſunt referenda ad eos, qui ſub agnatione comprehendunt, prout eſt Nicoloſa *d. l. pronunciatio. §. familiæ. ff. de verb. ſignif. Alex. conſ. 17. num. 6. lib. 7.* Non autem ad Franciſcum, qui ſub agnatione diuerſa continetur, alias ratio ſtatuti non bene conuerteretur, quia bona non redirent ad eum ſtatum, vnde prouenerunt, & principium habuerunt. Et ita fuit reſolutum.

R.P.D.

R. P. D. PIROVANO.

Leodien. Canonicetus. Veneris 8. Iunij 1612.

ARGVMENTVM.

Gratia non præsumitur subreptitia, nec dicitur subreptitia, nisi fuerint tacitæ qualitates, quæ Principem difficiliorem reddidissent ad illam concedendam, actusque correspectiui, quando simoniam inducant.

SVMMARIVM.

1 *Subreptio gratiæ non præsumitur, & ideo qui gratiam subreptitiam allegat, illam debet probare. num. 1.*

Gratia subreptitia non dicitur nisi fuerit tacita qualitas, quæ expresse Papam retraxisset, aut difficiliorem reddidisset ad concessionem gratiæ. num. 1.

Resignatio facta ab infirmo an, & quando dicatur facta in fraudem, & sit nulla. num. 2. & 3.

Fraudis causa cessante cessant etiam omnes fraudis coniecturæ. num. 2. in fine.

Infirmitas non dicitur grauis, quando resignans post resignationem superuixit per dies 30. num. 3.

Simonia an præsumatur ex consignatione legitimæ facta in continenti post resignationem beneficij. num. 4.

Simonia cum sit delictum, plene & concludenter probari debet. num. 4.

Actus non dicuntur correspectiui ad inferendam simoniam, etiam facti eadem die, quando facti fuerunt ex diuersa causa. num. 4.

Resignatarius non tenetur probare titulum sui Authoris. numero 6.

DECISIO CCCCXVIII.

1 POst resolutionem iustificationis gratiæ Gherardi Steruarth proposui secundam partem dubij, quam Domini in prima disputatione noluerunt resoluere, an scilicet eadem gratia esset subreptitia, & nulla, & negatiue non esse subreptitiam, neque nullam, fuit responsum. Habet enim Steruarth fundatam intentionem in iustificatione suæ gratiæ. Reus autem qui fundat suam exceptionem in subreptione respectu tacitorum, tenetur illam concludenter probare. *Dec. in c. in præsentia. num. 48. alias 12. vers. 11. not. de probat. Ægid. 617. num. 2. Rot. decis. 626. num. 3. par. 1. diuers. c. 1. vbi Gemin. nu. 8. vers. in literis vero beneficialibus. de rescript.* in tantum, quod non sufficit probare qualitatem non esse narratam, nisi etiam probetur, quod si fuisset expressa potuisset reddere Papam difficiliorem. *c. super literis. vbi Felin. num. 8. de rescript. Cassad. decis. 12. nu. 14. de præbendis.*

2 Voscius autem prædicta non iustificauit. Nam etsi resignans tacita graui, & lethali infirmitate resignauerit in manu Papæ ad fauorem fratris, & infirmitas probetur, tam ex mandato procuræ ad resignandum, in quo enunciatur resignans valetudinarius, quam ex fide Parochi attestantis se eadem die ministrasse eidem sacramentum extremæ vnctionis, exinde tamen non probatur resignatio facta in fraudem, vt sit locus *cap. 2. de renunciat. in 6.* & eis, quæ ponuntur per *Oldr. consi. 324. num. 6. vers. 5. renunciatio fraudulenta. & Crauet. cons. 82. num. 3. vol. 1.* quia accessit auctoritas Papæ vigore derogationis regulæ de infirmis, nec de præiudicio collatoris, vel alterius, ad quem spectat ius conferendi agitur. Quo casu fraus non est considerabilis. *c. 2. in sensu contrario. de renunc. in 6. Menoc. de præsump. lib. 6. præsumpt. 78. num. 2. & 3.* & quando deficit titulus, & causa fraudis, dum non agitur de alicuius præiudicio, ex quo resignatio est facta in manibus Papæ, qui est Ordinarius Ordinariorum, coniecturæ nihil operantur. *Bartol. in consi. 65. factum tale ast. Dec. consi. 36. num. 6. & consil. 463. num. 7. Alba. consil. 9. num. 1. & consi. 97. num. 24.*

3 Nec dicatur, quod fraus non allegatur ex resignatione tacita, leui infirmitate, sed graui, & lethali, quam si præsensisset, Sanctiss. vel non derogasset regulæ, vel difficilius propter præiudicium collatorum. Fuit enim responsum, quod cum infirmis non sit prohibitum resignare, sed duntaxat eorum resignationes per regulam annullentur, quando intra viginti dies moriuntur, satis videtur Papa cogitasse de graui infirmitate præsumendo decedentes intra vigesimum diem ab initio lethali morbo laborare, cuius timore ad renunciandum potuerunt moueri, & sicuti regula in sui dispositione comprehendit infirmitates, & leues, & graues. *Sarnen. in d. reg. 1. q. 28.* pari ratione in derogatione vtranque debet continere. Vltra quod Dominis non est visa grauis infirmitas, cum à die mandati de resignando superuixerit resignans per triginta an dies, nempe à die 29. Augusti vsque ad diem primum Octobris.

4 Secundo non etiam visum est Dominis Voscium fundasse exceptionem nullitatis resignationis in simonia Seruarth, dum eadem die, quo resignans constituit procuratorem ad regnandum pater assignat eidem resignanti legitimam florenorum 200. vt commodius viuere possit, quasi correspectiue ad assignationem legitimæ sit facta resignatio coram eisdem testibus, & Notario. *c. ad audientiam. il 2. de rescrip. Paris. de resign. lib. 14. q. 3. num. 2. & 9.* Quia fuit dictum, quod cum simonia sit delictum, quod plene, & concludenter probari debet. *Felin. in c. super his. num. 17. de accus. Put. decis. 440. num. 3. lib. 1.* & assignatio legitimæ habeat causam particularem, & separatam, & non proportionatam, nempè, vt resignans, qui deliberat resignare, commodius viuere posset, actus quamuis eadem die facti non dicuntur correspectiui ad inferendam simoniam. *Mohed. decis. 3. de sim. Put. decis. 171. lib. 1. Gabr. consi. 172. num. 15. lib. 2.*

5 Tertia exceptio ex defectu publicationis fuit sublata ex publicis documentis, in actis exhibitis. Nec obstat, quod diebus festiuis, ex eorum multitudine populi non appareat facta publicatio, iuxta Constit. Sanct. mem. Greg. XIII. Quia ex lectura eiusdem instrumenti cernitur, Notarium publicasse literas, alta, & intelligibili voce tempore summæ missæ, cui creditur in concernentibus suum officium.

6 Demum cessabat, & alia difficultas, quod scilicet non fuerit iustificata publicatio resignantis, cuius vigore habuit Canonicatum, quia adhoc fuit responsum per DD. quodam regnatarius non tenetur probare titulum sui auctoris. *Cassad. decis. 2. num. 4. de caus. poss. & propr.*

R. P. D. PAMPHILIO.

Mediolanen. Decimarum. Lunæ 8. Iunij 1612.

ARGVMENTVM.

Agitur in hac decisione de probatione iuris exigendi decimas, in qua propterea multa explicantur, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Dominus qui fuit de præterito, præsumitur etiam dominus de præsenti. num. 1.

Possessor olim, hodie quoque possidere præsumitur. numero 1.

Decimarum solutio, quando agitur contra Laicos, facilius probatur, quam quando agitur contra Rectorem, seu alium. num. 2.

Clau-

Clausula sine præiudicio, referuat ius illius, ad cuius fauorem clausula apposita est, num.3.

Decimæ dari solent in defectum redituum Ecclesiasticorum, num.4.

Producens scripturas, & instrumenta non potest postea illa impugnare, num. 5.

Obseruantia est optima interpres cuiuscunque dispositionis, nec requiritur, quod sit præscripta, sed sufficit, quod aliquando sic fuerit obseruatum, quando agitur de obseruantia interpretatiua, num.6.

Confessio tacita resultans ex productione iurium reuocari non potest non docto de errore, num.7.

Testes volentes probare negatiuam, illem non probant, nisi negatiuam coarctent, remouendo actum à sensu, num.8.

DECISIO CCCCXIX.

1 FVit per Dominos resolutum, decimas locorum Rancati, & Cliuesij spectare ad Ecclesiam Sancti Iuliani, fundamentum resolutionis fuit, quia cum ad eam spectauerint ante annum 1578. vt iam fuit resolutum, consequens est, vt ad ipsam hodie quoque spectare dicendum sit, ex regula, quod ille, qui fuit dominus in præteritum, & hodie præsumitur dominus, *Socin. consil.187. num. 11. lib.2. Alciat.* de præsumpt.reg.2.præsupt.20. in princip. Ex quo enim dominium sine facto nostro non amittitur, *l.id quod nostrum est. ff. de regul. iur.* qui dicit factum huiusmodi interuenisse probare, debet, vt dicit *Alciat. loco citato*, & bene facit id, quod de possessione dicitur, nempe, quod olim possessor, hodie quoque possidere præsumitur. *l. siue possidetis, & ibi glos. Bartol. & alij. C. de probat. Rot. decis. 4. eodem titul. in nou. & decis. 80. par. 2. in nou.*

2 Et ista præsumptio optime comprobatur ex præsenti statu, secundum quem Ecclesia Sancti Iuliani, & illius Canonici decimas dictorum locorum exigunt, adeo quod nedum non probatur amissio dominij ipsarum decimarum, vt probari debet secundum *Alciatum dicta præsumpt. 20. num. 2.* quod imo pro eorum parte probatur continuatio, quæ eo facilius in præsenti casu est admittenda, ex quo pro istis decimis agitur contra Laicos eas soluere denegantes, & non contra Rectorem, aut alium de iure illas prætendentem, quo casu sufficit leuior probatio, vt fuit in hac causa in alia decisione consideratam.

3 Non obstat, quod loca prædicta vna cum illorum incolis, & habitatoribus, & illorum animarum cura fuerint dismembrata ab Ecclesia Sancti Iuliani, & ab omni illius dependenti, & superioritate, &c. & assignata Ecclesiæ Sancti Ambrosij in Parochialem de nouo erectæ, vt legitur in ipsa dismembratione, quia fuit responsum ex dictis verbis non esse inferendum ad decimas, de quibus nulla legitur facta expressa mentio, quinimo potiùs dismembratio apparet facta cum clausula sine præiudicio alicuius, per quam fuit præseruatum ius Ecclesiæ Sancti Iuliani, & illius Canonicis super istis decimis competens, quod propterea penes eosdem remansit. *Put. decis. 197. num.23. lib. 1. & 115. num. 1. in fin. lib. 2. Verall. decis. 119. parte 1.* maxime cum istæ decimæ ante huiusmodi dismembrationem reperirentur concessæ, & applicatæ Canonicatibus dictæ Ecclesiæ Sancti Iuliani, seu eorum præbendis, & sic non possunt dici applicatæ parochiali Sancti Ambrosij, vt fuit resolutum in Conchen. Decimarum de Villanueua 5. Maij 1600. coram bo. mem. Cardinale Pamphilio.

4 Et ista sententia eo magis placuit Dominis, quia in dismembratione fuerunt assignata Rectori pro illius sustentatione tot proprietates, & bona stabilia constituentia annuum redditum Scutorum 60. vnde redditur multum verisimile, quod dismembrans noluerit decimas locorum dismembratorum auferre ab Ecclesia Sancti Iuliani, & eius Canonicis, & dari parochiali de nouo erectæ, ex quo decimæ solent dari in defectum redditúum Ecclesiasticorum, vt inquit *Mandos. cons. 31. num. 9. in fin. & seq.*

5 Sed visum fuit omnem cessare difficultatem ex obseruantia subsequuta, siquidem spacio triginta annorum, & vltra, post factam dismembrationem hominis locorum dismembratorum semper continuarunt soluere decimas Canonicis Sancti Iuliani, vt constat ex instrumentis, & quietantijs per partem aduersam productis, quorum fidem propterea impugnare non potest, iuxta doctrinam *Innoc. communiter approbatam in c. cum venerabilis.* & ibi præ alijs. *Felin. num. 22. & Dec. num. 90. de except. glos. & Doct. in l. 1. §. editiones. &* ibi præ ceteris, *Ias. num. 14. ff. de eden.* & fuit sæpe decisum.

6 Obseruantia autem est optima interpres quarumcumque dispositionum, & ex ea colligitur quid in eis actum fuerit. *l. si de interpretatione. ff. de leg. Aymon. cons. 101. num. 3.* & in istis terminis dictum fuit in Conchen. Decimarum superius allegata, & cum simus in obseruantia interpretatiua, non requiritur, quod sit præscripta, sed sufficit, quod ita aliquando fuerit obseruatum. *Castr. cons. 347. sub num. 4. lib. 1. Aym. dicto consi. 101. num. 4. vers. & adeo. Crescen. decis. 1. de constit.*

7 Non obstat generalis reuocatio quarumcunque confessionum, quia non potest referri ad confessionem resultantem ex iurium productione, cum ea renuocari non possit saltem non docto de errore. *Innocent. in c. cum olim. in fin. de cens. Aymon. consil. 80. numer. 6. Osasc. decis. 38. num. 40. & seq. Put. decis. 270. lib. 2.*

8 Non obstant etiam testes pro parte istorum Laicorum examinati, quia vltra, quod contrarium constat ex prædictis scripturis, isti testes non probant negatiuam non solutionis decimarum, ex quo solum dicunt non vidisse, nec sciuisse talem solutionem, non autem dicunt, decimas non potuisse solui, quin ipsi vidissent aut sciuissent, & sic negatiuam huiusmodi non coarctant remouendo actum à sensu, prout requiritur. *Baldus in l. 1. num. 7. & ibidem. Alexan. qui alios citat, in fin. C. de bon. poss. secund. tabul. Dec. cons. 49. num. 5.* & fuit resolutum in Valentina Decimarum 15. Decembris 1604. coram Illustrissimo Cardinali Lancellotto.

9 Addito vlterius, quod isti testes deponunt de non solutione decimarum in fructibus, non autem de non solutione in pecunia, & sic eorum depositio non excludit solutionem in pecunia, de qua etiam duo testes deponunt. Et ita decisum fuit.

REVERENDISSIMO P. D. DAMASCENO.

Pacen. Congruæ. Veneris 8. Iunij 1612.

ARGVMENTVM.

Congrua alimenta debentur Rectori Curato, quando beneficium est tenue, & à quibus congrua hæc alimenta debeantur, & ad quam summam.

SVMMARIVM.

Rector Curatus non dicitur habere congrua alimenta, quando non habet nisi annua Scuta 12. certa. nu. 2. Vbi etiam quod incerta non computantur in congrua.

Rectori curato debetur congrua, etiam quod tenue beneficium acceptauerit, quando certum est Rectorem non habere congruam, num. 4.

Congrua debetur Parochis, ne alias intenti ad quærendum sibi victum deserant curam animarum, aut alias ob nimiam egestatem in illa exercenda delinquant. num. 5.

Decimæ specialiter in iure diuino, & positiuo sunt destinatæ ad

tæ ad vsum Rectoris sustinentis curam animarum. num.6.
Decimæ ex concessione Apostolica possunt transferri in alios, quam in Rectores Curatos. num.7.
Congrua Rectori Curato debita numquid solui debeat à Parochianis, quibus sacramenta administrantur. An vero ab habentibus Decimas Parochiales. num.7. & seq.
Congrua debita Rectori curato, ad quam summam taxari debeat. num.9.

DECISIO CCCCXX.

1 DVm ageretur in Rota de confirmatione duarum sententiarum de partibus latarum ad fauorem Archipresbyteri Terræ de Albuquerque contra Dominum Ducem dictæ Terræ, & Patronum eiusdem Archipresbyteratus super eo, quodam dictus Dux deberet dare congruam dicto Archipresbytero, quæ fuit taxata in dictis duabus sententijs ad Ducatos 450. monetæ illarum partium, fuit pro parte Ducis oppositum de nullitate vltimæ sententiæ, quam Sanctissimus Dominus Noster in sua signatura Gratiæ sanauit constito de bono iure Archipresbyteri arbitrio Rotæ. Propterea dedi dubium, An constaret de bono iure in casu, & ad effectum, de quo agitur, & pro affirmatiua fuit tentum, & resolutio visa fuit pendere à tribus inspectionibus. Prima est, An constet Archipresbyterum non habere congruam. Secunda quatenus non, An Dux teneatur illam subministrare. Tertia est, An dicta summa Ducatorum 450. sit excessiua, vt prætendit Dux, vel potiùs nimis tenuis vt prætendit Archipresbyter, qui vellet multo plus.

2 Circa primum, constare visum fuit, Archipresbyterum non habere congruam, cum non habeat, nisi annua Scuta duodecim certa, vt probant *Testes eius in Summario, num.* 3. & colligitur ex positione data pro parte Ducis, de qua in eodem Summario. *num.*4. Nec facit, quod Archipresbyter habeat nonnulla incerta, quia ista non computantur in congrua. *Rebuff. tit. de congrua. nume.* 83. *&* 86. Rota in causa Legionen. congruarum 15. Aprilis 1575. coram Cantuccio relata inter diuers. impress. *decis.*5. *num.*3. *& seq. par.*2. in Pampilonen. congruarum 29. Januar. 1590. coram Reuerendissimo Perusino, & in Pampilonen. congruæ 22. Octobris 1594. coram Illustriss. Mellino. Etenim venter non debet pendere ab incerto, cum non patiatur dilationem. *Cassad. decis. vnic. num.*1. *de mut. pet. Cruch. tract. de morat. præscript. nu.*90. *Surd. decis.*323. *nu.* 9. Quod autem Scuta duodecim non sint sufficientia pro congrua apparebit ex infra dicendis in tertio capite.

3 Circa secundum, est in primis præsupponendum Rectori Curato deberi congruam. *c. ex tirpandæ. & c. de Monachis. de præben. c. eodam tit. in* 6. *Rebuff. de congr. quæst.*4. *in princ. Cæs. de Grass. decis.* 6. *nume.* 7. *de præben.* Rota in causa Calaguritana congruarum 21. Maij 1571 coram Oradino relata inter diuers. impress. *decis.*16. *nu.* 1. *par.*1. in supra allegatis Pampilonen. coram Reueren. Perusino, & Illustriss. Mellino.

4 Nec obstare, quod illi sit imputandum, si tenue beneficium acceptauit ex Toletana Decimarum de Lucillis 6. Februarij 1609. coram Reuerendiss. Bononien quia fuit responsum, illam decisionem cum alijs, quæ alleganturesse intelligendam, quando non est omnino certum, quod Rector careat congrua, prout in casu illius decisionis, secus quando est certum, prout in proposito casu, alias decisio esset contra textum expressum in dicto c. extirpandæ. de præbend. cum alijs supra allegatis, & contra rationem.

5 Nam ista congrua debetur Parochis, ne alias intenti ad quærendum sibi victum, deserant curam animarum, vel alias ipsi ob nimiam egestatem in illa exercenda committant, quæ non debent committere, siue etiam ne ob prædictam egestatem sint ludibrio ipsis Parochianis, quos debent coercere, & à quibus debent reuereri, & proinde cum ista non concernant interesse ipsius Parochi, sed ordinis Parochorum, & curæ animarum consensus Parochi tacite elicitus ex acceptatione tenuis beneficij in nulla debet haberi consideratione, cum alias neque expressus suffragetur ad prædictum effectum, vt per *Rebuff. d. tit. de congrua. q.*12. *num.*91.

6 Firmato, quod Parocho debeatur congrua dicebant Domini illam in primis deberi à Duce, qui percipit decimas surgentes in Parochiali, quia istæ sunt specialiter iure diuino, & positiuo sacrorum Canonum destinatæ ad vsum Rectoris sustinentis curam animarum. *c. cum contingat. c. cum in tua. c. Parochianos. de decimis. c. reuertimini.* 16. *quæst.* 1. *c. omnes decimæ.* 16. *q.* 7. *c. fin. de Parochis. Card. cons.* 26. *in princ. &* 88. *num.* 5. *Anchar. consil.* 196. *num.* 2. *Rebuff. de decim. q.* 7. *num.* 4. *Varall. decis.*356. *num.*2. *&* 3. *par.*3.

7 Licet aliquando ex concessione Apostolica transferantur in alios (prout illas modo legitime possidere prætendit Dux,) nihilominus translatio semper intelligitur facta tali conditione, vt congrua remaneat Rectori. *c.*2. *§. vbi autem. de decimis. in* 6. etiam, & multo magis si decimæ transeant in laicum. *Rebuff. de congrua. num.*47. *Couar. var. resolut. lib.*1. *c.*17. *numer.* 6. *in fin.* Transeunt enim cum isto onere in quoscunque, vt fuit dictum in causa Pampilonen. Iuris patronatus de Gongora die 30. Ianuar. 1609. coram Reuer. Bononien. neque congruæ per sua priuilegia censetur Papa voluisse præiudicare, *Rebuff. de congrua, quæst.* 12. *num.* 103.

8 Nec facit, quod congrua sit petenda à Parochianis, quibus sacramenta administrantur. *capit. omnis Christianus. de consecrat. dist.* 1. *Abb. in c. de Rectoribus. nume.* 6. *de cleric. ægrot. Surd. de alimen. tit.* 1. *quæst.* 60. *num.*2. quia Domini intelliguntur hoc procedere, vbi Parochiani nullas (forte ex aliquo priuilegio Apostolico) soluunt decimas, vel ita exiguas, vt non sufficiant pro Rectore, secus vbi soluunt consuetas decimas, quæ sunt satis superque sufficientes pro sustentatione Rectoris. Tunc enim cum illæ sint specialiter destinatæ ad hunc vsum, debet Rector ad illas se in primis conuertere.

9 Quo vero ad quantitatem, fuit per Dominos taxata ad prædictam summam Ducatorum 450. illarum partium ponderando ingentem numerum animarum, pro quarum curæ exercitio fuit in quadam visitatione ordinatum, vt iste Rector haberet quatuor Coadiutores, prout habuit à quadraginta annis, & citra, & similiter cum habeat iurisdictionem in prima instantia in causis ciuilibus est sibi necesse tenere vnum substitutum, & illum quidem satis qualificatum, vt scilicet, sciat recte iudicare, prout hæc omnia deponunt testes quorum Summarium fuit datum pro parte Archipresbyteri. vnde ex hoc apparet, quod iste Rector ex necessitate alit sex personas, & etiam quod non est persona priuata, cum ne dum habeat sub se extraordinarium numerum animarum, quæ dicit quartus testis reperijsse in libro, vbi describuntur, ascendere ad 1800. familias, & patet ex quatuor Coadiutoribus datis in visitatione, sed etiam ex iurisdictione, quam exercet in loco, quæ reddit illum multum qualificatum, ita vt necessaria sint vberiora alimenta late *Tiraquel. tractat. de nobilit. c.* 20. *numero* 143. *Rebuff. dicto tit. de congrua. num.* 63. *Menoch. de arbitr. cas.* 59. *num.*5. *Surd. tract. de aliment. tit.*4. *num.*15. *&* 16. Vnde in hac materia quantitatis, quæ tandem reducitur ad arbitrium Iudicis. *l. fin. C de Ord. cog. l.* 2. *ff. vbi pup. educ. Alexan. consil.*72. *num.*7. *lib.*5. *Crauett. consil.*189. *nu.* 10. *Menoch. de arbitr. cas.* 169. *num.* 1. Domini arbitrati sunt, quod pro sustentatione vnius Rectores qualificati cum quinque substitutis non sit necessaria minor portio, quam prædicta Ducatorum 450. monetæ illarum

larum partium deferendo etiam in aliquo Iudicibus de partibus, qui ita arbitrati sunt, per ea, quæ fuerunt dicta in præallegata Legionen. congruarum, relata inter impress. diuers. decis. 5. par. 2.

R. P. D. PIROVANO.

Constantien. Canonicatus, Veneris 8. Iunij 1612.

ARGVMENTVM.

Canonicatus an, & quando sit sacerdotalis, Quando præbenda dicatur habere ordinem annexum, & quando etiam Canonicatus, & præbenda sint annexi.

SVMMARIVM.

Præbenda regulariter non habet ordinem annexum, potest tamen huiusmodi ordinis annexio statuto, consuetudine, vel ab institutione fieri. num. 1.

Canonicatus non videtur Sacerdotalis etiam quod Canonicus teneatur vigore statuti infra biennium promoueri sine priuationis pœna. num. 2. Declara, vt dicto num. 2. 3. & num. 5.

Canonicus, qui vigore statuti infra biennium debet promoueri ad sacros ordines, si non promoueatur, non facit fructus suos. num. 2.

Canonicus de iure non habet certum ordinem annexum. num. 4.

Canonicatus, & præbenda sunt inter se diuersa. num. 5.

Præbenda, & Canonicatus numquid præsumuntur annexæ, vbi non constat esse inter se distinctos. num. 6.

Canonicatus, & præbenda, vbi de consuetudine insimul conferri solent, tunc non ratione accessorij, sed connexionis præbenda trahit ad se Canonicatum. Declara, vt num. 7.

DECISIO CCCCXXI.

1 CVm hæc causa in prima instantia commissa fuisset R.P.D. Coccino nunc Decano, coram eo die 9. Decembris 1611. capta fuit resolutio, Canonicatum, de quo agitur, esse sacerdotalem, prout narratum fuerat per Seuerinum, exinde ad eius fauorem super immissione pronunciatum fuit, & causa in gradu appellationis mihi commissa, dubitaui, an sententia Rotalis esset confirmanda, vel infirmanda. Cuius dubij resolutio pendebat ex veritate vltimæ decisionis, scilicet, an Canonicatus, de quo agitur, sit sacerdotalis, nec ne. Et Dominis visum est probari quidem præbendam esse sacerdotalem, non autem Canonicatum. Nam etsi iuris dispositione præbendæ non habeant ordinem annexum, vt dicit *Abb. in c. dilecto. num. 3. de testib. & in c. constitutus. in primo notabili. de concess. præbend.* tamen huiusmodi annexio ordinis statuto, consuetudine, vel à prima ipsius præbendæ institutione fieri potest, vt expresse firmant in *c. ei, cui. de præbend. in 6. Ioan. Andr. num. 6. prope finem. Gemin. num. 12. Franc. num. 6. Philipp. Prob. ad Monach. numer. 3.* Statuto autem Ecclesiæ Constantien. cauetur, quod duæ illæ præbendæ sint sacerdotales, quæ tunc obtinebantur per particulares Canonicos in statuto nominatos, quarum altera illa est, quam Seuerinus narrauit esse sacerdotalem. Nec visum est Dominis hanc qualitatem à statuto requisitam posse in dubium reuocari, eo quia statu tum met subdat, quod Canonicus debeat promoueri infra biennium sine aliqua priuationis pœna, quasi eo casu ordo, neque actu, neque aptitudine dicatur annexus, vt considerant *Lap. in d. c. ei cui. sub numer. 13. Ioan. Andr. Gemin. & alij supra alleg. ac Paris. cons. 50. num. 7. lib. 4.* & in eo duntaxat statutum operetur, quod si prouisus non promoueatur fructus non percipiat, iuxta *Clement. vt hi. de ætat. & qualit. & per Innoc. in c. fin. de cleric. non resid.* quod etiam videtur resolutum in Tridentin. Canonicatus 21. Aprilis 1608. coram bon. mem. Iusto.

2 Nam pro responsione fuit dictum, quod satis in casu isto dicitur præbenda Sacerdotalis aptitudine, si prouisus habet talem ætatem, vt infra biennium possit habere sacros ordines, cum de tali aptitudine ad sacerdotium contentetur statutum, à quo pendet esse, vel non esse sacerdotale, non autem à dispositione iuris, secundum quam *Lap. & alij. in d. cap. ei, cui.* loquuntur.

3 Præterea eadem DD. distinctio videtur deseruire, quando ignoratur qualitas ordinis annexi præbendæ, non autem quando ius commune, vel statutum expresse disponit, prout in statuto, de quo agitur, in quo fuit expresse ordinatum, quod illæ duæ præbendæ essent sacerdotales. Vnde si statuto permittitur, quod hoc fieri possit, prout supra fuit firmatum, non erit inconueniens, quod circa aptitudinem idem statutum possit disponere etiam absque priuatione, cum de mente statuentium certitudo habeatur per expressam dispositionem.

4 Quod autem Canonicatus sit sacerdotalis, optima ratione visum est Dominis in hac parte narratiuam non iustificari. Gratia enim Sauerini narrat Canonicatum, & præbendam simul habere annexum ordinem sacerdotalem. Sed Canonicatus de iure non dicitur habere certum ordinem annexum. *Clement. generalem. de ætate, & qualitate. Abb. in cap. cum in cunctis. §. inferiora. num. 10. de electio. Boer. decisione 171. in principio.* Et statutum nullum verbum de annexione ordinis ad Canonicatum.

5 Demum ex præbenda non infertur ad annexionem eiusdem ordinis, ad Canonicatum, cum ista sint diuersa. Clement. vt hi, qui. in secundo responso. de ætate, & qualitate, & ordo non semper annectitur Canonico, sed quandoque dignitati, quandoque personatui, quandoque officio, quandoque præbendæ, vt bene aduertunt *Geminian. in dicto cap. ei, cui. num. 12. Franc. num. 6. Ioan. Andr. num. 6. prope finem.*

6 Non obstat, quod præsumatur annexio præbendæ, & Canonicatus, vbi non constat præbendas in Ecclesia esse distinctas, quia aliter sentiunt *Lap. Abb. Ioan. Andr. & Franc. supra allagati.*

7 Prout etiam non obstat consuetudo, quod præbenda, & Canonicatus simul conferri soleant, ita vt non ratione accessorij, sed connexionis præbenda ad se trahat Canonicatum, secundum Imol. & alios. in c. cum M. Ferrar. de constitut. Nam non probatur negatiua, quod separatim non soleant conferri, affirmatiua vero probatur quidem Canonicatum, & præbendam simul conferri, sed necessario non consequitur, quod non possit conferri non sacerdoti, habenti ætatem requisitam à statuto, & ideo probandum esset, quod id actum fuerit in vim consuetudinis, & animo illam inducendi, secundum *Abb. in c. fin. numero 17. de consuetud. Decius consil. 215. num. 4.* cum alijs allegatis per *Surd. consil. 254. num. 30.*

8 In assertionibus autem testium non insteterunt Domini, quia, & si deponant, quod tam Canonicatus, quam præbenda sint sacerdotales, tamen rationem scientiæ deducunt ex ipso statuto, in quo nullum verbum de Canonicatu, & ex obseruantia, quæ non probatur, & ideo cum neque statuto, neque consuetudine, neque à prima ipsius Canonicatus institutione probetur ordinis annexio, merito fuit resolutum, Canonicatum non esse sacerdotalem.

R. P. D. CAVALERIO.

Vratislauien. Matrimonij. Lunæ 13. Iunij 1612.

DE-

DECISIO CCCCXXII.

Est impressa inter Cavaler.

DECISIO 205.

REVER. P. D. MANZANEDO.

Brixien. Parochialis. Mercurij 13. Iunij 1612.

ARGVMENTVM.

De resignante beneficium, si resignatio fuerit nulla, poterit tanquam spoliatus restitui, & procurator ad resignandum constitutus, non potest nisi vnica vice resignare.

SVMMARIVM.

Spoliatus non restituitur ad possessionem, à qua cecidit culpa, & facto suo. Declara. vt nu.2.
Resignans beneficium non potest amplius ad beneficium resignatum redire dicendo se spoliatum. Declara, vt nu. 2. Vbi quid si resignatio fuerit nulla, & in dubium reuocata, & in controuersiam deducta.
Procurator constitutus ad resignandum beneficium si semel consensit non potest amplius iterum consentire. num.3. & seqq.
Dispositio hominis intelligenda est primo actu. num.4.
Literæ duplicatæ possunt expediri super eadem gratia. Declara, vt nu.6.
Gratia dicitur subreptitia, quando in ea non exprimitur id, quod superiorem reddidisset difficiliorem ad concedendum. num.7.

DECISIO CCCCXXIII.

1 DVbitaui, an constet de spolio, & Domini affirmatiuam sunt amplexi cum pro parte D. Iulij, tam primum extremum fuerit probatum, quam secundum. Nec hoc controuertitur, sed reducitur difficultas ad resignationem per Iulium factam ad fauorem Virginij, per quam resignans dicitur cecidisse à possessione facto proprio, & sic illi non potest competere restitutio, *Cassad. decis. 4. de restit. spoliat.*

2 Sed respondebatur prædicta procedere, quando clare constat de consensu Resignantis, secus vero quando validitas dicti consensus, prout in casu nostro, fuit reuocata in dubium, & deducta in controuersiam. Quia tunc donec discutitur de validitate dicti consensus, Resignans, & sic possessor non debet sua possessione priuari, vt fuit dictum in vna Abulen. Zamoren. Beneficiorum 17. Iunij 1594. coram Domino meo Decano, & in alia Hispalen. Corduben. Præstimoniorum 14. Iunij 1600. coram Illustriss. D. Cardinale Lancellotto.

3 Vltra, quod non solum consensus prædictus reuocatur in dubium, sed etiam apparet hodie iam de illius inualiditate, cum resignatio facta vigore primi consensus præstiti per procuratorem fuerit perfecta, licet Resignatarius non fuerit consequutus beneficium ex eo, quod gratia erat in forma dignum, & ipse fuit declaratus inhabilis. Vnde licet postea in curia fuerit repertus habilis, & obtinuerat aliam gratiam in forma gratiosa, tamen ista fuit expedita vigore secundi consensus, de quo hodie agitur, & qui non potuit præstari per procuratorem, cuius potestas fuerat consumpta per præstationem primi consensus, & perfectionem illius primæ gratiæ, ad *text. in l.boues. §. hoc sermone. ff. de verborum signif. Socin. cons. 112. num. 12. lib. 1. Dec. in l. rogasti. §. si fugitiuus. nu. 5. ff. si cert. pet.*

4 Potissime cum simus in dispositione hominis videtur illa in primo actu consumpta, iuxta *text. in dicto §. hoc sermone. & ibi not. per tex. in l. vltima. §. fi. & ibi Cyn. ff. de eden. Socin. consil. 117. nu. 5. vers. hoc etiam aperte. lib. 1. Tiraq. in d. §. hoc sermone. in 9. limit. num. 6. & in limit. 15. num. 10.* & per consequens isti secundæ gratiæ deficit consensus, quo deficiente intrat restitutio competens Resignanti tanquam spoliato.

5 Vlterius, quia consensus primæ gratiæ præstitus fuit validus, & illo mediante fuit signata supplicatio, & literæ fuerunt expeditæ, & cum præsentatæ fuissent executori, ille propter inhabilitatem Resignatarij declarauit literas non esse exequendas. Vnde prædicta expeditio habuit suum finalem effectum mediante dicta declaratione, à qua Resigntarius non appellauit, quibus stantibus clare videtur intrare *tex. in dicto §. hoc sermone. cum alijs adductis.* Et eo ipso, quod essecutor prædictam declarationem fecit, & pars acquieuit, ius Resignatarij remansit penes Resignantem. Vnde non potuit postea procurator per nouum consensum præiudicare Resignanti absque ipsius nouo mandato.

6 Nec obstare visum fuit, quod sub eadem gratia fuerint expeditæ duplicatæ litre, quod fieri potuit absque nouo consensu. Quia fuit responsum, quod secundæ literę fuerunt expeditę sub data secundæ supplicationis, quæ fuit diuersa à prima, & sic fuerunt duæ diuersæ gratiæ, quarum secunda non potuit sine nouo consensu expediri, iuxta *decis. 397. par. 1. & decis. 856. num. 8. & sequenti. par. 3. diuers.*

7 Quibus addebant Domini istam secundam gratiam non carere vitio subreptionis, ex quo in eo non fuit facta mentio, quod Resignatarius in partibus fuerat reprobatus, & per proprium Ordinarium declaratum literas non esse exequendas, quod absque dubio reddidisset, difficiliorem Pontificem ad concedendum, ad text. in c. constitutus apud sedem. de rescriptis. Ex quibus ita fuit resolutum.

R. P. D. CAVALERIO.

Giennen. Cappellaniæ. Veneris 15. Iunij 1612.

DECISIO CCCCXXIV.

Est impressa inter Caualer.

DECISIO 208.

R. P. D. PIROVANO.

Romana Census. Lunæ 18. Iunij 1612.

ARGVMENTVM.

Emptio census de proprijs pecunijs facta ad alterius fauorem an, & quando empti census dominium transferat in eum, ad cuius fauorem emptio facta est, & quid de emente censum, & reseruante dicti census liberam dispositionem in alterius personam.

SVMMARIVM.

Emens centum de proprijs pecunijs ad fauorem tamen, & vtilitatem alterius acquirit illi, ad cuius fauorem emit. nu. 1. & seqq. Vbi quid si fuerit eiusdem census dispositio reseruata alteri tertiæ personæ.
Reseruata dispositio in emptione census alicui tertiæ personæ an, & quando importet, vt idem census pleno iure dominij acquiratur illi personæ cui reseruata est dispositio, an vero sola dicatur concessa eiusdem census administratio. num.2. & seq.

Administrator cum libera facultate an, & quæ facere possit vigore dictæ facultatis, nu. 3.

DECISIO CCCCXXV.

1 DOmini steterunt pro confirmatione senetentiarum, in quibus fuit declaratum, censum Scut. quingentorum acquisitum per Liuium Gabriellinm Alexandro Mariæ Vitellio eiusque hæredibus, ad dispositionem tamen Domini Horatij Amaduccij spectare ad prædictum D. Alexandrum, Nam cum Liuius dominium, & possessionem Alexandro acquirere voluerit emendo censum specifice illum nominando, & potuerit vti procurator. *l. 1. C. per quas personas nob. acq. l. per procuratorem. C. de acquiren. possess. l. quod meo. ff. eod. tit. de acquir. poss. cap. cum venissent. de restit. spol. Bald. de contrah. empt. & vendit. in rub. num. 27. Surd. decis. 226. num.* 1. vel saltem vti negociorum gestor sequuta ratihabitione. *l. si pupilli. §. sed si ego. ff. de neg. gest. Anchar. cons. 127. in princ.* consequenter censum ad eundem Alexandrum spectasse, & nunc ad eiusdem filios, & hæredes pertinere, pro quibus etiam fuit stipulatum in instrumento census.

2 Et quæ dicuntur de reseruatione in eodem instrumento fauore Domini Horatij apposita, & formalibus verbis concepta reseruata, tamen eidem Domino Horatio Amaduccio, licet absente plena, & libera facultate, & auctoritate, ac arbitrio, tam census pro tempore currendos exigendi, quam etiam censum ipsum, ac illius iura retrouendendi, extinguendi, & respectiue cedendi, pretium quoque exigendi, recipiendi, & recuperandi, & de habitis, receptis, & habuisseconfessis quietandi, & generaliter de illo, & iuribus illius libere administrandi, & disponendi, etiam absque aliquo mandato Domini Alexandri. Si prædicta verba essent intelligenda de absoluta, & omnimoda dispositione, quæ necessario præsupponunt dominium, & possessionem, sine quibus facultas liberæ dispositionis non intrat. *l. 1. ff. de pignor. & arg. l. 2. de iuris. omn. iud. l. ad rem mobilem. & l. ad lagatum. de procurat.* nulli dubium, quod Amaduccio census esset quæsitus, quia animus Liuij fuisset taliter acquirendi, & qui principaliter in acquisitione dominij, & possessionis inspici debet esto, quod alia persona in instrumento fuisset nominata. *l. qui mihi donatum. ff. de donat. Anchar. dicto consi. 127. in primo vers.* sed plura concurrunt presumeretur enim nomen illius simulate adscriptum in instrumento, quia nec illius pecunia census fuit emptus, neque statim cœpit possidere, *Bald. & Salicet. in d. l. multum interest. C. si quis alteri, vel sibi. Dec. consi. 543. num. 15. & 16. Menoch. de arbitr. casu 470. num. 20. Surd. d. decis. 335. num. 12. in fine.*

3 Ceterum Domini existimarunt verba reseruationis non esse referenda ad absolutum dominium, sed duntaxat ad liberam administrationem, quæ se compatitur cum acquisitione dominij census in persona Alexandri, vt in alijs decis. coram DD. meis Coccino, & Caualerio fuit consideratum. Facultates autem liberi administratoris, etsi includant ea omnia, quæ Dominus facere posset, & etiam alienando, & permutando. *l. procurator cum libera. ff. de procur. vbi Bar. in princ. Bald. in l. 1. ad fin. vers. item adde. ff. de offic. procur. Cæsar. Surd. decis. 229. num. 26. Illustrissimus Mantic. de contract. lib. 7. tit. 2. nume. 14.* non tamen donare, vel legare possunt, vt dicunt *Bart. & alij præcitati*, & sunt signa absoluti dominij, & dispositionis, cum in contextu reseruationis non legantur, vel saltem æquipollentia, vt in casu *Anchar. in dicto consi. 127.* ibi, & prout poterat dicta venditrix ante dictum contractum. Sequitur dicendum iura acquisiti dominij, non remansisse vulnerata propter reseruationem, maxime quia verba, ex quibus argumentum dominij pro Amaduccio desumebatur, erant magis restricta ad administrationem, quam ad dominium, ibi & generaliter de illo, & iuribus illius libere administrandi, nec dicatur, quod etiam subsequebatur verbum, & disponendi æque vniuersale, quia, & illud bene conuenit terminis administrationis circa facultatem vendendi, & permutandi, absque eo, quod importet in ceteris absolutum dominium, & quod semper retentus fuerit sermo de facultate administrandi. Bene indicant alia sequentia verba ibi etiam, absque mandato. D. Alexandri, quæ superflua fuissent, quatenus dominium in persona illius non fuisset considerabile, & prædictis exinde accessit declaratio eiusdem Amaduccij, qui super procuratore Alexandri gessit in exigendo fructus census enunciando procuratore, & reseruatarium, quæ obseruantia multum mouet dominos, vt Amaduccium crederent administratorem, & non dominum qui etiam, in alijs negotijs per DD. Vitellijs vti talis se gerebat, & ita fuit resolutum, &c.

REVER. P. D. MANZANEDO.

Bononien. Pecuniaria Dotis. Lunæ 18. Iunij 1612.

ARGVMENTVM.

Annalis, seu decennalis præscriptio vigore statuti Bononiæ, quando, & in quibus casibus habeat locum, & quando non.

SVMMARIVM.

Inuentarium probat contra illum, qui inuentarium fecit, & contra eius hæredes. num. 2.

Instrumentum productum, & registratum in actis probat absque productione Originalis. num. 3.

Debitum Canonicatum per sententiam non præscribitur nisi spacio 30. annorum. num. 5.

DECISIO CCCCXXVI.

1 VIgesima sexta Martij proxime præteriti dubitaui, an sententia vltima de partibus esset confirmanda, nec ne. Et Domini dubium prædictum restringendum dixere ad tres apochas continentes summam Scutor. 1025. in quibus D. Portia prætendit etiam se creditricem esse. Vnde 6. Aprilis dubitaui. An constaret de credito dictarum trium apocharum, & tam illa die, quam 21. Maij, qua idem dubium repropos ui, semper propter diuersas DD. sententias fuit dictum, Non liquet, & hodie iterum eodem dubio proposito, cum contra dd. apochas diuersę exceptiones opponerentur, inter quas, præscriptio statutaria vnius anni, & alia decennalis deducebantur desumptę ex statutis mercatorum Bononię, DD. quo ad istam præscriptionem dixerunt, illam non intrare, & quod de reliquis videretur.

2 Et mouebantur ex eo, quia præscriptio annalis, de qua in dictis statutis in rubr. 19. fol. 61. vers. *Ancora statuimo.* procedit tantummodo, quando debitum probatur per librum, seu per scripturam, sed si per aliam probationem saltem semiplenam probaretur, cessaret d. præscriptio, *vt in d. rubr. 19. fol. 62. versic. specificando*, sed sic est, quod in casu nostro adest vltra dictam apocham alia etiam plena probatio, nempe descriptio istius debiti facta ab Hieronymo in inuentario hereditatis Æmylij, his verbis, Crediti, *che si fanno del Signor Emilio Maluezzi. In prima per la Signora Pompilia Zambeccaria de Maluezzi, per sua dote circa Scudi 2500. & per altri suoi crediti Scudi* 1025. quod quidem inuentarium probat contra Hieronymum, & illius hæredes ad *text. in l. fin. & ibi notat. C. de arbitr. tutel. Paris. consil. 45. numero 20. libro 2. decis. 71. numer. 3. & decis. 800. in princ. & nu. 22. vers.*

22.*verf. tertia difficultas. par.* 1. *diuerf. Surd. confilio* 290. *num.*27.

3 Præfcriptio autem decennalis de qua in d. rubr. 22.fol.76. verfic.ma acciò,&c. quæ currit contra apochas recognitas,confeffatas, aut regiftratas in actis in contumaciam, *de quibus in d. rubr.*22.*fol.*75.*&* 76.*verf. per tanto*, *& verf. ma che*, vifa fuit DD. nec etiam intrare in noftro cafu. Cum prædictum ftatutum loquens de prædictis apochis fic recognitis, aut regiftratis,procedat in duobus cafibus,nempè,quando talis apocha fuit reperta penes debitorem, quo cafu illi fidem effe adhibendam ftatuitur, fecus vero in fecúdo cafu, quando penes creditorem non inuenitur. Nos vero verfamur in tertio cafu diuerfo, nempè, quod iftæ apochę,nec fuerunt repertę penes creditorem,nec penes debitorem, cum fuerint deperditæ, & fic fumus extra cafum ftatuti, & in terminis iuris cõmunis, quo difponitur, quod inftrumentum productum, & regiftratum in actis probet abfque productione originalis.*Dec.in c.quoniam contra.nu.*51.*de prob. Felin.in cap.fin.in vlt.fallent.de fid. inftrum. Couar.pract.c.* 21. *num.*6. Quod,& procedit vigore Innocentianæ,de qua in noftris terminis loquitur *Caputaq. decif.*354.*nu.* 6.*par.* 2. Vnde cum non fimus in apochis, de quibus difponit prædictum ftatutum, nec etiam ad illas debet extendi præfcriptio per ftatutum ftabilita circa apochas in illo comprehenfas.

4 Vlterius, quia nec prędicta annalis, nec decennalis præfcriptio procedit folo temporis curfu, cum etiam requirat iuramentum debitoris in facto proprio de folutione, vt circa præfcriptionem annalem *eft videre in d.rubr.*19.*fol.*62.*verf.alle quali eccettioni*, & de præfcriptione decennali *in d. rubr.*22.*fol.*76.*verfi. le quali eccettioni*, quod tamen iuramentum nunquam fuit præftitum, nec hodie iam præftari valet, cum debitor pluribus ab hinc annis obierit.

5 Et tandem vtramque pręfcriptionem ex prædictis non intrare vifum fuit, cum dd. ftatuta illas admittant in apochis à quacumque perfona fcriptis, aut in recognitis, confeffatis, feu regiftratis in contumaciam, non autem loquuntur de illis, fuper quibus fuerunt latę fententię, feu facta decreta diffinitiua fuper illarum executione, prout in cafu noftro vbi mandatæ fuerunt iftę apochę exequi per fimile decretum contra bona hęreditaria Æmylij debitoris. Vnde fumus extra cafum ftatuti, & in difpofitione iuris communis iuxta quam contra talem fententiam, feu decretum diffinitiuum non pręfcribitur, nifi fpacio 30. annorum, *ad tex.in l. ficut. C.de præfcri.*30. *annorum. Bal. in rubr. de præfcrip. num.*22. *Felin. in c.inter monafterium. in* 16. *limit. Balb de præfcript. in* 4.*par. quartæ partis princip.quo.*31. *Achill. decif.*5. *de præfcrip.* Ex quibus fic fuit refolutum.

R. P. D. PIROVANO.

Bononien.Iuris patronatus. Mercurij 20. *Iunij* 1612.

ARGVMENTVM.

Lite pendente fuper beneficio, quando Ordinarius poffit inftituere, & patronus præfentare, & an Papa poffit liberè conferre beneficium exiftente lite fuper pertinentia Iuris patronatus.

SVMMARIVM.

*Iuris patronatus in dubio Papa præiudicare voluiffe non præfumitur. num.*1.
*Reftitutio in integrum non datur, non conftito de bono iure. num.*1.
*Lite pendente fuper beneficio, nec Ordinarius poteft inftituere, nec patronus præfentare. num.*2. *Vbi declaratur hæc conclufio, & num.*3. *&* 5.
*Papa an poffit conferre beneficium exiftente lite fuper pertinentia Iuris patronatus. nu.*4.

DECISIO CCCCXXVII.

1 CEnfuerunt Domini non conftare de caufis reftitutionis in integrum, quia Ioannes Maria non docet de aliquo bono iure fuo, fed potiùs de malo ex decifionibus in hac caufa factis. De iure patronatus enim non videtur ex eifdem poffe dubitari, & Io. Maria illud non negat, & propterea inde refultat nullitas refignationis,in qua de Iure patronatus nulla eft facta mentio, & cui Papa in dubio non præfumitur voluiffe præiudicare. *Lap. alleg.* 96.*fub num.*3. *verf. veritatem puto. Put. decif.* 412. *num.* 2. *lib.*1. cum alijs allegatis in decif. diei 29. Febr. 1608. in hac caufa ceffante autem bono iure, ceffat læfio, quod eft precipuum fundamentum reftitutionis in integrum *Rot.decif.*1. *in nou. de reftit. in integ. Benintend. decif.*85. *num.*6.*&* 7.

2 Neque obftat gratia perinde valere, quia quo ad deuolutionem non iuftificatur, dum patroni vltra quadrimeftre non tacuerunt, neque quo ad litem. Nam etfi lite pendente fuper beneficio, nec Ordinarius poffit inftituere,nec patronus poffit prefentare.*c.* 1.*&* 2.*vt lit.pendente.in* 6.*vbi Gemin.nu.*8.*verf.Nec obftat Calder. confi.*1. *eod. tit. de Iure patron.* & latiffime comprobat *Lancell.de attent.c.*4.*in præfat.illatione* 5.*nu.*626.*&* 628. Tamen lis,quam exigit Papa,debet effe fuper beneficio inter prefentatos, ita vt illud fit litigiofum. *Achill.decif.*28. *in fi. de appellat.* & hoc neque in facto, neque in iure videtur iuftificatum, vt bene deducitur in fupradicta decifione diei 29.Februarij 1608.

3 Nec obftant auctoritates allegatæ ad probandum, quod difpofitio *c.*2. *vt lit. pend.* procedat etiam quando agitur de beneficio Iuris patronatus laicorum, quia inde non fequitur, quod lis fit fuper beneficio, litigatur iuter Ordinarium, & patronos, fuper pertinentiam Iuris patronatus.

4 *Caffad. autem decif.* 3. *vt lite pendente, & Simonet.decif.* 33.*ac Lancell. de attent. in præfat. num.*543. qui allegantur ad oftendendum,quod Papa poffit libere conferre exiftente lite fuper pertinentiam Iuris patronatus, vere non videntur hoc firmare. Nam verba Caffad. cuius auctoritate nititur Simonetta ibi prætendebatur beneficium effe de iure patronatus Regis Scotiæ videntur expreffa adftringendum motiuum fubreptionis, quia de Iure patronatus Regum, Ducum, & Marchionum, erat fienda expreffa mentio fecundum regulam Cancellariæ, non autem ad fupponendam litem fuper Iure patronatus. Lancellottus vero fimpliciter fequitur *Caffad. & Simonettam*, quod non diftinguunt, quando lis eft inter Ordinarium, & Patronos.

5 Quare cum difpofitio *cap.* 1. *&* 2. *vt lit. penden. in* 6 prohibeat duntaxat patronis præfentare, quando lis eft inter præfentatos introducta, vel quando lis eft inter poffeffores, & vnus decedat, vel renunciet, & prædictis cafibus Papa conferat, vifum eft eam non effe extendendam ad cafum, quando lis eft inter Ordinarium,& patronos. Super pertinentia Iuris patronatus, & merito ne femper mouendo litem effet in poteftate Ordinarij priuare patronos fuo iure præfentandi, vt confiderat *Lambert. de Iure patro.lib.*2.*par.* 2. *q.*1. *princ. art.*9. *num.*14.

REVERENDISS. P. DOMINO COCCINO DECANO.

Parmen. Datij. Mercurij 27. *Iunij* 1612.

ARGVMENTVM.

Obligationis, Promissionis, & Delegationis causa cessante, cessat ipsa obligatio, promissio, & delegatio, remanetque inefficax, & inualida, presertim in correspectiuis, & quando correspectiue dicantur.

SVMMARIVM.

Obligationis causa cessante cessat obligatio, quæ sine causa remanet inefficax, & inualida, nu. 2. & 3.

Fideiussor qui se obligauit, vt principalis principaliter, & in solidum efficitur Correus debendi, nu. 3.

Correspectiua pacta dicuntur ea, quæ in continenti, & in eodem instrumento apposita fuerunt, nu. 3.

Delegationis causa cessante, cessat etiam ipsa delegatio, num. 4.

Delegatio facta à creditore alterius suo creditori proprio adhuc vt valeat quæ requirantur, num. 4.

Correspectiua dicuntur inter se connexa, ita quod aliud, quod inest, & alteri, vnicuique actus videatur tantum etiamsi essent plures diuersæ naturæ cum vnus ab altero dependeat. num. 6.

Correspectiuo vno sublato totum cadere necesse est, & vno correcto censetur etiam correctum alterum etiam respectu tertij, cui promissum fuit, num. 7.

Exceptio non implementi retardat executionem obligationis Cameralis, num. 7.

Clausula sine retardatione solutionis fructuum decurrendorum, quid importet. num. 8.

DECISIO CCCCXXVIII.

1 Illustrissimus D. Marchio Sancti Secundi emit Datium, de quo agitur ab Illustriss. & Reuerendiss. D. Cardinale Sfortia, & ad computum pretij suscepit in se onus soluendi partem Montis Domicellorum Vrbis Scut. 55. millium, ad prædict. D. Cardin. spectan. & in eodem instrumento occasione prædictæ venditionis se obligauit ad fauorem eiusdem D. Cardinalis Notario pro interesse habentibus stipulante, cuius stipulationis vigore Montistæ pro fructibus d. partis Montis exequutiue egerunt contra Dominum Marchionem. Cum vero fuerit resolutum d. venditionem non sustineri, ex quo Datium erat suppositum fideicommisso, & propterea intrare obligationem Cardinalis de restituendo pretium, & ad illud Marchionem posse agere exequutiue stante obligatione Cardinalis. Dubitaui an causa esset expedienda contra Montistas, & quomodo.

2 Et quantum attinet ad primam partem dubij non dubitabatur, causam esse expedien. quia ex resolutionibus iam factis citatis etiam Montistis, constat venditionem esse resolutam, ex quo Datium est suppositum fideicommisso contra promissionem Cardinalis. Vnde cessat causa, ex qua Marchio se obligauit, & proptereat cessat eius obligatio, & tanquam sine causa remanet inefficax, & inualida. *l. si pupillus. la secunda, vbi Bald. & Imol. ff. de acquir. hæred. Anchar. consil. 330. num. 11. Galles. ad for. Cam. oblig. ad par. 4. 2. par. q. 1. nume. 10. & 12.* & dixit Rota in causa Camerinen. dotis, 28. Maij 1601. coram me, & in puncto placuit Dominis decisio in causa Camerinen. pecuniaria 3. Aprilis 1598. coram Illustriss. D. Card. Mellino, vbi quod promissio soluendi correspectiua ad appaltum Gabellæ intelligitur, quatenus appaltus obseruetur, & duret.

3 Neque obstat, quod prædicta possent considerari respectu Cardinalis, secus autem respectu Montistarum cum Marchio mediante stipulatione Notarij ad eorum fauorem se obligauerit, & fideiusserit vti principalis principaliter, & in solidum, & ideo fuit effectus Correus debendi vna cum Cardinale. *Mohed. decis. 2. de fideiuss.* Vnde nullus potest considerari defectus causæ respectu ipsorum Montistarum. Quia fuit responsum, quod ista obligatio Marchionis est correspectiua ad promissionem Cardinalis, quod Datium erat liberum ab omni fideicommisso purificato, & purificando, in continenti enim, & in eodem instrumento hæc omnia fuerunt gesta. *Corn. consi. 350. num. 1. circa med. lib. 1. Gramm. decis. 103. num. 156. in princ.* & propterea etiam quod Marchio sit principaliter obligatus ad fauorem Montistarum, & sic tertij nihilominus cessat ista obligatio ex defectu causæ, quia non se principaliter obligauit, & fuit effectus Correus debendi in gratiam Cardinalis, & Montistarum simpliciter, sed ex causa venditionis Datij. Quamobrem cum hodie cesset dicta causa, cessat quoque obligatio Marchionis, vt in puncto de obligatione facta ad fauorem tertij, dicit *Aym. in consi. 461. num. 39. lib. 3.* vbi donatio facta tertio, quæ colligebatur correspectiua ad matrimonium contrahendum, ex quo erat facta in continenti non sustinebatur; quia matrimonium non fuerat sequutum, *& num. 63.* dicit quod remissio crediti, quæ censebatur correspectiua ad promissionem indemnitatis factam à tertio non sustinebatur, quia dicta promissio corruebat, & bene facit etiam decisio in causa Romana censuum Scutorum 18. millium 2. Iunij 1606. coram Reuerendissimo D. meo Archiepiscopo Bonon.

4 Non obstat, quod hic vltra prædictas promissiones fuit etiam inducta delegatio, quia quatenus hoc esset verum, non releuaret, cum generaliter omnis promissio cesset ex defectu causæ ex late congestis per Tiraquell. in tractatu cessan. caus. parte prima, nu. ducentesimo vigesimo quarto. vers. promissionis causa, & in puncto, quod cessante causa delegationis, cesset ipsa delegatio, dicit *Dec. in cons. 421. incip. plene, & subtiliter. num. 14. in fi. vers. quia dato*, quod delegatio vltra quod vere non adest aliqua delegatio cum Marchio non promiserit Montistis aliquid tanquam debitum Cardinalis, quod est vnum ex requisitis ad inducendam delegationem. *Dec. in l. singularia. num. 27. ff. si cert. pet.* neque promissio fuit facta Montistis presentibus, & acceptantibus, quæ præsentia, & acceptatio ad hunc effectum est necessaria. *Vinc. de Paleott. inter consi. Alex. 96. num. 2. lib. 3. Rot. Ianuen. decis. 2. num. 20. & decis. 19. num. 7. & decis. 99. num. 2.* vbi quod non dicitur facta delegatio, nisi adsit interuentus trium personarum, & quamuis adsit stipulatio Notarij pro omnibus, quorum interest, &c. tamen non constat de acceptatione Montistarum ex post immo apparet de contrario, quia Montistæ, quando egerunt contra Marchionem egerunt etiam contra Cardinalem, ex quo patet, quod noluerunt ipsum liberare, sed vti tantum obligatione accessoria Marchionis.

5 Neque applicantur ea, quæ deducuntur circa derogationem fideicommissi ad fauorem Montistarum, quia vltra responsiones datas in alia decisione cum fuerit derogatum respectu tantum bonorum dicto Monti suppositorum stant simul, quod emptores locorum Montium sint tuti, & quod nihilominus Marchio qui suscepit in se onus soluendi loca Montium loco partis pretij Datij non sit tutus pro Datio, cum sit suppositum fideicommisso, & in hoc stat defectus causæ, ex qua corruit obligatio Marchionis, cui non censetur prouisum, ex eo quod fauore Mõtis sit derogatum fideicommissis super bonis dicti Monti suppositis, quia Datiũ non est suppositum dicti Monti.

6 Quantum ad secundam partem dubij circa modum expeditionis causæ, nulla adest difficultas, quod Illustriss. D. Marchioni non potest denegari absolutoria contra Montistas. Sed quia fuit firmatum mandatum exequutiuum pro pretio contra d. D. Card. esse relaxandum ad effectum cum illius parte extinguendi d. ratam

ratam Montis accollatam, Domini censuerunt esse inhiben. Montistis ne amplius molestent D. Marchionem vigore dd. obligationum in accollatione dictæ ratæ Montis factarum: nam hic nulla adest obligatio Montistarum erga Marchionem in euentum, quod Datium non esset liberum à fideicommisso, vt viden. sit, quomodo, & ad quid se obligauerint, sed solum adest obligatio ipsius Marchionis erga dd. Montistas, quæ cum sit correspectiua ad promissionem factam per Cardinalem Marchioni, quod Datium erat liberum ab omni fideicommisso purificato, & purificando, vt dictum est, & cum iam sit resolutum hanc promissionem Cardinalis non subsistere corruit etiam promissio Marchionis ad fauorem Montistarum, ex defectu non adimplementi Cardinalis: nam in correspectiuis illud quod inest vni, inest & alteri: ita vt vnicus actus videatur etiamsi essent plures diuersæ naturæ, cum vnus dependeat ab altero, *Bald. consil. 317. incip.* ad euidentiam præmittendum est, quod si mutuans. per tot. & præsertim in *fin. lib. 3.* vbi quod si per Titium mutuantur centum Mæuio, & Mæuius statim illa deponat penes Titium, licet in deposito non admittatur compensatio. §. in bonæ fidei, vers. excepta sola depositi actione. Instit. de action. *l. si quis vel pecunias. C. deposit. l. fin. C. de compensat.* tamen secus est in isto casu, quia depositum pendet à mutuo ratione correspectiuitatis, & connexiatis contractuum ita in proposito licet non adimplementum Cardinalis regulariter non posset nocere Montistis, tamen secus est cum obligetio Marchionis erga Montistas dependeat, & sit correspectiua ad promissionem Cardinalis correspectiua enim sunt indiuidua, vt vnum tantum censeantur. *Signorol. consil. 1. numero 5. & consi. 2. num. 13.*

7 Vnde sublato vno totum cadere necesse est, & vno correcto censetur etiam correctum alterum etiam respectu tertij, cui promissum fuit, vt per *Aym. d. consi. 461. num. 39. in fi.* & propterea cum ex prædictis appareat liquida exceptio non implementi, quæ vt dictum est, obstat etiam Montistis, retardat exequutionem obligationis Cameralis ad fauorem Montistarum. *Corn. consil. 297. & consil. 291. num. 7. & 8. lib. 3. Galles. de oblig. Camer. q. 1. num. 1. vers. quantum. & num. 7.* & ideo inhibendum est dd. Montistis, ne vigore dd. obligationum molestent amplius Marchionem, vt bene per *Mandos. de inhib. q. 49. num. 5.*

8 Non obstat, quod causa sit commissa sine retardatione solutionis fructuum decurrendorum, quia ista clausula operatur solum, quod Iudex non possit procedere in negotio principali, nisi prius solutis fructibus. *Sarnen. in compendio signat. num. 84. Paris. consil. 94. num. 12. lib. 4. Cæs. de Grass. decis. 8. num. 13. de sent. & re iudicat.* non autem, quod finito negotio debeat continuari ad solutionem fructuum. Hic autem cum constet Rotæ cessare obligationem Marchionis ad fauorem Montistarum, vt supra dictum est, sequitur, quod clausula prædicta amplius non possit operari effectum suum.

R. P. D. PIROVANO.

Aprutina, seu Montis Alti beneficij. Veneris 1. Iulij 1612.

ARGVMENTVM.

Subrogatio non gratiosa, sed rigorosa non admittitur nisi iustificata narratiua gratiæ quo ad omnia, & discusso iure illius, in cuius locum quis est sobrogatus.

SVMMARIVM.

Subrogatio non gratiosa, sed rigorosa non admittiur nisi iustificata narratiua gratiæ, quo ad omnia, & discusso iure illius, in cuius locum quis est subrogatus. num. 1. & 2.

Subrogatio, in qua narratur defunctum, & supplicantem esse prouisos Apostolicos, & beneficij valor, dicitur subreptitia, nisi vtrumq; narratum fuerit probatum. n. 2. & seq.

Testes etiam non interrogati debent reddere rationem eorum depositionis, quando deponunt super probatione valoris. num. 3.

DECISIO CCCCXXIX.

1 PRoposui dubium, an gratia Donati esset iustificata ad effectum, vt inde veniret subrogandus, & immittendus in possessionem beneficij, de quo agitur. Et contra Donatum fuit resolutum, cum versemur in subrogatione non gratiosa, sed rigorosa, quę non admittitur, nisi iustificata narratiua gratię, quo ad omnia, & discusso iure illius, in cuius locum est subrogatus. *Cassad. decis. 1. num. 4. vt lit. pend. Mohed. decis. 11. eod. tit. cum alijs allegat. per Lancel. de attent. par. 2. in præfat. num. 180.* quod idem fuit firmatum in Vallisoletana Scholastrię. 17. Iunij 1602. coram bo. mem. Litta.

2 Narratiua, quod & tam ipse Donatus, quam Laurus prędefunctus essent prouisi Apostolici nullibi probatur, nec minus probauit valorem beneficij narratum non excedere Ducatos 70 quæ tamen egebant particulari iustificatione ad euitandum vitium subreptionis, vt dicit *Verall. decis. 345. nu. 3. par. 2. Feli. in c. ad aures. num. 4. & 5. de rescriptis. Put. decis. 24. num. 1. lib. 1.* & sæpius fuit resolutum.

3 Non obstant testes, qui dantur pro parte Donati ad probandum valorem. Quia fuit dictum eos deponere per assensum, & propterea non probare, vt pluries fuit resolutum, nec reddunt rationem, quam tamen in valorę probando debent etiam non interrogati reddere. *Rimin. sen. cons. 138. num. 31. Cassad. decis. 19. num. 3. super regulis.*

4 Demum non fuit iustificatum ius Lauri prædefuncti, quod scilicet beneficium, quod obtinebat, esset de Iure patronatus, & à maiori parte patronorum essęt presentatus. Et ita ex prædictis fuit resolutum.

R. P. D. CAVALERIO.

Papien. Aquarum. Mercurij 4. Iulij 1612.

DECISIO CCCCXXX.

Est impressa inter Caualerio.

DECISIO 215.

REVER. P. D. PAMPHILIO.

Perusina Spolij. Mercurij 4. Iulij 1612.

ARGVMENTVM.

Vrbis statutum requirens in contractu minoris certas solennitates comprehendit etiam forenses, dummodo sint minores annorum 20. secus si maiores annorum 20. licet minores annorum 25.

SVMMARIVM.

Instrumentum dicitur probatio probata, & facit rem manifestam. num. 1. in fine.
Mandatum habens duo capita, potest pro vno capite exequi, etiam quod in alio capite sit iniustum. num. 2.
Minor prohibitus à statuto Vrbis contrahere sine certis solennitatibus, etiam quod sit forensis, dicto statuto subijcitur. num. 3.
Minor prohibitus à statuto Vrbis contrahere sine certis solennitatibus, si est maior 20. annorum licet minor 25. non comprehenditur sub dicto statuto. num. 3.
Instrumentum, in quo reperiuntur relicta multa in albis, adhuc probat, quando continet omnia sustantialia. n. 4.
Tertius quando venit ad causam pro suo interesse in statu, & terminis, in quibus reperitur, censetur ratificasse omnia eo tempore acta, & gesta. num. 5.
Depositum summæ liquidatæ dicitur sufficiens, etiam quod non sit integrum respectu summæ non liquidatæ, quando pars recusauit illud recipere. num. 6.
Appellans redeundo ad Iudicem à quo, & coram eo producendo iura dicitur appellationi renunciare, etiam quod productio fuerit facta per procuratorem, num. 7.

DECISIO CCCCXXXI.

1 HÆredes D. Guidaccij, & consortes de an..... pro eorum credito Scut. 5282. obtinuerunt mandatum executiuum, illudque exequi fecerunt super Tenuta Arcis Comitis Angeli, quæ fuit subhastata, & deliberata DD. de Oricellarijs, licet nulliter, vt fuit in hac causa decisum. Vnde D. Gineura Saluiata, & Domina Margarita Sancta Crucia heredes Domini Guidonis Balleoni obtinuerunt in iudicio spolij ad possessionem dictæ Tenutæ restitui. Modo Domini de Oricelarijs, qui soluerunt pretium dictæ Tenutæ, & reperiuntur sine re, & pretio, obtinuerunt tam nomine proprio, quam dictorum hæredum Guidacij creditorum per signaturam committi, vt ad nouam subhastationem, & deliberationem procedatur, cum clausula, Purgato spolio. Ideo proposui dubium, an esset procedendum ad vlteriorem executionem. Et Domini dicta die re mature discussa responderunt esse procedendum ad executionem mandati alias relaxati ad fauorem dictorum hæredum Guidaccij pro summa Scutorum 5282. quia eius validitas non controuertitur. Iustitia autem, quæ resultat ex probatione dicti crediti Guidacci, bene colligitur ex instrumento transactionis initæ inter dictos hæredes Guidaccij, & D. Guidonem Balleonum, quod dicitur probatio probata. *Bald. in l. interest. in vltimo notab. C. de solut.* & facit rem manifestam. *Bartol. in l. 1. num. 8. & ibi Ias. num. 10. ff. de nou. oper. nunciatione.*

2 Nec obstare, quod dictum mandatum fuerit relaxatum, etiam pro interesse in dicto instrumento conuento, quod prætenditur non deberi, quia quicquid sit de eius validitate respectu interesse, de quo erit particulariter agendum, hodie non petitur executio, nisi pro sorte principali, pro qua bene potest dictum mandatum exequi, etiam quod non subsisteret respectu interesse, cum contineat capita separata ex late deductis in causa Melphien. Spoliorum 11. Octobris 1576. coram Cantuccio, relata inter impress. *decis. 33. num. 6. & seq. par. 2. diuers.*

3 Minus etiam subsistere nullitatem transactionis ex eo, quod facta fuerit à Guidone, tunc minore 20. annis absque solennitatibus statutorum Vrbis, *cap. 151. lib. 1.* quod comprehendit minorem forensem in Vrbe contrahentem. *Caputaq. decis. 19. par. 3.* & fuit dictum in causa Romana, donationis. 12. Februarij 1596. coram bonæ memoriæ Cardinale Seraphino. Quia fuit responsum, quod licet Domino Guido esset tunc minor viginti quinque annis, erat tamen maior viginti, vt fatentur Informantes pro Dominis hæredibus Guidonis, & constat ex ipsius iuramento in instrumento transactionis, qui proterea non comprehenditur sub dicto *statuto lib. 1. cap. 151.* quod intelligi debet de minore 20. annis, secundum dispositionem eorundem statutorum Vrbis, non autem de maioribus 20. vt in istis terminis fuit resolutum in Romana Donationis 15. Iunij 1587. coram Card. Seraphino.

4 Neque aliquid facere, quod in dicto instrumento multa fuerint in albis relicta, quia cum contineat summam debitam, vt legitur in principio instrumenti, & omnia substantialia, satis dicitur probare.

5 Quod autem dicebatur non posse fieri executionem contra hæredem Dominæ Margheritę, cum ipsa non fuerit citata, nec nominata in mandato, de cuius executione agitur, visum fuit Dominis sublatum ex eo, quod sola Domina Gineura tunc erat in possessione totius hæreditatis. Vnde contra illam bene fuit intentatum iudicium, & quando postea Domina Margarita venit ad causam pro suo interesse in statu, & terminis in quibus reperiebatur tunc dicitur fecisse omnia acta sua, & ratificasse omnia acta gesta, *Innocentius in cap. cum super. num. 6. vers. si autem hæc tertia persona, & ibi Butr. num. 18. & Felin. num. 17. de re iudic. Mohedan. decis. 81. Put. decis. 61. lib. 3.* & fuit dictum in causa Calaguritana Beneficij della guardia 6. Nouemb. 1595. coram bo. mem. Card. Pamphilio.

6 Nec subsistere, quod spolium non fuerit integre purgatum, quia quo ad tenutam illa fuit restituta, & hoc non controuertitur. Quo vero ad fructus, & expensas fuit factum depositum in Sacro Monte Pietatis, quod licet prætendatur non continere omnes fructus, & pro toto tempore spolij, tamen cum vigore particularis commissionis fuerint præfixi plures termini ad liquidandum, & pro omnibus fructibus, & expensis liquidatis factum fuit depositum, iuxta practicam Rotę bene potest ad vlteriora in causa procedi, vt fuit dictum in causa Hispalen. beneficij 24. Februarij 1584. coram bonę memorię Cardinale Seraphino. Depositum enim in casu isto visum fuit sufficiens, ex quo est integrę summę liquidatæ iuxta decisionem *Caputaqu. 224. tertius, lib. 1. in manuscript.* & pars recusauit illam recipere, vt fuit dictum in vna Bononien. Pecuniaria 17. Iunij 1605. coram Reuerendiss. Bonon.

7 Et licet a ficta liquidatione fuerit appellatum, & causa appellationis reperiatur commissa. Tamen cum pro parte hæredum Domini Guidonis post appellationem, & commissionem fuerint coram me producta nonnulla iura citato Procuratore Dominorum de Oricellarijs censetur dictę appellationi, & commissioni renunciatum. capitulo gratum. & ibi *glos. verb. recessum, de offic. deleg. cap. solicitudinem. de appellat. Innocent. in cap. quæst. & cap. qua fronte. de appellat. Cephalus consil. 661. num. 28. lib. 5.* quod procedit licet huiusmodi productio fuerit facta per Procuratorem, quia etiam Procurator qui potest appellare comparendo, potest appellationi renunciare, *Ægid. decisione 137. Gabriel. de appellation. conclus. 2. num. 4.*

8 Quo vero ad id, quod obijciebatur de non restitutione quorundam bonorum mobilium in dicta tenuta existentium, fuit dictum, obiectum cessare ex inuentario consignationis mobilium, & animalium factę per dictos hęredes Domini Guidonis eorum Affictuarijs in dicta tenuta, in quo leguntur omnia mobilia, dolia, & animalia descripta in instrumento executionis, & quamuis non fuerit restitutum quoddam vinum ascendens ad barilia 53. tamen ex quo non potuit restitui cum tanto tempore saluari non potuerit, nec fuerit liquidatum, visa fuit sufficiens pro purgatione spolij solutio illius pretij, pro

pro quo bene potest, deseruire summa Scutorum 50. quæ vltra summam tunc liquidatam fuerunt deposita.

9 Nec demum refragari, quod executio amiserit vires suas, cum tenuta fuerit subhastata, solutum pretium, & satisfactum hæredibus Guidaccij, quia hoc non habuit effectum, cum Domini Oricellarij, quibus fuit dicta tenuta deliberata non habeant rem, nec pretium, quo stante, Signatura rescripsit, quod deueniretur ad nouam subhastationem, ad quam propterea rationibus supra deductis deueniendum resolutum fuit, &c.

REVERENDISS. P. D. COCCINO.

DECANO.

Theatina Iurisdictionis. Mercurij 4. Iulij 1612.

ARGVMENTVM.

Ecclesiam esse in territorio vnius diœcesis potius, quam alterius, quomodo probetur.

SVMMARIVM.

Enunciatiua Papæ antiqua probat, Ecclesiam esse in vno territorio potius, quam in alio. nu.2.
Ecclesia dicitur esse in illo territorio, in quo soluuntur Census eiusdem Ecclesiæ. nu.3.
Enunciatiuæ recentes, & nouæ non probant. nu.4.

DECISIO CCCCXXXII.

1 EX deductis in alia causa Theatina Iurisdictionis S. Io. in Venere, coram me sub die 4. Maij, præsentis anni Domini resoluerunt præposituralem Ecclesiam Sancti Leucij loci de Atissa, esse intra fines Theatinæ Diœcesis. Nam vltra ibi ponderata, quo ad Bullas Nicolai II. Alexandri III. & Innocentij III. Roman. Pontif. quæ Theatinæ Limites proprijs ducunt exprimendos vocabulis, intra quos locum Attissæ esse non ambigitur considerarunt Domini, easdem Bullas, Ecclesiam de qua agitur, inter Ecclesias Theatino Episcopatui subiectas connumerare. Concurrit insuper Bulla Paschalis II. sub Dat. Beneuen. Kal. Augusti Anno Domini 1115. in qua ex mera, & propria narratiua, & ex scripto Vrbani II. idem Pontifex Ecclesiam S. Leucij de Atissa Episcopatui Theatino subiectam narrat.

2 Et prædicta validissimum recipiunt adminiculum ex enunciatiua Nicolai V. de anno 1447. ex quo est antiqua, & emanauit ab habente authoritatem disponendi super enunciato, iuxta doctrinam Aretini in capitulo cum causam, il terzo, nu.16. de probat, & alia allegata in supradicta Theatina Iurisdictionis Sancti Ioannis in Venere.

3 Concurrunt etiam census, & procurationis solutio, de quibus constat ex inuentario antiquissimo redituum, & iurium Ecclesiæ Theatinæ facto in pergameno vsque de Anno 1393. cum quo concordant testes examinati in visitatione loci huiusmodi, facta Anno 1591. qui dantur in Summario. Vnde negari non potest quin probetur talis situatio, Capitulo 2. de censibus, & fuit consideratum Tarusina Iurisdictionis, coram Litta 17. Februarij 1598. vt in Sabinen. seu Reatina Abbatiæ, coram Orano 4. Decembris 1592. Concurrit etiam sententia antiquissima ex aduerso producta, quæ multum facit, licet forte non probaret concludenter.

4 Non obstant enunciatiue Pij Quarti, & Pij Quinti pro parte Atissanorum in actis datæ. Quia non probant, cum sint recentes, & nouæ, *leg. non nudis. & l non epistolis. Cod. de probation. leg. ex his verbis. Cod. de de testamen. milit. Rot. decisione trigesima prima, de probat. in antiqu.* & in eadem Taruisina Iurisdictionis, coram Litta. Et ita Domini firmarunt altera tantum parte informante, &c.

REVERENDISS. P. D. COCCINO.

DECANO.

Parisien. Pecuniaria. Veneris 16. Decemb. 1612.

ARGVMENTVM.

Confessio facta per apocham, & scripturam priuatam an, & quando requiret præsentiam partis, vt confitenti noceat, an vero sufficiat, quod pars quandocumque dictam confessionem acceptet.

SVMMARIVM.

Venditio est contractus, qui solo consensu perficitur, nu. 1.
Cessio facta mediante prætio similis est emptioni. nu.1.
Apocha, seu scriptura priuata confecta ad probandum contractum iam factum non requirit præsentiam illius, ad cuius fauorem facta est. num.2. & seqq.
Confessio facta in scriptis absente parte probationem facit contra Scribentem, numer. 2. & seqq. Vbi præsertim de Iure Canonico.
Confessio dicitur facta ad aliquid probandum de præterito, quando emanauit per verba enunciatiua. nu.6.
Verba non sunt attendenda vbi constat de contraria mente loquentis, nu.6.
Tempus vnum quandoque ponitur pro alio, vt habeatur verus intellectus, & menti deseruiatur num.7.
Verba præteriti temporis in confessione apposita quando probent actum ante confessionem, an vero referantur ad tempus confessionis, nu.9.
Remittentibus iura sua non datur ad ea vlterior regressus, nuwer.10.
Filius Titij dicitur etiam quòd pater Titius iam defunctus fuerit. num.10.

DECISIO CCCCXXXIII.

1 CVm bonæ memor. Horatius Oricellarius cesserit certum creditum ad fauorem Nicolai Nasij, quod prætenditur postmodum, & ipsum cessisse ad fauorem Pompeij Bedini Dubium, principale in hac causa fuit, an constaret de dicta cessione Nasij ad fauorem Pompei, quæ suffragetur Syluiæ eius filiæ, & cum allegaretur certa apocha facta per Nasium ad fauorem Pompei, Dubium fuit restrictum die 23. Ianuarij huius anni ad consensum Pompei, vt scilicet videretur an constaret de tali consensu Pompei, qui suffragaretur prædictæ Syluię: Nam cum ageretur de contractu, qui solo consensu perficitur, nempe de venditione §.1. *Instit. de oblig. ex contract.* cessio enim, de qua agitur cum fuerit facta mediante pretio, emptioni similis est, *l. cum is. ff. de fideiussoribus*, ad illius validitatem requirebatur Nuncius, vel epistola. *l. consensu. vbi gl. in ver. consentire. ff. de actio. & oblig. cum allegatis in 1. decisione.*

2 Et cum huiusmodi dubium fuerit affirmatiue resolutum die 30. Martij præteriti, eadem sententia hodie placuit Dominis. Motis ex eo, quia admisso sine veri præiudicio, quod in confessione dictæ apochę Pompeius non fuisset præsens, nihilominus eius presentia non erat necessaria, vel Nuncius, aut epistola, cum apocha non fuerit confecta ad faciendum contractũ, sed ad probãdũ contractũ iã factũ secũdũ sententiã, quã Rot. sequitur, vt per *Ægid. dec. 690. n. 8. vers. extraiudicialib. vero*, & fuit resolutũ in causa Ragusina ma-

matrimonii. 10. Nouembris 1587. coram bonæ memoriæ Episcopo Oriolen. quam sententiam communem dicit *Ripa in l. admonendi, nu, 154, ff, de iureiuran, Surd. cons. 60. nu. 6. & 7, bene Curt. iun. cons. 168, nu. 10, & 11.* qui fuerunt allegati in alia decisione,

3 Quibus addi potest in terminis scripturæ priuatæ *Alex. cons, 191. n. 1. vers. ergo cum non negetur, cum seqq, lib. 2. Gabr. de confes, concl, 1. num, 51. in 5, limitat, Rota Ianuen. dec, 37, nu. 10. vers, 13. illa opinio, & nu. 14. & dec. 45. nu. 6. & 7.*

4 Neque huic conclusioni resistit *Salyc, in l. generaliter, nu. 9, q. 6. C. de non numerata pecunia, vers. sed attende.* vbi quod communis practica se habet, quod confessio facta absente parte nec probationem inducat. Nam fuit responsum, quod quatenus dictum Salyceti sit intelligendum de confessione facta in scriptura, tamen non est recedendum à communi opinione affirmatiua, cum Rota illam sequatur, vt supra dictum est, maxime cum confessiones sint geminatæ, vt mox dicetur, *Felin. in cap. si cautio nu, 39. in vltima fallentia, Surd. d. cons. 60. nu. 7. Gabr, loco superius alleg. in 12. limitatione*, maxime cum in hoc iudicio sit seruandum Ius Canonicum. *Fel. in d. cap. si cautio num. 27. in 2. fallentia, Gabr. vbi supra nu. 46.* vbi de communi, de qua etiam *Hieronym. Gabr. cons. 40. nu. 64. & seq. lib. 2.*

5 Nec etiam prædictæ conclusioni resistit *Bald. in d. l. generaliter nu. 33. q. 11*, qui videtur dicere, quod hæc conclusio non habeat locum in contractibus reciprocis, qui non pendent à voluntate vnius. Nam fuit dictum, quod Baldus refert opinionem Petri de Bellapertica, qui tenet, quod confessio facta in iudicio absente parte non valet ad obligandum, secus autem ad probandum, & subiungit Baldus Tu dic, quod siquidem est talis actus, qui sumit esse ex consensu partiũ, eodem modo sumere debent probationes causæ, hoc est illa confessio non probat ante consensum partis, quia ille actus sumit esse à consensu partium, sed non propterea dicit Baldus, quod consensus debeat esse simultaneus, sed sufficit, quod pars quandocumque acceptet illam confessionem factam in scriptura, vt declarat *Alex. in d. cons. 191. loco superius allegato, & nu. 2.* & innuit ipse Baldus dum dicit, quod sicuti actus sumit effectum à consensu partium, ita debeant sumere probationes causæ.

6 Quod autem dicta apocha fuerit facta ad probandum, & non ad obligãdum, quod est principale obiectum huius decisionis, satis probatur ex tenore ipsius apochę. Nam quando verba sunt enunciatiua de preterito, confessio dicitur facta ad aliquid probandum, vt dicunt *Socinus Sen. cons. 21. nu. 11. vol. 1. Curt. Iun. cons. 168, pariter num. 11.* qui fuerunt allegati in prima decisione, prout vere in casu isto verba sunt enunciatiua de præterito, vt patet ex serie verborum apochæ & ex alijs, vt mox dicitur. Licèt enim in apoca dicatur. *La qual Cedula del Signor Rucellai*, (scilicet Cedula, quę continebat creditum ipsius Nasij) *& ogni mio credito dependente da essa, tanto del Capitale, quanto delli vtili, &c. io credo è transportato al Signor Pompeo Bedini*, quæ quidem verba videntur præsentis temporis, tamen cum appareat de mente & intentione Nasij tam ex alijs verbis eiusdem apochæ, quam ex epistola eadem die ab eodem Naso scripta, de qua infra dicam, non est curãdum de verbis. *vt in capit. de his. de verborum signification.* & verba deseruiunt intentioni, vt notatur *in cap. intelligentia. eodem tit.* sed mens & intentio Nasij fuit, vt fateretur cessionem iam factam, ex quo verba immediate sequentia in apocha concernunt præteritum tempus, vt modo dicetur, apparet igitur, quid intellexit de cessione iam facta, alias Nasius in eadem scriptura, & in epistola eadem die scripta esset sibi contrarius, quod esse non debet.

7 Nec est mirum, quod dicta verba *Cedo è transporto*, sic exponantur, quia quandoque vnum tempus ponitur pro alio, vt habeatur verus intellectus, & menti deseruiatur, sicut in puncto dicitur de verbo, oritur, præsentis temporis, quod exponitur, id est ortus est, *in cap. nam concupiscentiam. vbi gl. in verb. oriuntur. vers. vel expone. de constit, Gemin, cons. 122. nu. 2. & de verbo præsenti*, est, quod aliquando denotat præteritum. *l. verbum erit. ff. de verb. signif. circa med.*

8 Quod autem verba immediate sequentia in apocha denotent tempus præteritum, satis patet ex illius lectura ibi Al quale (scilicet Pompeo) *hò consegnata detta Cedola* (videlicet Cedulam Oricellarij) *insieme con vna missiua delli Bartolomei di Leone, &c.* & inferius reddens rationem huius cessionis, inquit, *a causa & mediante la valuta, ch' io hò riceuuta dal detto Signor Pompeo a mia sodisfattione, della quale mi sono contento, & egli ancora s' è contento pigliare detto credito a suo periglio, e fortuna.* Isti enim verba negari non potest quin sint præteriti tẽporis, & quin denotent actum iam perfectum. alias impossibile esset, quod Nasio fuisset satisfactum, & quod Pompeius fuisset contentus acceptare creditũ ad sui periculum, cum negetur ipsum fuisse præsentem dum conficiebatur dicta apocha.

9 Neque dicatur, quod ista verba præteriti temporis non probant actum ante confessionem, sed referuntur ad tempus confessionis. *Card. cons. 14. in principio.* Nam fuit responsum, quod hæc conclusio vera est, quando Notarius stipulatur, qui cum non possit attestari super his, quæ non vidit, & audiuit, ideo in casu, quo Notarius stipulatur, quod Titius habuit, &c. intelliguntur ista verba de præsenti, alias ipse Notarius falsum committeret, & delinqueret in Officio, & propterea ad hoc euitandum verba intelliguntur de pręsenti. *Alex. cons. 179. nu. 4. & 5, lib. 7. & cons. 77. nu. 10. lib. 6.* quæ ratio cessat in casu isto. Nam cum Cedula fuerit scripta nomine Nasij, & ab eo subscripta, & propterea perinde sit, ac si ab eo fuisset scripta. *Alex. cons. 147. nu. 3. lib. 2.* & fuit dictum in causa Narnien. Litterarum 28. Aprilis 1600. coram bon. memoriæ Litta, propterea ipse Nasius potuit fateri de præterito cum ipse fuerit præsens, & ideo verba illa præteriti temporis sunt intelligenda de illo tempore, quia in isto casu cessat ratio, quæ consideratur in Notario. Vltra quod si dicta verba referrentur ad tempus confessionis, multo commodius appareret de consensu Bedini, quia tunc fuisset præsens.

10 Minus etiam dicatur prædictis obstare illa verba, Et ogni mio credito, quod verbum, mio, repugnat cessioni iam factæ, cum remittentibus iura sua non detur ad ea vlterius regressus. *l. quæritur. §. si venditor. ff. de ædilit. edict.* Nam fuit responsum, quod stantibus prædictis verba illa sunt intelligenda de credito, quod fuit. *Bart. in l. eius qui. num. 1. ff. si certum petatur. & in l. insula. ff. de acquirend. rer. domin.* vbi quod appellatur insula, quæ iam fuit, & si quis dicitur filius Titij, qui iam sit defunctus, subauditur dictio, olim, & propterea verba illa, Il mio credito, intelligenda sunt hoc est, quod olim fuit meum, cum ex prædictis probetur cessio iam facta.

11 Et prædicta corroborantur ex literis missiuis datis eadem die, qua fuit scripta apocha, per Nasium Oricellario, in quibus ita scribit, *Hauendo io veduto il credito delli Scudi 20000. contenuti nella Cedulla, che Vostra Signoria mi fece, al Signor Pompeo Bedini, e da lui riceuutone il pagamento, è per tal causa hauendo io consegnata essa Cedula a esso Signor Bedini, &c. & inferius, Per essere stato intieramente sodisfatto da detto Signor Bedini di tutto quelche in esso m' apparteniua, &c*, ex ista epistola manifestissime colligitur, quod apocha fuit facta ad probandum non ad obligandum, Nam si pars constanter defendit Bedinum non fuisse præsentem confectioni apochæ, ideo per necesse dicendum est, quod apocha fuerit facta ad probandum, cum præsupponator in dicta epistola apocham fuisse consignatam, & sibi fuisse satisfactum,

ctum, hæc enim in confessione apochæ absente Bedino fieri non potuerunt. Quæ eo magis videntur procedere, quia tam bonæ memoriæ Horatius, quam eius filij viri doctrina præcellentes in multis literis datis tam Bedino, quam marito Syluiæ, semper honestissime agnouerunt dictum debitum, ex quibus etiã literis colligitur, quod Bedinus ad inuicem scribebat de hoc credito Regio Dominis de Oricellarijs, & se gerebat pro socio, seu pro participe d. crediti. Et ita conclusum, &c.

R. P. D. VBALDO.

Hispalen. Legitimitatis. Lunæ 5. Nouembris 1612.

ARGVMENTVM.

Dispensatio super matrimonio inter consanguineos quando, & ex quibus iustificata præsumatur ad effectum, vt filij inde nati legitime dicantur.

SVMMARIVM.

Matrimonium probatur ex libro Parochi. nu. 1.

Informatio extraiudicialis vbi sufficit tunc non est necesse de ea conficere scripturam, aut Notarium rogari, sed sat est tam præsumptionibus probari. nu. 2.

Obseruantia 30. ann. facit præsumere dispensationem matrimonij ad effectum legitimitatis prolis. nu. 2.

Actus secutus censetur factus ex titulo, & causa præcedenti. nu. 3.

Denunciationes ante contractum matrimonium, quod fuerint omissæ probari debet per eum, qui dicit omissas. nu. 4.

Factum quando est aliquid præsumitur potius legitimè, quam illegitimè factum, præsertim ad exclusionem delicti. num. quinto.

Matrimonium præsumitur legitimè factum, si vir, & mulier in figura matrimonij steterunt per annos 39. & plus. numero sexto.

Filiatio, & legitimitas satis probatur per tractatum, & nominationem parentum. nu. 7.

Testes consanguinei sunt legitimi in causa matrimonij, num. octauo.

Titulus præsumptus cessat, vbi constat de vero tit. nu. 9.

Quasi possessio legitimitatis an præsumatur, nu. 10.

Præsumptiones plures faciunt plenam probationem, quando tendunt ad eundem finem, & vna venit in consequentiam alterius. nu. 11.

Sollenitas extrinseca præsumitur in extraiudicialibus, numero 12.

DECISIO CCCCXXXIV.

1 FVerat resolutum die 11. Maij præteriti coram me, literas dispensationis fel. record. Gregorij XIII. præsumi iustificatas ex multis in illa decisione adductis, cui cum D. Franciscus aduersus quem resolutio emanauerat, non acquiesceret, iterum proposui causam super eisdē, qua acerrime discussa, Domini censuerunt standum in decisis. Et considerabat in primis hic non agi de præsumēdo matrimonio, nec de præsumenda dispensatione, cum de vtroque constet per legitimas probationes, videlicet, de matrimonio, ex libro parochi, & partita inde extracta, vt fuit resolutum in hac causa 12. Februarij præteriti coram me, de dispensatione vero, ex ipsismet literis dispensationis in actis productis, sed agitur solū de iustificatione eorum, quæ in d. literis continentur, quæ iustificatio videbatur potissimum ab eo pendere, An istæ literæ fuerint, vel præsumantur præsentatæ ordinario, qui ex dispositione *Sacri Concilij Tridentini, sess. 22. capit. quinto, de reformat.* tenetur se saltem summariè, & extraiudicialiter informare, An literæ dispensationis gratiosę, quales istę sunt subreptionis, vel obreptionis vitio laborent.

2 Considerabant etiam, quod ex quo ista informatio sufficit, vt sit extraiudicialis, nec de ea est necessarium confici scripturam, aut Notarium rogari. Sat est, eam probari per præsumptiones, Quia alias raro, aut nunquam probari posset, vt in simili dicit *Cresc. decis. 2. in fin. de iureiur.* & quidēm pro eiusmodi solennitate præsumenda, plurimum facere videbatur obseruantia vltra 30. annos; considerata in decis. quę per se sufficeret ad præsumendam dispensationem talem, qualis de iure esset necessaria ad effectum legitimitatis prolis. *Caputaq. dec. 269. par. 1. Achil. dec. 1. de præsumpt. Put. dec. 257. nu. 3. lib. 3.* & fuit dictum in Valentina Illegitimitatis 12. Nouembris 1610. coram R. P. D. meo Caualerio, & multo magis ad præsumendam iustificationem, Rota in Lucana Decanatus relata inter impress. diuers. dec. 534. num. 2. par. 1. & in Papien. Pensionis 11. Decembris 1606. coram Reuerendissim. Attrebaten.

3 Et de hac obseruantia satis videbatur constare ex ponderatis in d. dec. in hac causa facta, quę in hac etiã causæ propositione Dominis placuerunt, videlicet, primo & principaliter ex matrimonio ipso contracto in facie Eccl. coram Parocho, & testibus, iuxta formã Sacri Concilij Tridentini; quod etiam fuit celebratũ post exiguum temporis spacium, à die impetratæ dispensationis, quæ fuit 23. Aprilis 1573. Matrimonium autem fuit contractum die 20. Iulij eiusdem anni, ex quo oritur vehemens præsumptio, tum ratione ipsorum contrahentium, quod scilicet illud contraxerint vigore d. dispensationis, & iuxta illius formam, & sic cum præcedente exhibitione literarum coram Ordinario. Actus enim secutus censetur factus ex titulo, & causa præcedenti. *leg. quædam mulier. vbi gl. & Doct. ff. de rei vendic. Socin. cons. 13. nu. 16. libr. 4. Aym. cons. 10. nu. 9. & cons. 284. nu. 6. Caput. dec. 107. nu. 3. & 226. nu. 2. par. 2.*

4 Præsertim cum magnis laboribus, & impensis d. dispensatio fuerit obtenta, in qua cum esset expressum, vt seruaretur forma Concilij Tridentini non est verisimile eam non fuisse seruatam, & impetrãtes noluisse vti beneficio d. dispensationis, vt in simili arguit Surd. Consilio ducentesimo quadragesimo quinto, numero decimo quarto, versic. ceterum, libro secundo tum & multo magis ratione ipsius Parochi, ex eo quod ad illud celebrandum, non poterat Parochus deuenire, etiamsi coniuges non essent in gradu cōsanguinitatis prohibitio coniuncti, nisi præcedentibus denunciationibus, quæ hic non probantur omissæ, prout probari deberet, vt per Rotam in causa Barchinonen. matrimonij 19. Martij 1604. coram bon. mem. Pegna, & excursu temporis præsumuntur interuenisse, vt fuit dict. in causa Valentina Illegitimitatis 16. Martij huius anni coram Reuer. P. Domino meo pamhilio, & nisi præcedente licentia Ordinarij, quam non dedisset, nisi fuisset certioratus de veritate narratorum in dictis literis dispensationis.

5 Et licet de huiusmodi licentia non constet, tamen videtur præsumi posse, tum ex Constitutionibus Synodalibus illius diœcesis, quibus cauetur, Parochum debere impetrare similē licentiā contrahendi matrimonia, tum ex eo, quod attestabatur vnus ex Dominis fuisse certioratum à viro perito, & fide digno ita obseruari solitum in illia Ciuitate Hispalen. & sic bene intrant regulæ cumulatæ par Informantes, quod quando aliquid est factum, semper præsumitur legitime factum potius, quam illegitime, præsertim ad tollendum delictum in Parocho, viro probo, & literato, *arg. l. merito. ff. pro soc. Bartol. in leg. gerit. num. 20. ff. de acquirend. hæred.* & ea censentur precisisse quę sunt necessaria ad validitatem actus. *Cassad. decis. 21.*

tis,21. de prob. Rota decis. 75. num. 12. part. 1. diuers. & actus censetur factus, vt fieri solet. argum. l. vel vniuersorum. ff. de pignor. action. l. Titianus, ff. quod cum eo. Cresc. dict. decis. 2. de iureiur. Menoch. de præsumpt. lib. 2. præs. 81. num. 4. & 6.

6 Præterea obseruantia deducitur ex cohabitatione parentum D. Annæ in figura matrimonij, vt sup. contracti, cum communi reputatione filiorum ex d. matrimonio susceptorum, qui pro legitimis habiti, & reputati sunt, nec quicquam eis mouit status controuersiam, vsque ad tempus motæ huius litis de anno 1607. & sic post 34. annos à tempore contracti matrimonij inter eorum parentes, qui etiam fuerunt tolerati per loci Ordinariorum, & consanguineos, quos alioquin non est verisimile fuisse passuros eos permanere in matrimonio incestuoso, nisi habuissent notitiam dispensationis, præsertim stante notorio impedimento dictæ consanguinitatis inter personas nobiles, vt fuit consideratum in d. Valentina illegitimitis coram R. P. D. meo Pamphilio, in d. dec. huius causæ, bene faciunt notata in simili de tolerantia per *Surd. d. cons. 245. n. 28. & seq. lib. 2.* & de præsumpta scientia impedimenti inter consanguineos, late *Honded. cons. 87. nu. 28. lib. 1.*

7 Neque obstat, quod coniuges prædicti non durauerint in matrimonio, nisi per quinquennium, quia ad hoc placuit responsio data in decisione. Accedunt etiam ad hanc obseruantiam comprobandam testamenta parentum D. Annæ, qui ambo eam, vt filiam legitimam, & naturalem, ex tali matrimonio susceptam hæredem instituerunt, cum successione subsecuta in vtriusque parentis bonis, & præsertim in maioricatu, materno, cuius omnino fuisset incapax, si fuisset illegitima ex latè traditis per *Melc. Pelz in tract. maiorat. par. 2. q. 2. in princ.*

Concurrit etiam approbatio parentum D. Francisci, inducta tum ex eorum interuentu in actu celebrationis d. matrimonij, tum ex eorum taciturnitate per totũ suæ vitæ spacium, cum tamen illud impugnassent, si sciuissent illud minus legitime contractum, & alias certum est, coniunctos, & consanguineos facilius admitti, quam alios, ad dicendum de nullitate matrimonij inter alios consanguineos, & quia sunt melius informati, *cap. videtur qui matrim. accus. pos. cap. videtur 35. quæst. 6.* & propter interesse successionis, propter quod solent esse diligentes in apprehensione bonorum, vel in mouendo litem, super illegitimitate *cap. transmissæ. cap. lator. cap. causam quæ. & per tot. tit. qui fil. sunt legit.* Ex quo sequitur, vt sicut d. parentes Dom. Francisci non possent hodie impugnare dictum matrimonium *c. fin. eo. tit. qui matr. accus. poss.* ita nec videatur posse eorum descendentes, *arg. leg. cum à matre. C. de rei vend.*

9 Non obstat, quod dicta obseruantia possit dici æquiuoca, cum potuerit procedere ex matrimonio putatiuo, quia stante vero titulo matrimonij contracti vigore vere dispensationis, cessat titulus presumptus, *l. imperatores. ff. de prob. Dec. cons. 400. num. 8. Aym. cons. 35. nu. 5.*

10 Non obstat, quod quasi possessio legitimitatis sit contra ius, & ideo non releuet, quia d. dispensatio cũ præsumptione iustificationis, de qua supra, tollit impedimentum iuris, vltra quod quando possessio est alicuius temporis considerabilis, vt hic releuat, etiam si sit contra ius, vt firmat. *Rota decis. 534. num. 6. & 7. par. 1. diuers.*

11 Non obstat, quod ex supradictis videantur elici, & cumulari plures præsumptiones videlicet, cognitionis extraiudicialis Ordinarij, licentiæ ab eo impetratur, omnes tendunt ad eundem finem, & vna venit in consequentiam alterius, quo casu admittitur concursus plurium præsumptionum. *Bar. in l. si is quis pro emptore. nu. 71. & ibi Alciat. nu. mihi 175. ff. de vsucap. Baldus in l. 1. prima, in fine. C. quando lic. ab empt. disced.*

12 Considerabat etiam vnus ex Dominis, quod hæc cognitio Episcopi est tantum extraiudicialis, vt patet & supra dictum est, vnde licet alias solennitas extrinseca non præsumatur, *ad not. in l. sciendum, de verb. oblig. l. quæcumque, §. fin. ff. de publician.* Tamen in casu isto præsumenda est, cum simus in extraiudicialibus, per *text. in cap. ea nocitur de his quæ fiunt à Prælat. sine cons. Capit. iuncta gloss. in verb. intelligi debet,* vbi in præsentatione facta à Prælato, præsumitur consensus Capituli, sine quo non valeret. Ratio est, quia est actus extraiudicialis. *Gemin. consil. 87. sub num. 1. versic. in contrarium,* vbi eleganter exornat, & hoc procedit etiam si non enuncietur, actum fuisse factum de consensu Capituli. *Feder. de Sen. consil. 259. num. 2. versic. sed posito sine veri præiudicio, & versic. quia quicquid, & vers. item in dubio, & versic. præterea, & hoc Valde est notandum. Bene facit decis. Cresc. 2. de iureiuran. supra allegata,* & rationes ibi considerată. Cum igitur Parochus contraxerit matrimonium, præsumendum est, illud fecisse de licentia Ordinarij, & sic præcedente cognitione extraiudiciali Episcopi, An literæ essent subreptitiæ, licet hæc sit solennitas extrinseca effectualis, quæ tribuit robur actui iam formato, iuxta distinctionem *Angel. consil. 36. num. 1. & 2.* & ad quem sustinendum debet sumi quælibet interpretatio, *l. quoties. ff. de reb. dub. Gemin. cons. 87. Feder. d. consil. 259. versic. item in dubio.*

13 Et ex supradictis cessat etiam quod dicebatur, non præsumi factum iudicis, quia id procederet, si Episcopus deberet procedere iudicialiter, sed vt sępè dictum est sufficit in proposito informatio extraiudicialis. Ex quibus Domini permanserunt in decisis.

R. P. D. CAVALERIO.

Romana Emphyteusis. Lunæ 12. Nouemb. 1612.

DECISIO CCCCXXXV.

Est impressa inter Caualerio.

DECISIO 219.

R. P. D. VBALDO.

Syracusana Fideicommissi. Ven. 16. Nouemb. 1612.

ARGVMENTVM.

Fideicommissum iniunctum si sine filij decesserit dicitur purificatum secuta morte grauati sine filijs, & in dubio quem sine filijs decessisse præsumitur.

SVMMARIVM.

Fideicommissum dicitur purificatum eueniente casu in fideicommisso expresso. nu. 1.
Confessio facta in precibus plene probat contra porrigentem preces, num. 2.
Confessione nullæ maior probatio. num. 2.
Præsumitur à iure, quod quis decesserit sine filijs, nisi contrarium probetur. num. 3.

DECISIO CCCCXXXVI.

1 FVit dictum esse factum locum fideicommisso ad fauorem Ecclesiæ, & Conuentus Sanctæ Mariæ Succursus, sub titulo Sancti Augustini in Ciuitas

Ciuitate Syracusana, quia testator voluit, vt in casu mortis Iosephi sui heredis sine filijs succedat, & succedere debeat dicta Ecclesia, & Conuentus. Vnde cum casus euenerit, non est dubitandum purificatum fuisse fideicommissum. *Bellon. cons. 19. nu. 3.*

2 De obitu enim hæredis sine filijs constat ex confessione ipsius partis aduersæ in precibus, quæ plene probat. *l. cum precum. C. de lib. caus. Caputaquen. decis. 208. num. 3. part. 2.* immo nulla est maior probatio, quam propria confessio. *cap. per tuas. de probat. capit. si cautio. de fid. instrum. Aym. cons. 61. num. 3. Rota dec. 98. nu. 2. par. 2. diuers.*

3 Vltra quod illa qualitas, quid decesserit sine filijs de iure præsumitur. *Alex. cons. 20. nu. 12. lib. 1. Bellon. d. cons. 19. nu. 3. Capic. dec. 159. nu. 11.* quia tamen pars aduersa prætendebat dicto fideicommisso fuisse renunciatum per quandam concordiam, Domini voluerunt, vt de ea particulariter videretur.

R. P. D. PIROVANO.

Ripana Pensionis. Lunæ 19. Nouembris 1612.

ARGVMENTVM.

De consensu præstito pensioni ad fauorem alicuius an, & quando consentienti præiudicet.

SVMMARIVM.

Consensus pensioni præstitus ab eo qui de beneficio nulliter prouisus erat non præiudicat ei, qui beneficium legitime obtinnit. nu. 1.

Pensiones perpetuæ reseruari non possunt nisi auctoritate Papæ. nu. 2.

Pensio reseruari non potest de partium consensu sine labe simoniæ nisi fuerit reseruatum Papæ beneplacitum. num. 2.

Consensus pensioni præstitus ante obtentum beneplacitum Apostolicum etiam cum iuramento præstitus non valet. num. 2.

Causa cessante cessat effectus. nu. 3.

DECISIO CCCCXXXVII.

1 IN concursu vacantis parochialis Ecclesiæ Castri Marani, antequam Episcopus veniret ad examen notificauit omnibus concurrentibus super fructibus dictæ parochialis cum beneplacito Sanctissimi esse imponendam pensionem annuam Ducatorum 20. ad fauorem personæ per eundem Episcopum nominandæ. Concurrentes acceptarunt, & quilibet ipsorum consensit, & obtulit soluere pensionem in euentum in quem Ecclesiam obtineret. Porphyrius, & Venantius æque idonei renunciati, Episcopus autem Porphyrium prætulit, sed Venantius appellauit, & obtinuit sibi prouideri de Parochiali per viam iudiciariam, & fuit institutus vigore Clement. Auditor. de rescript. interim Porphyrius expediuit literas, & consensit reseruationi pensionis Ducat. 20. ad fauorem Cæsaris Lippi, cui cum Venantius nollet soluere pẽsionem, neque præstare nouum consensum ad eiusdẽ pensionarij fauorem. Dubitaui, an Venantius teneatur ad solutionem pensionis, vel nouæ expeditioni ad fauorem eiusdem pensionarij consentire. Et Domini negatiue responderunt, quia Venantius non dicitur successisse Porphyrio cum prouisio Porphyrij fuerit nulla, & semper durauit illa prima vocatio. cap. consideraùimus. cap. super eo. de elect. & ideo consensus Porphyrij præstitus expeditioni literarum vti non veri Rectoris non potuit præiudicare Venantio. *Gig. de pens. q. 10. num. 3. q. 34. num. 9.*

2 Non obstat, quod si Vanantius non tenetur soluere, tanquam successor Porphyrij, qui pensioni cõsensit, saltem tenetur ratione sui consensus præstiti ante examen. Quia cum notificatio Episcopi de imponenda pensione, & præstiti consensus habeant vim concordię super eo de quo Ordinarius non potest disponere, cum pensiones perpetuæ non possint reseruari nisi auctoritatem Papæ. *Gig. de pens. q. 87. nu. 5. Mandos. in praxi Signat. Grat. de extinct. in princ.* & quæ concordia in beneficialibus alias saperet Simoniam, nisi adijceretur, prout fuit adiecta clausula cum beneplacito Sanctissimi, & non aliter, *cap. super eo. de transact. cap. fin. de pact. Put. dec. 353. num. 7. lib. 1.* Fuit dictum licuisse, & licere Venantio pœnitere, quia promissio ante obtentum beneplacitum Apostolicum, etiamsi facta fuerit cum iuramento, non valet. *Achil. decis. 2. de pact. Put. decis. 353. lib. 1.* Quod etiam firmauit Rota in Arienen. Archipresbyteratus, in qua aliæ decisiones allegantur. 17. April. 1606. coram bonæ mem. Pegna.

3 Præterea visa est Dominis illa promissio correspectiua ad præelectionem, ex qua deinde potuisset Venantius obtinere expeditionem literarum Apostolicarum, qua cessante cum præelectionem habuerit à Rota, non videtur esse locus præstationi consensus *per reg. cessante causa, cap. quod cessante. de Iur. patronat. cum vulg.*

REVERENDISSIMO P. DOM. DAMASCENO.

Bononien. de Bonis. Lunæ 19. Nouembris 1612.

ARGVMENTVM.

Emphyteusis accepta pro se, & alijs potest à primo acquirente alienari in præiudicium vocatorum, quando in inuestitura adest clausula adhabendum tunc est transitoria ad quoscunque extraneos, & quid de emphyteusi accepta cum pacto de renouando.

SVMMARIVM.

Emphyteusi acceptam pro se, & alijs potest primus acquirens alienare etiam in præiudicium eorum pro quibus accepta fuit. nu. 1. Vbi præsertim quando acquisitio fuit facta titulo oneroso.

Emphyteusis est transitoria in quoscunque extraneos, quando in innestitura adest clausule ad habendum, &c. num. 2. Vbi quid si clausula adhabendum fuerit posita in exequntiuis, & non in dispositiuis.

Clausula ad habendum, &c. qnando dicatur posita in exequutiuis, & quando in dispositiuis. nu. 2.

Emphyteusis accepta cum pacto de renouando post finitum tempus, quando redeat ad dominum non facta renouatione. num. 3.

Exceptio iuris tertij potest opponi, quaado in totum est exclusiua iuris agentis. nu. 3.

Emphyteusis alienatio facta accedente tamen consensu dominorum directorum intelligenda est, quatenus talis consensus requiratur, & non alias. nu. 4.

DECISIO CCCCXXXVIII.

1 FVit resolutum, prædium Sancti Domini, & melioramenta domus magnæ spectare in totum ad Dom. Carolum reseruato, vt de domo contigua empta videretur. Et quo ad partem allodialem dicti prędij res transire visa fuit sine dubio cum in ea concurrant omnia, quæ occasione aliorum bonorum in eadem donatione contentorum fuerint ponderata in decisione in hac causa facta, sub die 9. Aprilis proxime præteriti. Difficultas reducebatur ad partem dicti

prædij

prædij emphyteuticam sub proprietate Canonicorũ Sancti Petri, & fratrũ Sancti Ioannis in Monte quæsitam ab ipsomet donatore in qua Domini considerâtis considerandis fuerunt pro D. Carolo duobus fundamentis. Primo, quia quicquid de communi contrarium attestatur. *Alex. cons. 106. numer. 8. & 107. in princip. lib. 4.* Rota sequitur opinionem, quod scilicet primus, acquirens possit preiudicare vocati, vt in Romana domus de Crescis 4. Februarij 1605. coram bonæ mem. Litta in Romana bonorum de Lilio 2. mẽsis Februarij 1582. coram bon. mem. Cardinale Seraphino, & in Romana emphyteusis 12. præsentis mensis, coram R.P.D. meo Caualerio, quam etiam opinionum sequuti sunt grauissimi auctores, nempe *Speculat. tit. de empt. §. nunc aliqua quæst. 78. num. 100. versic. cum enim pater. Bald. in auth. si quas ruinas, num. 10. vers. iuxta hoc quæro. Cod. de sacrosanct. Eccles. Castr. cons. 179. nu. 3. lib. 1. Imol. in cap. potuit num. 68. vers. in contrarium, de locat. Anch. aran. consil. 143. num. 3. Roman. consil. 35. num. num. 1. & 4. Socin. consil. 25. num. 14. & 18. lib. 1. Dec. cons. 194. ad fin. Surd. decis. 209. num. 15. & 16. ac eandem veriorem dicit Natt. cons. 505. num. 14. & magis communem Gozad. cons. 25. cum. 18. Honded. consil. 14. num. 47. lib. 2. Natt. dict. num. 14.* & vti talem in iudicando amplectendam fore tradunt *Moderu. Hispan. in Specul. comm. opin. contra communem, quæst. 326. Crass. in §. legatum. quæst. 18. num. 20.* maxime, quando acquisitio, prout in proposito casu, fuit ex titulo oneroso. *Bald. in l. 1. in fine, Cod. per quas personas nob. acquiritur. Aret. in l. cum seruus, §. si quis alicui ad fin. vers. secunda conclusio. ff. de leg. primo. Corn. consil. 282. num. 10. libr. 3. Berous cons. 151. nu. 7. ad fin. lib. 3. Natta cons. 471. num. 5. & 11. Tiraquel. de retract. lignag. §. 11. gl. 6. nu. 25. Gabriel. tit. de iur. emphyt. concl. 2. nu. 47. cum alijs per Surd. cons. 305. nu. 35. & seq. Rota in proxime allegata decis.*

2 Secundum fundamentum fuit, quia in concessione adest clausula ad habendum, quæ operatur, vt emphyteusis sit transitoria in quoscunque extraneos. *Pedemont. decis. 164. num. 1. Dec. consil. 614. num. secundo, Gozzad. consil. 9. num. 2. Roland. consil. 55. num. 37. & 42. lib. 7. Vinc. Franc. decis. 6. num. 7. par. 1. Thes. decis. 146. nu. 6. Illustrissimus Mantic. de tacit. & ambig. lib. 22. tit. 19. nu. 25. cum alijs allegatis per Corbul. de iure emphyt. tit. de caus. priuat. ab alien. irrequisito domino. limit. 3. nu. 1. & per Becc. cons. 88. num. 20. vers. 2. cum plurib. seq.* Rota in Romana Casalium 4. Decembris 1575. coram bon. mem. Cardinalis Seraphino in Bononien. emphyteusis 16. Iunij 1596. coram Orano, & in Nonantulane bonorum 14. Iunij 1610. coram me. & licet hoc procedat tantum, quando est posita in dispositiuis. *Paris de Put. de feud. c. 95.* quam communem dicit *Osasch. decis. Pedem. 164. nu. 1. & 2.* attamen in proposito casu visa fuit stare in dispositiuis cum stet cõsequutiue, & immediate post dispositionem, & narratiuam rei datæ in emphyteusim, vt fuit coram me dictum in Nonantulana bonorum 31. Ianuarij 1611. & quia in clausula ad habendum, est reseruatum directum dominium, vnde vtile censetur libere concessum, vt fuit coram me pondera. tum in eadem Nonantulana 14. Iunij 1610.

3 Non obstat, quod emphyteusis fuerit concessa cũ pacto de renouando de 29. in 29. annos. Vnde cum non fuerit secuta renouatio bona remanserint Ecclesiæ, vt in Cesenaten. bonorum 4. Martij 1607. coram Reuerendissimo D. Bononien. & de hoc iure Ecclesiæ possit dare dominus Andreas, tanquam exclusiuo iuris Caroli actoris, *l. cum seruum. & ibi Castrens. num. 2. Cod. de ser. fugit. Bart. in l. 2. num. 1. ff. de except. rei iud. Fulgos. consil. 12. num. 1. in fin. Paris. consil. 70. n. 14. lib. 3.* Quia fuit responsum, decisionem Cesenaten. procedere quando concessio sit ad aliquod tempus certum, prout ibi fuerat concessa ad 60. annos, cum pacto renouandi, secus quando vt in proposito casu conceditur in perpetuum, cum pacto tamen renouandi de certo tempore, in certum tempus tunc enim ad euitandam contrarietatem renouatio, de tempore in tempus censetur adiecta ad stabiliorem probationem directi dominij, non autem pro substantia contractus *Butr. in cap. 1. numer. 3. ad fin. de præcar. Alciat. consil. 45. in fin. tomo tertio., libr. 8. Berous consil. 116. num. 19. libro primo, Corbul. de caus. priuat. ob finitum tempus num. decimoseptimo.*

3 Non etiam visum fuit obstare, quod donatio facta Virginiæ sit conditionalis, nempe accedente consensu Dominorum directorum de quo consensu minime apparet, quia placuit responsio vt hoc sit intelligendum, quatenus prædictus consensus sit necessarius. *Gabr. consil. 92. num. 7. lib. 1.* Fuit dictum in causa Romana Casalis Conghezzæ 21. Maij 1593. coram bon. memor. Cardinali Seraphino, & faciunt decisiones *Cremen. 17. de probat. Put. decis. 42. libr. 2.* Circa meliorамenta domus magnæ fuit dictum, illa spectare ad Virginiam vigore donationis, & consequenter ad Carolum etenim donatio de illis clare loquitur. Et ita fuit resolutum.

REVERENDISS. P. D. COCCINO. DECANO.

Romana Census de Mutis. Lunæ 19. Nouembris 1612.

ARGVMENTVM.

Ex Summarijs sumas argumentum.

SVMMARIVM.

1 *Fideicommissaria bona probibita alienari, possunt ex causa dotis alienari. nu. 1.*

Melioramentorum detractio fieri debet ex bonis fideicommissa subiectis, num. 2.

DECISIO CCCCXXXIX.

1 Dubitaui an donatio, & testamentum Luciæ della Zecca obstant detractioni dotium, & melioratorum in casu, & ad effectum de quo agitur, qui est, vt census impositus per Pompeius sustineretur, & Domini censuerunt non obstare. Nam admisso sine veri præiudicio, quod dictæ dispositiones contineant fideicommissum ad fauorem filiorum Pompei nihilominus cum agatur de detrahen. dotibus descend. à dicta Lucia certum est quod fideicommissum non obstat. Authentica. res quæ *C. commun. de legat. l. mulier. §. cum proponenti, ff. de Trebellian. l. à filia numer. secundo, & sequentib.*

2 Prout etiam non obstat detractio melioramentorum, cum sint extra fideicommissum, iuxta communem Doctorum sententiam *in leg. domos. ff. de legat. 1. vbi Ias. num. 4. cum alijs allegatis per Menoch. cons 454. nu. 1.*

R. P. D. VBALDO.

Illerden. Visitationis. Lunæ 26. Nouembris 1612.

ARGVMENTVM.

Agitur in hac decisione de eadem materia, de qua in alijs eiusdem causę decisionibus actum fuit, numquid scilicet Episcopus Illerden. vigore concordiæ initæ cum Capitulo in visitatione, seu alias teneatur in Coniudices requirere Canonicos. Et an Canonici administrantes bona dictæ Ecclesiæ teneantur Episcopo rationem reddere.

SVM-

SVMMARIVM.

Episcopus Illerdn. vigore concordiæ initæ cum Capitulo non tenetur assumere Canonicos in Coniudices in actu visitationis, quam facit ex sua ordinaria iurisdictione, secus quando velit iudicialiter procedere. num.2.& 3.

Sententia est stricti iuris, & tantum importat, quantum verba sonant. num.5.

Episcopus in visitatione potest exigere a Capitulo administratore bonorum Ecclesiæ, absque alijs Coniudicibus. num.7.

Administratores deputantes subministros ad administrandum, an ipsi teneantur reddere rationem eorum, quæ administrarunt subministri ab ipsis substituti. numero 8.

DECISIO CCCCXL.

1 SEntentia Rotalis lata coram bonæ memoriæ Iusto, quæ fuit postea confirmata coram R. P. D. meo Coccino nunc Decano, & de cuius confirmatione, vel infirmatione hodie fuit actum coram me, continebat quatuor capita principalia. Primum fuit, quod prima concordia de Coniudicibus à capitulo assignandis, & per Episcopum assumendis, intelligatur in casu, quando Episcopus velit procedere in forma iudicij, non autem quando velit facere visitationem generalem ex sua iurisdictione Ordinaria. Secundum fuit circa edicta non publicanda sine consensu, & authoritate capituli, vt in secunda concordia, quod fuit declaratum, iuxta eandem distinctionem, vt intelligatur quando Episcopus iudicialiter velit procedere, non autem de illis edictis, quæ ab Episcopo fiunt occasione visitationis. Tertium fuit de duobus Canonicis, quos Episcopus in visitatione adhibere debet, iuxta secundam concordiam, vt debeant præstare nudam præsentiam, non autem consilium, vel assensum. Quartum fuit vtramque concordiam ita esse intelligendam, vt retenta dicta distinctione viæ iudicialis, & visitationis, Episcopus in visitatione administrationum Ecclesiæ Illerden. quas capitulum administrat possit, solus à Capitulo, & Canonicis administratoribus rationem exigere, & inuentos debitores, ad solutionem reliquorum faciendam compellere, prout latius in dicta sententia continetur, quæ omnia capita cum fuerint mature discussa, & in singulis capitibus plures emanauerint decisiones, tam coram bonæ memoriæ Iusto, quam coram R. P. D. meo Decano, & nihil de nouo releuans in contrarium adduceretur, Domini in hodierna causæ propositione censuerunt sententiam Rotalem esse confirmandã.

2 Nam quod pertinet ad primum caput de Coniudicibus non assumendis ab Episcopo in actu visitationis, quam facit ex sua iurisdictione Ordinaria, secundum dispositionem *textus in cap. 1. §. hanc autem. de censibus. in 6. cap. irrefragabili. de offic. ordin. cap. decernimus. 1. q. 1. & Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 4.* sed tantum quando velit procedere iudicialiter optime iustificatur ex decisione in hac causa facta. 13. Nouembris 1602. coram Iusto, quæ decisio fuit etiam confirmata licet ad aliud propositum, sub die 26. Iunij 1606. & die 12. Decembris 1608. coram eodem, & in dicta decisione 13. Nouembris, etiam respondetur omnibus, quę in contrarium etiam hodie adducebantur, videlicet, verbis vniuersalibus, & geminatis primæ concordiæ, quæ videbantur includere etiam visitationem, ad *decis. Cæs. de Grass. 2. in princ. de iuran. cum allegatis*, hæc enim procedunt occurrente casu in visitatione, qui correctione, & processu iudiciali indigeret, vt facile euenire potest, *d. c. irrefragabili. de offic. ordin. cap. cum venerabilis.* ibi, tenеatur causa correctionis ecclesiam visitare, & ibi *gl. in verb. bis in anno, & Butr. num. 4. & 5. de censib. Concilium Tridentini sess. 6. cap. 4.* ibi corrigi, vel emendari, tunc enim iuxta formam concordiæ deueniendum esset ad Coniudicium deputationem etiã in visitatione, vt latius habetur in dicta decis. 13. Nouembris coram Iusto.

3 Circa secundum caput illud etiam apparet fuisse bene declaratum, vt supra cum eadẽ distinctione visitationis, & iudicij, cum si consensus capituli nõ admittitur in visitatione ex supradictis, neque etiam admitti debeat ad edicta præambula visitationis. *l. oratio. ff. de sponsal.* & ita fuit triplici decis. firmatum in hac causa, videlicet 13. Iunij 1603. 21. Aprilis 1606. & 28. Aprilis 1608. coram bonæ memoriæ Iusto.

4 Non obstat, quod Episcopus in edicto præambulo visitationis apposuerit pœnam excommunicationis, quæ apponi non poterat, quia in sententia bonæ memoriæ Iusti confirmata per R.P.D. meum Coccinum expresse prohibetur apponi in edictis eiusmodi pœnam, adeo vt ex hoc capite, quod fuit appositum in fauorem capituli, sententiæ prædictæ ab eo impugnari non possint.

5 Non obstat, quod dicta sententia prohibendo apponi in talibus edictis pœnam excommunicationis videatur permittere aliam quamcunque pœnam apponi, & quod videatur etiam permittere Episcopo in visitatione exigere iuramentum. Quia nihil tale in sententia legitur, & alias certum est sententias esse stricti iuris, & tantum importare, quantum verba sonent. *l. si quis a liberis. §. si vel parens. vers. meminisse. ff. de liber. agnoscen. l. 1. C. de ord. iud. Bart. in l. Iulianus. num. 5. ff. de cond. indeb. & in l. si expressim. colum. 2. circa med. vers. si vero erat nulla. ff. de appellat. Menoch. consil. 110. num. 17. lib. 2. Surd. consil. 189. num. 37. consi. 223. num. 21. lib. 2. Cæs. de Grass. decis. 3. num. 9. de restit. in integr. Rot. decis. 132. num. 12. & 317. num. 4. p. 2. diuers.*

6 Circa tertium caput de nuda assistentia duorum Canonicorum in visitatione illud plene iustificatur ex deductis in d. decis. 13. Nouembris. vers. secunda difficultas coram Iusto, vbi inter alia refertur resolutio Illustrissimorum Cardinalium sacri Concilij Tridentini interpretum, quæ remouet omnem difficultatem, & cum eadem decisione transierunt Domini in hac causa die 13. Iunij 1603. & 4. Iulij 1608. & 12. Decembris eiusdem anni coram Iusto.

7 Circa quartum, & vltimum caput, quod possit Episcopus in visitatione rationem exigere à capitulo Administratore membrorum, siue administrationum Ecclesiæ absque Coniudicibus, iuxta dispositionem *Sacri Concilij Tridentini sess. 22. art. 9. de reformat.* Illud fuit etiam firmatum in duplici decisione, videlicet 26. Iunij 1606. & 11. Maij 1609. coram Iusto, & cum pro parte capituli prætenderetur nos versari in casu limitationis positæ *in d. cap. 9. sess. 22. vers. quod si ex consuetudine*, ideo dato super hoc particulari dubio fuit decisum coram R.P.D. meo Coccino 14. Nouembris 1611. capitulum esse principalem Administratorem dictorum membrorum, alios vero Officiales ab eo pendere, tanquam subadministratores, qui licet reddant rationem Auditoribus Computorum, qui appellantur, tamen non reperitur, quod capitulum alijs rationem reddat, & ideo sumus in regula non autem in limitatione Concilij, vt latius fuit deductum in dicta decisione, quæ etiam fuit confirmata die 6. Aprilis huius anni coram eodem.

8 Non obstat, quod dicta deputatio officialium fiat à capitulo ex necessitate legis, videlicet vigore duarum Constitutionum de anno 1425. & 1429. editarum cum interuentu Episcopi, & capituli. Vnde perinde fit, ac si isti Officiales deputarentur singulis annis ab ipso Episcopo, & capitulo ad *l. item eorum. §. si Decuriones. ff. quod cuiusque vniuersitat. nom. legg. 2. ff. de fideiuss. Surd. consil. 29. numer. 3.* cum alijs allegatis,

tis,& consequenter simile de tutore,& curatore,& alijs similibus personis non videatur applicari. Quia tutor si deputat fauorem,vel alium Administratorem ista deputatio est voluntaria, & dependens ab immediata authoritate tutoris, ideoque tutor non releuatur ab onere reddendi rationem pupillo. *l. ita tamen. §. gessisse. l. tres tutores. §. non solum. ff. de administrat. tut. l. solet. ff. de tutel.* Secus videtur in Capitulo deputante Auditores, qui audiant computa, & alios Officiales vigore dictarum Constitutionum, quia fuit responsum, vt in secunda decisione Domini mei Coccini hoc non legi in dictis Constitutionibus, seu potius decretis, videlicet, quod Capitulum teneatur eligere Auditores Computorum, vel alios Officiales, sed præsupposita consuetudine eligendi prædictos Officiales statuitur tempus, vel finis officij, & sub qua pena teneantur reddere,& audire respectiue computa, quod etiam confirmatur ex tertia Constitutione de anno 1442. quæ expresse dicit officia deputari, & committi, vt est moris in fine mensis Decembris, & ita debent intelligi illa verba primæ Constitutionis, & de eisdem officijs habeat prouideri videlicet, vt in Vigilia Natiuitatis Domini, quo tempore officia vacant de eisdem debeat prouideri, vltra quod si ista redditio rationum expediretur, & absolueretur inter ipsos Officiales, & Auditores Computorum sine alia participatione Capituli colorata forte videri posset prætensio Capituli,quod cum alijs reddatur ratio illa non sit reddenda Episcopo,sed cum ipsimet Auditores post audita computa teneantur referre in Capitulo, prout in secunda Constitutione cauetur, & Capitulum approbet, & improbet, & solidet computa, percipiat reliqua, & alia faciat, quæ citra ius, & nomen principalis Administratoris fieri non possunt,vt late deducitur ex testibus examinatis, confessionibus geminatis ipsius Capituli,& alijs iuribus pro Episcopo productis, & copiose consideratis in prima decisione Domini mei Coccini, nec tamen capitulum alteri rationem reddat, sequitur, vt eam teneatur reddere Episcopo ex dispositione *Concilij dicti ca. 9. sess. 22. in prima par.*

9 Ex quibus Domini concluserunt sententiam Rotalem quo ad omnia prædicta capita esse confirmandam, ex quibus sequitur confirmatio reuocationis sententiæ D. Carnicer. ex rationibus adductis in decisione huius causæ. 10. Iunij 1609. coram bonæ memoriæ Iusto.

R. P. D. PIROVANO.

Romana Separationis Thori. Lunæ 3. Decembris 1612.

ARGVMENTVM.

Separatio thori conceditur propter viri nimiam sæuitiam, propter odium capitale, propter adulterium, & propter morbum contagiosum, & quomodo huiusmodi causæ probentur.

SVMMARIVM.

Thori separatio conceditur propter nimiam viri sæuitiam, propter odium capitale, propter adulterium, & propter morbum contagiosum. num. 1.

Thori separationis causa dicitur ardua, ideo concludenter probanda est. num. 2.

Sæuitia viri ad effectum separationis thori concludenter probanda est. num. 2.

Viro licitum est moderate vxorem corrigere. num. 3.

Testes super sæuitia viri deponendi, quando probent. num. 3.

Odium capitale viri in vxorem cessat, & subsequuta reconciliatione. num. 4.

Adulterium non probatur per testes singulares. nu. 5.

Fides non facit fidem. num. 6. Vbi præsertim in causa graui.

DECISIO CCCCXLI.

1 FVit resolutum sententiam esse reuocandam, nam quamuis in iure verum sit, quod nimia sæuitia, odium capitale, adulterium, & morbus contagiosus, vnaquæque earum de per se sufficiens causa sit pro separatione thori, prout de sæuitia est *text. in c. 1. §. verum, & ibi glos. verb. suspectum*, vt lite non contestata,& in *c. literas. in fin. de restit. spoliat. Didac. in epitom. de spons. par. 2. c. 7. §. 5. num. 1.* de odio habetur in c. ex transmisse. vers. si autem capitali odio. de restitut. spol. ne adulterio loquitur *text. in d. c. 1.* vt lite non contest.& tradit *Hostien. in c. intelleximus. num. 3. de adult. & Rolan. post alios consil. 50. num. 5. & 6. lib. 1.* & demum de morbo contagioso affirmat *Nauar. in Sum. cap. 16. nu. 25.* & alij allegati per *Sanchez, de matrim. lib. 9. disput. 26. num. 29.*

2 Tamen visum est Dominis, quod causæ prædictæ in facto non verificentur. Causa enim separationis matrimonij grauis est, & ardua, vnde ad probandam sæuitiam, quæ est prima causa deducta, requiruntur probationes necessariæ, & concludentes. *Paris. consil. 54. num. 14. & seqq. lib. 4.* quod etiam fuit firmatum in Romana Separationis Thori. 9. Februarij 1607. coram Reuerendissimo Archiepiscopo Bonon. ita vt nec sufficiat probare sæuitiam per testes singulares. *Paris. dicto. cons. 54. num. 18. & seqq. Alex. cons. 110. num. 5. lib. 1.*

3 Testes autem, qui dantur ad probandam huiusmodi sæuitiam, nedum eam non probant, sed nec etiam moderatam correctionem, quæ videtur permissa. *glo. in c. quemadmodum. §. illud. in verb. denunciare. in fin. de iureiuran. vbi Abb. num. 15. vers. nota primo. Roland. consi. 27. num. 12. 15. & 20. lib. 3. cum alijs allegat. per Surd. de aliment. tit. 1. q. 16. num. 5. versic. intelligi debet. & nu. 8. & 9. Testes namque sub num. 2.* contestes non sunt, nam primus in ordine deponit de percussione in domo, nec deponit de certa scientia, sed quod audiuit acclamationes. Vnde potuit decipi, tam in sensu circa voces, quam in intellectu circa imaginationem, quod Laura percuteret, & potuit esse simplex, & verbalis altercatio. Tertius est pariter de auditu, quartus dicit audiuisse Octauium percutientem Lauram alapa, qui modus dicendi non concludit certam scientiam, quia actus à sensu visus remotus erat. Præterea primus, & vltimus remanent singulares, cum deponant de diuerso tempore, & loco.

4 Quantum ad odium capitale, rationes adductæ per testes non videntur concludere odium considerabile ad hunc effectum. Nam quo ad opinionem Octauij, quod vxor esset malefica, aut veneni propinati, vel propinandi à Laura, visum est Dominis hanc rationem cessare, eo ipso, quod Octauius paratus est D. Lauram ad domum reducere. Nec odium augebatur ex recusatione reconciliationis, cum ipse Octauius modo intendat reconciliari. Desiderium autem mortis ipsius Lauræ, quod testes deponunt Octauium habuisse, ex eo non infertur, quod vitæ ipsius Lauræ parauerit insidias.

5 Adulterij vero qualitas non etiam videbatur probata, Nam omisso, quod testes sint singulares, & quod ex testibus singularibus non posset concludens probatio desumi, in huiusmodi genere fuit dictum, quod testes prædicti non percutiebant tempus matrimonij, sed multo ante, quod non sufficit ad effectum separationis matrimonij.

6 Demum ratio morbi contagiosi non remanet iustificata ex sola fide, quæ datur in Summario. numer. 8 quia fides non facit fidem. *Auth. si quis in aliquo. C. de eden.*

de eden. Rot. Ian. dec. 76. nu. 11. Guido Papæ dec. 19. nu. 2. Et maxime in materia tam graui, prout est saparatio thori propter reuerentiam sacramenti, & in contrarium dantur aliæ fides, quod Octauius non laborauit huiusmodi morbo.

R. P. D. PIROVANO.

Conchen. Decimarum dell' Infantado. Mercurij 5. Decembris 1612.

ARGVMENTVM.

Episcopi habent ius reale fundatum super terris Decimalibus, ita vt mutatio seminis ipsis non præiudicat.

SVMMARIVM.

Episcopus habet ius reale fundatum super terris decimalibus, ita vt mutatio seminis mutare non potest obligationem præstandi decimas maiores, vel alias earum loco subrogatas. nu. 1. & nu. 3.

Episcopus habet suas parochias distinctas, & consequenter inter eius limites fundatam intentionem exigendi decimas. num. 2.

DECISIO CCCCXLII.

1 Proposui dubium, An D. Episcopo debeatur decima olei, & croci in casu, de quo agitur, & affirmatiue fuit responsum, siquidem testes examinati pro D. Episcopo qui dantur in Summarijs deponunt de visu, quod in articulatis locis, in quibus seminabatur triticum, & hordeum, & in quibus erant plantatæ vineæ, Incolæ pro eorum maiori vtilitate hodie seminant crocum, & à quadraginta annis citra plantauerunt olíueta, ita vt sicut antea de dictis prædijs decimabant panem, & vinum, ad præsens deciment crocum, & oleum, tanquam subrogata in locum eorum, quæ antea colligebant, & decimabant, propterea licet antiquitus minutæ spectarent tantum ad Rectores, & istæ, de quibus agitur, inter minutas reputarentur. Tamen quia cultores omisso semine tritici alias species serere cœperunt, & loco vinearum oliuas plantarunt, ita vt hæ secundæ species factæ sint in illis prædijs decimæ maiores non potuerunt Domino Episcopo in suis decimis præiudicare cum habeat ius reale fundatum super terris decimalibus. *Anchar. in capit. cum in tua. num. 3. de decim. Rebuff. eodem titul. quæst. 14. num. 18.* ita vt mutatio seminis mutare non possit obligationem præstandi decimas maiores, vel alias earum loco subrogatas. *capit. commissum. & capit. cum in tua. de decim. Rebuff. eodem tit. q. 6. num. 35. & q. 14. num. 18.* quod idem sæpius Rota, resoluit in similibus causis, vt in Conchen. decimarum quæ dantur coram bonæ mem. Cardinali Pamphilio, & Iusto, in quibus bene respondetur ad omnia, quæ pro parte Rectorum adducuntur.

2 Et in specie, quod ipsi habeant suas Parochias distinctas, & consequenter inter eius limites fundatam intentionem de iure communi, ita vt Episcopus, cui resistit, tantum dicatur præscripsisse, quam possedisse & sic certam speciem fructuum. Quia fuit responsum Ecclesiam Cathedralem in ista diœcesi habere æqualiter intentionem fundatam cum Rectorib. vsque ab initio in diuisione parochialium, cum omnes fuerint de decimis dotatæ.

3 Et sic etiam cessabat, quod pro parte Rectorum dicebatur, Episcopum non habere possessionem realē respectu certorum prediorum, sed respectu certorũ fructuum, vltra quos non esse extendendam, ex quo Rectores semper fuerunt in possessione percipiendi decimas Croci, & oliuarum absque diminutione, & absque eo quod deferrentur in aceruum, & de illis Episcopus participaret, quia vt in illis decisionibus dicitur, prædicta procedunt, vbi alter nititur iure communi, alter vero præscriptione, vel agitur ad exclusionem alterius, sed quando prout in casu, de quo agitur, vterque ex coæquali iure venit, tunc bene intrat, quod subrogatio, & mutatio seminis non mutat obligationem, *vt in dicto cap. commissum, & in cap. cum in tua. de decim.*

4 Non obstat, quod testes dati in Summario D. Episcopi non loquantur de locis Abbatię dell' Infantado, & Archipresbyteratus de Paresa, quorum Rectores molestantur. Quia fuit dictum, firmandam esse intentionem Episcopi quo ad loca expressa per eius testes, quia locorum iustificatio ex processu haberi poterit. Et ita fuit resolutum, &c.

REVERENDISS. P. D. COCCINO. DECANO.

Parisien. Pecuniaria. Merc. 5. Decembris 1612.

ARGVMENTVM.

Cessionis contractus in quo differat à mandato, Procuratorque in rem suam, quando possit reuocari, & alia ad materiam, & validitatem cessionis.

SVMMARIVM.

Cessio non dicitur illa, quæ continet conditiones, & pacta cessioni contraria. nu. 2.

Cessio non vera, & non legitima non præiudicat. nu. 2.

Mandatum ad exigendum non transfert vtiles actiones in mandatarium, sed solum transfert exercitium directarum actionum. nu. 3.

Mandatum ad exigendum aliquod creditum expirat per cessionem eiusdem crediti postea subsecutam. nu. 3.

Mandatum morte mandantis expirat. nu. 3.

Procurator constitutos in rem suam reuocari non potest. Declara, vt nu. 4.

Cessio facta creditori a debitore non transfert vtilem actionem debito non probato, & liquidato. nu. 6.

Confessio contra confitentem non probat, nisi fuerit clara. num. 8.

Cessio minoris summæ pro debito maioris summæ non valet. num. 8.

Cessio vt sit valida, debent consignari cessionario omnia instrumenta, vt cessus debitor possit conueniri. nu. 9.

Præsumptio ex præsumptione admittenda est, quando vna venit in consequentiam alterius. nu. 9. in fin.

Apocha debiti reperta penes debitorem solutionem, & liberationem demonstrat. nu. 9.

DECISIO CCCCXLIII.

1 Nicolaus Nasus sub die 27. Ianuarij 1587. cessit creditum Scutorum viginti millium, quod habebat cum Horatio Oricellario Ioanni Baptistæ, & Matthæo de Bartholomæis. Matthæo ipso præsente, & acceptante cum hac tamen conditione, ibi, *la qual cessione il detto Bartolomei ha accettata, & accetta con conditione di tener conto al detto Signor Nasi di quello, che essi recuperaranno, ò faranno recuperare sopra quel, che li deue, ò potra douere all'auuenire, e senza pregiudicare al lor credito ragione, & attione, obligationi, & hipotece, nè che li detti Bartolomei siano tenuti in correre rischi alcuni, pericoli, nè fortuna, nè di farne alcuna prosequutione, nè diligenza, se à loro non parerà, ma sara, & starà la detta cessione, & il successo di essa alli pericoli, rischi, e fortuna del det-*

to Nasi, & sopra di lui, e sotto le dette conditioni il detto Bartolomei ha ritirata la promessa del detto Signore di Rucellai, quì di sopranotata, e perciò fare, & compire il detto Signore di Nasi ha obligato, & hipotecato tutti, & ciascuni suoi beni, &c.

2 Hoc stante dubitaui, an DD. de Bartholomæis haberent intentionem fundatam contra Dominos de Oricellarijs, & Rota censuit negatiue respondendum, quia ista non visa fuit Dominis cessio, & datio in solutum, licet enim adsint verba cede, & transporta, tamen cum repugnent conditiones, quibus fuit factus iste actus, hæc non dicenda est cessio. *l. per diuersas. C. mand.* ibi licet instr. cessionis, venditionis nomen insertum sit, & sic in casu illius textus non obstantibus verbis expressis, cessio non vera non præiudicat, & in terminis dicit *Dec. in cons. 99. num. 4. vers. secundo non obstat, &c. Imol. in l. facta. §. si hæres scriptus. nu. 4. ff. ad Trebel. Surd. cons. 22. n. 11. & cons. 145. n. 28. & seq. Franc. Becc. cons. 105. nu. 35. qui alios allegat.*

3 Sed ista actus visus potiùs fuit mandatum ad exigendum, per quod non fuerunt translatę vtiles actiones, sed solum exercitium directarum, vt dicit *Imol. loco prææallegato, vers. vel potest. Cozzad consi. 3. nu. 8.* Vnde fit, quod cum postmodum Nasus cesserit valide ad fauorem Bedini, iuxta resolutiones factas dictum mandatum datum per Nasium de Bartholomęis censeatur reuocatum. *Bar. in d. l. facta. §. si hæres. sub num. 4. vers. quæro vtrum confessio, vbi etiam Castren. pariter. nu. 4. vers. in secundo casu, & in l. per diuersas. nu. 6. vers. aduerte tu clarius. C. mand. Osasch. decis. 45. nu. 7. & decis. 63.* qui licet loquantur in confessione cedentis, attamen illorum dicta procedunt in omnibus alijs actibus, vt declarat. *Castren. in d. §. si hæres. num. 4. Osasch. dicta decis. 63.* prout & dictum mandatum debet censeri reuocatum per mortem Nasij. *l. eius. vbi Alexand. sub num. 5. ff. si cert. pet.*

4 Neque placuit, quod Bartholomæi fuerunt constituti procuratores in rem suam, & ideo non potuerunt reuocari. *Castren. in l. fi. nu. 2. vers. & sic facta procuratio. ff. de donat.* & fuit dictum in causa Mediolan. Pen. 5. Martij 1607. coram Reuer. D. Archiepiscopo Lugdunen. Nam fuit responsum, quod licet in narratiua Nasij constituantur procuratores in rem suam, attamen ipsi acceptarunt solum cum dictis conditionibus, quæ cum repugnent naturæ cessionis, vt supradictum est, non censentur constituti procuratores in rem suam, sed ad vtilitatem Nasij, vt declarat *Castren. in d. l. per diuersas. num. 1. C. mand.* vbi eleganter constituit differentiam inter procuratorem in rem suam, & ad vtilitatem Domini.

5 Neque etiam obstant ea, quæ longa serie deducuntur ad ostendendum sufficere acceptationem bo. me. Horatij, quia essent consideranda, si non adesset reuocatio, sed cum inducatur ex prædictis, cessat acceptatio D. Horatij, quæ est intelligenda secundum subiectam materiam, s. donec procurator fuerit reuocatus.

6 Vlterius considerabant Domini, quod quatenus predictus actus fuisset vera cessio, adhuc ex ea Bartholomæi non haberent intentionem fundatam, & hoc ex triplici fundamento. Primo, quia fuit facta pro eo quodam tunc Nasius debebat, vel in futurum deberet Bartholomæis vtique debito non probato, ac liquidato non fuit translata vtilis actio, nec ius quæsitum ipsis Bartholomæis. *d. l. per diuersas. C. mand.* ibi. Ita tamen, vt si quis datis pecunijs huiusmodi subierit cessionem, vsque ad ipsam tantummodo solutarum pecuniarum quantitatem, & vsurarum eius actiones exercere permittatur, & ibi gl. in verb. solutarum. Facit ad id *text. in l. ab Anastasio. cod. tit. Dec. cons. 464. n. 4. & 587. n. 5. vers. & ista concl. cōprobatur, & seq. Castren. in d. l. per diuersas. num. 5. Rom. cons. 86. num. 3. vers. aut. volu... Corn. cons. 23. num. 4. lib. 2. Rot. Ianuen. decis. 13. num. 23.*

7 Et hoc expresse voluerunt contrahentes in casu isto, dum in schedula, de qua agitur, Bartholomæi acceptarunt sub conditione di tener conto à detto Signor Nasi di quello, che essi recupereranno, ò faranno recuperare sopra quel, che li deue, e potrà douere all'auuenire. Quibus verbis satis clare innuitur ratio per Bartholomæos tenenda de debito iam contracto per Nasium, & in futurum contrahendo, & sic cum hodie non constet de certitudine dicti debiti, Bartholomæi non possunt exercere dictas actiones ex supra allegatis. Et prędicta eo magis procedunt, quia debitum Nasi non solum non probatur, verum etiā potiùs excluditur, cum ipse solueret summam Scutorum octo millium Bartholomæis, vt statim dicetur.

8 Neque obstat confessio Nasi, quia illa confessio non fuit, quod esset debitor Scutorum viginti millium, & hinc fit, quod cum non sit confessio clara, non probat contra confitentem. Mohed. decis. 2. de restit. spol. Nam cessio Scutorum viginti millium pro debito Scutorum mille, aut maioris summæ non valeret. *d. l. per diuersas. vers. ita tamen, & ibi glo. in verbo venditione. & Bart. num. 2. C. mand.*

9 Secundo quatenus iste actus esset vera cessio, Bartholomæi non haberent intentionem fundatam contra Dominos de Oricellarijs. Nam vsque de ann. 1590. ista schedula peruenit ad manus Pompei Bedini, & illam produxit in actis Syluia eius filia. Vnde fit, quod aut illa non fuit consignata Bartholomæis, & cessio non valuit, quia ad validitatem cessionis debent consignari Cessionario omnia instrumenta, vt cessus possit conueniri. *Bal. in l. si nomen. num. 2. ff. de hæred. vel act. vend. Alex. in l. sciendum. num. 10. ff. de verb. oblig. Rot. Ianuen. decis. 189. num. 3.* Aut vero fuit consignata, & cum fuerit reperta penes Bedinum præsumitur restituta, & ex hac restitutione præsumitur retrocessio. *l. 1. C. de donat.* Quæ quidem præsumptio præsumptionis in hoc casu est admittenda, cum vna veniat in consequentiam alterius, vt fuit resolutum in causa Romana, Domus. in Burgo 30. Martij 1590. coram Illustrissimo D. meo Cardinale Mantica.

10 Quod autem ista schedula præsumatur restituta Nasio, & consignata Bedino, cui Nasius cessit, satis patet, quia de anno 1589. Nasius soluit Bartholomeis mediante Bancho DD. de Saluiatis Scuta octo millium. Concurrit etiam, quia bo. me. Horatius Oricellarius semper recognouit Bedinum vti Cessionarium, vt patet ex eius literis missiuis, quod non est verisimile, vt fecisset si adhuc vigeret cessio facta ad fauorem DD. de Bartholomæis. Horatius enim erat vir prudens, concurrit etiam quod de anno 1589. Bartholomæi scripserunt bo. mem. Horatio nullum amplius se habere interesse in hoc credito, & quod fuerunt à Nasio satisfacti, & quamuis testes deponant vidisse solum copiam literarum, illam tamen viderunt in libris illorum de Bartholomæis de Florentina, vbi similes literæ solebant registrari, qui quidem testes satis probant, cum concordant de loco, vbi viderunt copiam Epistolæ, & de tenore illius. *Felin. in c. sicut. n. 2. de re iud. Dec. in c. quoniam contra. nu. 237. de probat.* & aduertebant Domini, quod hæ probationes non poterant diuidi, sed in simul consideranda erant solutio Scutorum octo millium, taciturnitas, recognitio bo. me. Horatij, & copiæ Epistolæ. Singula enim, quę non prosunt simul collecta iuuant vulg. iur.

11 Neque releuat, quod schedula prędicta poterit haberi aliunde a Nasio, quam ex restitutione Bartholomæorum, immo potuit haberi à Bedino absque alia restitutione, cum esset persona domestica. *Menoc. de præsump. lib. 3. præsump. 140. num. 20.* Nam hoc motiuum posset considerari si nuda schedula reperiretur penes Bedinum, sed cum concurrant alia supra pōderata, nempe solutio Scutorum octo milliū, quod Bartholomæi habuerunt se pro satisfactis, recognitiones

bon.

bon.mem. Horatij, tollitur præsumptio, quod ex alia causa, quam ex causa restitutionis factæ Nasio schedula peruenerit ad manus Bedini. Ex quibus, & alijs doctissime consideratis in alia decisione facta, coram Illustrissimo D. meo Card. Lancellotto Domini dixerunt, Bartholomeos non habere intentionem fundatam contra DD. de Oricellarijs, &c.

R. P. D. PIROVANO.

Romana Filiationis. Lunæ 10. Decembris 1612.

ARGVMENTVM.

Ponuntur in hac decisione plures filiationis coniecturæ, quibus dicitur filiationem probari, quando non agitur de successione in hæreditate paterna ab intestato, sed de consequutione dotis, vel alimentorum, & hinc plura de exceptionibus contra testes super filiatione deponenda.

SVMMARIVM.

Testis pauper non repellitur à testificando. num. 1.

Testis inimicus propter litem ciuilem paruam non repellit testem, nisi fuerit lis criminalis. num. 1.

Meretrix vt femina dicatur, non sufficit, quod ab vno tantum cognoscatur. num. 2.

Murmuratio producit famam, quæ sufficit ad probandum concubinatum. num. 4.

Concubinatus probatur per famam. num. 4.

Testis errans non in facto principali, nec in circumstantia substantiali probat. num. 5. & 6.

Filiorum procreatio non cadit in certum sensum hominis. num. 7.

Filiatio probatur per leuiores probationes, quando non agitur de successione in hæreditate paterna, sed solum de consequutione dotis, vel alimentorum. num. 9.

DECISIO CCCCXLIV.

1 Domini censuerunt, standum esse in decisis approbando coniecturas, quæ pro filiatione Septimiæ in decisione fuerunt consideratæ, quibus visum est non obstare rationes, quæ contra testes, & eorum dicta fuerunt pro parte Marci Carrosij adductæ, exceptiones namque contra personam primi testis examinati in Vrbe, qui fuit compater Septimiæ, videlicet inimicitiæ occasione litis contractæ, & paupertatis, non videntur releuantes, concurrente adminiculo aliorum testium. Quia paupertas non repellit testem. *Cæsar. de Grass. de testibus. decisione duodecima. numero* 1. inimicitia autem propter litem ciuilem, cum sit parua causa non est sufficiens, sed requiritur criminalis. *Felin. in cap. cum super. num. 3. versi. sed caue. de offic. iudic. delegat. Specul. in titul. de testibus. §. 1. in principio.*

2 Quæ vero opponuntur contra primum testem in partibus examinatum, quæ fuit nutrix ipsius Septimiæ, videlicet paupertas, iam dictum fuit, non obstare, & quod fuerit meretrix non etiam iustificatur ex parte Carrosij ex eo solo, quod cohabitet cum persona suspecta, quia causa cohabitationis exprimitur, nempe propter sponsalia inter eos de futuro contracta, & quod cohabitatio erat de licentia Vicarij, & denique quia vt quæ dicatur meretrix, non videtur sufficere, si ab vno tantum cognoscatur. cap. vidua. trigesima quarta distinctione. *l. palam. §. non solum. ff. de ritu nuptiar. Menoch. consi. 18. numer. 18. lib. 1. & sequitur Boss. in tit. de plur. viol. n. 67. & in titul. de raptu mulier n. 9.*

3 Exceptiones autem, quæ contra dicta eorumdem testium opponuntur, cum veritas eorum depositionis comprobetur ex alijs testibus, non videtur in aliquo minuenda fides. Sed quo ad primam coniecturam circa concubinatum deponunt alij testes, inducti pro Carrosio, corruit propria confessio Fabij, & Vrsolinæ in iudicio criminali.

4 Non obstat, quod eadem Vrsolina fassa fuerit se procreasse multos filios, & nescire ex qua persona. Quia hoc dixit in eius depositione respectu aliorum filiorum, non autem Septimiæ, quam asseueranter dicit esse filiam Fabij. Nec dicatur, quod testes pro Carrosio inducti deponant tantum de murmuratione, in reliquis autem nescire dicant, Quia ex murmuratione oritur etiam fama, quæ sufficit ad probationem qualitatis concubinatus, vt dicit *Abb. in c. 3. loco. num. 2. de præsumption.* quem refert, & sequitur *Alba. consi. 25. num. 4. Ioan. Crott. consi. 413. num. 24. versi. item testimonium viciniæ*, & sufficit huiusmodi famam probari per duos testes. Idem *Abb. in dicto c. 3. loco. nu. 2. de præs. Bart. in l. de q. §. plurim. nu. 19. ff. de q. Ferret. cons. 389. num. 18. vol. 2.*

5 Secunda coniectura deducta est ex baptismo, & si compater solus videatur deponere quo ad substantiam actus baptismi, adminiculatur tamen eius dictum per alios tres testes de auditu ab alijs. Nec obstat, quod compater ille videatur sibi contrarius, & varius, dum dixit Septimiam fuisse baptizatam in Ecclesia Sancti Ioannis à Iosepho Casso, & alibi dixerit ab Adriano Bulgaruccio Rectore Sancti Pancratij, vt inde, vel mendax, vel falsus videatur, cui propterea fides adhibenda non sit. Quia respondetur, quod cum non sit quæstio super substantia actus baptismi, sed super eo, quod vocatus fuerit à Fabio ad leuandam Septimiam à sacro fonte, error in circumstantia non substantiali, qui potuit etiam contingere, est lapsus memoria, non diminuit fidem, secundum Alex. consilio quinto. numero decimo. libro primo. tanto magis, quia ab eo tempore in antea alij testes deponunt, quod ad inuicem se vocabant compatres, quæ denominatio confirmat veritatem, quod à Fabio fuerit vocatus ad actum prædictum.

6 Tertia coniectura ex lactatione, educatione, & tractatu adhuc remanet firma, cui non obstant inuerisimilitudines consideratæ aduersus compatrem, & nutricem, cum respectu substantiæ circa lactationem bene deponant, quidquid sit de circumstantijs circa viduitatem matris, & obitum mariti, & de habitatione Vrsolinæ, extra domum, & quod cum Vrsolina nulla alia persona commercium haberet, super quibus Domini non insteterunt, cum non esset principalis quæstio super qualitatibus enarratis.

7 Neque confessio Vrsolinę in hac parte videtur contraria, si distinguantur tempora. Nam verum dicit ille testis, quod nulla alia persona haberet commerciũ cum Vrsolina, cõsiderato tempore, quo viuebat cum Fabio Corneti, respectu autẽ quo seorsum habitauit à Fabio, bene respondit Vrsolina se nescire, ex quibus suscepit filios, quia plures ad se admisit, pręterea multum suffragatur assertio ipsius Fabij in processu criminali, dum dixit, *io li voglio bene, & la tengo in luogo di figlia se bene realmente non so, che sij mia figlia*, hæc enim verba præsupponunt commercium de tempore conceptionis, nec incertitudo filiationis tollit præsumptionem quia verum dixit Fabius, cum procreatio filiorum, non cadat in certum sensum hominis. *Bart. in l. 1. num. 2. C. quor. bonor. Bal. in l. filium. num. 12. ff. de his qui sunt sui, vel alien. iur. Natt. post alios cons. 473. num. 39. Menoch. de arbitr. cas. 89. num. 4.*

8 Quarta pariter coniectura non eneruatur ex fide proprij Parochi, quæ pro parte Carrosij fuit data. In illa enim legitur duntaxat Fabiũ nihil ei dixisse de filiatione Septimiæ, sed hoc nõ concludit negatiuã ad inducendã contrarietatẽ cum fide alterius Parochi.

9 Postremo vnus ex Dominis dicebat in casu, de quo agitur sufficere etiam leuiores probationes, quia Septimia non potest ab intestato aspirare ad hæreditatem

tem patris, nec ad duas vnicas, de quibus in auth. licet. *C. de naturalib.* cum non sit vere naturalis, secundum leges ciuiles, nec habeat requisita, de quibus per *Rotam. decis.254. in princ. par.2. diuers.* Verum duntaxat agere potest ad dotem, quæ succedit loco alimentorum, quæ alimenta, & si de iure ciuili non debebantur, sed fuit prouisio iuris Canonici, non propterea quidquid alterauit circa ius succedendi ab intestato, vt dicitur in dicta *decis.254. in fin.* & habetur in discursu relato post *decis. 211. nume. 24. par.1. diuers.* Et hoc stante ad effectum alimentorum, vel dotis eorum loco subrogatur probationes videntur sufficere secundum distinctionem, quam fecit Rota in Romana filiationis de Naris, coram Reuerendiss. Lugdunen. Et ita fuit resolutum.

R. P. D. PIROVANO.

Cauallicen. Feudi. Lunæ 17. Decembris 1612.

ARGVMENTVM.

De probatione immemorabilis præscriptionis, super iure primogenituræ plura notanda, de quibus in Summario, & est magistralis decisio in materia.

SVMMARIVM.

Præscriptio immemorabilis, quæ requirat ad hoc, vt per testes concludenter probata dicatur. num.1. & seqq.

Præscriptio immemorabilis ad hoc, vt per testes bene probata censeatur, cuius ætatis debeant esse testes. num.2.

Semper dictio præsupponit continuationem totius temporis, num.3.

Primogenitura ad hoc, vt concludenter per testes probata dicatur, quomodo super ea testes deponere debeant. num. 4. & seqq.

Testes super primagenitura deponentes non tenentur specificare casus, & personas, sed nudum factum, quod primogenitus successerit. num.5.

Successerit quis iure primogenituræ potiùs, quam iure hæreditario dependet ab animo succedentis. nu.5. & num.7. Vbi quomodo animus succedendi isto casu probetur.

Fama in antiquis plene probat primogenituram. num. 6.

Primogenitura numquid censeatur probata per testes deponentes aliquem successisse iure primogenituræ, nisi deponant illum habuisse fratres minores natu, qui à successione exclusi remanserunt. num.4. & seqq.

Dictio solus dicitur posita ad distinctionem, & separationem aliorum. num.8.

Præscriptio iam perfecta non interrumpitur per litem postea motam. num. 9. & 10.

Ius succedendi vigore primogenituræ quomodo, & quanto tempore perscribatur. num.9. & 10.

Testes deponentes super iure primogenituræ, quando teneantur reddere rationem eorum depositionis, etiam non interrogati. num.11.

Verba toto tempore excludunt omne tempus intermedium, num.12.

DECISIO CCCCXLV.

1 FVit resolutum, standum esse in decisis coram Cotta 14. Decembris 1573. in qua decisione fuit firmatum circumscriptis exceptionibus contra testes ex illis testibus probari primogenituram ab immemorabili tempore in Baronia Castri noui. Visum est enim Dominis, quod 3. 12. 17. & 18. testes, super quorum dictis Rota mandauit, vt stricte informaretur, circumscriptis probationibus D. Ioachini, de quibus postea esset videndum bene concluderent immemorabilem super statu primogenituræ secundum requisita. *glos. in verb. memoria. c.1. de præscrip. lib.6.*

2 Omnes namque deponunt de auditu à maioribus, qui ab antenatis audierunt, & de fama, & quod nunquam viderunt, aut audierunt contrarium, sed ab immemorabili fuisse obseruatum filium primogenitum semper successisse, ac succedere debere, etiam quod eodem tempore extarent fratres. Habent legitimam ætatem dempto etiam tempore litis motæ secundum opinionem, quam seruat Rota de qua per *Caputaq. decis.71. num.2. p.2.* cum tertius sit annorum 95. 12. annorum 86. 17. annorum 85. & 18. annorum 74. & à tempore litis motæ de anno 1554. vsque ad annum 1572. quo fuerunt examinati intercesserint duntaxat anni 18.

3 Concludunt præterea de visu, & de certa scientia per 40. annos ante motam litem dum referunt statum, & tempus Stephani Melchioris filij Iansani nepotis, & Ioachini pronepotis, ac dum post narrationem, quod ab immemorabili tempore fuit obseruatum, quod primogenitus filiorum Baronis Castri noui succedat in dominio, & Baronia. Tertius testis dicit, quod à dictis 80. annis, quibus memor est semper vidit dominum dicti Castri pro tempore existentem possedisse solum, & in solidum, & duodecimus testis dixit, quod toto tempore vitæ suæ vidit, ita semper obseruatum fuisse, & clarius decimus octauus testis in illis verbis, prout & toto tempore ipsius deponentis vidit obseruari, quæ verba includunt, nedum probationem de visu propter verba toto tempore, sed, & propter dictionem (semper) quæ pariter præsupponit continuationem totius temporis quadraginta annorum, & vltra. *Socin. sen. consilio 54. numero 10. libro 4. Rot. decis. 28. numero 3. par. 2. diuers. & Gabr. de præscript. 6. conclu. prima. numero 27.* Sed etiam videntur firmare statum primogenituræ in prædictis quatuor personis, cum non semper ita obseruatum fuisset sic Stephanus Melchior, & alij alio iure, quam primogenituræ possedissent Castrum prædictum.

4 Non obstat, quod huiusmodi probatio nihil concludat ad effectum iuris primogenituræ, ex quo testes non dicunt, quod omnes isti, quos eo tempore quadraginta annorum viderunt possidere, habuerint fratres minores natu, qui à successione remanserint exclusi, nec quo ad personam Melchiores potuissent dicere, cum fratres non habuerit, sed vnigenitus possederit per triginta annos, quod tempus non videtur computandum ad effectum istius probationis, prout videntur tenere *Isern. in cap. Imperialem. §. præterea ducatos. num.38. de prohibit. feud. alienat. per Federic. & Afflict. ibidem, num.44. & versic. sed iuxta hoc, & in cap. satis. num.7. de prohibit. feud. alienat. per Lothar. & in decisio. 248. num.3. Balzaran. in dicto §. præterea dicatus. num. 17. cum alijs alleg. per Tiraquell. de iure primog. q.30. num.8. & per Molin. de primog. lib.2. c.6. num.22.*

5 Fuit enim primo loco responsum testes in eorum dicto concludere qualitatem primogenituræ etiam in persona Melchioris, dum dixerunt vidisse toto tempore vitæ eorum, ita obseruatum fuisse, & cum non teneantur specificare casus, & personas, sed nudum factum, quod primogenitus successerit, *Guido Pap. consil. 131. num. 1.* qui hoc bene dicit *Afflict. in c. Imperialem. §. præterea ducatus. numer.40. de prohib. feud. alienat per Feder. Molin. de Hispan. primog. lib.2. c.6. num. 39. Decian. cons.51. num.35. vol.2.* Ideo non fuit eis impossibile videre actus positiuos inferentes magis ad successionem iure primogenituræ, quam ad successionem iure hæreditario, quorum declaratio, sicuti pendebat ab animo Melchioris. *l. 3. cum ibi notatis. ff. de acq. poss.* vtique ex facto, & verbis illius potuerunt hanc distinctionem percipere. *l. Paulus. ff. rem ratam haberi.* Ex facto, inquam, quia forte excluserit patruos, vel alios descendentes ab eis. Ex nerbis, quia id ipsum intellexerunt ab eodem Melchiores, prout audiuisse ab eo affirmat tertius testis. 6 Se-

6 Secundo animaduerterunt Domini, quod Isernia Afflict. & alij supra alleg. loquuntur, quando simpliciter agitur de vnigenitis filijs, nec probatur, quid præcesserint alij in possessione primogenituræ habentes fratres, qui exclusi remanserunt, hic autem præcesserunt alij nedum ante Stephanum, vt dicunt testes de fama, & auditu à maioribus referentibus audiuisse à maioribus suis, qui excluserunt fratres, quæ fama in antiquis plene probat *Cassad. decis. 2. num. 4. de probat.* Sed Stephanus ipse pater Melchioris, qui successit in primogenitura Castri exclusis Bartholomæo fratre, & Guglielmetta sorore, quo casu non remanet probatio æquiuoca, prout de primogenito alio non probato. *chrader. in puncto limitans prædictorum opinionem cons. 13. nnmero 347. versic. namque respondeo.*

7 Concurrit exinde probatio alterius extremi in persona Iansani filij Melchioris, quem testes prædicti deponunt successisse iure primogenituræ excludendo Ludouicum fratrem, quæ cum habeant inter se necessariam, & verosimilem consequentiam inducēdi hanc consuetudinem primogenituræ, medium cōforme desumitur, scilicet, quod Melchior habuerit animum taliter possidendi. *Bar. in l. Celsus. num. 21. ff. de vsucap. Tiraq. de præsumpt. §. 1. gloss. 5. Couar. in reg. possessor. 2. par. §. 1. num. 2. Alciat. de præsumpt. regul. 2. præsumpt. 22. & Menoc. eod. tit. lib. 6. præsumption. 36.*

8 Nec dicatur, quod initium prædictum in persona Stephani non remaneat probatum dum testes nō dicunt eum, à quo desumitur continuatio habuisse fratres, aut sorores, quia vltra quod non deest probatio de auditu à maioribus, quod alij præcesserint possessores primogenituræ, de Stephano etiam duodecimus & decimus septimus testes idem affirmare videntur, dum dicunt cognouisse Stephanum, qui cum viueret erat solus Baro, & Dominus dicti loci. Dictio namque (solus) posita est ad distinctionem, & separationem aliorum, qui tunc poterant concurrere. *l. liberi, seu prima. C. de bonor. poss. contr. tabul. & in l. aduersus. C. si aduers. rem iudicatam*, & consequenter ad separandū Bartholomeum eius fratrem à successione, quod preterea manifeste conuincitur, quia prædicti testes subdunt, quod mortuo Stephano successit Melchior, quem minime enunciant cognouisse Baronem, & Dominum solum, sed Baronem, & Dominum simpliciter ad distinctionem qualitatis vnigeniti in Melchiore, quæ non erat in Stephano.

9 Nec obiectum, quod Iansanus non possederit tanquam primogenitus propter litem motam per Ludouicum eius fratrem, videbatur in facto subsistere, quia Ludouicus duntaxat de anno 1554. mouit litem, quo tempore si quadragenaria iam confecta erat, non potuit per litis contestationem interrumpendo præscriptionem tollere ius quæsitum ex quadragenaria. *Abb. in cap. auditis. nu. 10. in vlt. notab. per illum text. de præscript. Felin. in c. illud. num. 13. eod. tit.*

10 Postremo dixerunt Domini opinionem Iserniæ, & aliorum procedere ad effectum prescribendi, presuponunt enim, quod ius succedendi vigore primogenituræ præscribatur spacio triginta annorum concurrente alio fratre, & sciente, & non contradicente, & mouentur ea ratione, quia qui non habet fratrem non habet contra quem possit inchoari prescriptio. In casu autem, de quo agitur non versamur in prescriptione, sed in consuetudine, quod ita obseruatum fuerit ab immemorabili tempore, pro qua inducenda non requiritur scientia, aut patientia alterius fratris, sed sufficit vsus maioris partis, vt preiudicet minori, siue contradicenti, siue non contradicenti, ad vtrumque effectum actiue, & passiue, vt dicunt *Guido Pap. cons. 131. num. 6. Schrad. cons. 13. num. 348.*

11 Non obstat, quod secundo principaliter obijciebatur, testes non reddere rationem, quare maiores illi possederint iure primogeniture, prout necessarium erat, etiam non interrogatos ex eo, quod qualitas primogenituræ non cadit sub sensum corporis. *Ang. in l. 1. num. 1. C. de reuoc. donat Felin. in cap. cum causa il primo. sub nu. 3. vers. fallit secundo. de testib. cum alijs alleg.* Quia pro responsione fuit dictum ex verbis ipsorum testium colligi sufficientem rationem cum duo ex eis dicant, quod semper primogenitus successit exclusis secundo genitis, que ratio primogeniture cōcludit, vt admittunt *Isernia, & Afflict. in d. c. 1. §. preterea ducatus, ille sub num. 37. iste sub num. 38.* & clarius videntur etiam hanc qualitatem exprimere dum dicunt, quod secundo geniti non succedebant, sed tantum alimenta, & vestitus eis prestabantur. Preterea fuit etiam consideratum, quod hec materia non est absolute abstracta à sensu, sed potest videri, & audiri per actus positiuos, vt supra dictum est, propterea tanquam mixta si testis non interrogatus rationem sui dicti non reddit nihilominus probat *Felin. in d. c. cum causa. sub num. 3. colum. 5. versic. secundo tempera, & versicul. modo hanc fallentiam. de testibus Guido Pap. cons. 131.*

12 Ad id quod dicebatur testes non deponere de continuata possessione toto tempore quadragenariȩ propter omissionem copulȩ, & citra, secundum doctrinam *Bart. in l. Celsus. num. 23. & seqq. de vsucap.* fuit dictum non releuare, cum deponant per verba equipollentia continuationem temporis denotantia, videlicet de visu de toto tempore eorum vitȩ, quȩ verba excludunt omne tempus intermedium, ex eod. *Bar. in d. l. Celsus. num. 25. & Felin. c. licet causam. sub nume. 8. de probat.* quod etiam fuit dictum in Toletan. Decimarum 20. Martij 1600. coram bon. mem. Cardinali Seraphino. Et ita resolutum, &c.

R. P. D. MANZANEDO.

Bononien. Bonorum de Gozzadinis. Lunæ 17. Decembris 1612.

ARGVMENTVM.

Datio in solutum facta ab executore testamenti creditori hereditatis an sustineatur sine solennitatibus requisitis à statuto in alienationibus rerum minoris, & an legatario pecuniarum debeantur fructus legati, quando testator sic ordinauit in pœnam heredis non soluentis dictum legatum.

SVMMARIVM.

Datio in solutum facta ab executoribus testamenti habentibus in testamento sufficientem facultatem, censetur facta ab ipso testatore. nu. 1.

Minoris bona data in solutum creditori ab executoribus testamenti bona fide, non requirunt subhastationem. num. 2. Vbi etiam quod isto casu non requiruntur solennitates a statuto requisitæ in alienationibus minorum.

Executores testamenti possunt bona hæreditaria dare in solutum creditoribus etiam non citato hærede. nu. 3.

Legatum pecuniarum si non soluatur in tempore a testatore præfixo, potest idem testator mandare, vt soluatur legatario aliquid pro interesse non habiti legati in pœnam hæredis. nu. 4.

Datio in solutum facta pro modico pretio cum pacto de retrouendendo quando variat. nu. 5.

Pretij modicitas consideranda est tempore contractus. num. quinto.

Pactum francandi facit rem valere minori pretio. numer. quinto.

DECISIO CCCCXLVI.

1 Domini resoluerunt, dationem in solutum fuisse validam, siquidem illa fuit facta de anno 1572. ab executoribus testamentarijs habentibus à testatore amplissimam facultatem alienandi, & obligandi bona hæreditaria pro executione sui testamenti, in quo inter cetera mandabat, vt Scuta 2000. auri debita Annæ, deberent poni ad honestum lucrum pro commodo, & vtilitate ipsius Annæ, vel per suam hæreditatem illi de honesto lucro responderi arbitrio Commissariorum, qui propterea declararunt dictum lucrum per hæreditatem præstandum ad rationem quatuor cum dimidio pro centenario. Cumque de anno 1572. factis computis illam reperijssent debitricem in notabili summa, tam occasione sortis principalis, quam fructuum prædictorum deuenerunt ad dictam dationem in solutum, de cuius validitate dubitari non potest, cum facta fuerit in vim facultatis à testatore concessæ, & perinde sit, ac si ab ipsomet testatore facta fuisset. *l. item eorum. §. 1. ff. quod cuiusque vniuer. nom. Tiraq. de legibus connub. gl. 8. nu. 184.*

2 Non obstat, quod fuerint data in solutum bona minoris sine subhastatione, & alijs solennitatibus de iure communi, & ex statuto requisitis. Quia quo ad subhastationem respondebatur illius omissionem non vitiare alienationem bona fide per executores factam, *Bald. in authent. hoc ius porrectum. nu. 15. C. de sacrosan. eccl. Anguiscol. cons. 279. num. 42.* Et quo ad solennitates dicebatur, illas in casu nostro non fuisse necessarias, stante prædicta amplissima facultate vendendi, & alienandi per testatorem concessa. *Alexand. cons. 215. num. 1. & seq. lib. 6. Tiraq. vbi supra. num. 185. & seq. Lamberteng. de contract. gl. 1. num. 3.* Quod procedit, siue testator dederit in testamento specialem potestatem vendendi talem rem, siue generalem, vt hic ex *Alex. vbi supra.*

3 Non obstat secundo, quod ipse hæres non fuerit citatus, cum non ideo vitietur datio in solutum, licèt fortasse executores possent hæredi ad interesse teneri. *Alex. d. cons. 215. nu. 12.*

4 Non obstat tertio, quod datio in solutum fuerit facta etiam pro fructibus quos tamen testator non poterat mandare solui pro legato pecuniarum, sine vitio vsurariæ prauitatis. *Socin. cons. 56. num. 1. & seq. lib. 3. Roland. cons. 55. num. 21. & 23. & seq. lib. 2.* Quia pro responsione animaduertebant Domini, nos non versari in simplici legato pecuniarum. In quibus terminis tam opinio licèt sit controuersa procedere posset, sed sumus in legato pecuniarum inuestiendarum de mandato testatoris pro minore, & ex causa dotis, quo casu si non inuestiantur ratione pœnæ, & moræ, quæ statim incurritur fauore minoris, illa lucri præstatio dicitur licita, cum tunc pecunia dicatur potius legata, tanquam species, vt fuit resolutum in vna Romana Saluiani 21. Nouembris 1591. quæ fuit postea confirmata 29. Aprilis 1592. coram bon. mem. Orano.

5 Postremo visum fuit Dominis, prædictam dationẽ in solutum non posse impugnari, ex eo, quod fuerit facta modico pretio, cum pacto de retrouendendo. *Cassad. decis. 1. de vsur. Illustr. Mantic. de tacit. & ambig. lib. 8. tit. 20. nu. 1. & seq.* Tum quia Peritus ex cuius relatione pretenditur constare de modicitate pretij, non probat (prout requiritur) valorem de tempore dationis in solutum, quæ fuit ante per triginta octo annos. *Paris. cons. 16. nu. 82. lib. 2. Caputaq. dec. 264. n. 9. par. 3.* Tum etiam, quia attento pacto francandi, quod æstimatur in tertia parte. *Ioseph. Ludou. dec. Perusina 97. n. 4. & seq. Illustr. Mantica, vbi supra num. 49. vel in sexta,* iuxta stylum Rotæ, nulla videtur adesse læsio considerabilis. Et ita resolutum fuit.

REVERENDISS. P. DOMINO COCCINO DECANO.

Theatina Iurisdictionis de Atissa. Lunæ 17. Decembris 1612.

ARGVMENTVM.

Manuteneri debet Episcopus in iurisdictione locorum suæ diœcesis, non obstante immemorabili per inferiorem allegata, nisi tamen doceatur de antiquissima possessione inferioris cum priuilegio Episcopi, quod est validum absque consensu Capituli, vbi fuit concessum ante Paulinam de consensu Capituli.

SVMMARIVM.

Episcopus habet intentionem fundatam in omnibus locis existentibus intra fines suæ diœcesis maxime in causis criminalibus, & matrimonialibus. nu. 1.

Amplia, quod etiam si inferior alleget immemorabilem nihilominus Ordinarius debet manuteneri, donec de ea per tres sententias cognoscatur. nu. 1.

Fallit ampliatio in Decanis, & alijs dignitatibus in eadem Ecclesia, vel etiam in inferioribus Ecclesiis. nu. 5. Vbi tamen id non firmatur.

Fallit secundo, quod docetur de priuilegio cum antiquissima possessione. nu. 5.

Priuilegium concessum ab Episcopo absque consensu Capituli valet, vbi fuit concessum ante Paulinam de consensu Capituli. nu. 2.

Beneplacitum Apostolicum præsumitur ex obseruantia subsequuta. nu. 2.

Manutentio non debet dari Episcopo ex sola assistentia iuris communis, vbi inferior allegat possessionem, & priuilegium. nu. 3.

Visitationes factæ ab Episcopo post Concil. Triden. non arguunt aliquam Episcopi iurisdictionem, cum potuerint fieri vigore Concil. nu. 4.

DECISIO CCCCXLVII.

1 Licèt locus Atissæ sit intra limites diœcesis Theatinæ, iuxta resolutiones in hac causa factas, & propterea Reuerendissimus Archiepiscopus habeat intentionem fundatam de iure, *vt in cap. omnes basilicæ. 16. quæstio. 7. Roman. cons. 180. nu. 4. vers. habet enim Episcopus. Federic. de Sen. consil. 145. numer. 6. ante fin. versic. vnde si aliquis etiam ad effectum manutentionis, vt in cap. cum personæ. de priuil. in 6.* & tanto magis in causis criminalibus, & matrimonialibus vigore *Concilij Tridentini sess. 24. cap. 20. §. ad hæc de reformat.* ex cuius sententia Sacra Congregatio censuit, quod etiam quod inferior alleget immemorabilem, nihilominus Ordinarius debeat manuteneri donec de ea per tres sententias cognoscatur.

2 Tamen Rota in casu, de quo agitur, censuit Præposito Attissãno dandum esse mandatum de manutenẽdo quo ad cognitionem causarum ciuilium matrimonialium, & criminalium. Quia nedum constat de possessione dicti Præpositi, verum etiam docet de priuilegio sibi concesso vsque de anno 1118. à tunc existẽte Episcopo, & Capitulo Theatino subscripto ab ipsomet Episcopo, quod priuilegium cum fuerit datum ante Paulinam de consensu Capituli absq; dubio suffragatur. *cap. 2. & c. cum nos, & cap. tua. de his, quæ fiunt à prælat. c. pastoralis. in fin. de donat. Federic. de Sen. cons. 111. nu. 3. in vers. nam cum in tali exemptione,* & fuit d. in alia Theatina Iurisdictionis 26. Martij preteriti, coram R.P.D. meo Caualerio. Vltra quod ex obseruãtia subsecu-

secuta nempe ex solutione Bizantij, de quo in dicto priuilegio, & ex cognitione causarum, quatenus beneplacitum Apostolicum esset necessarium, esset præsumendum *Gonzal. super reg.8. gl.12. nu.76.*

3 Vnde sequitur, quod cum Reuerendissimus Archiepiscopus nitatur sola dispositione iuris communis, Præpositus autem alleget possessionem, & priuilegiũ procul dubio Præpositus sit manutenendus, & habetur *in d.c.cum personæ, vbi Anchar. in 2. notabil. Gemin. in §. fin. circa finem. & ibi etiam Franc. num.2. &* 3. & dixit Rota in Salamantina Iurisdictionis 17. Decembris 1582. coram recol. memor. Cardinali Seraphino, & in alia Aquilana Iurisdictionis 30. Martij 1607. coram R.P.D. meo Pamphilio.

4 Neque obstant visitationes datæ pro parte Reuerẽdissimi Domini Archiepiscopi, quia nulla visitatio datur ante Concilium Tridentinum, illæ autem, quæ dantur, sunt post Concilium Tridentinum. Vnde cũ non constet illas fuisse factas iure ordinario, vel vigore Concilij ista probatio, tanquam dubia non releuat Reuerendissimum Dominum Archiepiscopum *cap. in præsentia de probat.* & in puncto fuit resolutum in dicta causa Aquilana, in qua dicitur, quod cum non doceretur de visitationib. ante Conciliũ verisimile erat quod fuissent factæ vigore Concilij, allegando in argumentum textum *in l. quædam mulier. ff. de rei vendic. & in l.2. ff. de acquirenda possessione.*

5 Non obstat dispositio Concilij Tridentini, & declaratio Illustrissimorum Interpretum, quia licet verum sit, quod dum cognoscitur super immemorabili per tres conformes, Ordinarius debeat manuteneri. Tamen quidquid sit, an Concilium procedat in Decanis, & alijs dignitatibus in eadem Ecclesia tantum, vel etiam in inferioribus alijs Ecclesijs, in quibus non habere locum dispositionem Concilij censuit Rota in causa Salamantina Iurisdictionis prima Iulij 1605. coram Ioanne Aldobrandino, & in alia Bugen. Iurisdictionis 16. Decembris 1594. coram Orano, quia post modum non fuit facta huiusmodi distinctio, coram me in causa Baren. Iurisdictionis, & in alia Theatina Iurisdictionis, coram Reuerendo Patre Domino meo Caualerio, decisiones Concilij videntur indistinctè loqui, & propterea quicquid sit de hac responsione firmiter fuit dictum, quod declarationes Concilij loquuntur; quando agitur super immemorabili tantum, hic autem docetur de priuilegio, & de antiquissima possessione. Vnde nisi aliud censuerit Sacra Congregatio, placuit Dominis dispositionem Sacri Concilij esse intelligendam, quo ad manutentionem dandam inferiori, qui docet de priuilegio, & possessione secundum terminos, *c. cum personæ. de priuileg. in 6.* Et ita conclusum, &c.

REVER. P. D. PAMPHILIO.

Mediolanen. Decimarum. Merc. 16. Ianuarij 1613.

ARGVMENTVM.

Decimæ, an solui debeant ex locis ab Ecclesia, cui prius decimæ soluebantur dismembratis, & quod in solutione decimarum maxime attenditur obseruantia subsecuta.

SVMMARIVM.

Decimæ debitæ alicui Ecclesiæ regulariter non amplius debentur ex illis locis, quæ ab illa Ecclesia dismembrata fuerunt, nisi in dismembratione aliter fuerit expressum. numer.1.

Decimæ dari solent in defectum redituum Ecclesiasticorum, numer.2.

Decima an debeantur, vel non debeantur maxime attendenda est obseruantia subsecuta. nu. 3.

Obseruantia interpretatiua non requiritur, quod sit præscripta, sed sufficit, quod ita aliquando fuerit obseruatum, numer.3.

DECISIO CCCCXLVIII.

1 Domini informante tantum D. Platto steterunt in resolutis sub die 8. Iunij 1612. nempe decimas locorum Rancati, & Cliuesij spectare ad Ecclesiam S. Iuliani ex rationibus in decisione adductis, quæ Dominis placuerunt. Nec obstare dixerunt, quod prædicta loca de anno 1578. fuerunt dismembrata ab Ecclesia S. Iuliani per eum, qui habuit potestatem dismembrandi, & assignata Ecclesiæ S. Ambrosij in Parochialem de nouo erectæ, cui propterea censentur assignata iura Parochialia, & sic etiam decimæ, de quibus agitur ex *Calder. conf.2. de decimis*, quia fuit responsum supradicta procedere in dubio, quando in dismembratione nihil fuit exceptum, vt dicit ibi Calder. sed in casu isto dismembratio, vt ex illius verbis apparet est facta cum clausula sine præiudicio alicuius per quam censetur preseruatũ ius Ecclesiæ Sancti Iuliani, & illius canonicis super istis decimis competens, præsertim, quod ante huiusmodi dismembrationem canonicatibus dictæ Ecclesiæ, seu præbendis illorum concessæ, & applicatæ reperiebantur ex adductis in causa Conchen. Decimarum de Vilianueua. 5. Martij 1600. coram bonæ mem. Cardinali Pamphilio.

2 Quod eo facilius procedit, quia cum decimæ soleant dari in defectum reddituum Ecclesiasticorum, vt fuit in decisione ponderatum ex *Mandos. consil. 31. num.9. in fin. & seq.* Satis videntur decimæ, de quibus agitur in dismembratione exceptuatę, ex quo Rectori pro ipsius sustentatione fuit assignata certa annua quantitas Scutorum 60. præter emolumenta incerta funeralium, matrimoniorum, & alia Ecclesijs Parochialibus debita.

3 Præterea in casu isto satis patet, quod Canonicis super istis decimis, fuit ius præseruatum ex obseruantia subsequuta, de qua constat ex pluribus instrimentis, & quietantijs in decis. ponderatis, quæ obseruantia in hac materia est attendenda *Calder. consil.2. versic. primus si hoc. de decimis. Abb. in c. cum contingat. num. 8. eodem tit. & in cons.58. nu.2. vers. primus cum habeat lib.1.* & in terminis de decimis debitis Capitulo fuit dictũ in dicta causa Conchen. decimarum coram bo. mem. Cardinali Pamphilio, & cum sit obseruantia interpretatiua, non requiritur, quod sit præscripta, sed sufficit, quod ita aliquando fuerit obseruatum. *Aym. consil.101. num.4. versic. & adeo. Crescen. decision. 1. numer.1. de constitut.* cum alijs in decisione adductis, & ita decisum &c.

R. P. D. PAMPHILIO.

Fauentina, seu Bononien. Dotis. Veneris 21. Ianuarij. 1613.

ARGVMENTVM.

Legitime impositum onus reijcitur, nec ea venit sub generali substitutione fideicommissaria, quando patris testamentum censeatur approbatum ad effectum, vt legitimæ renunciatum censeatur, & quando in in contumaciam bannitus, & condemnatus amittet ea, quæ sunt iuris communis, restitutusque bona confiscata recuperat.

SVMMARIVM.

Instrumentum dicitur probatio probata. nu.1.

Testamentum in primo gradu, in quo filij instituta vxore sunt

sunt præteriti, non valet sustinetur in secundo gradu, numer. 2.

Legitimæ per fideicommissum non censetur impositum aliquod onus, quia ea non venit in generali substitutione. numer. 2.

Legitimæ aliquod onus imponi non potest, & impositum reijcitur. num. 3

Legitimæ renunciatio, vt renunciati præiudicet, debet esse expressa, nec sufficit generalis approbatio testamenti. num. 4.

Ignorantia testamenti, & contentorum in eo præsumitur in filio, & suo hærede, nu. 5.

Ignorans non dicitur acquiescendo approbare. nu. 5.

Dos habet tacitam hypothecam pro illius restitutione in bonis mariti. nnm. 7.

Sententia contumacialis præsumitur potius lata propter contumaciam, quam ob delictum. nu. 7.

Condemnatus, & bannitus in contumaciam non amittit ea, quæ sunt iuris communis, nu. 7.

Bannitus restitutus in amplissima forma videtur recuperasse omnia sua bona, saltem non incorporata. num. 8.

Donatio propter nuptias soluto matrimonio per mortem viri, quando reuertatur ad illius hæredes, nu. 9.

Filius alienando aliquam rem hæreditariam censetur, illam legasse pro sua legitima. nu. 6.

DECISIO CCCCXLIX.

1 FVit resolutum constare de bono iure Catherinæ, quia ex publicis instrumentis, quæ dicuntur probationes probatæ, *Bald. in d. l. interest in vltimo notabili. C. de solut. Becc. cons. 36. nu. 2. & faciunt rem manifestam. Bart. in l. 1. num. 8. & ibi Ias. num. 10. ff. de nou. ope. nnnciat.* apparet de constitutione dotis à Catherina facta Florentino eius viro, & de donatione ab eodem Florentino eidem Catherinæ vxori facta cum obligatione de restituen. in omni casu restitutionis tum dotem, quam donationem.

Vnde cum euenerit casus restitutionis per mortem Florentina, & Francisca possideat omnia bona paterna illius non videtur dubitandum, quin pro recuperatione dotis, & donationis Catherina possit agere contra Franciscum saltem respectu bonorum, quæ Florentino debebantur legitima, iuxta *tex. in l. parentib. & l. cum quæritur C. de inof. testam.*

2 Non obstat testamentum Sebastiani patris Florentini in quo instituta vniuersali hærede Francisca vxore post illius mortem, vel ipsa transeunte ad secūdas nuptias, vel cum filijs non commoráte substituit filios, hoc addito, quod si aliquis ex filijs nollet suæ dispositioni, & voluntate acquiescere, vel aliquo modo familiam suam inquietaret, Francisca posset illi assiguare eius legitimam nulla alia facta mentione de legitima, quæ propterea pro parte Franciscæ prætenditur, prohibita, quia vltra quod testamentum in primo gradu, in quo filij instituta vxore sunt pręteriti, nō valet, sed sustinetur in secūdo gradu per *tex. in l. ex facto, §. Lucius Titius, ff. de vulg. & facit text. in l. si filius hæred. instit.* Fuit etiam pro responsione dictum, quod per fideicommissum non censetur impositū aliquod onus respectu legitimæ, quæ non venit in generali substitutione per fideicommissum. *Alex. in l. precibus, n. 17. Ias. num. 17. vers. contrarium C. de impuber. & al. substitut. Roman. cons. 185. nu. 2.*

3 Et in omnem euentum etiam expresse aliquod onus in testamento legeretur illud non præiudicaret Florentino, quo ad portionem suæ legitimæ, à qua omne onus reijcitur *l. quoniam in priorib. l. sancimus. §. cum autem. C. de inof. testam.* Et fuit dictum in causa Romana de Salomonibus 14. Nouembris 1575. coram bon. memor. Cardinale Seraphino, vt in decisione relata inter impress. *diuers. 565. n. 3. vers. Nec obstat p. 1.*

4 Et ita visum fuit etiam cessare quod dicebatur Florentinum sibi præiudicasse acquiescendo voluntati Testatoris, quasi quod ita approbauerit eius voluntatem, quia cum vt supra dictum est, fideicommissū nō comprehendat legitimam eius acquiescentia non potuit in illa aliquid ei præiudicare, maxime quod ad istum effectum non sufficit acquiescentia, nec generalis approbatio testamenti, sed requiritur expressa legitime renunciatio *l. si quando. §. & generaliter. ff. de inoff. testam. Ruin. cons. 56. nu. 8. & seqq. lib. 2. Paris. cons. 47. au. 8. lib. 2. & cons. 55. nu. 6. lib. 3.* Et fuit dictum in causa Forolíuien. fideicommissi 9. Maij 1611. corā me.

5 Quod eo facilius procedit in casu isto, quia non cōstat, quod Florentinus habuerit scientiam testamenti quę tamen erat probanda, cum in filio, & suo hęrede præsumatur ignorantia testamenti, & contentorum in eo. *Bart. in l. qui Romæ. §. duo fratres q. 3. nu. 13. ff. de verb. oblig. & ibi Rip. nu. 50. & in l. filiusfamilias §. Diui. nu. 11. ad fin. ff. de leg. 1. Alex. cons. 3. nu. 4. in fin. & nu. seq. lib. 3.* neq; poterat Florentinus acquiescendo approbare id quod ignorabat. *Put. dec. 973. nu. 1. lib. 3.*

6 Et cessat difficultas. Nam ex quo Florentinus fecit vxori supradictam donationem, & ad restitutionem illius, & dotis se obligauit, nec apparet ipsum habuisse alia bona, quam paterna, tantum abest quod dictæ dispositioni acquieuerit, quod immo pro summa obligata, & alienata detractionem, & electionem legitimę fecisse videatur. *Aret. cons. 12. nu. 5. Alex. cons. 3. nu. 4. & seq. lib. 4. Gabr. de legitima concl. 4. n. 8. Peregr. de fideic. art. 39. nu. 2.*

7 Nec pariter obstat, quod secundo loco principaliter Informantes pro Francisca dicebant nempe Florentinum de tempore obligationis fuisse bannitum, & sic non potuisse facere actus legitimos stantib. constitutionibus Summorum Pontificum id prohibentibus, quia pręter id, quod bona Florentini pro restitutione dotis sunt à iure tacite obligata *l. vnica. §. & vt plenius. C. de rei vxor. act.* Fuit etiam dictum, quod Florentinus fuit bannitus in contumaciam, quo casu sententia præsumitur potius lata propter contumaciam quam ob delictum. *Rom. consil. 329. nu. 10. Menoch. de præsump. lib. 2. præsumpt. 70.* Et propterea cessat obiectum, ex quo condemnatus ob contumaciam non amittit ea, quæ sunt iuris communis. *Surd. cons. 394. n. 23. lib. 3.* & Constitutione Apostolicæ debent intelligi de condemnatis propter delictum, non autem propter contumaciam, vt fuit dictum in causa Ciuitatis Castelli de Vitellis 10. Decemb. 1577. coram bo. mem. Cardinali Seraphino, vt in decisione relata inter impress. diuers. 369. nu. 9. vers. neque vigore. par. 1.

8 Et tanto magis supradicta Dominis placebant stāte amplissima restitutione per Florentinum obtenta per quam videtur recuperasse omnia sua bona, vel saltem ea, quę non erant incorporata fisco, nec per fiscum alienata. *Bart. in l. fin. nu. 7. C. de sent. poss.*

9 Neque demum quo ad donationem releuat, quod, illa censeri debeat donatio propter nuptias, quę soluto matrimonio per mortem viri reuertitur ad illius hæredes, *iuxt. not. per gl. in auth. siue a me verbo donatio. C. ad Velleian.* quia quicquid sit de hoc placuit responsio, quod supradicta opinio Gl. non procedit, quando prout in casu isto inter coniuges fuit aliter conuentum. *Rolan. cons. 62. nu. 2. lib. 1. Mandell. cons. 68. nu. 2. & 3.* Et ita decisum, &c.

R. P. D. PAMPHILIO.

Bononien. Legati. Lunæ 28. Ianuarij 1603.

ARGVMENTVM.

Legatum dotis dicitur conditionale, nec debetur nisi legataria nupserit, aut ingressa fuerit Monasterium, & propterea alteri cedi non potest.

SVM-

SVMMARIVM.

Legatum dotis dicitur conditionale si legataria nupserit, nec nec debetur, nisi sequutis nuptijs, vel ingressa legataria in Monasterium, & in eo facta professione, num.1. & num.2. & 3.

Legatum dotis à legataria cedi non potest, nec ad alium transmitti, nisi ex causa dotis, num.1. & seqq.

Testatoris mens præcipuè attendenda est, nu.1. in fine.

Legatum sub conditione non purificata conditione cedi non potest. nu.2.

Legatarius postquam rei legatæ dominium habuit potest de ea ad libitum disponere. nu.4.

Nepotes præsumuntur semper minus dilecti à testatore quam filij. num.5.

Testator præsumitur semper voluisse se conformare cum dispositione iuris communis. num.6.

Legatum dotis debetur etiam quod legataria ingrediatur Monasterium, dummodo dos quærebatur Monasterio, alias secus. nu.6.

DECISIO CCCCL.

1 POst resolutiones in hac causa factas coram Reuerendiss. Domino Bononien. sub die 16. Martij, 17. Decembris 1607. nempe legatum dotis Scut. 2000. auri factum à Matthæo Amorino filiabus Iulij Cæsaris, & Alexandri ipsius ex fratre nepotum esse conditionale si filiæ nupserint, ne deberi, nisi sequutis nuptijs, illudque deberi dictis filiabus, non solum in casu nuptiarum temporalium, sed etiam spiritualium per ingressum Monasterij, & professionem in eo emissam fuit pluries per bon. memoriæ D. Pegnam propositum dubium, an huiusmodi legatum debeatur, etiamsi in causam dotis non conuertatur, ita vt parentibus, vel alijs potuerit cedi, & nunquam resolutum, vnde cum per illius obitum fuerim in causa subrogatus, supradicta die, idem dubium proposui, & Domini resoluerunt legatum non potuisse cedi. Ratio autem præcipua resolutionis fuit, quia dictum legatum Scut. 2000. fuit factum in causam dotis, & omnia alia bona testator arctissimo fideicommisso supposuit pro conseruatione agnationis, vt expresse legitur in eius testamento, ex quo arguitur mentem testatoris fuisse, quod legatum non possit in extraneos transmitti ex alia causa, quam matrimonij, nec debeatur, nisi in causam dotis conuertatur, quæ mens in hac materia potius, quam verba attendi debet *l. Pater Seuerinam. in principio. vers. respondi. ff. de condit. & demonst. & primum locum obtinet. l. in conditionib. in princ. ff. eod. tit. Corn. cons. 41. num. 15. lib. 3. Socin. iun. consil. 110. nnmer. 10. libr. 3.*

2 Ideo cum huiusmodi legatum sit conditionale, nec debeatur, nisi purificata conditione, vt firmauit Rota sub dicta die 17. Decembris 1607. Hinc sequitur, quod nec etiam potuit in alium transferri. *l. vnica. §. sin autem aliquid sub conditione. C. de caduc. tollen. Bero. cons. 78. nu. 5. lib. 1. Card. Mantic. de coniect. vltim. vlunt. libr. 11. tit. 22. num. 48. & seq.*

3 Non obstat, quod huiusmodi legatum dotis debeatur, etiamsi dictæ filiæ contrahant nuptias spirituales per ingressum Monasterij, *§. sed & hoc præsenti, Auth. de sanctiss. Episc. Authen. nisi rogati. C. ad Trebell. cum alijs adductis per Menoch. in hac causa cons.* 555. & coram Reuerendiss. D. Bonon. sub die 16. Martij 1607. quia fuit responsum id procedere ex dispositione legis in dict. *§. sed & hoc præsenti. Authent. de sanctiss. Episc. Laderch. Imol. cons. 152. num. 3.* quæ tunc demum habet locum si legatum querebatur Monasterio, cuius fauore emanauit, *Paul. de Castr. in d. auth. nisi rogati. n. 5. vers. itē quæro & ibi Bal. n. 20. vers. itē quæro quid si ingrediēs C. ad Trebel. Card. Mant. de coniect. vlt. vol. d. lib. 11. tit. 3. n. 14. Dec. cons. 259. n. 6. in fin. vers. & remoto, vbi de communi, Menoch. de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 83. nu. 72.* Vnde fit, quod cessante fauore Monasterij, nullo modo possit legatum per filias ad extraneos transmitti, neque cedi, *ad leg. cum patronus. ff. ad l. 2.*

4 Minus obstat, quod dicebatur legatum sequutis nuptijs per ingressum Monasterij fuisse effectum patrimonium mulieris, ex quo purificata conditione statim in legatarium dicitur translatum dominidm rei legatæ, de qua propterea ad libitum disponere potest. *l. a Titio. ff. de furt. §. illud autem. Authent. de Monach. Bero. consil. 40. num. 3. & 4. libr. 1.* quia id non procedit in casu isto, in quo legatum est factum in causam dotis, & sub conditione si filiæ nupserint, quod propterea cedi non potest, tam attenta dispositione legis, quam testatoris, nam ex dispositione legis licet dos debeatur etiam in casu nuptiarum spiritualium, tamen hoc procedit, quatenus applicetur Monasterio ex proprio illius priuilegio, quod alteri non prodest, vt dictum est. Secundum vero dispositionem testatoris, dicendum est, quod aut testator in casu isto, Ingressus Monasterij non disposuerit, *Laderch. Imol. d. cons. 252. nu. 3.* Aut ex quo voluit bona conseruari in agnatione censetur etiam noluisse, quod si dictæ filiæ efficiantur Moniales, ex dictis bonis detrahatur solum dos congrua, & necessaria, & quod reliquum remaneat in hereditate, non autem, quod dotes huiusmodi possint cedi ad euersionem fideicommissi.

5 Quod etiam suadetur, quia testator nepotibus, & filijs, quæ in aliquo Monasterio moniales fuerint, reliquit tantum Scuta 500. pro dote congrua, & necessaria, & Ludouicæ propriæ ipsius filię, quę in Monasterio Sancti Ioannis Baptistæ monialis effecta fuit, dedit pro dote Scuta 250. tantum. Vnde verisimile est nepotibus quoque ex fratribus, in casu Monachationis dotes tantum congruas, & necessarias dari voluisse, cum neptes minus dilectæ præsumantur, quam filia, *l. cum acutissimi. Cod. de fideicom. Card. Mantica de coniect. vlt. volunt. lib. 12. tit. 17. num. 27.*

6 Et hoc modo responderi etiam potest *ad l. cum pater. §. pater certam. ff. de legat. 2.* Nam ideo ibi legatum dotis filiæ integrum debetur, licet fuerit nupta à fratre, cum minore dote, quia legatum ibi debetur ex dispositione testatoris facta contemplatione filiæ. In casu autem isto matrimonij spiritualis dos debetur ex dispositione legis, quæ emanauit fauore monasterij tantum, & potius videtur detrahi præter, vel contra voluntatem testatoris, postquam vt dixi tendit ad destruendum fideicommissum, vel quatenns etiam potuit dici legatum, in casu isto deberi ex voluntate testatoris, qui censetur se voluisse conformare cum dispositione iuris. vt trad. *Menoch. d. cons. 555. num. 8.* ista erit voluntas limitata per iuris dispositionem, quatenus scilicet queratur Monasterio, iuxta opinionem *Paul. de Castr. in d. auth. nisi rogati. num. 5. vers. item quæro. C. ad Trebell. cum alijs supra allegatis*, & sic patet dispositionem dicti §. pater certam causam, de quo agitur applicari non posse.

7 Cetera bene fuerunt sublata in secunda parte discursus bo. me. Pegnæ facti de ordine Rotæ sub die 11. Maij præteriti, cum alij adductis per Informantes, cum quibus Domini transierunt.

R. P. D. VEROSPIO.

Bononien. de Guidalottis. Lunæ 28. Ianuarij 1613.

ARGVMENTVM.

Tutor officialis, seu alius Administrator creditor illius cuius bona administrat, quando propria auctoritate possit sibi ipsi satisfacere faciendo suos fructus ex bonis administratis perceptos, & an, & à quo tēpore fru-

fructus sint restituendi in vniuersali iudicio petitionis hæreditatis,

S V M M A R I V M.

Fructus ab initio veniunt restituendi in vniuersali iudicio petitionis hæreditatis, nu. 1. in fine.

Administrator creditor illius, cuius bona administrat non potest propria auctoritate sibi satisfacere ex bonis administratis præterquam de bonis mobilibus, & pecunia, numer. 2. & 3.

Creditor quando censeatur habere facultatem retinendi pignus sibi datum, seu bona hypothecata pro satisfactione sui crediti, faciendo fructus suos, nu. 3.

Fructus percepti ante motam litem à bonæ fidei possessore non veniunt in petitione hæreditatis, nisi quatenus idem possessor fuerit factus locupletior. Declara, vt nu. 4.

DECISIO CCCCLI.

1 MOrtuo de anno 1569. Andrea de Tomacellis, Plinius eius frater, qui cum illo degebat in Ciuitate Bononiæ, curam filiorum ab eo relictorum suscepit, vna cum eorumdem bonorum administratione, & cum Antonius vnicus dicti Andreæ filius de anno 1580. ab intestato decessisset, illius hæreditas ad quinque sorores filias eiusdem Andreæ fuit deuoluta præter quintam partem, quæ vigore statuti Bononien. ad ipsum Plinium Patruum pertinebat, contra quem postea dictæ neptes egerunt pro hæreditatis restitutione, & ipse Plinius ex aduerso de anno 1585. contra eas litem instituit, tanquam dictæ hæreditatis creditor in magna pecuniarum quantitate. Vnde causa fuit hinc inde per multos annos in partibus agitata, & tandem in Rota bonæ memoriç D. Pegnę commissa post nonnullorum articulorum discussionem, vltimo loco fuit anno preterito die 8. Iunij disputatum; An & in qua summa de presenti remaneret hereditas Plinij debitrix heredibus Antonij Tomacelli in casibus, & ad effectum, de quo agebatur. Quod cum magna ex parte penderet ex eo, an Plinius fecisset suos fructus istius hereditatis, quos exegerat. Rota censuit illum non fecisse suos ante litem ab ipso motam de anno 1585. quo tempore petijt sibi satisfieri. Postea vero an suos fecisset voluit esse particulariter discutiendum, Mortuo Domino Pegna fuit à me, tanquam in eius locum subrogato denuo propositum dictum dubium, & Domini iteterunt in decisis, videlicet Plinium non fecisse fructus suos ante petitionem anni 1585. quia cum bona hereditaria possederit, tanquam Administrator, & de illis postea sibi petierit pro suo credito satisfieri apparet illum dicta bona, tanquam aliena possedisse, & propterea non fecisse fructus suos & sic teneri ab Antonij obitu ad illorum restitutionem, cum fructus ab initio veniant in vniuersali iudicio petitionis hereditatis per dictos heredes intentatę. *Afflict. decisione 240. numer. 2. & sequent. Ruin. consil. 24. numer. 11. libr. 1.* cum alijs allegatis in decisione D. Pegnę.

2 Nec obstat, quod Plinius tanquam creditor, & administrator sibi potuerit in corporibus hereditarijs, vsq, ad concurrentem crediti quantitatem satisfacere ex adductis per *Surd. conf. 290. nu. 33.* Quia vltra quod ex predictis apparet hoc illum noluisse, vt fuit particulariter decisum à D. Pegna 16. Ianuarij 1612. Dicitur à *Surd. Bart. dissentire, qui in l. seruus communis. in fine. ff. de stipul. seru.* vbi istam questionem examinat, videlicet an tutor, vel alius Officialis pro satisfactione sui crediti sibi possit applicare bona, & negatiue respōdet, maxime quãdo nullus precessit contractus ex cuius pacto dicta bona ex necessitate sint Administratori tradēda *vt in l. fistulas. §. fundum. ff. de contraben. empt. & Bart. sequuntur Bald. in l. cum ipse. n. 2. & 3. ff. de contraben. empt, Imol. in l. 1. §. quæsitum fuit verum, sed in contrarium. ff. ad Trebell.* Imol huiusmodi opinio per ea, quæ ipse allegat procedit in mobilibus, quæ seruando seruari non possunt, & in pecunijs, in quibus cadit vigore præsumptæ compensationis, retentio, non in immobilibus, vt in casu nostro, cum eorum dominium in administratore per æstimationem tantum, & adiudicationem transferatur, & sic bene procedit in illis opinio Bart.

3 Non obstat, quod excipitur de facultate creditoris retinendi bona hypothecata, & faciendi fructus suos quando creditum æquipollet valori bonorum, proptes præsumptam rationem desperatæ luitionis, vt prætenditur in casu nostro. Quia bene respondetur in decisione, non versari nos in pignore, sed in Administratore, in quo non intrat dicta iuris conclusio, sed potius alia, quod de suo credito, dum administrauit, voluerit sibi satisfacere, & satisfecerit, *Affl. dec. 13. incip. vertitur dubium. num. 15. & seqq. Crauett. cons. 129. num. 1.*

4 Non obstat, quod in petitione hæreditatis non veniant fructus percepti ante motam litem per bonæ fidei possessorem, nisi quatenus fuisset ex illis factus locupletior *per leg. 1. C. de petit. hæred.* Quia cum hic habeamus certum titulum, quo Plinius possedit, videlicet Administratoris, qui possessionem excludebat ratione dominij, fuit per consequens exclusus ab acquisitione fructuum, qui dominium sequuntur. *l. fructus, & l. ex diuerso. C. de rei vendicatio. Affl. dec. 240.*

6 Nec releuat bona fides Plinij, quod videlicet bona per ipsum administrate crediderit fuisse habita pro derelictis; vnde Domus ad dictam hæreditatem spectantes locauit vti proprias. Quia cum non apparet Antonium habuisse scientiam sui patrimonij; sicut nec postea illius hæredes cum in hanc vsque diem status hæreditatis controuertatur, non potest intrare dicta consideratio, quod bona fuerunt habita pro derelictis.

6 Ad petitionem factam de anno 1585. ex qua infertur noluisse Plinium sibi antea satisfacere, cum totū suum creditum tunc petierit. Pro parte hæredis Plinij respondetur dictam petitionem fuisse factam à procuratore, de cuius mandato sufficienti non appareret, Vnde vt principali minus præiudicet, intelligenda sit emanasse, vt dicta bona per Iudicem adiudicarentur eidem Plinio, qui ea per consequens haberet in posterum irreuocabiliter, cum antea potuissent hæredes debitum soluendo recuperare.

7 Verum non placuit Dominis hodie controuertere an voluerit sibi Plinius satisfacere, cum anno præterito 16. Ianuarij particulari decisione (vt dixi) firmatum fuerit illum noluisse, quam decisionem dixerunt Domini non esse incidenter reuocandam. Vnde si noluit, nec potuit Plinius hæc bona sibi appropriare, sequitur eundem tanquam aliena possedisse, & per cōsequens non fecisse fructus suos, vt scienter ex re aliena perceptos, Et ita decisum fuit &c.

R. P. D. VBALDO.

Anconitana Compromissi. Lunæ 28. Ianuarij 1613.

ARGVMENTVM.

Compromisso pendente, quando Iudex ordinarius adiri possit, compromissiq; instantia quantum duret.

S V M M A R I V M.

Compromissum impedit, vt compromittentes possint amplius agere coram Iudice ordinario. nu. 1.

Compromisso voluntarie pendente non prohibentur partes de iure

iure communi adire iudicem. Declara, vt num. 3.
Compromissum non cadit super re clara, & liquida. Declara, vt nu. 4.
Compromissi instantia de Iure Ciuili est triennalis, de Iure vero Canonico est perpetua. n. 5.
Compromissum non expirat morte compromittentis, quando est factum, etiam pro hæredibus. nu. 6.
Compromissum per lapsum alicuius temporis non expirat in casibus, de quibus. nu. 7.

DECISIO CCCCLII.

1 Domini tenuerunt obstare compromissum inter partes factum, quo minus Bonelli possent conueniri coram Iudice ordinario, quia illud legitur conceptum amplissimis verbis, & aptis comprehendere quascunque causa, & differentias vertentes inter dictas partes, occasione Societatis inter eas contractę iuxta ea quæ in proprijs terminis compromissi latè tradit *Honded. conf. 30. a num. 60. ad 67. lib. 1.* & in specie, quod censeatur comprehensa causa redditionis rationis, & asserti Bilancij, non videbatur posse controuerti, ex verbis illis dicti compromissi, *le pretensioni di libri, & scritture della detta ragione, le pretensioni di render, & saldar i conti di detta compagnia, &c.*

2 Quod eo magis videbatur habere locum, ex quo dictum compromissum videbatur emanasse conforme, tum menti auctorum ipsorum compromittentium, qui in instrumento Societatis expresse conuenerant etiam adiecta pœna, vt non possit pro quacumque discordia inter socios nascitura adiri Iudex, tum dispositioni Statuti Anconitani, quo cauetur, vt causæ inter mercatores de rebus ad mercaturam pertinentibus, vel aliæ inter consanguineos, & affines omnino debeant compromitti, hoc autem casu, vtrumque concurrebat, nam & agebatur inter mercatores, occasione mercaturę, & ipsi erant inter se consanguinei, vel affines.

3 Et licet alias pendente compromisso voluntario, non prohibeantur partes de iure communi adire Iudicem, *l. litigatores. ff. de arbitr. Castr. consil. 428. per tot. lib. 1. cum alijs per Lancell. de attent. par. 2. cap. 15. nu. 6. & nu. 163. & seqq.* Tamen stante prædicta conuentione de non adeundo Iudice repetita etiam in compromisso, de quo agitur, compromissum videtur obstare, saltem in vim pacti, *Blanch. de compromiss. q. 4. princ. n. 40. & firmat Lancell. vbi sup. nu. 200.*

4 Non obstat, quod exhibitio Bilancij non videatur comprehensa in compromisso tanquam clara, & indubitata, sit illius exhibendi obligatio ex instrumento Societatis obligatione Camerali vallato, & alias super re clara non cadat compromissum, ad *not. in l. si sic vbi Alexan. nu. 3. ff. de verb. oblig. Blanch. d. q. 4. nu. 3. vers. contraria,* vbi de communi. Quia fuit responsum, quod in compromisso fuit facta mentio, etiam de rebus liquidis, ibi, ò per qual si voglia altra causa, etiam liquida, & vtique volentibus partibus compromissum fit etiam de re clara, *Alex. conf. vlt. num. 15. lib. 6. Grat. resp. 110. nu. 28. lib. 2. Magon. dec. Floren. 119. nu. 3. Surd. dec. 185. nu. 2.* præsertim accedente iuramento, quod facit compromissum valere in vim pacti, *Alex. in l. si quis maior. sub n. 8. C. de transact. Grat. d. resp. 110. num. 31. vbi de communi lib. 2. Seraph. de priuil. iurament. priuil. 98. nu. 9.* vltra quod fuerunt expresse compromissæ prætensiones redditionis rationum, & solidationis computorum, pro quibus necessaria videntur ista Bilancia, & sic in consequentiam ius illa exhibendi, videtur etiam compromissum, quamuis esset liquidum, iuxta tradita per eumdem *Grat. d. resp. 110. nu. 32. Seraph. de priuil. iuram. priuil. 11. nu. 7.*

5 Non obstat, quod compromissum expirauerit. Primo de iure communi per lapsum triennij, quia quicquid sit de iure Ciuili, certum est de iure Canonico instantiam compromissi esse perpetuam, ad similitudinem iudicij, *cap. venerabilis, vbi Doct. de iudic. Corn. conf. 210. in fin. lib. 4. Marant. in Specul. par. 4. nu. 14. Io. Baptista Perus. de arbitr. lib. 13. cap. 2. num. 2. Guid. Pap. dec. 240. nu. 1. in fin. Achill. dec. 5. nu. 4. de præscrip. Caputaq. dec. 362. nu. 4. par. 2.*

6 Secundo non obstat, quod expirauerit per mortem Bernardi vnius ex compromittentibus, quia compromissum legitur in specie factum pro hæredibus, & sic non expirat per mortem compromittentis, *leg. diem proferre. §. si hæredis. ff. de recept. arbit. cap. compromissum. eod. tit.*

7 Tertio non obstat, quod expirauerit per lapsum sex mensium, vigore particularis Statuti Anconitani, quia fuit responsum in ipso Statuto, excipi, nisi aliter fuerit cautum inter partes, in casu autem proposito satis videbatur colligi voluntas partium, quod compromissum vlterius progrederetur, tum quia illud fuit factum, per viam puræ, liberæ, & irreuocabilis donationis, & consequenter perpetuæ, *l. 1. ff. de donat. Ang. Aret. conf. 4. n. 22.* tum quia compromissarij fuerunt constituti procuratores irreuocabiles, cum iurium cessione, *l. illam. C. de donat. Paris. conf. 19. nu. 58. lib. 3.* tum quia partes voluerunt compromissum habere vim transactionis, cuius natura est, esse perpetuã cum post eam amplius lis instaurari non possit. *l. cum mota. l. causas. l. non minorem. C. de transact.* Quibus accedit pactum, quod differentiæ non terminatę semper deberent compromitti, ita vt nunquam possit adiri Iudex cum alijs latè congestis hic per Informantes pro Bonellis.

8 Opponebatur etiam ad ostendendum, quod compromissum expirasset de absentia, & impedimentis Arbitrorum, quorum vnus etiam expresse renunciasset. Sed de his Domini voluerũt, vt particulariter videretur. Ideo fuit conclusum obstare compromissum nisi tamẽ absentia prędicta, & renũciatio refragaretur.

REVERENDISSIMO P. DOM. DAMASCENO.

Romana de Marescottis. Veneris 1. Februarij 1613.

ARGVMENTVM.

Legatario cui relicta est res aliena à Testatore sciente rem, quam legat esse alienam, debetur æstimatio, nisi contrarium appareat ex præsumpta, & coniecturata Testatoris voluntate, & quæ nam sint istæ coniecturę notabiliter in hac decisione explicatur.

SVMMARIVM.

Testatoris voluntas præcipuè in testamentis spectanda est, & secundum illam facienda interpretatio. nu. 1.
Legatum rei alienæ cogit hæredem ad præstandum legatario æstimationem rei legatæ. n. 1. Fallit quando in contrarium ad sunt coniecturæ de quibus. nu. 2. & seqq.
Declarationis natura est, nihil dare de nouo. nu. 2.
Ideo verbum denotat causam finalem. nu. 2.
Effectus egredi non debet terminos suæ causæ. nu. 2.
Geminationis vis denotat specialem animaduersionem loquentis, & animum deliberatum. nu. 3.
Falcidia, & Trebellianica cẽsẽtur prohibitæ, eo ipso quod testator integrã suã hæreditatẽ ad aliũ peruenire mãdat. n. 3.
Posita ad diminutionem augumentum operari non debent. n. 3. in fine.
Testator non præsumitur voluisse plus honorare legatarium, siue institutum in re particulari, quam ipsum hæredem vniuersalem. nu. 4.
Testatoris voluntas, maxime ponderatur ex valore hæreditatis, & eius quod remansurum est penes hæredem. nu. 4.

Testamenti vna pars aliam declarat, nu.5.

Testatoris affectio erga illum, cui aliquid reliquit inspicienda est ad illius voluntatis interpretationem, nu.6.

Coniecturæ plures simul iunctæ in interpretanda voluntate Testatoris operantur, quod singula de per se non operarentur. num.7.

Legatam rei alienæ cogit hæredem ad præstandum æstimationem legatario, quando Testator sciuit rem, quam legat esse alienam, nu.8.

Donatio facta a patre filio ob causam nuptiarum cedit in legitimam, & in illa pater potest filium instituere. num.8.

Hæres hæredis non potest impugnare assertionem sui authoris numer.9.

Testatoris opinio attendenda est potius, quàm veritas, numero 9.

Pater instituendo hæredem filium in re aliena, etiam quod ignorauerit esse alienam non dicitur præterire filium, nec testamentum redditur nullum. Declara, vt nu.10.

Expressum quod est à testatore debet præualere tacite, & præsumptæ eius voluntati, nu.11.

DECISIO CCCCLIII.

1 QVondam Alphonsus Marescottus instituta hærede vniuersali Iulia vxore sua dote Marco Antonio filio suo vnigenito, ita loquutus fuit. *Dichiaro hauer lasciato al Sig. Marc'Antonio mio figliuolo li Castelli di Vignanello, e Parrano, come per dispositione, e scrittura fatta da me. Però voglio, che non possa domandar altro della mia hæredità, & l'instituisco, e nomino herede in detti Castelcon detta espressa conditione &c.* Cum autem prætenderetur prædicta Castra tempore testamenti non spectasse ad testatorem, sed ad filios dicti Marci Antonij ex multis causis, & signanter ex eo, quod ista Castra ante testamentum ob delicta dicti Alphonsi confiscata, & postea concessa dictis filijs mediante solutione Scutorum 10. millium dicebatur sub hoc legato tanquam de re aliena venire æstimationem prædictorum Castrorum, iuxta notata per Scribentes *in l. cum alienam. ff. de leg. & in §. non solum Institut. eodem titulo*, super quo Rota coram Illustriss. Dom. meo Cardinali Lancellotto, dum ageretur de validitate prædicti testamenti inclinauit pro affirmatiua. Verum dato super hoc particulari dubio Domini recedendo in hoc à prædicta decisione contrarium censuerunt moti ex eo, quod iste articulus sicut omnes alij vltimarum voluntatum pendet præcipuè à verisimili mente testatoris prout in specie adnotarunt *Socin. cons.74.nu.18. libr.1. Alciat. cons. 31. num. 44. libr. 9. tom. 3. Illustriss. Mantica de coniect. vltim. volunt. lib.9. tit. 10. & 11. versic.* Et quod æstimatio, ex multis autem circumstantijs Domini, arbitrati sunt testatorem minime voluisse relinquere æstimationem.

2 Primo, quia processit per viam declarationis, cuius natura est non dare aliquid de nouo *l. hæredes palam. §. si quid post factum, ff. de testament. Gloss. in cap. per tuas verb. de nouo. de donat. Felyn. in cap. super quæstionum num. 1. de off. deleg. Dec. in leg. edita. num.47. Cod. de eden. & licet subdat. Però &c. l'instituisco, & nomino herede in detti beni,* ex quo infertur testatorem minime stetisse in terminis simplicis declarationis attamen ponderarunt Domini, quod illa institutio non fuit per se, sed ob causam nempe quia testator reliquerat, vt patet ex illo verbo, Però quod denotat causam finalem *Crauet. consil. 192. numer.21. versicul. tertio arguitur Socin. consil. 159. num. 21. libr. 2. Becc. consil. 20. num.13.* & proinde institutio non debet egredi iam relictum, ne scilicet effectus, egrediatur terminus suæ causæ contra notain *l. in agris, ff. de acquir. rerum dom. in l. age Cod. de transact. in leg. cancellauerat. ff. de his*, quæ in testamento delentur. *Bald. in rubr. ff. de rer. diuis. ad fin. Dec. consil. 551. num.9.*

3 Secundo, quia testator dixit se nolle, quod Marcus Antouius aliud quam illud, quod declarauerat se reliquisse posse prætendere de sua hæreditate ibi, *Non possa prætendere, ne dimandare altro, &c. & ibi & l' instituisco herede in detti Castelli con detta espressa condittione ponderando,* maximè efficaciam geminationis, quæ denotat specialem animaduersionem loquentis, & animum deliberatum, iuxta notata *in l. Balista, ff. ad Trebell. cum alijs per Corn. cons. 249. nu. 5. lib. 4.*

Si igitur testator non vult, quod Marcus Antonius possit petere de sua hæreditate aliud, quam quod reliquerat, & cum ea expressa conditione illum in iam relictis instituit manifeste excluditur præstatio extimationis. Nam secundum hanc lecturam aliud de hæreditate peteret, immo totam hæreditatem peteret, vt infra dicetur, & quod quando testator vtitur verbis denotantibus, integritatem suæ hæreditatis excludantur omnes detractiones, etiam alias secundum regulas iuris debitæ, patet ex eo quod in materia Falcidiæ, & Trebellianicæ tradiderunt *Bald. in leg. cum patrem. num. 416. de iur. dot. Rip. in l. Centurio. numer. 130. versic. contrarium, ff. de vulg. & pup. Alexan. consil. 201. num.6. & 7. & 9. libr.6. Crauett. consil. 174. num. 1. Gabr. tit. ad Trebel. conclus.6. 7. & 8. in princ. Illustriss. Mantic. de coniect. vltim. volunt. lib.9. titul.14. num.17. & 21. cum alijs per Modern. Hispan. in Specul. comm. opin. contra communes quæst. 31. vers. sed his non obstan.* Et considerarunt Domini, quod ista particula testamenti, quæ tota tendit in diminutionem prætensionum Marci Antonij secundum illam lecturam operaretur augumentum nempe institutionem in plus, quam alias Marcus Antonius sine dictis verbis prætendere potuisset. Et enim æstimatio Castrorum longe excedit illius legitimam, quod esset contra regulam *l. legata inutiliter, ff. de adimen. leg. & ff. de leg. prima, leg. Titia in fin. ff. de manumis. testamen. leg. cum tale, §. final. ff. de condition. & demonstrat.*

4 Tertio fuit consideratum, quod æstimatio dictorũ castrorum longe excedit hæreditatem Alphonsi, vnde si diceremus voluisse relinquere æstimationem sequeretur, quod plus voluerit honorare legatarium, siue institutum in re particulari, quam hæredem vniuersalem contra præsumptionem, de qua *in l. filium. §. sed si portio. ff. de legat. præstan. latè per Illustriss. Mantic. de coniect. vltim. volunt. lib.6. tit.11. nu.24.* Immo dare plus oneris, quam lucri, contra notata per *Bald. in l. sed etsi susceperit, §. 1. in princip. ff. de iudic. Simon. de interpret. vltim. volunt. libr.4. dubitat.3. num.23. cum alijs per Surd. consil.493. num.5. & 6.* & iste modus ponderandi valorem hæreditatis, & illud, quod est remansurum apud hæredem est coniectura potens ad interpretandam voluntatem testatoris, *l. quidam in testamento. ff. de legat. 2. Bart in l.1. num.14. eod. tit. Simon. de Pret. d. dubitat. 3. nu.24. cum alijs per Illustr. Mantic. de coniect. libr.6. tit. 12. num.1. & in specie ad effectum ne dicatur relicta æstimatio. Aretin. consil. 155. numer. 3. Menoch. de præsumpt. libr. 4. præsumpt. 10. numer. 25. Illustriss. Mantic. de coniect. vltim. volunt. libr.9. titul.10. numer. 13. vers. sed admonendi.*

5 Quarto testator in alia parte testamenti erga filias iam nuptas, & dotatas vsus fuit simili declaratione, & institutione, & tamen certum est, quod nihil de nouo voluit illis relinquere, ergo idẽ dicendũ est, quod senserit in hac alia parte testamenti, cũ vna pars aliã declaret, iuxta notat. *in l. qui filiab. ff. de legat. 1. in l. si seruus plurium. §. fin. ff. eodem tit. & stylus testatoris attenditur d. l. si seruus plurium. §. fi. ff. eod. tit. l. hæredes palam. §. si quod post factũ in fi. de test. gl. in l. ille, à quo §. si de testam. ff. ad Trebel.*

6 Quinto ex isto nouo, & insolito modo instituendi vxorem omisso proprio filio, & ex formula verborũ, quibus vsus fuit erga filium, & ex notis iurgijs, quæ alias intercesserum inter prædictos patrem, & filium Domini colligebant patrem non fuisse bene affectum erga filium, & perinde eo magis reddebatur inuerisimile, quod per indirectum voluerit illi relinquere totam

tam suam hæreditatem. Etenim ad coniecturandum relictum, multum ponderatur qualis fuerit affectio testatoris erga illum, cui relinquit. *Soc. conf. 23. nu. 21. lib. 1. Surd. conf. 493. nu. 6. vers. & hæc interpretatio. Illustr. Mantic. de coniect. lib. 6. tit. 10. nu. 13.*

7 Et quatenus prædictæ coniecturæ, tanquam singulæ non releuarent simul iunctæ visæ fuerunt tollere omnem difficultatem, *iuxt. notata in l si stipulatus. in princ. ff. de vsur. Roman. conf. 7. nu. 3. Castr. conf. 480. n. 1. lib. 1. Alex. conf. 115. nu. 8. lib. 4. Crauet. conf. 35. nu. 6. Illustr. Mantic. de coniectur. lib. 7. tit. 5. nu. 5.*

8 Non obstat, quod testator sciuerit ista Castra esse filiorum Marci Antonij ex quo interuenit in compositione per illos facta cum Camera Apostolica. Vnde infertur, quod ex quo testator sciuit Castra esse aliena, & in illis instituit Marcum Antonium voluit omnino relinquere æstimationem. *l. cum alienam, & ibi Iaf. nu. 1. & 2. C. de leg. cum alijs per Menoch. de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 16. num. 2.* & pluribus sequentibus. Quia negatur Alphonsum sciuisse Castra esse filiorum Marci Antonij, taliter quod in illis non posset institui Marcus Antonius. Etenim Castra non fuerũt concessa dictis filijs ex eo, quod indubitate ad Cameram spectarent, sed fuit potius transactio super prætensionibus Cameræ in dictis Castris, & proinde cum certum sit Alphonsum ab initio donasse ista Castra Marco Antonio, & potuerit colorate prætendere se posse in illis instituere Marcum Antonium cum donatio fuerit ob causam occasione nuptiarum, quo casu donatum cedere in legitimam, & in illa posse institui filium tradunt *Rip. in l. in quartam. n. 148. ff. ad leg. Falcidiam. Rolan. conf. 44. nu. 30. & seq. ac conf. 70. n. 13. & 14. lib. 4. Becc. conf. 20. nu. 24. cum pluribus seqq. Crass. in §. legitima. q. 23. nu. 3.*

9 Et quantum ad retrodonationem factam per Marcum Antonium Alphonso patri, posset Alphonsus dubitare, quod non valeret ex multis capitibus, de quibus per Informantes pro DD. Baleonibus, merito ex interuentu Alphonsi in transactione cum Camera minime conuincitur, quod Alphonsus in transactione habuerit scientiam, quod ipse non poterat in illis instituere Marcum Antonium, & in omnem euentũ cum Alphonsus in suo testamento declarauerit se hoc credere, & filij Marci Antonij peten. relictum Marco Antonio, tanquam hæredes hæredis non possint impugnare hanc eorum authoris assertionem, *iuxta notata in l. cum a matre. C. de rei vendicatione. Ceph. conf. 393. nu. 58. & sequentib.* sufficit ista credulitas testatoris cũ ad expiscandam testatoris voluntatem magis attendatur illius opinio, quam veritas. *l. quo loco. §. si iam mortuo, & ibi Scribentes. ff. de hæred. instituen. gl. in l. seruo. verbo ex testamento. ff. de condit. indebit. Soc. conf. 124. nu. 4. lib. 4. Crauet. conf. 88. nu. 15.*

10 Minus obstat, quod quando filius instituitur in re aliena tunc debeatur æstimatio etiamsi testator omnino ignorauerit esse alienam, & crediderit esse suam propriam, & hoc ne alias præteritione filij testamentum reddatur nullum, quod præsumitur abhorruisse testator, prout in istis terminis ponderant *Baldus in leg. scimus. numero nono. Cod. de inofficioso testament. cum alijs allegatis per Menoch. de præsumptio. libro quarto. præsumption. 116. numero vigesimo quarto.* Nam omisso, quod Domini non habebant pro claro, quod Castra essent taliter aliena, vt in illis non potuerit institui Marcus Antonius vigore donationis per testatorem illi factæ per ea, quæ dicta fuerunt supra in proximo fundamento, admisso etiam quod Castra essent omnino aliena, ita vt non teneat institutio de illis facta adhuc existimabant Domini ex coniecturis supra ponderatis, & quæ in hac materia præcipuè attenduntur, vt supra dicendum est apparere, quod testator nihil minus cogitauerit, quam relinquere æstimationem.

11 Et circa illud, quod vere faciebat maiorem difficultatem in hac materia, nempe quod retento themate, quod Marcus Antonius non potuerit institui in istis Castris, & quod non debeatur æstimatio, testamentum ex vitio præteritionis filii erit nullum, quod præsumendum est abhorruisse testatorem, fuit consideratum, quod si daretur æstimatio Marco Antonio testaamentum si non ex sui forma, saltem in substantia, & quo ad effectum redderetur elusorium nullum, & frustratorium, quandoquidem vt supradictum est valor dictorum Castrorum longe excedit valorem hæreditatis, & proinde cum concurrat ex vna parte voluntas præsumpta testatoris elicita ex eo ne alias testamentum reddatur nullum, & ex altera habeamus expressam, quod immo voluerit hæredem habere de suis bonis, prohibendo Marco Antonio, ne aliud vltra Castra de sua hæreditate prætendere possit cum aliis supra ad eandem rem ponderatis, visum fuit Dominis, quod in concursu expressum debeat preualere tacito, & presumpto, iuxta notata *in l. doli clausula. & in l. eum qui in fine. ff. de verborum signification. Clement. quamdiu. & ibi gloss. verbo expressus. de appellat. cap. non potest. de præbend. in sexto.* maxime quando tacitum deducitur ad destructionem expressi. *leg. cum ex filio. §. filio. vbi Bartol. in Summario. ff. de vulgar. & pupillar. Decius conf. 416. nu. 10. Crauett. conf. 32. nu. 2.* Rota in causa Narnien. Fideicommissi die 6. Iunii 1611. coram me, Et quod tollerabilius sit inutilem reddi dispositionem testatoris, quam aliquid admitti contra eius voluntatem, vt bene per Illustrissimum *Mantic. de coniectur. vltimar. volunt. lib. 12. tit. 17. num. 14. & 15.* post alios, quos allegat.

REVERENDISS. P. D. COCCINO. DECANO.

Cesenaten. Laudemiorum. Veneris 1. Februarij 1613.

ARGVMENTVM.

In hac decisione, que mandati de manutenendo concessionem respicit nonnullę firmantur conclusiones, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Mandatum de manutenendo dandum est illi, qui suam possessionem probauit de tempore litis motæ. nu. 1.

Possessio in incorporalibus probatur ex pluribus solutionibus num. 1.

Possessio ciuilis præsumitur continuata vsque ad decennium Declara, vt nu. 2.

Præscriptio denegatæ solutionis quanto tempore inducatur. num. 3.

Monitorio executo nihil innouari debet. nu. 4. & quid si monitorium non fuerit reproductum. nu. 5.

DECISIO CCCCLIV.

1 Dubitaui cui sit dandum mandatum de manutenendo: An Ecclesię in quasi possessione exigendi Laudemia ad rationem quatuor, An verò Communitati in quasi possessione soluendi ad rationẽ duorũ, & visum fuit Rotę dandum esse Communitati ad rationem duorum, quia de eius possessione constat de tempore litis motę. *§. hodie. Instit. de interdict.* quæ quidem possessio probatur ex plurib. solutionib. cum tamẽ vna regulariter sufficiat, versamur enim in incorporalib. *Abb. in c. cum Ecclesiæ. nu. 23. de caus. possess. & propriet. vbi Ripa. nu. 52. Alex. conf. vlt. n. 1. lib. 1. Rom. conf. 311. nu. 7. Verall. dec. 337. nu. vlt. par. 2.*

2 Neque obstat, quod Ecclesia ostendat se exegisse ad rationem quatuor de annis 1589. 1590. & 1591. Quia fuit responsum istem quasi possessionem non suffragari, licet enim possessio ciuilis præsumatur cōtinuata vsque ad decennium, *Bart. in l. siue possidetis, num. 8. Cod. de probatio. Bald. consil. 12. num. 11. libr. 1. Ripa in d. c. cum Ecclesiæ num. 23.* hic autem à die solutionis duorum non effluxit decennium, attamen in his corporalibus, qui patitur exercitium plurium actuū, prout passa fuit Ecclesia plures solutiones ad rationē duorum, etiam quod non sint lapsi decem anni propter negligentiam dicitur amissa quasi possessio, vt in puncto *Rebuff. in repetitione dicti c. cum Ecclesiæ in 2. notab. ante finem. vers. ita in istis incorporalibus*.

3 Minus releuat, quod in negatiuis, prout in casu isto denegatæ solutionis ad rationem quatuor, requirebatur denegatio solutionis, & taciturnitas per decennium. *Innocent. in c. quærelam. num. 3. de elect. Affli. decis. 67. num. 1. Put. decis. 276. num. 5. libr. 5.* Quia hoc procederet si actus esset simpliciter negatiuus, vt quia simpliciter Communitas negasset soluere ad rationem quatuor, sed cum negauerit soluere ad rationem quatuor, & soluerit ad rationem duorum, Ecclesiaq; acquieuerit, amissa est possessio etiam quod non sit elapsum decenium, ita vt nec agi possit interdicto recuperandæ vt per Rebuff. loc. proxime alleg.

4 Denique non officit, quod etiam Ecclesia ostendat modernas solutiones ad rationem quatuor, si quidem istæ solutiones non sunt habendæ in consideratione, cum fuerint factæ post exequutum monitorium contra Ecclesiam, quod sufficit ad effectum, vt nihil debeat innouari. *Clement. 2. vt lit. penden.* & propterea licet lis habeat initium ab eius contestatione capite ex parte il secundo, *vbi gl. fin. de verbor. signific.* quę hic non videtur contestata, cum non concurrant illa, de quibus per *Castrens. in cons. 402. num. 2. lib. 1. Roman. consil. 171. num. 5.* Tamen ista procedunt ad alios effectus, ad effectum autem, quod nihil debeat innouari, sufficit prædicta citatio.

5 Secundo, quia dicebatur monitorium non fuisse reproductum, vnde videbatur dicendum non esse locum attentatis ex traditis *per Lap. in d. Clement. 2. num. 2. Anchar. num. 9. Vitalin. nu. 60.* firmiter fuit responsum, quod cum Ecclesia perdidisset possessionem, vt solutiones fierent ad rationem quatuor, Communitas vero acquisiuisset possessionem ad rationem duorum, ad effectum vt particulares pręiudicarent Communitati, tunc requirebatur frequentia actuum, & taciturnitas per longum tempus, ex quibus præsumendum esset ad scientiam, & patientiam Communitatis, & isto casu bene applicantur dicta per Innocent. in d. c. quærelam, Afflictum, & Puteum locis præcitatis, respectu Communitatis, licet ex prædictis non habeant locum respectu Ecclesiæ, &c.

R. P. D. VBALDO.

Hispalen. Legitimitatis, Lunæ 4. Februarij 1613.

ARGVMENTVM.

Papa dispensare potest in radice matrimonij. Matrimonium de facto contractum inter consanguineos, ita quod filij ex eo nati reputentur legitimi etiam in pręiudicium venientium ab intestato.

SVMMARIVM.

Matrimonium contrahi non potest inter consanguineos coniunctos, in 2. 3. 4. & 5. gradu nu. 1.

Papa potest dispensare in radice matrimonium de facto contractum inter consanguineos coniunctos in 2. 3. 4. & 5. gradu illudque approbare, perinde ac si matrimonium ab initio validum interuenisset. num. 2. & 3.

Papa potest dispensare in his, quæ sunt de iure positiuo, numer. 3.

Papa in materia matrimonij, & legitimationis liberorum dispensare potest. nu. 4.

Leges, & Constitutiones habentium potestatem condendi legem trahuntur ad præterita si de eorum voluntate constat. numer. 4.

Filij nati ex matrimonio inter consanguineos de facto contracto efficiuntur legitimi, si Papa per dispensationem illud approbauit, perinde ac si à principio fuisset legitime factum. nu. 5. & 6.

Potestas Papæ amplissima est circa matrimonium. num. 6.

Filij legitimati à Papa quando veniant appellatione filiorum natorum ex legitimo matrimonio, num. 7.

Papa dispensare potest in radice matrimonij matrimonium de facto contractū inter consanguineos, ita quod filij ex eo nati reputentur legitimi, etiam in præiudicium venientium ab intestato. nu. 8.

Papa an, & quando dispensare dicatur in radice matrimonij de facto inter consanguineos contracti, ita quod filij ex eo nati censeatur legitimi, nu. 9. & seqq.

Dictio, sic, est repetitiua omnium qualitatum præcedentium & significat idem quod dictio sicut. num. 10.

Remanere verbum significat, continuationem actus præcedentis cum perseuerantia. nu. 10. & seq.

DECISIO CCCCLV.

1 STantibus resolutionibus in hac causa factis circa præsumptam iustificationem literarum Apostolicarum, felic. recordat. Gregorij XIII. censuerunt Domini, nemine discrepante, dispensationem, de qua agitur fuisse in radice matrimonij informante tantum D. Anna, cum pars aduersa sepissimè citata noluerit informare. Atque in primis de potestate Summi Pontificis dubitari non potest, cum Domini Marinus, & Anna essent coniuncti in 2. 3. 4. & 5. consanguinitatis gradu, & sic impedirentur contrahere matrimonium de iure tantum positiuo *capit. non debet. de consang. & affin.*

2 Quo casu stante maritali affecta cum copula, vel matrimonio de facto, contracto, vt hic, & infra dicetur, potuit sine dubio Papa remouere tale impedimentum, Iuris tantum Canonici, & dispensare in radice matrimonij illudq; approbando prout ex tunc vt Doct. dicunt perinde, ac si matrimonium ab initio validum interuenissent, secundum receptissimam opinionem *Io. Andr. in cap. per venerabilem num. 30. qui fil. sint legit. & ibi Abb. sub num. 21. Anchar. sub num. 21. in fin. & num. 22. Alex. de Neuo. numer. 18. Butr. colum. 5. num. 10. vers. tu dic, Præpos. in §. quod autem numer. 68. ante fin. num. 69. & 74. Anchar. cons. 409. num. 4. & 5. & post alios Couar. de sponsal. 2. part. capit. 8. §. 8. numer. 13. Cels. Vgo consil. 31. num. 7. Ant. de Rossel. tract. de legit. libr. 2. in princip. num. 19. & sequentib. Martin. Laudens. eodem tract. n. 85. Colleg. Bononien. inter cons. Flor. de S. Petro cons. vlt. num. 44. & seq. Molin. de Hisp. primogen. lib. 3. cap. 2. nu. 12. Peregr. quamuis alioquin iurisdictioni ecclesiasticæ parum amicus, de fideic. art. 24. num. 77. & num. 80. Nauar. lib. 4. consiliorum tit. qui fil. sint leg. consil. 2. num. 14. & 15. & alios plurimos alleg. & sequitur Sanchez. de matrim. lib. 8. disput. 7. nu. 4.* & fuit latè dictum in causa Pampilonen. illegitimitatis 5. Decembr. 1608. & 10. Iunij 1609. coram bon. mem. Iusto.

3 Et hoc pro parte ponderabatur *text. iuxt. gloss. in clement. vnic. de immunit. eccles.* vbi Summus Pontifex reuocat nonnullas Prædecessorum Constitutiones, & quicquid ex eis secutum est, *vbi gloss. in verb. infectis subdit*, & vide quanta est Papalis potestas circa ea, quæ simpliciter sunt de iure positiuo, quia reuocat illa vt ex tunc, & illam glossa sequuntur ibi *Cardin. 1. oppo-*

1. opposit. num.6. Anchar. num. 5. Imol. nu. 6. Abb. in cap. non debet. in fin. de consang. & affin. & in cap. quæ in ecclesiarum. in 4. notab. num. 3. de constit. Felin. in cap. vlt. sub nu. 3. vers. primus est eod. tit. Tiraquel. de iure constit. possess. 2. par. limit. 7. nu. 47. Sanchez vbi sup. nu. 4.

4 Et in materia matrimonij & legitimationis liberorum est bonus tex. in cap. quod nobis, qui fil. sint l. quem & alios allegat Anchar. d. conf. 409. nu. 5. Peregr. vbi sup. nu. 80. quod etiam est communem omnibus alijs habentibus potestatem condendi legem, vt eorum constitutiones trahantur ad preterita si de eorum voluntate constet, iuxta tex. in l. leges & Constitutiones, vbi Bal. Salic. & alij. C. de leg. & per Doctor. in cap. final. de constit.

5 Ex qua dispensatione in radice facta auctoritate Papæ, in consequentiam oritur legitimitas filiorum, quo ad vtrumque forum, & successionem in quibuscumque bonis, & locis, etiam in terris Imperij, Doct. communiter in dicto capit. per venarabilem, vbi Host. Ioan. Andr. Abb. Alexand. de Neuo, numer. 17. Host. in summa titul. qui fil. sint legit. §. qualiter, & à quo sub num. 11. ver. salua reuerentia, vbi ponit rationem, quia si potuit facere filios illegitimos prohibendo matrimonium in certis gradibus, multo magis potest facere legitimos, remouendo impedimentum canonis prohibitiui quam etiam repetit in dicto capit. per venerabilem sub num. 8. Ancharan. dicto consil. 409. numer. 4. & 5. Guliel. de Bened. in capit. Raynutius, in verb. & vxorem nomine Adelasiam in principio, numer. 202. de testamen. Cels. Vg. dicto consil. 31. numer. 7. Colleg. Patau. inter consil. vltim. volum. consil. 3. numer. 63. lib. 1. Martin. Laud. de legit. sub numer. 85. Molin. vbi supra, versic. si vero impedimentum. Cephal. conf. 307. numer. 51. & seqq. lib. 3. Peregr. d. artic. 24. numer. 77. vers. aut vtitur, & num. seq. Nic. de Vbaldis Rotæ Auditor in tract. success. ab intest. 1. part. num. 106. Gabr. consil. 21. num. 17. vbi testatur hanc esse receptissimam opinionem libr. primo. Ang. & alij subscribentes inter consil. Bald. lib. 6. consil. 64. numer. 6. Alexand. de Neuo in capit. referente. numer. 4. vbi de communi. qui fil. sint legit. Valent. Forster de success. lib. 6. capit. 34. quæst. 2. num. 17. vers. aut legitimat, Put. dec. 483. num. 4. lib. 2. & tenuit Rot. in vtraque dec. Pampilonen. coram Iusto, supra allegatas.

6 Quod multo magis procedit, stante decreto legitimitatis in dispensatione impetrato ab ipsis parentibus, vt per Rotam in 2. decisione Pampilonen. in fin. cum enim per l. canonicam esset inducta illegitimitas filiorum natorum ex coniunctione, eo iure prohibita, sequitur, vt ea sublata per dispensationem in radice, filij remaneant in eo statu, in quo essent, si nulla adesset canonica prohibitio, facit text. in cap. liceat igitur, authent. quib. mod. natur. efficiuntur legit. & in authen. quibus mod. nat. efficiantur sui. in princip. ver. natura, & in §. si quis ergo. vbi quod à natura non erat hæc distinctio filij naturalis, & legitimi, sed per leges introducta, & quod per legitimationem, filij rediguntur ad pristinum naturæ statum, & sentit Bartol. in l. si is, qui pro emptore. num. 29. ff. de vsuc. bonus tex. in l. qui liberos. §. 1. ff. de ritu nup. & late prosequitur Eugen. conf. 52. nu. 49. & seqq. & Io. Franc. Maruffus inter conf. Mandell. consil. 750. nu. 29. & seq. lib. 4.

7 Qui Doct. loquuntur in minus fortibus terminis, quam sint in casu nostro, cum suprema, & amplissima sit potestas Papæ, circa matrimonia, cap. proposuisti, de concession. præben. Bellam. consil. 40. colum. 5. Socin. iun. conf. 31. num. 50. lib. 2. Peregr. d. art. 24. num. 82. adeo vt in dispositione loquente de filijs natis ex legitimo matrimonio, veniant filij legitimati à Papa, mediante dispensatione in radice matrimonij. Socin. in l. Gallus. §. si eius sub nu. 5. vers. & ad argum. ff. de libe. & posthum. quem seq. Bero. consil. 23. num. 13. & consil. 180. num. 11. lib. 2. Peregr. de fideic. art. 23. num. 45. vers. quam tamen concl. & art. 24. nu. 80.

8 Ex qua etiam dispensatione in radice matrimonij facta, consecutiue oritur præiudicium tertij, cui propter impedimentum contrahentium matrimonium successio erat delata, vnde sublato dicto impedimeto per dispensationem præiudicium tertij, quod consecutiue, venit, non attenditur, vt in terminis Ruin. conf. 189. nu. 16. lib. 2. Anchar. d. conf. 409. sub nu. 5. vers. canonica igitur constitutio, Put. dec. 483. n. 2. lib. 2. Sanchez. d. disput. 7. nu. 6. vers. tu dic. Aym. conf. 704. n. 4. lib. 4. Valent. Forster. de success. lib. 6. cap. 34. q. 2. nu. 17. in fin. vers. nec obstat Felin. in cap. quæ in ecclesiarum. sub nu. 21. in 2. ampliat. vers. adde, de constit. & late comprobat Dec. conf. 5. nu. 67. & seqq. lib. 1.

9 Quod autem voluerit Pontifex in casu proposito dispensare in radice matrimonij deducebant Domini Primo, quia hic habetur narratiua, quæ præsumitur iustificata, iuxta resolutiones iam factas, in qua narratur non solum præcessisse tractatum parentum de matrimonio contrahendo, cum spe obtinendi dispensationem, sed etiam præcessisse ipsum matrimonium de facto, & clandestine contractum, siue sponsalia de futuro cum copula, & subsequitur dispensatio, vt coniuges in sic contracto matrimonio possint remanere, vel illud de nouo contrahere, seruata forma Sac. Consil. Trident. Ideo sine dubio videtur hæc dispensatio in radice, & initio matrimonij, tanquam sit approbatum, & confirmatum à Papa remouendo impedimentum consanguinitatis, quod impediebat illos contrahere, & in contracto permanere, ex late traditis per Io. And. in d. cap. per venerabilem. nu. 30. & ibi Abb. nu. 21. qui fil. sint legit. cum alijs supra adductis in princ. decisionis, & in 2. decisione Pampilonen. coram Iusto, qui Doct. etiam contentantur de solo consensu, & affectu maritali, cum copula, vt proles inde suscepta cum dispensatione in radice dicatur vere legitimata, vt constat ex verbis Ioan. Andr. auctoris huius opinionis dicto cap. per venerabilem, num. 30. ibi saltem, ex affectu, vel consensu, & ceteri ibi sequuntur, quæ affectio maritalis etiam in dubio presumitur, vt fuit dictum in prima decisione Pampilonen. coram eodem Iusto, vnde multo magis idem videtur dicen. in hoc casu, in quo non sola maritalis affectio, cum copula interuenit, sed etiam matrimonium de facto contractum, vel sponsalia de futuro. Et eo clarior redditur voluntas Papæ dispensandi in radice, ex eo, quia concessit licentiam remanendi in sic contracto matrimonio, quod fieri non posset, nisi matrimonium, ipsum prout erat iam contractum, à Papa approbaretur, sublatis impedimentis, ne alias daretur licentia manendi in peccato, & in coniunctione illicita.

10 Et quod huiusmodi licentiam concesserit, confirmatur tum ex illa dictione, vestro, quæ significat concessionem Papæ referri ad matrimonium de facto iam supra narratum, tum ponderando illam dictionem, sic, quæ est repetitiua omnium qualitatum precedentium, capit. quanto, de vsur. Bero. conf. 64. num. 45. lib. 2. Menochius consil. ducentesimo trigesimo secundo, numer. 21. & significat idem, quod sicut, §. si vero solum iuncta gloss. in verb. sic, authent. de nupt. Alberic. in dictionario eod. verb. vnde perinde est, ac si fuisset dictum, in matrimonio, sicut est contractum remanere, & ista eadem dictione vsus est Pontifex in cap. quia circa, ibi, vt remaneat in copula sic contracta de consang. & affin. qui text. probat, quod data licentia permanendi in matrimonio sic contracto dicatur dispensatum in radice, & ita illum tex. intelligit Abb. in dicto cap. per venerabilem. sub num. 25. in fin. ibi, vel nisi inciperet à radice matrimonij, vt in capit. tanta supra eod. & capit. quia circa, supr. de consang. & affin. Silu. in sum. in verb. legitimus, sub num. 9. vers. & quando vult incipere a radice matrimonij, & sentit expresse Cels. Vgo consil. 16. sub nu. 13. & clarius d. conf. 31. nu. 6. & 7. vbi melius quam alij materiam declarant teste, Mol. qui eum sequitur de Hisp. primog.

primogen.lib.3.c.2.num.12. cui consilio plurimi viri grauissimi se subscripserunt, & non nulli de consilio Serenissimi Regis Catholici, vt ibi patet, & idem expresse firmat post *Boer. & alios, Peregr. de fideicom. art. 24. num. 79.* vbi dicit, quod licentia perseuerandi super contracto matrimonio contractum implicite confirmat, ideo retro respicit, & in his terminis procedit decisio in causa Syracusana illegitimitatis coram fel.recor. Clemente VIII. quæ est decis. 207. par. 1. diuers. & fuit decisum in causa Pampilonen. matrimonij 5. Aprilis 1585. coram Orano, & dicta conclusio confirmabatur, ponderando verbum illud, remanere, quod significat continuationem actus præcedentis, cum perseuerantia, *l. sed si manente. ff. de precar. l. sed hoc ita. ff. de re iud. & melior text. est in cap. si ex bono, de pœnit. distin. 4. & in l. amissione. in fin. ff. de capit. diminut.* ibi, nam manere magistratum, uel senatorem, uel iudicem, certum est, quia scilicet, per illam capitis diminutionem, ille non perdit officium, sed in eo manet, & perseuerat, & subiungit ad illum *tex. Rebuff. in l. alienatum. in verbo manet, vbi plura congerit, & in verbo remenere. ff. de verborum sign. & Brisson. lib. 11. de verborum sign. in verbo manere, & lib. 16. in verb. remanere*, & de manente in matrimonio, est *tex. in l. vxorem. §. testam. quo filium. vers. manente. ff. de leg. 3.*

11 Non obstat opinio *Couarr. vbi supra numer. 13.* quod per licentiam remanendi in matrimonio sic contracto, non inducatur dispensatio in radice, quem & alios refert *Sanchez, de matrim. libro 8. disp. 7. num. 25.* dicens esse necessarium nouum consensum, ut ibi per eum, quia fuit responsum d. opinionem videri minus veram, prout eam reprobauit *Rota in d. Pampilonen. matrimonij coram Orano, quia Doctor. quos Couarr. allegat in l. Paulus. ff. de stat. homin.* hoc non dicunt, vel non loquuntur in terminis casus nostri, in quo adsunt etiã plura alia verba, & contrarium expresse sentiunt *Boer. decis. 264. num. 26. Rosell. de legit. lib. 2. in princip. num. 19. Cels. Vgo d. consil. 31. num. 6. & 7. Peregr. de fideicommis. art. 24. num. 79.* & ratio est, quia Papa dispensando, quod coniuges possint remanere in matrimonio nulliter contracto, dicitur in necessarium antecedens illud approbare, & confirmare, & quod non sit in hoc casu necessarius nouus consensus, sed sufficiat naturalis ab initio præstitus, elicitur, ex *tex. in c. cum locum. c. cum apud, & c. tuæ, de spons.* & confirmatur quia etiam post mortem alterius ex coniugibus, & quando non potest subsequi nouus consensus potest approbari matrimonium in radice si dispensatio fuit petita eorum vita durante, *Anchar. dicto consilio 409. num. 4. & 5. Put. decis. 483. num. vlt. lib. 2. Rot. decis. 207. num. 1. & 2. par. 1. diuer. Peregr. vbi supra, num. 83.* & alij quos allegat *Sanchez. d. disput. 7. num. 6.* & quod non requiratur nouus consensus, tenet *glos. recepta in c. non debet. in verbo de cetero, de consanguin. & affinit. Cels. Vgo dicto consil. 31. num. 7. in fine.*

12 Vlterius, quod hæc dispensatio fuerit in radice deducebant Domini ex illis verbis, prolem susceptã, si qua sit, & suscipiendam, exinde legitimam decernendo, vnde sicut proles suscipienda, erit sine dubio legitimata in radice matrimonij, ita proles antea suscepta, cum non debeant diuerso iure censeri, *l. eum qui ædes. de vsuc.* & adæquatorum idem sit iudicium. *l. prima, de leg. 1. vbi Doc.* præsertim cum uerba istius clausulæ determinentur ab eodem verbo legitimam decernendo, vnde æqualis debet esse determinatio, iuxta *text. in legg. iam hoc iure. de vulg. Alexand. in l. in testamento. la prima. C. de testamen. milit. & ibi Ias. num. 5. Dec. numer. 8.* & quod ex dicta clausula inducatur dispensatio in radice, expresse sentiunt *Cels. Vgo dicto consil. 31. numer. 6. & Cephal. consil. 307. numero 55. cum pluribus seqq. lib. tertio. subdit, numero 61.* dictam clausulam non fuisse necessariam, propter filios natos post dispensationem in figura matrimonij, sed bene fuit necessaria propter filios antea natos, & idem fuit firmatum in dicta Pampilonen. coram Orano, & in utraque Pampilonen. coram Iusto, & in ultima, in specie reprobatur Sanchez contrarium sentiens in loco ibi allegato. Et confirmatur ponderando illam dictionem, exinde in hac clausula positam, ibi prolem susceptam, vel suscipiendam exinde legitimam decernendo, nam respectu prolis susceptæ, non potest referri, nisi ad tempus uel factum, præcedens, si referatur ad tempus, dicendum est referri ad principium istius tractatus uidelicet, ad primum consensum, & copulam subsecutam inter contrahentes ante natiuitatem D. Annæ, ad *tex. in §. si ab hostibus, vers. si vero*, ibi, exinde, ex quo captus est pater, filius sui iuris esse videtur *Insti. quib. mod. ius patriæ potes. solu. l. quod si filius. ff. de captiu.* & idem probatur in *l. post litem. ff. finium regund. cap. ex parte. prope fi. de test.* cum alijs per *Brisson. lib. 5. de verborum signif. in ver. exinde. Mar. Salom. in repet. l. Gallus. §. nunc de legc. numero 1. ff. de liber. & posthum.* vnde idem uidetur significare ista dictio relata ad tempus præteritum, quod importat dictio ex tunc, cum quo termino omnes admittunt dispensationem esse in radice matrimonij, vt supra dictum est, si vero referatur ad factum præcedens, *vt in cap. 1. de test. lib. 6. in l. fiscus. 6. de iure fisc. l. 4. ff. pro donat.* & tunc significat idem quod ex eo, & refertur ad factum proximum Pontificis, ex *doctr. Bartol. in l. non dubium, num. 23. C. de leg. & ibi Bald. num. 2. Card. in clem. vnica, num. 3. de immunit. eccles.* factum autem proximum erat quod Pontifex dispensabat, ut in sic contracto matrimonio coniuges permanerent, vnde subiungendo immediate prolem susceptam, & suscipiendam exinde legitimam decernendo, significauit ex illo facto, & ex illa licentia remanendi in matrimonio antea contracto, se legitimare prolem susceptam, & suscipiendam, & hic sensus comprobatur ex uerbis eiusdem dispensationis, in narratiua, ibi, si diuortium fieret inter uos, grauia exinde scandala orirentur, id est, ex illo facto, si diuortium fieret, orirentur scandala, sic ex illo facto dispensationis, vt possint remanere in matrimonio contracto, proles decernitur legitima, & hoc casu quando cum sola mentione matrimonij de facto contracti proles decernitur legitima, quod dispensatio sit in radice, sensit *Rosell. d. tract. de legit. lib. 2. in princ. sub nu. 19. vers. alio*, & quod legitimatio intelligitur etiam quo ad temporalia tradit ex communi Scribentium sententia *Molin. in al leg. lib. 3. c. 2. nu. 12. de Hispan. primog. vers.* atque quando. Ex quibus Domini concludebant satis apparere de uoluntate Papæ dispensandi in radice matrimonij.

13 Neque obstat, quod *Io. Andr. Anchar.* & ceteri supra relati, circa principium decisionis loquuntur, quando Papa vsus sit uerbo legitimationis uidelicet, legitimando matrimonium, & prolem, quod non fecit in his literis, in quibus dedit tantum licentiam remanendi in matrimonio, & prolem legitimauit, quasi dicta legitimatio sit censenda, tanquam separata, & seorsim facta à matrionio, secundum *Couar. loco supra citato, & Sanch. dicta disp. 7. nu. 25.* Quia fuit responsum ad hoc, ut dispensatio dicatur in radice, non esse necessarium, vt Papa vtatur uerbo legitimamus, cum nec ratio recti sermonis id patiatur, ut matrimonium legitimari dicatur, sicut proles, sed satis est, Papam approbare, ratificare, confirmare, vel permittere matrimonium, ut de approbatione matrimonij est *text. in d. c. quod nobis. qui fil. sint legitim. & de permissione in c. referente. vbi glo. in verbo permissionem, eodem titu. & ideo Anchar. d. consi. 409. licet sub num. 4. versic. quia aut Papa, &c.* utatur verbo legitimationis tamen supra, numero 3. in fin. & numero quinto. in princip. & uersicu. ex quibus utitur uerbo approbationis, quo etiam utitur *Rota decis. 207. numero primo. par. 1. Put. decis. 483. numero*

mero secundo, libro secundo, & omino non videtur facienda vis in verbis, sed quod fuerit facta legitimatio prolis in ordine, vel respectu, vel habita mentione matrimonij de facto contracti, vt per *Molin. loco sæpe allegato, vers. non enim Rossell. de legitim. libr. 2. in princip. nu. 19. vers.* alio, cum nec verbum legitimare matrimonium aliud sonet, quam id matrimonium ratum habere, & approbare, vt per eundem *Sanchez. d. disputat. 7. n. 28.* quæ approbatio, & ratificatio satis superque videbatur inducta ex supra allegatis.

13 Non obstat, quod coniuges qui poterant vigore dictæ dispensationis in matrimonio de facto contracto remanere, seu illud de nouo contrahere, hanc secundam viam eligendo videantur sibi præiudicasse, quia fuit responsum, in præsenti tantum agi de intentione Papæ, quæ fuit in vtroque casu dispensare, non autem agitur de facto, coniugum, quod Papa diuinare non potuit, quam scilicet viam illi coniuges essent electuri, & secunda fuit electa ad euitanda scandala, vt in simili casu aduertit Rota in vtraque decisione Pampilonen. coram Iusto, imo ad hoc propositum, & ex abundanti vnus ex Dominis dicebat, dispensationem censeri in radice non solum si matrimonium præcedat de facto, prout hic præcessit, sed etiam si solum fuisset subsequutum *Abb. in d. cap. per venerabilem, num. 25. in fine*, per hæc verba supra ad aliud propositum allegata, vel nisi vellet incipere à radice matrimonij, *vt in c. tanta supra eodem, & idem tenet Butr. ibidem nu. 11. & Mart. Lauden. de legitimat. sub num. 88. versic. nam legitimatio iunctis verbis præcedentibus*, ibi. nam legitimatio, quæ fit ex capit. tanta fit ex solo matrimonio, & probat legitimationem, etiam in terris Imperij, quia disponit in radice matrimonij. Vnde si Doctor. isti dicunt legitimationem, quæ fit ex cap. tanta esse in radice matrimonij, certum est non esse necesse, quod matrimonium præcedat, cum in casu dicti c. tanta, matrimonium sequatur, & non præcedat, & propterea si Papa dispensat matrrimonio contrahendo in gradu prohibito, videtur dispensare in radice, quia sufficit, quod matrimonium sequatur, qualis est dispensatio de qua in dicto c. tanta, quod confirmatur, quia de iure ciuili ad matrimonium contrahendum sufficit maritalis affectio. *l. nuptias, ff. de regul. iur.* quæ secuto matrimonio præsumitur ab initio fuisse. Vnde filij de iure ciuili isto casu sunt legitimi per præsumptionem, de iure vero canonico per fictioné, vt per *Alciat. cons. 52. tom. 3. lib. 9. Surd. consil. 213. nu. 17. lib. 2.* & cum vtroque casu adsit illa maritalis affectio, vel vera, vel præsumpta, sequitur, vt Papa dispensando videatur vtroq; casu dispensare in radice, cum in vtroque vigeat eadem ratio, quam Io. Andr. & alij cõsiderant in d. c. per venerabilem, quare legitimatio tẽtat in vtroq; foro, si matrimonium procedat, videlicet quod cum impedimentum sit inductum per canonẽ Papa potest remouere eiusmodi impedimentum, sed quicquid sit de hac opinione Domini ex supradictis concluserunt dispensationem concessam à felic. recor. Gregorij XIII. 23. Aprilis 1573. parentibus D. Annæ Ceron fuisse in radice matrimonij.

REVERENDISSIMO P. DOM. DAMASCENO.

Hispalen. Præeminentiarum. Veneris 8. Februarij 1613.

ARGVMENTVM.

Coadiutores an dicantur possessores beneficij à die admissionis, An verò à die captæ possessionis per mortem coadiuti ad effectum acquirendi Antianitatem.

SVMMARIVM.

Antianitas determinatur secundum tempus captæ possessionis, non autem secundum tempus promisionis. num. 1.

Coadiutor viuente coadiuto non habet possessionem beneficij in quo est deputatus coaditor, nu. 2.

Coadiutoria videtur concessa in gratiam, & releuationem coadiuti non autem coadiutoris, num. 3.

Possidere eandem rem possunt duo insolidum, diuersis tamen respectibus. nu. 4.

Coadiutoria mortuo coadiuto cessat cum omnibus illius effectibus, nu. 5.

Coadiutor capit beneficium tanquam ex gratia penitus diuersa, & separata à coadiutoria, nu. 5. in fine.

Coadiutor viuente coadiuto non est verus possessor, & mortuo coadiuto debet capere nouam possessionem. num. 6.

Coadiutor post mortem coadiuit continuando actus Canonicales præsumitur mutare sibi causam possessionis, & vigore istius noui tituli possidere, num. 7.

Coadiutor non est vere Canonicus seu alias benefioiatus, sed fictè. num. 8. Vbi præsertim in concursu aliorum Canonicorum, & nu. 11. & 12.

Regula quod ex primordio tituli posterior formatur euentus, numer. 9.

Coadiutor tenetur ad onera Nouitiorum mortuo coadito. numer. 10.

Coadiutor non dicitur habere plenum ius in Canonicatu, in quo est datus coaditor, nisi mortuo coadito. nu. 11.

Fictio potest à Papa statui, vt habeatur pro varitate. Declara vt num. 13.

Consuetudo contra ius non operatur, nisi legitime fuerit præscripta, nu. 15.

DECISIO CCCCLVI.

1 Dubitaui, an coaudiutoribus debeatur antiánitas à die eorum admissionis, & pro negatiua fuit tẽtum, quia in determinanda antianitate attenditur tempus captæ possessionis, non autem prouisionis *l. 1. Cod. de consul. lib. 12. c. 1. de maioritat. & obedien. gloss. in c. si. verb. antiquiores de consu et. in 6. Ias. cons. 192. nu. 15. & 16. lib. 2. Ruin. cons. 19. num. 9. lib. 1. Mobed. dec. 25. num. 2. de præben.*

2 Coadiutor autem viuente coadiuto ex persona propria non habet possessionem beneficij, in quo est deputatus coadiutor, quia cum illam habeat coadiutus, non possunt duo insolidum eandem rem eodem respectu possidere. *l. 3. §. ex contrario. ff. de acq. poss. l. si duo. ff. de precar. l. si vt certo. §. si duob. ff. commod.*

3 Et actus quos facit coadiutor viuente coadiuto nõ sibi, sed coadiuto videtur facere, ea enim est natura coadiutoriæ, vt videatur concessa in gratiam, & releuationem coadiuti, non coadiutoris, *Put. dec. 98. libr. 2.* Rota in causa Salamantina coadiutoriæ, 25. Iunij 1593. coram bonæ memoriæ Pegna, & proinde si non facit ex persona propria, absurdum esset dicere, quod sibi acquirat. *l. 1. §. per procuratorem. & l. quod meo, ff. de acquir. poss. l. & licet. ff. de constit. pecun. leg. placet. ff. de acquir. hæred.*

4 Et quatenus posset dici aliquid sibi acquisiuisse, esset quasi possessio administrationis Coaditoriæ, quæ possessio esset compatibilis cum possessione Coadiuti cum duo possint eandem rem insolidum possidere diuersis tamen respectibus. *Bar. in l. si duo. num. 4. versic. si constaret. ff. vti possid. Oldr. cons. 257. nu. 41. Alex. cons. 99. n. 9. vers. nam licet. lib. 5. Cas. de Grass. dec. 5. nu. 7. de caus. poss. & propriet.*

5 Verum ista possessio administrationis Coadiutoriæ nihil suffragaretur Coadiutori ad effectũ de quo agitur, si quidem mortuo Coadiuto, cessat Coadiutoria cum omnibus illius effectibus. *cap. grandi. in fin. & ibi Gemin. numer. 7. de supplen. neglig. Prælat. in sexto*, Abb.

Abb.in c.fin.num.4.Dard.nu.13.Butr.& Imol.nu.15.de cler. ægrot.Turrecrem.in c.scripsit.nu.6.7.quæst.1.Pu.decis.226. num.3.lib.3. & Coadiutor capit beneficium, tanquam ex gratia penitus diuersa, & separata à Coadiutoria, licet in eadem supplicatione contineatur, *Put. decis. 98. lib.2. & decis.226. num.16. lib.3.*

6 Et quod Coadiutor viuente coadiuto non sit verus possessor dixit *Rot.apud Verall.decis.65.lib.3.in manuscrip.* & probatur, quia mortuo Coadiuto debet capere nouam possessionem, vt resoluit Sacra Congregatio Rituum in causa Coimbrien. die 16. Septembris 1606.

7 Et licet hoc regulariter non fiat cum verbis expressis, attamen eo ipso, quod Coadiutor post mortem Coadiuti continuat actus Canonicales, stante titulo prouisionis purificato post mortem Coadiuti, presumitur mutare sibi causam possessionis, & vigore istius noui tituli possidere. *Put.decis.451.lib.1.Cæs.de Gras.decis.19.nu.6. de prob.* Rota in causa Sabinen. Castrorum, 17. Aprilis 1581. coram Cantuccio relata inter diuers. impress. *decis.143. nu.3. par.1.*

8 Item quod Coadiutor viuente Coadiuto non sit habendus pro possessore, saltem in concursu Antianorum, probatur, quia ipse non est vere Canonicus, seu alias Beneficiatus, sed ficte. Rota in causa Salamant. Coadiutoriæ 25. Iunij 1593. coram bo.mem.Pegna, & resoluit Sacra Congreg. Rituum, in dicta Coimbrien. & proinde quicquid sit ad alios effectus in concursu illorum, qui vere sunt Canonici, seu alias Beneficiati, debet succumbere. *Gemin. cons.138. num.1. in fin.& seq. Rebuff.in prax.tit.de rescript. etiam perinde valere.num.30.* Rota in præalleg.Salamantina, coram Pegna.

9 Nec ponderatio tituli ad effectum cognoscendi qualitatem possessionis est inanis, cum ex primordio tituli posterior formetur euentus. *l.vnic.vers.nulla,& ibi gloss.in verb.primordium.C.de impon.lucrat.descrip. Anchar.cons.4.nu.3. Socin.consi.87.nu.14.lib.1.*

10 Et hunc intellectum eo libentius amplexi fuerunt Domini, quia si contrarium diceretur, sequeretur absurdum, siue iniustitia, nempe quod isti coadiutores nunquam tenerentur ad onera Nouitiorum, nam viuente coadiuto non tenetur coadiutor, nisi ad onera spectantia ad coadiutum, vt resoluit Sacr. Congreg. Rituum in prædicta Coimbriē. ea forte ratione quon coadiutor subrogatur in locum coadiuti, & illum omnino repræsentat, vt supra demonstratum est, vnde non tenetur nisi ad ea, ad quæ tenetur ipsemet coadiutus ad reg. Quod subrogatum sapit naturam eius in cuius locum subrogatur, de qua in *l. si cum. §. qui iniuriam. ff. si quis caution.* & per plura exempla prosequitur. *Gabr.titu.de regu.iur.conclus.2.per totam,* mortuo autem coadiuto, nec etiam teneretur, si esset habenda consideratio temporis illius admissionis, quia Nouitij essent recepti post illius admissionem non ipse.

11 Non obstant amplissima verba coadiutoriæ ibi, cum prius Canonicatum per cessum, vel decessum vacare contigerit ex nunc prout ex tunc, & è contra conferimus, nec non ex nunc plenum ius in illo vere & non ficte acquisitum existere decernimus, ex quibus duo inferuntur, alterum quod coadiutor virtute retrotractionis dicatur fuisse Canonicus ipsa die concessionis coadiutoris, alterum, quod hoc dicatur fuisse vere non autem fictè. Nam omisso an prædicta verba operentur à die datæ, vel tantum à die purificatæ conditionis, cum pro opinione, quod operetur tantum à die purificatæ conditionis adsit *decis. Cassad. 3. num.15.de præben.Put.190. lib.2.Rot.in nouis.decis.2. nu.2. de concess.præben.in addit. Achill.decis.14.num.7.de appell. Cott. decis.19.* Rota in causa Toletana cappellaniæ 23. Ianuarij 1608. coram R. P. D. meo Pamphilio.

12 Fuit responsum, quod in omnem euentum illa verba nihil aliud posset importare, quam quod titulus uere & non ficte dicatur collatus, & ius in beneficio quæsitum vsque à die datæ coadiutoriæ, quod non suffragatur, cum ad effectum præeminentiæ attendatur possessio, non autem titulus, seu prouisio ex supra allegatis. Vltra, quod etiam si attenderetur titulus, & prouisio adhuc esset dubitabile, an hoc posset suffragari, quia quo ad tempus decursum viuente coadiuto non posset dici, quod coadiutor fuerit vere Canonicus, cum naturaliter non possint duo in solidum esse domini, seu titulares eiusdem beneficij, *c. dilecto. cap.tuæ fraternitatis. de præben.Glos.in cap.maioribus verb. diuisionem,eod.tit.cap.1.& ibi Butr. & Abb.num.2.de concess.præben.c.detestanda, eod. titul.in 6.*

13 Nec facit quod Papa tollat fictionem decernendo ius ex tunc quæsitum verè, & non fictè, quia & hoc quod illud, quod verè & naturaliter non fuit, dicatur fuisse est priuilegium & fictio. Rota in causa Placentina Parochialis. 31. Ianuarij 1594. coram Orano, & in Compsana Iuris patronatus 3. Decemb.1604. coram bon.mem. Litta, quæ verba, quicquid sit quo ad alios iuris effectus, in concursu veritatis, & naturalitatis non operantur cum in prædicto concursu sit potentior natura, quam fictio, nisi specialiter per habentem potestatem sit cautum, *l.filio, quē pater.ff.de lib.& posth. Bart.in l.3. §.hæc verba.ff. de neg.gest.Bald.in l.4.C.ad Sen. Consult. Velleian.Gemin. consil.138.num.1. & duob.seqq.Decian.cons.11. num.139. lib.1.Tiraquel.de priuileg. piæ causæ priuil.17.vers. verum hoc non est, cum alijs super alleg.*

14 Non obstat amplissima concessio prærogatiuarum coadiuto competentium, quia sunt in gratiam coadiuti, ut scilicet coadiutor possit melius suppelere illius iuris.

15 Non obstat prætensa consuetudo, quia non probatur legitime præscripta, prout deberet probari, cum sit contra ius. *Alexan.cons.68. nu.7.& 13.lib.2.Par. cons.27.num.29.lib.1. Purpur.cons.315.num.19.lib.1.Crau. de antiq. temp. par.4. in prin. num.12.* Ex quibus tute recedi posse visum fuit à decisionibus in causa Tirasonen. Coadiutoriæ 8. Nouemb.1599. & 27. Octob.1600 coram bo.me. Pegna.

REVERENDISSIMO P. D.

DAMASCENO.

Mantuana Bonorum, Veneris 8. Februarij 1613.

ARGVMENTVM.

Plures, ac diuersæ in hac decisione firmantur conclusiones, quas ex Summario percipere poteris.

SVMMARIVM.

Identitas rei, & bonorum probatur ex identitate qualitatis, quantitatis, & confinium, sufficiuntque duæ demonstrationes. num.1.

Relatum dicitur esse in referente cum omnibus suis qualitatibus. num.2.

Factum præsumitur, quod fieri consueuit. nu. 2.

Notarius præsumitur rogatus iuxta formulam præcedentium instrumentorum. nu.4.

DECISIO CCCCLVII.

1 FVit dictum non constare de bono iure D. Caroli, Etenim bona super quibus fuit facta exequutio ad instantiam prædicti D.Caroli, sunt de illis quæ alias per antecessores D. Caroli fuerunt concesa q. Naymo Patri D. Æmyliæ pro hæredibus vtriusque sexus, & proinde extante adhuc D.Æmilia prædicti Naymi non fuit locus prætensæ deuolutioni, atque exinde exequutioni. Quod autem bona sint de ijs probatur, quia bona, super quibus fuit facta exequutio sunt illamet, quæ fuerunt concessa Naymo de an-

de anno 1560. vt patet ex inspectione, quando quidem conueniunt in qualitate, quantitate, & confinibus, cum tamen ad istum effectum sufficiant duæ demonstrationes, *Bar. in l. demonstratio falsa. num. 14. ff. de condi. & demonstr. Alexan. cons. 133. num. 5. lib. 1. Crauet. consil. 198. numero 1. & 2. Socin. consil. 89. num. primo. lib. 1.*

2 Concessio autem facta Naymo de anno 1560. est pro hæredibus vtriusque sexus, etenim licet hoc ibi non exprimatur in verbis, attamen apparet, quia se refert ad præcedentes inuestituras de quibus in eodem instrumento facta fuerat mentio, nempè anni 1528. 21. Augusti, & anni 1538. 7. Octobris. Dicta autem inuestitura anni 1528. rursus se refert ad præcedentes inuestituras, & præsertim ad inuestituram anni 1452. 7. Iunii, quæ quidem inuestitura anni 1452. est pro hæredibus vtriusque sexus, quantum ad inuestituram anni 1538. illa pariter se refert ad pacta de quibus in inuestitura anni 1528. & anni 1532. inuestitura autem anni 1528. vt patet ex prædictis virtualiter est pro hæredibus vtriusque sexus, sicut expresse pro hæredibus vtriusque sexus est dicta inuestitura anni 1532. ex quibus apparet inuestituram anni 1560. esse pro hæredibus vtriusque sexus, cum relatum sit in referente cum suis qualitatibus, *l. asse toto. ff. de hæred. instit. Bart. in l. 1. in princip. ff. de recept. Crauet. consil. 45. num. 4.* quod in specie adnotarunt, *Bald. consi. 431. num. 1. lib. 5. Paris. consilio vigesimo quinto, numero quadragesimo nono, libro 1. Menoch. consilio 287. numero 32. & seq.*

3 Et prædicta videbantur confirmari, quia ex quampluribus inuestituris hinc inde productis vna tantum (minime adaptabilis ad terras de quibus agitur) reperitur pro masculis tantum, ex quo stylo faciendi inuestituras pro heredibus vtriusque sexus arguitur, quod & ita fuerit factum in proposito casu, etenim factum præsumitur quod fieri consueuit, *l. si cui, cum ibi nota. ff. de ann. leg. Salycet. in l. excepto, num. 1. & 3. C. locat. Bero. consil. 48. num. 11. lib. 2. Surd. decis. 199. num. 4. late Euerar. in loco ab vsitato, num. 6. & seqq.*

4 Et videmus in simili, quod in dubio Notarius præsumitur rogatus iuxta formulam præcedentium instrumentorum. *Bal. in l. fin. num. 1. C. de fideius. Alex. consi. 27. num. 2. lib. 2. Corn. consi. 225. nu. 13. vers. & quia testator. lib. 3. Gui. Pap. consi. 193. in fin.*

5 Non obstat, quod non probetur bona concessa de anno 1560. esse illamet, quæ fuerunt concessa de anno 1528. 1532. & 1538. quia hoc non refert. Satis enim est ad effectum de quo agitur, quod contrahentes voluerint habere rationem modi, & formæ de quibus in inuestituris ib relatis. Visum etiam fuit non subsistere, quod inuestitura anni 1560. se referat ad alias quo ad pacta tantum, non autem quo ad personas, etenim contrarium expresse colligitur in illis verbis ibi, & pro eorum hæredib. in præcedentibus inuestituris vocatis. Scut etiam visum fuit non releuare, quod inuestitura anni 1560. non sit noua inuestitura, sed renouatio, nam sine illa posset dici prima, siue renouatio, semper verum est dicere, quod virtute relationis est pro hæredibus vtriusque sexus, vt patet ex prædictis.

R. P. D. PIROVANO.

Sabinen. Iuris Pascendi. Ven. 8. Februarij 1613.

ARGVMENTVM.

Sententia lata super iure pascendi contra Vniuersitatem non afficit singulares personas ex eorum proprio iure idem pascendi ius habere.

SVMMARIVM.

Probationes post sententiam, & rem iudicatam amplius recipiendæ non sunt. num. 1.

Possessio Vniuersitatis non probatur per possessionem particularium personarum, & è contra. num. 2.

Sententia lata contra Vniuersitatem non afficit singulos de Vniuersitate. num. 3.

Sententia lata contra Vniuersitatem, & homines inteligenda est, vt comprehendat homines, vt Vniuersos Communitatem repræsentantes, non autem, vt singulos. num. 4.

DECISIO CCCCLVIII.

1 CVm homines Palumbariæ prætenderent ius pascendi in territorio in tribus quartis, videlicet Marzolaco, Campanile, & Quirario, tanquam singuli expressis eorum nominibus petierunt articulos admitti ad probandum, quibus se opposuit D. Dux Sabellus eiusdem loci Dominus, asserendo obstare illis sententiam, & rem iudicatam per quam est impositus finis liti, & probationes vlterius non sunt recipiendæ, *cap. cum Bertoldus. de re iudic. Caputaq. decis. 51. par. 3.* Vnde ad eum effectum proposui dubium an constet de tali sententia, & re iudicata, quæ obstet.

2 Et Domini negatiue responderunt, quia sententia, & processus, de quibus agitur percutiunt interesse Vniuersitatis, non autem singulorum, & tamen est certum, quod hæc inter se distinguuntur ratione, quia aliud est Vniuersitas, & aliud homines singuli de Vniuersitate, & possessio Vniuersitatis non probatur per possessionem particularium, & è conuerso. *Put. decis. 26. lib. 3. Gabr. concl. 2.* quod cuiusque Vniuers. & pluribus confirmat *Honded. consi. 79. numero 26. libro primo.*

3 Propterea cessante concursu personarum (quod est vnum de requisitis adesse rei iudicatæ, ex dispositione *l. cum quæritur. cum seq. ff. de except. rei iudic.* cessare pariter debebit omne impedimentum ex ipsa sententia particularibus hominibus oppositum.

4 Non obstat, quod sententia sit lata ne dum contra Communitatem, sed etiam contra homines, quia fuit responsum, sententiam comprehendere homines, vt vniuersos, & iura Communitatis repræsentantes, & in quantum homines de Vniuersitate, dicuntur ipsa Vniuersitas, non autem quando vt singuli, & iure proprio singulari veniunt, quia ratione interesse, distinguuntur. Quod etiam videtur animaduertisse iudex in sententia, dum reseruauit ius competens particularibus hominibus, seu Bubulcis dictas terras laborare consuetis.

5 Nec vim facit, quod hodie de qualitate enunciata in reseruatione constat, videlicet, quod sint soliti laborare, quia illud est, quod pro particularium interesse contenditur probari, quod per sententiam non videtur sublatum.

6 Cetera autem, quæ pro parte particularium dicebantur aduersus sententiam, quod non comprehendat ius pascendi, & sit lata in possessorio manutentionis, per quod non excluditur probatio immemorabilis, quæ petitorio etiam deseruire potest. Domini existimarunt non pertinere ad ius particularium venientium ex iure distincto ab ipsa communitate, quibus propterea non licet interpretari, aut restringere tenorem sententiæ, quæ eos non tangit, & ea ratione mandarunt, vt de articulis particularium delerentur concernentes ius communitatis, nempè 27. 28. 29. & 30. Et ita fuit resolutum, &c.

REVER. P. D. PAMPHILIO.

Foroliuien. Fideicommissi. Lunæ 11. Februarij 1613.

ARGVMENTVM.

De probatione possessionis alicuius certi prædij, & illius identitatis nonnulla notanda, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Identitas confinium probatur per duas demonstrationes. num. 1.
Testes dicentes aliquem possedisse vineam vsque ad tempus mortis plene probant illius possessionem. num. 2.
Possessio probatur leuioribus probationibus, & etiam indicijs, & coniecturis, quando agitur de concedendo mandatum de manutenendo. num. 3.
Testibus pluribus, & magis informatis magis creditur, quam numero minoribus, & minus informatis. num. 4.
Possessio bonorum an probetur ex libro Catastri. nu. 5. & 6.

DECISIO CCCCLIX.

1 FVit resolutum constare de identitate bonorum, de quibus agitur, nam quod Maria testatrix dum viueret possideret prædium situm in Territorio Foroliuien. in vocabulo Villæ Franchæ, bene probant testes examinati pro parte DD. Iacobi Mariæ, & Marci Antonij, super primo, & quarto articulo qui non solum dicunt dictum prædium comprehendere tres petias terrarum, de quibus in Summario dato pro parte dd. Iacobi Mariæ, & Marci Antonij, numero primo. sed etiam conueniunt cum dictis tribus petijs in quantitate tornaturarum, & in pluribus confinibus, quorum tamen duo sufficiunt, iuxta doctrinam *Bart. in l. demonstratio. numer. 14. ff. de condit. & demonstrat.* quam Rota sæpius sequuta fuit, vt fuit dictum in causa Viterbien. bonorum 23. Februarij 1604. coram bonæ memoriæ Card. Pamphilio.

2 Quod vero possideret vineam in eodem Territorio in vocabulo Sancti Petri in Arco, pariter deponunt supradicti testes super quinto articulo, qui dicunt testatricem semper possedisse dictam vineam vsque ad tempus mortis, & licet non exprimant confinia illorum, tamen probatio visa fuit Dominis sufficiens, quia vltra, quod omnes conueniunt, in vocabulo alter illorum conuenit etiam in quantitate.

3 Et supradicta, eo facilius procedere in casu isto, tam respectu prædij villæ Franchæ, quam vineæ, quia dicta testium adminiculantur ex tribus instrumentis locationum dicti predij, nec non ex instrumento emptionis vineę, & vnius ex supradictis petijs terrarum factę nomine Mariæ. Ita vt de illorum identitate dubitari non possit, maxime, quia ad illam probandam sufficiunt leniores probationes etiam per indicia, & coniecturas. *Afflict. decis. 23. num. 3. Decian. consilio 17. numer. 6.* & tenuit Rota in causa Gerunden. Vini. 17. Martij 1603. coram bonæ memoriæ Cardinali Seraphino.

4 Nec obstare testes examinatos pro parte Armellinæ, & Elisabethæ deponentes, quod ista bona fuerunt possessa à Ioanne Francisco marito testatricis, & post illius mortem à Thoma, & Alexandro hæredibus. Quia fuit responsum supradictis testibus deponentibus de possessione Mariæ esse magis credendum, tum quia sunt plures numero. *Dec. in c. licet causam. num. 82. de probat. Gabriel. de test. conclus. 4. nume. 50.* Tum etiam quia sunt melius informati, ex quo aliqui illorum fuerunt laboratores in dictis terris, & illorum dicta adminiculantur ex dictis instrumentis locationum, & emptionum, ad tradit. per *Gabr. de test. dicta conclus. 4. num. 28. & 64.*

5 Minus obstare Catastra, in quibus ista bona fuerunt de anno 1570. descripta sub nomine eiusdem Ioannis Francisci, & de anno 1602. sub nomine Alexandri nepotis ex Thoma filio testatricis, quia vltra quod illa non probant concludenter *Socin. sen. consil. 89. num. 11. vers. 30. etiam ponderandum, libro 1. Menoch. de retin. remed. 3. nume. 570.* Quantùm ad Ioannem Franciscum fuit dictum, bene fuisse ibi descripta nomina ipsius propter varium vsum, & stylum illarum partium describendi bona vxoris sub nomine mariti, vt apparet de attestationibus, quæ dantur.

6 Quod etiam suadetur ex eo, quia ex primo Catastro, quod datur de anno 1540. apparet bona sita in vocabulo villæ Franchæ prouenisse à Iacobo Maria patre testatricis, mediante persona Elisabethæ matris, cui ipsa successit ex dispositione dicti Iacobi. Quo vero ad Alexandrum responsio satis patet ex eo, quia de illo tempore Maria testatrix erat iam defuncta, eique Alexander vna cum alijs hæredibus successerat. Et ita decisum, &c.

R. P. D. PAMPHILIO.

Bononien. de Capacellis. Veneris 8. Martij 1613.

ARGVMENTVM.

Proximiores quando sunt vocati in fidecommisso, an censeantur vocati proximiores vltimi grauati decedentis, an vero proximiores ipsius testatoris.

SVMMARIVM.

Masculus ex feminis natus succedit in fideicommisso, quando sic à testatore fuit vocatus. num. 1.
Proximiores vbi sunt vocati in fideicommisso, an attendatur proximitas grauati vltimi decedentis, an vero testatoris. num. 2. & 3.
Testatoris voluntas cui lex non resistit seruanda omnino est. num. 4.
Testatoris coniecturata voluntas habetur pro expressa. num. 5.
Testamenti vna pars declarat aliam. num. 6.
Successionis ordo non attenditur, quando constat de contraria voluntate testatoris. num. 7.
Extensio de vno casu ad alium fieri non potest. num. 8.

DECISIO CCCCLX.

1 IOannes Baptista, & Tanarinus fratres de Capacellis hæredes suos instituerunt Hieronymum pro quadam parte bonorum, & pro alia parte Claudium ex Marco Antonio fratre prædefuncto Nepotes & illos, eorumque filios, & descendentes masculos ad inuicem substituerunt, deficientibus vero omnibus masculis, substituerunt filium primogenitum masculum legitimum, & naturalem, & de legitimo matrimonio nasciturum ex filiabus feminis legitimis, & naturalibus natis, & nascituris ex dictis Hieronymo, & Claudio, & ex eorum liberis.

2 Post obitum Ioannis Baptistæ, & Tanarini Testatorum, obijt Hieronymus, relictis post se pluribus filijs, & Claudio fratre, qui pariter decessit superstite solum Iulia filia, & Hippolyta nepte ex dicto Hieronymo fratre. Verum quia ex Hippolyta, & Syluio Albergato coniugibus post mortem Claudij natus est Hieronymus iunior, ex Iulia vero nullus adhuc natus est filius. Supradicta die dubitaui, An iste Hieronymus sit primogenitus à prædictis Ioanne Baptista, & Tanarino Testatoribus vocatus, sed Domini propter uarias difficultates excitatas cogitarunt non esse neces-

necessarium, ita præcise ad dubium respondere. Ideo simpliciter resoluerunt, Hieronymum esse vocatum, moti ex eo, quod Testatores post mortem omnium masculorum uocarunt filium primogenitum masculum nasciturum ex dd. feminis, qualis reperitur Hieronymus primogenitus ex Hippolyta filia Hieronymi senioris, qui propterea dicitur ad huiusmodi fideicommissum uocatus ad *tex. in l. 4. §. toties. ff. de damno infect. l. si vero. §. de viro. §. sol. matr. cum alijs adduct. per Aym. consi. 149. num. 5.*

3 Nec obstare dixerunt, quod Claudius fuerit vltimus grauatus, ideoque censeri debeat vocatus primogenitus ex Iulia, vel alijs filiabus Claudij, cum secundum magis communem, & veriorem opinionem attendatur proximitas grauati, ex allegatis in causa Bononien. fideicommissi de Berois, 5. Maij 1574. coram Robusterio relat. int. impress. diuers. decis. 72. nu. 1. & 3. par. 1. & in causa Bonon. de Mulettis 26. Iunij 1602. coram bon. mem. Card. Pamphilio, quia pro responsione fuit dictum, quod ex ijs, quæ in eisdem decisionibus adducuntur satis patet supradictam opinionem esse adeo controuersam, vt hinc inde adsit communis, & magis communis opinio, & licet vbi concurrunt coniecturæ verior sit opinio, quod attendatur proximitas grauati vltimi decedentis, vt fuit ponderatum in dictis decisionibus, illa tamen non procedit vbi contrariæ concurrunt coniecturę, quæ in hac materia attendi solent, *Socin. consi. 249. numero 24. lib. 1. Gabr. consil. 86. num. 17. & consi. 107. nume. 8. lib. 1.* & tenuit Rota in d. causa Bonon. de Mulettis 26. Iunij 1602.

4 In casu autem isto, quod Testatores senserint de vtraque proximitate, scilicet tam sua, quam grauati, clare constat ex verbis substitutionis, ex quibus deficientibus omnibus masculis, fuit simpliciter vocatus primogenitus ex filiabus nascituris ex Hieronymo, & Claudio, & sic tam primogenitus filiarum Hieronymi, quam Claudij, & propterea non est habenda maior ratio proximitatis Claudij grauati vltimi decedentis, quam Hieronymi, nec est dubium, quod voluntas Testatoris cui lex non resistit, seruanda est, *§. disponat. auth. de nupt. Bald. in l. precibus. num. 44. C. de impub. & alijs substit.*

5 Maxime quia ex prædictis verbis constat Testatores habuisse simpliciter rationem ad personam primo geniti filiarum Hieronymi, & Claudij, quo casu perinde est, ac si nominatim primogenitus illarum esset vocatus. *Surd. cons. 31. nume. 30. vers. 2. dato*, & propterea admitti debet nulla habita ratione proximitatis. *l. cum ita. §. & in fideicommisso. ff. de leg. 2. Surd. consilio 362. numer. 10. versic. quibus sic positis. Gabr. consilio 121. numero 20. libro 1. & consilio 85. numer. 10. & seq. & numer. 17. & consil. 130. numer. 38. vers. non obstat. & num. seq. lib. 2.*

6 Et hoc suadetur etiam ex eo, quia non est verisimile, quod testatores voluerint habere maiorem rationem proximitatis Claudij, qui erat legitimatus, quam Hieronymi senioris, qui erat legitimus, & naturalis & institutus in maiori portione bonorum, & vna pars testamenti aliam declarat. *l. qui filiabus. in princ. & l. si seruus plurium. §. fin. ff. de leg. 1.*

7 Neque releuat, quod censeatur vocatus primogenitus nasciturus ex filiabus Claudij, qui successurus erat ab intestato, quia placuit Dominis responsio, quod quando constat de voluntate testatoris, non attenditur ordo successionis ab intestato, sed voluntas testatoris. *Surd. d. cons. 362. num. 10. vers. quibus sic positis. Laderc. consilio 136. numero 5.* cum alijs supra adductis.

8 Minus obstat, quod Hieronymus iunior non possit succedere, donec adsit spes, quod sit nasciturus primogenitus ex filiabus Claudij, ex adductis in causa Romana legati de anno 1607. coram bo. mem. Iusto. Quia fuit responsum, quod inter istos casus est diuersa ratio. Nam ibi filij Angeli erant uocati post filios Octauij, sed in casu, de quo agitur est uocatus simpliciter primogenitus filiarum Claudij, & Hieronymi, non autem ordine successiuo, unde non potest de uno casu ad alium inferri, ad *tex. in l. illud. ff. ad leg. Aquiliam.*

9 Ea uero, quæ deducebantur circa uocationem alterius primogeniti nascituri ex filiabus Claudij, ita ut si nascatur succedere debeat simul cum Hieronymo uisa fuerunt Dominis esse consideratione digna, sed non respicere præsens dubium, quod est restrictum ad uocationem Hieronymi, vnde suo loco, & tempore poterunt particulariter discuti, & pro nunc sufficere dixerunt Hieronymum esse uocatum, prout ex supra deductis decisum fuit.

REVEREDISSIMO P. D. DAMASCENO.

Romana Aperitionis Oris Ven. 8. Martij 1613.

ARGVMENTVM.

Clausula sublata, &c. cum decreto irritanti, & quod non possit dari de subretione, vel obreptione apposita in concessione Principis an, & quando impediat oris aperitionem, & an transactio ex capite læsionis rescindi possit, & qualis isto casu debeat esse læsio.

SVMMARIVM.

Appellationis prohibitio intelligitur de appellationibus friuolis, non autem quando appellans grauatus est à Iudice à quo. num. 2.

Absolutio à iuramento datur ad effectum agendi, & rescindendi contractum, quando adest læsio enormis. nu. 3.

Dolus præsumitur in contractu, in quo quis fuit enormiter læsus. num. 3.

Clausula sublata cum decreto irritanti numquid operetur, vbi adest enormis læsio. num. 1. & seqq. & per tot. decis.

Tutor non potest hypothecare bona pupilli sine decreto iudicis. num. 4.

Princeps quod semel concessit, non debet sine magna causa in dubium reuocare. num. 5.

Litibus finem imponi valde Reipublicæ interest. Exorn. 1, vt num. 6.

Transactio licet potest rescindi ex capite læsionis, in ea tamen maior requiritur læsio, quam in alijs contractibus. num. 7.

Læsio in transactione ad hoc, vt illa rescindi possit, consideratur, non solum ab eo, quod datum, vel remissum est, sed à dubio litis euentu. num. 7.

Clausula sublata, &c. cum decreto irritanti, & quod non possit dari de subreptione, vel obreptione apposita in concessione Principis an, & quando impediat oris aperitionem. num. 1. & seqq. & per totam decisionem.

Instrumenti narratiua per verba, vt asseritur non probat. num. 9.

Clausula vt asseritur, vel vt dicitur nihil ponit in esse. num. 9.

Hæres cum beneficio legis, & inuentarij non tenetur vltra vires hæreditarias. num. 10.

Minorum bonorum alienatio facta in causam piam non requirit solennitates requisitas in alienationibus rerum minoris. num. 11.

Pupillus ob honorem familiæ potest donare, & remunerare, nec propterea dicitur læsus, si tutor id faciat. nu. 12.

Beneplacitum Principis supplet omnes solennitates requisitas in contractibus minorum. num. 13.

D E-

DECISIO CCCCLXI.

1 CVm D. Philippus Magnus Comestabilis Columna, tanquam hæres quondam D. M. Antonij iunioris pariter Comestabilis de Columna, pretenderet venire contra quandam transactionem initam inter prædictum D. M. Antonium ex vna, & admodum Reu. Capitulum Basilicæ Lateranen. ex altera, occasione hæreditatis quondam Cardinalis Ascanij pariter de Columna, fuissetque dicta transactio per S.D.N. confirmata, cum clausula sublata, decreto irritanti, & quod non posset dari de subreptione, vel obreptione, essetque propterea clausum os prædicto D. Philippo, interdictaque Iudicibus audientia, ipse pro aperitione oris aduersus prædictam transactionem adiuit Signaturam S. D. N. verum Sanctitas Sua noluit aliquid rescribere, nisi audito voto DD. de Rota. Quapropter ex ordine Sanctitatis Suæ proposui in Rota, an esset danda prædicta oris aperitio.

2 Pro parte D. Comestabilis dicebatur, constare de læsione ne dum vltra tertiam partem, quod sufficit, iuxta *Statutum Vrbis. cap. 154. lib. 1.* verum etiam vltra dimidiam, vnde esse locum remedio. *l. 2. C. de rescind. vend. cum ibi not. per Scrib.* qua enormi læsione stante, dicebatur esse locum aperitionis, quia Papa per prædictas clausulas non intendit præiudicare ita enormiter læsis, sed tantum tollere exceptiones friuolas, & male fundatas prætensiones, ad instar clausulæ prohibentis appellationem, quæ intelligitur de appellatione friuola. *Bart. in l. omnes populi. num. 65. ff. de iust. & iur. Alex. cons. 89. num. 18. lib. 6. Corn. consil. 248. num. 15. lib. 2. Crau. cons. 641. num. 12. lib. 4.*

3 Et in simili de iuramento de non contraueniendo, quod videtur potentius, quam istæ clausulæ, cum procedat à consensu partis, & agatur de religione, & nihilominus contra illud datur absolutio ad effectum agendi, & rescindendi contractum. *Abb. in c. cum contingat. num. 23. de iureiuran. Corn. cons. 166. numer. 5. lib. 1. Crau. consil. 142. num. 23. Afflict. decis. 322. num. 9. & 11. Cassad. decis. 1. num. 2. de empt. & vendit.* Et enim quando adest tanta læsio, præsumitur, quod dolus dederit causam contractui. *l. si superstite. in fin. cum ibi not. C. de dol. mal. Calcan. consi. 11. num. 33. Corn. consi. 166. num. 4. lib. 1. Dec. consi. 180. num. 6. Crau. consi. 142. num. 22.* & proinde dolosis non debent suffragari huiusmodi clausulæ, iuxta *not. in l. in fundo. ff. de rei vendic. in l. qui sub prætex. C. de sacros. eccl. in l. creditor. §. huius. ff. mand. in l. illicitas. §. illicita. & ibi glo. ff. de off. præsid. Alex. cons. 108. nu. 4. lib. 4.*

4 Confirmabantur prædicta, quia nedum transactio fuit læsiua, atque inde rescindenda, sed immo ab initio nulla, tum quia facta à procuratoribus constitutis per vnum tantum tutorem, cum tamen duo essent testamentarij tutores, cum clausula, quod ambo coniunctim administrare deberent, *ad l. Titium, & Mæuium. vbi Bart. ff. de administr. tut.* tum quia in constitutione procuratoris minime interuenit decretum Iudicis, quod erat necessarium cum ageretur de hypothecandis bonis pupilli *ad l. si pupillorum. §. 1. ff. de reb. eorum l. pen. C. de his, qui ven. ætat. impetr. l. Imperatores. vbi Angel. ff. de pact. l. tutoris. ff. eod. tit. & in specie de transact. est text. in l. cum 'u. §. transactionis. ff. de transact.*

5 Verum prædictis non obstantibus Rota censuit, non esse dandam oris aperitionem, quia læsio saltem sufficiens ad effectum, de quo agitur, minime adest, & prætensa nullitas non suffragatur, vnde pro non aperitione remanet regula, quod illud, quod Princeps semel concessit non debet sine magna causa in dubiũ reuocare *c. decet. de reg. iur. in 6. c. si nulla. de preben. eod. lib. § illud. Auth. const. t. quæ dignit. glos. in c. 1. 25. q. 2. Bart. in l. conficiuntur. §. codicilli. ff. de iur. codicill. Dec. consil. 496. num. 26. Rolan. cons. 71. nume. 47. lib. 2. Verall. decis. 128. num. 3. par. 1.*

6 Maxime vbi agitur de suscitandis litibus, quas interest Reip. quanto citius finiri. *cap. dispendia. de rescript. in 6. Clem. dispendiosam. de iud. l. properandum. in princ. C. eod. tit. l. 1. in princ. C. de nou. cod. facien. vel finitas non suscitari. l. causas, & lites. C. de transact. c. exposita. de arbitr.* Etenim non solum consumuntur familiæ in expensis, & iurgijs, quas familias interest *Reip. conser. l. cum ratio. § penult. ff. de bon. damnat. l. 2. C. de vid. tollen. l. 2. in fin. ff. comm. de manumiss. l. aut facta. in fin. ff. de pœn. l. 1. § publicæ. ff. de ventr. inspicien.* verum etiam homines in illis distenti publicis muneribus vacare, & aliorum hominum commodo deseruire prohibentur, cum tamen ad hoc nati sint, iuxta illud Platonis, de quo per *Cic. de off. tit. de iust. in princ. vers. sed quoniam.*

7 Quantum ad læsionem fuit consideratum, quod in transactionibus requiritur maior læsio, quam in alijs materijs. *Dec. consi. 551. num. 6. Corn. consi. 116. num. 5. lib. 1. Crau. cons. 151. num. 26. Gabr. de emp. & vendit. conclus. 1. nu. 69. Gramm. decis. 66. nu. 47.* Rot in causa Romana domus. 3. Decembris 1601. coram me. Etenim in illis non consideratur solum quid datum, vel quid remissum, sed & dubius litis euentus. *l. 2. C. de transact. glo. in l. huius. §. fin. ff. ad Trebellia. Cald. cons. 3. de transact. Alex. cons. 222. nu. 11. lib. 2. late Gabr. de empt. & vend. concl. 1. nu. 68. Put. decis. 230. n. 2. lib. 1. Menoch. cons. 508. nu. 36.* & casus fortuitus, cui æquiparatur sententia iudicis. *Bart. in l. si per imprudentiam. ff. de euict. Angel. cons. 176. num. 2. Dec. cons. 74. nu. 3. Gozad. cons. 94. num. 43. Natt. cons. 181. num. 2. Crau. cons. 233. nu. 2. Rolan. cons. 45. nu. 22. lib. 3.* & bonum Reip. quod resultat ex fine litium per prædicta.

8 Accedit quod si ista oris aperitio pro ordinarijs iuris remedijs concederetur, frustra in concessionibus Apostolicis huiusmodi clausulæ apponerentur contra not. *in c. si Papa. de priuil. in 6. in l. si quando. ff. de leg. 1. & in l. cum antiquitas. in princ. C. de testam.* & in simili de clausula arbitrio fuit dictum, in causa Romana Cottiuij die 6. Martij 1606. coram me, vnde inferebatur pro obtinenda oris aperitione, esse aliquid plus probandum, quam ad obtinendum in iudicio, læsio.

9 Deducebatur læsio pro parte D. Comestabilis, quia vt in transactione asseritur, bona relicta Capitulo ascendebant tantum ad Scuta 62. mill. è conuerso autem D. M. Antonius in eadem transactione assumpsit in se onera, valoris Scutorum 127. adeo vt excessus sit in plus quam dimidia. Vltra quod ex iuribus postea compertis dicebatur, constare, quod æs alienum hæreditatis vere ascendit ad Scuta 165. mill. Verum præter quod deducta pro parte D. Comestabilis non videbantur ita clara tam in eo, quod hæreditas non excedat Scut. 62. mill. in valore, quam in eo quod onera ascendant ad tantam summam, nec ius potest fieri in narratiua transactionis, cum sit per verba, vt dicitur, vel vt asseritur, ad *decis. Rot. 60. & 77. de rescript. in antiq. Cassad. 4. num. 1. 6. 8. & 9. de prob. Put. decis. 36. li. 3.* vnde est locus dubietati, ob quam sustinetur transactio ex supra alleg.

10 Fuit consideratum, quod D. M. Antonius assumpsit in se onera in duplici differentia. Ad alia siquidem se obligauit saluo beneficio legis, & inuentarij, prout habebat Capitulum, & in istis non cadit læsio, cum minime teneatur vltra vires hæreditarias, *iuxta not. in l. fin. §. & si præfatam. C. de iure deliberan. Angel. consil. 31. num. 2. & 8. Corn. consi. 31. nume. 1. lib. 3. Surd. consil. 7. num. 31.* Ad alia autem se obligauit prædictus D. M. Antonius, etiam de proprio, quatenus vires hereditariæ non sufficerent, & neque in istis visa fuit cadere lęsio. Si quidem alia sunt legata ad opus pium, prout constructio, & dotatio Cappellæ in Basilica S. Ioannis, anniuersaria pro defunctis, legatum 3. mill. Societatis SS. Apostolorum, & similia, & in istis non potest cadere læsio, cum sint donata DEO, à quo taliter donans centum pro vno erat accepturus, iuxta illud Euangel. Matth. c. 19. qui reliquerit, &c. centuplum

tuplum accipit, & vitam æternam possidebit.

11 Et quod in istis non cadat læsio, probatur ex *text. in §. si vero expressim. auth. de hæred. & Falcid. Signo rol. consi.26.num.2.Odd.de restit.in integr.q.55.nu.32.& seq.* qua ratione non requiruntur solennitates in contractibus minorum cum pia causa. *Bal.in l.generali.num.3.C. de sacrosan. eccles.Ias. in l.si vnus.§. pactus ne peteret.num. 31.ff. de pact. Calcan. consil. 13. numer.4. cum duobus seqq. Anan. consil. 57. in fine. Bertach. tract. de Epis. par. 4. lib. 4.num. 101. Cephal. consil.109. nume.18. Tiraq. de priuil. piæ causæ. priuil. 164.* etenim ista spiritu Dei aguntur, & propterea non cadunt sub *lege. c. licet. de regular. c. duæ sunt.19. q. 2.* & per hanc rationem. *Calcan. consil. 13. num. 3. & 6.*

12 Alia vero sunt legata annua relicta familiaribus, & benemeritis Illustrissi. Domus Columnæ eorum vita durante, neque in istis visa fuit posse cadere læsio, attenta maxime qualitate domus Columnensium, quæ est inter insigniores ne dum Italiæ, sed totius Europæ, & modicitate legatorum, quæ in totum ascendunt solum ad Scuta 1290. singulis annis, & vt plurimum fuerunt relicta senibus, & valetudinarijs, vnde maior pars istorum à die transactionis citra mortua est. Et quod pupillus ob honorem familiæ possit donare, & remunerare, nec propterea dicatur læsus si tutor in faciat, tenent *Alber. in l. ambitiosa.nu. 2.ff. de decret. ab ordin. facien. Roman. consi.50. in fi. Tiraq. in l. si vnquam. verb. de donatione largitus. nume. 25.C. de reuoc. donat.* & in specie de alimentis etiam extraneis præstandis est *text. in l.cum plures. §. cum tutor.ff. de administrat. tutor.* & cessante læsione cessat præsumptus dolus, de quo supra.

13 Quantum ad nullitatem ex defectu interuentus alterius ex tutoribus, & decreto Iudicis fuit responsum, quod Beneplacitum Principis supplet omnes solennitates. *l.omnium.C.de testam.Oldrad consi.257.num. 13. Abb.consil.41. num.3. versi. item omnis. lib.1. Dec.cons. 341. num.12. vers. & quando concessio. Paris. consi. 24. nu. 4. lib. 4.* etenim ipse est omnium tutor, & iudex, ac specialis pupillorum,& similium personarum protector. *c.regum.23.q.5.c.1. & 2.87. dist. Alberic. in l. vnic.in princ.Bald.num.1.& 2. Salicet. num.1.Castr.num.4.C.quando inter pupill.& vid. Bald.de pace Const.in princ. numer.1. Crauet. consi.235. num.4. Tiraq.de priuil. piæ causæ. priuil. 150.* Vltra quod in eo, quod concernit piam causam minime fuerunt necessariæ solennitates. *Bart.in l.1.nu. 6.C.de sacros. eccles. Tiraq. de priuil. piæ causæ. priuil.164. cum alijs supra allegatis.*

R. P. D. CAVALERIO.

Bergomen. Terrarum. Lunæ 11. Martij 1613.

DECISIO CCCCLXII.

Est impressa inter Caualerio.

DECISIO 240.

R. P. D. MANZANEDO.

Spoletana Hæreditatis. Lunæ 11. Martij 1613.

ARGVMENTVM.

Statutum excludens mulierem dotatam ab hęreditate aui, patris, matris, fratris, patrui, vel auunculi an, & quando censeatur excludere filium masculum, natum ex femina exclusa.

SVMMARIVM.

Nepos cum auunculo concurrunt in successione hæreditatis auiæ de iure communi. num.1.

Statutum excludens matrem dotatam ab hæreditate alicuius, censetur etiam excludere matris filium. nu.2. Contra per totum consilium.

Filius non debet esse melioris conditionis, quam mater, nec plus iuris habere, quam mater. num.2.

Filij, seu descendentes quando vocantur, intelligendum est, vt vocentur masculi descendentes ex masculis, non autem ex feminis. num.3.

Statutum excludens ab hæreditate alicuius certas personas non porrigitur ad exclusionem aliarum personarum non expressarum. num. 4.

Casus omissus remanet in dispositione iuris communis. nu.4.

Statutum excludens feminas dotatas ab hæreditate alicuius non censetur excludere masculos descendentes ex femine, quando est conditum fauore masculinitatis. num. 5. Vbi ponitur exemplum, & nu.13. & seq. Vbi respondetur contrarijs.

Agnatio non conseruatur in progenie veniente ex feminis. num.5.

Statutum excludens filiam dotatam à successione matris propter masculos, non censetur excludere nepotem masculum ex filia. num. 5. & per totum.

Statutum mandans, quod stante masculo femina non succedat, non excludit filium masculum ex femina exclusa natum. nu.6. & 7. & per totum.

Masculorum appellatione veniunt masculi nati ex femina. num.8.

Nepos licet regulariter substineat gradum patris, vel matris, tamen quando non attenditur ratio agnationis, sed alia qualitas, tunc nepos succedit non repræsentando matrem, sed intrando in locum vacantem ipsius matris, & non ex persona matris, sed ex sua propria persona. num.9.

Masculi procreati ex feminis non censentur exclusi per exclusionem feminarum, quando cessat ratio agnationis, & aliæ militant diuersæ rationes. num.10.

Nepos ex filia non repellitur à successione aui stante statuto excludente feminas. num.10. & nu.12. & seq. vbi respondetur contrarijs.

Cessante causa exclusionis cessat exclusio. num.21.

Statutum excludens feminas à successione matris, non censetur excludere à successione auiæ, nec masculum ex filia exclusa natum quando adest aliud statutum volens, quod statuta ad literam intelligantur, prout verba sonant nulla adhibita extrinseca interpretatione. num.12.

DECISIO CCCCLXIII.

1 PRoposito dubio 18. Iunij anni præteriti cui esset dandum mandatum de manutenendo, Dominis placuit, quod videretur de bono iure etiam ad effectum manutentionis, vnde hodie dubitaui, an successio Io. Andreæ, & Beatricis coniugum spectet in totum ad Fabium excluso Metello. Pro cuius resolutione est animaduertendum Ioan. Andream, & Beatricem illius vxorem duos filios, vnum masculum nomine Fabium,& vnam feminam nomine Catherinam reliquisse, quæ nuptui tradita decessit superstite ex se Metello ipsius filio. Item idem Ioannes Andreas instituit sibi hæredem Fabium,& aliqua bona Beatrici eius vxori reliquit, que voluit deuenire ad Fabium post Beatricis obitum. Vnde Beatrice defuncta orta fuit quæstio inter Fabium,& Metellum super hæreditate Beatricis, cuius respectu duplex genus bonorum consideratur, nempe bona ipsi per maritum relicta,& cum ad illa post Beatricis obitum Fabius fuerit vocatus, visum fuit non posse dubitari illa in totum ad Fabium spectare ex clara, & expressa voluntate testatoris.

ris. Circa verò alia bona propria ipsius Beatricis præcipua quæstio versatur, cum ipsa decesserit intestata relictis eodem Fabio filio, & Metello ex filia prædefuncta nepote, qui de iure communi concurrere debet cum auunculo in successione quiæ, §. *cum filius*, §. *item vetustas. Instit. de hæred. quæ ab intest. defer. l. vltim. C. de leg. hæred. à l. enim fuit æquatus gradus* Metelli gradui Fabij, vt non iudicetur remotior, *Authen. de hæred. ab intest. ven. §. si igitur defunctus*,

2 Attamen huic iuris communis dispositioni prætendit Fabius non esse locum stante dispositione statutaria Terræ Trebij in lib. 2. rub. 7. de modo, & ordine mulier. dotatar. sic se habenti, Quod si aliqua mulier fuerit, vel esset dotata ab auo à patre, matre, fratre, patruo, vel auunculo dotis sibi datæ, vel promissæ, aut ordinatæ, vel relictæ sit, & esse, atq; stare debeat contenta, ita quod non possit per se, vel aliquam personã vel eius successores habere recursum ad hæreditatem aui, patris, matris, fratris, sororis, patrui, aut auunculi vel alicuius eorum dummodo fuerit dotata ab aliquo ipsorum aliqua ratione, vel causa, & dummodo remanserit aliquis masculus de progenie ipsius aui, patris, matris, vel fratris, vel sororis, auunculi vel patrui &c. Quasi ex verbis istius statuti exclusa filia dotata à successione matris censeatur, & filius filiæ quantumcunq; masculus exclusus ex regula, quod exclusa radice censeantur exclusi omnes præcedentes ex ea, quia non potest plus iuris esse in causato, quam in influenti potentiam causæ, ex *Bald. in l. 1. ff. de Senat.* & non debet filius esse melioris conditionis matre. *l. fin. Cod. de nat. lib.* nec plus iuris habere, quam mater. *l. si viua matre. C. de bon. mater.* & exclusa matre per statutum censentur, & illius filij exclusi. *Bar. & Alciat. in l. liberorum de verb. sig. Surd. cons. 85. nu. 11.* cum alijs adductis pro hac opinione per *Honded. cons. 15. à num. 1. vsque ad 12. lib. 2.* vbi super istomet statuto consuluit.

3 Et vltra ipsum facit, quod quoties in aliqua dispositione vocantur filij, seu descendentes masculi talis dispositio est intelligenda de masculis descendentib. ex masculis, non vero ex feminis, prout communiter tenent Doctores *l. Gallus §. nunc de leg. Velleia. ff. de liber. & posthum. & plurimos congerit Molin. de primog. lib. 3. cap. 5. à num. 21. vsque ad 47. vers. & licier. de iure primog. q. 23. per totam. lib. 1. & vltra relatos à Molin. vbi supra eandem tenent Ant. Gomes. in l. 43. Tauri. nu. 61. & 161. Cifuentes q. 2. & Pallaciorubeus in repet. rub. de donat. inter vir & vxor. verbo extra casus prædictos. nu. 34. in princ.*

4 Quibus non obstantibus Rota statutum hoc intellexit pro Metello filio feminæ exclusæ, vt in supradictis bonis proprijs à Beatrice relictis succedat æquis portionibus Fabius, & Metellus, in alijs vero bonis relictis Beatrici per maritum succedat solus Fabius, tãquam vocatus à patre post obitum Beatricis, & sic in responsione ad dubium fuit dictum, Fabio deberi successionem non in totum, sed pro parte. Et mouebantur, quia statutum, prout est istud excludent certas personas non porrigitur ad exclusionem aliarum non expressarum *Gabr. attestans de communi cons. 14. nu. 22. lib. 1. & 10. & nu. 28. & sec. lib. 2.* etiam si eadem ratio militaret. *Bald. in l. sed & miles de excus. tut. Curt. iun. cons. 44. nu. 10.* cum alijs adductis per *Honded. vbi supra nu. 12.* Vnde cum hic sit casus omissus debet remanere in dispositione iuris communis. *l. commodissime. cum ibi notat. ff. de libe. & posthum.*

5 Secundo quia tantum abest, quod istud statutum excludat filios masculos superstites ex filia prædefuncta, vt magis verum sit illos excludere, & inuitare quatenus excludit feminas dotatas, dummodo remanserit aliquis masculus de progenie aui, patris, matris, fratris, vel sororis quę verba important dispositionẽ, & vocationem masculi de progenie sororis, & aliarũ personarum in statuto nominatarum ex *Bart. in l. 1. §. §. videndum. nu. 2. ff. ad Tertull. Alber. Brun. alios adducens de stat. quod stant. masculis, art. 13. q. 1. & seq. Honded. vbi supra. nu. 14.* ex quo infertur statutum non fuisse conditum fauore agnationis, sed tantum fauore masculinitatis cum admittat etiam masculos ex progenie matris, & sororis, qui vere sunt cognati, in quibus certũ est non conseruari agnationem *ex text. in l. sunt autem. ff. de legit. tutor. l. iuris consult. ff. de gradib. §. sua autem. Instit. de legit. agnat. tut.* & vtrobiq; Scrib. & sufficit, quod cognati semel sint vocati ad exclusionem conseruationis agnationis ex pluribus *tit. per Molin. d. cap. 5. nu. 50.* & sic exclusa filia dotata à successore matris propter masculos de progenie matris, & sororis, & non censetur excludere nepotem masculum ex filia, quia & ipse dicitur de progenie, & reperitur masculus, & talis dicitur, sicut & descendentes ex masculis. *Rot. dec. 15. nu. 1, & 2. par. 2. inter impress. Honded. vbi supra. nu. 16. & seq. & nu. 30.*

6 Et vltra ipsum facit doctr. Iacob. de Butrio quem refert *Paul. de Castro cons. 421. nu. 2. lib. 1. & in l. 1. nu. 3. & 4. C. de cond. inser. Cæpol. cons. 7. caus. ciuil. num. 15. vers. item quod ista verba*, qui tenent, quod stante statuto, quod femina non succedat stante masculo non excluditur filius masculus feminæ, nec illi obstet matris qualitas prouenienens ex femineo sexu, & adducunt pro se bonum *text. in cap. 1. de eo qui sibi, vel hæred. suo masculo in rsibus feud. quo text.* motus Philippus de Cassatis Regien. & cum eo alij sexdecim Doct. ita consuluerunt in quodam cons. 137. *inter cons. Bald. lib. 2.* cui etiam subscripsit *Gaspar Calderin. Idem. etiam dixerunt Floria. &* alij quos refert, & sequitur *Anchar. cons. 359. nu. 3.* in simili prope modum. Idem voluit *Ruin. consil. 49. num 4. lib. primo*,

7 Et ad obiectum, quod ille tex. loquatur in feudo respondet Anchar. vbi supra, ibi non versari aliquam specialitatem propter materiam feudorum, nec in illo casu est dare rationem diuersitatis presupposito, quid vigore pacti feminæ sint capaces feudo, sicut masculi. *cap. 1. §. hoc autem. de his qui feud. dar. poss.*

8 Et in nostro casu, licèt Metellus sit filius feminæ exclusæ satis est, quod ipse reperitur masculus de tẽpore delatæ successionis præcipue cum cesset ratio conseruandæ agnationis, masculorum enim appellatione veniunt masculi ex feminis nati *ex tex. §. 1. in auth. de hæred.* ab intestato venien. prout istum *tex. ad hoc* expendit *Fulgos. in cons. 85. nu. 1. cui subscripsit Raphael. Cuman. & idem ante eos voluerunt Dyn. & Alberic. in l. Neratius. ff. de manumis. testa. in fine. Ruin. cons. 120. num. 8. lib. 1.*

9 Et facit, quia ex regula *Bartol. in l. liberorum. num. 14. de verb. signific. & ex Corn. cons. 116. num. 12. & 13. lib. 2. & Alex. cons. 20. nu. 3. & 8. lib. 1. & cons. 117. n. 9. lib. 6.* licèt regulariter nepos subintret gradum patris, vel matris, tamen quando ratio agnationis non attenditur, sed aliqua alia qualitas ad exclusionem feminarum, & inclusionem masculorum talis femina exclusa propter dictam qualitatem censetur ablata de medio. Radix autem, id est ipsa parentela non remanet affecta, & tunc filij feminæ, licèt succedant intrando locum matris non tamen succedunt eam repræsentando, sed intrando locum vacantem ipsius matris, & non ex illius persona, sed ex propria filiorum masculorum persona quibus inest dicta qualitas requisita, ita voluerunt vltra supra relatos *Bar. & Bal. in l. si accus. nu. 4. vers. 1. casu. C. de lib. præter.* asserentes, quod iste masculus succedit per locum à remotione, seu exclusione matris. vnde non assumit sibi materiam iam extinctam, sed assumit locum quem inuenit vacantem, idem *Bald. in l. pactum dotale. num. 21. vers. contrarium tamen. & versicul. item non obstat. C. de collat. Bartol. in l. qui superstitis. num. 2. in fin. ff. de acquiren. hæred. & faciunt adducta per eundem Bartol. in leg. 1. §. si sit nepos, in princip. versic. vnde prima solutio. ff. de collatio. dot. & in leg. prima, §. si sit filius versic. sed mihi. de coniungen. cum emancip. liber. & Iason. in d. leg. si auus. vers. & si dicas contra, & ibi etiam Sali-*

cet.

ect.num.3.& faciunt adducta per Bald.in leg.fin. num.16.C. de pact. & per Alex. d. consil. 20. num. 3. & 8. lib. 1. & per Alberic. in Auth.post fratres. C.de legit. hæred.& per Iacob. de Rauen. quos refert, & sequitur Gregor. Lup. in l.3. in glo.muyeres. circa mod.tit.13.par.6. dicens, quod licet nepos veniat, & sic natus ex femina non tamen succedit, vt femina, sed vt masculus.

10 Tertio prædicta roborantur, quia quando cessat ratio agnationis, & militant aliæ diuersæ rationes, tunc masculis vocatis, & feminis exclusis admittuntur filij masculi ex talibus feminis procreati. Io.Anton.Rub. consi.22.num.12. in 4.casu, & ita loquuntur Doctor. relati à Corn. in l.1. nume. 18. & 19. C. de cond.inscr. & Soc. qui Corn.non meminit in l. Gallus. §. nunc. de leg.Velleia .num.5. vers. quam tamen dupliciter. de liber. & posthum. & alios referens sequitur Molin. d. c.5. nume. 48. & vltra relat. ab ipso est decis.Guid. Papæ 612. num.1. versic. sed aduerte, & est cons. Franc. Tigri. incipit super quæstione, quæ oritur relatum à Io.Campeg. de stat.femin. exclud.q. 21.in princ. vbi consuluit nepotem ex filia non repelli à successione aui etiam stante statuto excludente feminas ex duabus rationibus ibi videndum, & fere in terminis nostri statuti, ita decidit Bal.in l.scimus.in fi.C. de inoffi.test.m.idem Bal.referans.Iacob.Butri. in l.maximum vitium.nu.20.ver.ego finaliter concludo.C.de lib.præterit.

11 Et facit regula, quod cessante causa exclusionis cessat exclusio. l.instituta. l. pater filium. l. si is, qui. ff. de inoffic.testam.l. 2. §. si mater. vers. cum enim prælatio. ff. ad Trebell.Bald.cons.21.lib.3. Tiraq.in tract.cessan.caus.p.1.nu. 94.cum seq. vbi plures refert faciunt optime adducta per Greg.Lup.in d.l.3.glo.muyeres.vers.nec obstat si dicatur ibi, & certe videtur hoc, &c. qui prædicta satis comprobat.

12 Præterea in hac eadem terra Trebij cauetur alio statuto, quod statuta debeant intelligi, prout iacent, & verba sonant, & nullam recipiant glossam. Vnde si statutum, de quo agitur, excludens feminam dotatam à successione matris, intelligeretur excludere etiam à successione auiæ, hoc esset per interpretationem cum de auia nulla sit facta mentio. Item, etsi dictum statutum excludens mulierem dotatam intelligeretur excludere etiam filium masculum ex ea hoc etiam esset per interpretationem cum de exclusione talis filij masculi ex femina mentio à statuto non fuerit facta. Corn.cons.156. num.6. lib.4. Paris.cons.49. nume. 89. & seq. lib. 3. post Bald. in d. l. maximum vitium. nume. 5. C. de lib. præter. quin & quod magis est talis interpretatio esset contra verba eiusdem statuti, quatenus matrem excludit, dummodo remanserit aliquis masculus de progenie patris, matris, vel fratris, vel sororis, &c. sub quibus verbis inclusit statutum masculos ex progenie sorores, & sic filios masculos ipsius ex superius adductis.

13 Quibus non obstantin contrarium ponderata, quodam infecta radice per matri exclusionem censeantur infecti, & filij ab ipsa procreati cum alijs in huius obiecti roborationem citatis, omnia enim illa procedunt quando agitur de conseruanda agnatione, non vero quando agitur tantummodo de masculinitate desiderata à statuto, vel testatore ex supradictis.

14 Vlterius prædicta obiecta procedunt, quando filius venit ex persona exclusa, secus si ex propria persona veniet, prout in nostro casu dictum est supra venire Metellum non repræsentando matrem, sed intrando in locum, quem inuenit vacantem per exclusionem matris tunc enim non attenditur inhabilitas personæ ex qua quis prouenit, sed habilitas propriæ personæ propter qualitatem masculinitatis requisitã, & in tali personæ concurrenter. Bart. in d.l. liberorum. num.16.Bald.& alij in auth.cessant.C.de leg.hæred.cum alijs per Rot.in d. decis.15.num.6. & 7. p.2.

15 Nec facit tex. in §. cum filius. Insti. de hæred. quæ ab intest. defer. quia respondetur, quod vt diximus iste filius subintrat in locum matris, quem inuenit vacantem, & sic per locum à remotione, & priuatione matris, non tamen inde sequitur, quod inter illam repræsentan. cum potius intret iure, & nomine proprio, & ita Domini censuerunt esse intelligendum, tex.in d.§. cum filius, & alia iura similia, & vltra Bart. Bal. & alios supra relatos, ita tenet, & de communi testatur Magon. decis. Florent. 147.num. 10. & seq.

16 Minus obstant verba eiusdem statuti, quod talis mulier dotata non possit habere recursum ad hæreditatem aui patris, &c. per se, vel aliquam personam, vel eius successores &c. ex quo volunt inferre ex aduerso, quod non solum ipsa femina dotata excluditur, sed etiam illius successores, & per consequens illius filij accipiendo successorem, vel pro hærede vniuersali, vt proprie accipi solet, l.Pomponius.§.quæsitum.ff.de acqu. posses.l.quædam.§.nihil interest.ff.de eden.Paris.consil.46. n. 10.lib.3.vel pro singulari successore, l.fluminum.§.adijcitur. ff.de dam.inf.l.1.§. illud. vers.in locum.ff.quor.leg.

17 Respondetur enim, quod successores prædicti si venirent ex persona exclusa essent etiam exclusi, secus quando veniunt non tanquam successores personæ exclusæ, sed tanquam ex persona propria, vel de iure communi, vel tanquam vocati à statuto, vt masculi de progenie sororis, tunc enim exclusa matre nõ censentur isti filij masculi exclusi ex superius adductis. Vltra quod prædicta verba huius statuti non prohibent successores masculos admitti ex propria persona ad hæreditatem auiæ matre exclusa, sed potiùs ipsa mater dotata prohibere habere reuersum ad D.hæreditatem per se, nec per successores quasi velit statutum, quod nec per se possit succedere, nec mediante persona successorum possit ipsa admitti ad istam hæreditatem, non tamen aliquo modo in istis verbis prohibet statutum successoribus respectu propriarum personarum, Ex quibus ita fuit resolutum, &c.

R. P. D. VBALDO.

Bracharen. Pensionis. Mercurij 27. Martij 1613.

ARGVMENTVM.

Sequestrum regulariter prohibitum, & ab eo inchoandum non est, factumque in spretum inhibitionis reuocandum est.

SVMMARIVM.

Attentata post inhibitionem reuocanda sunt. num. 1.
Inhibitio Rotalis, siue iusta, siue iniusta timenda est. num. 1. in fine.
Sequestrum est odiosum, & regulariter prohibitum, & propterea à sequestro inchoandum non est. num.2.

DECISIO CCCCLXIV.

1 Censuerunt Domini, sequestrum vltimo loco appositum super fructibus Parochialis Ecclesiæ Sancti Iuliani de Moreira Bracharen. Diœcesis esse reuocandum, quia iam emanauerat inhibitio Rotalis ad instantiam Francisci Rectoris dictæ Ecclesiæ, quæ fuit exequuta contra Gasparem assertum pensionarium die tertia Septembris præteriti, & tamen die octaua eiusdem mensis ad instantiam eiusdem Gasparis appositum fuit sequestrum, & sic fuit nullum, & attentatum. Achill. decisione 29. de appellat. & in spretum inhibitionis Rotalis, quæ siue iusta, siue iniusta timenda est. Rota decis.201. nu. 1. par.2. diuers.

2 Accedebat etiam, quod videbatur sequestrum posse redargui de iniustitia, cum Gaspar nunquam exegerit pensionem. Vnde cum ei incumbat onus iustifican-

ficandi literas reseruationis suæ pensionis, non poterat incipere à sequestro sui natura odioso, & regulariter prohibito. *l.1.C.de probib. sequestr, Rot. decisi.97. lib.2. parte 3. diuers. & decisione 654. num.4. lib.3. eadem parte 3.* & fuit plene dictum in Augusten. Hospitalis. 21. Februarij 1611. coram me, & propter has rationes alias Rota censuit in hac causa sequestrum esse reuocandum 25. Iunij 1607. coram bonæ memoriæ Iusto. Et ita fuit decisum Francisco solum informante.

R. P. D. VBALDO.

Calaguritan. Iuris votandi. Merc. 27. Martij 1613.

ARGVMENTVM.

Decanus numquid possit vocare in Capitulo, votandique possessionem quomodo acquirere dicatur, & quomodo illa probetur.

SVMMARIVM.

Decanus numquid in capitulo possit votare, & votandi quasi possessionem per quot actus acquirere possit, nu.1.
Decanus dicitur nobile capituli membrum. nu.2.
Quasi possessio votandi in capitulo numquid acquiratur aliquibus de capitulo contradicentibus, num.2.
Instrumenta, & scripturæ transumptata, & publicata per successorem in officio, non requirunt solennitates alias requisitas in transumptatione scripturarum. num.3.
Actus extracti ex processu antiquæ litis in actis producto dicuntur esse in forma probanti. num.3.

DECISIO CCCCLXV.

1 Domini dixerunt, esse dandum Decano Ecclesiæ Calaguritan. mandatum de manutenendo in quasi possessione iuris votandi, quia pro illius parte dantur plures actus antiqui, ex quibus apparet Decanos consueuisse dare vocem in Capitulo. Dantur etiam aliqui actus recentes, facti per hodiernum Decanum, & cum vigore fundamentalis statuti Ecclesiæ Decanus videatur esse de Capitulo, & ideo habeat ad votan. iuris assistentiam, sufficit ei ad acquirendam vniuersalem quasi possessionem votan. vnicus actus particularis. *Rota diuers. deci.17. num.4. p.2. & decis.222.num.6.par.1.* fuit dictum in Comen. Decimarum. 11. Martij 1611. coram Reuerendissimo D. meo Damasceno.

2 Non obstat, quod in dictis actibus vnus, vel duo de capitulo contradixerint, qui secunqum opinionem Compostellan. & Panormitan. in c. scriptum. nu. 3. de elect. videntur potuisse impedire effectum acquisitionis quasi possessionis, quia quidquid sit de illa opinione, quæ habet contradictores, vt apparet ex traditis per *Dec. in c. cum omnes. in prima sect. num.32. vers. 3. fallit. de constit. post Rom. in l. de pupillo. in princ. ff. de noui operis nunc.* illa etiam procederet, quando maior pars Capituli vellet admittere penitus extraneum ad votan. in Capitulo, in quibus terminis loquitur Compostellan. & *Abb. Dec. in cap. constitutus. 2. numer.7. & 8. de appell. Rom. sing.45.* incipit, quia heri, *Franch. decis. Neapolit. 2. num.20. & seqq.* Sed in casu nostro Decanus non est extraneus, cum saltem vigore prædicti statuti videatur pars Capituli. Imo nobilius Capituli membrum in eo appellatur, & facit *Panormit. in c. post electionem. sub num. 9. vers. item puto. de concess. præben.* Vltra quod prædicti actus habuerunt effectum, non obstante dicta contradictione, & aliqui etiam actus dantur sine aliqua contradictione.

3 Non obstat, quod actus non sint in forma probante, quia cum partim fuerint extracti per Secretarium Capituli successorem in officio probant, quamuis nō fuerint adhibitæ omnes solennitate. *Dec. post alios in auth. si quis in aliquo. numer. 26. C. de eden. Caputaquen. decis.2. par. 2. & decis.170. par. 1.* Fuit dictum in Ferrarien. bonorum 16. Iunij 1600. coram Illustrimo Lancellotto, & partim sint extracti ex processu antiquæ litis in actis per dictum, quæ reuertebatur in curia inter dignitates ex vna, & Decanum, & Capitulum dictæ Ecclesiæ ex alia parte vigore Innocentianæ. probat *Caputaquen. decisione 351. numero 5. parte 2.* Deinde sufficit Decano, quod aliqui ex dictis actibus sint in forma probanti, quia, vt supra dixi, stante assistentia iuris vnico actu, acquiritur vniuersalis possessio. Et ita fuit decisum, &c.

REVER. P. D. PAMPHILIO.

Hispalen. Præeminentiarum. Veneris 15. Martij 1613.

ARGVMENTVM.

Subreptio non cadit in his, quæ iuris sunt, nec considerabilis est, quando non exprimitur aliquid, quod posset mouere Papam ad facilius, vel difficilius concedendam gratiam. De vi clausulæ non obstantibus, & clausulæ quorum tenores.

SVMMARIVM.

Proœmium denotat mentem, & animum disponentis. num.1.
Indecorum est, vt superior inferiori ministret in celebratione Missarum. num.2.
Subreptio non cadit in his, quæ iuris sunt. num.2.
Subreptio tunc considerabilis est, quando non exprimitur aliquid, quod posset mouere Papam ad facilius, vel difficilius gratiam concedendam. num.3.
Clausula quorum tenores operatur expressionem specificam omnium eorum, ad quæ relata est. num.5.

DECISIO CCCCLXVI.

1 Svb die 4. Iunij præteriti, fuit in hac causa decisum, Breue emanatum die 30. Iunij 1603. esse iustificatum, dum in eo Summus Pontifex dicit Canonicos esse digniores, Portionarios vero inferiores, & hoc non solum de iure communi, sed etiam ex quampluribus prærogatiuis, & præeminentijs, quæ in Ecclesia Hispalen. competunt Canonicis non autem Portionarijs, vt legitur in dicta decisione, ex quibus supradicta die Domini dixerunt, resultare resolutionem præsentis dubij, quod scilicet dictum Breue non sit subreptitium, quia illud totum fundatur in eo, quod indecens, & indecorum sit, superiorem, seu digniorem in celebratione Missæ inferiori inseruire, & cum tamen huiusmodi Sacrificium omni decore, & Religionis cultu sit celebrandum, absque eo quod in illo aliquid indecens reperiatur, vt legitur in illius proœmio, ex quo mens, & animus disponentis colligi solet. *l. fin. ibi Doctor. ff. de hæred. instit. Bartol. in l. ambitiosa. num. 27. ff. de decret. ab ord. faciend.*

2 Quod autem sit indecorum, vt superior inferiori in hac oblatione ministret, probantur ex *text. in cap.1. & cap. statuimus. de maior. & obedient. & not. ibi Abb. in versic. item not. contra consuetudinem, & in consilio 21. numero 4. & sequen. libro 1.* & declarat Summus Pontifex in dicto Breui, ibi indecens, & indecorum esse arbitrantes, &c. Papa enim præsumitur habere omnia iura in scrinio pectoris, & propterea in istis, quæ sunt iuris non cadit subreptio. *Felin. in cap. super literis. numer. 8. versic.2. regula, de rescript.* & tenuit Rota in causa Romana Vineæ. 22. Martij 1568. coram Oradino, *vt in decis. relat. inter impress. diuers. 19. num.1. par.1.*

3 Non

Non obstat, quod Papa in dicto Breui sensisse videtur de Portinarijs, qui sunt simpliciter, & absolute inferiores Canonicis, prout sunt illi, de quibus loquitur *gloss. & Doctor. in capit. penultimo, verb. Assisiu de cler. non resident.* non autem de portionarijs Ecclesiæ Hispalen. qui plures prærogatiuas relatas per Informantes communes cum Canonicis obtinent. Quia fuit responsum, quod eadem ratio indecoris, & indecentiæ militat, siue Portionarij sint simpliciter & absolute inferiores Canonicis, siue etiam in aliquibus cum illis æquales prærogatiuas habeant, cum nihilominus remaneant inferiores, & inferioris ordinis, nec ex dictis qualitatibus efficiantur æquales Canonicis, vt dicitur in dicta decisione in hac causa facta, & propterea cum in sola qualitate inferioritatis, fundetur indecentia, excluditur omnis subreptitio, quæ tunc demum est considerabilis, quando non exprimitur aliquid, quod posset mouere Papam ad facilius, vel difficilius gratiam concedendam, *Socin. cons. 13. num. 7. versic. nam posito, & num. seq. libr. 1. Roman. cons. 326. num. 11. & cons. 327. num. 2. Aymon. cons. 636. nu. 8. Curt. iun. cons. 83. nu. 9.* & fuit dictum in causa Auellina vnionis 13. Iunij 1594. coram bon. mem. Pegna, & in alijs causis sæpissime.

4 Et ita etiam cessat, quod dicebatur, posse Portionarios ex consuetudine, vel statuto plures qualitates, & prærogatiuas Canonicis competentes acquirere, quia non propterea mutant essentiam, ita vt vere efficiantur Canonici, vel illis æquales, sed adhuc remanent inferioris ordinis, quod sufficit, vt supra dictum est.

5 Præterea considerabant Domini, quod de ijs omnibus, quæ pro parte Portionariorum adducuntur Papa præsumitur habuisse notitiam, ex quo in dicto Breui fit mentio litis, quę super huiusmodi seruitio inter prædictos Canonicos, & Portionatios vertebatur, illiusque statum, & merita, nec non iura, & prætensiones Portionariorum Papa in eo pro expressis haberi vult, & dicit illud concedere ex sententia Illustrissimorum Cardinalium super sacris Ritibus, non obstātibus consuetudinibus, priuilegijs, &c. cum clausula, quorum tenores, cuius vigore omnia supradicta in eo narrata censentur, iuxta *consil. Butr. 2. alias 49. num. 6. Mohed. dec. 1. de rescript. Cassad. dec. 18. super reg.* & fuit sæpe decisum.

REVER. P. D. MANZANEDO.

Asten. Fructuum. Die 15. Martij 1613.

ARGVMENTVM.

Absenti clerico pro defensione iurium Ecclesiæ debentur fructus, & distributiones, & quid si lis poterat per procuratorem tractari.

SVMMARIVM.

Clerico absenti à seruitio Ecclesiæ ex iusta causa, & pro defensione iurium ipsius Ecclesiæ debentur fructus, & distributiones, num. 1.

Clerico absenti à seruitio suæ Ecclesiæ propter litem, quæ potest per procuratorem tractari, & pro particulari interesse sui beneficij non debentur fructus, & distributiones, numer. 2.

Statutum vnum declarari debet ex dispositione alterius præcedentis statuti. nu. 3.

DECISIO CCCCLXVII.

1 DVbitaui, an Preposito deberentur fructus, & distributiones in absentia, de qua agitur. Et Domini affirmatiue responderunt, quia cum abfuerit ex iusta causa, nempe pro defensione iurium suæ præpositurae, vt probatur per existentiam plurium litium in Rota, & in Sacra Congregatione Rituum, & ex iteratis remissionibus causarum ad Ordinario ad Romanam Curiam factis fructus, & distributiones ei debentur, *cap. ex parte il 2. de cleric. non resident. Calder. consil. 17. de præbend. Archar. consil. 17. numer. 2. Prob. in addit. ad Ioan. Monach. in cap. vnic. num. 22. & 28. cum seq. eodem tit. in 6. & ibi Archid. in fin. Couar. var. resolut. libr. 3. capit. 13. num. 8. versic. 10. eadem ratione*, & & fuit dictum in vna Salamantina censurarum. 28. Nouembris 1594. coram bon. mem. Seraphino, & cum istorum iurium defensio respiciat vtilitatem Ecclesiæ infertur causam absentiæ fuisse iustam, & necessariam & sic non fuisse cogendum Præpositum litigare, per Procuratorem.

2 Non obstat decisio in causa Licien. fructuum, 25. Aprilis 1603. coram bone memor. Cardinale Pamphilio, vbi fuit dictum negotium esse tale, quod posset per Procuratorem tractari, & nimirum cum in casu illius decisionis quidam prætenderet fructus sui canonicatus absens pro defensione beneficij, quod habebat in alia Ecclesia, quæ causa non fuit visa iusta, vt etiam ponderat *Prob. vbi supra nu. 29.* nec negotium tale, quod non posset per procuratorem tractari secus est in casu nostro, in quo lis erat pro defensione propriæ dignitatis, & Ecclesiæ, in qua prætenduntur fructus & distributi o, quo est iusta causa absentiæ, & sic negotium visum fuit tale, quod non posset cogi Præpositus per Procuratorem litigare. Non obstat, quod Præpositus ad curiam non accesserit propter hanc litem, sed causa associandi suos nepotes. Nam prædicta causa licet potuerit accelerare illius accessum ad Vrbem, non tamen fuit principalis, vltra quod constat ex testibus, quod nepotes iam erant in itinere tempore quo Præpositus discessit à Ciuitate Asten. & quod nihil pro eis hic Romæ egit, & ad Epistolam scriptam præpositum, fuit responsum ex ea nihil probari cum habeat relationem ad aliam, prius per eum scriptam, de qua non constet, *l. in testamento, ff. de cond. & demonstr. Alex. cons. 3. num. 1. lib. 2. Abb. cons. 742. nu. 4. Paris. cons. 33. num. 1. libr. 1.* maxime, quia non est integra, nec est de actis.

3 Nec facit statutum Ecclesiæ Asten. disponens, vt canonicus, qui ex aliqua causa est abfuturus vltra trimestre teneatur illam probare, & licentiam petere à capitulo, alias non lucretur fructus, nec distributiones. Quia respondebatur illud non habere locum in abfuturo causa defensionis iurium sue præbendæ cum talis habea tur pro præsenti, & residenti, non solum de iure ex supradictis, sed etiam ex dispositione statuti precedentis, iuxta quod istud intelligi, & declarari debet. *Bal. in l. omnes populi. numer. 71. ff. de iust. & iur. Alex. cons. 117. num. 3. lib. 6. Caputaq. decision. 201. in fin. par. 3.* statutum enim numquam censetur prohibere id, quod ex forma alterius statuti conceditur. *Bart. in l. 1. §. & parui. num. 5. ff. quod vi, aut clam Bald. in cap. à nobis, ad fin. de except. Dec. consil. 44. ad fin. num. 1. Caualc. decis. 7. num. 19. part. 3.* Vlterius, quia predictum statutum requirens licentiam capituli in ab futuro vltra trimestre illam non videtur desiderare intra d. trimestre ad *leg. statu liberum. §. Stbicum. de leg. 2. Tiraquell. de retract. conuent. gloss. 2. §. 1. sub num. 8. versic. & è contrario. Surd. decision. 75. num. 1. & seqq.* vnde quando de anno 1607. Prepositus ab fuit per 89. dies opus non habuit aliqua licentia. De anno vero 1606. quo abfuit per 86. dies, neque pariter indigebat d. licentia cum d. semestre à statuto, vt supra permissum ex consuetudine immemorabili fuerit prorogatum ad semestre, vt constat ex positionibus capituli que contra illud plene probant. *Alex. cons. 172. num 1. volum. 6. Rom. cons. 91. num. 12. Gabr. de confess. conclus. 4. num. 24.* & li-

cet ab fuerit per sex dies vltra semestre, tamen non propterea erit priuandus fructibus, & distributionibus totius semestris, cum satis sit, si pro rata dd. sex dierum illis priuetur. Quo vero ad licentiam Ordinarij, quæ de iure requiritur, *c. relatum. & ibi glo. verb. Prælatorum. de clreic. non residen. & Abb. not ab. quarto.* idem *Abb. in c. inter quatuor. num. 4. eod. tit. Sylu. de benefic. par. 4. qu. 6. num. 34. ad fin. cum seqq.* Et fuit dictum in vna Burgen. Residentiæ. 4. Iulij 1586. coram Illustrissimo Platto, videbatur aliquibus ex Dominis, probari dum Ordinarius remisit litem ad Curiam, ex quo videbatur, & remisisse Præpositum, præcipue iuncta dispositione vnius testis de facto proprio, ex quo plusquam semiplene probat, *Cæs. de Graff. decis. 2. in fin. de emp. & vend.* Nihilominus super prædicta licentia, & an probetur, erunt Domini de nouo consulendi.

REVERENDISS. P. DOMINO COCCINO DECANO.

Beneuentana Census. Lunæ 18. Martij 1613.

ARGVMENTVM.

Pecuniæ numeratio non est necessaria, quando quis vendit alicui censum, quem alias emerat à tertio, Notarioque attestanti pecuniam numeratam, & receptam creditur.

SVMMARIVM.

Bonorum appellatione venit etiam pecunia. num. 1.
Pecuniæ per solutionem, & immixtionem dicuntur factæ ipsius recipientis. num. 1.
Hypotheca in pecunijs censetur extincta eo ipso, quod pecuniæ fuerunt solutæ alteri creditori. num. 1.
Creditor quando possit agere contra debitorem debitoris. num. 3.
Sententia debet esse conformis libello, & iudex vltra petita non debet pronunciare. num. 3.
Pecuniæ numeratio non est necessaria, quando quis vendit censum, quem habet cum alio tertio. num. 4.
Pecuniæ numeratio probatur ex attestatione Notarij, quodam illa fuerint recepta. num. 4.
Pecunia an dicatur vni numerata, qui postea, & in continenti alteri illam soluit, & numerauit. num. 5.

DECISIO CCCCLXVIII.

1 PRoposui dubium stricte ad iustitiam sententiæ de partibus omissis nullitatibus, quia pars asserebat velle adire S.D.N. pro earum sanatione, & Domini censuerunt sententiam esse iniustam. Nam condemnat Benedictum Ferrantinum ad restituendum Ducatos mille Francisco de Andrea, tanquam anteriori creditori Vincentij Capoblanci. Cum enim Benedictus habuerit dictas pecunias à Capoblanco, etiam quod Franciscus fuisset anterior creditor, & per consequens posset allegare tunc habuisse dictas pecunias hypothecatas, cum sub tali vinculo haberet omnia bona præsentia, & futura dicti Vincentij, & nomine bonorum veniant etiam pecuniæ, *l. cum tabernam. §. final. vbi Bartol. ff. de pignor.* vtique non per hoc poterat auocare dictas pecunias à Benedicto, cum per solutionem, & immixtionem fuissent factæ ipsius Benedicti recipientis. *Dec. in l. singularia. numer. 6. & ibi Curt. iun. num. 19. & sequentib. ff. si certum petat.* & post dictam immixtionem cessauit omnis hypotheca ad fauorem Francisci super dictis pecunijs. *Afflict. decis. 190. Paris. consil. 69. num. 2. lib. 4. late Surd. post alios consi. 4. num. 11. & 12.*

2 Neque facit, quod Octauius, & alij de Torellis debitores dicti Capoblanci imposuerunt censum, & alium cum tertio impositum vendiderunt dicto Benedicto creditori Capoblanci, qui soluit pecunias cum hoc, quod solueretur dicto Capoblanco eius debitori, prout fuerunt solutæ, & deinde Capoblancus eademmet die soluit pecunias eidem Benedicto creditori, vnde iste contractus videtur simulatus, qui enim sic soluit, vt statim recepturus sit, non dicitur soluere, & dominium non transfert. *l. qui sic soluit. ff. de solut.* Nam fuit responsum, quod si motiuum procederet, adhuc sententia remaneret iniusta, quia nunquam pecuniæ fuissent in dominio Capoblanci, & ideo Franciscus de Andrea non potuisset agere ad dictas pecunias, ac si fuissent ipsius Capoblanci.

3 Neque releuat, quod interest dicti Francisci de Andrea venditionem fuisse simulatam, posset enim agere contra Octauium, & alios de Torellis debitores Capoblanci, siquidem creditor potest agere contra debitorem debitoris quando concurrunt illa, de quibus latissime per *Surd. dicto consilio 4. num. 1.* Nam quatenus hoc esset admittendum, non tolleret, quin sententia esset iniusta, quia de eo non fuit actum, sed solum de auocandis Scutis mille à Benedicto, sententia enim debet esse conformis libello, & iudex vltra petita non debet pronunciare. *l. vt fundus. ff. commu. diuid. cap. licet Heli. de Simon. capit. qualiter, & quando. il 2. §. ad corrigendos. de accusat. Anchar. consil. 194. num. 3.* & si aliter facit, sententia est nulla. *Angel. Aretin. consil. 7. num. 8. & sequentib. versic. 2. ex alio, & versicul. 3. dato. Alex. consilio 72. num. 5. versicul. 2. principali. libro 5. Federic. de Sen. consil. 159.* per totum Collegium *Pisanum inter consi. Bart. 82. col. 1. vers. aut dicemus. lib. 2.*

4 Sed cessat omnis difficultas, quia nulla hic potest considerari simulatio. Nam quo ad summam Scutorum 600. Octauius Torellus, & alij vendiderant censum, quem habebant cum tertio, quo casu non requiritur pecunia numerata, si enim requireretur, nec posset cedi, permutari, aut donari, ut dixit Rota in causa Rauennaten. Census. 12. Ianuarij 1607. coram Reuer. Patre Domino meo Manzanedo, vere autem probatur interuenisse pecuniam numeratam, prout interuenit in alia summa Scutorum 400. pro qua fuit impositus census, ex attestatione Notarij, quod receperunt (scilicet Torelli) coram ipso in moneta argentea, &c. *Bart. in l. si ex cautione. numero 14. & seqq. C. de non numer. pecun. & in l. singularia. num. 22. ff. si certum petat. vbi Ias. num. 48. & Dec. num. 33.*

5 Neque in hoc casu officit, quod fuit conuentum, quod pecuniæ soluerentur Capoblanco, qui postmodum, & in continenti soluit Benedicto, & propterea Benedictus videtur ab initio non soluisse prædicto Octauio Torello, & alijs per *text. in dicta l. qui sic solut. ff. de solu.* Quia dispositio dictæ legis non habet locum inter alia quotiescunque ex momentanea traditione acquiritur aliquod commodum parti. *Bald. in l. si tibi. num. 1. vbi Alexan. numero 5. Ias. num. 10. Dec. in fin. ff. si certum petat.* & in proprijs terminis fuit resolutum in causa Romana Census. 10. Ianuarij 1605. coram Illustrissimo D. meo Cardinale Lancellotto. Ex quibus fuit resolutum pro iniustitia sententiæ de partibus, &c.

R. P. D. PAMPHILIO.

Mediolanen. Decimarum. Lunæ 18. Martij 1613.

ARGVMENTVM.

Decimæ regulariter debentur integræ, & de omnibus fructibus, nisi in contrarium sit consuetudo, quæ tamen debet esse legitime præscripta, & probata, & quan

quando talis consuetudo dicatur legitime præscripta probata.

SVMMARIVM.

Decimæ integræ debentur de omnibus fructibus, quando sunt prædiales, num. 1.

Decimæ ad quam rationem, & de quibus fructibus solui debeant, attendenda est consuetudo, dummodo fuerit legitime præscripta, & concludenter probata. nu. 2.

Consuetudo soluendi decimas non integrat, & non de omnibus fructibus, vt dicatur legitime præscripta, legitimeque probata, quæ requirantur, num. 2.

Decimæ, & primitiæ differunt inter se. nu. 3.

DECISIO CCCCLXIX.

1 FVit ex pluribus decisionibus in hac causa firmatum, decimas locorum Rancati, & Cliuesij spectare ad Matricem Ecclesiam Sancti Iuliani tam ante, quam post dismembrationem anni 1578. Ideo supradicta die dubitaui, ad quam rationem, & de quibus fructibus debeantur decimæ tam dictorum locorum, quam etiam loci Colonij sub dismembratione non comprehensi, & quia agitur de decimis prædialibus, Domini dixerunt illas integras deberi. *c. commissum. c. peruenit. c. non est. c. tua nobis. decimis. & de omnib. fructibus, cap. nuncios, d. cap. non est. & ibi Abb. nu. 3. cod. tit. Rebuff. de decim. q. 8. num. 1.* & fuit dictum in causa Sabinen. Decimarum. 9. & 28. Maij 1597. coram bon. mem. Gipsio.

2 Neque per solutiones decimarum, quæ dantur in processu de partibus censeri inductum, aliquam consuetudinem per quam possit dici diminuta quota decimarum, iuxta opinionem, quam post *Rebuff. Bald. & Couar. allegat.* tenuit Rota in Sabinen. Decimarum. 8. Februarij 1612. coram bonæ memorię Cardinale Pamphilio, & in alijs sæpe. Quia præterquam quod prædictæ solutiones non sunt vniformes, prout requiritur ad hoc, vt ex illis inducatur consuetudo, *l. nemo. §. temporalis, ff. de reg. iur. Alex. consil. 5. num. 7. libr. 5.* & in istis terminis fuit dictum in alia Mediolanen. Decimarum. quinta Decembris 1597. coram Illustrissimo Cardinali Mellino, sed quædam ex illis maiorem, & quædam minorem summam continent, nec sunt vniuersales, sed sunt factæ à nonnulis singularibus personis pro bonis particularibus vigore transactionum & locationum ad certum tempus, quæ propterea non possunt dici factæ in vim consuetudinis, iuxta *consil. Dec. 402. num. 15. vers. vnde licet. Aymon. cons. 171. nu. 14. vers. 4. pro hac, & cons. 197. num. 12. versic. optime facit pro responsione,* fuit etiam dictum, quod huiusmodi consuetudo non probatur legitime pręscripta, & cum omnibus alijs requisitis, de quibus per *Abb. & Imol. & alios in c. fin. de consuet. & Rebuff. de decim. quæst. 13. num. 53. & sequent.*

3 Neque obstare decretum, cuius copia datur pro parte Parochi Ecclesiæ Sancti Ambrosij, quod primitiæ, quæ dictæ Ecclesiæ post illius erectionem in Parochialem solutæ fuerunt etiam in posterum persoluantur, quia cum loquatur de primitijs non potest ex illis inferri ad decimas, quæ debentur etiam ex locis, ex quib. soluuntur primitiæ, *c. 1. vbi Abb. n. 8. de decimis* cum alijs adductis in causa Mediolanen. rescissionis permutationis 22. Martij 1599. coram bonæ memorię Cardinale Pamphilio.

REVERENDISSIMO P. D.
DAMASCENO.

Signina administrationis. Lunæ 18. Martij 1613.

ARGVMENTVM.

De Curatore in testamento dato, quod non dicatur Curator nisi confirmetur à iudice, etiam quod testator contrarium mandauerit, nec iudex potest confirmare nisi minor petat. Et de administratore, seu negotiorum gestore, an quando rationem reddere teneatur de non administratis.

SVMMARIVM.

Negotiorum gestor tenetur reddere rationem eorum, quæ administrauit. num. 1.

Curator datus in testamento non dicitur curator, nisi fuerit confirmatus à iudice. nu. 2. vbi quod nec testator in testamento potest hanc confirmationem prohibere.

Curator datus in testamento minori non potest confirmari à iudice, nisi id petat. nu. 2.

Curator volens se à cura excusare, debet excusationem proponere infra quinquaginta dies, alias obligatus est ad curam nu. 3.

Administrator tenetur reddere rationem de administratis, non autem de non administratis, nu. 4.

DECISIO CCCCLXX.

1 FVit resolutum sententiam A. C. quæ simpliciter declarat Marium fuisse obligatum reddere rationem curæ filiarum quondam Claudij de Melis esse infirmandam, si quidem cum prædictus Marius minimè fuerit curator prædictarum filiarum non poterat generaliter condemnari ad reddendam rationem curæ, sed tantum illorum, quod apparuisset ipsum administrasse, iuxta notata *in l. tutori. C. de negot. gest. & in leg. secunda. ff. de eodem titulo Roman. consil. 413. num. 4. Corn. consil. 81. num. 6. lib. 4.* neque hoc tanquam curator, sed tanquam negotiorum gestor. *l. curatorem, C. de neg. gest. Socin. iun. cons. 79. nu. 20. & seq. lib. 2. Corn. d. cons. 81. num. 2. versio. itaque sciebat. lib. 4.*

2 Non obstat, quod Marius fuerit à prædicto Claudio in testamento deputatus curator, quia cum non appareat ipsum fuisse à iudice confirmatum, non potest dici ipsum fuisse curatorem, *§. sed curator. instit. de curat. l. tutela. C. de testam. tutel. Socin. iun. consil. 79. numer. 21. libr. 2. Gabr. d. consil. 25. num. 9. lib. 2.* quod adeo verum est, vt neque testator possit tollere necessitatem huiusmodi Confirmationis ordinando, vt Curator sine illa administraret. *Gabr. d. cons. 25. num. 9. libr. 2.* quinimo nec potest iudex confirmare, nisi minor id petat. *§. cum inuiti. instit. de curat. l. pater Seuerinam, & ibi gl. verb. id egerint. ff. de condit. & demonstr. Corn. cons. 81. nu. 2. versicul. si ergo non datur libr. 4. Gabr. dict. consil. 25. num. 12. & 13.*

3 Nec subsistit, quod Marius tenebatur se excusare infra quinquaginta dies alias fuit obligatus ad curam, *l. scire, §. nullam. versic. tutores, vel curatores. ff. de excusat. tutor.* quia fuit responsum, tex. posse habere locum si & postquam consentiente minore, à iudice confirmatus fuerit, *l. Caius, ff. eodem tit. Gab. d. cons. 25. nu. 15. lib. 2.* alias si conclusio simpliciter intelligeretur destruerentur supra, in principio firmatę conclusionis, quod requiratur confirmatio superioris, & quod necessarius sit consensus maioris.

4 Non obstat, quod Marius nonnulla administrauerit Quia si hoc probabitur, de illis tenetur rationem reddere. *leg. tutori. de negot. gest.* cum alijs supra allegatis, non autem de non administratis perinde, ac si curator fuisset, nec facit, quod negotiorum gestor teneatur etiam de non administratis, quia hoc est verum si cōcurrant quatuor requisita, de quibus per *Bartol. in l. si pupilli. §. videamus, ff. de negot. gestor. Cornel. consilio* octua-

nonagesimo primo, num. sexto, libro quarto, nempè quod alius erat gesturus illa, quæ ipse neglexit, quod ille alius erat diligens, quod ille omisit gerere ex eo, quod iste quædam gerebat, sciebat alium esse gesturum omnia, quæ quidem requisita non concurrunt in proposito casu, vt bene deduxit Dominus Aduocatus Cerrus, cum quo Domini transierunt.

REVERENDISSIMO P. DOM.

DAMASCENO.

Æsculana Prædij, Mercurij 27. Martij 1613.

ARGVMENTVM.

Fructus non solutæ dotis à patre filiæ promissæ, debentur in recompensationem onerum matrimonij, nisi ad soluendum fuerit facta dilatio.

SVMMARIVM.

Dotis non solutæ fructus solui debent à patre, qui dotem promisit existente in mora solutionis marito, qui onera matrimonij sustinuit. nu. 1.

Dotis non solutæ fructus vigore Statuti Vrbis debent solui ad rationem septem cum dimidio, pro quolibet centenario, & alias iuxta consuetudinem loci. nu. 2.

Dotis non solutæ fructus, non debentur pendente dilatione ad soluendum data. nu. 4.

Renunciatio non trahitur ad ea, quæ expressa, & significata non sunt. nu. 5.

Nouatio ex secundo contractu non censetur facta, nisi dictus secundus contractus sit incompatibilis cum primo. num. 6.

DECISIO CCCCLXXI.

1 FVit resolutum, fructus deberi, & ad rationem septem cum dimidio, à die quo Gaspar sustinuit onera matrimonij, dempto tamen tempore dilationum datarum in apocha matrimoniali deberi, quia quicquid sit in extraneo per *l. fin. §. præterea. C. de iure dot.* in patre promittente dotem, quod teneatur supportare onera matrimonialia ad fructus recompensatiuos dicti oneris, etiam si illos non promisit, res transit sine difficultate, ex tradit. *gl. fin. in l. de diuisione. ff. solut. matrim. Cagnol. in l. curabit. nu. 41. & 42. C. de act. empt. Cephal. consi. 485. nu. 12. de communi. Corn. cons. 59. nu. 7. lib. 3. de magis communi. Alex. cons. 147. nu. 4. lib. 5. & Bero. cons. 129. nu. 11. lib. 3.*

2 Ad rationem septem cum dimidio, quia ex testimonialibus, & sententijs in illis partibus latis, alias traditis datur magnus fumus, quod ista solent taxari in illis partibus, & non est verisimile, cum ita taxet Statutum Vrbis, & etiam aliquando taxari ad octo, *trad. Magon. dec. Florent. 83. nu. 3.* & poterit, si opus erit, melius probari, quæ consuetudo attenditur in hac materia. *Ruinus consil. 214. num. 14. lib. 1. Surd. de aliment. tit. 1. quæst. 42. num. 28. quicquid dicat Ias. in §. fuerat. num. 19. Instit. de action. qui alleg. Angel. Aret. super eodem §. loquentem in casu vbi non aderant onera matrimonij*, & sic vbi consuetudo induceret vsuram.

3 Nec visum fuit subsistere in facto, quod fuerit conuentum de inuestiendo dotem, in terris, quæ ad plus reddunt quinque pro centenario, quia non fuit expressum in quo genere inuestimenti. Vnde potuit inuestiri in censibus, qui reddunt octo pro centenario quod à die quo Gaspar cœpit supportare onera matrimonij, dempto tamen tempore dilationum, de quibus in apocha matrimoniali, quia ita se habet regula, vt patet ex *alleg. in princ.*

4 Quibus visum fuit non obstare, quod in instrumento solidationis computorum de anno 1599. socer promisit soluere genero residuum dotis, quod erat florenorum 850. ad omne eius beneplacitum, & petitionem. Vnde infertur, quod videatur data dilatio vsque ad diem petitionis, & consequenter non debeantur fructus medij temporis, *ex trad. per Castr. consil. 11. num. 4. vers. sed si in casu nostro lib. 1. Dec. consil. 119. num. 7.* Quia fuit responsum in apocha matrimoniali, quæ fuit de anno 1586. fuisse promissam dotem cum certis dilationibus, quæ per multum tempus ante dictum instrumentum solidationis computorũ erant finitæ, & proinde de prædicto tempore dictarum dilationum fuisse virtute dictæ primæ promissionis debitos fructus, *ex alleg. in princ.*

5 Quibus fructibus decretis illuc vsque, & in posterum decurrendum, minime censetur renunciatum per prædictum instrumentum Anni 1599. Quia cum prædicta renunciatio ex illo per necesse non inferatur minime censetur facta, *Butr. in capitul. accedentibus, num. 8. de priuileg. Dec. in capitul. cum accessisset. nu. 95. de constitut. Crauet. cons. 747. nu. 17. Dec. cons. 52. nu. 23. lib. 1.*

6 Sicut non censetur nouatum, nisi secundus contractus sit incompatibilis cum primo. *Bald. in l. fin. nu. 1. C. de nouat. Dec. in l. pacta nouissima. num. 2. C. de pact. Menochius de recuper. possess. remed. 9. num. 390. & 391. Gabr. 85. num. 3. & 4. libr. 1. Surd. cons. 145. num. 24. & seq.* Quod autem iste secundus contractus sit compatibilis cum primo, nec contineat aliquam renunciationem, patet, quia imo solidatio est facta in executionem primi, & pro declaratione illius, quod socer remanebat debitor occasione primi, & de renunciatione fructuum, nihil in hoc legitur. Circa illud an possit procedi executiue, vel ne fuit dictum esse extra dubium, & sic fuit decisum, &c.

REVEREDISSIMO P. D.

DAMASCENO.

Viterbien. Castrorum. Lunæ 29. Aprilis 1613.

ARGVMENTVM.

De probatione filiationis per tractatum, per nominationem, per inscriptionem lapidis, & per plures instrumentorum enunciatiuas.

SVMMARIVM.

Enunciatiuæ antiquæ supra centum annos habent vim famæ. num. 1. & si sint plures in pluribus instrumentis habent eandem vim, etiam quod non sint antiquæ supra centum annos. nu. 2.

Contrahens cum alio præsumitur informatus de conditione illius, cum quo contrahit. nu. 4.

Fraudis, siue simulationis suspicio omnis cessat, cessante interesse. num. 5.

Tractatus patris in filium, illum constituit in quasi possessione filiationis. nu. 3.

Filiatio probatur per inscriptionem lapidis factam à patre in sepultura filij. nu. 5.

Actus præsumitur factus de mandato illius, qui expensas subministrauit nu. 6.

Enuncietiuæ factæ in instrumento ad præsentiam alicuius maxime probant contra illum, qui fuit præsens. numer. septimo.

Filiatio maxime probatur ex testamento patris, qui aliquem tanquam filium hæredem instituit. nu. 4.

DECISIO CCCCLXXII.

1 FVit resolutum, constare de descendentia DD. Petri & Bartholomæi viuentium à quondam Bartholomæo Sancta crucio. Nam dictus quondam Bartholomæus habuit duos filios, nempe Petrum & Andream, vt colligitur ex instrumento anni 1486. in quo Iacobella vxor dicti Bartholomæi tamquam tutrix dictorum Petri, & Andreæ filiorum suorum emit quandam petia terræ. Item adsunt litteræ Alexandri Papæ VI. de anno 1496. concessæ eisdem fratrib. contra occupantes bona Bartholomæi eorum patris. Nec non adest aliud instrumentum anni 1502. in quo dd. fratres vocantur filij d. Bartholomæi, quæ quidem enunciatiuæ antiquæ supra centum annos habent vim famæ. *Castrens. in l. cum aliquis. nu. 6. C. de iure deliber. Alex. cons. 90. nu. 1. & 2. lib. 6. Butr. in capitul. cum olim. nu. 4. de cens. Aret. cons. 42. nu. 1. vers. 3. Soc. cons. 86. num. 2. lib. 1. Crauet. de antiquit. tempor. par. 1. versic. ampliatur nunc. nu. 8. 12. & 14. quæ in antiquis probat descendentiam. Alex. d. cons. 90. nu. 8. & cons. 88. nu. 7. lib. 7. Præposit. in cap. transmissæ. nu. 9. qui filij sint legiti. Dec. cons. 595. nu. 6. Alb. cons. 83. nu. 4. Cephal. cons. 137. nu. 45. Surd. cons. 1. nu. 48.* & fuit dictum in causa Lunen. Sarzanen. Cappellaniæ. 9. Iunij 1600. coram me.

2 Et Petro altero ex prædictis filijs ortus est Iacobus vt probatur ex instrumento anni 1535. in quo Petrus vti pater Iacobi sui filij, & illius legitimus administrator promittit eundem Iacobum contracturum matrimonium cum Hortensia filia Cyriaci Matthęi, eidemq; Petro tanquam tali soluitur tota dos, idemque Petrus nomine Iacobi filij donat certas pecunias Hortensię. Adest & aliud instrumentum de Anno 1543. in quo idem Iacobus liberat domum à quadam annua prestatione, quam Petrus illius pater imposuerat cũ pacto redimendi. Adest & lapis sepulchralis positus per d. Iacobum prędicto Petro tanquam patri. Nec non dantur alia duo instrumenta anni 1549. & 1555. in quibus Iacobus enunciatur filius Petri, ex quibus simul iunctis visum fuit probari istum gradum descendentię, & iam si prędictę enunciatiuę non sint antiquę, hoc est supra centum annos, vt regulariter requiritur, quod sint, *iuxt. decisionem Verall. 28. lib. 1.*

3 Nam prima non est simplex enunciatiua, sed tractatus Petri erga Iacobum tanquam filium, qui propterea constituit illum in quasi possessione filiationis ad cumulata per *Menoch. de arbitr. casu 89. n. 69. cum seqq.* & ad istum effectum fuit ponderatum in causa Veliterna Iuris patronatus 16. Februarij 1609. coram R.P. D. Caualerio.

4 Secunda pariter non est simplex enunciatiua, sed actus principaliter factus, & competens Iacobo tamquam filio Petri, nulla autem cadit verisimilitudo, quod illi qui contraxerunt cum eo, tanquam tali, hoc fecissent, nisi vere fuisset talis, quia contrahens cum alio presumitur informatus de conditione illius ad *regul. qui cum alio contrahit. cum ibi plene notatis per Scriben. ff. de reg. iur.*

5 Sicut etiam in scriptio lapidis sepulchralis non potest dici simplex enunciatiua, cum sit actus proportionabilis soli filio, & est plus quam inuerisimile, quod Iacobus in loco tam patenti, & exposito oculis totius populi voluisset se intitulare filium Petri, si vere non fuisset, cum maxime non appareat, quod aliquid sua interesset hoc facere, quo interesse cessante excluditur omnis suspicio fraudis, seu simulationis. *Bart. in l. eleganter. §. fin. ff. de dolo. Alex. cons. 127. nu. 12. lib. 4. Federic. de Sen. consil. 125. ad fin. Ruin. cons. 8. in fine, lib. 4. Crauett. cons. 319. nu. 5.*

6 Nec videtur dubitandum, quod lapis non fuerit positus de ordine Iacobi, vt cantat Scriptura, cum hoc fuerit factum cum multa expensa. Vnde actus præsumitur de mandato illius, cuius nomine cantat *iuxta not. per Innoc. in cap. nonnulli. nu. 7. de rescript. Rota dec. 2. de causa possess. & propr. in antiq. Cassad. dec. 3. nu. 4. de procur. Cæsar de Grass. decis. 3. eod. tit. Neuiz. cons. 19. nu. 8. in fin.*

7 Aliæ duæ enunciatiuæ sunt factæ in præsentia eiusdem Iacobi, quæ præsentia inducit magnam presumptionem veritatis circa, ea quæ de personis præsentibus enunciantur, & non sunt ad eorum vtilitatem, & honorem. *Innocen. in cap. cum in iure. num. 5. de offic. delegat. Vbi etiam Io. And. nu. 23. Anchar. in Clem. 1. nu. 4. & 7. in fin. de probat. Aret. in specie, in cap. per tuas. nu. 19. vers. circa illud. eod. tit.* non fuisset aut honorificum, sed immo contumeliosum Iacobo, qui vt ex circumstantijs apparet, se gerebat pro nobili, permittere, vt alius sibi pater adscriberetur, quam ille, qui vere erat vt in istis terminis ponderauit Rota in causa Maceraten. hæreditatis 13. Februarij 1609. coram R.P.D. Manzanedo. Et multiplicitas actuum etiam in materia recenti adminiculatur. *Soc. Sen. cons. 187. nu. 16. vers. confirmatur, lib. 2. Socin. iun. cons. 67. nu. 11. lib. 4. Ias. cons. 114. nu. 22. vers. præterea. lib. 1. Alb. cons. 9. nu. 11. & seq.* Rota in causa Romana dotis die 14. Decemb. 1601. coram me.

8 Et prædicto Iacobo natus est Petrus viuens, & quondam Martius, prout probatur, ne dum ex testamento d. quondam Iacobi, qui illos instituit hæredes vti tales, qui actus, cum sit maxime proportionabilis filio, multum confert ad probandam filiationem etiam cum extraneis. *Bald. in cap. ex transmissa. num. 4. de restitut. spol. Aretin. in cap. per tuas. num. 23. Felin. nu. 17. de probat. Præposit. in cap. transmissæ in fin. qui fil. sint legit. Alexand. cons. 88. num. 8. lib. 7. Ruin. cons. 53. num. 6. & 7. lib. 5. Natta cons. 235. num. 1. & seq. Cephal. cons. 48. num. 15. fuit dictum in causa Papien. Archipresbyteratus 28. Ianu. 1602. coram bon. mem. Card. Pamphilio.* Verum etiam dantur testes deponentes de tractatu Iacobi erga dictos Petrum, & Martium tanquam filios, & de communi denominatione, & reputatione apud omnes, quæ ratio sufficit, cum ex parte patris non detur certior probatio in materia filiationis. *Butr. in capit. transmissæ, num. 10. qui filij sint legit. Bald. in leg. non ignorat. num. 4. C. qui accus. non possunt. Alexand. consil. 88. nu. 7. lib. 7. Dec. consil. 54. nu. 1. in fin. cum seq. Surd. cons. 1. num. 46.*

9 Quod ex prædicto Martio natus sit D. Bertholomæus modernus datur fides Baptismi, & Secretarij militum Lauretanorum, deponunt ijdem testes, & est notorium in Vrbe. Et ita fuit resolutum, informantibus tantum prædictis DD. Petro, & Bartholomæo, cum Agentes Excellentissimi D. Virginij Vrsini, & DD. Valerij, & Antonij de Santacruce pluries citati non curauerint informare.

R. P. D. VEROSPIO.

Lucana Molendini. Veneris 22. Martij 1613.

ARGVMENTVM.

Conductor molendini, si molendinum ruat casu fortuito, & insolito, non tenetur ad illius refectionem, & quando in proposito dicatur casus insolitus & fortuitus.

SVMMARIVM.

Melioramenta facta in re conducta cedunt vtilitati Domini, quando sic conuentum est inter locatorem, & conductorem. nu. 1.

Conductores molendini si promiserunt molendinum manutenere, tenentur etiam ad dicti molendini refectionem. nu. 2. Declara, vt nu. 3.

Conductor molendini, etiam quod sit obligatus ad manuten-

tentionem molendini, non tamen per hoc tenetur ad ruinam molendini euentum ex insolito, & fuirtuito casu. num. 3. Vbi etiam bene declaratur, quando in proposito dicatur casus insolitus, & fortuitus.

DECISIO CCCCLXXIII.

1 CEnsuerunt Domini, iuxta decisionem iam emanatam expediendam esse causam respectu primæ ruinæ, de anno 1602. in molendino, de quo agitur, subsecutæ, non obstantibus his, quæ in memoralibus pro parte illorum de Braccijs deducebantur. Nõ enim releuat, quod isti de Braccijs tanquam molendini conductores ex conuentione teneantur solum in eo facere duo palmenta, Vnde cum ruina anni 1602. in tertio palmento, & sic in re ad Ecclesiam non pertinente fuerit subsecuta, ipsi ad illius refectionem non tenentur, quia cum dicti conductores in instrumento concessionis promisissent molendinum cum duobus palmentis ad minus reficere, Domini dixerunt istam restrictionem fuisse ad Ecclesiæ fauorem appositam, ne scilicet Braccij minus quam duo palmenta facerent, non autem vt plura efficere non possent. Vnde cum tria effecerint, tota Ecclesiæ fuerunt acquisita stante præsertim pacto expresso, quod illi melioramenta cederent, *Valasc. de iur. emphyt. q. 25. num. 18.* & sic eodem iure cum alijs duob. tertium palmentum censeri debet, vt fuit in hac causa dictum 27. Iunij 1611. coram bon. memoriæ Domino Pegna.

2 Minus obstat Braccios non fuisse obligatos ad reparationem molendini, quando subtus illud apparuit concauum. Vnde videtur hoc ad Ecclesiam spectasse, per *Bald. cons. 145. sub nu. 4. lib. 3.* quia imo fuit dictum, talem reparationem respicere manutentionem molendini, ad quam Braccij de iure tenebantur, vt fuit decisum coram bonæ memoriæ Domino Pegna. Et quamuis replicaretur id non procedere, vbi pensio correspondet rei in emphyteusim concessæ, fuit tamen responsum, quicquid sit de hac limitatione, satis esse in casu nostro non apparere fructus esse correspondentes. Vltra quod cum in instrumento conductores manutentionem expresse promiserint, videntur quoque ad refectionem obligati.

3 Nec valet dicere pactum manutenendi molendinum non comprehendere casus insolitos, & fortuitos inter quos veniet aquæ corrosio per *Surd. cons. 197. nu. 8. quia Surd.* loquitur, & est intelligendus de corrosione vi fluminis insolita proueniente facto naturæ, quæ humana ratione præuideri non potuit, iuxt. *Bal. in l. quæ fortuitis, C. de pignor. act. & alios Doctor. per ipsum Surd. allegatos, secundum quos ipse Surd.* debet intelligi quod casui nostro non applicatur, quia terræ corrosio subtus fundamenta paulatim secuta per continuũ cursum aquæ molendinum recto tramite percutientis, fuit vsque de anno 1595. & 1599. & præuisa, & ad instantiam ipsorummet de Braccijs in loco differentiæ per iudices prioris instantiæ, fuerunt deputati Periti, qui facta inspectione periculum retulerunt, nec non præscripserunt modum, & formam, quibus erat occurrendum pro molendini manutentiones. Hæc autem remedia cum Braccij non adhibuerint, & molendinum postea de anno 1602. absq; vllo impetu aquarum ceciderit ex solo fundamentorum defectu, ex continuo cursu aquę recto tramite molendinum percutientis, talis ruina, non potest dici casus insolitus, & fortuitus, sed culpa Bracciorum subsecuta, vt bene deducitur in decisione bon. mem. D. Pegnæ 23. Ianuarij 1610.

4 Nec releuat defectum corrosionis de anno 1595. & 1599. fuisse detectum circa fundamenta tertij palmenti, quod sicut Braccij non tenebantur ædificare, ita absque vlla culpa sinere potuerint illud corruere, nec ex negligentia in manutentione dicti palmenti absq; obligatione constructi, videntur esse in culpa ruinę aliorum palmentorum, cum illa non ex causa tertij palmenti, sed ex proprio defectu ceciderint. Nam vltra quod facta ædificatione fuit etiam super tertio palmento ius quæsitum Ecclesiæ, vt fuit dictum, & eodem modo Braccij tenebantur illud, ac alia duo manutenere, & conseruare, non est verum in facto defectum de anno 1595. & 1599. præuisum, & detectum fuisse tantum circa fundamentum tertij palmenti, sed hic etiam influebat in fundamenta omnium palmentorum, cum proueniret ex cursu aquæ, quæ recto tramite molendinum percutiebat, & cum refluxu à parte inferiori, terram excauabat subtus fundamenta non solum primi palmenti, versus aquam, sed aliorum etiam, vt apparet ex relatione Peritorum de anno 1599. & paulatim in dies procedendo subtus omnes muros terram corrosit, ita vt de anno 1602. fundamentis penitus excauatis absque impetu aquæ omnia palmenta in flumine existentia ciderint. Vnde Braccij non videntur excusari posse, cum in tempore non adhibuerint, vt debebant remedia à Peritis præscripta pro totius molendini conseruatione.

GLORIA IN EXCELSIS DEO.

FINIS TOMI PRIMI PARTIS PRIMÆ.



SACRAE ROMANAE ROTAE DECISIONVM A PROSPERO FARINACIO I. C. ROMANO SELECTARVM, NEC VNQVAM ALIAS IMPRESSARVM,

Partis Primæ Tomus Secundus.

R. P. D. PIROVANO.

Mediolanen. Decimarum. Veneris 22. Martij 1613.

ARGVMENTVM.

Decimę ad quam rationem, & de quibus fructibus soluendæ sint, & an, & quomodo exemptio non soluendi decimas præscribatur.

SVMMARIVM.

Decimæ sunt præstandæ ex decem, vnum, num. 1.
Decimæ sunt præstandæ de omnibus fructibus, nu. 2.
Decimarum exemptio sola immemorabili præscriptione non inducitur sine Apostolico priuilegio, vel priuilegij, fama, num. 3. & 4.
Consuetudo non vniuersalis, & non vniformis attendenda non est improbanda exemptionem Decimarum. nu. 5.

DECISIO CCCCLXXIV.

1 
CVm fuerit resolutum decimas spectare ad Ecclesiam, & Canonicos Sancti Donati, exinde dubitaui, ad quam rationem, & de quibus fructibus deberentur. Et quo ad primam partem dixerunt Domini à lege ipsa fuisse definitum de decem vnum esse pręstandum, *c. fin. de Paroch. c. commissum. cum seq. cap. cum homines, cap. ex p. il secondo, cum seq. c. in aliquib. de decim. c. de decimæ, in fin. 16. q. 1.* & hanc esse veram decimam, quæ Curatis persoluitur, dixit *Rebuff. de decim. quæstion. 3. nu. 25. & q. 8. num. 5.*

2 De quibus autem fructibus? fuit responsum de omnibus, *c. non est c. nuncios, cap. ex parte. il secondo, de decim. Henric. Boich. in c. peruenit. il terzo. de decim. Rebuff. eodem tract. quæst. 8. in princ. per tot. quæst.*

3 Neque Domini Moroni iuuari possunt ex allegatione præscriptionis, aut contrariæ consuetudinis, etiam immemorabilis ad probādum se esse exemptos à solutione decimarum, quia vbi agitur de exemptione à toto, sola immemorabilis non suffragatur ad præsumendum priuilegium fuisse obtentum ante Concil. Lateranen. Sed requiritur exhibito ipsiusmet priuilegij Apostolici, vel probatio famę priuilegijs, iuncta cum immemorabili, secundum magis communem opinionem, de qua per *Abb. & Innoc. in c. cum Apostoliaa. de his, quæ fiunt à Prælat. Felin. in c. causam, quæ. nu. 3. de præscript. Rebuff. de decim. q. 3. num. 69. Gabriel. de præscript. concl. 1. num. 16. & 18.* & vti communem sequuta est Rota in pluribus causis, vt in Toletana Decimarum, inter impressas 215. part. 2. diuers. in Pampilonen. Decimarum 26. Octobris 1589. coram bonæ memoriæ Cardinale Pamphilio, in qua firmatur procedere ad effectum, vt laici acquirere nō possint exemptionem quamuis non adsit tanta iuris assistentia, quanta ad hoc vt fiant capaces iuris decimarum, & plenis in Mediolenen. Rescissionis permutationis, coram eodem 21. Maij 1597. quorum neutrum ex deductis concurrere videtur.

4 Neque pro parte Dominorum de Moronis iustificatum fuit priuilegium, cum hæc resolutio capta fuerit, solo Ioanne Maria informante quinimo in præsenti fama priuilegij, vel etiā ipsa immemorabilis videbatur quasi improbabilis, ex quo Canonicus per instrumentum locationis, vsq; de anno 1439. apparet locasse cuidam Anselmino de Rochis decimarum ad suam canonicalem præbendam spectantem locorum, de quibus in dubio, quod tempus, cum sit citra Conc. Lateranen. consequenter cessare facit omnem præsumptionem concessionis ante Concil. prædictum.

5 Si vero agatur secundo loco de exemptione à tanto, & sic de parte fructuum, cum non appareat de cōsuetudine, aut obseuantia, quæ sit vniuersalis, iuxta decis. Mohed. 3. de decim. ac etiam, quæ sit vniformis, videtur, ex eo, quod fuerit vario modo solutum, non indu-

inducatur consuetudo, & in his terminis firmauit Rota in Mediolanen. Decimarum 5. Decembris 1597. coram Illustriss. Card. Mellino, Sequitur, vt non possint Domini Moroni iuuari beneficio temporis ad acquirendam exemptionem super quota decimarum, respectu bonorum, de quibus in dubio, &c.

REVERENDISS. P. DOMINO COCCINO DECANO.

Plocen. Canonicatus, 26. Martij 1613.

ARGVMENTVM.

Episcopus ad aliam Ecclesiam translatus, quando primę Ecclesiæ desinat esse Episcopus ante adeptam possessionem secundæ Ecclesiæ magistraliter in hac decisione explicatur materia.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus quando de vno Episcopatu transfertur ad alium absolui debet à Papa à vinculo Prioris Ecclesiæ, nu.1.*

Episcopus non dicitur vere translatus ad aliam Ecclesiam nisi post adeptam possessionem, nu.3. Declara, vt num.5. & seq. & num.16. & seq.

Episcopus translatus ad aliam Ecclesiam, vt post duo menses non teneatur restituere fructus, quos medio tempore percepit, requiritur translatio valida consensus, & pacifica possessio. num.3.

Beneficia Episcopi de vna in aliam Ecclesiam translati non vacant, nisi post ademptam possessionem Ecclesiæ ad quam Episcopus transfertur, num. 3. Declara, vt num.18. 19. & sequent.

Episcopus quando ob merita ad aliam Ecclesiam transfertur tunc absolutio à vinculo prioris Ecclesiæ intelligitur facta sub conditione, quatenus placuerit translato. nu.4. Declara, vt nu.21.

Episcopus vbi fuit translatus, ad aliam Ecclesiam de ipsius consensu statim dicitur translatus, etiam ante ademptam possessionem Ecclesiæ, ad quam fuit translatus. nu.5. & nu.16. & seqq.

Episcopus, qui de eius consensu fuit a Papa translatus ad aliam Ecclesiam desinit esse Episcopus primæ Ecclesiæ statim, & statim etiam perdit iura primæ Ecclesiæ, numer.6. & num.17.

Episcopus translatus ad aliam Ecclesiam etiam non ob utilitatem, aut necessitatem Ecclesiæ, aut ob merita, statim post translationem absque alio consensu perdit iura primæ Ecclesiæ. nu.6. & nu.16. & seq.

Episcopus quando transfertur ad aliam Ecclesiam pro vtilitate, aut necessitate Ecclesiæ, tunc Ecclesia dicitur vacare à die translationis etiam sine consensu Episcopi. numer.7.

Mandatum ex coniecturis probatur, n.8. & nu.10.

Mandati potissima coniectura est impensa. num.9.

Præsumptio vna producit aliam, quando vna venit in consequentiam alterius, nu.10.

Ecclesia non dicitur vacare vbi de ea fuit alius prouisus, & prouisionis literæ expeditæ. num.11.

Prouisus Apostolicus expeditis literis potest suam iurisdictionem administrare, & exercere etiam ante adeptum possessionem, nu.12. Declara, vt nu.13. & 17.

Imputandum est illi, per quem stetit non facere, id quod facere debebat, nu.14.

DECISIO CCCCLXXV.

1 Sanctissimus Dominus noster, sub die 14. Maij trãstulit Reuerendiss. D. Albertum Baranous Kj Episcopum Plocen. ad Ecclesiam Vladislauien. absoluendo illum à vinculo Prioris Ecclesiæ Plocen. iuxta formam, de qua per *Hostiens. in summa tit. de translatione Prælatorum, & morem Curiæ Romanæ, vt in cap. 2. de translat. Prælat. Ioan. Monach. in c. generali de elect. in 6. num. 10. vers. si aliquis habet Regalia. Ioan. Andr. in cap. quod ob gratiam. nu. 1. in princip. quæstionis de regul. iur. in 6. in Mercurial. & ibid. Franc. num. 3. in princip. Felin. in c. 2. num. 7. vers. pro ista limitatione, de constitut. Francisc. Marc. decis. mihi 1100. incip. quæritur de tali casu. vers. & maxime propter absolutionem vinculi. Abb. cons.* 101. *nu. 7. p. 2.*

2 Vnde cum die 21. Iunij sequẽtis eiusdem anni 1607. vacauerit vnus ex Canonicatibus dictæ Ecclesiæ Plocen. à qua Episcopus fuit translatus ad Vladislauien. Dubitaui an constaret de reseruatione dicti Canonicatus. Et cum Regula secunda Cancellariæ, quæ reseruat beneficia ad collationem Episcoporum spectantia, quæ post illorum obitum, aut Ecclesiarum dimissionem, vel priuationem, seu translationem, vel alias quomodocunq; vacauerint vsq; ad prouisionem successorum, & adeptam ab eisdem pacificam possessionem, videatur satis clara tota difficultas consistebat in eo. An ista translatio esset talis, vt propterea intraret reseruatio Regulæ prædictæ.

3 Et pro negatiua considerabatur primo. Quod quis non dicitur vere translatus, nisi post adeptam possessionem secundi. *glos. in c. si quis iam translatus 21. quæst. 2.* vbi intelligit illum textum, qui dicit. Quod translatus de vna Ecclesia ad aliam nihil habet commune cum prima, locum habere post adeptam possessione. *Bellam. ibid. num. 2. & melius colum. penult. ante num. 13. vers. item quæres.* Vbi si quis fuit translatus, & consentit post duos menses nõ tenetur restituere fructus, quos medio tempore percepit, quia requiritur translatio valida, consensus, & possessio pacifica. *Turrecrem. ibid. post principium. Archid. num. 1. in fin. Calder. consil. 1. num. 2. de translat. prælatorum. Felyn. cons. 40. num. 4. Rebuff. super concord. in Rubric. de Reg. ad prælat. nominat. facien. §. monasterijs in gloss. in verbo vacantib. vers. 6. etiam. Io. And. in d. c. quod ob gratiam. nu. 6. vers. item non dicitur translatus, nisi possessionem habuerit.*

Hinc videmus quod beneficia translati non vacant nisi post adeptam possessionem Ecclesiæ, ad quam transfertur. *Ioan. Andr. in c. cum in cunctis. num. 42. vers. ante consecrationem, & ibi Butr. in §. cum vero. n. 10. Ægid. pariter in d. §. cum vero nu. 24. Card. ibid. nu. 2. q. 7. Anchar. col. 7. q. 1. Henr. Boich. num. 1. circa finem. Collect. nu. 8. Dec. n. 10. Abbas n. 6. de elect.* Et dixit Rota in causa Veglen. pensionis 7. Maij 1571. coram bon. mem. Card. Lancellotto seniore.

4 Secundo, considerabatur, Quod quando translatio fit ob merita, absolutio à vinculo Prioris Ecclesiæ intelligitur facta sub conditione, quatenus placuerit translato, vt per *Io. Monachum. c. generali. n. 10. vsq. ad finẽ de elect. in 6. Io. Andr. in d. c. quod ob gratiam nu. 1. in q. vsq; ad finem. Franc. ibid. n. 3. vers. circa quam q. Butr. nu. 9. Abb. in c. cum nobis. nu. 5. vers. vnde facit ista. de elect. Felin. in c. 2. n. 1. vers. pro ista limitatione. de Constit. Io. Pauin. de offi. & pot. Cap. se. va. in vlt. prælud. n 7. vers. 3. per translationem.* Quibus locis dicunt prædicti Doctores. Quod Episcopus ante consensum non censetur translatus nisi appareat Papam voluisse inuitum illum transferre.

5 Prædictis tamen non obstantibus visum fuit Dominis constare de vera translatione, & sic intrare prędictam Regulam secundam, & propterea confirmandam Decisionem sub die 26. Martij 1610. coram Illustrissimo Domino meo Cardinali Lancellotto iuniore tunc Rotæ Auditore. Mouebantur Domini Primo, quia ista translatio fuit facta, de consensu ipsius translati, vt statim dicetur, & propterea nihil amplius habebat agere in prima Ecclesia. Ita elegantes Ioan. Andr. in dicto capite quod ob gratiam dicto numero quinto. Vbi quod si postulatio fiat à Capitulo de consensu transferendi, desinit esse Episcopus loci à quo transfertur, statim post ipsam translationem factam

ctam à Summo Pontifex non expectato aliter ipsius consensu, quia licet ignoret translationem sciuit tamen postulationem, & submisit se voluntati Papali. Et in istis terminis idem Io. Andr. probat dictum Ægidij Cremon. Quæ rationes bene concludunt ad presentem casum, quia idem est, quod quis eligatur, & postmodum à Papa confirmetur, & quod simpliciter à Papa eligatur, vt statim dicetur.

6 Et in puncto, quod translatus de eius consensu perdat statim iura primæ Ecclesiæ dicit *Abb. in d. cons. 101. num.3. & 4.* quem solum videre sat esset pro resolutione præsentis Articuli. *Bellamer. in d. cap. si quis iam translatus, num.11. colum.11. in fin. versic. quid dicendum,* & pro ista sententia possunt allegari infrascripti Doctores qui tenent. Quod in simplici in translatione, etiam non facta pro vtilitate, aut necessitate Ecclesiæ aut ob merita, statim post translationem absque alio consensu præcedente, aut subsequente, translatus perdat ius in prima Ecclesia. Ea ratione, quia in Episcopatibus contrahitur matrimonium spirituale. Et Papa transferendo absoluit à vinculo primæ Ecclesiæ. Quo circa facta absolutione, prima libera manet, nec ad eam datur regressus. *Hostien. in summ. de translat. prælat. num.6. versic. sed si Episcopus, & Goffred. pariter. in summ. eodem tit. sub numer.6. versic. vel quod verius puto. Calderin. consil. fin. circa princip. versic. & sic pronunciatum* Et huius sententię ex quatuordecim Auditoribus, qui tunc erant, octo fuere, vt refert *Bellamer. in dict. capit. si quis iam translatus, num.2. colum.10. in princip. versic. ad cuius quæstionis declarationem, & colum.11.* Quæ sententia licet sit controuersa, tamen negari non potest, quin Doctores prædicti concludant pro ista parte, quia statim volunt translationem habere effectum etiam absque consensu. Ergo multo fortius quando adest consensus. Hinc *Bellamer. superius allegat. num.12. col. 11. in fin. versicul. quid dicendum,* concludit cessare omnem disputationem, quando consensus præcessit, vel à die, qua consensus præstatur. Et huius sententiæ est Congregatio Illustr. Sacr. Concil. Trid. Interpretum, dum consulta, An capitulum potuit deputare Vicarium in generali à qua quis fuit translatus, si translatio fuit facta de ipsius translati consensu, etiam ante adeptam possessionem secundæ Ecclesiæ censuit, quod sic, vt in copia, quæ data fuit.

7 Et prædicta confirmatur. Quia si translatio fiat pro vtilitate, aut necessitate Ecclesiæ, ipsa incipit vacare à die pronunciationis, neque in hoc debet expectari consensus Episcopi, *Prob. in Monach. in dict. cap. generali, de elect. in 6. Abb. in cap. cum nobis, num.5. in fin. versic. secus vbi Papa. de elect. signo idem,* & multo fortius dicendum est, procedere si fiat de consensu ipsius Episcopi. In istis terminis consentiens nedum sibi præiudicat ex facto Papæ transferentis, sed etiam ex facto proprio præstando consensum, *c. quam periculosum 7. quæst.1. & c. ex transmissa. de renunciat.* Et in puncto ponderat *Abb. dict. consil. 101. nu.3. in fin. versic.* quia renunciantibus iura sua. Et merito quidem, nam, vt dictum est Papa absoluit à vinculo prioris Ecclesię, quo ille tenebatur, & transfert ad aliam, & tribuit facultatem transeundi, vt per Hostien. in summ. loco superius allegato, & propterea translatus cum sit absolutus à vinculo primæ Ecclesiæ, & sic acquisitum ius habeat in secunda, & cum ea contrahat matrimonium, cessat omne ius quod habebat in prima, alias esset sponsus duarũ Ecclesiarũ, & lederetur matrimoniũ spirituale, quod inter Spiritualẽ, & Ecclesiã cõtrahitur in cuius signũ defert annulũ, vt eleganter considerat *Abb. in d. cons. 101. n.5. in fin. vers. vlt. pro D. Adolpho.*

8 Quod autem translatio fuarit facta de consensu ipsius translati satis patet. Quia procurator dicti translati soluit annatam mille Ducatorum, & habuit literes expeditas, vt in fide annati flor. Ex quibus manifestissime apparet fuisse constitutum procuratorem ad hunc effectum. Mandatum enim ex coniecturis probatur. *Dec. consilio 36. numero octauo, in princ. Cæsar. de Graff. decis.2. nu.5. & 6. de reb. eccles. non alienan.*

9 Potissima autem coniectura est impensa. *Rot. decis. 1. in fi. de procurat. in nou. Marant. de ordin. iud. par.6. mem. 9. num.56.* Et fuit resolutum in causa Vigleualen. Locationis. 23. Ianuarij 1597. coram bone mem. Corduba, Episcopo Pacen. Et concurrunt etiam ferre ponderata in Decisione Illustrissimi Lancellotti, vnde resultat clarus consensus translati.

10 Quantum enim istud mandatum sit probatum ex pręsumptionibus, & regulariter ex pręsumptionibus non oriatur præsumptio. *glos. in l. 1. C. de do. promis. Ruin. consilio 90. circa finem. lib.1.* Secus tamen est, quando vna venit in consequentiam alterius, prout in casu isto, quia ex præsumpta Constitutione Procuratoris, in necessariam consequentiam resultat consensus, alias Constitutio Procuratoris fuisset frustratoria. *Christophor. Castillion. in repet. rubr. de verbor. oblig. nu. 9. Bart. in l. si is, qui pro emptore. nu.11. ff. de vsucap. & in l. sub condit. nu.3. C. quando liceat ab emp. discedere. Alex. consi. 117. nu.3. lib.5.* Et fuit resolutum in causa Rom. Domus in Burgo. 11. Februarij 1605. coram Reuerendiss. D. meo Sacrato Archiepiscopo Damasceno.

11 Secundo. Ex facto videbatur Dominis cessare omni difficultas. Nam ut dictum est Translatio fuit facta sub die 14. Maij, & sub die 23. eiusdem mensis Procurator habuit literas expeditas Episcopatus Vladislauien. & die 21. Iunij euenit uacatio Canonicatus Plocen. Quo stante, de tempore uacationis Canonicatus Plocen. Ecclesia Vladislauien. non dicebatur amplius uacare, cum de ea fuerit facta prouisio, & literę expeditę, ut fuit resolutum in causa Burgen. Canonicatus. 28. Ianuarij 1583. coram bonæ memoriæ Cardin. Lancellotto seniore. Ea ratione, quia uacatio Ecclesiæ durat, usque ad confirmationem electionis, quia sequuta non dicitur uacare. *glos. in Clem. 1. versic. collatio, vt lit. penden.* & ibi notat. *Imol. num. 20. versic. iuxta prædicta. Felin. in cap. cum Bertoldus. col.2. nu. 3. ver. dixit etiam. de re iudic. Pauin. de offic. & potest. cap. 1. par.10. prælud.7. num.16. in fin. Franc. in cap. quod sit. §. 1. num.1. de elect. in 6. Rot. decis.6. §. hoc etiam. de elect. in n.* Per quam confirmationem acquiritur exercitium iuris, quod dat electio. *glos. in c. quanto. dist. 63. Felin. in d. c. cum Bertoldus. nu.2. vers. quale ius. Abbas in c. transmissa. nu.2. circa finem. vers. item nota. de elect.*

12 Et si non datur prior electio, Ecclesia uacat usque ad prouisionem factam per Papam, prout est casus noster. Quia prouisio eiusdem Papæ habeat uim non solum electionis, sed etiam confirmationis, ita ut non obstantibus poenis *cap. auaritiæ. de elect. in 6.* possit Prouisus Apostolicus expeditis literis administrare, & exercere suam iurisdictionem. *Felin. in cap. eam te. col.3. num.5. versicul.3. extende. de rescript. vbi Rip. num. 11. Abb. num. 2. in fin. de elect. in 6. Pauin. in alleg. tractatu. par.3. c.44. nu.5.* in tantum, quod Capitulum non potest se amplius immiscere in iurisdictionem, cum non dicatur amplius sedes uacare, ut notat. *gloss. in Clemen. 1. §. propter. versicul. sede vacante. de hæred. vbi Imol. num. 9. versic. gloss. vacante. Cardin. in §. in fine. Abb. in versic. ecclesia. Vital. num.176. Pauin. dic. prælud.7. num. 14. Feli. in c. ne Dei timorem. num.3. versic.4. limita, de simo. Syluan. de benefic. quæst.2. quæst.15. in princ. Abb. in cap. qualiter. in principio. not. de elect. Cassad. decis.8. num.5. de restitut. spoliator. Puteus decisione 277. lib.3.* Et inde fit, quod cum secunda Ecclesia amplius non uacaret, sed Episcopus esset effectus sponsus eiusdem secundę, cessabat ius quod habebat in prima ecclesia, patet ex supra deductis.

13 Et licet uerum sit prędicta habere locum non solum post expeditionem literarum, uerum etiam post pręsentationem dictarum literarum factam Capitu-

lo, vt habetur in nouo iure in extrauagan. iniunctæ, de elect. ita vt totum, quod antea fieret esse irritum, & inane, vt disponitur in d. extrauaganti, ibi, nulliq; eos ante dictarum litterarum ostensionem recipiant. Et in vers. sequenti, si forsan contra præsumptum fuerit, irritum habeatur. Et prædicta adeo vera sunt quia Doctores prædicti non excludunt ostensionem literarum, imo illam præsuponunt, ex quo ad id probandum, allegant dictam extrauagantem, quæ expresse disponit, vt ostensio fieri debeat, & dictum Doctor. debet intelligi secundum legem, quam allegat. *Bart. in l. non solum. §. liberationis, verbo. ff. de liber. leg. & ita declarat Rebuff. in praxi. benefic. in tit. de simon. res. num. 31. Dec. in reg. extr. de constit. in 1. lect. num. 42. Vital. in d. Clem. 1. §. porro. num. 30. Felin. in cap. 1. de præscript. num. 2. & in cap. cum te. colum. 3. num. 6. versic. sed caue. de rescript. Abb. in c. nosti, nu. 4. de elect. & in c. nostra. nu. 11. col. fin. vers. dixit tamen. de rescript.* vbi dicit hoc esse notandum, quia multi in hoc erant. Et ita fuit resolutum in dicta causa Burgen. Canonicatus 3. Iunij 1583. in prima decisio declarat fuit.

14 Attamen considerabant Domini; Quod procurator Episcopi habuit literas expeditas die 23. Maij 1607. quæ computabatur sub die Mercurij, & cum quolibet Sabbato scribatur ad Ciuitatem Cracouien. & literę tempore æstiuo recipiantur intra decem, & octo vel decem, & nouem dies, vt in pluribus epistolis ostensis, calculatis his diebus, literæ expeditæ potuerunt esse in Ciuitate Cracouien. die 14. Iunij, cum vero Ciuitas Plocen. distet per 40. milliaria à Ciuitate Cracouien. & septem milliaria à Ciuitate Vladislauien. vt patet ex mappis impressis, cum mensurationibus, vtique intra dies remanentes, à die 14. vsque ad 21. Iunij quo successit vacatio dicti Canonicatus literæ potuerunt notificari Capitulo Vladislauien. maxime cum collatio eiusdem Canonicatus non fuerit facta per Episcopum nisi post 30. eiusdem mensis Iunij. Vnde cum hoc non fecerit Reuerendissimo trãslatus, sed per ipsum steterit sibi est imputandum, *leg. quod quis ex sua culpa. ff. de regul. iur. c. damnosum. de regul. iur. in 6. Mandos. cons. 8. nu. 12.* Et ideo debet intrare reseruatio. Reg. Secundæ.

15 Neque huic motiuo obstat, quod etiam si Reuerendissimus translatus præsentasset literas, & propterea habuisset iurisdictionem, non tamen habuit circa collationem beneficiorum, ex quo Reg. secundæ, reseruat illorum collationem, vsq; ad actualem possessionem prouisi. Quoniam hic non est agendum de ista quæstione, & quid voluerit facere regula secunda. Sed satis est, quod & secundum rigorosam sententiam post translationem, ac literarum expeditionem, & præsentationem factam Capitulo translatus nihil amplius habeat agere in prima Ecclesia ad effectum, vt intret dispositio Regulæ secundæ, vt supra dictum est.

16 Non obstant in contrarium adducta. Et primo, quod quis non dicitur vere translatus ante adeptionem pacificæ possessionis secundæ Ecclesiæ. Nam fuit responsum, quod stantibus prædictis consideratis in primo fundamento decisionis, Dubitari posse de dicto glossæ, & aliorum supra allegatorum, quatenus essent intelligendi de vera translatione, & non absiua. Sed vere glossa loquitur in abusiua translatione, vt patet ex verbis illis, ibi, & intellige quando est translatus de auctoritate Episcopi sui, prout in istis terminis ibi loquitur *Bellamera ibidem, num. 2. Turrecremata, & Archidiac. Calderinus vero loquitus in alys terminis, prout, & Felinus, & Rebuffus simpliciter refert glossam*, ita vt solum de vera translatione videatur loqui. *Ioan. Andreas, & Bellamera, nu. 13. vers. item quæres.*

17 Sed etiam omisso, vt discutiatur, quænam sit vera istarum opinionum, dicebatur in hac facti specie scilicet, vt translatus, non haberet amplius iurisdictionem in prima Ecclesia, & sic quod non possit conferre Canonicatum, ita vt intraret sub reseruatione regulæ secunde, cessare omnem difficultatem. Quia pro administratione iurisdictionis Episcopalis, non est necessaria adeptio possessionis Ecclesiæ circumscripta consuetudine secundum glossam communiter approbatam, *in cap. penult. ver. collatio. de præbend. in 6. Couarru. variar. resolut. libr. 3. cap. 16. num. 1. Abb. in cap. transmissa, num. 3. vbi de commun. de elect. Felin. in c. eam te. colum. 3. versic. & hinc est. de rescript. & in cap. ne det timorem. num. 2. versic. 4. de sim. Petr. de Bais. de elect. par. 3. cap. 44. num. 4. Franc. in c. cum qui. §. insuper num. 6. de præbend. in sexto, Gemin. in cap. si elect. num. 6. de elect. in 6.* Et fuit resolutum in dicta causa Burgen. Canonicatus, sed sufficit expeditio literarum, & earum præsentatio facta Capitulo, vt supra dictum est. Et ideo non debet prodesse Reuerendiss. translato, dum fuit in culpa, non est ostendendo dictas literas.

18 Non obstat corroboratio, quæ fuit supra deducta, ex eo, quod beneficia translati non vacant nisi post adeptam possessionem Ecclesiæ ad quam transfertur. Nam hoc prouenit ex eo, quia ista beneficia non vacant per absolutionem à vinculo, prout vacat primus Episcopatus, sed per assecutionem secundi Episcopatus, *gl. in c. cum in cunctis, §. inferiora vers. ad quem spectant. de elect. & in c. de multa, in vers. post receptionem, de præbendis*, licet alia beneficia, statim possint impetrari, & euentus doceat, an impetratio fuerit bona. *Castr. cons. 265. vol. 2. per tot.*

19 Aliqui etiam ex Dominis dicebant, quod licet de stricto iure, beneficia translati, non vacent nisi post adeptam possessionem Episcopatus ad quem transfertur: Tamen secus est de stylo Curię, quia ad effectum Prouisionis beneficiorum, statim Episcopus habetur pro translato etiam ante adeptam possessionem Episcopatus. *gl. in Clem. duobus in verb. collatio. in fin. vt lit. penden. Cardin. in consil. 10. num. 4. Roman. cons. 345. nu. 17. versic. in Romana vero Curia. Mandos. ad eundem Roman. cons. 335. in 1. additione Abbas in cap. cum in cunctis. §. cum vero. num. 3. Dec. num. 7. de elect. Card. in clem. 1. num. 22. vers. pono. vt lit. pendent. Gig. de pensionib. q. 56. num. 3. in fin. Staphil. de lit. pendent. Gig. de pensionib. q. 56. num. 3. in fin. Staphil. de lit. gra. fol. 69. secundum paruam impressionem, vers. secundus casus. Felin. in tract. quando. lit. Apost. col. 8. num. 28. versic. & benè.*

20 Hæc tamen responsio non placebat omnibus Dominis, quia dicebant dictum stylum oriri ex eo, quod Papa plerumque solet facta promotione, siue translatione, decernere statim beneficia debere vacare, sed quando non reperitur hoc decretum apositum tunc cessat stylus, & constat, quod Papa vult seruare ius cõmune. Hinc nonnulli Doctores dicunt, quod interdum Papa solet apponere hoc Decretum, *vt Io. Andr. in c. cum in cunctis. num. 42. de elect. Butr. nu. 11. collect. nu. 8. Imol. nu. 5. Card. q. 7. Ana. in Clem. 1. in fin. glo. in ver. collatio. vt lit. pend.* & ita in indiuiduo dixit Rota in dicta causa Veglen. pensionis 7. Maij 1571. Et ob id omnes Domini transibant cum primo motiuo.

21 Non obstat secundum obiectum, scilicet. Quod quando translatio fit ob merita, Absolutio à vinculo prioris Ecclesiæ intelligitur facta quatenus translato placuerit. Nam omisso, quod Hostiensis, Goffredus, & alij supra citati tenent contrarium, fuit responsum. Quod opinio prædicta, habet locum in translatione facta inuito episcopo, ob eius merita, & propterea translatio, & absolutio intelligitur facta quatenus illi placeat, cum intentio Papæ, sit complacere translato *Ioan. Monach. in d. c. generali. nu. 16. de elect. in 6. & late comprobat rationibus Ioan Andr. in prædicto c. quod ob gratiam. nu. 5. vers. sed si Papa. de regul. iur. in 6. in Merc. Franc. ibid. n. 3. vers. circa q. Abb. in c. cũ nobis, n. 5. de elec. & alij sup. alleg. in obiect.* & expresse quod cessat d. cõditio, quãdo trãslatio fit de cõsẽsu ipsius trãslati di-

cit

cit Abbas in sæpius allegato consilio 101. num. quarto. Et ratio est in promptu. Quia cum translatio fuerit facta de consensu Episcopi, videtur voluisse,& cōsensisse, vt ante omnia absoluatur à vinculo, quo primæ Ecclesiæ tenebatur tenebatur, ita *Abb. loco proxime allegato. num.3. versic.sed olim Episcopus Spirensis.Ioan. Andr. & Franch.in d.c.quod ob gratiam.supra allegato*. Et ita fuit conclusum.

R. P. D. VBALDO.

Turritana Bonorum. Lunæ 22. Aprilis 1613.

ARGVMENTVM.

Possessorij causa terminanda prius est, quam causa petitorij, etiam quod in commissione Rotæ sit datum arbitrium,nisi adsit aliqua causa sic arbitrandi. Cetera videas in Summarijs.

SVMMARIVM.

Arbitrium Rotæ datum regulatur à iure. nu.1.
Possessorij causa terminanda prius est, quam petitorij. numero 1.
Possessio probatur per publicum instrumentum ad quemcumque effectum. num.2.
Pater mortua vxore præsumitur continuare possessionem in bonis dotalibus filio instante superstite ratione vsusfructus & legitimæ administrationis. nu.2.
Pater habet vsumfructum in bonis dotalibus mortua vxore cum filio etiam post mortem filij.nu.2.
Possessio nemini auferenda est possessore non citato. num. 3.
Possessio posterior præsumitur clandestina,& non potest impedire manutentionem anterioris possessoris. nu.4.
Assertioni Notarij contra, tertium absentem à stipulatione contractus non creditur. nu.5.
Possessorij causa t erminanda prius est, quam causa petitorij, etiam quod Rotæ sit datum arbitrium,quando nulla adest causa sic arbitrandi. nu.6.& 7.

DECISIO CCCCLXXVI.

1 FVit dictum,non intrare arbitrium ad effectum cumulandi petitorium cum possessorio summatijssimo retinendæ. Quia arbitrium regulatur à iure.*Bart. in extrauag. ad reprimendum in verb. videbitur uumer. 8. Cæs de Graff. decis.7. num.7. & decision. 8. num. 2. & 4. de sentent. & re iudic.Rot.dec. 349.sub nu.1.part.1. diuers*. De iure autem prius debet cognosci causa possessorij, quam petitorij, *l.ordinarij.C.de rei vendicatione.l.incerti. C.de interdictis*.

2 Præsertim cum Dominus Michael doceat de sua possessione constante matrimonio capta per publicum instrumentum,quod bene probat ad quemcunque effectum, *l. prædia.ff. de acquirenda possessione Rota decision.62.num. 1. par. 2. diuers.* & post mortem vxoris superstite filio infante præsumitur continuata ratione vsusfructus, & legitimæ administrationis, *l. cum oportet. C. de bon. quæ lib.* qui vsusfructus durat etiam post mortem filii viuente patre *l. vltima.§. sin vero defuncta persona Cod. ad Tertull.l.vltima. Cod. de vsufructu. gloss.in l.3. C.eodem tit. Pinell.in l.1. par.1. num.39. Cod de bon.mater. Surd. de communi. consilio 116. numer. 46. & seq. libr.1.*

3 Et ideo possessio horum bonorum,quæ erat penes patrem mortuo filio in infantili ætate non potest dici remansisse vacua,saltem ad effectum, vt tanquam vacua potuerit per alium occupari prætendentem successionem in dictis bonis possessore non citato. *gl. in c.licet Episcopus,in verbo , non vocato , vers. hinc est.de præbend.in 6. Crescent.dec.7. de restit. spoliat.* & fuit in similibus terminis decisum in causa, Vrbeuetana Castrorum 27. Maij, 20. Iunij 1609. coram bon. memor. Cardinale Seraphino.

4 Et ideo non obstat possessio capta nomine Archiepiscopi post mortem infantis absque eo, quod fuerit citatus Michael eius pater, & possessor bonorum, tū quia tanquam posterior habetur pro clandestina, & turbatiua, *cap. licet causam. de probat. Rota decis.27. num. 7. & decis.506. num.5.par.1. & decis.19. num.1. par. 2. diuersor.* quæ propterea, non potest impedire manutentionem Michaelis, quem non constat se habuisse pro spoliato,iuxta *dec. Put.419. in fin.lib. 2.* & fuit sæpè dictum in alijs.

5 Tum quia de possessione Archiepiscopi non videbatur constare,nisi ex instrumento adeptæ possessionis per eius pretensum Procuratorem,de cuius mandato non constat licet enuncietur per Notarium rogatum de adepta possessione, cuius assertioni in hoc non statur contra tertium. *Cagnol.post alios in authent. si quis in aliquo num.72. & sequentib. Vbi de communi. C. de eden. Angel.in l.si donatio. vers.& ideo,si Notarius, C.de donat.Decius cons.503.nu.2.in fin.& num.3.*

6 Quibus stantibus non videbatur esse locus arbit rio ad effectum supradictum, cum nulla adesset causa quæ id suaderet,vt fuit in istis terminis resolutum in causa Montis Falisci Cappellaniæ 13.Ianuarij 1606.coram Illustrissimo Cardinali Lancellotto. Vbi quod stet commissione, prout hic, cum facultate cognoscendi possessorinm, & petitorium simul debet prius cognosci de possessorio, si de eo prius constat,ex decisionibus ibi allegatis.

7 Non obstat decisio in Romana Cottigij,coram Reuerendissimo Damasceno ex aduerso allegata, quia vltra quod procedit, quando possessorium est turbidum,vt fuit dictum in Mantuana bonorum. 16. Decembris 1611. coram me. Loquitur etiam, quando pendet possessorium recuperandæ quo casu solet facilius Princeps committere, vt simul de possessorio, & petitorio cognoscatur. *Capic.decis. 69. num.13. Aym. cons.181. nu.13. & seqq.* secus in possessorio retinendę. *Rot.dec.99.nu.6. par.1.diuers.*

8 Quæ dicebantur de statuto, & pacto de quo in instrumento dotali præterquam quod non carebant difficultate ex allegatis per Informantes pro Michaele videbantur Dominis respicere petitorium. Et ita fuit decisum,&c.

R. P. D. VBALDO.

Terulan. Decimarum. Veneris 15. Martij 1613.

ARGVMENTVM.

Episcopus de iure habet assistentiam percipiendi quartam Canonicam ex Parochialibus etiam contra Equites Hierosolymitanos, possessionisque manutentio non debet impediri per exceptionem requirentem altiorem indaginem.

SVMMARIVM.

Mandatum de manutenendo dandum est possessori tempore motæ litis. nu.1.
Episcopus de iure habet assistentiam percipiendi quartam canonicam ex Parochialibus etiam contra Equites Hierosolymitanos, nu.2.
Possessoris manutentio non debet impediri per exceptionem requirentem altiorem indaginem. nu.3.

DECISIO CCCCLXXVII.

1 FVit resolutū,articulos releuare ad effectū cōcedēdi manutētionē Episcopo in quasi possessione percipiēdi quartā canonicā etiā parochialib.spectātib.ad ce-

ceptoriarum Religionis Hierosolymitanæ. Quia alias Rota resoluit intrare arbitrium, ad effectum, vt dicti articuli habeantur pro probatis, illi autem comprehendunt, tum quod istæ Parochiale sunt intra limites Episcopatus Terulen. tum quod Episcopus Terulen. post erectionem dictæ Ecclesiæ in Cathedralem,& ante dictam erectionem, Archiepiscopus Cæsaraugustanus sunt in antiquissima possessione percipiendi dictam quartam Canonicam ab immemorabili tempore,qua stante quasi possessione,etiam de tempore motę litis,quod bene percutit articulus competit Episcopo absque difficultate manutentio. §. *retinendæ.§. hodie. Institut. de interdict. cum vulgar.*

2 Quam manutentionem eo facilius concedendam esse Domini dixerunt, quia Episcopus habeat iuris assistentiam super dicta quarta. *cap.omnes Basilicæ. q.7. c. conquerente. de offic. ord. in cap.1. de Cappellis Monachorum. Rota de communi apud Cantuccium decis.31. num.5. vbi late hoc,par.2. diuers.*etiam contra Equites Hierosolymitanos *Hostiens. in c. cum contingat. num. 1. de decim. vers. secundum, & in dict. capit. conquerente. numer. 15. de offic. ordin.*

3 Non obstat priuilegium exemptionis, quia tanquam requirens altiorem indaginem, & respiciens petitorium, non debet impedire manutentionem, vt fuit resolutum in Carthaginen. Decimarum. 27. Iunij 1590. coram Gipsio, & in Abulen. Decimarum,21. Maij 1600.coram Pegna. Et ita fuit decisum,Episcopo solum informante,&c.

R. P. D. PIROVANO.

Romana pecuniariæ, siue arresti. Lunæ 22. Aprilis 1613.

ARGVMENTVM.

Arrestari an, & quando possit prætensus debitor in carceribus, lite præsertim pendente, & non ab eo iudice, coram quo lis non pendet, & pro debito non liquido.

SVMMARIVM.

Debitor in carceribus arrestari non potest pro debito non liquido. num.1.
Debitum administratoris, seu socij non potest dici liquidum nisi finita societate, & calculis soliditatis. nu.2.
Attentata lite pendente in primis, & ante omnia reuocanda sunt. num.3.
Arrestum fieri etiam potest lite pendente, num. 4. Declara, vt num.5.
Arestari non potest debitor in carceribus ab alio iudice,quam ab eo, coram quo pendet causa, nisi fuerit periculnm in mora. num 4.

DECISIO CCCCLXXVIII.

1 DOmini venerunt in eam sententiam, D. Pompilium pro summa Scutorum 8500. non potuisse arrestari, quia non fuit probatum creditum esse liquidum, prout necessarium erat ad istum effectum. *Bald.in l.apertissimi. in fin. Cod. de iudic. Neuizan.cons.52. num.13. Grat. cons.138. numer. 5. libr. 2. Natt. consil. 430. num.8. & seq.*

2 Quamuis enim D. Guicciardini prætendant ratione affictus veteris bonorum Sanctæ Floræ fuisse in ea summa liquidatum per laudum bon.mem. Octauij de Bubalis,tamen cum ex noua conuentione inter bonæ memoriæ Philippum,& eundem Pompilium ex apocha,quæ dantur in Summario, *numer.1.* fuerit actum, vt eadem Scuta 8500. respectu participationis remanerent pro capitali in nouo affictu eorundem bonorum, qui adhuc durat, merito tanquam suppositum damno euentuali, & diminutionis,& deperditionis dici non potest liquidum,nisi finita societate, & calculis positis,ex quibus possit apparere,an in totum, vel pro parte damnum absorbeat capitale. *Bald. consil. 61. num.1. volum. 2. & consil. 214. volum. 2.* dicens, Prætorem de re dubia non debere incipere ab exequtione *Anchar.cons.235.*idem affirmat propter incertum exitum rationis reddendæ.

3 Vnde cum lis ratione noui affictus pendeat in Rota,vt patet ex commissione,quæ datur satis iustificatura istud creditum esse comprehensum sub lite in Rota pendente, & consequenter omnia, quæ coram alio iudice gesta fuerunt pro huiusmodi credito consequendo esse attentata in præiudicium litis pendentis *tot. tit. vt lit. pend.* & ideo in primis, & ante omnia reuocanda. *c. non solum. vbi omnes,de appellat.in 6. Rota decis.6. vt lit. penden. in nou. Cassad.decis.3.numer.1.de restitut. spoliat.*

4 Non obstat, quod arrestum fieri etiam possit lite pendente absque vitio attentatorum. *Lancellot. post alios de attent. 2. p. limit.9. per tot.& declarat.4. n.24.*quia vltra, quod huiusmodi arresta ab alio iudice,quam ab ipsamet Rota iudice competenti, concedi non poterant *gl. in l.2. in verb. accipere. ff. de iudic.Rolan.post alios cons.65. nu.5. in fin.lib.3. & Thessaur.dec.220. n.1.*nisi periculum fuisset in mora,quæ necessitas non fuit probata, est præterea necessaria iustificatio causæ, quæ consistit in eo, quod creditum sit liquidum,cuius cognitio absq;vitio tttentatorum separari non potest à causa principali super affictn nouo in Rota pendente.

5 Demum non obstat, quod arrestum factum non fuerit ad effectum,vt capitale restitueretur pendente locatione,sed tantum,vt assecuraretur,ne illud à posterioribus creditoribus auferatur. Nam huiusmodi assecurationes lite pendente Rota nunquam admisit, vt pluries fuit decisum,& signanter coram bon.mem. Pegna in Venet. Pecuniaria 17.Iunij 1605.& in hac eadem causa coram me,inter eosdem Guicciardinos,& Pompilium die 28. Ianuarij 1611.

REVERENDISS. P. D. COCCINO.

DECANO.

Interamnen. Legitimarum. Lunæ 22. Aprilis 1613.

ARGVMENTVM.

Legitima filiorum in bonis confiscatis patre bannito,& capitaliter condemnato debet esse dimidia bonorum,& quando legitima prohiberi possit à testatore,& quando mater transiens ad secunda vota non petito tutore filijs,eorum hæredit ate priuetur.

SVMMARIVM.

Mater ab intestato succedit filijs excluso patruo.num. 1.
Legitima filiorum patre bannito, & eius bonis confiscatis est dimidia hæreditatis,etiam quod vnicus,aut duo sint filij. nu.2. & 3. & nu.6.
Legitima patre bannito, & capitaliter condemnato debetur filijs à die condemnationis, & confiscationis bonorum, & non à die mortis. nu.4.
Præscriptio quadriennalis ex l.bene à Zenone.C.de quadrien. præscript.quomodo procedat. nu.5.
Legitima in bonis auiæ paternæ nepti debetur. n.7.
Legitimæ renunciatio non sufficit tacita,sed debet esse expressa. num.8.
Legitima quando,& quomodo possit prohiberi.nu.8.
Mater transeundo ad secunda vota non petendo tutorem filijs an,& quando filiorum hæreditate priuetur, nu.9.

DE-

DECISIO CCCCLXXIX.

1 SCipio Castillus maritus Victoriæ, ex ea suscepit Agapitum, & Hierium secundum filios, & postmodum fuit bannitus, eiusque bona confiscata durante adhuc banno suscepit ex eadem Victoria Alexandrum quem Diana auia paterna vna cum Annibale filio, & patruo respectiue hæredem instituit, eundemque Annibalem filium prædicto Alexandro nepoti substituit. Vnde defunctis dictis filijs Victoriæ, cum Diana reportauerit cessionem bonorum à fisco,& ea peruenerint ad Annibalem filium ex institutione, & substitutione prædicta, dubitaui, an Victoria mater possit agere primo ad legitimam debitam Agapito, & Hierio in bonis confiscatis, & an secundo possit agere ad legitimam debitam Alexandro in bonis Dianæ auiæ maternæ, & Domini affirmatiue resoluerunt. Mater enim succedit ab intestato filijs excluso patruo. §. 1. *Instit. ad Tertull. auth. defuncto. C. eod. tit. cum alijs*.

2 Quod autem Agapito, & Hierio secundo filijs deberetur legitima in bonis patris confiscatis indubitati iuris est. *l. fin. C. de bon. præterit. l. 1. cum ratio. ff. de bon. damn.* quæ quidem legitima, licet essent tantum duo filij, prout idem est dicendum si fuisset vnus, cum agatur de bonis confiscatis, est semis, nam licet regulariter legitima sit triens, quando filij non excedunt numerum quatuor, semis autem si excedunt *Authen. nouissima. C. de inoffic. testam.* secus tamen est, quando agitur de bonis confiscatis, tunc enim est semis, vbi adsunt duo, vel vnicus filius. *l. fin.* ibi dimidia parte ærario vendicata alia eis reseruatur. *d. l. cum ratio. §. si plures. & ibi gloss. Odoffred. & Salyc. late Rol. consi. 97. nu. 30. lib. 2. & Modern. Eugubin. consilio 110. num. 7. & seqq. lib. 1.* & habetur in quodam *tractatu de iur. fisci. lib. 5. tit. 1. num. 38.* & de communi *Plot. cons. crim. diuers. 130. nu. 87. lib. 1. Moder. Roman. de delictis. quæst. 24. num. 37. & seqq. Thes. decis. 104. num. 2.*

3 Neque releuat, quod *Clar. in prax. §. fin. quæst. 78. nu. 26. dicat*, prædictam opinionem in practica non seruari, sed quod etiam in casu confiscationis filijs debeatur legitima, prout alias de iure, quia *Clar. loquitur* de consuetudine particulari, non vniuersali allegat *Cassaneum*, qui nihil tale dicit, loquitur contra textum, vt bene aduertit, & considerat *Modernus Eugubin. d. consi. 110. num. 17. vol. 1.*

4 Neque facit, quod de tempore obitus patris erant plures filij, & quod in omnem euentum Agapito, & Hierio debuit succedere *Alexander vna cum matre. auth. de hæred. ab intest. §. si igitur. il primo.* Nam ad priorem difficultatem fuit responsum, quod ad hanc deductionem legitimæ non est spectanda mors patris, sed confiscatio. *Roland. d. cons. 97. num. 78. lib. 2.* & dicit communem *Author tractat. de iure fisc. vbi supra num. 37. per text. in d. l. 1. ff. de bon. damnat.* ibi portionem ex bonis patr. damnat. accipiunt. Ad posteriorem vero difficultatem fuit responsum, esse veram, sed non releuare, quia Victoria est hæres *Alexandri*, *vt supra dictum est*, & ideo ei debet succedere etiam in ista portione, quam prætendere poterat ex persona fratrum. *& in d. §. 1. Instit. ad Tertul. cum alijs*.

5 Neque in hoc casu videbatur obstare quadriennalis præscriptio, *ex text. in l. bene à Zenone. C. de quadrien. præscript.* quia ille textus procedit, quando filius vendidit bona confiscata, tanquam sua, & ab ipso possessa. *Alex. cons. 52. num. 5. & 7. lib. 7. Grammat. decis. 65. num. 79. & habetur in d. tractatu, de iure fisci lib. 6. tit. 4. numer. 18.* in casu autem isto fiscus nunquam possedit bona, & in omnem euentum filijs competeret restitutio aduersus prædictam prescriptionem, cum essent minores, vt in prędicto *tract. de iur. fis. loco proxime allegato. num. 18. limit. 16.*

6 Nec etiam releuat, quod fiscus assignauerit legitimam istis filijs, quia cum non fuerit semis, sed solum triens non dato illis curatore negari non potest, quin eis, & sic matri sit subueniendum per viam restitutionis in integrum stan. læsione ista, vt in dicto tractatu de iur. fis. loco iam allegato.

7 Quantum attinet ad secundam legitimam, quod debeatur Victoriæ in bonis Dianæ auię paternę Alexandri filij ex persona ipsius Alexandri pariter visum fuit iuris indubitati authen. de hæred. ab intestat. venien. §. 1. *Cras. de successionibus. §. legitima. quæstione 4.*

8 Neque releuat, quod Diana prohibuerit legitimam Alexandro, & alias censeretur in illa tantum institutus, quia licet pater relinquendo filio vltra legitimam possit illam prohibere hoc addito, quod ipso recusante censeatur institutus tantum in legitima. *Socin. iunior. consil. 122. num. 8. & sequentib. lib. 1. Dec. consil. 687. num. 2.* & fuit deductum in causa Romana Legitimæ. 11. Decembris 1609. coram R. P. Domino meo Manzanedo, attamen prædicta non militant in casu isto, quia licet testatrix fuerit talem prohibitionem nihilominus ad instantiam Annibalis filij voluit Alexandrum, postquam esset maior factus teneri ratificare testamentum, quam quidem instantiam nunquam apparet esse factam, & per consequens Alexander non fuit in mora, & prohibitio non afficit. *Modern. de fideicomm. artic. 36. nume. 84. & sequentib.* nec ex agnitione hereditatis potest dici renunciasse legitimæ cum requiratur expressa renunciatio, & tacita non sufficit. *l. si quando. §. & generaliter. ff. de inoffic. testam.* & cum pluribus relatis dixit Rota in dicta causa Romana legitimæ, coram R. P. D. meo Manzanedo.

9 Minus facit, quod generaliter opponebatur, videlicet Victoriam transijsse ad secunda vota non petendo tutorem filijs, quia hoc non probatur, cum tamen deberet probari. *Osasch. decis. 58. numer. 8.* & deberet probari, quod post annum transierit ad secunda vota, quia si intra annum cum adessent tutores legitimi, videlicet auia, & patruus, non tenebatur petere, cum haberent, vt declarat *Angel. in l. matres quæ. C. ad Tertul. Gabr. de tutel. conclus. 1. num. 75.* sed cessat omnis difficultas, quo ad Alexandrum, quia de tempore illius obitus nulli alij aderant filij, & propterea mater non censetur priuata illius hæreditate. *Aret. consi. 40. num. 4. vers. 3. & 4. Bald. consil. 317. num. 3. lib. 5. Dec. in c. Ecclesia Sanctæ Mariæ. col. 16. num. 122. versic. secunda conclusio. de constit.* Vltra quod cum Alexander pubes decesserit, & non contradixerit, decessit enim in ætate 16. annorum, hodie ista exceptio non potest opponi. *Bald. d. cons. 317. lib. 1. Gabriel. de tutel. conclus. 1. num. 47.* An autem Victorię fuerit de dictis legitimi satisfactum erit particulariter videndum, &c.

REVER. P. D. PAMPHILIO.

Hispalen. Iuris nominandi. Lunæ 29. Aprilis 1613.

ARGVMENTVM.

De iure exigendi primitias, & oblationes ratione administrationis Sacramentorum, an, & quando competat Archiepiscopo, & Curatis ab eo deputatis, vel potiùs alijs Beneficiatis.

SVMMARIVM.

Primitiæ, & oblationes veniunt appellatione iurium, obuentionum, & emolumentorum Parochialium. num. 1.

Quasi possessio exigendi primitias, & oblationes de aliquibus locis particularibus vnius diœcesis extenditur ad omnia alia loca in eadem diœcesi comprehensa. num. 2.

Causa actus attendi magis debet, quam ipse actus. num. 2.

Actius

Actus præsumitur gestus secundum iuris communis dispositionem. num. 3.
Testibus hinc inde contrarijs magis semper credendum est illis, qui habent pro se iuris existentiam. nu. 3.
Possessio titulata præferenda est possessioni non titulatæ. numer. tertio.
Confessio Prælatorum prædecessorum alicuius Ecclesiæ non nocet successoribus, & præsertim emanata cum alijs personis, & ad diuersum effectum. nu. 4.
Deputati ab Archiepiscopo tanquam ab illo causam habentes non sibi, sed Archiepiscopo prouidere dicuntur. numero quinto.

DECISIO CCCCLXXX.

1 FVit conclusum, mandatum de manutenendo in quasi possessione percipiendi oblationes ratione administrationis Sacramentorum, baptismi, & matrimonij, nec non primitias, de quibus agitur, dandum esse Archiepiscopo, & Curatis ab ipso deputatis, de quorum possessione constat per testes pro illorum parte examinatos, qui sunt bene informati, & deponunt de continuata possessione per quamplures annos, & illorum dicta adminiculantur non solum ex antiquissimis licentijs ab Archiepiscopis concessis, in quibus permittitur istis curatis exercitium curæ animarum cum omnib. iuribus, obuentionibus, & emolumentis parochialibus, quorum appellatione veniūt quoque primitiæ, & oblationes huiusmodi, quæ sunt de iuribus parochialibus, vt fuit decisum in hac causa sub die 4. Iulij præteriti, sed etiam ex assistentia iuris communis, quam super istis primitijs, & oblationibus habent Archiepiscopus, & Curati, vt tenuit Rota supradicta die 4. Iulij præteriti.

2 Nec obstat, quod supradicti testes non deponant generaliter de tota Diœcesi Hispalen. sed de locis particularibus, quia cum causa, quam habet Archiepiscopus prouenien. ex assistentia iuris communis sit vniuersalis in tota Ciuitate, & Diœcesi Hispalen. cuius Archiepiscopus est solus parochus, prout inter partes non controuertitur, quasi possessio probata de locis particularibus, extenditur ad omnes alios in eadem Diœcesi comprehensos, ad tradita per *Oldrad. consil. 267. nu. 10. Aymon. cons. 55. nu. 1. vers. Sed respondeo, & de antiquitate temporum par. 4. sect. 1. nu. 57. & seq.* cum alijs adductis in causa Hispalen. Iuris votan. 6. Febr. 1576. coram Cantuccio, vt in decisione relata inter impress. 17. nu. 2. part. 2. diuers. & in causa Assisien. Canonicatus. 14. Iunij 1600. coram Reuerendissimo Damasceno, ea ratione, quia magis attendi debet causa actus, quæ est vniuersalis, quam ipse actus. *Bald. in l. 1. n. 24. vers. tu dic. C. de emanc. lib. Aym. cons. 75. n. 15.*

3 Minus obstant testes, qui dantur pro parte beneficiatorum, ex quibus pretenditur probata eorum quasi possessio, quia plures ex illis, qui deponūt generaliter beneficiatos, & eorum seruitores percepisse omnes obuentiones, loquuntur de eo tempore, quo fuerant per Archiepiscopos ad curam animarum deputati, qui propterea in dubio præsumuntur illas percepisse, vti curati, & eo modo, quo licite, ac secundum iuris communis dispositionem eas percipere potuerunt, iuxta tradita per *Bart. in l. gerit. nu. 2. ff. de acquiren. hæred.* Alij vero non negant, Curatos simplices deputatos per Archiepiscopos percepisse obuentiones ratione administrationis Sacramentorum baptismi, & matrimonij, prout deponunt testes dati pro parte Archiepiscopi, quibus etiam in concursu, cum habeant pro se iuris assistentiam, est magis credendum. *Innoc. in capitul. auditis, & ibi Abb. nu. 15. Felin. nu. 22. de præscrip. Gabr. de test. concl. 4. nu. 23. & 29.* & fuit dictum in causa Pampilonen. præeminentiarum 17. Aprilis 1592. coram bonæ memoriæ Cardinali Pamphilio, & possessio Archiepiscopi, & Curatorum, tanquam titulata, præferenda, *cap. licet causam, & ibi Felin. num. 9. vers. 4. causa. de probat. Alex. cons. 88. nu. 9. lib. 5. Veral. dec. 336. par. 2.* & fuit dictum coram me in causa Burgen. Iuris præsidendi in Choro 28. Maij præter iti.

4 Neque refragatur confessio facta in literis à Gregorio XIII. emanatis, in quibus obuentiones huiusmodi, nec non primitiæ, & alia emolumenta inter Beneficiatos de consuetudine distribui dicuntur, quia cum illa non sit moderni Archiepiscopi, sed Prædecessorum illius, Ecclesiæ, vel successoribus præiudicare non potest, *Paul. de Castr. cons. 338. num. 3. lib. 1. Calder. cons. 5. n. 1. & per tot. de confess.* Præsertim cum emanauerit cum alijs personis, & ad diuersum effectum, quæ propterea in casu isto, in quo de ea principaliter dubitatur, attendi non debet. *Paris. cons. 94. n. 19. lib. 1. Dec. cons. 348. nu. 6. Put. dec. 381. nu. 3. lib. 1.* & fuit pluries decisum.

5 Nec demum obstat, quod non possit dari mandatū de manutenendo Archiepiscopo ex possessione Curatorum, qui nec etiam sunt in lite, placuit enim responsio, quod cum supradicti Curati sint deputati ad curam Animarum ab Archiepiscopo, & ab illo causam habeant, non dicuntur prouidere sibi, sed Archiepiscopo, iuxta tradita per *Vital. in clement. vnic. num. 23. de offic. Vicar. Lap. alleg. 5. nu. 8. vers. secus in temporalialibus*, vnde ei simul cum Curatis ab eo deputatis debetur manutentio ad *tex. in §. retinendæ. Instit. de interdict. cum similibus.* Et ita decisum.

R. P. D. PIROVANO.

Illerden. Portionis. Lunæ 29. Aprilis 1613.

ARGVMENTVM.

De probatione Iuris patronatus qualis esse debeat ad effectum, ne intret præsumptio vsurpationis inducta à Sacro Concil. Tridentino.

SVMMARIVM.

Iuris patronatus vsurpatio vigore Sacri Concilij Tridentini, præsumitur etiam in paruis vniuersitatibus. numero primo.
Ius patronatus, vt non præsumatur vsurpatum, iuxta dispositionem Sacri Concilij Tridentini probanda sunt in primis præsentationes continuatæ spacio quinquaginta annorum. nu. 1.
Iuris patronatus vsurpationis præsumptio tollitur ex præsentationibus similium beneficiorum factis per tempus à Sacro Concilio requisitum. nu. 2.
Continuatè verbum non admittit interpellationem aliquam. num. 3.
Testes deponentes super immemorabili excedentes annos 54. bene illam probant. nu. 4.
Ius patronatus immemorabilis præscriptio, vt probata dicatur per testes, quomodo testes super ea deponere debent. n. 4. & 5.
Ius patronatus laicale, an iudicetur ab illis, qui nominant, an autem ab illis, qui præsentant.

DECISIO CCCCLXXXI.

1 ETsi præsumptio vsurpationis, de qua in *Sacro Concilio Tridentino sess. 25. capitul. 9.* locum etiam habeat in paruis Vniuersitatibus, vt fuit sepius resolutum, presertim in causa Bononien. beneficij de Balugnana 200. Martij 1589. coram Gipsio, & in nullius Archipresbyteratus 2. Maii 1578. coram bonæ mem. Cardinale Pamphilio, ita vt requisita eiusdem Sacri Concilii Trident. ad iustificationem Iuris patronatus, prout in maioribus probari debeant: Centfuerunt tamen Domini in presenti omnia concurre, se-

re secundum eiusdem Concilij dispositionem, & ideo dixerunt constare de Iure patronatus laicali Vniuersitatis de Pertusa. Concurrunt namque præsentationes continuatæ spacio quinquaginta annorum, cum effectuatione ab anno 1524. vsque ad annum 1602. dum de eodem anno 24. vacante ista portione inter alios fuit præsentatus Petrus Mencho à iustitia, & iuratis Vniuersitatis, & idem Petrus fuit electus a Portionarijs, & à Priore institutus, & ista præsentatio probatur effectum sortita non solum, quia constat, quid statim adeptus fuit possessionem, sed etiam, quia postea per eius obitum de anno 1544. fuit presentatus, electus, & institutus eodem modo Iacobus Gonzalez, cuius præsentatio effectuata, probatur ex sequēti presentatione, ac institutione Iacobi, qui statim accepit possessionem portionis, & exinde de anno 1570. fuit præsentatus, institutus, ac in possessionem missus Martinus Mencho per cuius obitum de anno 1602. probatur facta presentatio in persona Ioannis Pertusæ, de cuius validitate nūc agitur. Vnde ex serie harū præsentationum satis videtur resultare probatio primi requisiti Sacri Concilij, cum ab anno 1524. vsque ad annum 1602. constet de præsentationibus spacio 50. annorum, & vltra continuatis, & effectum sortitis iuxta *cons. Oldr. 229.* sæpius approbatum. *Caputaq. decis. 331. num. 1. & 2. decis. 418. par. 2.* & in Bononien. Iuris patronatus, Lunæ 29. Martij 1574. coram Robusterio inter impress. *decis. 598. num. 8. & 9. par. 1.* & in Cæsaraug. Cappellaniæ 4. Maij 1573. inter impressas, *decis. 545. nu. 2. par. 1.* quod etiam fuit dictum in vna Bonon. Iuris patronatus 16. Ianuar. 1608. coram Reuerendiss. Damasceno.

Concurrebant etiam aliæ coniecturæ præsentationes similium portionum effectuatę per tempus à Sacro Concilio requisitum, quæ ex abundanti deseruiunt ad tollendam præsumptionem vsurpationis, cum ageretur de iure vniuersali, dum omnes istę portiones proueniunt ab vna radice, scilicet iure ipsis iuratis, ac Vniuersitati competente. Rota in Hispalen. Iuris votandi Lunæ 6. Februarij 1576. coram Cantuccio inter impress. *decis. 17. per totam par. 2. diuers. Gabr. concl. 2. num. 18. de præscrip. Crau. cons. 55. num. 1. vers. sed respondeo.*

3 Nec visum est Dominis obstare, quod prædicta continuatio temporis circa præsentationes fuerit interrupta, dum de anno 1570. pro parte Ioannis dicitur per obitum Iacobi Gonzales fuisse præsentatum Martinum Mencho, & tamen apparet, quod fuit præsentatus per obitum Didaci, quo casu non videbatur probatum requisitum Concilij de continuatis præsentationibus propter verbum continuata, quod non admittit interpellationem temporis. cap. accedentibus. iuxta *glos. 1. in fi. de priuileg. Specul. in tit. de præben. §. 1. nume. 32. 33.* quod etiam fuit consideratum in Sabinen. beneficiorum 15. Decembris 1581. inter impressas *decis. 199. num. 3. par. 2. diuers.* Ad hæc enim fuit responsum ex facto cessare obiectum, quia etsi in Latino sermone videantur voces diuersæ Iacobus, & Didacus, in lingua tamen materna Hispana in Regno Aragoniæ Iaime, & Diego idem sunt, vt in fide quæ data fuit pro parte Ioannis, quod etiam conuenire visum fuit ex cognomine Gonzalez, in quo tam iste Iacobus quondam Didacus conueniebant.

4 Secundum vero requisitum Concilij pertinens ad immemorabilem, videtur etiam bene probatum per plures testes in Summario datos, qui habent ætatem sufficientem cum omnes excedant annos 54. & deponant omnia requisita. per *glos. in cap. 1. de præscrip. in 6. nempè per 40. annos de visu,* & vltra de auditu à maioribus qui dicebant idem audiuisse ab eorum antenatis, & quod nunquam aliquid viderunt, vel audierunt in contrarium coarctando etiam negatiuam, & de publica voce, & fama per verbum fuit, & est quod tam Prioratus, quam portiones, & alia beneficia sunt de Iure patronatus huius vniuersitatis, & occurrente vacatione fuit semper facta prouisio ad præsentationem à iustitia, & iuratis, qui plures præsentabant, ex quibus Portionarij vnum eligebant, & Prior electum instituebat.

5 Non obstat, quod ex istis testibus non probatur patronatus ex dotatione, & fundatione, dum pro ratione afferunt, quia Ecclesia possidet complura prædia, & alia, quæ non potuerunt haberi nisi ab habitatoribus, & quæ cum potuerint haberi ex alio titulo, quam pro dote, nempè ex legatis pijs, dictum testium non videbatur concludens, prout necesse est. c. in presentia. de probat. cum vulgatis. Placuit enim Dominis responsio, quod ex ratione allegata per dictos testes maior resultat præsumptio dotationis, & fundationis, quia de vera probatione, satis constat aliter, quam per testes.

6 Demum non obstat, quod hoc Ius patronatus non sit laicale, sed Ecclesiasticum, & consequenter sub regula reseruatoria comprehensum ex eo, quod dicatur vniuersitatem habere duntaxat nominationem, quæ non tribuit proprietatem Iuris patronatus. Dum enim vniuersitas plures nominat, ex quibus portionarij, seu beneficiati vnum eligunt, & præsentant Priori, qui instituit electum, satis dicitur penes ipsos Portionarios præsentantes inhærere Ius patronatus, quia semper dicuntur præsentare, quamuis alij eligant. *c. ex ore. de vs, quæ fiunt à maior parte Cap. & in his terminis visus est firmare Gumbar. de offic. & potest. legat. libro 3. num. 407.* Fuit enim sublata difficultas ex dictis per eundem *Gambar. loc. præcipit. sub numero 397. cum seqq.* qui sequendo opinionem *Collect. in c. 1. vers. sed quid prior. de reg. iur.* dicit Ius patronatus esse laicale, & residere apud eos, qui nominant non autem, qui præsentant, quia actus præsentandi nominatos ab alio non est liber, sed necessarius, quod est contra naturam patronatus, quæ est, vt patronus sit liber in præsentando idoneum. *glo. in c. ad audientiam. il primo. de eccles. ædificand.* Propterea cum vniuersitas nominet Portionarios, & Portionarij de electis teneantur vnum præsentare Priori, qui tenetur de necessitate instituere, sequitur, quod iuxta naturam patronatus libertas consideretur, in vniuersitate, & iuratis, quæ sola attenditur in cognitione pertinentiæ Iuris patronatus, quod magis videtur, comprobari in præsenti, dum Portionarij fatendo illos patronos ad illorum præsentatione eligunt vnum, vt ille instituatur à Priore, qui pariter narrat fuisse ab vniuersitate præsentatum, & hunc sensum videtur etiam habuisse Summus Pontifex felic. rec. Paulus III. in Bulla, quę datur, vbi vocat vniuersitatem patronam, & talis est communis reputatio, de qua deponunt testes dati pro Ioanne. Et ita fuit resolutum, &c.

R. P. D. PIROVANO.

Mediolanen. Iuris patronatus. Lunæ 29. Aprilis 1613.

ARGVMENTVM.

Ius patronatus præsumitur potiù hæreditarium, quam familiare, & gentilitium, & quomodo Ius patronatus gentilitium probetur.

SVMMARIVM.

Parentum appellatione in materia fundationis Iuris patronatus secundum communem vsum loquendi, non veniunt pater, & mater fundatoris, sed alij de agnatione, & familia. num. 1.

Verba perpetuis temporibus apta sunt comprehendere descen-

Scendentes de gradu in gradum propter implicitum statum futuri temporis. numer. secundo.

Enunciatiuæ antiquissimæ probant communem hominum opinionem. nu. 3.

Communis hominum opinio præsumitur vera. nu. 3.

Obseruantiæ subsecuta dat fidem scripturis non authenticis. num. 3.

Inscriptioni antiquæ positæ in Ecclesiæ multum deferendum est super veritate eorum, quæ in inscriptione continentur. num. 4.

Sententia plene probat existentiam Iuris patronatus, & eius naturam in præiudicium Ordinarij, & eius successorum. num. 5.

Obseruantia inducta ex multiplicatis præsentationibus, quæ effectum sortitæ fuerunt, plene probat Ius patronatus. nu. 6. & nu. 11.

Ius patronatus in dubio magis præsumitur hæreditarium, quam familiare, & gentilitium. Declara, vt nu. 7.

Obseruantia nimis remota suffragari non potest. Declara, vt num. 10.

DECISIO CCCCLXXXII.

1 CVm patronatus, de quo agitur, ab vnam parte prætenderetur gentilitius, ab altera vero hæreditarius, Domini distinguendo tempora, censuerunt fuisse gentilitium vsque ad annum 1520. reseruando videre ab inde citra, cuius naturæ esset. Constat enim de initio fundationis huius patronatus ex Codicillis Benedicti dicti Rozzij vsque de anno 1024. Regnante Conrado Imperatore, & eius imperij anno 9. in quibus enunciatur tenor fundationis huius patronatus ab eodem codicillante constituti fauore suorum parentum proximiorum, quibus post obitum suum reliquit ius eligendi successorem vtiliorem perpetuis temporibus de eorum parentibus proximioribus de paterna parte ad hoc ministerium, & quotiescunque Ius patronatus parentibus relinquitur, certum est id deberi a primo relinquente omnib. de parentela, & familia vocatorum, quia appellatione parentum propter subiectam materiam, & communem vsum loquendi, non est intelligendum de patre, & matre codicillantis, sed de agnatione, & familia ipsius, *Tiraq. de retract. consan. §. 1. glos. 8. num. 1. Menoch. de præsumpt. lib. 4. præsump. 88. num. 18. Pereg. de fideic. art. 22. num. 31. Rimin. Iun. loquentes de patronatu. in consil. 308. num. 2. volum. 3.*

2 Nec satisfactum videtur menti codicillantis, vt parentes ab eo nominati post eius obitum habeant ius patronatus, nisi etiã ad omnes successiue de agnatione, & familia perueniat, cum verba, perpetuis temporibus, sint apta comprehendere descendentes de gradu in gradum propter implicitum statum futuri temporis secundum opinionem Cumani *in l. cum ita. §. de fideicom. num. 4. ff. de leg. 2. & in l. Gallus. §. quidam recte. nu. 7. vers. vbi autem instituuntur. ff. de liber. & posthum.* quam sequuta est Rota in pluribus causis, vt in Floren. fideicom. de Detis. 3. Decemb. 1607. coram R. P. D. Manzanedo, in Bononien. fideicom. de Pannolinis 10. Decemb. 1610. coram Reuerendiss. Archiepiscopo Lugdunen. & coram me in Romana fideic. de Vrsinis 9. Maij 1611.

3 Nec visum est posse dubitari de forma probanti codicillorum, neq; de fundatione enunciata in eis, cum prædicta enuncientur in sententia Archiepiscopi Milonis, de anno 1188. in qua codicilli registrati leguntur, quæ cum sit antiquissima, plene probat in ea contenta, etiamsi enunciatiue loqueretur, quia probant communem opinionem hominum, quæ præsumitur vera, vt dicit *Bald. in l. cum aliquis. C. de iur. deliber. num. 4. vers. item quod d cit gl. Dec. cons. 42. num. 9. & 11. Peregr. consil. 33. num. 20. lib. 1.* maxime concurrente obseruantia, de qua dicetur infra, quę dat fidem scripturis non authenticis, *Cyn. inter cons. Bald. consil. 400. num. 5. lib. 4. & idem; Bald. cons. 401. cod. libr. Becc. cons. 103. num. 26. Ioseph. Ludou. concl. 38. vers. infertur quarto.* fuit dictum in Aretina Cappellaniæ 22. Iunij 1590. coram Comitulo, & Cremonen. Cappellaniæ 14. Iunij 1594. coram Illustrissimo Card. Mellino.

4 Secundo probatur hæc qualitas gentilitia ex inscriptione antiquissima posita in Ecclesia, de qua agitur, & extracta supra centum annos, instante Bernardino de Sellanoua pro defensione Iuris patronatus, in qua illi de Cortesella enunciantur agnati Benedicti dict. Rozzij, & descendentes, ac patroni aduocati eiusdem Ecclesiæ, cui inscriptioni multum esse deferendum voluerunt *gl. in cap. cum causam. de probat. capit. ad audientiam. il secondo. de præscrip. cap. cum olim. de censib. capit. sane 24. q. 2. Bald. cons. 310. an patronatus. lib. 5.* & sæpius fuit firmatum in Rota, vt in Hispalen. Iuris patronat. de las Cueuas 26. Martij. 1590. coram bonæ memor. Cardin. Pamphilio, & coram me in Comen. Habitus 9. Iunij 1610. & eo magis augebatur probatio ex inscriptione, quanto maiori longinquitate temporis fulcita apparebat ex illius verbis, ibi, alter verò Benedictus dict. Rozzius ex progenie DD. de Cortesella natus, hunc titulum depingi fecit; qui Benedictus cum esset in codicillis nominatus vti testat oris nepos, sequitur dicendum iam supra quingentos annos inscriptionem fuisse depictam, vel saltem supra trecentos, si attendatur tempus Secundi Benedicti, qui in præsentatione anni 1293. interuenit.

5 Tertio, prædictis accedebat sententia Milonis Archiepiscopi Mediolanensis de anno 1138. in qua actores tunc temporis enunciantur legitime descendisse de Nepotibus ipsius Rozzonis ex paterna linea, & insuper declarantur patroni fundatores, & dotatores, & visis per Archiepiscopum instrumentis, priuilegijs & testibus, confirmantur patroni istius Ecclesię cum facultate in perpetuum elegendi, & præsentandi, quæ sententia, cum sit fundata in piobatione descendentię à nepotibus Rozzonis fundatoris, qui parentes vocauit, nulli dubium, quin vti antiquissima probet existentiam Iuris patronatus, & eius naturam esse gentilitiam nedum in præiudicium Ordinarij, *Rota dec. 11. de Iure patr. in nouis. Gabr. cons. 192. num. 7. & cons. 198. num. 4. lib. 2.* sed & in præiudicium successorum, quod iminus est, cum habeat vim tituli, contractus, & instrumenti, & per eam Ius patronatus oriatur, & perimatur, vt dicit *Abb. in cap. quanto. de iud. Paul. Cittadin. de Iure patr. 9. par. q. 18. nu. 24. Ferret. cons. 135. nu. 1. vol. 1. Peregr. cons. 33. nu. 18.*

6 Demum concurrit obseruantia ex multiplicatis præsentationibus desumpta, nempe ab anno 1285. vsque ad annum 1490. ex quibus apparet, quod semper agnati de Cortesellis præsentarunt, & præsentationes effectum sortitę sunt, quę obseruantia sufficeret etiam vbi alia non concurrerent, pro concludenti probatione qualitatis patronatus, *Franc. in cap. 1. nu. 5. de Iure patr. in 6. Abb. in cap. querelam. num. 9. in fine de elect. & cons. 76. in 1. dub. par. 2. Fed. de Sen. cons. 234. nu. 3. Ferret. cons. 293. nu. 4. lib. 2.* quod etiam fuit firmatum in Florentina de Ricasolis 10. Martij 1603. coram Illustr. Card. Lancellotto, & in Ianuen. Iuris patron. 20. Decemb. 1604. coram bo. mem. Litta.

7 Nec prædictis obstare videtur, quod iuris præsumptione Ius patronatus magis hæreditarium, quam familiare, & gentilitium sit iudicandum, *Clem. plures, vbi Cardin. in 6. q. de Iure patr. Lambert. de Iure patr. 2. part. primi. libr. q. 2. num. 15. Couarr. var. resol. lib. 2. cap. 18. num. 6.* quia conclusio vera est, vbi concurrit dubia probatio, secus vero, vt in præsenti, vbi apparet de fundatione fauorem parentum proximiorum, qui exinde præsentarunt tanquam agnati, & descendentes

tes fundatoris, & per sententiam declarati fuerunt successores, & descendentes legitimi, & ad eos ius eligendi, & præsentandi spectare.

8 Non obstat, quod neque in fundatione, neque in codicillis vllum verbum de patronatu gentilitio, sed de electione Abbatis, quæ recipi deberet in Ecclesia in præsentia Archiepiscopi, & trium suorum parentum proximiorum, quæ valde diuersa est à patronatu Canonicatuum. Quia fuit responsum præsentiam parentum fuisse declaratam testatore viuente, sed post eius obitum eisdem parentibus reliquisse electionem, quæ hodie contenditur, ad parentes, vti agnatos, non autem vti hæredes, transire debere, quidquid sit de existentia, magis quo ad electionem Abbatis, quàm Canonicorum, de qua nunc non est quæstio.

9 Non obstat, quod in sententia nullum possit constitui fundamentum, cum non declaretur Ius patronatus ratione familiæ ad eos de Cortesella spectare, & potuerit illis competere iure hereditario, quia cessat obiectum ex narratiua eiusdem sententiæ, dum enunciantur descendentes à nepotibus Rozzonis ex paterna linea, à quibus non vti hæredibus, sed vti agnatis Ius patronatus deducunt, vt supra dictum fuit.

10 Postremo non obstat, quod obseruantia suffragari non possit, vti nimis remota, nempe ex præsentationibus post centum annos effectuatis, *Socin. Sen. consil. 6. numer. 21. volum. 1. Rot. decis. 39. num. 12. par. 2. diuers.* Quia, & si interuallum dicti temporis sit considerabile, iuuatur tum ex sententia prædicta, in qua enunciantur per retroacta tempora patroni, & aduocati illius Ecclesiæ, & in electionibus interfuisse, & vti patronis alimenta præstita fuisse, quæ, cum sit antiquissima, habet vim famæ, *Achill. decis. 7. num. 1. de iure patron. Put. dec. 209. num. 1. lib. 2.* Rota in Tuden. Parochialis. 7. Nouembris 1611. coram Reuer. P. D. Vbaldo, & adminiculata ex pacifico statu ante sententiam satis iustificat continuationem status qualificati patronorum.

11 Et ad ea, quæ dicebantur aduersus instrumenta præsentationum, quod ex eis non constat præsentationes fuisse factas per capita, prout requiritur in patronatu familiari, vt per *Alexan. de Neuo, consil. 63. num. 3. cum alijs allegatis.* Fuit responsum, quod cum vocati fuerint parentes proximiores, stant simul, quod Ius patronatus sit gentilitium, & quod præsentatio fiat in stirpes, quia omnes in proximiori gradu ad simul presentandum sunt admittendi. *Gabr. consil. 196. num. 4. vol. 2.*

R. P. D. VBALDO.

Illerden. Visitationis. Veneris 10. *Maij* 1613.

ARGVMENTVM.

Differentia quæ sit inter Inquisitorem generalem, & non solennem, & Inquisitorem solennem, & specialem, quam faciunt Episcopi in correctione delinquentium.

SVMMARIVM.

Proœmium declarat intentionem, & causam finalem disponentis. num. 1.

Inquisitio solennis, & iudicialis quando formatur, monitoria transmittuntur ad inquisitos particulares præcedente, vel diffamatione, vel indicijs, num. 2.

Inquisitio generalis non dicitur inquisitio solennis, sed præparatoria alterius solennis, & specialis inquisitionis. num. 2.

Correctio, & emendatio venit etiam in visitatione, dummodo sit leuior, & extraordinaria. num. 3.

Excommunicationis pœna non solet apponi in edictis factis in visitatione. num. 4.

DECISIO CCCCLXXXIII.

1 SVb die 26. Nouembris præteriti fuit resolutum, sententiam Rotalem in hac causa latam coram bonæ memoriæ Iusto, & confirmatam coram R. P. D. meo Decano, esse confirmandam, ex rationibus adductis in decisione tunc extensa. Sed cum fieret verbum super expeditione causæ Domini mandarunt, vt Capitulum audiretur stricte super secundo capite dictæ sententiæ, quod versabatur circa edicta ab Episcopo proposita, quorum occasione Episcopus fuit condemnatus per sententiam de partibus, tanquam contrauenisset antiquis concordijs inter Episcopum, & Capitulum, quæ tamen sententia fuit reuocata in Rota. Vnde hodie proposito dubio, vtraque parte informante, Domini steterunt in decisis, etiam quo ad edicta de quibus agitur, nam ex proœmio edictorum apparet, illa fuisse præambula ad visitationem generalem quam Episcopus facere intendebat, vt probatur ibi, Cum inter officia, & munera à Prælato debita visitatio sit principalior, & magis necessaria pro salute animarum, &c. & ex proœmio solet declarari intentio, & causa finalis disponentium. *l. fin. vbi Bart. num. 3. ff. de hæred. instit. Dec. consi. 379. sub nu. 5. Surd. post alios cons. 224. num. 12. lib. 2. Menochius lib. 6. præsump. 2. num. 2. & seq. Rota decis. 299. num. 1. par. 2. diuers.* Vnde sicut in visitatione Episcopus non debet adhibere consensum Capituli, nec assumere Coniudices, vt sæpe fuit resolutum in hac causa coram bo. mem. Iusto in decisionibus relatis in dicta decisione 26. Nouembris coram me, ita nec in publicatione edictorum, quæ fuit præambula, & præparatoria ad visitationem, *arg. l. oratio. ff. de sponsal.* vt fuit etiam decisum coram eodem Iusto in alijs decisionibus eodem loco citatis.

2 Et quod dicta edicta non essent ad effectum faciendi solennem, & iudicialem inquisitionem confirmabatur: quia quando proceditur per inquisitionem iudicialem, monitoria transmittuntur ad ipsos inquisitos, & in personas particulares, præcedente vel diffamatione, & indicijs, vel denunciatione, ad *Clar. in prax. §. fin. q. 6. & 7. in princ. & est tex. in c. qualiter* & quando secundo. vbi Scribentes, & signanter, *Bero. num. 37.* vbi distinguit de accusat. hic autem solum fuit facta denunciatio generalis, vt si quis nosset aliquem teneri aliquo crimine, illud reuelaret, immo quod inquisitio generalis, non sit inquisitio solennis, sed præparatoria alterius solennis, nec ea quisquam puniri possit, cum fiat ad inueniendum potius, quam ad puniendum, ideoque postea sit necessaria alia particularis inquisitio tradit *Innocen. in cap. bonæ. 1. sub num. 5. vers.* & dicunt quidam primo, & ibi *Imol. sub num. 13. de electio. Castr. consilio 348. notandum. colum. 1. vers. respondeo. 1. par. 1.*

3 Non obstat, quod in edictis fuerit facta mentio correctionis, & castigationis in delinquentes, quia correctio etiam, & emendatio venit in visitatione, vt per. *Concilium Trident. sess. 6. c. 4.* de reformat. Dummodo pœna sit leuior, & extraordinaria, prout dictum fuit in pluribus resolutionibus sacræ Congregationis Illustrissimorum Concilij Tridentini Interpretum, quę fuerunt datæ.

4 Non obstat pœna excommunicationis in eiusmodi edictis apposita, quæ tamen apponi non potest in edictis factis in visitatione, vt sæpe resolutum fuit in dicta sacra Congregatione. Quia fuit responsum ex hoc non sequi, quod Episcopus apponendo istem pęnam contrauenerit concordiæ cum Capitulo, & ideo hoc nomine debuerit condemnari in pęna pecuniaria,

ria, prout factum fuit per sententiam de partibus, cum in nulla concordia hoc prohibeatur Episcopo. Vltra, quod quo ad dictam pœnam sententiæ Rotales fauent Capitulo, & ideo non videntur ab eo impugnande, vt fuit dictum in dicta decisione 26. Nouembris præteriti coram me, à qua Domini ex prædictis etiam quo ad edicta non putarunt esse recedendum. Et ita conclusum. Et declarationes Sacræ Congregationis Concilij Tridentini Interpretis, ad comprobationem, quod correctio, & emendatio veniunt in visitatione, in ista decisione allegatæ, sunt tenoris sequentis.

R. P. D. PIROVANO.

Aquilana nullitatis erectionis. Veneris 10. Maij. 1613.

ARGVMENTVM.

Discutitur in hac decisione, quænam sint iustæ causæ dismembrandi Ecclesiam, & erigendi nouam Parochiam.

SVMMARIVM.

Ecclesia dismembrari non debet propter numerositatem populi auctam. nu. 1.

Parochias nouas erigendi iusta causa videtur incommoditas populi ad recipienda Sacramenta, & audienda diuina officia. num. 2. Declara, vt num. 3.

Dismembrandi Ecclesiam iusta causa non est angustia, & difformitas Ecclesiæ antiquæ, & quod inundationi subijciatur. num. 4.

Iusta causa dismembrandi Ecclesiam, & erigendi nouam Parochiam est, quando aliter contingat aliquos Parochianos obire sine Sacramentis. num. 5.

Ecclesia dismembrari non potest, nisi accedente consensu Capituli capitulariter concluso, & firmato. num. 6.

DECISIO CCCCLXXXIV.

1 HÆc causa fuit alias resoluta pro Archipresbytero, & Canonicis Terræ Paganicæ, scilicet constare de nullitate Erectionis Ecclesiæ Beatæ Mariæ ad Præsepe in Parochialem, & iuxta Rotæ resolutionem pronunciaui. Nunc vero in gradu restitutionis in integrum, causa iterum mihi commissa, Dubitaui, an constet de causis, & Domini responderunt negatiue. Retentis namque terminis primæ resolutionis dicebant. Primo non obstare numerositatem Populi, quamuis aucta probaretur ad numerum quinque millium, quia non est iusta causa dismembrandi, & erigendi nouas Parochiales, cum huic incommodo possit prouideri absque dismembratione secundum modum per Sacrum Concilium præscriptum, adiungendo sibi Rectores alios Sacerdotes, qui sufficiant ad exhibenda Sacramenta, & cultum diuinum celebrandum.

2 Et quamuis distantia locorum, & magna incommoditas populi ad recipienda sacramenta, & audienda diuina videantur præbere iustam causam erigendi nouas Parochiales, & vtrumque causatum dicatur propter populi numerositatem, cum omnes Parochiali Ecclesiæ adhærentes esse non possint, vt ideo idemmet *Sac. Concil. d. c. 4. sess. 21. vers. in ijs vero, &c.* prædictis concurrentibus declarauerit licere Ordinarijs locorum etiam inuitis Rectoribus nouas Parochias erigere, quod etiam prius fuerat dispositum. in c. ad audientiam. de Eccl. ædific.

3 Tamen non quælibet distantia suffragatur dismembrationi, sed ea duntaxat, quæ præbet difficultatem Parochianis accedendi cum magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & diuina officia audienda, qualis non est hæc, quæ deducitur in Terra Paganicæ, cum omnes habitatores non distent ab eodem oppido, nec impetu currentis, & perennis fluminis, aut torrentis illis impediatur aditus ad ipsam Ecclesiam, prout contingeret in casu decisionis Lucanæ dismembrationis 9. Maij 1611. coram Reuerendissimo Attrebaten.

4 Secundo non obstare, quæ pertinebant ad angustiam, & difformitatem Ecclesiæ antiquæ, & ad incommoditatem vti positam in pede ipsius Terre, non autem in medio, quę propterea inundationibus sæpissimo subijciebatur. Hæc enim visa sunt Dominis non posse deseruire pro iusta causa dismembrationis, cum illis incommoditatibus satis possit prouideri, nempè angustiæ, & difformitati per ampliationem, vel nouam Ecclesiæ ædificationem, distantiæ, & inúdationi ex noua situatione intra idem Castrum in loco eminentiori à periculo aquarum remoto, vltra quod inundatio prædicta non videbatur concludenter probata, & ex qualitate riuuli potiùs, quam fluminis, aut torrentis contrarium apparebat, & vbicumque potest aliunde prouideri, deficit necessitas, quæ est causa dismembrationis, & alienationis partis beneficij. *cap. 1. de reb. eccl. non alien.* & fuit dictum in Elboren. dismembrationis 17. Nouembris 1600. coram bon. mem. Iusto.

5 Quod autem aliquando contigerit aliquos Parochianos obijsse sine Sacramentis, prout testes videntur deponere, multum mouisset Dominos, si eorum testimonium ad effectum, de quo queritur, fuisset concludens, sed dixerunt non probari euenisse propter difficultatem accedendi ad Infirmos ex distantia, vel aquarum inundatione, sed potiùs quia solus Curatus eodem tempore pluribus infirmis prouidere non poterat, quod non conuenit causæ diuidendi Parochiam, sed adhibendi Ministros Coadiutores, iuxta dispositionem *Sacri Concil. Trid. in d. cap. 4. in princip.*

6 Postremo non obstare, quod quo ad solennitatem concurrat consensus Capituli, dum Archipresbyter, & Canonici interfuerunt proiectioni primi lapidis huius nouæ Ecclesię, illamque laudarunt, & alter Canonicus declarauerit, & protestatus fuerit, quod hæc vocatur Ecclesia noua Parochialis, nam quidquid sit quo ad denominationem, & particularem aliquorum Canonicorum consensum, ad præiudicium tamen dismembrationis ille consensus non capitulariter conclusus, & firmatus sufficiens non est in hac parte, quæ respicit Capitulum in vniuersum, non autem Canonicos vti singulos. *Felin. in cap. cum omnes. num. 24. & 28. de constit.* Rota in Calaguritana Canonicatus. 28. Iunij 1605. coram Cardinali Lancellotto, & ita subsistente iustitia primæ sententię, de causis restitutionis in integrum non constare fuit resolutum, vtraque parte informante, quia cessat læsio præbens causam restitutioni. *Rot. decis. 1. in nouis. & decis. 5. in antiquis. de restit. in integr.*

7 Placebat tamen Dominis, quod ista moderna Ecclesia remaneret in adiutoriú Matricis, iuxta declarationem Sacre Congregationis, cum negari non possit, quin ex testibus datis pro parte Vniuersitatis appareat, quod Cura animarum vsque ad ædificationem dictę nouę Ecclesię passa fuerit aliquod detrimentum propter angustiam antiquę Ecclesię, & populi numerositatem.

R. P. D. PIROVANO.

Conchen. Decimarum dell'Infantado. Veneris, 10. Maij 1613.

AR-

ARGVMENTVM.

Mutatio seminis quando mutet obligationem soluendi Decimas in præiudicium illius, cui ante mutationem soluebantur, & quanto tempore præscribatur ius exigendi Decimas.

SVMMARIVM.

Rectores Ecclesiarum regulariter de iure habent fundatam intentionem in decimis dempta quarta pro Episcopo. Declara, vt nu. 1.
Mutatio seminis quando mutet obligationem soluendi decimas. nu. 2. & 3.
Præscriptio nunquam extendit ius quæsitum vltra expressum, & declaratum ex possessione. nu. 2.
Rectores Ecclesiarum quanto tempore præscribant ius exigendi decimas in præiudicium Episcopi. nu. 4.

DECISIO CCCCLXXXV.

1 DOmini noluerunt recedere à decisis in hac causa 5. Decembris præteriti. Constat enim vt sæpius fuit firmatum in causis Conchen. Decimarum, coram bonæ memoriæ Cardinali Pamphilio. 1. Iulij 1591. & 5. Maij 1600. quod licèt Rectores regulariter de iure habeant fundatam intentionem in decimis dempta quarta pro Episcopo. *cap. cum in tua. cap. cum contingat. capit. dudum. de decim. Rebuff. eod. tit. quæst. 7. num. 4. & 7. Menoch. cons. 36. num. 20. lib. 1.* Tamen in diœcesi Conchen. tam Episcopus, quam Rectores veniunt ex coæquali iure ad decimas, & consequenter verum est præsuppositum Episcopi, quod ius suum est reale fundatum in ipsis Terris decimalibus, ex Ancharan. & alijs in prima decisione huius causæ allegatis.

2 Vnde doctrina *Hostiens. in capit. cum in tua. de decim.* bene declaratur. Nam etsi videatur firmare, quod Ecclesia Parochialis mutato semine possit excludere Monasterium veniens ad exactionem decimarum certæ speciei, non tamen præsupponit ius reale, & coæquale ex parte Monasterij respectu terrarum decimandarum, sed ex præscriptione, quæ cum habeat iuris resistentiam nunquam extendit ius quæsitum vltra casum expressum, & declaratum ex possessione. *Put. decis. 102. lib. 1. in noua impress. Mohed. decis. 7. de præscript.* Secus vero quando concurrit ius reale cum iuris assistentia, quia ex causa vniuersali iuris decimandi mutatio semenis non alterat obligationem, sed de vna specie fructuum, quæ procedit ab vna radice, fit transitus ad quascunque alias, etiam nouas fructuum species. *Rebuff. de decim. quæst. 14. num. 18. Didac. pract. quæst. c. 37. num. 5. Rot. in Hispalen. iuris votandi inter impress. dec. 17. numer. 10. par. 2. diuers.* quod etiam fuit dictum coram me in Legionen. Decimarum. 27. Martij 1613. & propterea, cum nunc agatur de mutatione seminis tritici, hordei, & vini in crocum, & oliuas, ex qua læsio resultat Episcopo, & Cathedrali Ecclesiæ, merito de croco, & oleo, vti de fructibus subrogatis erit danda decima Episcopo ratione sui iuris realis.

3 Et ex prædictis tollitur obiectum, quod ista fuerit diuisio fructuum, vt ideo versemur in secundo capite distinctionis. *Hostien. in d. cap. cum in tua.* Quia non agitur de alia Ecclesia veniente ad percipiendum decimas iure speciali sibi debitas, in quibus terminis loquitur Hostien. Sed de habente ius coæquale, quod per mutationem seminis tolli, aut mutari non potest.

4 Non obstant, quæ dicuntur de præscriptione, quia nihil refert, quod testes dicant Rectores fuisse in possessione percipiendi istas decimas in magna quantitate absq; participatione Episcopi, nisi simul concludant immemorabilem, postquam decimę subrogatę sunt in locum aliarum, quod nno dicunt testes, alias semper erit intelligendum de continuatione possessionis, eas percipiendi secundum species distinctas, & sine preiudicio Episcopi, & Cathedralis Ecclesię virtute preambulę ipsorum Rectorum facultatis, argumento. *l. quædam mulier. cum glo. de rei vendicat.*

REVER. P. D. MANZANEDO.

Viterbien. Fideicommissi. Veneris 10. Maij 1613.

ARGVMENTVM.

Tria in materia fideicommissaria in hac decisione magistraliter explicantur. Primum numquid substitutio facta hæredi si sine filiis decesserit expiret eo mortuo cum filiis, licet postea filii obierint, An vero potius inducatur perpetuum fideicommissum. Secundum quando filii in conditione positi vocati censeantur. Tertium an, & quando in fideicommissis, & substitutionibus, filiorum appellatione veniant nepotes.

SVMMARIVM.

Substitutio alicui facta, seu fideicommissum si sine filiis decesserit expirat, & non habet locum deficiente conditione, & sic quando ille cum filij decessit, licet postea ille filius obierit. nu. 1. Declara, vt nu. 2.
Substitutio facta hæredi si sine filiis decesserit, non expirat eo mortuo cum filiis, qui postea obierunt, quando ex coniecturis apparet, testatorem vlterius processisse ad faciendum perpetuum, & absolutum fideicommissum. Tunc enim conditio si sine filiis porrigitur ad omnes substitutos, & descendentes in infinitum. num. 2. Vbi tamen quod istæ coniecturæ debent esse necessariæ concludentes, & quæ ex verbis testamenti deducantur.
Testator numquid dicatur agnationis conseruandæ rationem habuisse, & sic perpetuum fideicommissum facere voluisse, quando in testamento vocauit in substitutionibus, & fideicommissis Cippum domus. nu. 3. & seqq.
Substitutio hæredi facta, seu fideicommissum si sine liberis decesserit, an expiret eo mortuo cum filiis, si filij postea obierint quando testator in testamento habuit rationem conseruandæ agnationis. nu. 3. & seqq.
Feminæ vbi sunt vocatæ in testamento dic non potest, testatorem in eo habuisse rationem conseruandæ agnationis. nu. quarto.
Fideicommissum, seu substitutio, in quo sunt vocati proximiores de Cippo, an extinguatur eo ipso, quod deuenit ad aliquem proximiorem de dicto Cippo, an vero censeatur perpetuum de vno in alium de eodem Cippo proximiorem num. 5.
Fideicommissi, & substitutionis conditione sine liberis decesserit deficiente ceteræ omnes subsequentes conditiones expirant. nu. 7.
Substitutio hæredi facta si sine filijs decesserit, non expirat hærede moriente cum filiis, quando testator ad plures gradus substitutionum processit. numer. 8. Contra. numero 9. & 10.
Substitutio hæredi facta si sine filijs decesserit, non expirat hærede mortuo cum filiis, quando testator omnibus morientibus substituit proximiores de Cippo. nu. 11. Contra. nu. 12. & seq.
Omnis dictio vniuersalis includit omnes, & idem significat, ac si de singulis esset facta expressio specialis. nu. 11. Contra. nu. 12. & 13.
Filij positi in conditione, quando censeantur vocati. num. 14. & seqq. 26. & seqq.
Filiorum appellatione in substitutionibus, & fideicommissis, quando veniant nepotes. nu 23. 24. & 25.
Clausula omni meliori modo, &c. iuncta clausula codicillari an, & quando operetur, vt filij positi in conditione cen-

censeantur vocati. num.26. & 27.

Fideicommissum, seu substitutio numquid tacite inducatur ex eo, quod testator disposuisset si interrogatus fuisset.nu.28.

DECISIO CCCCLXXXVI.

1 AD dubium propositum, an constet de tali fideicommisso, quod suffragetur D. Catherinæ, negatiue Domini respondendum dixerunt, cum ipsa fuerit substituta, in casu, quo Ludouicus, & Paulus hæredes instituti ambo morerentur sine filijs. Vnde cum Paulus reliquerit filium superstitem, quamuis ille superuiuens patri postea obierit sine filijs, intrat conclusio nota in iure, quod defecerit prædicta conditio, & ex illius defectu præclusa fuerit via substitutioni D. Catherinæ, & ceteris subsequentibus, iuxta *tex. in l. cum vxori. C. quan. dies legat. ced. l. hæredibus. in princip. l. ex facto. §. ex facto.* ibi, Nos igitur hoc dicemus conceptos quidem ante deportationem efficere, vt conditio deficiat, & in §. si quis. ibi, aut igitur filius superuixit patri, & extinxit conditionem fideicommissi. *ff. ad Trebell. l. filiusfamilias. §. cum quis,* ibi, conditio defecisse videbitur si superuixerint liberi. *de leg. primo. l. filiusfamilias. §. cum erit rogatus. de lega. secundo. l. iubemus. §. sin autem.* ibi, vno filio superstite, vel nepote ex filio, vel posthumo relicto decesserit, non videtur extitisse conditio, & ideo deficit fideicommissi petitio. *C. ad Trebell. & in l. 1.* ibi, conditionem adscriptam fideicommisso defecisse manifestum est. *C. de condi. inser. ex quibus motus Oldrad. ita consuluit in suo celebri consil. 21.* sæpius à Rota approbato, & secuto per quamplures Doctores congestos per *Couarr. in cap. Raynaldus. in princip. nume. 3. vers. sed. & illud. de testam. & per Illustris. Mantic. de coniect. vltim. volunt. libro 11. tit. 6. numero 6. & per Molin. de primogen. Hispan. libro 1. cap. 6. numero 16. & per Peregr. de fideicomm. artic. 29. numero 22.* Testator enim relinquendo bona sua D. Catherinæ substitutæ sub conditione negatiua, si Ludouicus, & Paulus sine filijs decederent, visus fuit sub contraria conditione affirmatiua, nempè si cum filijs decessissent, eadem bona à substituta adimere voluisse, *l. si legatum pure. ff. de adimen. legat. l. aliquando. ff. de condi. & demonstr. Ruin. consilio 33. numero 3. & consilio 170. num. 4. & 5. libro 3.* & defectus istius conditionis sufficit, quod semel euenerit, quamuis durauerit per momentum, prout de implemento conditionis dicitur in *l. si quis hæredem. C. de instit. & substit.* & ad hoc plura cumulat *Tiraq. in l. si vnquam. in verb. susceperit liberos. numer. 151. C. de reuocan. donat. & Gabr. in tit u. de fideicomm. concl. 8. num. 1.*

2 Nouissima est etiam conclusio, & à Rota passim secuta, quod supradicta conclusio, & *consil. Oldr.* cesset, quoties ex coniecturis apparet testatorem vlterius processisse ad instituendum perpetuum, & absolutum fideicommissum. Tunc enim conditio, si sine liberis, porrigitur ad omnes substitutos, & descendentes in infinitum ex pluribus relatis per *Hiero. Gabr. consi. 123. numero 10. & 27. libro 1. & per Ant. Gabr. in tit. de fideicomm. concl. 7. num. 4. lib. 4. & per Molin. vbi supra dicto cap. 6. num. 19. & Cras de success. §. fideicomm. quæst. 33. nu. 6.* Et ex hoc capite D. Catherina contendit impugnare deficientiam prædictæ conditionis, si sine liberis, & ad coniecturas recurrit. Attamen vnum est certum, quod illæ debent esse necessariæ, & concludentes, & quæ ex verbis testamenti deducantur. *l. cum proponobatur. de legat. 2. & ibi communiter Doctor. Paul. de Castr. consil. 28. numero 2. libro 2. Ias. 143. numer. 3. lib. 2. Alciat. 494. Cagnol. plures citans in l. 1. num. 55. C. de pact.* & probatur optime in dicta *leg. 1. C. de cond. inser.* vbi deciditur conditionem, si sine liberis, defecisse existentia nepotis ex filia relicti, nisi alias defuncti voluntas euidenter probetur. ad idem est *tex. in l. 2. in princip.* ibi, nisi euidentissimis probationibus testatorem voluisse apparuerit. de condit. & demonstr. ponderando verbum euidenter, quod in *l. natura. 177. de verb. signific.* exponit *Rebuff. id est clare, aperte, dilucide. & facit tex. in l. licet.* ibi, si non fuerit euidens diuersa voluntas. *de lega. 1. Vnde. Barbat. in dict. cap. Raynaldus.* dicit, quod tales coniecturæ debent esse expressè, & à iure approbatæ, & perspicuæ ad hoc, vt ex coniecturis constet, quod euidenter apparere debet. & tenuit Rota in Tudertina fideicommissi 13. Aprilis 1587. coram Gipsio. & in Romana Hæreditatis de Fossanis 12. Februarij 1588. coram eodem.

3 Vnde videre est, an coniecturæ ponderatæ pro D. Catherina sint tales, vt ex ipsis sit recedendum à consil. Oldr. & inter adductas pro illa hæc est vna, quod in testamento fuerit habita ratio conseruandæ agnationis, ex quo fuerunt habita ratio conseruandæ agnationis, ex quo fuerunt primo loco vocati Paulus, & Ludouicus, & omnibus supra nominatis morientib. fuerunt substituti proximiores de cippo domus ipsius testatoris, ex quibus prætenditur agnationis rationem habitam fuisse, cum ex vocatione cippi domus inducatur agnatio vocata secundum gradus prærogatiuam, *Angel. Cast. & alij. in l. fi. C. de verborum sign. Corn. consil. 55. num. 55. lib. 1. Curt. iun. consi. 121. num. 15.* cum alij adductis per Informantes.

4 Ex ista autem coniectura non fuit visum, quod sit recedendum à *consil. Oldrad.* respondebatur enim in primis negando testatorem in nostro casu aliquam rationem conseruandæ agnationis habuisse, cum morientibus hæredibus sine filijs substituerit D. Catherinam, & Portiam, ex qua feminarum vocatione in quacumque parte testamenti facta excluditur ratio conseruandæ agnationis, *Alexand. consil. 115. nu. 10. libro 2. Bald. 473. libro. 5. Socin. in l. cum auus. numer. 82. vers. 2. casus. ff. de condi. & demonstrat. idem Socin. in l. Gallus. §. nunc de lege Velleia. ff. de liber. & posthum. Dec. consil. 370. num. 30. Gozad. 29. numero 3. Socin. iun. 6. numero 20. versic. nec etiam obstat. & 118. numero 5. libro 1. & 158. num. 42. libro 2. Curt. iun. 172. uumero 4. & 5. Aym. 180. num. 1. & 306. num. 5.* Et nimirum, cum feminas agnatio nō cōseruetur, sed potiùs destruatur, cū ipsæ sint finis illius, *leg. pronunciatio. §. fin. cum l. seq. de verb. sig. §. si. Insti. de patr. potestat. Paris. consil. 1. nu. 25. cum seq. lib. 3. Soc. iun. consil. 22. num. 54. lib. 2. & 12. lib. 3.* Quod magis procedit, quando testator non expressit desiderium conseruandæ agnationis, vt in nostro casu.

5 Sed dato, & non admisso, quod testator voluisset conseruationem agnationis, & illa desumatur ex vltima proximiorum cippi domus substitutione iuxta superius adducta. Tamen ista vocatio proximiorum de cippo intelligitur iuxta dispositionem *text. in l. cum ita. §. in fideicommisso. & in l. peto. §. fratre. de leg. 2.* scilicet, quod censeantur vocati illi tantum, qui sunt in proximiori gradus ita vt, postquam ad proximiorem deuenerit, extinguatur fideicommissum, & non intelligatur, quod in perpetuum de vno in alium sit deuenturum, nisi testator vsus fuisset verbis importantibus tractum successiuum, vel verbis futuri temporis, quæ qualia sint declarat *Alex. in [illegible] l. Gallus. §. [illegible] lib. 4. quidam rectè. num. 6. Menoch. præsumpt [illegible] n. 14. & consi. 75. nu. 54. lib. 1. & Pereg. vbi [illegible] & decis. 579. nu. 9. & sequ. par. 1.* quibus verbis omnino in nostro casu testator non fuit vsus, quam sententiam post Cuman. *in dicto §. in fideicomm.* tradit *Ruin. consil. 89. num. 5. lib. 2.* & pluribus relatis testatur de magis communi, *Cephal. consil. 89. num. 34. lib. 1. & Socin. in leg. si cognatis. numero 17. & sequen. de reb. dub. Simon de Pret. consil. 203. num. 24.* & ita tenuit Rot. in Tiburtina Castri Viuarij 28. Martij 1588. coram bon. mem. Card. Seraphino.

6 Vltra

6 Vltra, quod per conseruationem agnationis denotatam per testatorem, quamuis deuentum fuerit ad plures gradus substitutionum, non est recedendum à consilio Oldrad. iuxta *Alexand. consil. 59. num. 21. versicul. non obstat etiam. lib. 3. & consil. 139. à numer. 3. cum sequent. lib. 6. Socin. sen. consil. 62. numero septimo, & decimo, versic. præterea quando filij. & in consil. 116. numer. 4. versic. quæ omnino non habent. libr. 3. & Socin. iun. consil. 4. numer. 20. in fin. lib. 3. Decian. consil. 63. versicul. secundo testator, & consilio 218. à numer. 7. cum pluribus seqq. & præcipue. numer. 13. versicul. & huic conclusioni, & in consil. 291. numero quinto, versicul. venio ad sextam. & num. sexto,* vbi loquitur de substitutione facta de cippo. *Iason. cons. 66. num. 19. & seqq. lib. 3. Ruin. consil. 89. numer. 10. & num. 30. versic. quod etiam comprobatur, & consil. 92. numer. vndecimo, & in consil. 153. numer. 3. 5. & 8. lib. 2. Crauet. consil. 98. à num. vndecimo. Cephal. consil. 17. Honded. consil. 60. numer. 40. & sequent. lib. 1. Gabriel. consil. 111. numer. 8. 16. & sequent. lib. primo. Menochius consil. 85. numero 102. & consilio 328. numero vigentesimoprimo, & in præsumpt. 69. numer. 11. lib. 4. Molin. de primogen. libro primo, capit. quinto, num. 37. Surd. consilio 448. numero duodecimo, & sequent. attestans de veriori. Marcambrun. consil. 61. numer. 136. Bertazzol. consilio 69. numer. 6. & 7. libro secundo. Pancirol. consilio 93. numero 22. & Sfort. Odd.* hanc dicens communem, & loquitur de substitutione fauore cippi facta. *consilio 66. numero 106. & in consil. 67. numer. 30.* prout & locuta fuit Rot. in Romana fideicommissi de Gallis. 16. Nouembris 1587. coram bonæ memor. Cardin. Pamphilio. & in d. Roman. hæreditatis de Fossanis coram Gipsio. & in d. Tiburtina Castri coram Seraphino. Qui Doctores omnes loquuntur aut in casu, quo expresse agnationis conseruatio fuit desiderata à testatore, aut quado voluit bona peruenire ad illos de sua stirpe, & progenie, aut de familia, aut de liberis in liberos, donec aliquis superesset in infinitum, aut quod bona integre conseruentur inter suos descendentes in infinitum, aut quando vocauit proximiores masculos descendentes de domo sua, aut posteros ex linea masculina descendentes in perpetuum, aut quod remanerent bona in propinquioribus de parentela, & sic semper de gradu in gradum, & fere omnes loquuntur in casu quo testator deuenerat ad plures gradus substitutionum, & nihilominus vno ore tenent intrare *dictum consilium Oldr.*

7 Et reddunt rationem, quia omnes istæ substitutiones intelliguntur factæ in casu euenientis primę conditionis, quod instituti decederent sine liberis, vnde illa deficiente ceteræ omnes subsequentes expirarunt ex supra adductis. Deficiente enim conditione quo ad primum præcluditur via sequentibus substitutionibus. *l. si mater. §. primo. & l. qui habebat. ff. de vulgar. l. qui fundum. §. qui filios. ff. ad leg. Falcid. idem Oldrad. consilio 167. Paris. 87. num. 37. lib. 2. Alexand. dict. consil. 139. numer. 4.* cuius opinionem dixit communem, & absque vlla dubitatione *Rot. decis. 236. numer. 1. par. 2.* vbi etiam de cippo agitur. Conditio enim, si sine liberis, respicit tantum tempus mortis Ludouici, & Pauli, de quo tempore cum filius ex Paulo superuiueret, conditio defecit, & substituta remansit exclusa, ad *text. in d. leg. filiusfamilias, §. cum quis, & in d. l. ex facto. §. ex facto*, cum alijs iuribus supra adductis. Qualitas enim adiuncta verbo venit intelligenda secundum tempus, verbi, *l. 2. & 3. ff. de aur. & argent. legat.*

8 Alia coniectura deducebatur, ex eo, quod videtur testatorem processisse ad plures gradus substitutionum, cum prius cohæredes institutos inter se reciproce substituit secundo illis sine filijs decedentibus sorores substituit, tertio vero loco omnibus supranominatis morientibus proximiores de cippo domus vocauit, ex qua coniectura non desunt Doctores teuentes quod à consil. Oldradi sit recedendum, vt per Aymon. *consil. 98. Socin. consil. 250. numero quarto, libro secundo,* plures refert *Mantic. vbi supra, libro vndecimo, tit. tertio, num. decimo tertio,* & adducuntur decisiones Bonon. fideicommissi de Sancto Petro 27. Maij 1596. coram Illustrissimo Mantica, & Bononien. fideicommissi de Matthesilanis 19. Iunij 1600. coram bonæ memoriæ Cardinali Seraphino, & quamuis ista sola coniectura de per se pateretur difficultatem, iuncta tamen cum alijs plurimum operatur. *Rip. in l. centurio, num. 105. de vulg. Soc. iun. consil. 119. num. 26. lib. primo. Grat. cons. 89. n. 9. lib. 2. Cephal. 475. in fin. Illustriss. Mantic. vbi sup. d. n. 13. vers. verum plane. in fin.*

6 Sed nec ista coniectura suffragatur, ad hoc, vt non intret d. consil. Oldrad. & quamuis ex prædictis satis videatur ad illam responsum, Nihilominus in particulari respondendo Domini censuerunt, non esse admittendam quasi non sufficientem, vt scripsit *Soc. sen. in l. cum auus. nu. 113. in fin. ff. de condi. & demon.* & illam communiter reprobari sic simpliciter deductam notat *Rip. in d. l. centurio, num. 165. & idem testatur Alciat. cons. 89. nu. 5. lib. 9. & in cons. 117. ad fin.* & tanquam communem hac sequitur *Rolan. cons. 51. num. 9. lib. 3. Clar. vbi supr. ad §. testamentum, q. 79. in fin.* Et etiam cum alijs coniecturis adductam illam non admittendam tenuit Rota in terminis *dict. consil. Oldrad.* sed esse intelligendum retento eodem themate, quod conditio si sine liberis adimpleatur, secus tamen si semel deferit per existentiam liberorum, tunc ista coniectura etiam aliis concurrentibus efficit, quod primæ substitutioni, & ceteris subsequentibus locus non sit, & omnibus sic substitutis via succedēdi præcludatur, *vt in decis. 118. parte prima. & 230. parte secunda inter impressas*, & in dd. Tudertin. fideicommissi, & Roman. hæreditatis de Fossanis, & in alia Bononien. fideicommissi de Gratiolis 31. Maij 1606. coram Domino meo Decano. Et fere omnes Doctores in præcedenti conclusione adducti hanc eandem sententiam affirmant, vt ibi retuli.

10 Et ad d. Decisiones Bononien. fideicommissi de S. Petro, & Bononien. fideicommissi de Matthesilanis respondebatur, quod in istis decisionibus, & illarum casibus concurrebant pluraquæ denotarunt clare, & euidenter mentem testatoris fuisse instituere fideicōmissum perpetuum ad fauorem agnatorum de domo & familia, etiam in casu, quo instituti aut substituti cum filiis decederent, vt ex eisdem decisionib. apparet. Vnde in casibus illarum est mirum, quod cesset cons. Oldr. iuxta communem, de qua supra.

11 Item ponderatur, quod omnibus supra nominatis morientibus testator substituit proximiores de cippo domus, quasi non possit esse locus huic vltimę substitutioni, si substitutio facta Paulo, & Ludouico, si sine filiis decessissent, nō intelligeretur etiam in casu, quo decenderent cum filiis, & filiis sine filiis morerentur quo casu intrarent Domina Catherina, & Portia substitutæ, & illis, & omnibus aliis morientibus possent venire proximiores de cippo, & intrat regula qui vult consequens &c. *Dec. cons. 23. nu. 2. Burt. iun. d. consil. 121. nu. 11. & 16. Riminal. iun. consil. 21. nu. 36. lib. 1.* & in similibus terminis dixit Rot. in Firmana de Fulchis 2. Aprilis 1601. coram bonæ memoriæ Cardin. Pamphilio, & ponderatur dictio vniuersalis, omnibus supranominatis morientibus, quæ omnes præcitatos includit. *l. 1. de legat. 1.* & idem operatur, ac si de singulis esset facta expressio specialis. *Bart. in l. 2. ff. de nouat. Aymon. cons. 308. num. 6. Cephal. 156. nu. 2.* & quod per istam dictionem, omnes, censeatur impositum fideicommissum omnibus superius nominatis, tradit *Grat. cons. 5. num. 59 lib. 2.* & fuit dictum in simili in vna C. Castelli fideicommissi 14. Maij 1607. coram Reuerendiss. Bononiensi.

12 Minus videbatur ex ista coniectura cessare consil. Oldrad. & fuit responsum, quod illa dictio vniuersalis, omnibus supra nominatis morientibus restringitur

tur ad habiles positos in dispositione, & vocatos, & ab casum, quo conditio primæ substitutioni adiecta locum habuisset per deficientiam liberorum, vt notat *Cephal. in dicto consil. 17. num. 17. & num. 30. & 31. vers. & sic etiam parum facit*, quibus in locis loquitur de istis dictionibus, omnibus, & de verbo, permanere, & perpetuo, quæ semper debent intelligi secundum subiectam materiam, DD. *in l. prima, ff. sol. matrim.* & non inducunt fideicommissum, vbi non est, nec esse potuit. *Dec. dicto consil. 218. num. 13. vers. & huic conclusioni. & d. consil. 291.* vbi in illius casu aderat clausula, deficientibus omnibus, &c. *vt ibi numero 6. & 7.* Et nihilominus dixit intrare *consi. Oldrad.* prout & eadem clausula, quod si omnes supranominati morerentur sine liberis, aderat etiam in casu *consil. Crauet. 98.*

13 Et ex his respondetur decisioni C. Castelli fideicommissi coram Reuerendiss. Bononien. in contrarium adductæ, vbi aliqua vis fuit facta in d. dictione vniuersali, omnes, quasi omnes prenominatos includeret, sed vltra responsiones superius datas dicitur, quod in casu illius decisionis filij heredum non solũ erant nominati, sed etiam vocati, & grauati, cum illud esset fideicommissum reale, seu in rem scriptum, in quo non adest differentia inter vocatos, & positos in conditione, *vt per Dec. alios adducentem cons. 44. nu. 72. li. 3. Rim. iun. cons. 456. nu. 5.* In casu autem nostro nullum adest fideicommissum reale, vnde nimirum, si filij positi in conditione non censeantur vocati, & per consequens per existentiam filiorum Pauli expirauerint omnes substitutiones subsequentes de omnibus prenominatis quantumcumque factæ ex supradictis.

14 Minus obstat, quod filij positi in conditione censeantur in nostro casu vocati, quia fuit responsum, quod quamuis filius Pauli in casu nostro fuerit positus in conditione, non tamen fuit vocatus, vnde successit patri in istis bonis ab intestato ex iuris dispositione tanquam in bonis liberis iuxta *glos. in l. Lucius. la seconda. ff. de hæredib. instit.* cuius opinio est verior, & receptior iuxta *Couarr. in cap. Rainutius. §. 3. num. 2. de testamen. Iul. Clar. in dicto §. testamentum. q. 77. Padilla in l. cum acutissimi. num. 46. C. de fideicom. Molin. vbi sup. d. c. 6. num. 1. Costa in cap. si pater. par. 1. verb. si absque liberis. numero 54.* qui hac parte plures alios cumulat, & hanc Rota sequitur, *Caputaq. decis. 98. lib. 2. in manuscript.* & fuit dictum in vna Recanaten. hæreditatis. 14. Maij 1607. coram bonæ mem. Penia.

15 Vlterius testator substituit in casu, quo instituti decederent sine filijs, in casu vero, quo quilibet ipsorum cum filijs decederet, nihil prouidit testator, nec hoc casu fecit substitutionem filijs positis in conditione, ergo iste casus omissus à testatore relinquitur iuris dispositioni. *l. si extraneus. ff. de condic. ob caus.* & per consequens filius Pauli in conditione positus non successit testatori, sed ipsius patri ab intestato, & sic per illius existentiam de tempore mortis Pauli expirarunt substitutiones factæ, dicta D. Catherina, & omnes subsequentes.

16 Quæ iuuantur ex eo, quod si consideremus personas institutorum, quibus fit substitutio, reperiemus tantum Ludouicum, & Paulum, si vero consideremus personas substitutas, reperiemus tantum in prima substitutione D. Catherinam, & Portiam, sed nec inter istas substitutas, nec inter substitutos, quib. substitutio fuit facta, non reperiemus filios institutorum in conditione positos, quia illi tantummodo fuerunt nominati ad effectum conditionis concipiendæ. Vnde nec potest dici fuisse substitutos patri, nec illis substitutum aliquem datum fuisse, nec ipsos vocatos, iux. *d. gl. l. Lucius. comiter receptam*, & per consequens necessario est dicendum successisse patri ab intestato ex iuris dispositione, iuxta superius adducta.

17 Que in tantum sunt vera, quod isti positi in conditione non sint vocati, vt procedat etiam si positi fuissent cum qualitate masculinitatis, quæ in tali casu censetur apposita fauore substituti, qui alias non solum à masculis, sed etiam a feminis excluderetur, vt in nostro casu, & non est apposita ad vocandum, & inuitandum per fideicommissum masculos propter agnationis conseruationem, vt de communi testantur omnes sequentes Doctores. *Alex. consilio 202. numero 7. libro 7. Socin. iun. 277. num. 9. libro 2. Rip. in l. centurio. num. 162. de vulgar. & pupill. & in l. 1. num. 3. C. de pact. & ibi Cagnol. num. 51. Ias. consil. 143. numer. 4. lib. 2. Mantua. cons. 115. num. 18. & seq. Iul. Clar. vbi supra. q. 69. & latè Dec. cons. 218. & 287. num. 9.*

18 Quæ ita sunt vera, vt etiamsi deuentum fuerit ad plures gradus substitutionum, non dicantur vocati positi in conditione. *Cephal. consil. 268. in princ. & num. 17. cum seq.* vbi refert plures testantes de magis communi, & idem testatur, & eam sequitur *Gabriel. de fideicom. concl. 4. num. 9. & Ruin. consil. 101. num. 3. & 4. lib. 2. & de communi. Alciat. consil. 124. in fi.* & quamplures adducens, & etiam attestans de communi *Roland. à Vall. consi. 51. num. 3. lib. 3. & Bursat. consil. 1. num. 8. & hanc late tuetur Pancirol. cons. 59. num. 7. cum pluribus seqq.*

19 Et quamuis ex coniecturis recedatur à d. glos. l. Lucius, communiter recepta ex late adductis, & Doctoribus congestis per *Clar. vbi supra, quæst. 77. 78. & sequentib. & per Illustrissimum Mantic. vbi sup. lib. 11. titul. 3. & per Grass. de succession. §. fideicommissum. quæstione 14.* Nihilominus Domini censuerunt non esse sufficientes coniecturæ in nostro casu adductæ, vt ex illis ab opinione dictæ glossæ recedatur, quin potiùs illi standum iudicarunt, & supra particulariter prædictis coniecturis fuit responsum, quando de illismet fuit actum ad effectum, quod cesset, vel intret *d. consi. Oldr.*

20 Vnum tamen hic addendum videtur, quod non versamur in descendentibus à testatore, sed potiùs in extraneis, cum testator non habens filios instituerit Ludouicum, & Paulum ipsius ex fratre nepotes, vnde intrat regula, quod licet alias in descendentibus sufficiant leuiores coniecturæ pro excludenda opinione prædictæ glos. secus tamen est in extraneis, in quibus maiores, & validiores coniecturæ requiruntur, vt notat *Syluestr. Aldobrand. consil. 29. num. 51. Mantic. vbi sup. num. 28. & Cras. d. q. 14. num. 7.* & dixit Rot. in Bonon. fideicommissi de Pannolinis 10. Decemb. 1610. coram Reuerendiss. Lugdunen. quicquid dixerit *Clar. in d. §. testamentum. q. 76. in fi.* tenens, quod tantum in descendentibus coniecturæ contra d. glos. & cõmunem opinionem admittantur, cuius opinio non ita simpliciter, sed cum supradicta distinctione est intelligenda.

21 Vnde infertur filium Pauli, tanquam non vocatum non debere grauari. *l. ab eo. C. de fideicomm. l. sed. & si sic. §. 1. de legat. 3. Bartol. & alij in d. l. centurio. Ias. consil. 218. num. 9. & 10. lib. 2. Cephal. 268. nume. 23.* Immo tenet *Ias. in l. cetera. § fin. num. 10. & 20. de legat. 1.* Quod licet testator expresse fecisset substitutionem fideicommissariam filijs Pauli positis in conditione, adhuc non valeret, ex quo non sunt vocati iudicio testatoris, nec honorati, sed tantum in conditione positi.

22 Quæ roborantur ex eo, quod etiamsi filius Pauli in nostro casu censeretur vocatus contra *d. glo. communiter receptam*, adhuc etiam non censeretur grauatus, cum ex eo, quod esset actiue vocatus, non potest inferri, quod fuerit passiue grauatus. *Rip. in d. l. centurio. numero 168. Paris. consilio. 31. numero 28. lib. 2. Socin. iun. 57. num. 4. & 5. lib. 4. Crauet. 98. nu. 5. Cephal. 514. per totum. Sfort. Odd. consil. 66. num. 97. & 106.* Et reddunt rationem, quia si existentia filij positi in conditione facit illam deficere ad releuandum patrem grauatum, & ad excludendum substitutum, fortius ergo & ad eiusdem filij fauorem, ne censeatur grauatus, cum illum testator, prætulerit substituto.

23 Nec etiam obstare videtur, quod appellatione filio-

liorum veniant nepotes, *iuxta Bar. in l. liberorum. nu. 2. ff. de verb. signif. & Rot. dec. 243. num. 3. par. 2. diuer.* cum ibi relatis. ex quo conantur ex aduerso inferre, quod cum filius Pauli obierit sine filijs, Paulus dicatur decessisse sine nepotibus, qui veniunt appellatione filiorum, & ideo purificata fuerit conditio, si sine filijs, ad fauorem D. Catherinæ.

24 Quia, vt notat *Bart. in d. l. liberorum. nu. 18.* dispositione collata in personam filiorum natorum conditione impleta persona nepotis non comprehenditur, *iuxta tex. in d. leg. Gallus. §. idem credendum*. Verificata enim in filio talis dispositio non extenditur ad nepotes, vt post *Bart. vbi supr. notat Alex. cons. 105. numer. 3. lib. 1.* & plures referens notat *Gabr. de verb. signif. conclus. 1. nu. 74. limitat. 12.* Illa enim conditio, si sine filijs decesserit, intelligitur de tempore mortis Ludouici, vel Pauli ad *tex. in dicta l. ex facto. §. si quis.* & regulatur, iuxta tempus verbi, vt supra dixi. Vnde non est trahenda ad tempus mortis nepotis sine filijs, quod euenit multo post mortem Pauli.

25 Quæ comprobantur ex eo, quod appellatione filiorum non veniunt nepotes, quando non tractatur de ipsorum fauore, sed grauamine, prout in substitutione fideicommissaria, quæ dicitur onus. *l. cohæredi. §. cum filio. de vulg. notat Corn. cons. 187. nu. 7. lib. 2.* ex regula, quod in materia odiosa non veniunt nepotes. *Bald. in l. Titius. n. 1. de liber. & posthum. Io. And. in cap. ad extirpandas. quem ibi refert, & sequitur Butr. n. 7. de fil. presbyteror. per text. in l. patri. ff. de adulter. cum l. seq. & in l. Iulianus. §. hoc cap. ff. de ritu nupt.* & plures pro hac conclusione adducit *Gabriel. vbi supra dicta concl. 1. limit. n. 54.* Alias autem omnino destrueretur illa communis sententia superius firmata, quod deficiente conditione per existentiam filiorum substitutio expirauit, etiam si filij postea sine filijs moriantur, quod non videtur admittendum. Et adducta in contrarium habebunt locum ad effectum exclusionis substituti, quia qui decedit cum nepote, non dicitur decedere sine filijs, secus vero ad effectum grauaminis, nam grauatis filijs non censentur grauati nepotes ex superius latè adductis, & per *Honded. dict. cons. 60. num. 61. & sequent.*

26 Nec etiam obstare videbatur, quod ex clausula, omni meliori modo, iuncta clausula codicillari censeantur vocati filij positi in conditione iuxta *decisio. Put. 215. in fin. lib. 3.* Quia præter id, quod in casu Put. aderant multæ aliæ coniecturæ, ex quibus Rota censuit positos in conditione in illo casu fuisse vocatos, quæ hic desunt. Fuit responsum, quod clausula codicillaris de sui natura operatur, vt quæ ex testamento inualido non debentur, debeantur ab intestato ita, vt suppleat defectum solennitatis, non verò defectum voluntatis. *Gabr. cons. 129. num. 12. & 16. lib. 2. Socin. cons. 73. ad fin. Menoch. cons. 326. nu. 40. Peregr. de fideicommiss. art. 18. nu. 8.*

27 Nec obstant adducta per *Bald. in l. verbis ciuilibus. de vulgar. & pupill. & Matthesil. singul. 140. & per Crauet. cons. 22. & cons. 532. num. 5. quem refert, & sequitur Menoch. cons. 420. num. 17.* Hi enim de clausula codicillari testantur operari, vt descendentes censeantur inuicem, & successiue vocati per fideicommissum ita, vt substitutio, quæ alias directa iudicatur, in fideicommissariam resoluatur. Quid tamen bene declarat *Curt. iun. in d. cons. 114. num. 10. & Dec. cons. 205. num. 9. & cons. 291. num. 3. & Alciat. cons. 5. num. 39. Cacheran. 14. n. 41.* qui omnes cum alijs ab ipsis relatis contra d. doctrinam Crauet. & aliorum tenent, & quod clausula codicillaris nihil operetur, vbi deficit voluntas testatoris, & in quibus non disposuit, & quod d. clausula tendit ad confirmandum, quod fuit factũ, non autem ad ampliandum, vt comprehendat non dispositum à testatore. *Socin. sen. cons. 77. in fin. lib. 3. Soc. iun. cons. 100. num. 35. lib. 3. Illustriss. Mantic. vbi supra, lib. 6. tit. 4. n. 15. & bene Laderch. Imolens. cons. 58. n. 32. Et Simon. de Pret. de interpretat. vlt. volunt. lib. 3. dubitat 2. solut. 3. nu. 6. & Rustic. in tract. an & quan. &c. lib. 5. cap. 6. n. 23.* & alij ab ipsis citati loquuntur de clausula, omni meliori modo, apposita in testamento, ex qua volunt, quod filij positi in conditione censeantur grauati in fideicommisso inducendo, quando aliter actus sortiri effectum non potest, & sic loquuntur *Put. & prædicti Doctor. quorum doctrinam* satis apparet non posse applicari casui nostro, in quo habemus testamentum validum, & substitutiones expressas, ex quibus iuxta regulas iuris valida testatoris voluntas ex superius adductis bene elicitur absque eo, quod opus sit quidquam mendicare ex clausulis, omni meliori modo, vel codicillari. Imo hæc clausula, omni meliori modo, censetur habere relationem ad illud, quod testator disposuit, vt conseruetur, tenditq; ad illud confirmandum, non autem ad ampliandum, vt comprehendatur id, de quo testator non cogitauit, vt scribit *Ceph. cons. 390. nu. 57. quem refert, & sequitur Illustr. Mantic. vbi sup. lib. 3. tit. 14. nu. 11. vers. sed aduertendum est,* & fuit dictum in vna Romana fideicommissi de Stanchis 13. Ianuarij 1597. coram bon. mem. Seraphino.

28 Tandem non obstat argumentum desumptum à præsumptione, quod si testator de isto casu interrogatus fuisset ad fauorem D. Catherinæ respondisset, cui motiuo *Socin. iun. in d. cons. 4. nu. 16. lib. 3.* respondet primo, negando, quod testator tale quid respondisset, cum potius contrarium possit credi, si quidem apponendo conditionem filijs primi gradus, si sine liberis decederent, visus fuit velle, quod deficiente conditione substituti excluderentur: ergo non est præsumendum contrarium suæ propriæ, & vltimæ voluntati responsurum.

Secundo respondet Soc. quod non sufficeret tale responsum testatoris, ex quo tantum ipsius nuda voluntas eliceretur, cum illa non transiuerit in dispositionem. Vnde & hoc argumentum fallax censuit *Bero. cons. 63. nu. 36. lib. 2.* quem refert, & sequitur *Honded. in d. cons. 60. num. 87. & pluribus hoc comprobat Surd. d. cons. 448. nu. 28.* Ex quibus sic resolutum fuit.

DECISIO CCCCLXXXVII.

Anconitana Pecuniariæ. Lunæ 13. Maij 1613.

Impressa apud Buratto.

DECISIO 2.

DECISIO CCCCLXXXVIII.

Leodien. Canonicatus Tongren. Veneris 16. Maij 1613.

Impressa apud Buratto.

DECISIO 3.

R. P. D. VEROSPIO.

Bononien. Parochialis. Lunæ 18. Martij 1613.

ARGVMENTVM.

Literis non iustificatis earum vigore capta possessio nulla est.

SVMMARIVM.

Beneficij possessionem vt quis obtineat iustificare debet narrata in supplicatione, & possessio literis minime iustificatis nulla est. nu. 3. & 4.
Beneficium non potest conferri, vt collatiuum, nisi prius iustificato, quod sit collatiuum. nu. 3.
Beneplacitum expirat morte concedentis. nu. 4.
Beneficium adiudicari non potest ad nutum deputato. nu. 4.
Possessio amittitur ab eo, qui rei ab ipso possessæ alium recognoscit in dominum. nu. 5.

DECISIO CCCCLXXXIX.

1 ARchiepiscopus Bononien. de anno 1554. reseruauit Hominibus Villæ Molinellæ facultatem nominandi Cappellanum in Parochiali Ecclesia dicti loci, qui tamen deberet per eundem Archiepiscopum confirmari, ad quam Ecclesiam postea de anno 1607. ad nominationem dictæ Communitatis, fuit per Reuerendissimum Paleottum, tunc Archiepiscopum Bononien. constitutus in Capellanum ad ipsius beneplacitum Iacobus Maria Vandinus. Defuncto Reuerendissimo Paleotto fuit per Sedem Apostolicam de eadem Ecclesia, tanquam de beneficio deuoluto prouisus Marcus Malisardus, in qua post adeptam illius possessionem deputauit Cappellanum ad suum nutũ amouibilem supradictum Vandinum acceptantem, & promittentem se nomine D. Malisardi possidere, & eidem Ecclesiæ inseruire. Post hoc Vandinus, vna cũ hominib. dicte Ville appellauit ab immissione in possessionem Malisardi, & causa introducta in Rota fuit mihi, in locum Domini Pegnæ subrogato, commissũ vt procederem appellatione remota. Vnde proposito per me dubio, cui esset adiudicandum beneficium, Domini responderunt illud neutri esse adiudicandũ.

2 Non enim Malisardo potest adiudicari, ex quo non docet de suo titulo, quod vide licèt sit collatiuus, nec alia per ipsum narrata iustificat, vt possit beneficium obtinere. *Aym. cons. 104. nu. 3. Cæs. de Graff. dec. 66. n. 1. Caputaq. dec. 39. par. 2. Dec. cons. 142. nu. 6.*

3 Nec releuat, quod idem tanquam reo, & possessori sit danda absolutoria, cum illi sufficiat vincere per nõ ius alterius, quia cum eius possessio fuerit nulla, literis minime iustificatis. *Fel. in cap. ad aures. n. 4. vers. 2. concl. de rescript. Rot. dec. 593. p. 3. lib. 3.* Nihil ei suffragatur, maximè post oppositionem Vniuersitatis, quod beneficium non esset collatiuum, sed manuale, & post exceptionem de nullitate processus, & de obreptione literarum Apostolicarum quo casu tanto minus iudex procedere poterat ad illarum executionem, & præsertim non iustificato prius, quod beneficium esset collatiuum, ad hoc vt posset conferri. *Ferret. cons. 143. nu. 7. Vestr. in Praxi lib. 5. cap. 14. in fine.*

4 Neque beneficium potest adiudicari Vandino, tum quia ipse fuit tantum electus, & approbatus in Cappellanum ad beneplacitum *Reuerendissimi Paleotti*, quod *per mortem eiusdem expirauit, cap. si gratiose. de rescript. in 6. Gabriel. de probat. concl. 1. n. 22.* Tum etiam ad nutum deputato non competit adiudicatio beneficij. *c. Sanctorum, 70. distinct. Achill. dec. 1. nu. 4. de offic. Vicar. Rebuff. in Praxi tit. de requisit. ad collat. benef. nu. 3.*

5 Præterea nec ipse potest aliquid in possessorio pretendere, cum recognouerit D. Malisardum in Rectorem, declarando se illius nomine possidere, per quam recognitionem amisit possessionem, si quam habuisset. *l. 3. §. in amittenda. ff. de acquir. possess. Angel. in l. si quis, §. differentia. in princ. ff. eod. &c.*

REVERENDISSIMO P. DOM.

DAMASCENO.

Foroliuien. Nullitatis obligationis. Lunæ 20. Maij 1613.

ARGVMENTVM.

Obligatio facta ab iniuste carcerato ad fauorem carcerantis ipso iure nulla est, etiam quod tempore obligationis fuerit carceratus positus extra carceres, si postea ad illos remissus, & præsertim quando ante obligationem potestatus fuit, debitorque vt tanquam suspectus de fuga carcerari possit, plura requiruntur.

SVMMARIVM.

Carcerati obligatio ad fauorem iniuste carcerantis facta nulla, & inualida est. nu. 1. & 2. Vbi amplius quod talis obligatio est ipso iure nulla.
Carcerati obligatio eo minus valet, quando carceratus ante obligationem protestatus fuit, quod non intendebat se obligare. nu. 3.
Carcerati obligatio, & contractus non valet, etiam quod tempore stipulationis carceratus fuerit positus extra carceres, qui statim fuerit in illos remissus. nu. 4.
Metus vt dicatur purgatus, requiritur plena, & totalis libertas, & quod omnino cesset causam metus. nu. 4.
Debitor suspectus de fuga carcerari non potest, nisi docto de credito, creditore instante iurato suspecto debitore, & constito de deterioratione post obligationem. nu. 5.
Clausulæ manu Regia, quæ sola facti veritate inspecta tollunt solennia iudiciorum, non autem substantialia. nu. 6.
Legatus de latere nihil contra formam iuris facere, & statuere potest. nu. 7.

DECISIO CCCCXC.

1 INformante tantum Equite Capite ferreo, cum pars aduersa pluries citata noluerit informare, Domini censuerunt sententiam, R. P. D. Marchesani esse confirmandam, quatenus annullat obligationem factam per prædictum Equitem ad fauorem Dionysij Zauli, cum omnibus in ea contentis. Moti fuerunt Domini, quia prædicta obligatio, fuit per Equitem facta, dum iniuste pro causa pro qua se obligauit, detinebatur in carceribus, vnde fuit nulla, *ad l. qui in carcerem. & ibi Doct. ff. quod met. caus. Fulgos. cons. 136. nu. 1. Alex. cons. 241. in fin. lib. 6. Socin. iun. cons. 77. nu. 38. lib. 1. Neuizan. cons. 52. num. 47. Marsil. in Praxi. §. attingam. num. 22. vbi de communi. Natt. cons. 451. nu. 1. & seq. Afflict. dec. 149. num. 2. Menoch. de arbitr. lib. 2. cas. 136. num. 45.*

2 Adeo enim iura abhorrent hunc metum incussum per viam carceris, & licèt regulariter gestum ex causa metus non sit nullum, sed rescindendum. *l. 1. C. de rescind. vendit. l. interpositas. C. de transact.* Attamen gestum ex causa metus iniustæ carcerationis est ipso iure nullum, vt colligitur ex dicta l. qui in carcerem. ibi nullius momenti est, &c. quæ verba importat ipso iure. *l. si quis Sempronium. ff. de hæred. instit.* & quod talis contractus sit ipso iure nullus, tenent *Cardin. cons. 137. nu. 1. ad fin. Abb. in cap. 2. nu. 19. incipien. duodecimum. de eo, quod met. caus. Fel. in cap. Rodulphus. num. 31. vers. nullius momenti. de rescript. Ang. Aret. cons. 96. nu. 14. & 21. Neuiz. cons. 52. nu. 48. Natt. vbi supr. nu. 25. Surd. cons. 37. nu. 20. Rol. cons. 2. nu. 82. & seq. lib. 1.*

3 Et conclusio procedit sine difficultate, quoniam, vt in proposito casu, præcesserunt protestationes carcerati, quod non intendebat se obligare. *l. qui in aliena. §. Celsus. ff. de acquir. hæred. Calder. consil. 5. numero 3.*

mero 3. de his, quæ vi, vel met.cauſ. Natt. dicto conſi.451. num.21. Hondedeus conſ.23. num.21. & ſeq.lib.1.Surd.conſ. 37.nu.20. Menoch.de præſumpt. lib.3.præſumpt.126. nu.23. quibus accedat rigor carceris, & inſolitus modus dandi cibum limitatum, quæ circumſtantiæ augent metum. *Card. dicto conſ.137. in princ.*

4 Nec predictus metus fuit purgatus ex eo, quod Eques quando contraxit fuerit poſitus extra carceres, quia cum ſtatim fuerit ad illos remiſſus, perinde eſt, ac ſi in carceribus ſe obligaſſet. *gloſ. in l. qui neque. verb.ſeruat.ff.de verb. ſignificat. Bart. in dicta l. qui in carcerem. num. 1. in fin. Caſtr. in l. qui à latronibus. in fin. de teſtam.Cuman.conſi.68. num.4. Fulgoſ. conſ.177. nu.2.verſ. ad ſecundum. Neuiz.conſil.52. num.48. Ruin. conſi.113.nu. 3. lib.5. Natt. conſil.451. num.15. cum pluribus ſequent.* Et eſt regulare, quod vt metus dicatur purgatus requiritur plena, & totalis libertas illi us, cui fuit metus incuſſus, & quod ceſſet omnino cauſa merus, facit *tex. in l. qui neque. & ibi glo. verb. ſeruatur. ff. de verb. ſignific. Bart. in l.2. num.6. & 7. Bald. num. 10. & 11. C. de his, quæ vi, vel metus cauſ. Alex. conſi.98. num.4. & conſi.99.num. 8. lib.3. Natt. conſi.451. num.15. & pluribus ſequentib. Roland. conſ.2. num.86. vſque ad 93. lib.1. Neuizan.conſ.52. num.52. & 53. Honded. conſi.23. num.40. & ſeq. lib. 1. Menoch. de præſumpt. lib.3. præſumpt.127. num.28. 29. & 34. Pedemont. deciſio. 180. num.12.*

5 Quod autem carceratio Equitis fuerit iniuſta, viſum fuit Dominis apparere ex eo, quod Eques fuit carceratus tanquam ſuſpectus de fuga, Communitate aſſerta creditrice minime inſtante, nec cum iuramento ſuſpicionis, nec docto de credito, nec minus de deterioratione poſt pretenſam obligationem ad fauorem Communitatis, prout hec omnia requiruntur ad effectum, vt quis legitime carcerari poſſit, tanquam ſuſpectus de fuga. *Bald. in l. apertiſſimi. num.9. C. de iudic. Bart. in l. creditores num.1. verſ. nam prius. ff. de priuil.credit. Dec.conſ.75. num.1. Neuizan. conſ.52.nu. 12. & 13. Natt.conſ.430. num.7. in fin. & pluribus ſequent. Roland.conſ.65. num.9. 10. & 11. lib.3. cum alijs, per Menoc. de arbitr.iudic. caſu 87. per tot. Ioſeph.Ludouic.deciſ.Per. 41.num.1. & 3.* Rota in cauſa Veneta pecuniaria. 7. Iunij 1605. coram bo.mem. Pegna.

6 Nec ſaluari poſſe ipſi defectus viſi fuerunt ex eo, quod Cardinalis Legatus, qui carcerare fecit Equitem in vim Bulle Clementis Papa VIII. ſuper Bono Regimine, poſſet ad fauorem Communitatis procedere manu Regia, & ſola facti veritate inſpecta, quia iſtę clauſulę bene tollunt ſolennia, non autem ſubſtantialia iudiciorum. *Natt. conſi.15. num.11. Aret. in c.dilecti.nu.17. de iudic. Lap. allegat.148. num.4. & 5. Rom. ſing.792. Crauett. conſi.265. num.6. verſ.* non obſtat. Rota in cauſa Bonon. de Budriolis. 25. Nouembris 1578. coram bone memorie Cardinale Seraphino, relata inter diuerſ.impreſſ.*deciſio.445. num.6. par.1.* Et perinde non potuit D. Cardinalis Legatus vigore dictarum clauſularum carcerare Equitem ſine requiſitis, de quibus ſupra, quia concernunt iuſtitiam, non autem ſolennitatem, precipue liquidatio crediti, & deterioratio poſt obligationem.

7 Sicut & multo minus id potuit facere, tanquam Legatus de latere, quia Legatus de latere nihil poteſt contra formam iuris. *glo. in c.fin. verb.figura. de haret.in 6.Specul.in tit.de leg.§.ſupereſt. nume.5. & 7. Anton.de But. conſi. 62. num.3. Abb. conſi.1. num.3. lib.2. Socin. conſ.27. num.9.lib.3. Crauet.conſil.103. num.2. Honded.conſ.104.nu. 30. cum alijs per Honded. conſil.93. num.7. lib.2.*

REVERENDISSIMO P. DOM.

DAMASCENO.

Sipuntina Iuriſdictionis. Veneris 24. Maij 1613.

ARGVMENTVM.

Epiſcopus in ſua Diœceſi habet de iure communi fundatum exercitium iuriſdictionis, in qua manutenendus eſt, non obſtante in contrarium allegato priuilegio exemptionis, niſi vltra priuilegium doceatur etiam de quaſi poſſeſſione exemptionis, & quomodo talis quaſi poſſeſſio probetur.

SVMMARIVM.

Exemptio à iuriſdictione Epiſcopi allegata ab Abbate in neceſſarium antecedens præſupponit Abbatiam exiſtere in Diœceſi Epiſcopi. num.1.

Epiſcopus habet de iure fundatam intentionem ſuper iuriſdictione in omnibus Eccleſijs exiſtentibus in ſua Diœceſi. num.1.

Mandatum de manutenendo conceditur ex ſola iuris ſubſiſtentia. num.2.

Teſtes de exequutione iuriſdictionis deponentes iuriſdictionem probant, etiamſi deponant de omnibus actibus iuriſdictionalibus. num.3.

Exemptionie priuilegium à iuriſdictione Epiſcopi numquid valeat in præiudicium ſucceſſorum. num.4.

Exemptionis priuilegium à iuriſdictione Epiſcopi non ſuffragatur, niſi probetur quaſi poſſeſſio exemptionis. nu.4. & 5. & 7. Vbi præſertim ad effectum impediendi manutentionem, & num.9.

Proœmium denotat cauſam finalem. num.5.

Ordinarius Epiſcopus eo ipſo, quod exercet iuriſdictionem in vna parte ſuæ Diœceſis videtur conſtitui in quaſi poſſeſſione exercendi dictam iuriſdictionem quo ad alias partes, in quibus alter non habet particularem quaſi poſſeſſionem. num.6.

Exemptionis à iuriſdictione alicuius quaſi poſſeſſionem non dicitur habere ſubditus ex eo ſolo, quod non appareat ſuperiorem in illum exercuiſſe iuriſdictionem, niſi probetur, quod venerit caſus exercendi, & volens exercere fuerit repulſus, & repulſioni acquieuerit, vel alias habuerit ſe pro ſpoliato. num.8. & num.10.

Argumentum à contrario ſenſu non valet ad inducendam correctionem iuris. num.9.

Epiſcopi habent vniuerſalem iuriſdictionem in ſua Diœceſi, præſertim in cauſis matrimonialibus, & criminalibus, in qua manuteneri debent, niſi in contrarium adſit immemorabilis canonizata per tres conformes. nu.11.

DECISIO CCCCXCI.

1 PRo Informante fuit reſolutum, nempè Domino Archiepiſcopo eſſe dandum mandatum de manutenendo in quaſi poſſeſſione exercendi iuriſdictionem, etenim cum loca, de quibus agitur, ſint intra Diœceſim, quod probatur ex eo, quod Dominus Abbas allegat exemptionem, quæ in neceſſarium antecedens preſuponit exiſtentiam in Diœceſi, Rota in cauſa Volateranen. Iuriſdictionis. 14. Ianuarij 1581. coram Brauo relata inter diuerſ.impreſ.deciſ.207.par. 2. & latius in Conſtantien. Iuriſdictionis. 18. Maij 1611. coram Reuerendiſſimo Domino Attrebaten. & etiam deponunt teſtes, quorum ſummarium fuit datum videtur, quod D.Archiepiſcopus habeat de iure communi fundatam intentionem. *cap.omnes Baſil cæ. 16.quæſt.7.cap.conquerente. de offic.ordin.c.cum Epiſcopus. eodem tit.in 6.Verall.deciſ.306.par.1. & 203.par.2.*

2 Ob quam ſolam iuris aſſiſtentiam debet manuteneri. c. cum perſonæ. §. fin. cum ibi not. de priuil. in 6. *Verall. dicta deciſ.306. par.1.* Rota in cauſa Salamantina Iuriſdictionis. 18. Aprilis 1581. coram Cantuccio relata inter diuerſ. impreſſ. deciſ.145. num.6. par.2. in Veronen. Iuriſdictionis. 15. Maij 1608. coram D.Attrebaten. & alibi ſæpe.

3 Et præfata eo magis Procedunt, quia de exercitio iurisdictionis deponunt prædicti testes, Rota in dicta Calaguritana Iurisdictionis. 5. Maij 1608. coram Reuerendissimo D. Attrebaten. & in Foroliuien. seu Bertinorien. Diœcesis. 3. Aprilis 1609. coram eodem, etiam si non deponant de omnibus actibus iuridictionalibus, quia sufficit causa vniuersalis, quæ magis attenditur, quam actus, vt fuit resolutum in causa Assisien. Canonicatus. 14. Iunij 1600. coram me, & in terminis iurisdictionis. *Innoc. in c. dilectus. nu. 3. de Cappell. Monach.* & alij infra allegandi. Et super aliquibus capitibus iurisdictionis in territorio, de quo agitur, dantur etiam decreta Sacræ Congregationis super Concilio ad fauorem D. Archiepiscopi.

4 Non obstat prætensum priuilegium exemptionis concessum vsque de anno 1211. ab Archiepiscopo Sipuntino, nam omisso quantum hoc priuilegium valeat in preiudicium successorum, de quo in Veronen. Exemptionis. 27. Maij 1594. coram bonæ memoriæ Cardinale Pamphilio. Respondetur, quod ad euitandam manutentionem Ordinarij non sufficit exhibitio priuilegij, nisi vlterius adsit quasi possessio exemptionis, vt habetur in *tex. cap. cum personæ. de priuil. in 6. ibi.* Quia de priuilegio faciunt fidem in libertatis, vel exemptionis possessione, non violenta, non clandestina, nec concessa precario, de qua fidem coram eisdem fecerint, non turbentur. Si enim Papa mandat eos non turbari in possessione per necessarium antecedens præsupponit, quod possideant, quia priuatio præsupponit habitum, iuxta not. in *l. decem. ff. de verbor. obligat.*

5 Et iste intellectus suadetur ex eo, quia dictum cap. cum personæ emanauit ad fauorem iurisdictionis ordinariæ, vt patet in principio ibi Ordinariorum correctiones, & ordinationes subterfugientes, ac eorum forum, siue iudicium declinantes, nos volentes super hoc de salubri remedio prouidere, statuimus, vt hi qui se asserunt per priuilegia, seu indulgentias Apostolicæ Sedis exemptos à locorum Ordinarijs requisitis, &c. ex qua narratiua procemij colligitur causa finalis. *l. fin. ff. de hæred. instituend. Oldrad. cons. 103. num. 2. Roman. consi. 38. num. 1. Alex. consi. 160. nume. 10. lib. 6.* Si igitur allegantes priuilegium exemptionis per solam exhibitionem priuilegij, antequam de illius iuribus cognoscatur, liberarentur ab exercitio iurisdictionis Episcopi, dispositio text. emanasset ad illorum fauorem, si quidem per regulas iuris, sola exhibitio priuilegij non tolleret exercitium iurisdictionis Ordinarij.

6 Nam eo ipso, quod Ordinarius exercet iurisdictionem in vna parte suæ Diœcesis, videtur constitui in quasi possessione exercendi, quo ad omnes, in quibus alter non habet particularem quasi possessionem. *Abbas consi. 71. col. fin. versi. 3. ad idem. ibi*, Nec alius erat in possessione, *lib. 2. Felin. in c. auditi. num. 19. in 3. declarat. de præscript. Rebuff. tractat. de decim. quæst. 9. nu. 4. Menoch. de retinen. remed. 3. num. 135. Cephal. cons. 369. num. 15. cum plurib. sequent.* Rota in causa Oriolen. Decimarum. 19. Iunij 1592. coram Gipsio, in Valentina Decimarum. 27. Octobris 1598. coram bonæ memoriæ Seraphino. Et in terminis iurisdictionis trad. *Innoc. in cap. dilectus. num. 3. vers. possessorium ex eo. Hostien. num. 1. vers. expræ dictis etiam. Ioann. Andr. numer. 8. Butr. num. 15. Boich. num. 11. de Cappel. monach. Verall. decis. 306. par. 1.*

7 Et proinde per istam exhibitionem priuilegij, quæ concernit petitorium, remaneret Episcopus priuatus sua quasi possessione contra notata per *Abb. in c. 1. nu. 4. Butr. num. 2. vt lite pend. Lancellot. de attent. par. 2. cap. 17. num. 161. & seq.* Et in specie, quod sola exhibitio priuilegij exemptionis non impediat manutentionem, fuit decisum in causa Carthaginen. Decimarum. 27. Iunij 1590. coram Gipsio.

8 Nec potest subditus dici constitutus in quasi possessione exemptionis, ex eo solo, quod non appareat superiorem in illum exercuisse iurisdictionem, nisi probetur, quod venerit casus exercendi, & volens exercere fuerit repulsus, & repulsioni acquieuerit, vel alias habuerit se pro spoliato, vt per *Innoc. Hostiens. Ioann. Andr. Butr. Boich. & Verall. locis supra allegatis.*

9 Et licet glos. in dicto c. cum personæ, verb. turbentur, innuat, quod sola exhibitio priuilegij sufficiat, per §. seq. infra eodem. Attamen loquitur contra regulas iuris, vt patet ex prædictis, & ducit argumentum suum à contrario sensu, vt aduertant *Lap. Anchar. & alij non allegandi*, quod argumentum non valet ad inducendam correctionem iuris, vt late per *Euerard. in loco à contrario sensu, num. 8.* prout induceretur in proposito casu, & iste videtur communis intellectus illius cap. cum personæ, vt per *Lap. ibi, numer. 4. vers. & hoc videtur, Anchar. num. 6. vers. hoc tamen, Gemin. in §. si vero, vers. & hoc videtur. Franc. ibidem, nu. 3. vers. hoc procedit*, dum dicunt exhibentem priuilegium, ita demum euitare manutentionem Episcopi, si ipse est in quasi possessione exemptionis.

10 Non potest autem dici constitutus in quasi possessione exemptionis, nisi probetur venisse casum, & quod Ordinarius voluerit exercere, & fuerit repulsus, & repulsioni acquieuerit, vt per *Doctor. supra allegatos.*

11 Imo potiùs probatur contrarium, cum testes, de quibus supra in principio deponant de aliquibus actibus iurisdictionalibus, factis per D. Archiepiscopum, qui propter vniuersalitatem causæ conferunt ad vniuersalem iurisdictionem ex supra allegatis. Et prædicta magis de plano procedunt, quo ad causas matrimoniales, & criminales, in quibus Sacro Concilio Tridentino cauetur, vt manuteneantur Episcopi, nisi adsit in contrarium immemorabilis canonizata per tres conformes, vt fuit dictum in causa Veronen. Iurisdictionis. 18. Martij 1596. coram bonæ memoriæ Cardinale Pamphilio. & in Burgen. Iurisdictionis. 7. Februarij, eiusdem anni, coram bonæ memoriæ Orano, &c.

R. P. D. VBALDO.

Anconitana Censuum. Veneris 24. Maij 1613.

ARGVMENTVM.

Restitutio in integrum aduersus rem iudicatam conceditur ex capite iniustitiæ etiam non notoriæ, censusque disdicta vt suum operetur effectum, quæ requirantur.

SVMMARIVM.

Restitutio in integrum conceditur aduersus sententiam, etiam quod transiuerit in iudicatum, ex qualicumque iniustitia etiam non notoria. num. 1.

Census disdicta lapsis duobus mensibus nihil operatur, iuxta formam Bullæ Pij V. num. 2.

Notario non creditur asserenti citationem esse exequutam. num. 3.

Notario asserente nuncium sibi retulisse se citasse aliquem, prout in schedula, non apparente ipsa schedula non dicitur constare de tenore citationis. num. 3.

Citationis tenor vbi non apparet non dicitur legitime constare de citatione. num. 3.

Procurator ad lites non potest recipere solutionem, nec minus interpellare ad recipiendum. num. 3.

Clausula Et cetera in mandato procuræ apposita, non potest extendi nisi ea, quæ sunt de natura actus, vel ea, quæ sunt cœpta exprimi, non autem ea, quorum saltem principium non est expressum, & de materiam. num. 4.

Procurator constitui non potest à persona minus legitima. n. 5

Procu-

Procurator interpellando minores non potest eos in mora constituere, non constito, in actis de mandato, nu. 6.
Depositum non integrum deponentem non releuat, etiam in minima parte. n. 7. Vbi quod depositum debet fieri non solam de sorte principali, sed etiam de fructibus.
Ratificatio facta ab eo, qui repræsentat duplicem personam, quomodo interpretanda sit num. 8.
Auctoritatem in contractu interponere ad sui commodum quis non potest. num. 9.
Nullum quod est, à principio ratificari non potest. nu. 9.
Ratificatio non operatur nisi constet, quod ratificans haberet scientiam omnium qualitatum actus ratificati, numero 10.
Tutor non potest alienare bona stabilia pupilli sine decreto iudicis, & causæ cognitione, nu. 11.
Census perpetui numerantur inter bona stabilia, num. 11.

DECISIO CCCCXCII.

1 FVit lata sententia à bonæ memoriæ Iusto, per quã fuit declaratum, census, de quibus agitur, fuisse extinctos, præuia decisione ab eodem extensa sub die 26. Februarij 1604. à qua sententia, licet filij & hæredes Petri de Leonibus appellassent: Tamen appellationem non fuerunt prosequuti, vnde obtinuerunt committi in Rota causam restitionis in integrum super qua proposito dubio 14. Ianuarij præteriti; quia pro parte Dominorum de Trimphis non fuerat informatum super iniustitia sententiæ, ex qua aduersarij deducebant causas restitutionis in integrum. Domini resolutionem distulerunt, sed hodie eodem dubio iterum proposito, vtraq; parte informante Rota censuit constare de causis restitutionis in integrum, cum ad eam obtinendam ad effectum retractandi sententiam etiam, quæ transiuit in iudicatum sufficiat qualiscunque iniustitia, etiam non notoria, vt fuit resolutum in vna Auximana Dotis 14. Martij 1579. corã Seraphino. *Cæsar. de Graff. dec. 10. nu. 12. de re iud. relata inter impressas dec. 351. nu. 5. par. 1. diuers. Caputaq. decis. 94. part. 3.*

2 Iniustitia vero deducebatur ex pluribus quos videbetur pati extinctionem censum ex aduerso prætensa. Primo ratione disdictæ census, quæ prętenditur bis facta, & circa primam non videtur dubium quin euanuerit, nam fuit executa die 11. Aprilis 1591. oblatio vero fuit facta die 22. Iunij eisdem anni, & sic post 12. dies post lapsum bimestris, & ideo iuxta Bellam. felic. record. Pij V. super censibus Leonij poterant intra annum agere, sed non cogi à Triumphis ad retrouendendum censum nisi præcedente noua disdicta, vt in dicta Bulla, §. cum vero.

3 Secunda vero videbatur Domini pati multas difficultates, tum quia de relatione citationis executæ in personam Ioannis Ferrantini clare non constabat, nec Notario asserenti videbatur credendum, nisi constet de relata executione cum deponeret de actu à se non gesto, nec à se rogato. *Aym. consil. 273. num. 6. Bald. in l. vltima num. 17. Cod. de re iudic.* vltra quod notorius asseruit nunciũ sibi retulisse se citasse, prout in schedula, quam exhibuit, & tamen dicta schedula non reperitur in actis, nec fuit à Notario integraliter registrata. Vnde quatenus probaretur citatio, non tamen probatur tenor citationis *Felin. in capit. quoniam contra. sub num. 51. vers. hanc tamen conclusionem de probat. quem sequuta est Rota decisio. 55. par. 1.* Vbi quod si de tenore non constat impossibile est dicere, quod citatio sit legitime executa, tum quia persona Ferrantini videbatur minus legitima ad effectum, de qua agebatur cum esset constitutus procurator ad lites à Domina Lauinia matre, & tutrice, quo casu sicut talis Procurator solutionem recipere non potuisset, *l. si Procurator. ff. de condict. indebiti, leg. hoc iure. ff. de solution.* Ita nec oblatio, nec interpellatio ad recipiendum illi fieri poterat. *Tiraquel. de retract. lignag. §. primo, gloss. 13. num. 33.*

4 Non obstat clausula, & cet. in mandato apposita, quia in eius extensione possunt venire ea, quæ sunt de natura actus, non autem alia. *Doctor. in leg. Gallus, §. idem credendum, vbi Ias. nu. 7. ff. de liber. & posthum.* vel ea, quæ sunt cœpta exprimi, non autem ea, quorum saltẽ principium non est expressum *Castr. cons. 18. nu. 5. lib. 1.* Vnde in proposito potuit operari, quo ad omnia necessaria in mandato ad lites non autem pro oblatione vel pretio census recipiendo.

5 Vltra quod Lauinia mater die 27. Aprilis 1591. reassumpsit tutelam, & constituit Ferrantinum actorem ad lites, quod nõ videtur potuisse facere, cũ viueret adhuc Franciscus Alleus ad petitionem eiusdem matris datus tutori propter litem, quam mater cum pupillis habebat pro repetitione suæ dotis, quod impedimentum litis adhuc durabat, vt constat ex actis postea per eandem matrem factis mediante persone Tamburlani vti eius procuratoris pro consecutione dicti depositi & sic manifeste videtur conuinci inualiditas mandati Ferrantini cum esset constitutus à persona minus legitima, nempe à matre de tempore quo non poterat esse tutrix, propter impedimentum litis, quæ ad huc durabat, & superuiuentiam alterius tutoris, qui ob dictam causam datus fuerat.

6 Accedit, quod talis interpellatio fuit facta ab asserto procuratore illorum de Triumphis, de cuius tamen mandato non constat in actis, cum tamen videretur omnino necessarium, & ad constituendum in mora minores de Leonibus, *Bartol. in leg. inter stipulantem, §. primo, ff. de verbo, obligat. Surd. consil. 160. numer. 24. libr. 2.*

7 Accedit vltimo, quia decretum emanatum vigore dictę interpellationis de deponendo, fuit factum cum intimatione, quæ tamen intimatio non fuit facta, nisi post depositum, ex qua videtur resultare inualiditas dicti decreti. *Put. dec. 174. libr. 1.* ex quibus resultat secundus defectus principalis, scilicet depositum, quod tanquam nullum ob defectum disdictæ, & Interpellationis non potuit afficere pupillos de Leonibus, tanto magis, quia contra dictum depositum aliæ etiam dabantur exceptiones per Informantes, vt quod non fuerit integrum, & ideo nullum, *l. obligatione. C. de sol. lut. adeo,* vt sufficit defectus in minima parte *Alexan. cons. 75. num. 8. libr. 7. Tiraquel. de retract. conuent. §. 4. gl. 4. num. 1. & glos. 6. num. 23. & seq. & Menoch. de arbitr. cas. 232. num. 28. & 29. in addit.* & debet fieri depositum non solum sortis, sed etiam fructum *l tutor. §. Lucius, ff. de vsur. l. vsuras, Cod. eodem Couar. var. resol. libr. 1. cap. 15. nu. 10.* hoc autem depositum, neque fuit integrum, quo ad sortem, quæ erat vtriusque census Scuta 4751. & fuerunt deposita Scuta 4331. & de extinctione alterius partis in summa Scuta 400. dicitur constare ex publico instrumento, vt in supradicta decisione coram bonæ memoriæ Iusto, adeo, vt adhuc deficiant Scuta 20. neq: fuit integrum, quod fructus cum non dicantur soluti, nec depositi pro illo bimestri, pro quo fuit facta prima disdicta.

8 Quæ fere omnia senserunt Domini etiam in dicta decisione coram Iusto. Et licet responderint, vt ibi habetur: tamen putarunt cessare difficultatem ex ratificatione Lauiniæ matris, & tutricis pupillorum, sed hodie contrarium Dominis visum fuit, videlicet, quid dicta ratificatio non suffragetur Dominis de Triumphis, ex multis responsionibus datis per Informantes ad dictam ratificationem, ex quibus illa magis placebat, quod scilicet hic non adsit aliqua expressa ratificatio, sed illam eliciant Triumphi ex instantia facta per Procuratorem Lauinię, pro consignatione dictarum pecuniarum pro sua dote. Quæ tamen instantia non fuit facta, tanquam à tutrice, sed tanquam à creditrice cum ipsa repræsentaret duplicem per-

personam. Vnde petens satisfieri super deposito, tanquam creditum non censetur ratificare census extinctionem, vti tutrix cum hæc sint distincta, & separata. *Surd. dec. 153. nu. 16.*

9 Præsertim cum in hoc actu ageretur de proprio commodo Lauiniæ, in quo non poterat sibi ipsi authorari. *leg. 1. ff. de auct. tut. Abb. consil. 40. in fi. lib. 2.* & licet in necessarium antecedens videatur dicendum Lauiniam præsupposuisse censum fuisse extinctum, cum alias non potuisset pecunias prætendere, vt dicitur in dicta decisione, coram bonæ memoriæ Iusto; tamẽ potuit credere censum, tunc fuisse legitime extinctum vnde ex hac petitione non videtur potuisse induci ratificatio extinctionis, quæ non aderat saltem valida, ex prædictis, & alias actus in principio nullus ratificari non potest. *Natt. consil. 262. num. 10.*

10 Vltra quod in ratificante necesse est, vt concurrat scientia omnium qualitatum actus ratificari, quæ hic non probatur. *Ruin. consil. 8. num. 4. versic. si autem libr. 4. cum alijs per Gabr. in titul. de iudic. conclus. 3. numer. 18.* & fuit resolutum in causa Romana pecuniaria 3. Decembris 1610. coram Reuerendissimo, Attrebaten. vbi in specie dicitur, quod ratificans præsupponit actum fuisse validum, quo præsupposito cessante cessat ratificatio.

11 Quibus adest, quod stante nullitate disdictæ census Lauiniæ, neq; etiam tanquam tutrix poterat eam ratificare cum fuisset alienatio rerum stabilium prædictorum minorum voluntaria, quę sine Decreto iudicis, & causæ cognitione fieri non potest, *leg. lex, quæ tutores, C. de administ. tut. Surd. consil. 191. num. 17. libr. 2. &* alias certum est census perpetuos enumerari inter stabilia. *Tiraq. de retract. lignag. §. 1. gloss. 6. num. 4. Honded. consil. 61. num. 35. lib. 1.* Ex quibus & alijs cumulatis per Informantes Domini censuerunt constare de causis restitutionis in integrum.

DECISIO CCCCXCIII.

Meliten. Conseruæ. Lunæ 3. Iunij 1613.

Impressa apud Buratto.

DECISIO 5.

REVERENDISSIMO P. D. DAMASCENO.

Segobien. admissionis ad habitum. 3. Iunij 1613.

ARGVMENTVM.

De probatione nobilitatis, & puritatis sanguinis plura notanda, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Puritas sanguinis in dubio præsumitur, nu. 2.

Testes ad perpetuam rei memoriam examinari debent parte citata per edictum contra interesse putantes, nu. 2.

Testes examinati ad perpetuam rei memoriam nulliter sine citatione faciunt magnum adminiculum, n. 3.

Testes plures numero etiam nulliter examinati faciunt adminiculum, nu. 4.

Publica vox, & fãma probat puritatem sanguinis, & nobilitem. num. 4.

Sententia super statu facit ius etiam, quo ad alios, numer. 5. & numer. 9.

Populus non facile decipitur in iudicando an quis sit nobilis, vel ignobilis, nu. 6.

Nobilitas probatur ex eo, quod quis fuit admissus inter nobiles, nu. 7.

Iura etiam in forma non probanti faciunt adminiculum, numero 8.

Regula si non prosunt singula multa collecta iuuant, maxime procedit in probatione nobilitatis, & puritatis sanguinis, num. 10.

Probationes vbi sunt contrariæ attenduntur illæ, quæ sunt ponderosiores. num. 11.

Probationes leuiores sufficiunt vbi concurrit præsumptio iuris, num. 12.

Rumor, seu vox vana populi fundata in erroneo principio nullius est considerationis. num. 15.

Statuti verba semper interpretari debent, vt illud reddatur rationabile. num. 15.

Nobilitas an perdatur per exercitium vile. nu. 16. in fi. & n. 17. vbi an perdatur in præiudicium descendentium.

Nobilitas quandoque oritur ex actibus egregijs alicuius personæ. num. 18.

DECISIO CCCCXCIV.

1 Rota censuit, statuta Religionis Hierosolymitanę super puritate, & nobilitate admittendorum ad habitum prædictæ Religionis minime obstare D. Ioanni Alphonso de Aguilar, & quia tota difficultas reducebatur per Informante pro Religione ad q. Eleonoram auiam paternam prædicti D. Ioannis Alphonsi, quæ per dictos Informantes prætendebatur deficere in vtroque capite.

2 Quo ad puritatem fuit consideratum, quod vltra præsumptionem, quæ in dubio est pro puritate, vt fuit dictum in causis Toletana portionis. 2. Maij 1594. & 27. Ianuarij 1595. coram Illustriss. Mant. in Hispal. habitus. 11. Martij 1601. coram Reuerendiss. Domino Bonon. & alibi sæpe, D. Ioannes Alphonsus plene probauit suam, & D. Eleonoræ puritatem, siquidem pro illa adsunt octo testes in hac causa per Commissarios Religionis recepti. Nec non 29. alij per quinque annos, ante hanc litem ad perpetuam rei memoriam examinati, qui testes, licet fuerint nulliter examinati ob defectum citationis per edictum contra interesse putantes, iux. notata per *Innoc. in c. Albericus tit. 6. de testibus. Card. num. 1. ver. quid si non apparet. Felin. pariter. num. 1.*

3 Attamen negari non potest, quin faciant magnum adminiculum, ex trad. per *Bar. in l. admonendi. num. 41. ff. de iureiur. Abb. in c. cum olim. nu. 6. de priuil. Dec. consi. 54 num. 2. vers. postremo. Ruin. consi. 46. num. 10. lib. 4. Crau. consi. 198. num. 11.* Rota in causa Pampilonen. Decimarum. 23. Iunij 1608. coram bo. mem. Card. Pamphilio, & in Vratislauien. matrimonij 27. Nouembris 1609. coram R. P. D. Caualerio.

4 Maxime cum sint in numero tam magno, immo excessiuo ad cumulata per *Gabr. de testib. conclus. 6. per tot.* qui omnes testes affirmant ex publica voce, & fama, prædictam puritatem, quod genus probationis sufficit in hac materia ad tradita per *Bal. in l. prouidendum. in fi. C. de postulan. Cassan. consi. 64. nu. 11. & seq. Guido Papa. decis. 387. nu. 2. Verall. decis. 6. par. 2 cum alijs per Tiraqu. tract. de nobil. c. 10. num. 8.* & in specie tenuit Rota in causa Legionen. Denegationis possessionis coram Card. Blanchetto. 8. Martij 1593. & in Burgen. admissionis ad habitum. 26. Ianuarij, & in Toletana, seu Meliten. denegationis habitus. 16. Iunij 1604. coram Illustrissimo Lancellotto, in d. Hispalen. Habitus. 11. Martij 1601. coram Illustrissimo D. Bononien. & in Meliten. habitus. 10. Iunij 1609. coram R. P. D. Caualerio.

5 Prædictis accedat, quod cum alias quidam Petrus Maldonado iniurasset Paulum, filium, quondam Gomes

mes Samilan, qui fuit frater prædictæ Eleonoræ, vt constat ex testibus, & testamento Gomesij communis patris, qui eos vti tales, appellando, & tractando, probat filiationem, & inde fraternitatem ad *Butr. & Præpos. in c. transmissæ. qui fil. sint legit. Archid. & Felin. in cap. per tuas. de probat. cum alijs, per Paris. consil. 29. num. 10. libr. 2.* causa fuit deducta in iudicium, in quo Paulus factis suis probationibus super puritate obtinuit sententiam fauorabilem, in qua fuit declaratus purus. Adest & alia sententia in simili materia per eundem Paulum obtenta contra moniales S. Vincentij, quæ sententia, & probationes tanquam super statu faciunt ius, quo ad omnes, *leg. ingenuum. ff. de statu. hom. glos. in c. quamuis vers. res inter alios, de re iudic. Fab. in §. præiudiciales, num. 41. Instit. de act. Afflict. super const. Reg. incip. prosequentes, num. 22. versic. & si per sententiam, lib. 2. Tiraq. de nobilit. cap. 37. num. 2. & 14. Achil. dec. 5. de sent & re iudic. Cæs. de Graff. dec. 2. nu. 6. de iud.* & fuit in specie dictum in vna Toletana Canonicatus. 11. Decembris 1609. coram Illustriss. Lancellotto, in Giennen. Canonicatus 20. Iunij 1586. coram Bubalo, & Hispalen. habitus. 11. Martij 1601. coram Reuerendiss. D. Bonon.

6 Confirmatur puritas prædicti Pauli ex liberatione obtenta à commune, & ciuibus nobilibus Segobien. super vexatione tributi, quod per non Hidalgos soluitur, vbi etiã ipse declaratur Hidalgus, quæ declaratio multum confert, cum in istis materijs populus haud facile decipiatur ad trad. *per Bart. in l. 1. num. 97. & seq. Cod. de dignit. lib. 12. Felin. in cap. super eo. il secondo, numer. 5. vers. tamen dicas, de testibus. Socin. consil. 246. numer. 3. libr. 2. Cassan. consil. 64. num. 11.* & per Rota in causa Meliten. habitus, 10. Iunij 1609. coram R. P. D. Caualerio.

7 Item ex eo, quod dictus Paulus fuit admissus in Confratrem B. Mariæ de Candelora, in qua non nisi Hidalgui recipiuntur, vt patet ex fide Notarij, super vtroq; data, quod in simili considerauit Rota in causis Oueten. Canonicatus 24. Ianuarij 1578. coram bon. mem. Card. Seraphino, relat. inter diuers. impress. dec. 176. nu. 6. & 6. par. 1. & Burgen. admissionis ad habitum 26. Ianuarij 1604. coram Illustriss. Lancellotto, & in prædicta Meliten. habitus 10. Iunij 1609. coram R. P. D. Caualerio.

8 Et licet dubitari possit, an istæ duæ scripturæ sint in forma probanti per ea, quæ alias (dum proponeretur dubium super eo, an iura essent in forma probanti (fuerunt deducta per Informantes pro Religione, attamen negari non posse videbatur, quin faciant adminiculum, ad not. in lege instrumenta, ibi in alijs quoque adminiculis, *Cod. de probat. Iason. cons. 129. nu 2. versic. moueor. lib. 1. Ripa l. admonendi. n. 98. ff. de iureiur. cum alijs, per Rot. in causa Conchen. benef. 3. Februarij 1608, coram me.*

9 Corroborantur omnia superius dicta ex eo, quod licenciatus Tapia, quia fuit filius fratris vtrinq; coniuncti prędictæ Eleonorę, vt probant duo testes, cum & ipsi mota fuisset controuersia super Hidalguia, obtinuit contra promotorem Fiscalem Regium, & Regimen Ciuitatis Segobien. se cum omnibus suis antecessoribus declarari Hidalgum, & exemptum, & à tributo, quod per non Hidalgos soluitur, quæ sententia tanquam lata super statu facit ius quo ad omnes, ad fauorem dicti Tapiæ, & suæ familiæ, ne toties super eadem re inquiratur *d. leg. ingenuum. ff. de statu hom. cum alijs supr. alleg.*

10 Et quatenus supra deducta tanquam singula possent pati aliquam difficultatem, videbatur, quod simul iuncta facerent rem plusquam manifestam, iuxta regulam de qua per *gl. in l. 2. v erb. legitimi. ff. de excus. tut. cum alijs latè ad eam rem cumulatis per Gabr. tit. de probat. concl. 1. per tot.*

11 Quibus attentis visum fuit non obstare nonnullos testes pro parte Religionis examinatos, deponẽtes de publica voce, & fama, prædictam Eleonoram auiam paternam D. Ioannis Alphonsi, & eius familiam de Samillan descendere à quibusdam Boccudis conuersis ad fidem Christianam. Nam fuit responsum, quod regulariter statur probationibus, ponderosioribus, *l. ob carmen. 2. testes, ff. de testib. Bart. in l. si duo. num. 4. ff. vti possid. Socin. cons. 54. num. 13. lib. 4. Crau. consil. 6. num. 50. Menoch. tract. de retinend. remed. 3. num. 718. Natt. consil. 373. in fin.*

12 Vnde multo magis est stan. in hac materia, in qua cum sapiat obiectum, & habeat contra se præsumptionem, Rota voluit, vt probationes pro puritate, etiam si essent minus ponderosæ, præualeant, ex *doct. Corn. cons. 176. in fin. lib. 4. Anchar. consil. 189. num. 7. vers. 2. modo respondetur cum alijs per Hoied. de Benef. incomp. part. 1. cap. 23. nu. 143.* Rota in specie in causa Legion. Canonicatus 3. Iunij 1602. coram R. P. D. Decano, in Burgen. admissionis ad habitum. 20. Decembr. 1604. coram eodem, & in causa Toletana portionis 19. Ianuarij 1609. coram Reuerendiss. Bonon.

13 Et proinde cum probationes facientes pro puritate ad eo excedant probationem, quæ deducitur super impuritate, vt patet ex prænarratis merito dicebatur esse standum probationibus super puritate, & hoc eo magis, quia apparet de origine istius falsæ famę, quod familia de Samillan descẽdat à Bocudis, nempe quia Petrus Gallus de Samillan proauus sępe nominatæ Eleonorę auię D. Ioan. Alphonsi inseruiuit prædictis de Boccudis pro factore, siue institore, & apparet ex quadam solidatione computorum per dictum Petrũ cum dictis de Boccudis facta, & etiam deponũt testes quinimo fuit illis adeo carus vt dictus Aluarus Garzias in suo testamento disposuerit, quod Petrus Gallus posset sepeliri in sua Cappela, tam ipse Petrus quã sui descendentes, vnde nil mirum si stante hac intima familiaritate dicti Petri Galli cum prædictis Boccudijs exijt rumor, quod ipse est de illorum descendentia, & quod ista fuerit origo malæ famæ impuritatis prædictorum de Samillan expresse deponunt testes supra pro D. Ioanne Alphonso ponderati, & quod dictus Petrus Gallus vere non esset Boccudorum descẽdentia, videbatur Dominis apperte colligi, ex quo fuit illis adeo, carus vt eũ propria sepultura donauerint, & nihilominus neque in testamento neq; in solidatione computorum pro consanguineo vllatenus appellatur.

14 Nec supra latè deductis refragari visum fuit, quod statutum Religionis cuius copia fuit data excludat, illos, qui sola fama impuritatis etiam minus probabili sint commaculati, vt patere dicitur ex illis verbis ibi nulli detur habitus ordinis nostri, &c. qui à Iudæis, &c. aliquam originem ne dum probabilem, quoquomodo traxerit, quia fuit responsum, quod stantibus in contrarium tot, & tantis, de quibus supra apparet, testes qui deposuerunt, esse publicam vocem & famam, quod isti de Samillan descendant à Boccudis fuisse deceptos.

15 Et quod immo id non fuit nisi quidam rumor, seu vox vana populi fundata in erroneo principio, qui de iure nullius sunt considerationis *l. decurionum, Cod. de pæn. l. fin. ff. de hæred. inst. Bart. in l. de minore. §. plurimum num. 31. ff. de quæst, Alexandr. consil. 173. num. 7. lib. 6. Rolan. consil. 3. num. 5. libr. 1. Surd. consil. 151. num. 76.* & quod iste intellectus est à ffumen. vt statutum magis sit conforme regulis iuris, *iuxta notat. in cap. cum dilectus. de consuetud. in l. si seru. Cod. de noxal. Paris. consil. 167. num. 16. volum. 4. Roland. consil. 72. numer. 38. in fin. Curt. iun. consil. 7. numer. 8. Cephal. consil. 247. num. 39.* & ne alias reddatur irrationabile excludendo petens habitum cum maxima familiarum ignominia, propter quamlibet vanam vocem populli. Illam enim semper debent capi interpretatio, vt statutum reddatur ratio-

ratioabile, ad *l. Salu. Aristo. ff. de leg. post. l. ex facto. in prin. ff. de vulg. & pupil. Rim. cons. 72. nu. 42. lib. 3. Bal. cons. 92. nu. 2. lib. 4. Soc. cons. 121. nu. 5. vol. 1. Crauet. cons. 3. nu. 23. Rolan. cons. 427. nu. 39. lib. 3.* & fuit in terminis similis statuti resolutum in causa Toletana Cappellæ. 5. Iunij 1609. & in alia Toletana portionis, die 21. eiusdem mensis, & anni coram me, & 15. Februarij 1610. coram Reuerendissimo Bonon. & in terminis statutorum Religionis in causa Burgen. admissionis ad habitum. 20. Nouembris 1604. coram R. P. Domino Decano, & in supra allegata Hispalen. habitus. 11. Martij 1601. coram Reuerendiss. D. Bonon.

16 Quantum vero ad secundum Caput de nobilitate prædictæ Eleonore illa satis probari videbatur ex testibus, & sententijs, de quibus supra, quæ non solum loquuntur de puritate, sed etiam de nobilitate quibus fuit dictum, non obstare vnicum fundamentum, nempe quod ex quo apparet, dictum Petrum Gallum auum Eleonore famulatum fuisse personis adeo diminutæ conditionis, prout sunt Hebræi conuersi in illis partibus, quinimo ab illis recepisse ius sepulturæ, satis constare de ignobilitate prædictæ Eleonoræ, ex quo est neptis personæ, quæ talia fecit, & passa est, nam ommisso an famulatus potuerit auferre nobilitatem D. Petro, cum maxime non inseruierit in officio vili, nec appareat, quod acceptauerit ius sepulturæ forte sibi magis amanter, quam prudenter oblatam, ab illis Boccudis, & an possit esse, quod Domini de Boccudis fuerint multum diuites, vnde potuerint honorifico salario conducere nobiles, qui in illis partibus ob inuasionem Maurorum recipiendo se ad loca montuosa, & sterilia remanserunt multum pauperes, vt tradunt scriptores illarum partium, omisso etiam an per exercitium vile perdatur nobilitas, cum negatiuam partem defendat *Io. Garz. de Hispan. nobil. & exempt. glo. 1. §. 1. num. 57. & seq. 1.*

17 Et dato, & non concesso, quod amittatur per personam talia exercentem, an per hoc possit præiudicare eius descendentibus, de quo per Tiraquel. *de nobilit. cap. 35. num. 4. & seq.* cessare visa fuit omnis difficultas, quia vt satisfiat statuto sufficit probare nobilitatem patris, & aui, vt fuit dictum in causa Burgen. admissionis ad habitum. 5. Aprilis 1604. coram Illustrissimo Lancellotto, & proinde cum D. Io. Alphonsus in hoc plene satisfecerit, non est quærendum de vlterioribus gradibus.

18 Et dato non concesso, quod prædictus Petru Gallus minime potuerit dici nobilis, non per hoc conuincitur Eleonoram eius neptem fuisse ignobilem, quia nobilitas potuit incipere à Gomesio patre prædictæ Eleonore, qui illi mediantibus actibus egregijs, & alijs requisitis ad acquirendam nobilitatem dederit principium, iuxta late tradita per *Tiraq. de nobilit. c. 4. & 5. & c. 2. num. 43.*

R. P. D. VEROSPIO.

Bononien. de Guidalottis. Lunæ 3. Iunij 1613.

ARGVMENTVM.

Creditor hæreditatis locando hæreditarias domos, nomine proprio, censetur hæreditatem adiuisse, domusque locasse non tanquam creditor, sed tanquam hæres.

SVMMARIVM.

Fructus sequuntur rei dominium. num. 1.

Dominium acquiritur hæredi ex aditione bonorum hæreditariorum. num. 1.

Aditio hæreditatis inducitur ex gestione pro hærede. num. 2.

Vt puta ex locationibus domorum hæreditariarum d. nu. 2. Vbi præsertim, quando domus fuerunt locatæ, tanquam suæ propriæ,

Possidere quis præsumitur iusto titulo, & eo modo, quo sibi est magis proficuum. num. 3. in fine,

Creditor hæreditatis cuius est hæres locando domos hæreditarias, censetur locasse vti hæres, & non vti creditor, num. 4.

Hæres qui semel fuit, amplius desinere non potest esse hæres. num. 5.

Possessionis mutatio præsumitur per superuenientem nouum titulum nisi de contrario doceatur. num. 6.

Procurator non potest facere actum, ex quo hæreditatis repudiatio inducatur sine speciali mandato. num. 7.

Hæreditas semel adita amplius repudiari non potest. numero 7. in fine,

DECISIO CCCCXCV.

1 STante Bononiæ Statuto, non videtur posse controuerti ad Plinium spectasse pro quinta parte hæreditatem Antonij ipsius ex fratre nepotis, vt etiam in hac causa dictum fuit 14. Nouembris 1611. coram bon. memoriæ Penia. Dubium erat, An ille dictam hæreditatem adiuisset, vt pro ea parte fructus suos fecerit. Nam cum ex aditione dominium bonorum hæreditariorum inducatur, *l. sed si lege. §. quod autem. & seq. ff. de petit. hæred. Couar. pract. quæst. cap. 12. num. 2.* Impossibile est si Plinius fuit hæres, quod suos fructus non fecerit, qui rei dominium sequuntur, *l. fructus. ff. de rei vendic.*

2 Et quoniam anno præterito 16. Ianuarij coram bonæ mem. Penia decisum fuerat, Plinium sibi noluisse de corporibus hæreditarijs satisfacere, visum fuit Dominis ab hac decisione recedere, firmando illum pro dicta quinta parte hæreditatem adiuisse. Nam cum aditio ex gestione pro hærede inducatur. *l. si quis mihi bona. §. sed quid mandauerit. vbi Doct. ff. de acqu. hæred. Ias. in l. pro hærede. num. 1. ff. eod.* Satis in casu nostro dicitur inducta ex locationibus domorum hæreditariarum separatim, & diuerso tempore factis. *Bart. in l. gerit. num. 21. ff. de acq. hæred. Alex. consil. 32. num. 2. lib. 3. & consil. 126. num. 4. lib. 7. Corn. consil. 103. num. 4. & seq. lib. 2.* Et fuit dictum in causa Romana hæreditatis. 10. Martij 1603. coram Reuerendissimo Bononien. cum præsertim non simpliciter illas Plinius locauerit, sed cum expressione, quod erant propriæ ipsius, vnde magis aditio concluditur. *§. item extraneus. vbi Aret. num. 2. Iustit. de hæred. qualit. & diff. l. si quis domum. § idem quærit. ff. loc. Ias. in dicta l. pro hærede. num. 3. Bald. cons. 71. in fin. lib. 5.*

3 Nec obstat Plinium locare potuisse domos, tanquam administratorem. Tum quia administrator non est dominus, nec res administratæ sunt propriæ ipsius, & per consequens talis titulus non se compatitur cum illis verbis domos suas in locatione expressis, ex quibus colligitur domos hæreditarias, tanquam a proprio domino, non tanquam ab administratore locatas. *l. Quintus Mutius. la secunda. §. cui legatum. ff. de auro, & argent. legat. l. si quis seruos suos. ff. de legat. 1. legat. 3. Rip. in l. cum fundus. numer. 1. ff. de legat. 1.* Tum etiam, quia cum mortuo Antonio desierit Plinius esse administrator, non potuit tali titulo possidere. Vnde si diceremus domos prædictas illum vti hæredem, & dominum locare noluisse, induceretur præsumptio vsurpationis, contra iuris regulas, suadentes, quem iusto titulo possidere, & eo modo, quo sibi est magis proficuum, vt in terminis tradit. *Intcharan. consil. 252. num. 3. Afflict. decis. 13. num. 17. & 18. Surd. consil. 291. num. 12.*

4 Non obstat, quod Plinius esset creditor Antonij, quia

quia per locationem cum alio super rebus hæreditarijs contrahendo, qualitas credit non excludit aditionem, vt bene tradit *Barto. in dicta l. gerit. numero 21. Alex. consi. 126. nume. 1. in fine. lib. 7.* Quæ aditio tanto magis inducitur, cum Plinio damnosa esse non posset, *Bald. cons. 298. num. 2. vers. item quando. lib. 5. Aym. consi. 33. num. 12. in fin.*

5 Non obstant ea, quæ in contrarium allegantur ad ostendendum, Plinium non habuisse animum hæreditatem adeundi. Quia stante aditione supradicti non potuit ille per quemcunque actum desinere esse hæres. *l. sicut maior, C. de repud. hæred. Bald. cons. 144. nume. 2. lib. 2.*

6 Præterea actus in contrarium ponderati se compatiuntur cum aditione hæreditatis, nec illi contradicunt. Nam quod Plinius respondendo positionibus 59. & præcedentibus, dixerit se bona Antonij, tanquam administratorem retinuisse, debet intelligi de tempore ante obitum Antonij. Responsiones vero positionibus 61. & 62. intelliguntur immediate post mortem eiusdem Antonij, & sic ante aditam hæreditatem. Nam cum Plinius dixerit, se in administratione de tempore obitus Antonij remansisse, nec fuerit vsus verbis importantibus, quod in illa continuauerit, responsio ad prædictum tempus duntaxat refertur, quod comprobatur ex responsione ad alias positiones 66. & 67. quæ continet tempus successiuum post aditam hæreditatem, quibus respondit Plinius, se legitime possidere, non autem fuit responsum de administratione, prout in præcedentibus de tempore obitus Antonij, quod ostendit, Plinium sibi mutasse possessionem propter superuenientem titulum hæreditatis, cum de alio non doceatur. *l. quod mulier. ff. de rei vendicat. Ancharan. consilio 252. numero 3. Afflict. decisione 13. numero 17. & sequent.* Et sic apparet ex ista temporum distinctione, responsiones Plinij ad positiones, non repugnare præcedentibus actibus inductis pro aditione, sed cum illis conuenire.

7 Non obstat interpellatio facta nomine Plinij, in qua dicitur illum velle creditum suum totum, & integrum, mediante iudicis officio consequi à suis nepotibus Antonij hæredibus, super qua fundatur decisio bonæ memoriæ Peinæ. Nam vltra quod est petitio facta per Procuratorem, qui non poterat absque speciali mandato actus facere, ex quibus repudiatio hæreditatis induceretur. *Doct. in cap. fin. de confess. Bartol. in l. certum. §. sed an ipsas. eodem titul. Iason. in l. 2. §. final. numero 20. ff. si certum petatur.* Dicitur nihilominus, illam non obstare, etiam si à Plinio facta fuisset, stante præcedenti illius aditione, de qua supra. *l. vt debitum. C. de hæred. act.* cum hæreditas semel adita amplius repudiari non possit ex supradictis.

8 Vlterius dicta petitio non est incompatibilis cum imaginaria solutione in corporibus hæreditarijs ex aditione resultante. Potuit enim Plinius illam imaginariam, & fictam solutionem ad iudicialem, & actualem super eisdem corporibus deducere, nec non à iudice confirmationem petere, ex tradit. per *Tiraquell. in tractat. le mort saisit le vif. parte 6. declaratione 2. & per Menoch. in tractat. de adipisc. remed. 4. num. 343.*

R. P. D. PIROVANO.

Placentina Canonicatus. Lunæ 3. Iunij 1613.

ARGVMENTVM.

Ius patronatus quando sit Sacerdotale habitu tantum, & quando etiam actu, Sacerdotijque qualitas ab homine, vel à lege requisita, numquid verificetur in Sacerdote habitu tantum, an vero etiam requiratur, quod quis actu sit Sacerdos.

SVMMARIVM.

Iuris patronatus qualitas quæ sit, attenditur fundationis tenor. num. 1. & 2.

Qualitas adiecta verbo verificari debet, vt interueniat tempore verbi actu, & non habitu solum. num. 2.

Ius patronatus censetur sacerdotale actu vere, & non habitu solum, quando qualitas sacerdotij iungitur verbo deputato. num. 2.

Missas celebrandi exercitium non conuenit sacerdoti habitu tantum, & non actu. num. 3.

Ius patronatus dicitur sacerdotale actu, & non habitu tantum, quando in eo est iniunctum onus sacerdoti celebrandi Missas. num. 3. & seqq.

Qualitas Sacerdotij vbi requiritur à lege, vel ab homine, an admittatur sacerdos habitu tantum, vel etiam requiratur, quod actu sit sacerdos. num. 4. & seqq.

Onus celebrandi Missas quotidie adiectum Sacerdoti, vt per se ipsum celebret, dicitur inhonestum, & illicitum. nu. 7.

Sacerdotis appellatione venit etiam Clericus in minoribus constitutus ordinibus. Declara, vt num. 8.

Verba vulgari sermone concepta intelligenda sunt proprie, & in naturali sensu, non autem in ciuili. num. 8.

Obseruantia non operatur vbi verba dispositionis sunt clara. numero 9.

DECISIO CCCCXCVI.

1 IN tenore fundationis iuris patronatus Io. Baptistæ Pezanchri de anno 1535. leguntur vulgari sermone sequentia verba. *Item voglio, e mando, che il detto M. Euangelista sij obligato construere, erigere, & ordinare vna prebenda canonicale, qual voglio, che sij nella Chiesa maggiore di Piacenza sotto il vocabulo di S. Christina Vergine, e Martire, e S. Vincenzo, alla quale prebenda sij deputato vno Sacerdote, quale sij obligato sotto il carico di sua conscienza ogni dì celebrare, ò far celebrare vna Messa all'Altare infrascritto.* Cum vero post effectuationem dicti Iuris patronatus de anno 1609. vacasset huiusmodi præbenda per mortem Io. Baptistæ Pezanchri, fuit presentatus, & exinde à Capitulo institutus Franciscus Gnochus, qui tamen actu Sacerdos non erat, & idem beneficium tanquam Sedi Apostolicæ deuolutum ob non seruatam formam à testatore in fundatione expressam impetrauit Franciscus Griffus, qui pro exequutione literarum suæ prouisionis fuit missus in possessionem Gnocho expulso, causa autem per appellationem ab exequutore ad Rotam deuoluta.

2 Dubitaui. Cui sit adiudicandum beneficium. Et Domini restringendo difficultatem ad inuestigationem qualitatis Iuris patronatus, An esset Sacerdotale actu, vel habitu tantum, quia si habitu non poterat dari de deuoluto, nec intrabat reseruatio, secus si è contra. Censuerunt Griffo beneficium esse adiudicandum. In tenore enim fundationis, qui in hac materia solet attendi. *cap. recipimus. de priuileg. l. ad probationem. C. de probation.* ibi, quem tenor ostendit. *Bald. in l. ex hoc iure. ff. de iustit. & iur. Barbat. consilio 33. num. 8.* habetur. (*Che sij deputato vno Sacerdote,*) & dum qualitas Sacerdotij iungitur verbo, (*deputato,*) necessario conuenit illius verificatio de tempore verbi, quod actu vere, & non habitu solum sit Sacerdos. *capit. nemo vbi gloss. in verb. sacerdotio. de elect. in 6. & in cap. statutum il primo. de rescript. in. 6. Barbat. consilio 33. numero 10.* & in istis terminis per hanc rationem sæpissime fuit dictum in Rota, vt in Valentina Iuris patronatus. 20. Martij 1589. coram Orano. in Alexandrina Decanatus. 12. Iunij 1598. coram eodem, in Taruisina Iuris patronatus. 26. Iu-

nij 1607. coram Reuerendissimo Lugdunen. & in Recanaten.Beneficij.14.Martij 1608. coram Illustrissimo Lancellotto.

3 Quod eo magis indubitatum reddebatur ex sequentibus verbis fundationis ibi, (*quale sij obligato ogni di celebrare vna Messa*,) exercitium enim celebrandi non conuenit Sacerdoti habitu tantum, vt de se patet, & in istis terminis considerat *Barbat.dicto consil.33.nu.10. Lambert.de Iure patron.lib.2.p.1.q.2.principal.art.27.nu.29.* Rota in Parmen.Iuris patron. coram bon.mem.Cardinali Blanchetto, 8.Iunij 1573.

4 Non obstat, quod onus celebrandi quotidie respiciat actum ipsum celebrationis ab ipso Cappellano, non autem obligationem Sacerdotij, in quo propterea sufficit habitus ad promouendum intra annum, quamuis actu non sit Sacerdos, *c.2.de instit.in 6.c. si pro clericis. de præbend. eod. lib. Lapus alleg. 35. numero 2. & allegat. 117. numer. 2. Ferret. consil. 305. numero 1. & seq. Fabius de Anna consil.23. num. 7.* quam opinionem videtur etiam amplexa Rota in vna Roman. Cappellan. 23. Ianuarij 1589. coram bo. memoriæ Cardinali Pamphilio, in Lucana Cappellaniæ, 12. Decembris 1593. coram Gipsio, & in Tirasonen. Cappellaniæ. 9. Iunij 1603. coram Reuerendissimo Damasceno.

5 Prædicta enim bene procedunt, quando versaremur in dispositione legis vniuersalis, vel particularis, & ordo Sacerdotij simpliciter desideraretur, nec respiceret actum præsentationis, quia tunc censeretur per modum aptitudinis requisitus non contemporaneè, & actu cum ipsa electione, vel prouisione, secus vero, quando sumus in dispositione hominis, & ordo respicit actum præsentationis, vt in præsenti, ibi, (*sij deputato vno Sacerdote*,) quia tali casu non valeret præsentatio, nisi præsentatus esset vere Sacerdos, vt distinguit *Abb. in cap. cum in cunctis. §.inferiora. numero 10. & 11. de electio.* & Rota eam sequitur in allegata Valentina Iuris patronatus coram Orano, vbi declaratur decisio Romana Cappellaniæ, quod loquatur in primo capite distinctionis, quando verba fundationis non respiciunt actum præsentationis, & ita loquuntur etiam Lucana Cappellaniæ, & Tirasonen. Cappell. prout ex earum lectura patet.

6 Nec dicatur non sufficere ad hunc effectum, quod verba respiciant actum præsentationis, siue electionis, nisi etiam concipiantur negatiue, scilicet, quod non valeat electio, vel præsentatio nisi de actualiter constituto in Sacerdotio *Clemen. 2. vbi glos. in verb. annexi. de ætat. & qualit. vbi Card. & Vital. Rota decis. 1. de præbend. in nouis. Ferret. dicto consilio 305. numero 4. Quia glos. in d. Clemen. 2.* loquitur, vbi versamur in simplici annexione ordinis, vt colligitur per relationem ad textum, quæ secundum iuris dispositionem contentatur habilitate. cap. si pro clericis. & cap. cum cui. de præbend. in 6. quo casu distinguuntur actus, & habitus ex verbis prohibitionis, quæ dant modum, vt contemporaneè ordo requisitus debeat concurrere, & non postea, sed non propterea excluditur, quin annexio ordinis alia ratione possit distingui ab habitu per respectum ad actum in ipsa Iuris patronatus fundatione, vt considerat *Abb.in d. §.inferiora.num.11.vers.qualiter. de elect.in 6.*

7 Et ex prædictis cessat alia difficultas, quæ deducebatur ex alternatiua in fundatione expressa ibi, (*ò di far celebrare*,) quia illam Domini intellexerunt, quando Sacerdos esset impeditus celebrare, vt vtrumque sustineatur, nempè, & qualitas Sacerdotij requisita, & ne relaxetur obligatio quotidie celebrandi, tanquam inhonesta, & illicita, vt post *Abb.in c.signifi.nu.4.de præb.& in c.consuluisti.n.1.de celebrat.Miss.n. per tex. in c.sufficit.de consecrat.dist.1. considerat illicitam. Lãbert. de Iure patr.q.9.princip.par.1.lib.1.num.27.*

8 Non obstant, quæ dicuntur de æquiuoca probatione huius qualitatis propter nomen Sacerdotis aptum comprehendere etiam clericum minoribus duntaxat initiatum, *c.si quisquam. vbi glos.de cohabit.clericor. & ibi Bald.numero 1.* dicens, quod Sacerdos non solum dicitur presbyter, sed etiam Diaconus, & Subdiaconus, sequuntur alij relati per *Fab.de Anna, dicto consi. 22. num.15.* quia vltra quod sumus in dispositione hominis, & vulgari sermone concepta, in qua verba proprie, & in naturali sensu, non autem in ciuili sunt intelligenda, *l.si quis ita.§. final. ff.de legat.2.l.fideicommissum.ff. de condit. & demonstrat. l.final. C.de iis, qui ven.æt.impetr.Surd.consil.90.num.24.* quod etiam in his terminis fuit dictum in *alleg. Alexandrin.Decanatus coram Orano.* Est etiam aduertendum, quod ordo Sacerdotij præsentato non fuit annexus simpliciter, sed cum qualitate quotidie celebrandi, quæ vti non conueniens habenti inferiores ordines, remouebat omnem interpretationem ex lata vocabuli significatione deductam.

9 Postremo non obstat obseruantia subsecuuta, vt à tempore fundationis in hac vsque diem semper fuerit præsentatus clericus, etiam non actu Sacerdos, quæ videtur attendenda, vt fuit dictum in supradicta *Lucana Cappell. coram Gipsio. Crescent. de constit. decis. 1. cum alijs allegatis.* Quia verba fundationis visa sunt Dominis satis clara, ita vt non egeant interpretatione vulgat. *l.ille aut ille.ff. de legat. 3.* maxime cum non sit in potestate Ordinarij derogare qualitatibus fundationi appositis, etiam si patroni interueniat consensus, vt fuit dictum in dicta *Alexandrina Decanatus coram Orano.* Præterea actus dati ad probandam obseruantiam non videntur concludentes. Nominatio enim facta per ipsum testatorem de eo, qui tunc non erat Sacerdos, nec in ætate, non videtur deseruire, quia fundator non præsentauit, sed nominauit, & præsentatio erat facienda per hæredem. Præsentatio vero post obitum fundatoris est nimis remota à dicta fundatione, & potuit esse, quod fuerit dispensatus, prout hæc omnia considerantur in dicta Alexandrina Decanatus coram Orano, & in Recanaten.Beneficij.14.Martij 1608.coram Illustriss.Lancellotto, tunc Rotæ Auditore.

10 Ex quibus cum remaneant sublata omnia fundamenta Gnocchi, & firmatum, vt contemporaneè cum actu præsentationis requiratur qualitas Sacerdoti, cetera de plano procedunt ad fauorem Griffij, qui bene iustificat omnia in literis suæ prouisionis contenta. Nam Ius patronatus non controuertitur, vacatio probatur per præsentationem aduersarij, valor iustificatur ex instrumento census, & ad sunt literæ patentes super presbyteratu, vt merito fuerit resolutum eidem Griffo beneficium esse adiudicandum.

R. P. D. VBALDO.

Giennen.Portionis. Mercurij 5. Iunij 1613.

ARGVMENTVM.

Beneficia personalem residentiam requirentia dicuntur incompatibilia, & per impetrationem vnius alterum vacat. Et quomodo contraria consuetudo probanda sit.

SVMMARIVM.

Beneficia dicuntur incompatibilia, quando ambo requirunt personalem residentiam. num. 1.
Beneficia vbi sunt incompatibilia per assecutionem vnius vacat aliud. num.1.
Statutum exorbitans à iure communi non extenditur ex identitate, vel maioritate rationis. num.2. Exten-

Extensio à paritate, vel maioritate rationis non datur de casu ad casum in his, quæ veniunt ex dispensatione Apostolica. num. 2.

Consuetudo contra ius requirit lapsum temporis quadraginta annorum. num. 5.

Dispensatio omnis probat veritatem esse in contrarium. num. 5.

Consuetudo iuri contraria debet stricta intelligi, & tantum habet de effectu, quantum de vsu. num. 7.

Testibus hinc inde contrarijs magis credendum est illis, quibus assistit iuris præsumptio. num. 9.

DECISIO CCCCXCVII.

1 ROta censuit, per assecutionem Scholastriæ in Ecclesia Giennen. vacasse portionem, quam de Scholastria prouisus in eadem Ecclesia obtinebat, cum enim vtrumque beneficium requirat personalem residentiam ex dispositione *Sacri Concilij Tridentini. c. 12. vers. præterea. sess. 24.* quæ loquitur in Portionibus, & Dignitatibus, quale esse Scholastriam in dicta Ecclesia non ambigitur, sequitur clara incompatibilitas vtriusque ex eodem *Sacro Concil. eadem sess. 24. cap. 17.* & proinde per assecutionem vnius alterum vacare dicitur ipso iure, ex eodem *Concil. sess. 7. cap. 4.* sæpe respondit Sacra Congregatio Illustris. Concilij Interpretum, quos sæpe secuta est Rota, & signanter in Zamoren. Canonicatus de Toro. 18. Martij 1598. coram bon. mem. Pacen. & in Salamantina Dimidiæ portionis. 11. Decembris 1585. coram bon. mem. Orano, & in alij relatis per *Modern. ad reg. 8. glo. 15. num. 19.*

2 Non obstant Statuta, & consuetudo Ecclesiæ quibus ex aduerso prætenditur inductum, & permissum retinere dignitatem cum portione: Quia quo ad statuta, quæ duo dantur, fuit responsum, primum quidem solum permittere, retinere dignitatem cum Canonicatu, de portione autem nullam mentionem facit, & cum sit statutum exorbitans à iure communi propter prohibitam retentionem incompatibilium, non debet extendi, etiam si adesset eadem, vel maior ratio. *Bart. in auth. quas actiones nu. 8. & 9. C. de sacros. eccl. Castr. in l. illam. nu. 5. C. de collat. Put. decis. 88. num. 6. & decis. 95. num. 10. & decis. 267. num. 3. lib. 1.* præsertim quia tale statutum validatur ex speciali confirmatione Sedis Apostolicæ, & in his, quæ veniunt ex dispensatione Apostolica non licet arguere à paritate, vel maioritate rationis. *Caput. decis. 8. num. 6. & decis. 274. num. 5. par. 1.* vltra quod ratio diuersitatis videbatur manifesta inter Canonicatus, & Portiones, quo ad concursum cum dignitatibus, cum Canonici habeant æqualia seruitia cum dignitatibus, Portionarij vero inferiora. Ideo esset inconueniens, vt dignitatem obtinentes, retinerent etiam portiones, pro quibus tenerentur subire seruitia inferiora, vt alias censuit eadem Sacra Congregatio Concilij, & Rota in Burgen. seruitij coram Litta.

3 Secundum vero statutum, quo cauetur, vt Scholasticus debeat habere vnam portionem, non releuat: quia non loquitur de portione, prout est titulus, & beneficium distinctum à dignitate, sed intelligitur de portione fructuum danda Scholastico, pro illius dote, & congrua sustentatione, vt apparet ex eiusdem statuti lectura, quod integrum fuit datum pro parte Francisci.

4 Quo vero ad consuetudinem, fuit responsum, illam non probari, in primis quidem, quia cum talis consuetudo sit contra ius, vt patet ex supradictis ad eius præscriptionem requiritur tempus 40. annorum, *iux. not. in c. fin. vbi Docto. communiter de consuetud. Bartol. in repet. l. de quibus. nu. 14. in fin. ff. de legib. Roman. cons. 368. num. 5.* & in terminis nostris *Hoied. de incompatib. benef. 2. par. c. 11. num. 14.*

5 Dicta autem quadragenaria præscriptio non videbatur probari ex prouisionibus de Prioratu, & Portione, in dicta Ecclesia, quæ fuerunt datæ, quia prouisio facta de anno 1563. Francisco de Valdiuia Portionario, fuit ex dispensatione Apostolica, quæ excludit dictam consuetudinem retinendi incompatibilia, immo confirmat statum incompatibilitatis, vt in simili Rota dixit *decis. 577. num. 5. par. 3. diuers.* sicut ex instrumento legitimationis probatur filium fuisse illegitimum, & omnis dispensatio probat veritatem esse in contrarium. *Bald. in l. 2. num. 2. C. de iureiuran. Ias. in l. decem. n. 18. post Castr. & Alex. ibidem. ff. de verb. oblig. Curt. sen. cons. 73. nu. 14. Surd. consi. 552. nu. 12. lib. 4.*

6 Vnde subducto tempore, quo Valdiuia retinuit dignitatem, & portinem ex dispensatione Apostolica, qui dicitur vixisse vsque ad annum 1579. non remanet quadragenaria ante motam litem, prout requiritur ex allegatis, quæ neque etiam probaretur ex duabus prouisionibus immediate sequentibus ad fauorem Francisci Godoi, & Martini Ceron, cum narratiua, quod Prioratus consueuerit vna cum portione retineri absque dispensatione Apostolica, hoc enim erroneum detegitur ex præcedenti dispensatione, qui error consensum, & consuetudinem excludit. *Romam. d. cons. 386. num. 5.*

7 Non obstant testes inducti ad probandam prædictam consuetudinem, quia deponunt de compatibilitate dignitatis, cum Canonicatu, quæ non controuertitur vigore statuti de quo supra. Et quatenus etiam deponunt de consuetudine retinendi dignitatem cũ portione, restringunt suum dictum ad Prioratum, & portionem retentam per Franciscum Valdiuia, & alios duos supradictos, & in omnem euentum consuetudo quatenus probaretur circa Prioratum, & Portionem, illa tanquam consuetudo non vniuersalis, & iuri contraria debet stricte intelligi, vt tantum habeat de effectu, quantum de vsu, nec extendatur ad alias dignitates etiam similis conditionis. *Ioan. Andr. in c. dilecto. num. 29. de offic. Archid. Socin. iun. consi. 101. num. 13. & seq. lib. 2. bene facit Mohed. decis. 7. de præscript. Put. decis. 107. lib. 1. & decis. 310. lib. 2.*

8 Idque eo magis cum quartus testis pro parte aduersa inductus, expresse testetur, se nunquam vidisse in Ecclesia Giennen. obtineri dignitatem cum portione, nisi solum Prioratum, *vt in Summario Francisci. num. 6. & quintus pro eadem parte super 3. articulo* dicat, se non cognouisse aliquem Scholasticum obtinere aliquam portionem, vt in Summario testium à Gomesio dato.

9 Quibus accedit depositio testium Francisci bene deponentium nunquam fuisse visum, nec auditum, quod in Ecclesia Giennen. Portiones, & dignitates fuerint simul retentæ, nisi ex dispensatione Apostolica. Quibus testibus, vel maior fides adhibenda videtur, quam contrarijs, vtpote deponentibus, iuxta dispositionem iuris, & Concilij Tridentini. *Gabr. de testib. concl. 4. num. 22. & rursus. num. 90.* vbi firmat, magis credi testibus, quorum dictis aliqua assistit iuris præsumptio, vel saltem ex istis eliditur contraria pro Gomesio testium depositio. Et ita fuit decisum.

R. P. D. VEROSPIO.

Anconitana compromissi. Lunæ 10. Iunij 1613.

ARGVMENTVM.

Arbitri postquam acceptauerunt compromissum, an, quando, & quomodo possint illi renunciare, & an per absentiam arbitrorum compromissum expiret.

SVMMARIVM.

Arbiter postquam acceptauit compromissum, non potest amplius illi renunciare. nu.1.& 2.
Arbiter cogi potest ad ferendum sententiam pignoribus captis indicta mulcta, vel carceratione. nu.2.
Arbiter, qui acceptauit compromissum, non potest illi renunciare propter impedimenta præterita, sed tantum propter futura. num. 3.
Arbiter non potest renunciare compromisso propter impedimentum, nisi sit perpetuum. nu. 4.& 5.
Arbitri vbi sunt electi de consensu partium vnus non potest renunciare, nisi de consensu earundem partium. nu. 5.
Arbiter quando propter impedimentum vult renunciare compromisso debet interuenire causæ cognitio. nu.5.
Arbitri assertioni dicentis se esse impeditum standum non est. num.6.
Compromissum quando expirat per absentiam arbitri. numero 7.

DECISIO CCCCXCVIII.

1 Die 18. Ianuarij præteriti fuit in hac causa resolutum, obstare compromissum, quo minus Bonelli possent conueniri coram Iudice Ordinario, sed quia opponebatur compromissum expirasse propter absentiam vnius ex arbitris, & renunciationem alterius, Domini voluerunt, vt de hoc particulariter videretur. Et ideo hodie proposui dubium, an absentia, & renunciatio refragaretur, & fuit responsum, non suffragari.

2 Nam primo quo ad renunciationem, dicebant non esse in potestate arbitri, postquam acceptauerat compromissum illi renunciare, sed teneri, immo etiam posse cogi ad pronunciandum. *l.3. §.tametsi. vbi glos. in verb. dantem. ff. de arbitr. l. licet. in verb. coacturum. eod. tit.* Prætor autem cogi arbitrum ad sententiam ferendam, pignoribus captis, indicta mulcta, vel in corpus arbitri iniecta manu, hæc enim sunt remedia cogendi. *l.cum eo. vbi gloss. in verb. mulctam. ff. ad leg. Iul. pec. & declarat in his terminis Cuiac. ad 13. lib. ad edictum Pauli, ad l. 4. ff. de recep. arbitr. Bar. in l.1. num.7. vers. dic ergo, & ibi Bal. nu.3. ad fi. Castr. nu.5. Alex. nu.4. ff. de leg.2. Cyn. in l.fi. nu.5. & ibi Salic. nu.7. vers. venio ad 4. C. de contrah. empt. Alex. cons.81. nu.2. lib.5. Io. Baptista Perusin. tract. de arbitr. lib.5. c.3. nu.1. & lib.13. c.2. nu.4.*

3 Nec visa sunt obstare impedimenta per arbitrum adducta. Primo, quia eadem extabant de tempore acceptationis compromissi, cum tamen ad effectum, vt possit arbiter arbitrio renunciare, non attendantur nisi impedimenta, quæ ex post facto superueniunt, l.licet, ibi, quæ postea, *& leg. seq.* ibi, aut si qua alia incommoditas, ei post arbitrium sumptum incidat. *ff. de recept. arbit. Azo in sum. C. eodem tit. num. 33. Io. Baptista de arbitr. lib.5. c.3. nu.1. vers. quandoque compromiss. & lib.13. c.6. num.1. vers. & tunc distingue, & c.17.*

4 Secundo, quia non omnia sufficiunt impedimenta, sed tantum ea, quæ sunt perpetuo duratura, vt est *tex. in d. l. si qua alia. ff. de recep. arbitr. vbi glos. in casu vero nostro*, non potest dici impedimentum esse perpetuum, cum illinc ad sex dies postquam renunciauit, Anconam arbiter redierit.

5 Tertio, quia requiritur, quod Prætor admittat impedimentum causa cognita, *d.l. licet*, ibi, excusationem recipere causa cognita, quod non potest dici factum ab A.C. cum non fuerint citati interesse habentes, qui potuissent Iudici ostendere hoc temporaneũ impedimentum, quod differre, sed non auferre poterat compromissum, *d.l. aut si qua alia. ff. de recept. arbitr. vbi glos. Io. Baptista, d.c.6. num.1. in princ.* ibi, nisi causa cognita, ex quo defectu citationis illorum de Bonellis insurgit inualiditas dictæ renunciationis, quia cũ arbitri essent electi de consensu vtriusque partis non videtur potuisse vnus arbiter renunciare, nisi de consensu vtriusque partis, vt in terminis firmat. *Alex. d. consi.81. nu.2. & sub num.4. vers. quod autem. lib.5.* quod sequitur *Hippol. de Marsil. in rubr. C. de prob. nu.348. vers. item facit, & facit tex. in l. sicut. C. de act. & oblig. l. prout quisque ff. de solut. cum alijs per Surd. cons.136. num.17. & seqq. lib.1.*

6 Postremo non potest dici, quod A. C. processerit causa cognita, Quia de dictis impedimentis non apparet, nisi per simplicem enunciationem vnius ex arbitris, cui non videtur standum ex allegatis per *Dec. consilio 603. numero 13. in fine. Bolognett. consilio 2. numero 44.* Quia alias quisque facile posset euitare suscepti arbitrij coactionem, dicendo se impeditum.

7 Absentia pariter alterius arbitri non refragatur, quia licet verum sit, quod per absentiam expirat compromissum, & potest altera pars redire ad Iudicem, vt per *Aretin. in c. præsentata, num.4. vbi Feli. nu.2. de testib.* Attamen prædicti loquuntur de absentia longæua, & diuturna, quæ in alio loco necessariam residentiam requirat, vt per illum *tex. declarat post Cardin. ibidem Felin. nu. 2.* Qualis absentia non videbatur adesse in casu nostro, cum Dondinus esset breui reuersurus, vt per suas literas significauit, & tollitur difficultas ex pacto expresso in compromisso apposito, de non adeundo Iudicem, pro quibuscumque differentijs inter partes natis, vel nascituris, sed semper eas quandocumque ex quauis causa contigerit compromittendo. Vnde dato etiam quod per dictam absentiam potuisset expirare compromissum, quod tamen Domini non admittebant, tamen cum de nouo esset faciendum, tolerabilius certe est, Iudicem qui semel causam cognouit, tantisper expectare, quam nouo Iudici rem rursus iudicandam committere, vt dicit *tex. in l. vltima. in fi. ff. de vacat. & excusat. muner.* Et demum res videbatur transire de plano, cum fuerit data fides in actis, quod Dondinus iam Anconam cum familia redierat, vnde cessabat omnino absentia allegata. Et ita fuit decisum.

REVER. P. D. PAMPHILIO.

Ianuen. Iuris patronatus. Lunæ 10. Iunij 1613.

ARGVMENTVM.

In successione Iuris patronatus non vocati à fundatore censentur exclusi.

SVMMARIVM.

Testatoris voluntas in fundatione Iuris patronatus seruanda est, & qui ab eo non vocati sunt, censentur exclusi. num.1.
Filiorum prima successionis causa est. num.2.
Obseruantia multum operatur in successione Iuris patronatus. num.3.
Testator fundator Iuris patronatus non præsumitur ad illud voluisse vocare illegitimos. nu.4.
Testator præsumitur voluisse excludere eos, quos non vocauit, & vocare potuisset si voluisset. nu.5.

DECISIO CCCCXCIX.

1 Post decisionem in hac causa factam sub die 21. Ianuarij 1612. super vocatione Ioannis Stephani, iterum proposui causam super eisdem, & Domini, vt mini sub die quarta Martij præteriti ordinarunt, vt particulariter dubitaretur, an descendentia à patrono obstaret Io. Stephano, quod dubium supra dicta

cta die fuit per Dominos affirmatiue decisum, ratio decisionis fuit, quia Ioannes Stephanus descendit ab Ibleto clerico,& Protonotario Apostolico, qui decessit patronus relictis quinque filijs illegitimis, qui filij patronorum, vt patet ex tenore fundationis, non reperiuntur vocati, fundator enim post mortem ipsius vocauit ad hoc Ius patronatus Perciuallum eius fratrem clericum, & post mortem Perciualli vocauit filios Comitis Nicolai ipsius fundatoris, ac dicti Perciualli nepotes pariter clericos expresse disponendo, quod fratri prædefuncto semper succedat frater primo natus clericus, & dum extiterit clericus, & deficientibus fratrib. iura deuoluantur ad nepotes suos, qui eodem modo succedere debeant, quo supra dictũ est de fratribus. Ex quibus satis Dominis visum fuit constare, quod defuncto patrono Ius patronatus deuolui debeat ad fratres habentes supradictas qualitates,& eis non extantibus ad nepotes ex fratre, vel pronepotes suos, id est patroni vltimo loco predefuncti, de quo immediate fundator locutus fuerat, iuxta *text. in l. regula. §. fin. vbi glos. verb. initium. ff. de iur. & fact. ignoran.* non autem ad filios, & descendentes ipsiusmet patroni defuncti, qui cum non fuerint vocati, censentur exclusi ad *tex. in l. quidam. circa fin. vers. res in extraneo. ff. de verb. obligat. & ibi Bar. num. 6. & in l. fratres. numer. 2. vbi etiam Bald. numer. 6. C. de inoff. testamen. Paris. cons. 23. nume. 24. lib. 2. Surd. consil. 5. num. 59. & cons. 262. num. 14. Decian. consi. 64. nu. 15. lib. 2. illustrissimus Cardin. Mantic. de coniect. vltim. volun. lib. 11. tit. 15. numer. 1. vers. quia quod de vno.*

2 Et hoc etiam suadetur ex eo, quod fundator non solum generaliter proceden. ad plures gradus substitutionum super post obitum patroni vocauit fratres, & ex fratre nepotes,& pronepotes,& nunquam filios patronorum, vt colligitur ex ipsa fundatione, *num. 7. & pluribus seqq.* sed in specie post Perciuallum eius fratrem, quem prædilexerat, non vocauit eius filios, sed filium maiorem natu Nicolai, & post huiusmodi primogenitum Nicolai vocauit fratres eiusdem primogeniti,& non eius filios, quæ omnia clrare ostendunt, fundatorem non inconsulto, sed deliberate voluisse excludere patronorum filios, quorum alias de iure erat prima causa successionis. *§. 1. Institu. de hæred. quæ ab intest. deferuntur. §. 1. auth. eod. tit. Cephal. consil. 283. num. 4. volum. 2. cum similibus.*

3 Præterea pro huiusmodi intellectu adducebatur vlterius obseruantia subsecuta: nam mortuo Ibleto patrono pluribus relictis filij illegitimis, Ius patronatus non deuenit ad filios Ibleti, sed ad filios Ioannis Ludouici fratris Ibleti, & sic ad nepotes ex fratre ipsius Ibleti, quę quidem obseruantia multum operatur. *l. si de interpretatione. ff. de legib.* & fuit in hac causa ponderatum coram bon. me. Litta, sub die 20. Decembris 1604. & 30. Ianuarij 1606.

4 Quod tanto magis visum fuit dicendum, quando agitur de filio nato ex aliquo patrono clerico, prout in casu isto, qui cum non posset esse, nisi illegitimus, tanto minus est dicendum, fundatores de eo cogitasse propter plures qualitates fundatorum,& alias circumstantias ponderatas in decisione bonæ memorię Littæ, sub dicta die 30. Ianuarij 1606. quas non repeto.

5 Nec visum fuit subsistere quod dicebatur, fundatorem expresse vocasse filios patroni, ex quo post mortem Perciualli vocauit filium maiorem natu Nicolai, & postea non extantibus fratribus patroni vocauit filium primogeniti, seu maioris natu eiusdem Nicolai,& sic filium illius, qui ad patronatum fuerat vocatus. Quia fuit responsum ex hoc non resultare, quod filius illius, qui fuit patronus, sit vocatus, sed potiùs per illa verba fundatorem voluisse, quod post obitum patroni non extantibus fratribus admitteretur nepos ex fratre, qui esset primogenitus, vt fuit late deductum in decisionibus in hac causa factis sub die 20. Decembris 1604. & 8. Iunij 1605. coram bonæ memoriæ Litta, & colligitur ex supradicta vocatione Fratris primogeniti Nicolai post obitum ipsius primogeniti non autem eius filiorum, quorum vt dixi, erat prima causa successionis, & de facili potuisset fundator, si voluisset eos vocare, ad *text. in l. vnica. §. sin autem. C. de caduc. tollend. Surd. dicto cons. 262. nu. 14. vers. & facile. Card. Mantic. de coniect. vltimar. voluntat. d. lib. 11. tit. 15. num. 1. vers. ex quo manifeste.*

6 Neque obstare, quod possint dari plures casus, quid patronus habuerit filios etiam legitimos, vel antequam fuerit patronus, vel postquam desierit esse patronus, qui filij licet non reperiantur vocati ad successionem patronatus immediate post mortem patris, qui fuit patronus, quando reperitur frater, vel nepos, tamen poterant succedere, vel quando non adest frater, aut nepos, vel mediate post patrem, post mortem, scilicet alicuius patrui,& in alijs diuersis casibus consideratis per Informantes pro Ioannes Stephano, ex quibus inferebant, quod descendentia ab eo, qui fuit patronus non potest simpliciter,& absolute obstare. Præsertim quod ipse non prætendit succedere in hoc patronatu, tanquam descendens Ibleti, sed tanquam vnus ex descendentibus Nicolai qui reperiuntur à fundatore vocati, vt legitur in ipsa fundatione. Quia pro responsione fuit dictum quicquid sit de illis casibus non posse ex eis bene inferri ad filios illegitimos Ibleti, qui vt dictum est, non reperiuntur à fundatore vocati, prout pariter Ioannes Stephanus non potest prætendere, se esse vocatum, postquam descendit ab vno ex dictis filijs illegitimis, & sic à radice infecta, & non vocata.

7 Quod autem Ibletus decesserit patronus, & susceperit Laurentium filium, ex quo descendit Ioannes Stephanus dum esset patronus, visum fuit probari ex instrumento apprehensionis patronatus per Othobonum, eius nepotem, pro parte Ioanni Stephani producto cum alijs deductis per Informantes pro Comite Francisco, & fuit etiam dictum in decisione in hac causa facta sub dicta die 20. Decembris 1604. coram bon. mem. Litta decisum, &c.

R. P. D. VBALDO.

Romana de Lante. Lunæ 10. Iunij 1613.

ARGVMENTVM.

De attentatis lite pendente, & post auocationem causæ factam à Iudice, plura notanda, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Decisionis occasio. num. 1.

Attentata dicuntur, quæ post auocationem causæ à Superiore factam gesta sunt, etiam iudice à quo causa fuit attentata. nu. 2. Declara, vt nu. 3. & nu. 5.

Priuilegium non suffragatur illi, qui priuilegio vti non vult, & conuentus de eo non opponit. nu. 3. & 4.

Attentata lite pendente non reuocantur, quando dependentiæ litis non fuit habita notitia. nu. 5. & 9.

Gesta lite pendente non dicuntur attentata, sed nulla. numero 5.

Attentata lite pendente non reuocantur, vbi alicuius præiudicium non adest. num. 5.

Cessio facta lite pendente numquid valeat. nu. 6. & 10.

Attentata dicuntur illa, quæ gesta fuerunt à iudice non citato tertio comparente pro suo interesse, & protestante nihil fieri, nisi ipso citato. Declara, vt nu. 7. & 8.

Iudicis iurisdictionem prorogare an censeatur ille qui coram eo comparet protestando citra consensum in iurisdictio-

ctionem, cum clausul a nisi si, & quatenus. num.8.
Iurium productorum admissio cum clausula si, & in quantum, quid operetur. nu. 8.
Tertius comparens in iudicio pro suo interesse, quando dicatur ad causam admissus. nu.8.
Sententia non citato non præiudicat. nu.8.
Litis pendentia non inducitur per citationem inualidam. num.9.
Attentata non causantur ex gestis in causa diuersa. numero 10.

DECISIO D.

1 EX testamento quondam D.Flaminij de Lante fuit iure legati, & institutionis relicta Plautilæ eius vxori vinea & alia bona, de quibus in dicto testamento, & post Plautilæ mortem in ijsdem bonis fuerant substituta duo Hospitalia, & vna Confraternitas, sed cum pro parte D. Ludouici fratris testatoris, & eiusdem hæredis vniuersalis cum beneficio legis, & inuentarij prætenderetur, non potuisse Flaminium in totum disponere de prædictis bonis, tanquam subiectis fideicommisso, ad suum fauorem facto à D.Michaele communi auo paterno, fuit hac de re diu litigatum coram diuersis iudicibus, tam in Rota, quam extra Rotam. Iterum de anno 1585. prædicta loca pia substituta vendiderunt dictam vineam bonę memoriæ Gaspari Vicecomiti Archiepiscopo Mediolanen. à quo mortuo Dominus Marcus Antonius de Comitibus, tanquam creditor Archiepiscopi obtinuit sibi adiudicari dictam vineam, tandem vero de anno 1601. fuit pronunciatum per bonæ mem. Cardinalem Seraphinum, cuius sententia fuit confirmata anno sequenti per bo. memor. Iustum, ad fauorem Illustrissimorum fratrum de Lante, & filiorum Ludouici, quod Flaminius vltra suam legitimam, & propria bona disposuisset, & consumpsisset vsque ad summam Scut. 6000. ad quæ restituenda vna cum fructibus à die mote litis fuit Domina Plautila condemnata reseruatis iuribus, locis pijs D. Plautilæ substitutis, & vigore duarum sententiarum conformium habentium vim trium inter Romanos fuit ab eodem Iusto relaxatum mandatum de immittendo Dominos de Lante in possessionem vineę, & aliorum bonorum de quibus supra. Sed D.Plautila acquiescens sententijs Rotalibus in illarum executionem dd. bonorum possessionem relaxauit Dominis de Lante. Hodie vero prædictus Dominus Antonius pretendit, hęc omnia fuisse attentata, nec potuisse fieri in suum præiudicium, & adiudicationis factæ, vt supra. E contrario vero DD. de Lante prætendunt venditionem vineæ factam à locis pijs Archiepiscopo, à quo Marcus Antonius causam habet, fuisse attentatam, tanquam factam pendente lite. Vnde fuit datum dubium generale, an constaret de attentatis, quæ essent reuocanda, quo proposito die 3. Decembris præteriti fuit de ordine Rotæ restrictum, vt prius videretur, an adessent attentata commissa per DD.de Lante, qui vltimo loco dicebantur attentasse, quod dubium proposuit die 22. Martij præteriti, & fuit dilata resolutio. Tandem eo iterum proposito sub die 10. Iunij fuit per Dominos conclusum, non costare de attentatis per DD. de Lante, & rationes resolutionis apparebant, ex remotione contrariorum.

2 Primo enim prætendebatur, attentatum quicquid fuerat in Rota cognitum, & pronunciatum per DD. Seraphinum, & Iustum post Motum proprium felic. record. Pij V. de anno 1571. editum, in quo ad se auocauit omnes causas motas, & mouendas coram quibuscumque iudicibus ad Archihospitale Santissimæ Trinitatis, & litis consortes quoslibet principaliter, vel secundario spectantes cum clausula sublata, decreto irritanti, & alijs clausulis amplissimis, & committuntur protectori hospitalis, & ab eo deputatis, vt legitur in dicto Motu proprio inter Constitutiones Pij V. Bullar. Constitut. 129. incipit, Cum sicut accepimus, &c. Gesta autem post auocationem causæ à superiori factam sine dubio dicuntur attentata. c. vt nostrum. de appellat. Vbi communiter *DD. Lancell. de attentatis. 2. p. de attētatis post auocationē causæ. c. 10. n. 1. & 4.*

3 Sed fuit multipliciter responsum per Informantes sed illa responsio magis placuit, videlicet, quod cum non fuerit auocata in specie ista causa, sed in genere omnes causę, in quibus ageretur de interesse hospitalis istud videtur priuilegium ipsius hospitalis, quod intelligitur quatenus eo vti velit, de quo cum non fuerit oppositum, & sic non constet, quod hospitale eo vti voluerit bene videntur sustineri gesta in iudicio Rotali, iux. decisionem *Crescent. 4. num. c. 3. de reseruat. Felin. in c. ceterum. nume. 15. in 4. Corollario. & nu. 19. vers. limita hanc restrictionem. de priuileg. Hier. Gabr. cons. 162. nu. 10. & sequen. libro 1.* vbi respondent ad decretum irritans. *Caputaq. decis. 249. p. 1. Gab. de clausulis cl. 3. nu. 24. Sarnen. in reg. de annali. q. 4. vers. prædictis tamen in alijs per Modernos ad regulam 8. glos. 56. num. 65.*

4 Quod etiam confirmabatur ex ipso Motu proprio, vel Constitutione circa finem. vbi disponitur dictum hospitale coram alijs iudicibus conueniri, vel ad alias conueniendas constringi posse. Vnde videtur inferri, quod ipsum inuitum trahit non possit ad alia Tribunalia, vnde à contrario sensu bene videtur posse, si velit alibi etiam comparere, ad not. *in l. 1. vbi Doctor. ff. de offic. eius. l. conuenticula. vbi Bald. C. de Episcopis, & clericis.* & ratio videtur euidens, quia sibi permittitur protectori quem maluerit iudicem pro hospitale deputare, multo magis idem poterit non inhibendo, prout hic non inhibuit iurisdictionem Ordinarij prorogare, cum per hoc fiat redditus ad ius commune. *Abb. in c. dilecti. in 1. notabili. ad fi. de foro competenti.*

5 Accedit etiam, quod istud priuilegium nunquam fuit notificatum, nec publicatum, nec eius vigore iudex inhibuit, vel causam reassumpsit, ideo autem valet processus coram primo iudice agitatus, secundum opinionem *Innocentij, & Sicul. in c. 1. vt lite pend. quam refert Aufrer. ad Cappell. Tholosan. decis. 481. num. 5. vers. contrariam opinionem.* vel in omnem euentum posset causare nullitatem, non autem attentata. *Afflict. decis. 85. numer. 3. & 4.* & similiter *Lancell. de attentatis. in principio. nume. 14. & seqq. & deinde. c. 4. limitat. 2. nu. 16.* cum non sit spreta maiestas iudicis, qui nec inhibuit. nec causam reassumpsit, vltra quod neque etiam potest considerari attentatum respectu hospitalium, quorum pręiudicium requiritur ad causandum attentata. *Innocen. in d. c. 1. in verb. præiudicium. vt lit. penden. Bellam. decis. 528. Titius Lancellot. de attentatis. 1. par. in præfat. numer. 27. & 2. par. c. 4. de attent. lit. penden. limit. 20. num. 20. & declaratione 1 nume. 1.* cum expresse fuerint in sententijs Rotalibus reseruata iura hospitalia.

6 Secundo principaliter dicebatur fuisse attentatam cessionem à Plautila factam ad fauorem DD. de Lante, quia tunc pendebat lis inter Plautilam ab vna parte, & Marcum Antonium, siue hospitalia eius necessarios defensores ab altera parte super deuolutione vineę ex eo, quod in ea Plautila male versaretur. Vnde cum DD. de Lante habuerint cessionem à Plautila attentatæ propter pendentiam litis, & ipsi dicuntur attentasse, ad *Rotam decis. 243. numer. 1. par. 1. Afflict. decis. 354. num. 20. & seqq. cum allegatis.* Sed respondebatur, quod illa erat causa diuersa, pendens coram A. C. ab ista Rotali, ideo exequutio facta in ista super restitutione fideicommissi ad fauorem DD. fratrum de Lante, non potest inducere attentata in illa causa, super deuolutione. *Lancell. de attentatis. par. 2. cap. 4. limitatione 2. in prin. & numer. 8.* & in omnem euentum de huiusmodi attentato quatenus adesset ipsa iudex

dex cuius maiestas diceretur læsa deberet cognoscere, non autem alius.

7 Tertio prætendebantur attentata respectu Marci Antonij, quia pendente lite inter Plautilam, & DD. de Lante coram bon. mem. Iusto comparuit coram eo Marcus Antonius, & citatis aduersa produxit nonnulla iura ad docendum de suo interesse, cum protestatione, nihil fieri in suum præiudicium pretenditq; se fuisse admissum ad causam, & ideo mandatum de immittendo relaxatum ab eodem Iusto ipso Marco Antonio non citato, & possessionem vineæ inde secutam nullam fuisse, & attentatam, *Caput. dec. 261. p. 2.* cum alijs adductis per Informantes. Fuit tamen responsum eum comparuisse, sed citra consensum in iurisdictionem, & sic non videri posse dare de attentatis oblatis pendentiam, vel ob spretum iudicis cuius iurisdictionem, voluit declinare, vt dicitur de contumace, *Bart. in l. vbi cœptum. vers. item aduerte. ff. de iudic. & l. quamuis, nu. 8. ff. de damno infect. Felin. in c. ex tenore num. 15. & seqq. de rescript. cum alijs per Lancell. de attent. par. 2. c. 4. limit. 18.*

8 Non obstat clausula, nisi, si, & quatenus ad illud teneatur in protestatione adiecta, quia Marcus Antonius non tenebatur consentire in iurisdictionem Rotalem, & ideo remanet protestatio de non consentiendo simplex, & pura. Accedit, quod nec ipse admitti ad causam petijt, nec fuit admissus. Vnde nullo modo potuit dici effectus collitigans iuxta decisione *Cresc. 3. de reseruat. quam & alias allegat Lancell. d. 2. parte in præfat. num. 184. & seqq.* nec releuant iura per iudicem admissa cum fuerint admissa si, & quantum, *Bart. in l. cum propter ad fin. vers. sed dixi. ff. de leg. præst. Lambert. de Iure patron. l. 2. par. 2. quæst. 6. art. 7. Bald. cons. 428. de leg. sub num. 3. lib. 1.* Vltra quod ex ipsa comparitione apparet, ad quem effectum illam fecerit, videlicet ne ipsi comparenti aliquod præiudicium fieret, ideo produxit sua iura. Vnde cum ipsemet declarauerit intentionem suam, non debet dicta comparitio, operari vltra eius intentionem, vt censeatur admissus ad causam *l. non omnis. ff. si cert. pet. Aym. cons. 292. num. 1.* Sed solum per eam fuit consultum Marco Antonio, vt sententia Rotalis, & executio ipsum non afficerent, nec ei præiudicarent tanquam non citato, *leg. de vnoquoque. ff. de re iudic. Bald. in auth. si omnes, nu. 112. C. si min. ab hæred. se abstin. Rota dec. 545. nu. 2. par. 3. diuers.* quod etiam fuit satis prouisum per iudicem, qui reseruauit iura Hospitalium, & consequenter Marci Antonij habentis ius, & causam ab ipsis. Sed hæc ratio præiudicij nihil commune habet cum attentatis, de quibus in præsenti agitur.

9 Nec quicquam facit citatio ab eo obtenta, & exequuta contra DD. de Lante, quia fuit simplex citatio ad dicendum contra iura, & ideo non talis ex qua citatus plene instrui posset, vt requiritur iuxta *Clem. 2. vbi gl. in ver.* plene quam ibi sequuntur Doct. vt lit. pend. Vnde tanquam minus valida non induxit litis pendetiam ad effectum attentatorum. *Lancel. d. 2. part. in præfat. nu. 82. & seqq.*

10 Vltimo dicebantur attentata cessio Plautilæ, & possessio apprehensa per DD. de Lante ex eo, quia Marcus Antonius habuerat plures sententias Rotales, pro se, & mandatum de manutenendo, quo ad d. vineam, & inhibitionem exequutam tam contra Plautillam, quam contra procuratorem DD. de Lante, quæ inhibito vtique causat attentata *cap. non solum §. vltimo, de appellatio. in 6. Dec. cons. 103. num. 1.* sed facilis fuit responsio, quod d. sententiæ, & mandatum fuerunt respectu proprietatis, & directi dominij, quod prætendebat Marcus Antonius etiam viuente Plautila in d. vinea, quasi Plautila fuisset, qua relicta sola vsufructuaria donec viueret, proprietas vero spectaret ad Hospitalia, & consequenter ad Marcum Antonium, vt apparet ex lectura dd. sententiarum, & mandati. Vnde non obstant quo minus Plautila possessionem naturalem quam habebat respectu vsusfructus potuerit cedere eamque DD. de Lante apprehendere tum virtute d. cessionis, tum vigore mandati Rotalis & alias certum est, quod gesta in causa diuersa non causant attentata. *Lancell. d. 2. par. c. 4. limit. 2.* sicut nec inhibitio afficit in causa diuersa, idem *Lancell. d. 2. par. c. 20. limit. 5.* possessio autem nihil commune habet cum proprietate, *l. naturaliter, §. nihil commune. ff. de acquir. possess.* & quatenus mandatum ad fauorem Marci Antonij cantet, etiam de possessione loquitur de possessione ciuili respectu proprietatis, & directi Dominij, iuxta sententias ab eo obtentas. Hoc autem non impedit, quin possessio naturalis eodem tempore ratione vsusfructus potuerit esse penes alias personas, vt dictum est, & probat *Oldrad. consil. 277. num. 41. & est decis. Cass. de Grass. 5. de caus. possess. & propriet. relata inter impress. diuers. decis. 363. part. 1.* Et ex his, & alijs cumulatis per Informantes in tribus huius causæ propositionibus fuit conclusum, non constare de attentatis per DD. de Lante.

REVERENDISS. P. DOMINO COCCINO DECANO.

Parisien. Pecuniariæ. Lunæ 10. Iunij 1613.

ARGVMENTVM.

Quando melius sit incumbere rei, quam actioni, & quando noua conuentio, tollat primam conuentionem.

SVMMARIVM.

Pecuniam habere melius est, quam habere actionem, nu. 2. Vbi declaratur, quomodo procedat hæc conclusio.

Noua conuentio tollit primam conuentionem, etiam quod in prima conuentione non fuerit adimpletum pro vtraque parte. nu. 3.

Transactio habet vim solutionis, num. 5.

DECISIO DI.

1 SVperioribus diebus proposui dubium, vna tãtum parte informante, an sententia A. C. esset confirmanda, vel infirmanda, & sententiam affirmatiuam amplexi sunt Domini rationibus, de quibus in ea decisione, quę etiam hodie vtraque parte informanta placuerunt, non obstantibus omnibus principaliter contra dictam decisionem oppositis.

2 Non enim obstat primum de exceptione non numeratæ pecuniæ, quia satis videtur sublatum ex prędicta decisione, & elegantius ex alia facta coram Illustrissimo D. meo Cardinali Lancellotto, quibus non est quod addi possit, cum nihil hodie de nouo deducatur, quod non sit ibi decisũ, & ad id, quod de nouo deducebatur scilicet, inuerisimile esse, quod Nasius soluerit Scuta viginti millia Horatio, pro habenda eadem summa ex credito Regio, plus enim valet pecunia præsens, quam creditum, *ad text. in l. is qui destinauit. ff. de rei vendicat.* Fuit responsum, secus esse in casu isto, in quo creditor habebat pignus maioris valoris, quam creditum, quod est multum considerabile, ad not. *in l. 1. §. habet. ff. de collat. bon. §. furti. Institut. de obligat. quæ ex delic. nascuntur.* & erat fructiferum, nempe sub vsuris ad rationem octo cum dimidio pro centenario, & sic in hoc casu plus valebat creditum quam pecunia, quæ nullos reddebat fructus.

3 Non secundum quod Nasius se obligauerit exigere cre-

re credita proprijs sumptibus, Commisso enim an Capitula possint dici Correspectiua, & an Oricellarius primo contrauenerit, in quibus agentes pro Syluia multum insistebant, & hæc plures ex Dominis admittebant, placuit illa responsio, quod ab istis conuentionibus fuit recessum, quod probabatur, quia bon. mem. Horatius non consignauit iocalia, nec stetit pro consignatione, & tamen erant consignanda personis certis. Imo ab eo requisiuit consilium, & petijt licentiam, & facultatem concordandi de rata illius, sicut de propria, quam etiam petierunt post eius mortem eius filii, vt constat ex literis missiuis, & precipue ex Epistola eiusdem Horatii, directa Ioanni Oricellario, auo materno D. Syluiæ, in qua declarat se non prætendere à Domina Syluia, nisi ratam expensarum ab ipso faciendarum, ex quibus, vt dicendum est, censentur à dicta conuentione recessum, non obstante, quod non fuerit adimpletum ab vtraque parte, *l. ab emptore. vbi Bart. præsertim. num. 4. ff. de pactis. l. 1. & 2. C. quando lic. ab empt. disced.* & fuit resolutum in causa Romana Societatis Aromatarię. 5. Iunii 1587. coram Bubalo.

4 Neque dici potest, quod bon. mem. Horatius habebat aliud creditum, & propterea dum loquitur de rata expensarum, verba sunt intelligenda, habita ratione ad aliud creditum Horatii, non ad creditum, nõ commune cum Nasio, & Bedina cessionaria. Nam fuit responsum, quod ex omnibus simul iunctis constat fuisse recessum à primis pactis, vt supra dictum est, verum nec etiam verba Epistolæ patiuntur prædictum sensum, vt patet ex illius lectura sibi, *non posso già non trouare vn poco strano, che mentre trattado di voler correre la mia fortuna, & godere il beneficio intiero delle mie industrie, fatiche, & spese, in che io non fà difficultà, in cambio di sottomettersi parimente alla lor rata ad ogni spesa, diminutione, donatiuo, & disuantaggio che occoresse, entrino à farmi restrittioni, &c.* ponderando enim illa verba, *& godere il beneficio intiero delle mie industrie, e fatighe, & spese, &c.* non possunt vllo pacto adaptari ad expensas faciendas pro recuperatione alterius crediti, quia in eo nullum habebat Bedina interesse, & per consequens verba sunt intelligenda de expensis faciendis in recuperatione crediti communis, & vere & clarè hoc colligitur ex lectura omnium verborum prædictorum.

5 Non obstat etiam tertium, quod cessio bonæ memorie Horatij continet, quod ex primis pecunijs, que à Rege exigerentur, deberet sibi satisfieri, tam quo ad interesse, quam quo ad sortem principalem. Nam pro responsione dicebatur, quod hæc conuentio respicit ordinem satisfaciendi, In euentum quod totum creditum non exigeretur sed remaneret aliquid exigendum. In casu autem isto fuit exactum totum creditũ, quia sors principalis fuit in totum exacta, & concordatum cum Rege, super interesse, & in totum fuerunt soluta Scuta sexaginta millia. Vnde non versamur amplius in terminis illius pacti, quia stante concordia nihil remanet exigendum, stante enim transactione, perinde est, ac si totum creditum fuisset exactum, *l. solutionis verbum. ff. de solut. & leg. liberationis. verba, ff. de verborum obligat.* & propterea cessante pacto, diuisio est facienda æqualiter, vt Bedina habeat suam ratam Scutorum viginti millium, & pro dicta rata interesse habita tamen ratione ad quantitatem interesse exactam.

6 Nec obstat insuper quartum obiectum, quod sententia A.C. concedat retentionem pro expensis factis per bonæ memoriæ Horatium pro rata Syluiæ, & tamen Nasius, in cuius locum successit Syluia, tenebatur facere omnes expensas, quia, vt iam dictum est, ab ista conuentione fuit recessum, & ideo bene Auditor Cameræ condemnauit modo prædicto.

7 Demum non obstat quintum, quod A. C. nullam habuerit rationem de expensis industrialibus, & personalibus, quia ex generalitate sententiæ contrarium dici potest. Intelligunt tamen Domini, quod de dictis expensis in liquidatione habeatur ratio.

DECISIO DII.

Foroliuien. Census, Veneris 14. Iunij 1613.

Impressa apud Buratto.

DECISIO 10.

DECISIO DIII.

Fauentina beneficij veneris 21. Iunij. 1613.

Impressa apud Buratto.

DECISIO 13.

R. P. D. PIROVANO.

Comen. Habitus. Veneris. 14. Iunij 1613.

ARGVMENTVM.

Que requiratur nobilitas in Equitibus, & Religiosis, Hierosolymitanis, Quomodo probetur nobilitas, & an, & quando Notarius officium sit vtile, & ignobile, & an verò potius nobile.

SVMMARIVM.

Notarij dicuntur esse viles, & abiectæ personæ. num. 3. contra nu. 4. Tabellarij in quo differant à Scribis, & actuarijs. num. 5.

Notarij, Scribæ scilicet, & Actuarij, qui circa Principem, vel alios magnos iudices actis conficiendis deputati sunt non dicuntur viles personæ num. 5.

Notarij non desinunt esse nobiles, quando loci consuetudo sic eos non viles reputat. nu. 6.

Notarius nobilis admittitur ad Decurionatus Collegia, & alios suæ Ciuitatis honores. nu. 7.

Consuetudo est stricti Iuris, nec propterea extenditur vltra locum aut Ciuitatem, in qua viget consuetudo. numero. 8.

Probationes fortiores exiguntur ab illis, qui causam habet minus verisimilem. num. 8.

Notarius si sanguine nobilis fuerit, an efficiatur ignobilis propter Notariatus assumptionem. nu. 8.

Nobilitas conseruatur, & augetur ex diuitijs n. 9.

Nobilitas probatur ex matrimonijs contractis cum Illustribus & familijs, num. 9.

Nobilitas præsumitur ex antiquis, & amplis maiorum domibus, num. 9.

Testes in puerili ætate constituti quid probent. num. 11.

DECISIO DIV.

1 HÆc causa me proponente die 9. Iunij 1610. fuit resoluta ad fauorem Domini Ioan. Antonij Lucini, scilicet eiusdem nobilitatem probari, reseruando videre, si stabilimenta Religionis de Notarijs eidem Lucino obstarent, & habita disputatione super dubio reseruato die 4. Martij 1611. fuit dictum Statuta prædicta Religionis obstare Io. Antonio dubio autem repropositio die 11. Ianuarij præteriti Dominis non placuerunt responsiones datæ in decisione pro con-

confirmatione Apostolica respectu Statuti prædicti de Notarij, cum illa deduceretur in consequentiam confirmationis generalis aliorum Statorum Religionis, & sine qua statutum non obstabat Io. Antonio; propterea venerunt in eam sententiam, quod statutum loquens de Notariatu non obstaret Lucino. Veruntamen particulariter videretur, an alias exceptio Notariatus ei obstaret, quod dubium, conquerentibus eiusdem Religionis Agentibus eis multum præiudiciale, si ita conceptũ disputaretur, fuit reformatum, vt videretur. An Io. Antonio Lucino obstet defectus nobilitatis, vel exceptio Notariatus, ita vt sit recedendum à decisis sub die 9. Iunij 1610. & hodie proposito.

2 Censuerunt Domini, non constare de sufficienti nobilitate. Fundamenta enim decisionis diei 9. Iunij eò tendebant, quod tam ex testibus, quàm ex instrumentis, ac Historijs probaretur nobilitas Io. Antonij, semota tamen cognitione exceptionis Notariatus. Ceterum cum hæc qualitas Notariatus hodie iungatur principali cognitioni super nobilitate, negari non potest, quin si accipiatur tamquam officiũ & ars vilis, vel etiam tamquam officium non derogans nobilitati ex consuetudine patriæ, vtroque tamen modo præiudicet Io. Antonio.

3 Primo modo, quia ex statutis eiusdem Religionis grauatur petens se recipi in fratrem milite, onere probandi non ordinariam, sed insignem & generosam nobilitatem in patre, & auo, qualis hæc esse non posset, dum prædicti officio Notariatus se immiscuisse probantur, quos viles, & abiectas personas esse voluerunt, *gl. in leg. vniuersos Cod. de Decur. lib. 10. Angel. cons. 284. Oldrad. consil. 75. Calder. cons. 2. de fide instrum. Bart. consil. 77. libr. 1. Boer. dict. 222. num. 8. Afflict. super Constitut. Regn. lib. 3. Rub. 53. num. 15. Guido Papa decis. 90. Crau. consil. 163. num. 1. Tiraq. de nobilitat. cap. 30. num. 9. num. 9. Gutierez libr. 1. pract. quæst. quæst. 137. numer. 15.* qui omnes recensentur in decisione Reuerendissimo Lugdunen. in hac causa facta, & eis accedunt *Roland. cons. 66. num. 39. lib. 1. Bald. in cap. post cessionem, nu. 6. de probat. Abb. in cap. sicut nu. 3. versic. sed ego, ne clerici, vel monachi. Franc. Marcus decis. Delphin. 194. num. 1. vers. vel potest reddi. par. 2. Decian. cons. 31. num. 35. vol. 4. Chassan. cons. 64. num. 34. Gomes. in §. in personam. nu. 13. instit. de actio. Bonus de Curtili in tract. de nobilil. nu. 138.* & hanc esse magis comunem opinionem testatur idem *Boer. d. dec. 222. nu. 9.*

4 Et quamuis non desint, qui contrarium tueantur prout Lucas à Penna *in d. l. vniuersos, Cod. de Decur. lib. 10. Couar. pract. quæst. cap. 19. numer. 5.* qui legunt eam lege vniuersos, prout legitur in Codice Theodosiano. *libr. 12. tit. 1. Chassan. in Batal. Gloriæ mundi, par. 2. consider. 50. & par. 11. consid. 19. Alciat. in l. mercis appellatione. num. 3. ff. de verb. sign. Dec. cons. 31. nu. 32. lib. 4. Menoch. cons. 18. numer. 17. & cons. 552. numer. 11. Cephal. cons. 238. num. 22. vol. 2.*

5 Prædicti tamen non distinguũt Tabellarios à Scribis. & Actuarijs, qui omnes sub generali vocabulo Notarij comprehenduntur, & inter se distinguuntur quia Tabellarij propriè sunt ij, qui faciendis publicis instrumentis publicè præsunt in singulis ciuitatibus, *glos. in rubr. de Tabular. lib. 10.* Scribæ autem, & Actuarij sunt circa principem, vel alios magno, iudices actis, gestisque conficiendis deputati, sunt, vel ad scribenda acta aliquorum magistratuum, vt declarauit *Ioan. de Platea in l. 1. ad finem. C. de Tabular. libr. 10. & clarius explicat Menoch. d. consil. 552. num. 8.* Propterea non mirum si secundi, & tertij exemptis videantur a nota vtilitatis. cum immediate seruiant Principi, vel illius Tribunali, tanquam ab eo deputati, & ratione personæ ad cuius seruitium destinantur, & de his non dissentiunt *Bart. & Salicet. in l. 2. Cod. de mandatis Princip. Tiraquell. Boer. & alijs allegati*, sed de ijs, qui publicè seruiunt, & reipublicæ serui dicuntur, *l. non aliter. ff. de adopt. cap. 2. cum gloss. in verbo. seruo publico. de vsur. in 6.* & inuiti compelli possunt cuique indigenti inseruire pro rogitu, quia eius officium necessarium effectum est. *Roman. singul. 354. Auffrer. ad Capel. Tholos. decisione 446. Alberic. in l. pe. excipimus., §. huic saluberrimæ, in fine. C. de appell.* non videtur intelligendum, cum liceat cuilibet infima plebe, data idoneitate, ad huiusmodi officia Tabellionatus aspirare, sed quidquid sit de hac opinione, quæ tamen auctoritate grauissimorum virorum roboratur, si,

6 Secundus modus attendatur iuxta patriæ consuetudinem, vt Tabellarij non desinant esse nobiles propter officij Tabellionatus exercitium, prout voluerunt *Tiraquel. de nobilit. cap. 33. num. 21. & cap. 34. num. 1. Cephal. cons. 237. numer. 18. & consil. 611. numer. 29. Alba. consil. 43. nmmer. 3. & de ditione Mediolanensi testatur, gl. in leg. vniuersos, Cod. de Decur. lib. 10. & Carpan. statutorum eiusdem Ciuitatis glossator libr. primo, capit. 415. numer. 44. & 45.*

7 Et hoc pariter casu non cessat præiudicium Ioan. Antonij, quia & si Notariatus non præstet impedimentum, vbi alias ille Notarius sit nobilis, quin possit admitti ad Decurionatus, & Collegia, ac alios honores suæ Ciuitatis, vt dicit *Carpan. dict. num. 43.* illa tamen consuetudo, tanquam localis, non videtur posse extendi vltra locum illum, aut ciuitatem, nec ad diuersos honores, est enim stricti iuris, *Bart. in l. 1. §. si quis hoc interdicto. in fin. ff. de itin. actuque priuil. & in Authent. qui rem, in fin. Cod. de sacrosan. eccles. Innocen. in c. tua nos. de decim.* & consequenter extensio prohibetur ratione præsumpti dissensus eorum, qui extra locum, aut Ciuitatem habitabant, *Dec. consil. 483. num. num. 22. Rouis de consuetud. d. 6. in add. num. 5.* Vnde Religio huiusmodi consuetudini adstricta non videtur sed per vniuersalem consuetudinem conuinci debet, sicut & ipsa non pro solis Comensibus, sed pro nobilibus totius orbis Christiani instituta est, nec mirum videatur, quod ad diuersos actus illa consuetudo non extendatur, quia ad acquirendum gradum in Collegio, vel Decurionatu sufficit probatio nobilitatis ex parte patris, & aui, de qua religionis statuta non contentantur, cum vlterius requirant probationem ex alijs duobus lateribus ex auo materno, & patre auiæ patentis recipi in militem, & ideo respectiue ad dignitatem suæ Ciuitatis capessendam ex consuetudine poterit cessare vtilitas, quæ tamen respectiue, & collatione facta ad dignitatem Militis Hierosolymitani non cessabit, & hoc admittit idem *Couarr. pract. quæst. dict. cap. 19. num. 5. versic. hæc siquidem declarando, l. vniuersos, C. de decurionib. lib. 1.*

Non obstat, quod localis nobiltas ex statuto, vel consuetudine tunc demum non esset admittenda, si Ioan. Antonius tractaret de acquirenda nobilitate ex statuto, vel consuetudine particulari suæ Ciuitatis, vt de milite Perusino tradit *Bart. in l. prima, num. 63. de dignit. lib. 12.* quia tunc dispositio vocans nobiles extra illum locum de talibus nobilibus non intelligeretur at secus cum agatur de eo, prout est Ioann. Antonius, qui est nobilis sanguine, & sui origine, qui licet exerceat aliquam artem vilem in aliquo loco, in quo ex consuetudine talis ars non deroget nobilitati, tamen ille haberi debebit pro nobili vbique locorum. Ad hæc enim fuit responsum, admisso etiam, quod Ioan. Antonius non se fundet in consuetudine patriæ ad probandam nobilitatem sanguinis, & originis, sed consuetudo ipsa conseruabit nobilitatem, ne officiũ Notariatus illi deroget, negari tamen non potest, quin alias se nobilem probare teneetur, vt dicit *Carpan. ad dictum statutum 416. num. 43.* & quod immiscere se huiusmodi iofficio præsumptionem quamdam nobilitati contrariam præ se ferre videatur, vel saltem argumeutum, & indicium nobilitatis non sit, ex quo

quo fortiores probationes ab illis exigi solent, qui causam habent minus verisimilem, *Abb. in capit. quia verisimile. num.2. de præsumpt.Crauet. consil.sexto, nu.43.* & durioris onere probationes solent grauari. *Roland. consil. 83. num. 37. libro 2.* quod etiam fuit consideratum in hac causa, die quarta Martij 1611. coram Archiepiscopo Lugdunens. tunc Rotæ Auditore, quæ fortior probatio, quo ad istam Ioan. Antonij nobilitatem generis, & sanguinis nedum visa est Dominis firmata, sed nec alia inferior, aut leuior. Certum est enim, & per documenta publica probatur, & firmatum fuit die 13. Februarij 1609. coram Reuerendiss. Lugdunen. quod tam Benedictus pater Io. Antonij, quàm Franciscus illius Auus, & alter Benedictus proauus fuerunt omnes Notarij, ac demum tritauus fuit ludimagister.

9 Et illud præterea verum est, quod præter testes, & Chronicas, & monumenta, quę cuius ponderis sint infra dicetur, non dantur instrumenta antiquarum diuisionum, ex quibus considerabiles diuitiæ probētur inter eius maiores fuisse, per quas nobilitas, & cōseruari, & augeri solet. *Bon.de Curtili. Nobilitat. par. 7. num.4. Tiraquell.eodem tract.cap.3. num.23. & sequent.* nec dantur matrimonia, & affinitates cum Illustrib. familijs, quę passim solent esse indicia paris nobilitatis, cum pares paribus matrimonio copulentur, *leg. viduæ l.donationum, C.de nupt. Tiraquell.de Legib.Con.l.5.num.3.* nec domus amplæ, & honorificæ, & antiquæ ostenduntur in ciuitate Cumi, quæ fuerint maiorum suorum, ex quibus non leue etiam argumentum nobilitatis desumi potest, *Bart. in leg.2. num. 5. C. de prædijs, alijsque reb. Nauicul.lib.11. Tiraq. de nobilit. cap. 2. num. 28.Crau.cons. 952.* coram Reuerendiss. Damasceno die 16. Ianuarij 1612. quibus stantibus facilimum erit respondere fundamentis ex testibus Chronicis, & monumentis deductis.

10 Testes namque qui dantur, alij sunt coram Commissarijs Religionis recepti de anno 1604. & alij ad instantiam Ioan. Antonij in curia deposuerunt de anno 1610. qui fuerunt ad partes positi, super quorum depositionibus non fuit constitutum fundamentum, tanquam circumscriptis in disputatione diei 9. Iunij 1610. Primi autem testes, etsi animosè deponant se cognouisse patrem, & auum Io. Antonij nobiles, & nobiliter viuentes, & pro nobilibus fuisse communiter ab omnibus de illa Ciuitate tentos, & reputatos, ac gradus, & dignitates in ea ciuitate obtinuisse, quæ veris nobilibus solent conferri, tamē quo ad gradus, & dignitates de scientia se referunt ad Benedictum Patrem Io. Antonij, qui fuit Decurio, & in Collegiū Iurisperitorum cooptatus: Franciscus vero auus, & Benedictus proauus remanēt in simplici tractatu nobilitatis, de quo prædicti testes deponunt, quorum testimonium integrum, nec in hac parte sufficiens Dominis visum est, cum omnes interrogati, an pater, & auus Io. Antonij fuerint Notarii, & procuratores, negatiuè responderint, coarctando negatiuam, nec aliter preter eorum scientiam potuisse contingere; Vnde duo inferuntur, vel quod tanquam non informatis etiam in ceteris fides non est adhibenda, ita vt quo ad Franciscum auum nobilitas remaneat fine probatione, vel quia saltem ex ratione ab eis expressa *Perche hanno domesticamente, & familiarmente praticato con loro,* & ignorat qualitatem Notariatus, qui solet quotidie exerceri inter domesticos parietes, propter suspicionem dolosæ reticentiæ diminuendum, fit multum de eorum fide, & consequenter cesset illa vera, & concludens, probatio, quæ desideratur, vbi præsumptiones ignobilitatis vrgent, vt supra dictum est.

11 Non obstat, quod in decisione diei 9. Iunii 1610. dictum fuerit ob puerilem ætatem ipsorum testium, in qua tempore depositionis erant constituti, admittatur probabilis excusatio eorum ignorantiæ, absque eo quod diminuatur fides dicto illorum, Quia fuit responsum, dempto vno, ceteros non versari in adeo tenera ætate, quin potuerint, ita de Notariatu, prout de ceteris qualitatibus habere notitiam, cum essent ætatis annorum 13. 16. & 18. vltra quod limitatio posset deseruire ad excusandum testes de mendacio, sed non ad confirmandum, quod esset bene informati, ac etiam quando hæc qualitas Notariatus non iungeretur principali cognitioni, vt in prima decisione, secus quando, vt hic illa concurrit ad constituendam causam nobilitatis minus verisimilem, quo casu fortiores debent, & concludentiores esse probationes, vt iam dictum est.

12 Non obstant instrumenta, historiæ, & monumenta pro confirmatione nobilitatis familiæ de Lucinis adducta. Quia ex generica nobilitate Lucinorum, prout prædicta testantur, non videtur satisfactum stabilimentis Religionis, quæ desiderant, & volunt specificam petentis in patre, & auo nobilitatem. Vnde vel nisi probetur per gradus distinctos descendentia ab eis, vel ex coniecturis, & præsumptionibus vrgentissimis, ac plane necessariis originem ducere ab eis, quod scilicet fuerint inter eius ascendentes amplę facultates, matrimonia honorifica, palatia, vel domus insignes, probatio de necessitate non stringit, prout debet. *c.in præsentia. de probat.l.non hoc. C. vnde legitimi. vbi Ias.latissime,* cum testes ipsi pro Ioan. Antonio examinati admittant, nec negari potest, quin etiam ignobiles reperiantur in Ciuitate Cumi de familia, & cognomine Lucinorum.

R. P. D. PAMPHILIO.

Mediolanen. Pensionis. Lunæ 17. Iunij 1613.

ARGVMENTVM.

Clausula sine præiudicio solutionis non tribuit iurisdictionem ante factam solutionem. Translatarius pensionis, quando possit agere contra pensionarium, non iustificata gratia transferentis, & quando transferendi facultas dicatur subreptitia.

SVMMARIVM.

Clausula sine præiudicio solutionis non tribuit iurisdictionem, nisi post factam solutionem. num. 1.

Pensionarius soluere debet pensionem translatario, etiam non iustificata gratia transferentis, quando transferens erat in quasi possessione exigendi, & beneficiatus consenserat reseruationi pensionis. num. 2.

Translatarius releuatur ab onere iustificandi gratiam transferentis, quando ipse transferens fuit in longissima quasi possessione exigendi pensiones. num. 3.

Transferendi facultas non dicitur subreptitia, ex eo, quod in gratia non fuerit facta mentio beneficium esse de Iurepatronatus laicorum, quando de hoc in reseruatione pensionis facta fuit mentio. num. 4.

DECISIO DV.

1 Concluserunt Domini, mandatum esse confirmandum, quia causa fuit commissa in Rota, cū clausula, sine retardatione solutionis, quo casu Auditor Cameræ, bene potuit procedere ad relaxationē mandati pro terminis pensionis de cursis. Talis enim clausula præseruat iurisdictionem primi iudicis, nec tribuit iurisdictionem Rotæ, nisi postquam per solutionem adimpleta fuerit conditio. *Sarnen. in compend. Vtriusque Signat. numero 84. versicul. confirmatur ista opinio. Ioan. Paua. decisione sexagesima prima. Paris. consilio 94. numero duodecimo. libro quarto.* cum alijs

alijs adductis. septima Nouembris 1612. coram R.P. D. meo Vbaldo. Et fuit alias sæpe decisum.

2 Nec releuare dixerunt, quod gratia transferentis non fuerit iustificata, prout iustficari debebat, iuxta decisionem in causa Brixien. pensionis. 28. Nouẽbris de anno Millesimo quingentesimo nonagesimo quarto. coram Illustrissimo Cardinale Mellino, cum alijs allegatis. Quia translatarij in casu isto egerunt pro solutione pensionis contra Hieronymum, qui consensit illius reseruationi, & per plures annos eis pensionem soluit, quo casu eos approbasse censetur, ita vt non teneatur ad aliam iustificationem faciendam, iuxta decis. Mohedan. 9. sub numero tertio. versicul. item cum per plures, *Puteus dec. 245. nu. 3. vers. & tanto magis lib. 1.* Ideoq; non obstat decisio in dicta causa Brixien. pensionis, quia translatarius ibi agebat cõtra successorem in beneficio, qui non consenserat reseruationi pensionis, nec vnquam illam soluerat, vt ibi dicitur. Et eodem modo respondetur ad decisionem in causa Neritonen. pensionis coram bon. mem. Litta, cum alijs in contrarium allegatis.

3 Præsertim, quia in casu isto concurrit longissima quasi possessio transferentis, per quam illius gratia iustificata censetur, & Translatarius releuatur ab onere illam iustificandi, vt fuit dictum in causa Bononien. pensionis. 17. Maij de anno Millessimo quingentesimo nonagesimo tertio. coram Illustrissimo D. Cardinale Mellino, & in dicta causa Neritonen. Pensionis. 5. Nouembris 1601. coram bonæ memoriæ D. Litta, vbi, quod huiusmodi quasi possessio debet esse triginta annorum,

4 Nec placuit subreptio, quæ deducebatur ex eo, quod in gratia facultatis transferendi, non sit facta mentio, beneficium esse de Iure patronatus laicorũ, quia fuit responsum, quod pensio translata, quo ad istum effectum, est eadem pensio, nec inducit nouum grauamen. Ideoque sufficit, quod mentio de Iure patronatus laicorum, fuerit facta in reseruatione, nec in translatione alia illius expressio requiritur. *Crescent. dec. 1. de reb. eccles. non alienan.* quam sæpe Rota secuta fuit, in causa Terulen. pensionis 15. Decembris 1600. coram Reuerendissimo Dom. Damasceno, & in Carpentoraten. Pensionis 29. Maij 1602. coram Illustrissimo Lancellotto, & similibus.

5 Nec demum refragari, quod mandatum sit reuocandum, ex quo cum Hieronymus diu fuisset carceribus inclusus demum ex decreto visitæ fuit liberatus cum assignatione per eum facta Pensionarijs omnium fructuum suorum beneficiorum. Quia mandatum, de quo agitur fuit relaxatum pro terminis decursis post dictum decretum, quod comprehendebat solum terminos tunc decursos, pro quibus Hieronymus reperiebatur carceratus, non autem decurrendos, vt expresse legitur in ipso decreto. Præterea huiusmodi decretum tanto minus Hieronymo suffragari, potest, quia ex dicta assignatione fructuum, nũquam fuit Pensionarijs satisfactum, cum super illis fuerit per Ordinarium appositum sequestrum ob nõ celebratas Missas, aliaque onera per Hieronymum non adimpleta, & sic decretum non habuit effectum culpa ipsius Hieronymi. Et ita decisum fuit.

R. P. D. PAMPHILIO.

Hispalen. Præeminentiarum. Lunæ 17. Iunij 1613.

ARGVMENTVM.

De executione literarum Apostolicarum, & de Portionarijs, & Mansionarijs, ac de eorum differentijs, & prærogatiuis.

SVMMARIVM.

Literæ Apostolicæ ob earum auctoritate, & reuerentiam habent executionem paratam. nu. 1.

Subreptio an cadat in his, quæ iuris sunt. nu. 2.

Identitas essentiæ vbi constat diuersitas nominis non attenditur. num. 3.

Portionarij in Hispania habent plures prærogatiuas, quam Mansionarij, seu beneficiati Italiæ. num. 4. Vbi tamen quod non per hoc sunt diuersæ speciei. nu. 4.

Per clausulam non obstantibus derogatur omnibus iis, quæ dispositioni obstare possent. nu. 5.

Clausula quorum tenores habet vim expressionis cuiuscumque litis, iuris, & prætensionis in iudicium deductæ. numer. 5.

Consuetudo vt probata dicatur per testes, quæ requirantur. numer. 7.

DECISIO DVI.

1 DVo Breuia pro parte Canonicorum à Clemente VIII. felic. memor. obtenta fuerunt, vnum sub die 30. Iunij 1605. alterum vero sub die 24. Iulii eiusdem anni, quæ cum postea ab eodem Clemente suspensa fuerint, donec plenius super illorum exceptionibus cognosceretur, & iam fuerit super primo in Rota firmatum, illud esse iustificatum, subreptionisque vitio carcere, supradicta die proposui dubium, an sit exequendum alterum emanatum sub die 24. Iulij, & Domini affirmatiuè responderunt, nam literæ Apostolicæ ob earum authoritatem, & reuerentiam habent executionem paratam, *cap. si Capitulo & ibi gloss. verb. ex equatur, & cap. seq. de concess. præben. in 6. Sarn. in tract. Breuium. n. 4. Mohed. dec. 13. vt lit. pend.*

2 Nec huiusmodi Breue videbatur Dominis indigere alia iustificatione, dum Portionarij in eo dicuntur teneri ad omnia munia subeunda, & ministranda, ad quæ iuxta formam libri Ceremonialis Episcoporum Beneficiati seu Mansionarij tenẽtur, quia vltra quod ista est assertio ipsius Papæ, vt ex verb. Nos attendentes, & ex verb. censemus clare colligitur, fuit etiam dictum, illam in casu isto satis iustificari ex dispositione iuris, qua stante nulla alia iustificatio requiritur, cum in his, quæ iuris sunt uon cadat subreptio. *Felin. in c. super literis, nu. 8. vers. 2. regul. de rescript.* & tenuit coram Oradino, *vt in dec. relat. inter impress. 19. nu. 1. par. 1. diuers. & alias sæpe.*

3 Quod autem huiusmodi narratiua ex iuris communis dispositione iustificetur, satis visum fuit constare ex eo, quod ordo Mansionariorum, seu Beneficiatorum, de quibus fit mentio in dicto libro Cæremoniali, est ordo præbendatornm, qui immediate sequitur ordinem Canonicorum quo casu cum etiã ordo Portionariorum Ecclesia Hispalen. vere sit inferior ordine Canonicorum, eumq; immediate sequatur, vt fuit in hac causa decisum, sub die 4. Iunij 1612. & 15. Martij præteriti, necessario dicendum est, quod huiusmodi Portionarii de iure teneatur, subire, & ministrare ea omnia ad quę iuxta formam dicti libri Cęremonialis tenentur Mansionarij, seu Beneficiati, qui quo ad effectum, & essentiam non differunt à Portionariis, licet ex diuersitate locorum, diuerso etiam nomine appellentur, & certum est, quod vbi constat de identitate quo ad essentiam diuersitas nominis non attenditur ad tradit. per *Bartol. consil. 179. numer. 2. lib. primo, Ioan. de Anan. consil. 17. numer. 10. Aym. consil. 880. numer. 4.*

4 Nec refragatur, quod Portionarii in toto Hispania & præcipue in hac Ecclesia plures habeant prærogatiuas, quam Mansionarii seu Beneficiati Italiæ, & alii de quibus per glossã, & *Doctor. in cap. penult. verb. Assisij. de cleric. non resid.* Quia non propterea dicuntur esse

esse diuersi ordinis, cum istæ prærogatiuæ, & aliæ similes qualitates non mutent eorum speciem, *ad leg. proponebatur. ff. de iudic. l. cum quæritur, ff. de excep. rei iud.* Vnde cum Breue sit fundatum in eo, quod tam Portionarij, quam Mansionarij, seu Beneficiati sint ordinis immediate sequentis post Canonicos, ex huiusmodi ordinis inferioritate satis illud iustificatum remanere censetur, etiam quod Portionarij aliquas prærogatiuas obtineant, quas non habent de iure alij Beneficiati, vt fuit late deductum in decisione in hac causa facta sub die 15. Martij præteriti.

5 Et tanto magis quia in dicto Breui, Papa expresse vult, Portionarios ad supradicta teneri non obstantibus huiusmodi præeminentijs tam in votando, quā in sedendo, alijsque prætextibus, nec non litis pendentia alijsque dictæ Ecclesiæ statutis, consuetudinibus, & priuilegijs, per quam clausulam censetur derogatum omnibus ijs, quæ supradictæ dispositioni obstare possent. *Ias. consilio 110. colum. 4. in fin. vers. 3. moueor. libro 4. Berous consilio 147. numero 28. versic. & licet, libro 3.* Præsertim stante clausula tenores, &c. cuius vigore lis, iura, & prætensiones quæcunque, tam pro parte Canonicorum, quam Portionariorum in iudicium deductæ, expressæ censentur. *Butr. consilio 2. alias 49. numero 5. & seqq. Gemin. consilio 65. numer. 28.* cum alijs allegat. sub dicta die 15. Martij præteriti.

6 Minus obstat Breue pro Portionarijs obtentum per quod prætenditur suspensa exequutio Breuium, de quibus agitur, quia placuit responsio, quod executio per illud fuerit solum suspensa donec cognosceretur super iustificatione, seu exceptionibus istorum, vt fuit dictum in hac causa sub die 9. Decembris 1611 & propterea cum iam de eis fuerit satis cognitum, vt patet ex supradictis decisionibus in hac causa factis; cessat huiusmodi suspensio, & per consequens prædicta Breuia, tanquam iustificata veniunt exequenda ex supra deductis.

7 Maxime, quia in supradicto Breui suspensiuo fuit narratum, Portionarios ex consuetudine immemorabili existere in quasi possessione sedendi, votandi, thuris honorem recipiendi, cum duplici ictu, prout recipiunt Canonici, & alios actus faciendi contra dispositionem dicti libri Cæremonialis, quæ tamen consuetudo non probatur. Testes enim pro parte Portionariorum examinati non deponunt cum requisitis, per *gloss. in c. 1. verb. memoria. de præscript. in 6.* prout requiritur. *Put. decis. 12. lib. 3.* & fuit sæpissime in Rota decisum.

R. P. D. VEROSPIO.

Farfen. Territorij. Lunæ 17. Iunij 1613.

ARGVMENTVM.

Scientia Officialium arguit scientiam Domini, declaratur hæc conclusio pluribus modis.

SVMMARIVM.

Scientia Officialium arguit scientiam Domini, quando Officiales scientiam habuerunt vti Officiales, secus si aliter. num. 2.

Officialium scientiam non arguit scientiam Domini, quando illa prouenit ex actu non spectante ad dominum. num. 3. & 5. Vbi idem, quando non agebatur de præiudicio Domini, & num. 6.

Scientia Officialium non arguit scientiam Domini, quando talis scientia prouenit ex actu modici momenti. num. 4.

Scientia Officialium non arguit scientiam Domini, quando agitur ad inducendum præiudicium Domino, vel de auferendo illius ius. num. 7. & 8.

Scientia non sufficit præsumpta, sed debet esse certa, & euidens, quando agitur de præiudicio alterius, & de auferendo iure tertij. num. 8.

DECISIO DVII.

1 De anno 1562. orta inter Montopolitano, & Turritanos super Territorio, ac iure pascendi controuersia, post multas disceptationes Illustrissimus Cardinalis Montis Alti, tanquam Abbas Farfen. & consequenter Montis Opoli eiusque Territorij directus Dominus, de anno 1599. pro suo interesse venit ad causam, & cum Turritani multo ante prætenderent bonæ memoriæ Cardinalem Farnesium anteriorem Abbatem dictæ litis notitiam habuisse, fuit dubitatum, à quo tempore ipsius Abbatis scientia esset desumenda, & licet fuisset decisum illam de anno Millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, initium habuisse, quoniam tamen ab anno Millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, Turritani dictam scientiam Abbatis arguebant ex quadam transactione inter ipsos, & Montopolitanos, tunc temporis inita, præsente, & Authore Episcopo Salæ ipsius Abbatis Locumtenente generali, & cum interuentu pariter Matthæi Massæ Auditoris, ac Ioannis Baptistæ de Benedictis in eadem Abbatia Locumtenentis, quos Officiales Abbatem certiorasse præsumebatur nihilominus coram bonæ memoriæ Penia firmatum fuit, istos non interuenisse concordiæ, tanquam Abbatis Officiales, sed vti priuatas personas bono zelo ductas eam procurasse, quo casu Abbatis scientia non inferebatur, verum cum pars non acquiesceret, causa per me denuo proposita, Rota stetit in decisis, non obstantibus in contrarium adductis.

2 Et ad id, quod primo loco excipiebatur prædictos Officiales vti tales interuenisse. Respondetur Matthæum Massam, & Ioannem Baptistam de Benedictis solum fuisse adhibitos, tanquam testes, vt ex concordiæ lectura manifeste colligitur. Quo vero ad Episcopum Salæ Abbatis Locumtenentem, dicitur illum pro bono pacis, & tanquam amicabilem compositorem, vt ipsemet in fine concordiæ asserit interfuisse. Vnde non obstat, quod ex scientia Officialis, ad Domini scientiam inferatur ex *Bartol. in l. si publicanus. §. in omnibus. ff. de publican.* quia *Bart. loquitur in terminis.* quando actus ab Officiali tanquam talis geritur. Hic autem cum Episcopus tanquam Officialis, vt dixi præsens non fuerit, ex eius scientia ad illam Abbatis non arguitur. *Bartol. in d. l. si publicanus. §. in omnibus. num. 1. ff. de publican. quem refert Alex. in consi. 6. num. 3. vers. vt enim verum. lib. 1. Roman. consil. 2. num. 3. Ægid. consil. 4. colum. 3. Peregr. de iure fisci, lib. 6. tit. 8. num. 26. versicu. quibus adde. Surd. decisione. 181. nume. 16. versi. & quam. & consi. 566. nu. 14. vers. 4. quo ad Bart.*

3 Præterea cum in dicta concordia de re ad Abbatem spectante non ageretur, etiam quod omnes tanquam Officiales interuenissent, non tamen esset præsumenda certioratio, cum hæc ex *Bartol.* & alijs ex aduerso alleg. de rebus tantum ad Dominum pertinentibus arguatur.

4 Accedit, quod hic de transactione solum ad quinquennium, & sic de re modici momenti tractabatur. Vnde multo minus præsumi deberet certioratio, vt post alios tradit *Honded. consi. 55. num. 56. lib. 1.*

5 Præterea cum in concordia fuerit expresse reseruatum ius Abbatis, & consequenter omne illius præiudicium cessaret. *Put. decis. 32. lib. 2. Peregr. consi. 2. num. 63. lib. 2. Surd. decis. 154. num. 19. Boer. decis. 100. num. 10.*

6 Cessat quoque præsumpta certioratio, cum non præsumatur quem de illo certiorem Dominum reddidisse, quod eius non interesse, nec vllum illi præiudicium afferebat, vt tradunt *Bartol. & alij in dicta l. si*

cit. l. si publicanus, §. in omnibus, ff. de public. & vectig.

7 Vlterius hæc Abbatis scientia prætenditur ad inducendum preiudicium, quod ex lapsu temporis oritur, ad huc tamen effectum præsumpta scientia, non sufficit, sed certa, & euidens est necessaria. *Osasch. dec. 176. num. 3.*

8 Prout nec quando de auferendo alicui iure agitur satis est præsumpta, sed certa scientia requiritur. Rota decisione vigesima prima, de dolo & contum. in antiq. quæ loquitur in terminis præsumptæ scientiæ ex ipsa Procuratoris certioratione. *Crescent. decisione 193. alias 5. de præsumpt.* Et fuit dictum Salamantina Censurarum, 5. Nouembris 1597. coram bon. mem. Card. Seraphino.

R. P. D. PIROVANO.

Ciuitatis Castelli Bonorum. Lunæ 17. Iunij 1613.

ARGVMENTVM.

Bona quando præsumantur emphyteutica potius quam allodialia, seu feudalia.

SVMMARIVM.

Emphyteutica bona præsumuntur esse omnia illa, quæ per emphyteutam possidentur in loco emphyteusis, nu. 1.

Bona præsumuntur potius allodialia, quàm emphyteutica, & feudalia, nu. 1.

Territorium est suppositum Curiæ, & Iurisdictioni Castri, in quo situm est, num. 2.

DECISIO DVIII.

1 Censuerunt Domini sententiam Rotalem esse confirmandam. Ex decisione enim in hac causa facta 2. Aprilis coram Reuerendissimo Damasceno bene constat, bona relicta per Ferrantem Vitellium in Curia Montis Lardarijs esse illamet, quæ fuerunt per Eremitas concessa in emphyteusim Dominis de Vitellijs, tam iuris præsumptione, quam alijs adminiculis, ex eo, quod omnia bona possessa per emphyteutam in loco emphyteusis præsumantur esse omnia emphyteutica, *ex Ruin. consil. 50. num. 13. & 14. libr. 1. Natt. consil. 506. num. 31. Ias. consil. 235. num. 8. lib. 2.* ita vt cesset obiectum necessitati s probationis super identitate bonorum emphyteuticorum ex parte Eremitarum propter contrariam præsumptionem, quod scilicet omnia bona præsumantur allodialia, non autem emphyteutica, & feudalia *ex Roland. cons. 82. nu. 6. lib. 2. Natt. cons. 520. in princ. & alijs alleg.*

2 Et hoc stante, instrumenta acquisitionum per Dominos Vitellios producta Eremitarum intentioni obstare non videbantur, quoniam loquuntur de bonis sitis in Curia Montis Valentini in vocabulo Monte Lardario. Vnde tanquam distincta ab emphyteuticis sitis in Curia Montis Lardarij, nihil releuant ad diminuendam probationem, ex iuris presumptione desumptam. Alia est enim Curia Montis Lardarij, & alia est Curia Montis Valentini, cum vnaquæque significat territorium, quod est suppositum curæ, & iurisdictioni Castri, *Aret. consil. 15. num. 1. Bald. in rubr. C. capit. 1. de Capit. qui Cur. vend.* nec dominatio ex vocabulo Monte Lardario, potest alterare fundi situationem, vel inferre vnionem Curiarum, cum vocabula ad libitum apponantur, vel id contingere potuerit ex antiqua diuisione Curiarum, vel ex subiectione in spiritualibus, ita vt cesset illa necessitas illationis ad confundendum probationes Eremitarum, vt bene consideratur in decisione supradicta secunda Aprilis.

3 Non obstat, quod siue constet prædicta bona acquisita Curia Montis Valentini esse propria Dominorum de Vitellijs, siue non appareat, quod nihilominus probetur ex eorum acquisitione bona omnia in dicta Curia Montis Valentini non fuisse Eremitarum, & consequenter per alias demonstrationes tenentur probare identitatem bonorum. Quia fuit responsum, sufficere Eremitis, quod bona prædicta nõ sint intra fines Montis Lardarij, & quod ex vocabulo in Monte Lardario non inferatur ad identitatem Curiarum Montis Valentini, & Montis Lardarij ad euitandam obscurationem eorum probationis, Ceterũ si prætenderent vendicationem bonorum emphyteuticorum existentium in Curia Montis Valentini, bene intraret obiectũ ta obscurationis probationis, quam proprietatis bonorum eorundem Dominorum de Vitellijs. Et ita fuit resolutum.

REVERENDISSIMO P. DOM. COCCINO DECANO.

Theatina Iurisdictionis S. Ioan. in Venere. Lunæ 17. Iunij 1613.

ARGVMENTVM.

Abbatia quomodo probetur, quod situata sit in Territorio vnius Diœcesis potius, quam in Territorio alterius Diœcesis.

SVMMARIVM.

Excipiens exceptionem suam probare debet contra eum, qui habet intentionem fundatam, num. 1.

Concessio determinata ad duo loca non debet vlterius extendi, num. 2.

Litore maris concesso, non censetur concessa terra, quæ prope litus stat. num. 3.

Definitio vbi non conuenit, nec etiam conuenit definitum. numer. 5.

Possessio probata vsq; ad ripam, non censetur probata possessio ripæ. num. 5.

Dictio ad denotat vicinitatem, & non intrinsecitatem, numer. 5.

Dictio versus denotat situationem, & non propinquitatem, numer. 5.

Oratio indefinita in materia probatoria non æquipollet vniuersali. nu. 5.

Litus maris differt à terra adiacente litori. nu. 6.

Concessio alicuius terræ non trahitur ad terram adiacentem terræ concessæ. nu. 6.

Probationes vbi hinc inde sunt contrariæ præualent illæ, quæ fortiores sunt. num. 9.

DECISIO DIX.

1 Post resolutionem factam, quod Abbatia Sancti Ioannis in Venere est in Diœc. Theatina, Reuerendiss. Archiepiscopus Lancianen. cœpit prætendere illam esse in Territorio temporali Lancianen. & sic in sua Diœc. in quo totum illud territorium in erectione illius Ecclesiæ in Cathedralem sibi fuerat pro Diœc. assignatum, & cum Reuerendiss. Domin. Archiepiscopus Theatin. iam fundauerit intẽtionem suam, vt in dec. in hac causa facta onus probandi cõtrarium incumbit Reuerendiss. Lancianen. *l. 1. vbi Bar. C. si aduers. cred. l. 2. ff. de procur.* & propterea consideratis deductis pro dicto D. Archiepiscopo, visum fuit Dominis non probari Abbatiam esse intra fines dictæ Diœc. Lancianen.

2 Non enim hoc probabatur, dum dicebatur, quod de anno 1312. à Rege Roberto fuit Oppido Lancianensi cõcessum Castrum Pagliettæ, & de anno 1421. à Rege

à Rege Alphonso Castrum Torreni. Quia non ideo potest inferri, quod sit concessus locus Abbatiæ, cum dicta duo oppida sint vltra flumen Sangri, Abbatia vero citra, cum enim concessio fuerit determinata ad illa duo Castra, non debet, vlterius extendi, *l. Olympico. ff. de seruit. vrban. præd. nu. 8. Roman. post Bal. in cons. 444. num. 3.*

3 Non etiam secundo hoc probatur ex eo, quod dicitur, Territorium Torreni pergere vsque ad mare, & propterea cum de anno 1422. Alphonsus Rex concesserit portum in litore, seu splagia Castri S. Viti, & voluerit inter alia, quod intelligatur vsque & per totum Castrum Torreni inclusiue. Cumque ad litus maris sit Abbatia, & non possit perueniri ad Castrũ Torreni per litora maris, nisi transeundo per Territorium dictæ Abbatiæ, sequitur quod & illa comprehendatur in ista concessione *ad consil. Decij 146. numer. 15. vers. vlt. non obstat.* Nam huic motiuo, fuit responsum, quod vel dictus portus non est concessus in litore adiacente Abbatiæ, vel si est concessus, non inde sequitur, quod etiam sit concessa Terra, quæ ad litus stat, & sic ea, in qua Abbatia est situata.

4 Ad quod probandum, sunt ponderanda verba concessionis, conceditur enim facultas habendi portum in Territorio S. Viti, & litore maritimo, seu splagia dicti Castri S. Viti, & quod portus sit permissus in d. litore, & quod eius iurisdictio, & pertinentiæ durent & intelligantur, quantum durat territorium S. Viti versus Ortonam, & versus Castrum Torreni, districtus, & pertinentiæ Lanciani sint, & esse debeant, ac intelligantur vsque, & per totum Castrum Toreni inclusiue.

6 Si enim consideretur, quod portus est concessus in litore, & splagia Territorij S. Viti, & quod eius pertinentiæ durant, quantum durat Territorium versus Ortonam, non inde potest inferri, quod sit concessus in litore, & splagia Abbatiæ, quia Abbatia non est versus Ortonam, ad notat. *in l. 1. ff. de dol. & in l. 1. ff. de testam.* quibus locis notant Doctores, quod vbi non conuenit definitio, nec conuenit definitum. Si etiam considerantur, verba illa, versus Castrum Toreni, nõ important, quod Territorium S. Viti extendatur vsque ad Castrum Torreni, sed solum quod pergit versus Torrenum, iuxta illud Plauti, ego portum versus pergam, & perquiram, quem si noninuenero, domum versus reuertar, & in fortioribus terminis dicit *Alex. in cons. 54. num. 10. libr. 5.* quod si probetur possessio vsque ad Ripam, non includitur Ripa, quia dictio, ad denotat vicinitatem, non intrinsecitatem. Sic dictio versus, denotat situationem, non propinquitatem, ex plauto supra allegato. Vltra quod cum ista verba sint indefinita in materia probatoria, non æquipollent vniuersali. *Dec. consil. 146. num. 15. Aym. consil. 33. num. 16. Cæsar. de Graff. decis. 32. num. 3.* Et denique nihil facit, si considerentur sequentia verba, videlicet, districtus, & pertinentiæ Lanciani sint, & esse debeant, ac intelligantur vsque, & per totum Castrum Torreni inclusiue, quia non ideo debet concludi, quod sit cõcessus locus Abbatiæ, cum non probetur, quod Abbatia sit in Teritorio Torreni, & ideo non solum istæ probationes videntur æquiuocæ, sed nihil concludunt, ac propterea nullum gradum probationis faciunt c. in presentia de probationibus.

6 Sed quatenus admitteretur sine veri præiudicio, quod ex verbis illis, vsque & per totum Castrum Toreni, dici posset fuisse concessum portum per totam splagiam à Castro S. Viti vsque ad Torrenum, non propterea inde resultaret, quod censeretur concessa Terra prope litus, in qua Abatia est situata, aliud enim est litus, aliud Terra adiacens, *l. litius, ff. de verb. signific.* Litus enim est illa pars, quæ decrescente mari, remanet arenosa. *d. l. litus §. flumina autem. Instit. de rerum* [illegible] *Bald. cons. 463. num. 4. libr. 4.* concessiones enim determinatæ intelliguntur quantum sonant, vt supra dictum est, ita vt in eis non veniant adiacentia, vt est textus à contrario sensu *in l. si quando. C. de bon. vacan. lib. 10.* & bene ad propositum considerat, & exornat *Roman. cons. 444. nu. 3. & 4.*

7 Et quod prædicta verissima sint, satis patet ex alijs, quæ extra dictam cessionem possunt considerari, nã de anno 1492. & sic post dictam concessionem Regis, Abbatia, & Vniuersitas Lanciani sibi inuicem concesserunt ius aquandi, pascendi, & ligandi in suis Territorijs, que concessio cum non fuerit facta super bonis Ecclesiæ, denotat clare, quod Abbatia nõ erat de Territorio Lanciani, quia si fuisset talis, non fuisset opus licentia pro imponendis oneribus super bonis laicorum. *l. fin. ff. de iurisd. om. iud. c. 2. de const. in 6.* Quod etiam maxime confirmatur, quia ne dum ante & post dictã concessionem Regis Abbatia vocatur de Diœcesi Theatina, vt in decisione in hac causa facta, sed adsunt etiam quamplures concessiones post erectionem Ecclesiæ Lancianen. in Cathedralem, & successiue in Metropolim, quæ multum faciunt, cum emanauerint a personis informatis. *Ruin. cons. 141. num. 10. lib. 5.*

8 Accedat etiam, quod dicta concessio Regis non caret suspicione. Quia cum tunc viueret Regina Ioanna Sacunda, quæ successit Ladislao fratri, valde inuerisimile est, quod de ea nulla fuerit facta mentio in dicta concessione, cum insimul cum Rege Alphonso filio adoptiuo gubernaret.

9 Ex quibus omnibus simul iunctis visum fuit Dominis, quod nedum dicta concessio non releuat, cum nihil concludat circa Abbatiam, sed quamuis etiam aliquid concluderet, pariter non releuaret, quia, vt patet ex prædictis, & deductis in alia decisione, probationes Reuerendiss. Archiepiscopi Theatini sunt fortiores, & ideo attendendæ in concursu aliarum, *Nat. cons. 372. in fin. Grat. cons. 6. nu. 23. lib. 2. & consil. 81. nu. 60. & sequentib.*

10 Nec demum tertio ex testibus probatur, quod Abbatia sit in territorio Lancianen. quia dum deponũt, quod territorium Lanciani se extendit vltra flumen Mori ad Castrum Crechiæ, quicquid dicant, non faciunt, quia hodie nõ agitur de Territorio, quo ad istã patrem. Dum vero deponunt, quod antiquitus Castrum Pagliettæ, & Torreni, erant de Territorio Lancianen. pariter nihil concludunt ex deductis in responsione ad primum motiuum.

11 Et in rei veritate quo ad Abbatiam videbatur Dominis, quod potius deponerent pro Reuerendissimo Archiepiscopo Theatino, quia dum loquuntur de ipsa super quinto non dicunt esse de Territorio Lancianen. sed quod est situata inter Ciuitatem Lancianen. & mare, & inter flumen Mori, & Sangri, ideoq; cum sint bene informati de Territorio Lancianen. & de eo deponant explicite, vt supra dictum est, quando autem loquuntur de Abbatia illam tantummodo situat in Territorio Fons cechæ, nec audeant affirmare, quod sit de Territorio Lancianen. videntur potius concludere contrarium, *iuxta nota. per Alex. in consilia 122. num. 4. & sequentibus lib. 2.* Et ita conclusum Abbatiam S. Ioan. in Venere non esse intra fines Diœc. Lancianensis.

R. P. D. PAMPHILIO.

Bononien. de Capacellis. Veneris 21. Iunij 1613.

ARGVMENTVM.

Ponuntur in hac decisione plures coniecturæ, quibus proximiores in fideicommisso vocati non intelliguntur vocati proximiores vltimi grauati decedentis.

SVM-

SVMMARIVM.

Proximiores quando sunt vocati in fideicommisso, an censentur vocati proximiores testatoris, an vero proximiores vltimi grauati decedentis attendendæ sunt coniecturæ ex verbis testamenti desumptæ. nu. 2.

Proximiores in fideicommisso vocati, quod intelligantur vocati proximiores vltimi grauati decedentis plures ponuntur coniecturæ. nu. 3. & seqq.

Testator præsumitur semper maiorem affectionem habere erga legitimos, & naturales, quam erga legitimatos. numer. quarto.

Fideicommissaria bona vbi ad vnam lineam peruenerunt nunquam alias transeunt in aliam. Declara, vt numer. quinto.

Ordo successionis non attenditur vbi constat de contraria voluntate testatoris. nu. 6.

Primogenitus quandocunque natus, vel conceptus ex voluntate testatoris admittitur ad fideicommissum, quando testator in eo vocauit primogenitum masciturum, & illius liberos, & descendentes. nu. 7.

DECISIO DX.

1 SVb die 8. Martij præteriti fuit resolutum, Hieronymum iuniorem esse vocatum ad totam hæreditatem Ioannis Baptistæ, & Tanarini de Capacellis. Vnde supradicta die causa iterum super eisdem proposita, Domini quo ad medietatem steterunt in decisis reseruato dubio particulariter discutiendo quo ad aliam medietatem, ratio decisionis fuit, quia cum euenerit casus deficientiæ omnium masculorum descendentium ex Hieronymo seniore, & Claudio hæredibus, & iste Hieronymus iunior sit filius primogenitus masculus natus ex Hippolyta filia Hieronymi senioris, & ex Syluio Albergato coniugibus Dominis ex verbis ipsius substitutionis, quæ ei bene competunt, videbatur omnino vocatus ad *tex. in l. 4. §. toties. ff. de dam. infect.* cum alijs in decisione allegatis.

2 Nec obstat, quod filius primogenitus masculus nasciturus ex Iulia filia Claudij in omnibus bonis vocatus censeri debeat, ex quo Claudius fuit vltimus grauatus, & in fideicommissis, secundum magis communem opinionem, attenditur proximitas vltimi grauati, ex allegatis, quia placuit respõsio, quod in hac materia sint attendendæ coniecturæ, quæ ex verbis testamenti desumi possunt, prout in decisione firmatũ fuit, *ex trad. per Soc. cons. 249. nu. 17. & cons. 105. nu. 8. lib. 1.* cum alijs adductis in causa Bonon. de Mulettis 20. Iunij 1602. coram bonæ memoriæ Card. Pamphilio, & tradit *Gabr. cons. 107. num. 8. lib. 1.*

3 In casu autem, de quo agitur placuerunt Dominis coniecturæ alias ponderatæ, ex quibus colligitur testatores non habuisse maiorem rationem proximitatis Claudij grauati vltimi decedentis, quam proximitatis ipsorum, seu Hieronymi alterius grauati. Nam præterquam quod deficientibus omnibus masculis vocarunt simpliciter primogenitum ex filiabus nascituris ex Hieronymo, & Claudio, & sic primogenitum tam Hippolytæ, quam Iuliæ ex eo etiam, quod vocarunt primogenitum filiarum censentur testatores simpliciter respexisse ad personam primogeniti dictarum filiarum, ita vt videatur talis primogenitus nominatim vocatus ad *text. in l. Titius. ff. de liber. & posthum. Ruin. cons. 123. sub nu. 17. vers. non obstat. lib. 2. Surd. cons. 31. n. 30. vers. quinimo ex quo,* & consequenter admitti debeat nulla habita ratione proximitatis, *l. cum ita. §. & in fideicommisso. ff. de leg. 2. cum alijs adductis in decisione.*

4 Præterea placuit etiam Dominis alia coniectura, quod scilicet ex quo Claudius erat legitimatus non est verisimile testatores voluisse habere maiorem rationem proximitatis illius, quam proximitatis Hieronymi, qui erat legitimus, & naturalis, & in maiori parte bonorum institutus, quæ verisimilis mens in vltimis voluntatibus attenditur, *leg. cum res legata. ff. de legat. 1. cum alijs adductis. per Pedemont. decis. 170. num. 8. & sequent.*

5 Nec subsistit, quod dicebant Informantes pro Domina Iulia huiusmodi scilicet coniecturas non esse attendendas, ex quo in casu isto non fit transitus de vna linea in aliam, cum supersint descendentes, vltimi grauati, qui propterea admitti debent nulla attenta proximitate grauati, seu grauantis iuxta *tradit. per Doct. in l. cum auus, ff. de condit. & demonstr. & in l. cum acutissimi. C. de fideicomm.* Postquam enim bona in fideicommissis peruenerunt ad vnam lineam, nũquam fit transitus ad aliam, donec prior admissa durat, ad trad. per *Couar. pract. q. c. 38. num. 5. versic. etenim*, qui cum alijs allegatis. Quia fuit responsum, supradicta procedere, vbi tales descendentes sunt vocati, & succedere, possunt vltimo grauato, sed in casu in isto Iulia filia Claudij non potest succedere in bonis de, quibus agitur, ex quo fæminæ sunt perpetuo exclusæ. Masculis enim deficientibus vocatur primogenitus ex feminis, & illius liberi descendentes masculi in infinitum. Ideoque cum euenerit iste casus deficientiæ masculorum, ex ipsis bene dicitur fieri transitus ad primogenitum ex feminis, & consequenter bene applicantur supradictæ coniecturæ, quod scilicet non sit habenda maior ratio proximitatis vnius, quam alterius grauati ex supradictis.

6 Nec placuit Dominis, quod in isto casu sit seruandus ordo successionis ab intestato. Ex quo enim constat de voluntate testatorum, qui vocarunt primogenitum ex filiabus Hieronymi, & Claudij, illa attendi debet, non autem ordo successionis ab intestato, vt in decisione firmatum fuit.

7 Quod etiam suadetur ex eo, quia post mortem Hieronymi senioris fuit admissus ad illius successionem Claudius non autem Hippolyta illius filia, prout pariter post mortem Claudij, iuxta ordinem successionis ab intestato, esset admittenda Iulia, nõ autem primogenitus ex ea nasciturus, & propterea cum in istis casibus seruata fuerit voluntas testatorum, debet in omnibus seruari, *ad text. in §. disponat. in authen. de nupt. cum similibus.*

8 Nec demum obstat, quod supradicta substitutio de primogenito sit caducata, ex quo de tempore obitus Claudij nullus natus erat primogenitus, quia testatores vocarunt primogenitum nasciturum, & liberos illius, & descendentes, quo casu talis primogenitus quandocunque natus, vel conceptus ex voluntate testatorum admitti debet. *leg. Lucius, la 2. ff. de hæred. inst. Rom. cons. 134. num. 4. vers. quo ad quartum Ruin. cons. 22. nu. 9. & seq. lib. 2. Guido Pap. dec. 311. vers. sed si si ipse testator, & dec. 612. nu. 2. late Molin. de primog. libr. 3. c. 10. num. 21. & plurib. seqq.*

9 Et ex his, cum alijs per Informantes, & in decisione deductis, satis DD. visum fuit constare, Hieronymum quo ad medietatem esse vocatum, quod ad aliã vero, vt supra dictum est, particulariter videbitur.

R. P. D. PAMPHILIO.

Hispalen. iuris nominandi. Veneris 21. Iunij 1613.

ARGVMENTVM.

In hac decisione plura continentur, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Titulus specialis magis attendendus est, quam assistentia iuris communis, nu.2.

Iura extracta lite pendente sine compulsorialibus parte non citata, & non recognita, nihil probant, num.2.

Mandatum de manutenendo respicit possessionem tempore motæ litis, & non postea, nu.2.

Probatio æquiuoca, & non concludens probantem non releuat, num.3.

Possessio de facto, & turbatiua lite pendente non attenditur in iudicio manutentionis, nec præiudicat ciuiliter possidenti, nu.4.

Confessio à parte impugnata non potest ad sui fauorem allegari, nu.5.

Testibus hinc inde contrarijs, magis credendum est illis, qui specifice deponunt, quam qui deponunt in genere, numer.7.

Testes singulares probant possessionem in genere articulatam, numer. 8.

Testis vnicus bene probat possessionem in iudicio manutentionis, num.8.

DECISIO DXI.

1 Resolutum fuerat sub die 29. Aprilis præteriti, mandatum de manutenendo in quasi possessione percipiendi primitias, & oblationes, de quibus agitur, dandum esse Archiepiscopo, & Curatis, ab ipso deputatis. Verum quia Agentes pro Beneficiatis supradictæ resolutionis acquiescere noluerunt, supradicta die proposui causam super eisdem, & Domini steterunt in decisis, rationibus, & fundamentis tunc in decisione deductis.

2 Neque obstare dixerunt Constitutiones Synodales pro parte Beneficiatorum allegatas ad probãdum titulum ex iure speciali, qui est magis attendendus, quam assistentia iuris communis, quæ adducitur pro parte Archiepiscopi, & Curatorum ex traditis per *Aymon. consil. 238. num.7. & seq. cum similib.* Fuit enim responsum, huiusmodi Constitutiones non releuare Tum quia sunt extracta lite pendente sine compulsorialibus, parte minime citata, & absque vlla recognitione, quæ propterea non probant. *c. 1. de fide instrument. Paris. cons. 135. num.9. lib.4. Rot. decis. 36. de probat. in antiq. decis. 1. de fide instrum. in nou.* Vltra quod aliquę illarum apparet factæ post litem motam, quę incœpit de anno 1572. & propterea non sunt attendendæ ad effectum manutentionis, pro qua attenditur status de tempore motæ litis, *iuxta text. in §. retinendæ. Instit. de interdict.*

3 Tum quia prædictæ Constitutiones sunt satis dubiæ, & æquiuocæ, cum non loquantur expressè de primitijs, & oblationibus, quæ debentur ratione administrationis Sacramentorum, & exercitij curæ, nec loquuntur de Beneficiatis, sed de clericis parochialibus, & sic videntur potius facere pro Curatis, quibus Parochiæ cura imminet. Quod eo facilius suadetur quia non est verisimile, Archiepiscopos in Synodo voluisse super istis primitijs, & oblationibus sibi, & Curatis præiudicare. Vnde istæ Constitutiones, tanquam equiuoce deseruire minime possunt Beneficiatis, pro titulanda eorum possessione *ad tex. in l. neq; natales, Cod. de probat. cum similib.* Et ita cessat etiam, quod Beneficiati fuerint aliquando appellati Clerici parochiales, quia (vt dictum est) ad excludendum eorum intentionem sufficit, quod probatio non concludat.

4 Nec possessio Beneficiatorum visa fuit Dominis sufficienter probata, nam quo ad confessionem Archiepiscopi in literis Gregorij XIII. vltra responsiones datas in decisione, quæ Dominis placuerunt, fuit etiam dictum, quod illa emanauit per plures annos post litem motam, & sic potest intelligi de possessione de facto, & turbatiua lite pendente, quæ non attenditur in hoc iudicio manutentionis, nec præiudicat ciuiliter possidenti, *Castr. cons. 234. nu.1. vers. sed sustinendo, lib.2. Menoch. de retinen. remed. 3. nu. 27.* & fuit dictum coram bon. memor. Gipsio in causa Sanctæ Agathæ Beneficij, 8. Iunij 1598.

5 Et in omnem euentum illa confessio fuit impugnata per Beneficiatos, qui obtinuerunt dictas literas reduci ad viam iuris, quo casu non possunt modo super illis se fundare. *Surd. decision. 196. numer. secundo, & sequentib.*

6 Priuilegia, & aliæ scripturæ, quæ dantur pro parte Beneficiatorum minus visæ fuerunt releuantes, quia, vltra quod non sunt de actis, nec formiter extractæ, continent actus de anno 1582. & 1583. citra, & sic post motam litem.

7 Quo verò ad Testes, in quibus magna vis fiebat pro parte Beneficiatorum, fuit dictum, ex illis non haberi aliqua concludens probatio, cum isti testes, vel deponant de possessione illorum Beneficiatorum, qui etiam fuerunt Curati, seu Adiutores in cura animarum, vel quatenus deponũt de simplicib. beneficiatis, non percutiunt tempus ante litem motam, & sic ista probatio in concursu cum testibus Archiepiscopi, & Curatorum, qui magis specifice deponunt, non est attendenda. *Alex. consil. 150. num.17. volum.5. Aym. cons. 94. num.3. cum alijs adductis per Gabr. de testib. concl. 4. num.72.* maxime stante assistentia iuris communis. *Innoc. in c. auditis, & ibi Abbas, nu.15. Felin. nu.22. de præscript. Gabr. de testib. d. concl. 4. nu. 23. & 29.* cum alijs in decisione adductis.

8 Nec obstat, quod supradicti testes Archiepiscopi sint singulares, cum vnusquisque deponat de locis diuersis, quia cum non agatur de probanda possessione in aliquo loco particulari, sed de probanda possessione in genere, quæ resultat ex actibus particularib. probatio per testes singulares, sufficit *Castr. consil. 151. num.1. vers.2. videtur. vol.1.* Præsertim quia ad istum effectũ manutẽtionis possessio per dictũ vnius testis sufficiẽter probatur *Grat. cons. 110. nu.8. lib.2.* & fuit dictum in causa Reatina decimarum 17. Iunij 1605. coram bonæ memoriæ Iusto.

9 Et ex his fuit dictum, standum esse in decisis, Verum quia pro parte beneficiatorum dicebatur, hic agi de statu totius Diœcesis Hispalen. à pluribus annis controuerso, & testes hactenus examinatos, vt ex iam dictis apparet, non ita explicitę deponere, fuit reseruatum particulariter videndum an sit expediendum mandatum de manutenendo, antequam veniat remissoria, ex qua melius res declarari poterit.

REVER. P. D. MANZANEDO.

Conchen. Decimarum del Campillo, Veneris 21. Iunij 1613.

ARGVMENTVM.

Ex Summarijs sume argumentum.

SVMMARIVM.

Manutenendus est in possessione, qui tempore motæ litis se possidere probauit, nu.1.

Rector Ecclesiæ habet assistentiam iuris communis ad decimas percipiendas, nu.2.

Testes deponentes de facto proprio, præferuntur testibus non deponentibus de eorum proprio facto, nu.3.

Testes deponentes de eo, quod habet iuris assistentiã præferuntur alijs, qui non habent hanc assistentiam iuris, num.3.

Possessorium Summariissimum aliud non requirit, nisi videre quis possideat, nu.4.

DE-

DECISIO DXII.

1 Visum fuit Dominis, Capitulo dandum esse mandatum de manutenendo, cũ ex testibus pro eius parte datis constet, quod licet incolæ coluerint terras vltra nouem modios, & cum pluribus paribus animalium, tamen Domino Episcopo non soluerunt nisi vnum caliz, & in hac possessione existere videtur Capitulum de tempore motæ litis. Vnde in illa est manutenendus. *§. retinendæ, Instit. de interdict. l. 1. §. huius inter dict. ff. vti possidet. Bartol. in l. ait prætor. §. quod ait num. 2. & 14. ff. eod.*

2 Maxime quia Capitulum in hac causa est vnitum cum Rectore loci, qui habet assistentiam iuris communis ad decimas percipiendas, *cap. cum contingat. cap. Ad Apostolicæ de decimis cap. fin. de parochis, cap. ad decimas, de restit. spol. in 6. Abb. in cap. conquerente, num. num. 2. versic. duodecimo, & num. 6. vers. in glossa, in verbo quartam, de offic. ordinar. Rebuff. in tract. de decimis, q. 7. numer. 4.*

3 Non obstat testes Domini Episcopi, quia illis præualent testes pro parte Capituli dati, tum quia deponunt de facto proprio. *Menoch. de arbitr. casu 99. num. 11.* Tum etiam, quia pro se habent prædictam assistentiam. *Boer. decis. 23. nu. 95. Gabr. de test. conclus. 4. numero 22.* & aliqui ipsorum fuerunt pro parte D. Episcopi examinati.

4 Non obstant Constitutio Synodalis, & eius declarationes, in quibus videtur caueri contrarium, quia pro parte Capituli opponitur eas non esse in forma probanti, vltra, quod illæ non videntur attendendæ in hoc iudicio Summarijssimo possessorio, in quo tantum inspicitur quis possideat.

R. P. D. PAMPHILIO.

Ferrarien. Bonorum, de Tassonis. Mercurij 26. Iunij 1613.

ARGVMENTVM.

Agitur in hac decisione de concessione mandati de manutenendo, in qua præcipue discutitur continuata in hæredem, quando propter scandali timorem possessio à iudice auocanda sit, quando tacens, & non contradicens sibi præiudicat, & quando etiam Rotalis inhibitio timenda sit præsertim in Ciuitate Ferrariæ.

SVMMARIVM.

Possessio probatur instrumentum alio non existente in possessione. num. 1.

Possessio iudicis decreto capta manutebilis est. num. 2.

Possessio præsumitur continuata vsque ad tempus motæ litis, num. 2.

Possessio à iudice data sine præiudicio alterius interesse habentis, ac legitimi contradictoris dicitur conditionalis, & nihil ponit in esse alio tunc existente in possessione, numer. 3.

Conditio inhærens actui, & de illius substantia, & natura probanda est per allegantem. num. 3.

Possessionis auocatio ad euitanda scandala non priuat possessorem sua possessione, si se non habuit pro spoliato, quando reuera nullus aderat scandali timor. num. 4.

Tacens, & non contradicens, sibi non præiudicat, si prius pro testatus fuit. nu. 5.

Tacens, & non contradicens, in actu nullo non censetur illum validare, nisi in vim pacti, & conuentionis, nu. 5.

Procurator ad lites paciscendo non potest principali suo præiudicare, nu. 5.

Tacens, & non contradicens sibi non præiudicat, quando contradicendo non poterat actum impedire. nu. 5.

Possessione sua quis non priuatur per auocationem factam à iudice, iudicis officio, præsertim cum clausula sine præiudicio iurium, nu. 6.

Nullitate actus existente omnia inde sequuta pariter nulla censentur. num. 7.

Possessionis auocatio fieri non potest possessore non citato, numero 8.

Appellandi termino durante omnia gesta infra dictum tempus censentur nulla, etiam quod non fuerit appellatum, numer. 8.

Appellatio datur à decreto immissionis in possessionem prouenientis à iure statutario. num. 8.

Inhibitio Rotalis omnino timenda est, nec de viribus ilius spectat cognoscere ad alios iudices. num. 10.

Inhibitiones non obstante, quando procedi possit in Ciuitate Ferrariæ ex priuilegio illi concesso à Clement octauo, & quomodo tale priuilegium sit interpretandum, nu. 10.

Possessio defuncti quando vigore statuti censetur continuata in hæredem, & quomodo tale statutum inteligendum sit num. 11.

Statutum correctorium iuris communis intelligi debet proprie, & stricte. num. 11.

Hæreditatis quæstio quando sit incidens, & quando principalis respiciens causam proprietatis. num. 12.

Possessio defuncti, quæ vigore statuti continuatur in hæredem non habet locum in bonis feudalibus, & emphyteuticis. num. 13.

DECISIO DXIII.

1 De anno præterito decessit Dominus Marchio Hercules Tassonius relicta Claudia eius filia femina, Marchionissa Catharina Vxore prægnante, quę tam nomine Claudię, quam ventis de mandato iudicis cœpit possessionem bonorum dicti Herculis, vt in instrumento. Verum quia post nonnullos menses dicta vxor peperit aliam filiam feminam Beatricem nuncupatam, hinc magna fuit orta controuersia super dicta hereditate inter dictas filias feminas ex vna, & Comitem Camillum, & alios de Tassonis ex alia, & dictus Comes pręcedente quadam auocatione obtinuit se immitti in possessionem eorundem bonorum licet nulliter. Vnde causa mihi commissa, cum valde hinc inde controuerteretur possessio dictę hereditatis, supradicta die proposui dubium, cui esset dandum mandatum de manutenendo, & Domini re mature discussa tenuerunt prędictas Dominas Claudiam, & Beatricem esse manutenendas, quia de earum anteriori possessione constat ex instrumento illius adeptionis, quod alio tunc non existente in possessione suffragatur. *l. prædia. vbi Bart. ff. de acquir. possess. leg. non idcirco. C. de fid. instrum. Caputaq. decis. 334. num. 5. p. 2. Bisignet. decis. 8. de restit. spoliat. Put. decis. 360. num. 8. lib. 1.*

2 Presertim accedente decreto iudicis, qui dictas filias in possessionem immisit. *Abb. in c. cum nobis. nume. 5. vers. ego vero dico. de præscript. Socin. consil. 205. in fin. lib. 2. Menoch. de retinen. remed. 3. num. 575.* Et cum ista possessio presumatur continuata vsque ad tempus mote litis, iuxta *tex. in l. siue possidetis, & ibi Doctor. C. de probat.* cum alijs adductis in causa Hispalen. iuris votandi. 16. Martij 1575. coram Cantuccio, *vt in decis. relat. inter impress. 4. num. 12. & seqq. par. 2. diuer.* absque dubio dictis filiabus competit manutentio. *§. retinendæ institut. de interdict. Menoch. de retinend. dict. rem. 3. num. 556.*

3 Non obstat, quod in dicto decreto adsit clausula (sine preiudicio cuiuscunque alterius interesse habẽtis, ac legitimi contradictoris) quę operatur, vt possessio censeatur tradita sub conditione, quæ nihil ponit in esse, vt per *Put. decis. 32. lib. 2. cum alijs allegatis,*

Quia fuit responsum prædicta procedere, vbi constaret alium tunc temporis possedisse, vt sentit *Bald. in l. fin. sub nu. 41. vers. tamen, iudex, C. de edict. Diui Adr. tollen. quem sequitur Peregrin. de fidcicomm. art. 48. num. 18. vers. & iterum idem Bald. Honded. consil. 86. num. 51. & seq. libr. 2.* & ita esse intelligendam dictam decisionem *Put. 32. libr. 2.* vt colligitur etiam ex deductis in causa Maceraten. hæreditatis 27. Nouembris 1589. coram bonæ memoriæ Cardinali Pamphilio. Quod non probatur in casu isto, nec antea operari huiusmodi conditionem, quia inhærebat actui, & erat de substantia, & natura, illius trad. *Bald. in l. final. d. num. 41. versic. tamen iudex C. de edict. Diu. Adr. tollen.* quæ propterea non suspendit acquisitionem possessionis licet per euentum conditionis resoluatur, vt per *Bisignet. decis. 9. in fin. de concess. præben. & faciunt tradita per Paul. de Castr. cons. 432. in princ. lib. 1. Oldrad. cons. 285. num. 8. vers. in 2. Alex. cons. 91. sub numer. 5. vers. sed si in aliquo. libr. 4.*

4 Non obstat, quod possessio fuerit postea auocata ad euitanda scandala, iuxta *text. in l. æquissimum. §. sed si inter duos. ff. de vsufruct.* Quia fuit responsum timorem scandali non fuisse iustificatum, nec alias potuisse valide dictas filias priuari earum possessione mediante dicta auocatione. *Angel. cons. 107. ad fin. Menoch. de retinend. rem. vlt. num. 51. in fin.* & per consequens cum non constet eas habuisse se pro spoliatis bene competit manutentio, *Rip. in l. naturaliter. §. nihil commune. num. 60. & seq. ff. de acquir. possess. Puteus decis. 198. nu. 4. libr. 1. & dec. 419. in fin. lib. 2.* & fuit sæpissime in Rota decisum.

5 Non obstat, quod dicta auocatio fuerit facta præsente procuratore dictarum filiarum, & non contradicente. Quia vltra quod Equiescentia Procuratoris excluditur ex præcedenti protestatione, facta eodem die, & aliis actibus postea subsecutis, fuit responsum auocationem in casu isto stante illius nullitate ex cōsensu partium sustineri non posse, nisi in vim pacti, & conuentionis. *Rom. cons. 175. num. 4. Aym. consilio 182. num. 12. Gabriel. de sent. conclus. 2. num. 6.* procurator autem ad lites paciscendo non potest principali suo præiudicare, *Calderin. cons. 210. versic. aut dicemus alias cons. 4. de appelation.* maxime quia sola præsentia ad hunc effectum non sufficit, cum potius ideo procurator tacuisse præsumatur, quia auocationem impedire non poterat, *Dyn. in reg. qui tacet. in principio. de reg. iur. in 6.* & fuit dictum in causa Vlixbonen. coadiutoriæ, 22. Martij 1596. coram bonæ memoriæ Gipsio.

6 Præterea fuit quoque dictum huiusmodi auocationem fuisse factam iudicis officio per quam propterea non censentur dictæ filiæ earum possessione priuatæ. *Aretin. in l. interesse. numer. 1. vers. in sequestro ff. de acquir. possess. Card. in Clem. vnic. numer. 2. de sequestr. & possess. & fruct. Cassad. decis. 14. num. 12. super regul. Sarn. in reg. de annali. quæst. 46. numer. 4. versic. adde*, & fuit resolutum in causa Calaguritana Beneficij 17. Iunij 1609. coram Reu. P. Domin. meo Decano, maxime cum fuerit facta cum clausula sine præiudicio iurium partium, per quam censetur præseruatum dictis filiabus omne ius illis competens de iure communi, *Put. decis. 197. numer. decimotertio, libro primo*, & fuit dictum coram bon. memor. Cardinali Pamphilio in causa Tirasonen. oblationum sub die 28. Iunij 1595.

7 Minus obstat, quod post dictam auocationem possessio eorumdem bonorum fuerit tradita Comiti Camillo, quia stante nullitate dictæ auocationis omnia inde secuta censetur etiam nulliter gesta ad *text. in cap. auditis. de procurat. Anchar. cons. 211. num. 1. vers. & pro hoc.*

8 Præsertim cum ex reuolutione processus constet, quod nedum fuit processum sine citatione dictarum filiarum, que tanquam existentes in possessione erant citandæ, *l. final. C. si per uim, vel alio modo. l. de vnoquoque. ff. de re iud. Roman. cons. 69. num. 12. Alexand. consil. 5. numer. 1. versicul. nam constat. lib. 2. cum similibus*, sed etiā dicta immissio fuit data infra decē dies datos ad appellandum, quo casu etiam si non fuerit appellatum nihilominus in gesta infra illud tempus reuocantur per viam nullitatis. *Cæsar. de Grass. decis. 2. nu. 5. de appell.* & fuit dictum in causa Pampilonen. Beneficij 16. Nouembris 1607. coram Reuerendiss. Bononien. nec potest dubitari quin daretur appellatio, quia, vt patet ex infra dicendis huiusmodi immissio cum, proueniat à iure statutario, habet admixtum ius dominij, & datur appellatio, *Menoch. de adipiscend. remed. 4. num. 859.* & fuit dictum in causa Romana, seu Amerina domus coram Cantuccio, vt in decis. relat. inter impress. 34. num. 21. par. 2. diuers. & in specie de statuto Ferrariæ tradit *Laderch. Imol. cons. 67. num. 10. vers. nec mirum.*

9 Sed visum fuit cessare omnem difficultatem ex eo, quod dicta immissio fuit data post intimatam inhibitionem Rotalem, quę erat omnino timenda *Rota dec. 26. num. 3. de appellat. in antiq. Put. decis. 395. libro 2.* & fuit pluries resolutum, nec spectabat ad alios iudices cognoscere de viribus illius, ne aperiatur via contemnendi inhibitiones Rotales, vt per *Achill. decis. 29. num. 6. de appellat.* & fuit dictum in causa Oriolen. iuris sedendi in Choro, vt in decis. relata inter impress. 785. nu. 2. par. 1. diuers.

10 Nec refragantur priuilegia, & facultates Ciuitati Ferrariæ concessæ procedendi in causis non obstantibus quibuscunq; inhibitionibus etiam Rotalibus, quia placuit responsio, quod in dictis priuilegijs fuit expresse dispositum causas viduarum, & pupillarum prout sunt in casu isto dictæ Claudia, & Beatrix esse cognoscendas secundum dispositionem *leg. vnicæ. Cod. quando Imper. in ter pupelill. & vid.* & non aliter, vt expresse legitur in Breu. fel. record. Clementis VIII. sub die 29. Maij 1599. Vltra quod etiam in dubio esset iudican. vt in similibus facultatibus non comprehendantur priuilegia in corpore iuris clausa, prout est priuilegium, *d. l. vnicæ. Bart. in l. 2. §. legatis. num. 5. ff. de iudic. Roman. cons. 498. nume. 15. Felin. in c. nonnulli. numer. 26. de rescript. & in terminis Grammat. decis. 20. per tot. Franc. decis. 517. Thessaur. dec. 177. nu. 9. Crescent. 16. num. 2. de priuileg.*

16 Et in omnem euentum ad effectum, vt post intimatam inhibitionem Rotalem deberent iudices in partibus se abstinere ab vlteriori processu, sufficiens erat, quod materia esset turbida, cum, vt dictum est non spectet ad eos cognoscere de Viribus inhibitionis Rotalis.

11 Nec visum fuit subsistere, quod dicebatur satis recte fuisse processum ad dictam immissionem stante statuto Ciuitatis Ferrariæ. *lib. 1. c. 82.* disponente possessionem defuncti censeri translatam, & continuatā in hæredem qualis prætendit esse Comes Camillus ex alio statuto eiusdem Ciuitatis. *de success. ab intestat. lib. 2. c. 139.* Quia proresponsione fuit dictum, quod Comes Camillus pro fundamento suæ intentionis contra possessores hæreditatis tenebatur prius iustificare se esse verum heredem cum omnibus qualitatibus requisitis per statutum, quod sit correctorium iuris communis intelligitur proprie, & stricte de eo qui probat se verum hæredem, *Bald. consil. 141. num. 3. & seq. & consil. 181. ad fin. lib. 1. Menoch. de adipiscend. remed. 4. numer. 859. & seq.* & fuit dictum in dicta causa Romana, seu Amerina domus coram Cantuccio, vt *in d. decis. 34. nu. 21. & seq. par. 2. diuers.* & in causa Romana de Lucatellis 30. Octob. 1609. coram R. P. D. meo Decano.

12 Et quæstio hæreditatis in casu isto non est incidens, sed principalis, & respicit causam proprietatis, vt post

vt post alios trad. *Laderch. Imol. d. consi. 67. num. 10. vers. nec mirum*, vbi etiam dicit, quod causa missionis in eo plene ventilari debet, & si feratur sententia contra reum conuentum, datur appellatio. *Menoc. de adipiscend. d. remed. 4. numer. 859. post Bald. in rubric. de caus. possess. & propr. numer. 13. vers. sed numquid alius, &c.* cum alijs supra citat. & per consequens non potuit ita executiue procedi ad immissionem, etiam pendente tempore ad appellandum citra vitium nullitatis. *c. non solum. de appellat. in 6. Lancellot. de attent. par. 2. cap. 11. cum alijs supra allegat.*

3 Maxime quia materia in casu isto erat valde dubia, & plures aderant difficultates de apicibus iuris discutiendæ, & præcipue an prædictum statutum de continuanda possessione in hæredem habeat locum in bonis feudalibus, & emphyteuticis maxime Ecclesiasticis, qualia pro maiori parte sunt ista, de quibus agitur, in quia quidem quæstione negatiuam opinionem tenent *Cuman. consil. 173. ad fin. Marc. Brun. qui loquitur de statuto Ferrarien. cons. 62. num. 1.* quam sequuta fuit Rota in terminis pariter istius statuti Ferrarien. in causa Imolen. bonorum. 10. Aprilis 1592. coram bonæ mem. Cardinali Pamphilio, & alias sæpe. Prout etiam poterat valde dubitari, an prædictum statutum afficeret istas feminas forenses, quod pariter est satis controuersum inter Doctor. Vnde tanto minus erat, ita executiue procedendum ad immissionem, antequam istæ, & aliæ difficultates supra adductæ discuterentur. Et ita decisum, &c.

REVER. P. D. MANZANEDO.

Aurien. Parochialis de Buces. Mercurij 26. Iunij 1613.

ARGVMENTVM.

De concessione sequestri constito de attentatis.

SVMMARIVM.

Attentata lite pendente reuocanda sunt. num. 1.
Renunciatio facta ad fauorem vnius, alteri non suffragatur. num. 2.
Sequestrum conceditur, quando constat de attentatis. nu. 3.

DECISIO DIV.

1 Dubitaui, an constet de attentatis, ita vt sit locus sequestro, & Domini affirmatiue responderunt, quia cum super hac parochiali penderet lis inter Ioannem del Condal, Petrum Fernandez, & Lupum Vasquez de Figueroa, præsentatos à diuersis patronis, fuit lata sententia ad fauorem Ioannis, à qua Petrus, & Lupus appellarunt, & appellatione sic pendente coram Nuncio Ioannes cessit iuri suo ad fauorem Petri, qui Apostolicam prouisionem obtinuit, cum extinctione litis inter ipsum, & Ioannem nulla facta mentione Lupi collitigantis, cuius vigore exequutor in parochialis possessionem Petrum immisit, quæ possessio, tanquam cepta lite, & appellatione pendente cum dicto Lupo à vitio attentatorum excusari non potest *Clement. 2. & ibi gloss. verbo innouare. de appellation. cap. 1. vt lit. pend. in 6. Guidobon. decis. 504.* & fuit dictum in alia Aurien. Parochialis de Fea. 4. Decembris 1598. coram Illustris. Lancellotto.

2 Non obstat prouisio Apostolica, & quod Petrus fuerit subrogatus in ius Ioannis, quia illa posset suffragari respectu Ioannis, qui renunciauit, non autem respectu Lupi, cui nec dicta subrogatio præiudicare potest, quo ad possessionem, quam sicut Ioannis non habebat ita, nec Petrus illam capere poterat. c. Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, *vt lit. pend. Rot. decis. 10. num. 4. eodem tit. in nou. Lancell. de attent. par. 2. c. 4. in præfat. nume. 361. & seq.* & fuit dictum in vna Bracharen. Parochialis de Padornello. 11. Martij 1601. coram Reuerendissimo Domino meo Damasceno.

3 Ex quibus infertur ad sequestrum Anton. August. inter impressas 1370. *lib. 1. par. 3. diuers. Veral. decis. 157. par. 3.* Firmans ita passim Rotam seruare, & fuit dictum in sup. relata Aurien. de Fea, coram Illustrissimo Lancellotto, & in alia Aurien. parochialis de Pao. prima Iulij 1595. coram bonæ memoriæ Penia, & ita conclusum.

DECISIO DXV.

Romana Laudi. Veneris 28. Iunij 1613.

Impressa apud Buratto.

DECISIO 14.

R. P. D. MANZANEDO.

Acerrana Canonicatus. Lunæ 1. Iulij 1613.

ARGVMENTVM.

In hac decisione agitur de concessione mandati de manutenendo, & plura adnotantur ad materiam, de quibus vide in Summarijs.

SVMMARIVM.

Possessio probatur per publicum instrumentum, & sufficit ad concessionem mandati de manutenendo, alio non existente in possessione. num. 1.
Sequestrum non priuat possessorem sua possessione. num. 2.
Exequutor mixtus dicitur ille, qui est deputatus cum clausula, amato quolibet illicito detentore, nec potest aliquem sua possessione priuari, nisi ipso citato. num. 3.
Decretum irritans non operatur in concessione conditionali conditione non verificata. num. 4.
Possessorium retinendi numquid impediatur per confessionem actoris. num. 5.
Confessio non facit rem notoriam, quando contra eam dantur exceptiones. num. 6.

DECISIO DXVI.

1 Fuit resolutum Iacometto dandum esse mandatum de manutenendo, cum de eius possessione constet per instrumentum publicum, quod alio tunc non existente in possessione suffragatur. *l. prædia vbi Bartol. ff. de acquirend. possess. Puteus decis. 360. num. 8. lib. 1. Rot. decis. 202. num. 3. & 363. par. 1. diuers. Socin. consil. 205. num. 5. lib. 2.*

2 Non obstat, quod dicta possessio fuerit sequestrata, quia sequestratio non priuat possessorem sua possessione. *Bartol. in l. interesse puto. ff. de acquiren. possess. Mohed. decis. 14. de restit. spoliat.*

3 Minus obstat, quod per iudicem Iacometto fuerit possessio ablata, & tradita Horatio. Quia cum literæ Horatij essent in forma dignum, & in eis adesset clausula amoto quolibet illicito detectore, ille erat mixtus executor, & assumere debebat partes iudicis, & Iacomettum possidentem citare, alias processit nulliter. *Felin. in cap. fin. num. 23. de præsumpt. Oldrad. consil. 227. num. 3. vers. alia est solutio. Rebuff. in Praxi, tit. de form. nou. prouis. verb. amoto exinde. Mohed. decis. 7. num. 5. de restitut. spoliat.* quod cum non fecerit Iacomettus, non remansit priuatus sua possessione ciuili, quæ animo re-

mo retenta sufficit primo manutentione, *Menochius de retinend. remed.3. num.22. Rota diuers. decis.99.p.1.& decis.19. num.12. p.2.*

4 Nec facit, quod Horatius impetrauerit istum Canonicatum, tanquam vacantem ex Constitutione Gregorij XIII. ob non publicationem, & quod in dicta Constitutione adest decretum irritans, quod inficit non solum titulum, sed etiam possessionem Iacometti, quia cum adhuc non fuerit doctum de non publicatione, & sic, quod intret dicta Constitutio, decretum in illa appositum nihil operatur, & non impedit manutentionem Horatij. *Rota decis.122.lib.2.p.3. diuers.*

5 Neque dicatur constare de non publicatione per quandam confessionem Iacometti coram Vicario, vt dicitur factam, quia cum simus in possessorio non videtur impedienda manutentio ex dicta confessione, quę non videtur reddere notorium non ius possessoris, donec illi, de aliquo alio titulo potest docere, ad not. per *Put. decis. 203. libro 1. & 284. numer. 6.& 7. libro 2.*

6 Vltra quod plura opponuntur contra istam confessionem, ex quibus desinit res esse clara, ex adductis per *Bart. in l. si causa cognita. num.4.& 161. Alexan.num. 9. C.de transactionib. Ruin.in l.1. num.44. de oper.nou.nunciat.Menoch. de recuper. remed.1. nume.225. Lancell.de attent. p.3. cap.24. q.1. num.67.& sequenti*, facit in nostris terminis decisio Meleuitan. prætensarum pensionum. 19. Februarij 1596. coram bo.mem. D.Litta.

DECISIO DXVII.

Calaguritana Iuris patronatus de Victoria. Mercurij 30. Octobris 1613.

Est impressa inter Caualerio.

DECISIO 265.

REVER. P. D. PAMPHILIO.

Pampilonen. Iuris patronatus. Mercurij 30.Octobris 1613.

ARGVMENTVM.

Iuris patronatus vsurpatio vbi non præsumitur vigore Sacri Concilij Tridentini quomodo illud probetur de iure communi.

SVMMARIVM.

Ius patronatus de iure communi censetur probatum per testes deponentes de publica voce, & fama fundationis illius de quasi possessione præsentandi per quadraginta annos. num.1.

Ius patronatus de iure communi censetur probatum per enunciatiuas antiquissimas plurium instrumentorum super præsentatione. num.2. & 3.

Ordinarij non solent esse faciles ad instituendum præsentatos à patronis ad beneficium. num.3.

Ius patronatus probatur per sententiam. nu.4.

Ius patronatus probatur etiam per insignia alicuius familiæ sculpta in Ecclesia. num.5.

DECISIO DXVIII.

1 IN alia positione huius causæ sub die 24. Maij præteriti, resolutum fuit Ius patronatus, de quo agitur non esse tale, in quo cadat præsumptio vsurpationis, ideo supradicta die fuit successiue dubitatum. An ex deductis constet de huiusmodi Iure patronatus ad fauorem DD. Palatij de Tarauz, & Stiagotia, & Domini ex quo cessante præsumptione vsurpationis per *Concilium Trident. c. 9. sess. 25. de reform.* circa modum probandi Ius patronatus nihil innouatur quo ad Ecclesiam, & Rectoriam, de qua agitur de Iure patronatus, satis constare dixerunt ex probationibus adductis, adsunt enim testes, qui non solum deponunt de publica voce, & fama istam Ecclesiam fuisse fundata in proprio solo à prædecessoribus Martini Garziæ, sed etiam de quasi possessione præsentan. DD. dicti Palatij per 40. annos cum alijs requisitis immisionis, iuxta notat. per *gloss. in c.1. in verbo memoria. de præscript. in 6.*

2 Concurrunt etiam tres enunciatiuæ antiquissimæ vltra centum annos, quarum prima emanauit de anno 1420. in instrumento donationis dicto D. Martino per vniuersitatem loci de Aya factæ de ista Ecclesia vti fundata in proprio solo à prædecessoribus ipsius D. Martini donatarij, altera de anno 1426. in alio instrumento donationis factæ ab ipso D. Martino donatario Ioanni Ortiz eius filio, qui postmodū de anno 1462. institit, & obtinuit per iudicem mandatarij fieri transumptum DD. donationum, quæ enunciatiuæ cum sint plures habent vim famæ, & probant in antiquis. *glo.Bal & alij in c.cum aliquis. C.de iure delib. Felin.in c.cum causam.numer.4.de probat.Cassad. decis.1. & seq. de probat.*

3 Dantur propterea duæ aliæ enunciatiuæ de anno 1577. & 1584. in institutionibus factis per Ordinarium Pampilonen. ad fauorem pręsentatorum ab istis Dominis Palatij prædicti, quę verisimiliter non emanassent, si de Iure patronatus non constitisset, cum alias Ordinarij non soleant esse faciles ad instituendum præsentatos. *Rota decis. 11. de Iure patr. in nou.* & fuit dictum in causa Tirasonen. Cappellaniæ. 14. Decembris 1607. coram me, & in causa Meliten. Iuris patronatus 10. Martij 1608. coram R.P.D. Caualerio.

4 Idque etiam suadetur ex sententia eiusdem Ordinarij, in qua declarauit huiusmodi Ius patronatus pertinere ad successores in dictum Palatium, & ex testibus, qui deponunt D.Palatij prædicti semper habuisse in dicta Ecclesia, tam in sedendo, quam in alijs pluribus actibus præeminentiam, quæ ad istum effectum plurimum releuant, iuxta *tex. in c.nobis.& ibi Doctor. de Iure patr.* & faciunt trad. per *Lamber. in tract. de Iure pat. lib.3. q.1. principali per tot.*

5 Non parum etiam mouerunt DD. insignia dictæ familiæ ab antiquissimo tempore, prout deponunt supradicti testes in ista Ecclesia sculpta, quæ pariter coaprobationem patronatus in antiquis plurium coadiuuant ad trad. per *Imol.cons.60.nu.1. Rip. in c.cum Ecclesia Sutrina. num. 97. de caus. poss. & propr. Lambert. de Iure pat.lib.39. q.15. princ. vers.4.* & tenuit Rota in Monopolitana beneficij. 23. Martij 1585. coram Bubalo. Et ita fuit conclusum pro DD.de Tarauz informante.

R. P. D. VEROSPIO.

Narnien. Fideicommissi de Cardolis. Veneris 8. Nouembris 1613.

ARGVMENTVM.

Declaratur in hac decisione, quando substitutio vulgaris trahatur ad fideicommissariam, & quando subsequentes substitutiones dicantur dependentes à pręcedenti, & illi subordinatæ.

SVMMARIVM.

Substitutiō dicitur vulgaris, quando quis est substitutus si institutus non superuiueret, videlicet si hæres esse nollet, vel non posset. num.1.

Substitutio prima si euanescit ob conditionem non purificatam,

tam, euanescunt etiam, & expirant omnes aliæ substitutiones illi subordinatæ, & ab ea dependentes. num.2.

Substitutiones sequentes post primam dicuntur dependentes à præcedenti, quando fuerunt continuatiuè factæ per copulam, Et vel per clausulam Et eo casu. num.3.

Copulæ, & natura est copulata coniungere cum suis qualitatibus, num.3.

Substitutus nepos filio instituto si ille non viueret, an dicatur compendiose substitutus. num.4.

Substitutio vulgaris non trahitur ad fideicommissariam. n.5.

Clausula Codicillaris in fine testamenti posita fideicommissariam substitutionem importat. Declara, vt num.6.

Clausula Codicillaris operatur successionem ab intestato in casu, in quo testamentum sit inualidum propter defectum solennitatis. Secus si propter defectum voluntatis, nu.6.

Fideicommissum perpetuum coniecturis inductum esse probatur. Declara, vt num.7.

DECISIO DXIX.

1 PEtronius Cardolus instituit in suo vltimo testamento Neruam fratrem suum hæredem, si post ipsius obitum superuixisset, eo autem præmortuo filios eiusdem Neruæ masculos, tam natos, quam nascituros instituit. Quod si dicti filij sine filijs decessissent, substituit illis Quintilianum ex altero fratre nepotem, & eo non superstite, filios illius, quibus non existentibus filias dicti Neruæ substituit, Post mortem testatoris obijt Nerua, relictis Vincentio, & Alexio filijs & Cleria filia, legitimis, & naturalibus: Cum vero postea dicti Vincentius, & Alexius sine liberis decessissent, & Cleria superstes possessionem accepissent bonorũ hereditariorum: Insurrexit Quintilianus, tanquam in testamento vocatus, & illo solũ informante dubitaui, An factus esset ad eius fauorem locus fideicommisso. Quod fuit negatiue resolutum. Quia cum filij Neruæ sint ad hæreditatem vocati, si pater illorum non superuiueret, videlicet si hæres esse nollet, vel non posset, eorum institutio dicitur mere vulgaris per *l. cum proponas. C. de hæred. inst. §. primo. de vulg. subst. Bart. in l. 1. num. 18. vers. 4. principaliter quæro, vbi Bald. & Alex. in fine. ff. de vulg. & puppill. Bero. cons. 63. num. 10. lib. 2. Anchar. consil. 357. numer. 3. vers. 3. hoc probat. Dec. consi. 394. num. 5. vers. 3. etiam. Ruin. cons. 102. num. 5. & consil. 125. num. 1. & seqq. lib. 2. Menoch. cons. 399. num. 3.* Qui dicit substitutionem factam præmorienti testatori semper esse vulgarem.

2 Quæ filiorum Neruæ institutio, tanquam conditione non purificata, cum euanuerit, ex quo Nerua testatori superuixit, omnes pariter substitutiones illi suborbinate, & ab ea dependentes expirarunt. *l. si mater. §. fi. & l. qui habebat. ff. de vulg. & pupill. & in his terminis consuluit Corn. consi. 186. nu. 5. lib. 3. Anch. consil. 137. per tot. Alex. consi. 1. num. 1. & seqq. lib. 1. Socin. consil. 62. nu. 7. vol. 3. Paris. cons. 87. nu. 37. vol. 2. Dec. cons. 636. nu. 6. Menoch. d. consi. 399. num. 16. & 17. idem de præsump. li. 4. præsump. 71. num. 6. vers. & hanc quidem declarationem. Ruin. cons. 99. num. 10. & seqq. vol. 2. & facit vulg. cons. Oldrad. 21. Gabr. cons. 117. in princ. lib. 1.* Qui licet aliquid postea concludat in illo casu, qui est valde diuersus à nostro, quando tamen conditio est apposita, prout hic primæ vocationi hanc opinionem amplectitur, vt optime declarat *sub numer. 9. vers. nec obstat, & numer. 21.* & ita dicit intelligendos esse Doctores, qui contrarium asseruerunt, quam etiam opinionem secuta est *Rota decis. 230. num. 1. par. 2. & decis. 118. par. 1. diuers.*

3 Quod autem sequentes substitutiones à prima dependeant, satis probari videtur, ex quo factę fuerunt continuatiue per copulam, &, cuius natura est copulata iungere cum suis qualitatibus: *Pereg. de fideic. art. 15. numer. 31. Anchar. consi. 137. numer. 2. Menoc. consil. 399. num. 18. Neuiz. cons. 72. num. 14. Rota decis. 230. num. 1. par. 2. diuer.* Vlterius fuit in illis additum verbum & eo casu, quod posteriores substitutiones, iuxta terminos primæ restringit *Alciat. resp. 37. numer. 11. lib. 9. Menoch. d. cons. 399. num. 19. Anchar. cons. 267. num. 2. in fine. Dec. cons. 89. num. 3.*

4 Non obstant *Corn. consi. 226. n. 4. li. 4. Menoch. & alij per eum alleg. præsumpt. 71. nu. 6. lib. 4.* Qui contrarium senserunt, quando testator filium instituit, & si ille non viueret, nepotem, tunc enim huiusmodi conditio, si non viueret, intelligitur, quandocumque, & sic tam ante, quam post obitum testatoris in vim substitutionis compendiose, sub qua fideicommissaria continetur. *Bald. cons. 340. lib. 5. Alciat. in l. Gallus. §. quidam recte. in 1. lectura. num. 47. ff. de lib. & posth. Menoch. de præsumpt. præsumpt. 71. num. 6. lib. 4.* quæ casui nostro non applicantur cum institutio de filijs Neruæ sit mere vulgaris, vt dixit.

5 Nec valet dicere Testatorem, sicut Neruæ filios vocauit si ille non superuiueret, nec succederet, ita eosdem vocare voluisse, in casu quo Nerua superuixisset, & successisset ipsi testatori. Nam respondetur vulgarem ad fideicommissariam non trahi. *l. ex verbis ciuilibus, & ibi glo. vbi Bar. nu. 2. Bal. nu. 5. Alex. nu. 1. in prin. ff. de vulg. & pupil.* Si autem Nerua superuixisset censetur Testator illius filijs ab intestato successionem præseruare voluisse, vel saltem confidisse, dictum Neruam ad fauorem filiorum fuisse dispositurum, vt tradit *Corn. d. cons. 186. num. 5. vers. non autem fuerunt. li. 3.* Cum parentis votum sit, vt ad filios bona sua perueniant, *l. scripto. in fine. ff. vnde liberi. l. nam etsi parentibus. ff. de inoff. testam.*

6 Non obstat clausula Codicillaris in fine testamenti, per quam vulgaris ad fideicommissariam trahatur. Quia cum opponatur vulgaris fideicommissariæ. *Bal. consi. 272. nu. 2. vers. constat autem. lib. 2. Bero cons. 63. num. 29. lib. 2.* per dictam clausulam ad illam trahi non potest, cum presertim Testator de fideicommissaria non cogitauerit. *Dec. cons. 247. nu. 6. vers. secus est in casu nostro. Aym. consi. 22. num. 8.* Clausula enim Codicillaris de sui natura operatur, vt quod ex testamento inualido non debetur, ab intestato debeatur, vt solennitatis defectum suppleat non voluntatis. *Gabr. consi. 129. nu. 12. & 16. lib. 2. Menoc. cons. 326. nu. 40. Pereg. de fideicom. art. 18. num. 8.* & fuit dictum in vna Viterbien. fideicommissi 10. Maij præsentis anni, coram R.P.D. meo Manzanedo.

7 Non obstat, quod ex coniecturis dici possit, inductum perpetuum fideicommissum, ex quo deuentum fuit ad plures gradus substitutionis, habita agnationis ratione, cum ante feminas vocati fuerint masculi. *Aym. cons. 98. num. 1. & seq. cum alij per eum alleg.* Nam omnes istæ substitutiones, vt dixi, regulantur à superiori conditione, si Nerua Testatori non superuiueret, quæ cum defecerit, dictæ coniecturę vires habere non possunt. *Rota decis. 230. num. 1. par. 2. diuer. & decis. 118. par. 1.* & fuit etiam dictum in præalleg. decis. Viterbien. &c.

R. P. D. PIROVANO.

Conchen. Decimarum dell'Infantado. Veneris 8. Nouembris 1613.

ARGVMENTVM.

Episcopus an, & quando habeat fundatam intentionem, & ius in decimis coæquale cum Rectoribus, ita quod feminis mutatio non præiudicet.

SVMMARIVM.

Episcopus an, & quando habeat fundatam intentionem, & ius in decimis coæquale cum Rectoribus, ita quod feminis mutatio non præiudicet. num.1. & 2.

Mini-

Ministri censentur omnia facere, & gerere de mandato, & voluntate suorum Dominorum. num. 2. & 3.
Ius decimandi transit in Parochias etiam postquam fuerunt distinctæ. Declara, vt num. 5.

DECISIO DXX.

1 FVndamentum decisionum in hac causa die 5. Decembris præteriti, & die 10. Maij anni præsentis, quare D. Episcopo Conchen. debeatur decima olei, & croci præcipuum fuit, quia Episcopus habet ius in decimis coęquale cum Rectoribus, & consequenter reale super terris decimalibus, quod ex mutatione seminis mutari, aut tolli haud quaquam potest. *cap. commissum. c. cum in tua. de decim.* & coæqualitas probatur, quia ex decimis, quæ ad horreum commune deferuntur participant nedum Rectores, sed etiam Episcopus, ac Beneficiati, & Rex ipse Catholicus, iuxta antiquam diuisionem hucusque obseruatam absque eo, quod alter de manu alterius eas recipiat, & cum non aduersetur intentioni Episcopi habere ius reale in decimis, siue vti vniuersalis Parochi per retentionem ante distinctas parochias. *Abb. in c. quoniam à nobis. num. 2. vers. per hoc etiam infertur. Cardin. nu. 1. in 1. oppos. Butr. nume. 2. in 2. notab. Anchar. num. 4. de decim. Rebuff. eodem tit. q. 7. num. 9.* siue etiam vti habentis quartam in qua concurrit coęqualitas iuris Ordinarij respectu quotæ, & proprietatis earum. *cap. conquerente. de offic. ordin. vbi Hostien. Abb. Card. & alij notant. Rebuff. de decim. q. 7. num. 11.* Rota in Caurien. iurisdict. inter impress. 31. num. 5. par. 2. diuer. & quæ ad summam pro qua nun participat Episcopus de iure potuit augeri, secundum Hostien. *in d. c. conquerente. num. 15.* & dixit Rota in Turritana Tertiariæ 13. Nouembris 1596. coram bonæ memorię Card. Pamphilio, & in Nouarien. Canonicatus 27. Maij 1609. coram Reuerendissimo Archiepiscopo Lugdunen. sequitur dicendum, dum Rectores contrarium non docent Episcopum habere fundatam intentionem in coęqualitate iuris percipiendi decimas. Propterea cum in hac probatione Rectores deficiant: Censuerunt Domini iterum standum esse in decisis.

2 Nec obstare, quod in facto dicatur Episcopum exegisse decimas de manu Rectorum in locis dell' Infantado, & de Pareja, quo casu cessaret ius coęquale cum reale habere non posset. *l. fundi Trebatiani. ff. de vsu, & vsufruct. leg. Pinell. post alios in l. 1. par. 2. numer. 11. C. de bon. matern.* Fuit enim responsum, si præsuppositum respicit exactionem decimarum immediate de manu Rectorum, quod nec testibus, neque scripturis probatur, si vero per manus soluentium, & administratorum horrei communis, & tunc non est de manu Rectorum recipere, sed de manu propria, cum ministri repræsentent participantes de decimis, & omnia de eorum voluntate, & mandato gerere censeantur. *cap. fin. de iureiur. in 6. Dec. consil. 110. nume. 4. Afflict. decis. 72. num. 3. Abb. consi. 104. numer. 5. vol. 1.* Maxime cum non probetur Deputatos ad custodiam, & administrationem horrei à solis Rectoribus fuisse præpositos.

3 Et hinc patet responsio ad *leg. fundi Trebatiani. ff. de vsu, & vsufruc. leg.* & declarationem adductam per Pinell. nam eo in casu oritur dubium, si fructus per vsufructuarium capiuntur de manu proprietarij, qui est hæres, non sic quando de manu Administratoris nullum in decimis prætendentis dominium, neque liberationem à seruitute rei propriæ.

4 Non obstat, quod existentia harum Parochianorum cum distinctione limitum pretendatur ante erectionem Conchę in Cathedralem, vt ideo impossibile videatur Episcopum respectu earum fuisse vniuersalem Parochum de tempore nascentis Ecclesiæ, neque de prędictis decimis eas dotasse, sed quod retinuerint semper assistentiam iuris pro consequendis integris decimis. Quia respondetur, quod prędicta deducuntur ex historijs, Mariana de rebus Hispanicis, qui vltra quod subobscure loquitur in distinctione locorum, non etiam iustificat, prout necessarium esset, quod Diœcesis illa, in qua sitæ sunt Parochię diuisa esset ante rectionem Conchæ in Cathedralem, vt exinde retinere potuerint pręsumptionem contra Ordinarium Pręterea non etiam tollitur pręsumptio augmenti quartę de iure Episcopo debitę, quæ potest conseruare ius coęqualitatis, & realitatis in decimis, vt supra dictum est.

5 Postremo non obstat, quod postquam distinctæ sunt Parochię nihilominus ius decimandi in illas transeat. *Abb. in c. ad audientiam. il primo, numero 14. de eccles. ædific.* atque ita fundatam habeant intentionem contra matricem, vt fuit dictum in Mediolanen. decimarum de Varisio, coram Reuerendissimo Lugdunen. die 9. Martij 1609. & in Comen. decimarum, coram Reuerendissimo Damasceno 9. Decembris 1611. Quia prędicta procederent nisi in dismembratione contrarium esset cautum, vt dicitur in allegata decisione Comen. & proinde cum non probetur distinctio Parochiarum ab initio, potuit Episcopus ad quem omnes decimę spectabant reseruare sibi eam quam nunc percipit portionem. Et ita vtraque parte informante fuit resolutum.

REVERENDISS. P. DOMINO MANZANEDO.

Aurien. Parochialis. Ven. 8. Nouembris 1613.

ARGVMENTVM.

De testium fide præsertim circa probationem mortis, seu vitæ alicuius adnotantur nonnulla, & quod vltimi vocati in successione Iuris patronatus, non admittantur nisi constito de morte priorum vocatorum, & quod Ius patronatus transit etiam ad illegitimos, quando non est gentilitium, nec illegitimi expresse in eo sunt exclusi.

SVMMARIVM.

Præsentari non possunt ad Ius patronatus vltimo loco vocati, nisi prius constito de obitu priorum vocatorum. numero 1. & 5.
Testes sine partis citatione examinati ad perpetuam rei memoriam, & inter alias personas non probant. nu. 2.
Testes quando sunt hinc inde contrarij redduntur suspecti, & non probant. num. 3.
Testes deponentes de auditu non probant. num. 4.
Testibus deponentibus de vita hominis magis creditur, quam deponentibus de morte. num. 6.
Procurator constitui non potest à patrono ad præsentandum ante vacationem beneficij. num. 7.
Procurator generalis ad administrandum omnia bona potest præsentari ad beneficium, in quo constituens habet Ius patronatus. num. 7.
Mandatum procuratoris substituti non expirat morte substituentis. num. 8.
Ius patronatus non gentilitium transit etiam ad naturalem. num. 9.

DECISIO DXXI.

1 FVit resolutum sententias de partibus esse infirmandas, nam cum in donatione istius Iuris patronatus fuerit ad illud primo loco vocatus Antonius de Solo maior, & in illius defectum Alphonsus Gago, & alij successiue, ac vltimo loco Nicolaus Gago, & eius

eius heredes non potuerunt isti hæredes præsentare Ioannem del Condal non constito de obitu dicti Antonij, quando enim primus gradus occupatus est, vlteriores conquiescunt. *l. quamdiu. ff. de acquir. hæred. Molin. de primog. lib. 3. c. 10. num. 16. & seq.* Nec solum illius obitus erat probandus, sed & obitus aliorum vocatorum ante dictos hæredes, nec non filiorum, & descendentium, *decis. 394. in fin. parte 1. diuers. Pereg. de fideicom. art. 43. num. 35. & seq.* Vnde sententiæ mandantes institui Ioannem del Condal præsentatum à dictis heredibus, excluso Doctore Figueroa præsentato à procuratore dicti Antonij, videntur iniustæ.

2 Nec obstant testes deponentes de morte Antonij, quia duo illorum fuerunt examinati sine partis citatione ad perpetuam rei memoriam, & inter alias personas, vnde non probant, *Bart. in l. maritus, nume. 3. in fi. ff. de quæst. Abb. in c. 2. num. 14. & Felin. num. 3. de testib. Ruin. cons. 46. num. 2. lib. 2. Paris. consil. 83. numer. 13. lib. 1. Crescent. decis. 2. num. 6. de testibus.*

3 Alij vero duo deponunt de eadem morte à 20. annis, & inter se valde discordant, ita vt reddantur suspecti, cum alter dicat à decem annis ante mortem Antonij illum nouisse, & tractasse in loco de Vtreque in Italia, cum ambo ibi militiam profiterentur, & postea Antonium in grauem infirmitatem incidisse, & delatum fuisse ad hospitale Hispanorum, vbi per aliquot dies dicta infirmitate detentus ex eadem migrauit ab hoc seculo. Alter vero deponit ab eisdem viginti annis de dicto obitu, & cum dictus testis esset in dicto loco de Vtreque vidit quadam die Nauem Marchionem de Sancta Cruce illuc accedentem, & ex illa extrahi dictum Antonium in extremis laborantem, ita vt intra spacium trium horarum ab hac vita decesserit, quem testis vidit, & cognouit, & curauit sepeliri, quia erat ipsius consanguineus. Ex quibus visum fuit non esse fidem istis testibus adhibendam. Preterea hi duo testes examinati de anno 1602. deponentes de dicto obitu à viginti annis, & sic obijsse de anno 1582. attestantur contra id, quod iam fuerat iudicatum, & obseruatum de anno 1594. de quo tempore Dominicus Salgado fuerat de hac Ecclesia institutus ad præsentationem procuratoris eiusdem Antonij.

4 Alij autem testes de eadem morte deponunt tantummodo de auditu, & sic non sunt attendendi, *c. super literis, de testib. l. testium, C. eodem tit. Caputaq. decis. 279. num. 2. par. 1.*

5 Vltra quod omnes predicti testes deponunt solum de morte Antonij non de aliorum in donatione vocatorum ante prefatos heredes, de quorum obitu, & illorum filiorum, & descendentium constare debebat, vt supra dixi, vt locus fieri posset dictis hæredibus.

6 Et eo magis istis testibus de dicto obitu deponentibus fides non datur, cum ab alijs de vita Antonii deponentibus conuincantur expresse declarando tempus, quo illum viuum viderunt, nempe de anno 1589. & sic per aliquot annos postquam testes contrarii illum vidisse deponunt, de quo sunt inter alios testes de auditu, duo de visu, & quod illum viderunt in Regno Castellæ proficisci ad insulas Philippinas insimul cum Gometio Perez de las Marina Capitaneo generali per Regem Catholicum ad illas partes misso, & in conflictu potiùs est standum testibus deponentibus de vita, quam de morte, tum quia quilibet presumitur viuere, & quia melius comprehenditur vita, quàm mors. *Gabr. de Testib. conclus. 4. num. 21.* & fuit dictum in vna Perusina beneficii S. Ægidij. 11. Martii. 1560. coram bon. mem. Oradino, tum etiam quia isti testes de vita reddunt rationes verisimiliores, quam illi deponentes de morte.

7 Quibus non obstat, Antonium dedisse mandatum ad præsentandum ante vacationem beneficii, & sic nulliter ad *text. in cap. fin. & ibi Doct. de concess. præbend.* quia cum fuerit etiam generale ad administrandum omnia eius bona ex causa magnæ absentiæ valet, & tenet *Abb. in cap. final. num. 6. de præb. & ibi Butr. num. 9. Mil. in suo repertotio verb. patronus potest procuratorem constituere. Lambert. de iur. patr. prima p. 2. lib. q. 4. art. 3. num. 2. & per totam.*

8 Minus facit, quod Doctor Figueroa fuerit presentatus à substituto post mortem substituentis; Quia cum substitutus habeat potestatem à primo mandante non autem à substituente, per illius mortem non expirauit mandatum *glos. verb. substituen. in cap. 1. §. 1. de procurat. in 6. Rot. decis. 33. num. 1. & decis. 38. num. 2. de procurat. in nou. Deci. in cap. relatum circa princ. de offic. deleg. Prob. in addit. ad Monach. in cap. perpetuo. num. 11. de postulat. Prælat. in 6. Gabr. de procurat. conclus. 2. nu. 9.*

9 Vltimo non obstare visum fuit, quod Antonius esset illegitimus tanquam filius fratris, & Commendatoris Ordinis Militaris Sancti Ioannis, cum nec versemur in iure patronatus gentilitio, nec in illo, à quo illegitimi expresse sint exclusi. Quibus cessantibus Antonius non est incapax istius Iuris patronatus, *Bald. in l. eam quam in fin. C. de fideicom. Roch. de Iure patronatus in verb. competens num. 9. Lambert. vbi supra 1. part. lib. 1. quæst. 7. art. 13. in princ. num. 4. & 6. Gig. de pens. quæst. 16. num. 2. & facit text. in cap. piæ mentis, &c. Frigentius 16. quæst. 7.* Et quibus ita conclusum fuit.

R. P. D. PIROVANO.

Romana pecunia, seu administrationis fundaci Mercurij 13. Nouembris, 1613.

ARGVMENTVM.

Administrator non semper de administratis rationem reddere tenetur, nisi ad administrandum tacito, aut expresse fuerit deputatus, & quando sic deputatus censeatur, multa notabilia in hac decisione explicantur.

SVMMARIVM.

Administrator deputatur non solum expresse, sed etiam tacite per nonnullos actus, de quibus. num. 3.

Administrator tenetur reddere rationem de administratis, & reliqua restituere. num. 3.

Administrator vt teneatur de administratis reddere rationem necesse est, vt de deputatione constet, aut expresse aut tacite, nec sufficit, quod quis in administratione se ingerat pro commodo, & vtilitate negotii. num. 4.

Societates regulantur à partium conuentione, & quidquid in contractu societatis omissum est, habetur pro omisso absque alia interpretatione tacitæ voluntatis. num. 5.

Complementarius non tenetur reddere rationem eorum, quæ facit. num. 6.

Actus subsequentes interpretationem recipiunt à præambulo titulo. num. 7.

DECISIO DXXII.

1 Finita societate Fundacharia tam per mortem Alexandri Albani, quam etiam per lapsum quinquennij vltra, quod societas ex pacto extendi non poterat Abbas Vincentius, & Ioannes Baptista Albani hæredes Alexandri fratris mouerunt iudicium contra Attilium Casinum alterum ex sociis, vt ipse, per cuius manus omnes pecuniæ ad negotium pertinentes recipiebantur, & soluebantur, teneretur de prædictis computum reddere, & cum hoc ab Attilio controuerteretur, quod scilicet solus neque egisset, neque soluisset, sed ab alijs participibus id ipsum actum fuisset bona fide, & absque eo, quod alter alteri redderet rationem, ideo ad firmandum pactum inter has partes.

2 Do-

2 Domini in primis videre voluerunt, An constet de erroribus præiudicialibus, & cum sub die 17. Maij præteriti resolutum esset constare de erroribus, An autem sint præiudiciales reseruauerint particulariter videre, & quod interim eligeretur Peritus, in pluribus congressibus habui coram me, & partes, & peritum ab ipsis electum pro detegendis præiudiciis, quæ cum manifesta essent, nisi aliud extrinsecus probatum fuisset & hoc etiam parum iuuaret Albanos, nisi apparerent, qui ad eorum emendationem tenerentur. Secundo loco dubium proposui, An constet Attilium Casinum fuisse capserium.

3 Pro Albanis multa deducebantur, & probabantur, nempè Custodia Capsæ maioris per retentionem clauis, locus particularis, in quo sedebat idem Attilius ad recipiendum, & soluendum pecunias, ordines, quæ in dies ab eodem Attilio aliis mercatoribus dirigebantur, & ipsi directi acceptabantur, liber introitus, & exitus capsæ ab eodem tentus, & manu propria pro maiori parte, in reliquo autem eo mandante conscriptus, quæ omnia sic probata, & scientibus, & patientibus aliis consociis ab eodem Attilio tractata inferre videbantur nedum tacitam deputationem, quæ æquipollet expressæ propter præsumptionem mandati. *Innoc. in c. ex parte Decani. de resc. Ronchagal. de duob. reis, in l. eandem in prin. num. 153. Afflic. decis. 308. num. 6.* qui loquitur de præsumpto institore, sed etiam administrationem, cum præter custodiam pecuniarum de custoditis disponebat per ordines, & actuales solutiones, & consequenter obligationem de administratis reddendi rationem, & reliqua restituendi, prout quilibet administrator gerens alterius negotia ad prædicta tenetur. *l. si quis rationes. ff. de lib. leg. Ias. cons. 100. num. 6. lib. 4. Natt. consil. 134. num. 9. volum. 1. Magon. decis. Flor. 42. num. 1. Flam. Rub. consil. 29. num. 1. & consil. 33. num. 1. vol. 1. Socin. Sen. cons. 24. nu. 36. vol. 1.*

4 Ceterum quia Domini aduertebant non probari per Albanos, quod in huiusmodi fundatis de necessitate solerent adesse Capserij, vt propterea omnes socii participes potuerint exigere, & soluere bona fide absque eo, quod alter alteri teneretur rationem reddere, & inde cum omnia per Attilium gesta possint se habere pro commodo, & vtilitate negotij, non autem se obligaret ad particularem rationis redditionem, prædicta tanquam æquiuoca visa sunt non releuare Albanos, quorum fundamentum est includere prouisum in Attilio Capserii officium. *l. ei qui. ff. de probat. l. actor, quod asseuerat. C. de eden. cum aliis per Ioseph. Ludou. conclus. 14. in princi.* & ideo cum hoc præsupposito, quod de necessitate istis fundatis non soleat adesse Capserius, censuerunt non constare Attilium fuisse Capserium.

5 De illius enim expressa deputatione, non apparet, neque in Capitulis Societatis expressum est, quod Attilius, vel alter socius debeat esse Capserius, vt inde inferatur ad necessitatem officij prædicti, & tamen regulares est, quod in huiusmodi contractibus totum faciat conuentio partium. *l. 1. §. si conuenerit. ff. depos. l. fin. C. de reb. alien. non alien. l. fi. C. de fideiuss. Becc. cons. 45. n. 25. lib. 1. Surd. decis. 260. n. 12.* Vnde quicquid omissum est, habetur pro omisso absque alia interpretatione tacitæ voluntatis contrahentium. *l. quicquid ad stringendæ. ff. de verb. oblig. leg. si extraneus. ff. de condict. ob caus. l. si cum dotem. in princ. ff. solut. matrim. Surd. decis. 202. num. 9. & 10.* & sicuti solemus dicere quando legem habemus, si lex non dicit, nec nos dicere debeamus. *l. illum. C. de collat. Crauett. cons. 90. num. 2. Becc. cons. 35. numero 4.* ita quando habemus legem expressam in capitulis, si capitula de Capserio non loquuntur, nec nos de Capserio tractare debemus, cum in hoc casus ex conuentione non differat à casu legis. *Bald. consil. 215. num. 3. in fi. vol. 2. Crauett. consi. 317. num. 1. Lanc. Gall. cons. 123. num. 6.* & ideo Attilius retinendo libros introitus, & exitus, & conficiendo librum principalem, quem Mercatores, libro mastro nuncupant, magis videtur respexisse effectum capituli 16. qui erat, vt computa in festis Natalitijs singulo anno fieri possent, quam vt obligationem de reddenda ratione in se susciperet.

6 Ponderabant etiam Domini custodiam clauis non fuisse continuam penes Attilium, vt deponunt testes pro eo examinati, vnus enim dicit vidisse clauem penes Alexandrum Albanum, prout Ioannes Angelus Olgiattus, iuxta duodecimum interrogatorium, alij, prout Almagionus, Sudeus Sauonantius, Valerius Lollius, & Petra affirmant consueuisse clauem prædictam reponi aliquando in quodam scriniolo, & aliquando remanere super eadem capsa. Præterea in libro introitus, & exitus capsæ adnotantur diuersæ partitæ aliena manu, quam Attilij, nempe Alexandri Pancerij, & Riccij, & promiscue ipsi participes in eis creantur debitores, vel creditores, iuxta contingentiam leuandi pecunias ex capsa maiori, vel consignandi in ea recepta, & nihilominus officium hoc numerandi, vel recipiendi pecuniam, data & accepta scribendo in libro capsæ videntur pertinere ad solum officialem ministerio capsæ deputatum, cum quo solo agendum est, vt dicit *text. in l. actione. §. si communis pecunia. ff. pro socio.* ita vt modus iste in administrando capsam inter socios seruatus non ad capserium, sed magis ad personam complementarij videatur referendus, qui æque bona fide cum socio principali administrat citra obligationem promiscue obligationis reddeni rationem, & si obliget dantem complementum. *Rot. Ianuen. decis. 104. num. 4. & decis. 166. num. 1.*

7 Postremo multum mouit Dominos fides mercatorum Vrbis attestantium de communi obseruantia horum mercatorum, vt non soleant deputari particulares Capserij, præsertim Lucas de Vecchis hoc affirmat, qui cum Alexandro prius similem inierat societatem, & Alexander Lapius, qui post mortem eiusdem Alexandri societatem continuauit cum hæredib. prædictis, necessitate autem prædicta cessante actus facti per Attilium remanent æquiuoci, & tanquam de simplici socio, à quo titulo præambulo interpretationem actus subsequentes receperunt. *l. quædam mulier. vbi glos. ff. de rei vendic. Becc. post alios consilio 6. numer. 6. volum. 1.*

R. P. D. PIROVANO.

Pacen. Canonicatus. Mercurij 11. Decemb. 1613.

ARGVMENTVM.

Impetrans beneficium tanquam vacans certo modo, quid probare debeat pro iustificatione suæ gratiæ.

SVMMARIVM.

Clausulæ generales appositæ in gratia tanquam accessoriæ intelliguntur veris existentibus narratis. nu. 2.

Impetrans beneficium, tanquam vacans certo modo debet iustificare, saltem de facto narratiuam expressæ vacationis. nu. 2.

Impetrans beneficium, tanquam vacans duobus modis alternatiue narratis sufficit, quod iustificet vnum, aut alterum vacandi modum narratum. num. 3.

Gratia etiam valere, quando non sit noua gratia, & quid impetrans teneatur verificare. num. 4.

Titulorum multiplicatio datur in beneficialibus, & ideo non est inconueniens obtinere aliam gratiam prouenientem ex diuersa, & contraria causa. Declara, vt num. 5.

Beneficium impetrans, tanquam vacans ob non factam publicationem quid probare, & iustificare debeat. num. 6.

Proba-

Probatio ab antecedenti necessario valida est, & concludens in quacumque materia. num.7.
Narratiua facta in supplicatione non præiudicat veritati. num 8.
Confessio ambigua interpretatur, vt minus præiudicet confitenti, quam sit possibile. Declara, vt num.9.
Titulus, & possessio beneficij præsumitur sine vitio. nu.9.
Confessio in his, quæ iuris sunt, nec pendent à potestate confitentis confitenti non præiudicat. Declara, vt nu.10.

DECISIO DXXIII.

1 DOmini confirmarunt decisiones pro Alphonso in hac causa factas, retentis iisdem fundamentis, & rationibus. Et pro faciliori defensione prioris fundamenti, quod scilicet Petrus pro validitate suæ gratiæ, Etiam valere, teneatur verificare saltem de facto vacationem ob non publicationem dispositiue narratam in primis literis, ponderarunt tres casus.

2 Primus est, quando gratia, Etiam valere, desumitur ex clausulis generalibus, & hic casus caret difficultate, quia clausulæ generales, tanquam accessoriæ intelliguntur veris existentibus narratis, & sic iustificata saltem de facto narratiua vacationis expressæ. *Ægid. decis.116. in fin. incip. si petens.* Rota coram Cantucio inter impress. *decis. 9. num. 10. p.2. diuers.* & coram bon. mem. Card. Blanchetto 13. Octob. 1595. in Abulen. Beneficij.

3 Secundus est casus, quando in gratia principali duæ vacationes alternatiue narrantur, & hic casus pariter fuit decisus in Bononien. Canonicatus 10. Februarij 1590. coram bo. mem. Cardinali Pamphilio, quia cum modus vacandi non fuerit restrictus, sed positus sub alternatiua, sufficit alterum verificari, iuxta naturam alternatiuæ, de qua in regul. in alternatiuis. *de reg. iur. in 6.* quod etiam fuit firmatum in Placentina Cappellaniæ. 13. Maij 1597. coram bonæ mem. Penia. Nec reuocatio dictæ decisionis Bonon. Canonicatus die 19. Martij 1590. offendit prædictam distinctionem, quia non ideo fuit recessum, ex quo duo modi vacationum essent alternatiue narrati, sed quia nullitas collationis ex Constitutione Pij V. eo in casu non videbatur expressa per modum vacationis, & gratia erat restricta ad solum modum vacandi ob non publicationem.

4 Tertius casus, qui est de quo agitur, quando narratiua non continet alternatiuam dispositiue, neque vacatio desumitur ex clausulis generalibus, sed est expresse excepta, vt in primis literis, ibi, quouis modo, & ex cuiuscumque persona, non tamen per obitum, & gratia, Etiam valere, extendit primam gratiam ad vacationem omissam, & tunc non est noua gratia, neque alternatur dispositiue ad vacationem per obitū, sed dicitur emanata ad ampliandam, & sustinendam præcedentem, & consequenter præsupponit existentiam primæ, secundum *Gemin. consi.11. num.2. & consi.12. num.3. in decis. vltima allegat.* Et ratio distinctionis patet ex literis, etiam valere, quia Petrus non dubitat de prima gratia ob non publicationem, sed dubitat, quod Canonicatus, & præbenda adhuc per obitum Ioannis vacauerit, & vacet, ideo Papa prouidendo, ne Petrus priuaretur prima gratia ob impetrationem vacationis per obitum Ioannis ab alio forte obtinenda, voluit ampliando gratiam ad vacationem per obitum Ioannis primam sustinere, non autem nouam, & primæ contrariam alternando concedere.

5 Non obstat, quod detur multiplicatio titulorum in beneficialibus, & ideo non sit inconueniens obtinere aliam gratiam prouenientem ex diuersa, & contraria causa. *c. post electionem. de concess. præbend. Verall. decis. 305. in princip. par. 3.* Quia, etsi conclusio vera esset, cum tamen multiplicatio titulorum possit deseruire, tam ad confirmationem, & validitatem primi tituli, quam etiam æque principaliter, si primus deficiat, non tamen ex literis, etiam valere, dignoscitur Papam voluisse nouam gratiam facere, neque Petrus æque principaliter impetrare, & in dubio standum est naturæ illius gratiæ, quæ est ampliare, non autem dispositiue nouam gratiam facere, per *Rebuff. in tit. de rescript. Perinde valere, vel etiam valere. num.1. & sequentibus.*

6 Non obstat secundo, quod immo Papa videtur voluisse nouam gratiam facere, quia dum literæ continent nouum modum vacandi dispositiue narratum, videtur prima gratia reducta ad terminos, prout si in ea fuisset dispositiue narrata alternatim vacatio ob non publicationem, vel per obitum, & intrant termini decisionis Bonobien. Canonicatus supra allegatæ. Quia fuit responsum terminos casus æquiparati à terminis huius tertij casus valde differre, nam quando vacationes alternatiue narrantur, tunc sumus certi, quod vna gratia non dependet ab altera propter naturam alternatiuæ, & cessat onus vtramque iustificādi, quod idem dici non potest, quando proceditur per viam ampliationis, quia etsi dispositiue fuerit narrata vacatio per obitum, illa tamen potest se habere magis ad confirmationem primæ gratiæ, quam ad cōstituendum gratias æque principales, ideo in dubio non liberatur à dependentia primæ, nec consequenter ab onere iustificandi vacationem ob non publicationem, quæ fuit gratia principalis.

7 Secundum nunc est principale fundamentum decisionis, quod gratia Antonij iustificata videatur ex confessione Petri in precibus in prima gratia porrectis, quatenus narrauit Antonium fuisse prouisum de isto Canonicatu, & præbenda, de qua postea per liberam cessionem Antonij prouisus fuit Alphonsus, & non publicauit, hæc enim confessio Petri videtur suffragari Alphonso ad probandam consumptionem vacationis per obitum Ioannis, *Put. decis. 36. lib.3.* cum alijs allegatis in dec.10. Februarii 1612. in hac causa facta, & eidem Petro obesse, nisi doceat, quod prouisio Antonii per eum narrata fuerit nulla, eo enim ipso, quod Petrus dixit vacare beneficium ob non publicationem Alphonsi, in necessarium antecedens videtur fassus vacationem per obitum Ioannis fuisse consumptam in personam Antonii, quia si Antonius non habebat ius in beneficio, non potuit vacare beneficium ob non publicationem Alphonsi, *Petr. de Vbal. de rer. perm. nu.100. Rota in vna Agaten. beneficij inter impress. 288. par.3. lib.3. diuers.* & hæc probatio ab antecedenti necessario valida est, & concludens in quacumque materia. *l. ad rem mobilem. ff. de procur. Rot. decis. 316. nu.5. par.2. diuer. Euerar. in sua Centur. leg. in loco à concessione antecedentis.*

8 Nec releuat, quod non censeatur narrasse prouisionem fuisse legitimam, sed de facto, quæ narratiua non præiudicat veritati consumptionis vacationis, vt per *Socin. consil.169. num.6. volum.2.* Milis in reper. in verb. gratiam beneficij impetrans, & in verb. gratiam beneficialem impetrans. Quia vltra, quod *Lapus allegat.89. num.15. & Mandos. ad eundem tenent contrarium.* Fuit responsum prædicta procedere ad effectum iustificationis gratiæ, cum sufficiat verificare de facto, non autem ad effectum saluandi contrarietatem ex incompatibilitate narratiuæ prouenientem, dum gratia ob non publicationem sustineri non potest, nisi præcedat legitima vacatio per obitum Ioannis.

9 Non obstat secundo, quod confessio ambigua debeat interpretari, vt minus præiudicet confitenti, *l. si quis intent. ambigua. ff. de iudicijs. Menoch. consilio 112. numer.21. lib.2. cum alijs allegatis,* & consequenter magis sit sumenda interpretatio de prouisione de facto, quam de iure. Quia fuit dictum confessionem non esse ambiguam inspecta voluntate confitentis, à

quo pendet preiudicium confessionis, quia Petrus intendebat, quod beneficium vacaret, & valide ne infructuosa esset illius impetratio, & hoc ipsum iuris præsumptione iuuatur, dum titulus, & possessio presumitur sine vitio, *Menoch. de præsum. lib. 5. præsum. 2. nu. 17. Crauet. consi. 150. num. 5.* & in istis terminis firmauit Rota in causa Hispalen. Benefic. 10. Iunij 1611. coram R.P.D. Pamphilio.

10 Demum non obstat, quod hæc confessio, quod vacauerit beneficium per obitum Ioannis valide, vel inualide, sit iuris, nec pendeat à potestate confitentis veritas vacationis, ideoque nec noceat, nec probet contra confitentem. *Verall. decis. 185. numer. 4. par. 1.* Quia, donec appareat de virtute, nocet confessio, non autem præiudicat veritati, quin possit contrarium probari.

DECISIO DXXIV.

Giennen. Portionis. Mercurij 13. Nouemb. 1613.

Impressa apud Buratto.

DECISIO 28.

R. P. D. VBALDO.

Romana locorum Montium. Mercurij 13. Nouembris 1613.

ARGVMENTVM.

De restitutione in integrum minori concedenda propter læsionem. Quomodo probetur minor ætas, & quando etiam minor dicatur læsus.

SVMMARIVM.

Minor restituitur in integrum ex causa læsionis. nu. 1.

Ætas minor probanda est per eum, qui allegat, tempore enim contractus quisque præsumitur maior, & non minor. num. 2.

Fides Parochi, & Curati sine iuramento, & citatione non sufficit ad probandam negatiuam. nu. 2. in fine.

Ætas non probatur per eos, qui negant se fuisse præsentes natiuitati. nu. 3.

Ætas minor non probatur per testes deponentes de auditu. numer. 4. vbi præsertim quando agitur de annullando contractum.

Instrumentum non fuisse celebratum non probatur ex eo, quod non reperiatur. nu. 6.

Donatio facta ob benemerita præsumitur facta ob illa benemerita, quæ verisimiliter donans à donatario recipere potuit. nu. 7.

Euictionis actio vbi non datur, datur tamen restitutio pretij. num. 8.

Testes singulares in tempore probant iunctis adminiculis præsertim in re difficilis probationis. num. 10.

DECISIO DXXV.

1 Post factam resolutionem in hac causa constare de re iudicata contra Dominam Cleriam, vt apparet ex decisione sub die 25. Maij 1611. coram me D. Cleria petijt audiri super causis restitutionis in integrum quo dubio proposito, & non resoluto die 19. Martij 1612. hodie vtraque parte informante Rota censuit, non obstare de causis restitutionis in integrum. Illa autem duo potissimum prætendebantur per Clerima, prima ex eo, quod ipsa tempore resignationis locorum montium, de quibus agitur esset minor. Altera quod fuisset læsa, tanquam resignasset sine causa, & ideo restituen. *l. 1. & l. quod si minor. §. 1. ff. de minor. c. 1. vbi Abb. num. 3. de restitut. in integr.*

2 Sed natura Dominis videbatur iustificari, nam quo ad minorem ętatem illa erat plene, & concludenter probanda per Cleriam. *cap. in præsentia. de probat. l. in minorem. C. de in integrum restituti. Bald. consilio 19. factum tale est, numer. 4. vers. vnde videtur lib. 5.* ætas enim præsumitur maior tempore contractus, vnde qui venit contra contractum tenetur probare ætatem minorem. *Bald. in l. de ætate, numero 4. vers. in eadem. ff. de minor.* quæ probatio hic videbatur deficere, nam liber Baptismi non loquitur de Cleria filia Cæsaris, sed de Venere filia Antonij, & quæ dicebantur de causis allegatis ad iustifican. hanc nominis & parentum diuersitatem Dominis non placuerunt, nec visa est sufficere fides Curati sine iuramento, & citatione ad probandum negatiuam, quod non adsit alia baptizata sub dicto nomine.

3 Testes vero vltra quod sunt diuersi in tempore, & parentibus expressis in dicta partita libri baptismalis in primis fatentur se non adfuisse natiuitati, & sic excludunt primum modum probandi natiuitatem per testes, de quo per *Bart. in d. l. de ætate. sub num. 7. versic. sed in probanda minori ætate. ff. de minor.* quam Theoricam sequuta est Rota in causa Parmen. status 12. Februarij 1596. coram Cardinali Seraphino.

4 Præterea sunt testes de simplici auditu, primus enim deponit de auditu ab vxore, secundus, quæ est vxor primi de audito à Lucretia, & Cæsare, & sic non probant. *c. tam literis. & ibi glos. & Felin. nume. 2. de testibus. leg. testium. & ibi glos. in verb. præsto. C. eod. tit. Dec. consi. 320. in causa, num. 4. & in terminis probandæ minoris ætatis. Bartol. cons. 92. col. 1. lib. 1. Alex. cons. 29. n. 10. vers. deponit etiam. lib. 7. Corn.* qui loquitur in terminis quando agitur ad annullandum contractum, *cons. 21. nu. 1. vers. tamen ista testis, lib. 6. Odd. de restitut. in integ. q. 37. nu. 70. vers. teneo igitur, & num. 71.*

5 Quo vero ad secundam restitutionis causam satis videbatur Dominis constare de causa resignationis cum pro debito Scutorum 800. quo Vincentius Fantonus fuerat obstrictus Stephano Cleria Vincentij hæres resignauerit quatuor loca montium valoris longe minoris, vt etiam fuit consideratum in prædicta decisione in hac causa facta.

6 Nec obstat, quod instrumentum dictæ obligationis Vincentij enunciatum in Apocha nõ reperiatur, quia vltra, quod istud respicit probationem causæ, nõ autem causam, vt considerabat vnus ex Dominis fuit etiam respõsum, prout in dicta decisione ex eo, quod instrumentum non reperiatur, non sequi, quod non fuerit factum cum potuerit amitti, vel subtrahi, vel non protocollari, vt dicit *Aym. cons. 117. num. 7. Hercul. de negat. num. 173.* præsertim cum fuerit probatum per testes in officio eiusdem Notarij fuisse laceratas alias scripturas, & amissa multa instrumenta, nec diligentia ex aduerso facta videtur probare hanc negatiuam instrumenti non reperti præsertim absque citatione partis. *Cephal. consil. 170. num. 23. lib. 3.*

7 Accedit etiam, quod potuit in dicta apocha facile æquiuocari in nomine Notarij, & mensis cum extet aliud instrumentum donationis Casalis eiusdem valoris Scutorum 800. factum à Fantono ad fauorem eiusdem Stephani eodem Anno 1596. ob multa seruitia ab eodem Stephano recepta, quæ licet non exprimantur pro causarum patrocinio, tamen attenta qualitate personæ Stephani, & dicto secundi testis, & alijs infra dicendis, & cum de alijs seruitijs non appareat videtur dicendum ob seruitia in patrocinio præstita fuisse donatum, *l. quædam mulier. ff. de rei vendicat. l. 2. C. de acquir. possessio. cum ibi notatis Alciat. de præsumpt. reg. 2. præsump. 24. Aym. consil. 18. num. 23.*

8 Nec

8 Nec obstat, quod dicta donatio fuisset resoluta propter pactum in ea appositum, quod casu quo euinceretur Fantono Census factus cum Communitate Collis veteris ipse donator habeat regressum ad dictum Casale, qui casus euictionis euenit, quia fuit responsum duobus modis, & in primo, quod licet Stephanus non potuisset agere ad Casale ex quo Fantonus noluit teneri de euictione, poterat tamen agere ad pretij illius restitutionem, iuxta *l. ex empto. §. fin. ff. de act. empt.* tanto magis, cum Fantonus pro rata dicti pretij Casalis fuerit de suo credito satisfactus, vnde cum ad eum peruenerit pretium rei alienæ intrabat æquitas, *l. si eum seruum, vbi Bart. & alij. ff. si certum petatur.*

9 Secundo fuit responsum, & hoc valde mouit Dominos, quod in dicto instrumento fuit expresse cautum, vt sequuta etiam euictione dicti Census donatio Casalis vires non habeat, sed suspendatur donec, & quousque donator recuperauerit dictum Censum, vel alias dictum creditum Scutorum 2400. & illis recuperatio dicta donatio vires suas recuperet, & effectum habeat, & sortiatur, vnde cum hodie constet Cleriam hæredem Fantoni fuisse satisfactam de dicto credito, illa donatio pro Scutis 800. reuiuiscit, & consequenter, si ipsa resignauit pro dicta summa quatuor loca Montium, quæ non tanti valent, dicitur gessisse actum sibi vtilem, & resignatio non potest dici sine causa.

10 Accedit vltimo, quod videbatur constare de patrocinio, & bene meritis Stephani, tum ex fide Illustriss. Cardinalis Cesij, tunc Præfecti Congregationis Baronum in qua causa à Stephano agebatur pro Fantono tanto magis cum attestetur de gestis coram se, *Ægid. decis. 183.* tum ex testibus pro Rubeo examinatis, & ex depositione Secretarij locorum montium de confessione Cosmi mariti Cleriæ, qui licet possint videri singulares ratione temporis, tamen iunctis adminiculis dictæ fidei, & mandati procuræ Fantoni in personam ipsius Stephani pro eadem causa in re præsertim difficilis probationis videtur facere fidem. *Cæsar de Graff. decis. 3. num. 6. de probat. Caputaq. decis. 271. par. 3.* & fuit dictum in Hispalen. matrimonij. 28. Februarij 1608. coram Reuerendissimo Bononien. Ex quibus & alijs consideratis in decisione in hac causa facta, quæ etiam hodie Dominis placuerunt fuit conclusum non constare de causis restitutionis in integrum.

REVERENDISSIMO P. DOM.

DAMASCENO.

Romana de Marescottis. Mercurij 20. Nouembris 1613.

ARGVMENTVM.

Possessorium adipiscendæ ex remedio l. fin. C. de edict. Diu. Adr. tollen. numquid impediatur per exceptionem nullitatis testamenti propter filij præteritionem, & quando filius dicatur præteritus.

SVMMARIVM.

Possessorium adipiscendæ ex remedio l. fin. C. de edic. Diu. Adr. tollen. numquid impediatur per exceptionem nullitatis testamenti propriæ filij præteritionẽ. n. 1. & 7. & seqq.

Testamentum ob filij præteritionem nullum remanet. nu. 2.

Clausula codicillaris in testamento nullo ob præteritionem filij numquid impediat immissionem hæreditatis scripto hæredi. num. 3.

Paria sunt filium non esse institutum, vel quod ex institutione nihil possit consequi. num. 4.

Donata filio ex causa nuptiarũ imputantur in legitimam. n. 5.

Filius in legitima institui potest. num. 5.

Exceptio, quæ alias de iure admitti non debet, admittitur tamen, quando in continenti probatur. nu. 8. & 9. Vbi quando in continenti probata censeatur. & num. 12.

Assertioni probibiti facere actum non statur ad effectum validandi dictum actum. nu. 10. & 12. Vbi præsertim, quando constat, quod talis exceptio non est vera.

Exceptio an, & quando dicatur requirere altiorem indaginem. num. 12.

Testamentum nullum ob præteritionem filij conualidatur quando ab eodem filio fuit approbatum. num. 14.

DECISIO DXXVI.

1 VT sæpe fuit visum in hac causa quondam Alphonsus Marescottus instituit hæredem Iuliam Balleonam vxorem suam, & de Marco Antonio filio suo sic fuit loquutus. *Dechiaro hauer lasciato al Sig. Marc' Antonio mio figliuolo li Castelli del Vignanello, & Parano, come per scrittura, &c. però voglio, che non possa dimandare altro della mia heredità, & l'instituisco, & nomino herede in detti Castelli, &c.* decessit testator, & postea Marcus Antonius filius, & denique Iulia vxor Testatoris instituto hærede Domino Pyrrho suo fratre, orta est quæstio super bonis dict. quondam Alphonsi inter filios, & hæredes Marci Antonij ex vna, & D. Pyrrhum hæredem Iuliæ ex altera, & quia prædicti filij, & hæredes Marci Antonij prætendebant Castra relicta per Alphonsum Marco Antonio non fuisse ipsius Alphonsi, & consequenter, vel testamentum fuisse nullum ob præteritionem filij, vel saltem fuisse debitam Marco Antonio æstimationem prædictorum Castrorum, quod in substantia idem importat, quia talis æstimatio absorbet totam hæreditatem Alphonsi. Rota coram me sub die 1. Februarii proxime volit videre, An deberetur æstimatio, & pro negatiua resoluit. Vnde remansit videre, an testamentum d. Alphosi ob vitium dict. præteritionis esset nullum. Ceterum, quia Informantes pro Domino Pyrrho prætendebant immissionem ex remedio *l. fi. C. de edict. Diui Adria. tollend.* & quod exceptio nullitatis propter præteritionem, tanquam vitium inuisibile minime posset retardare *dict. immissionem, per tex. in leg. 2. vbi gloss. verb. vitio. C. de edict. Diu. Adrian. tollen. Dec. in l. fin. num. 35. in fine, eodem titul.* cum alijs per *Menoch. de adipiscen. remedio 4. num. 726.* E conuerso prætendebant Informantes pro DD. filijs, & hæredibus, quod imo dicta exceptio esset admittenda, & consequenter, quod sublato de medio testamento, ipsis filijs, tanquam repræsentantibus personam M. Antonij debeatur immissio ex remedio quorum bonorum. *l. 1. ff. & C. quorum bonorum. vbi Barto. Bald. Salicet. & ceteri Scriben. late Menoch. dicto tract. de adipiscen. remed. 1. num. 3.* cum pluribus sequentibus.

2 Propterea dedi dubium, an constaret de tali nullitate testamenti Alphonsi, quæ posit retardare immissionem Domini Pyrrhi, & aperire viam immissioni DD. de Marescottis in casu de quo agitur, quod dubium in omnibus affirmatiue fuit resolutum. Mouit Dominos, quia si Marcus Antonius fuit præteritus, testamentum Alphonsi sine dubio remansit nullum, *ad leg. inter cetera. ff. de liber. & posthum. Instit. de exhæredat. liberor. in princip. leg. maximum vitium. C. de liber. præter. leg. filio præterito, vbi glos. in verb. tuebitur. ff. de iniust. rupt. & irrit. testamen.* quod si remansit nullum, neque potest dare immissionem D. Pyrrho, neque retardare illam, quæ ab intestato per supra allegata competit filijs M. Antonij. *ad l. 4. §. condemnatum. ff. de re iud. cum ibi late not. per Scriben.*

3 Nec D. Pyrrho suffragatur clausula codicillaris, per quam venientes ab intestato dicuntur grauati restituere

tuere hæredibus scriptis in testamento, ad not. pro *Bar. in auth. ex cau. n. 25. C. de liber. præter.* cum alijs per *Gabr. tit. de clausul. concl. concil. 7. nu. 1.* nam quicquid sit de applicatione prædictæ conclusionis ad propositum casum per d. clausulam non datur immissio hæredi scripto, nec retardatur immissio hæredis ab intestato, sed hæres scriptus capit de manu hæredis ab intestato. *Bero. cons. 118. num. 38. lib. 2. Rub. Alex. cons. 64. n. 1. Dec. cons. 467. n. 12. Gabr. consi. 45. n. 12. lib. 1. Rol. consil. 78. n. 14. & 15. lib. 3.* Rota in causa Viterbien. hæreditatis coram Robusterio relata inter diuer. impres. *decis. 83. num. 1.* & in causa Romana de Salomonibus coram bo. mem. Cardinali Seraphino *relat. in decisi. 595. num. 1. p. 1.* Difficultas igitur est, an M. Antonius vere fuerit præteritus, & an talis exceptio sit admittenda in hoc iudicio possessorio.

4 Circa primum pro affirmatiua fuit tentum, quia licet M. Anton. fuerit honoratus titulo institutionis, in testamento, tamen illi vere nihil fuit relictum, quia Castra non erant ipsius Testatoris, vt infra dicetur, & illorum æstimatio non debetur, vt iam fuit resolutum. Vnde paria sunt, quod non fuerit institutus, vel quod ex institutionie nihil possit consequi. *l. quamuis. §. si conuenerit. ff. ad Senatusconsu lt. Vellean. l. cum hi. §. si prætor. ff. de transact. l. nam is. ff. de dol. l. si soluturus. ff. de sol. gloss. in l. fin. verb. orbitates. C. ad l. Fau. de plagiar.* & tradunt in specie, *Bald. consil. 93. numer. 7. lib. 3. Dec. consil. 229. num. 2. vers. ad hoc facit Castr. cons. 86. numero 1. libro 1. Ias. consilio 160. numero 2. libr. 2. Alexandr. consilio 21. numer. 6. lib. 3. Crau. Consilio 142. numero 10.*

5 Quod Castra non essent ipsius testatoris apparet, quia fuerun illi confiscata per Cameram Apostolicam, quæ per multos annos tenuit illorum possessionem, & postea illa mediante compositione Scutorum 10. mill. consignauit filijs M. Antonij, non quidem ob aliquod ius, quod in illis prætendere possent pater, vel auus, sed vigore fideicommissorum quondam Beatricis, & Hortensiæ de Farnesijs ad fauorem filiorum M. Antonij, & ex gratia Pontificia erga illos, vt habetur in Chirographo Papæ, cuius vigore facta fuit compositio. Nec facit, quod eadem Castra fuerint ante illorum confiscationem per Alphonsum ex causa nuptiarum donata M. Antonio, quæ donatio imputatur in legitimam, *Roland. consil. 44. numero 30. lib. 4. Becc. consilio 20. numero 23.* Vnde infertur, neque Cameram potuisse illa postea confiscare propter delictum Alphonsi, & recte fuisse in illis institutum Marcum Antonium cum certum sit filium posse institui in legitima. *glos. in leg. 3. §. sed vtrum. verb. patrimonium. ff. de minor. Ias. in authen. nouissima, num. 13. C. de in offic. testament. Imol. in c. Rayn. nu. 51. Couarr. ibidem. §. 1. nu. 1. de test.* quia omisso, an vere donatio fuerit propter nuptias.

6 Fuit responsum, neque Alphonsum potuisse donare ista Castra M. Antonio, cum non essent sua, sed Hortensiæ Farnesiæ, quæ pariter interuenit donationi, vt quo ad Castrum Iulianelli patet ex deductis in *Summario Marescottorum, numer. 4.* & quo ad Castrum Parrani eodem summ. nume. quinto. & etiam quatenus fuisset ipsius Alphonsi donantis motiuum non obstare, quia eadem Castra fuerunt per M. Antonium retrodonata Alphonso, vt constat ex instrumento, quæ retrodonatio habuit effectum, quia Alphonsus illa v sus fuit in iudicio, & extra, vt apparet *ex summ. DD. de Marescottis, numero 7.* & propterea in eo, quod concernit dictam donationem Alphonsi, recte Castra fuerunt confiscata, neque propterea in illis potuit institui M. Antonius, & quatenus dicitur Alphonsum in compositione facta cum Camera posuisse Scuta quatuor mill. de suo, vltra quod satis est dubium, an illæ pecuniæ essent ipsius Alphonsi ex deductis per Informantes pro Marescottis, etiam si fuissent propria ipsius Alphonsi nihil releuaret, quia non per hoc Alphonsus acquisiuit aliquod ius reale super dictis Castris, in quo sustineatur institutio, sed tantum euasisset creditor illius pecuniæ erga nepotes, in quo credito minime instituit M. Antonium filium, sed Iuliam vxorem vigore illorum verborum in omnibus suis iuribus, & actionibus, &c. instituit, &c.

7 Circa secundam principalem difficultatem, an iste exceptio præteritionis sit admittenda in hoc iudicio Domini existimarunt illam esse admittendam, nam, & si regula sit, quod ista exceptio non impediat remedium dictæ *l. fin. cum sit vitium inuisibile. Menoch. de arbitrar. casu 12. in principio.* Attamen ab illa recedetur quando talis exceptio probatur in continenti. *gl. in l. 2. verb. quamuis, & ibi Bald. in principio. Salic. num. 1. C. de edict. Diui Adr. toll. Dec. in d. l. final. num. 43. & in proposito. Bero. consil. 118. numer. 36. libro 2. Menoch. vbi supra numer. 3. & latius tractat. de adipiscend. remed. 4. numero 729. & 730.* Rota in causa Viterbien. hæreditatis 24. Ianuarij 1607. coram Reuer. P. Domino Manzanedo.

8 Quod est regulare in omnibus iudicijs, quod scilicet exceptio, quę alias secundum naturam illius iudicij minime admitteretur debeat admitti, si in continenti probatur. *Bart. in l. fin. num. 21. vers. sed si probaret. C. de edict. Diui Adrian. Angel. consil. 135. num. 2. Roman. cons. 244. num. 6. Abb. consil. 55. num. 2. lib. 2. Gozad. cons. 7. num. 2. & 3. Menochius dict. remed. 4. nu. 730. & 751. Pedemont. dec. 26. num. 1. & 2.*

9 In continenti autem visa fuit probari ista exceptio nam, quod M. Antonius esset filius Alphonsi non ambigitur, cum pro tali nominetur, & tractetur in ipso Testamento, & sit etiam notorium, vnde cessat principale motiuum, propter quod regulariter reijcitur ista exceptio, nempe quia probatio filiationis, venit ab extra, & requirit altiorem indaginem. Quod autem M. Antonius in nihilo fuerit institutns patet, quia pater ex nunc nihil illi tribuit de proprio, sed tantum declarat se alias dedisse, in quo dato illum instituit. Vnde pro fundanda intentione DD. de Marescottis, quod nihil fuerit datum sufficit negare, quod sit datum, *ad l. asseueratio. C. de non numer. pecun. leg. quingenta. ff. de probat. l. 1. C. eod. tit.*

10 Et quia in prohibitis (prout est prohibitum patri præterire filium) non statur assertioni ipsius prohibiti ad validandum eius actum, *leg. qui testamentum, ff. de probat. Bart. in leg. si forte numer. 4. ff. de Castren. pecul. Natta consil. 203. numer. 3. Surd. consil. 186. numer. 5. & 6. Menoch. de præsumpt. libro 3. præsumpt. 29. numer. 24. & sequent.* alias leges de hac materia loquentes seruirent de vento, quia parentes possent asserrere, se alias dedisse filijs pro eorum legitima magnam pecuniarum summam, & filijs esset improbabilis negatiua.

Vnde remanerent, omnino exclusi ab hæreditate paterna.

11 Quæ magis de plano procedunt, quando res, quæ dicitur data pro legitima, reperitur penes tertium ex titulo habili mediate, vel immediate ab ipso, qui asserit se dedisse, quia tunc magis conuincitur, vel dationem non fuisse veram, vel caruisse suo effectu, ad notat. *in leg. sicut §. superuacuum, vbi Bartol. & alij. ff. quibus modis pignor. vel hypoth. Bald. consil. 268. in princ. libro 5. Roman. consil. 246. numer. primo, Dec. consil. 587. nu. 8. Cuman. consil. 155. nu. 4. Surd. decis. 34. n. 4.* in proposito autem Castra tempore testamenti reperiebantur penes filios M. Antonii ex titulo habito a Camera Apostolica, quæ illa confiscauit tanquam reperta penes Alphonsum. Vnde quo ad ostendendam non effectuationem donationis Alphonsi, perinde est, ac si tempore testamenti reperta fuissent, penes ipsummet Alphonsum.

12 Ex

12 Ex istis patet, quod exceptio præteritionis ex parte filiorum M. Antonij est in continenti probata, & quod si remanet aliud discutiendum, quod hoc prouenit ex replicatione Domini Pyrrhi, quod non facit, vt exceptio debeat reijci tanquam requirens altiorem indaginem ad *Afflict. decisione 63. Put. decis. 243. libro 3.* Rota in causa Romana seu Amerina domus 25. Octobris 1577. coram Cantuccio relata inter diuers. impress. decisione quinquagema septima, numero quarto, & sexto. & in Romana bonorum de Sancta Cruce 4. Iunij 1610. coram me.

13 Circa illud, quod Iulia adiuerit hæreditatem Alphonsi. Vnde pro immissione Domini Pyrrhi ex testamento Iuliæ sufficiat, quod ista bona fuerint reperta in hæreditate Iuliæ, fuit responsum istam aditionem esse admodum turbidam ex deductis in *Summario DD. de Marescottis, numero 13.* Vnde visum fuit Dominis, quod ista probatio tanquam nimis turbida minime debeat suffragari Do. Pyrrho qui se fundat in illa, ad not. in *c. in præsentia, de proba. cum concordant.*

14 Quod etiam dicebatur M. Antonium post mortem patri approbasse testamentum paternum, per quod de æquitate prætoria testamentum validatur, *Bartol. in l. filio præterito. num. 29. ff. de iniust. rupt. vbi Imol. de communi num. 56.* visum fuit non bene probari in facto talem approbationem, maxime, quia cum sit res admodum præiudicialis, & continens remissionem iuris, debet esse valde certa, & explicita, *gloss. in cap. sane. in fin. verb. sustinere. de renunc. Butr. in cap. accedentibus. numero 8. de priuil. Dec. in cap. cum accessissent. num. 90. de constit. Crauett. consil. 747. num. 17. Decian. consil. 52. num. 23. lib. 1.*

R. P. D. DVNOZETTO.

Romana Nullitatis Contractus. Mercurij 20. Nouembris 1613.

ARGVMENTVM.

In hac decisione exactissime enucleantur plures casus, in quibus filiusfamilias ex mutuo obligatur.

SVMMARIVM.

Filiusfamilias obligatur ex mutuo sibi facto, quando pater cum ipso, alias contraxit, sicut cum extraneo, & præsertim, quando voluit ipsum filium seorsum viuere ab ipso illi assignando certam pecuniarum quantitatem. num. 1.

Patria potestate durante nulla inter patrem, & filium oritur obligatio. nu. 1.

Natura non patitur, vt vnus, & idem sibi sit debitor, & creditor. nu. 1. in fi.

Pater filio constituto in potestate donare non potest. nu. 1. in fin. & seqq.

Filius quicquid acquirit patris. num. 2.

Filiusfamilias obligatur ex mutuo, quando pater illi concessit facultatem administrandi bona sua. nu. 2. & seqq.

Pater si filium semel constituit in quasi possessione libertatis, non potest amplius illum patria potestati submitere. num. 3.

Filiusfamilias obligatur ex mutuo per eum accepto, patre sciente, & non contradicente. num. 4.

Filiusfamilias obligatur ex mutuo sibi facto, dum aderat in præsidijs, & castris tanquam miles. nu. 5.

Mutui tempus, & non stipulationis attenditur, ad hoc, vt habeat locum Macedonianum Senatusconsultum. num. 5.

Filiusfamilias obligatur ex mutuo, quod consumptum est in ipsius necessarios vsus. nu. 5.

Filiusfamilias vt obligetur ex mutuo non solum requiritur, vt seorsum habitet à patre, etiam quod habeatur loco patris familias, numer. 6. Vbi etiam declaratur, quando filius dicatur habitare seorsum à patre.

Filiusfamilias dicitus habitus, & reputatus pro patrefamilias, quando illi pater proprium assignauit peculium eique liberam administrationem concessit. numero 7. & 8. Vbi etiam per quantum tempus, ad hoc vt filiusfamilias obligetus ex mutuo, necesse sit, vt habeatur, & reputetur pro patrefamilias.

Filiusfamilias, vt obligetur ex mutuo ex eo, quod habitet seorsum à patre sufficit talis habitatio, etiam longo tempore non confirmata. num. 9.

Filiusfamilias obligatur ex mutuo accepto tempore, quo erat sub patria potestate, quando sui iuris postea effectus illud ratum habuit. num. 10.

Filiusfamilias ex mutuo obligatur naturaliter, & soluendo non repetit. nu. 12.

DECISIO DXXVII.

1 Rota, audita vtraque parte, censuit, sententiam latam à secundo Collaterali Capitolij de voto Dominorum de assettamento esse iustam, & confirmandam. Licet enim Statuta Vrbis c. 152. omnes contractus obligationesque à filijsfamilia etiam sacra iurisiurandi Religione vallatas, tanquam nullas, irritasque damnent, tamen vltra limitationes in d. ca. allatas excipiuntur reliqui omnes casus, qui de iure Cæsareo filiosfamilias impediunt quo minus vigore Senatusconsulti Macedoniani actiones creditorum elidere possint, vt expresse sonant postrema verba dicti capit. Quo stante fundamento visum fuit non posse Martinum Coronam beneficium dicti Senatuscon. sulti implorare, hi enim eo solum remedio iuuantur, qui cum essent in patris potestate, eo inscio pecunias mutuo, vel fœnori sumpserunt, non autem illi, qui sui iuris effecti possunt obligare, viceque versa obligari. Existimarunt Domini d. Martinum ad effectum, de quo agitur solutum fuisse patria potestate, ex eo, quod ipsemet pater cum filios contraxerit, vt apparet ex instrumentis productis in actis. Pater enim in primo certam pecuniarum summam filio ad effectum, vt seorsum viueret, assignauit, in secundo vero cum pro illo ad quendam annuum censum se obligasset, expresse à dicto Martino liberationem stipulatus est, & ita pater cum filio tanquam cum extraneo contrahens rationes filij à suis separans legitimam illi necessario concessit, & personam standi in iudicio, contrahendi, paciscendi, sicut alij, qui sui iuris existunt, durante siquidem patria potestate, nulla inter patrem, & filium oritur obligatio. *Cuiac. ad Aphricanum in l. frater à fratre. tract. 9. colum. tertia,* quia propter nodum, nexumque patriæ potestatis vnius personæ vice funguntur. *l. 10. de opt. legat. §. an seruo. Inst. de legat.* Cumque non patiatur natura, vt idem sibi sit debitor, & creditor, inde fit, vt pater non possit filio in potestate constituto donare. *l. donationes, quas parentes. C. de donatio. inter virum, & vxor. l. 2. vbi glo. & Doct. C. de inof. testamento.*

2 Obseruatum etiam fuit in dicto instrumento assignationis factæ filio datam expresse à patre facultatem ipsi locandi, expellendi colonos sola interdicta alienatione domorum, quarum pensiones filij arbitrio relinquebantur pacto apposito, vt dictæ pensiones accrescant, vel decrescant periculo filij, quod fieri non potuisset, si prius sui iuris non esset factus, cum sine vlla distinctione, quicquid acquirit filius, id confestim eodem momento acquirit patri. *§. igitur liberi. Inst. per quas person. nob. acquir. l. cum oportet. C. de bon. quæ liber.*

3 Ex his indubitati iuris est, patrem ipsum, si viueret, qui filium per tot actus constituit in quasi possessione libertatis, non fore audiendum, si vellet ipsum

rursus patriæ potestati submittere, *Roman. consil.108. num.7.lib.1. per tex.in l.1. C.de patr. potest.* quo casu non potuit filius recurrere ad Senatusconsulti remediũ, quia saltem actione de dolo, vel Stellionatus teneretur. *Cephal consi.324.num.25.* Dum igitur Andreas creditor videret Martinum cum ipsomet patre ex pluribus instrumentis, eundemque locantem expellantem colonos, omniaque alia munia obeuntem, quæ patresfamilias obeunt non vana simplicitate deceptus, nec iuris ignorantia, cum ipso voluit contrahere, *l.si quis.ff.ad Senatusc.Maced.*

4 Idque tanto magis, quod posset dici interuenisse consensum tacitum patris, quo casu cessaret dispositio Statutorum verbis. Ex depositionibus si quidem testium productis, & examinatis ab ipsemet Martino, & præcipue tertij testis dicto, constat patrem de hoc mutuo certiorem factum, ex quo tacitus resultat consensus, nisi appareat expressa contradictio, *l.honoris.§.vltimo,de decurion, l.2.ff. ad Senatusconf.Macedonianum. Angel.Aret. in §. penult. Instit.quod cum eo, Illustriss.Cardin. Mantica, de tacito & ambiguo, lib. 8. titul. 7. num. 29.*

5 Vlterius deductum fuit per Informantes pro dicto Andrea aliquam partem pecuniarum mutuo datam à creditore Martino, dum in prædijs, id est castris, tanquam miles nomen militiæ dedisset quo casu arcetur à Senatusconsulti beneficio, *l.vltima.C.ad Senatusconsul. Macedonianum*. nec facit instrumentum Societatum officiorum celebratum fuisse in Vrbe. Mutui enim tempus, non stipulationis, in hoc casu est attendendum, *l. 4. §. si à filiofamilias, ad Senatusconsult. Macedonianum*. Alia vero non contemnenda pars dicti mutui reperitur data, & consumpta in vsus dicti Martini necessarios, ex quo cessat etiam Senatusconsulti remedium. *l.in pupillo.in fin.ff.de solut.*

6 Nec obstat, quod ex decisione coram Reuerendissimo Archiepiscopo Bononien. facta in simili causa quinta Iunij 1604. obijcitur, requiri cumulatiue, vt seorsum à patre filius habitet, & habeatur loco patrisfamilias ad effectum validandi contractus huiusmodi. Respondetur enim, statuta vltra duas istas limitationes excludere omnes casus à iure comprehensos, vt superius dictum est, & quatenus hæc duo simul requirerentur, tamen possent dici ea probata. Nam quo ad primum, licet constaret Romæ semper Martinum in domo paterna habitasse, tamen cum assignata fuerint separatim alimenta, nec fuerit patris commensalis, semper dicetur seorsum à patre vixisse ex doctrina *Bald. in l.1. num.10.C.de leg.quem sequitur Angel.& Imol.in eadem lege*, nisi ergo eadem cum patre mensa vsus fuit, non dicetur simul cum patre habitasse. *Imol.in l.si quis ita. ff.de condi.& demonst.*

7 Quo ad secundum non dubitandum est, quin ipse gesserit se tanquam patrem familias, talisque habitus, nam & ab ipso patre constitutus est in quasi possessione sui iuris, dum ei proprium peculium assignauit, eique eius liberam administrationem concessit, potuit illud itaque inscio patre ad instar serui obligare. *l. 4. in princ. ff. de pecul. l. per seruum. §. 1. de aquir. rer. dom.*

8 Non obst. etiam, quod ex doctrina *Alciat. in tract. de præsumpt.reg.2. §.2.* aiunt requiri, vt per decenium sit habitus, vt paterfamilias: hoc enim procederet, vbi simplex adesset præsumptio, quia per hoc tempus sufficiens induceretur probatio, sed in hoc casu vbi adest ipsius patris reiterata confessio, qui cum filio tanquam cum extraneo contraxit, cuius exemplum alij creduli creditores sequuti sunt, frustra ad coniecturas recurritur cum clare adsunt probationes.

9 Adde, & sufficere simplicem habitationem seorsum à parte, etsi non sit confirmata à longo tempore, [illegible] *decis.300. numer. 19. Gugliel. de Benedict.* loquens de statuto Tholosano in *cap.209. Rainutius in verb. matrem insuper Cleram. num.25. de testamen. quem refert, & sequitur Cassan. de consuetudin. Burgun. rubric.6.§.6. in verb. emancipe*, vbi ex multis doctrinis concludit filium à patre ad vnum actum emancipatum, censeri quo ad omnes actus solutum patria potestate.

10 Nec obstant Epistole, confessio que creditoris, quia non est controuersum, vtrum Martinus fuerit tempore contractus filiusfamilias, sed solummodo, vtrũ potuerit creditor cum illo attenta statuti limitatione pacisci. Nec facit, quod late deducitur, stante prohibitione à patre facta alienandi domos, quarum pensiones filio erant assignatę non induci separationem. Respondetur enim hodie non agi vtrum alienatio, aut hypotheca sit valida, sed vtrum potuerit pensiones assignatas alteri obligare, & an ei competat exceptio Senatusconsulti, quæ non potest obijci, cum pater rem peculiarem permitti à filio administrari. *l.item si filiusfamilias, §. quamquam. ff. ad Macedonian.*

11 Nec obstat denique quod dicitur saltem primam societatem Scutorum 400. factam antequam pater cum filio quicquam egisset, nullo iure posse subsistere, fructusque indebitos esse, quia tunc temporis Dominus Martinus erat sub patria potestate. Sufficit enim, quod postea Dominus Martinus sui iuris effectus ratum hab uerit, quod sub potestate patris inutiliter promiserat, *l.sed etsi pater. ff.ad Senatusconsult.Macedon.l.Zenadorus,C.eodem tit.* obligatus siquidem erat naturaliter. l.quia naturalis, eodem titul. & ideo illi si soluisset non competebat conditio indebiti, maxime cum fidem suam soluendo liberasset. *l.naturaliter. l.fideicommissum, ff.de condict.indeb.* Idem que est, cum de nouo consensit ratione obligationis naturalis per quam omnis error excluditur. *arg.l.iudex.ff.eodem tit.* & in simili casu datur decisio Illustriss. Seraphini in Romana Arrogationis.

12 Quæ vero adducuntur de societatibus officiorum simulatis, vsuris prohibitis, contractibus illicitis expresse damnatis in *c.153.lib.1.* quia in processu nulla releuans reperitur probatio, non indigent responsione. Cum enim inferant necessario dolum malum, & delictum dicti Andreæ creditoris, debuerunt concludenter probari. Ex his sententiam iudicis Capitolini esse iustam, fuit decisum.

REVER. P. D. PAMPHILIO.

Pacen. Parochialis de Talauera. Mercurij 20. Nouembris 1613.

ARGVMENTVM.

Dispensatus ad recipienda beneficia, non censetur dispensatus ad illa retinenda, & dispensatus ad plura beneficia, non nisi duo tantum sine cura recipere potest. Et quando contra dispensationem committens cadat à commodo dispensationis.

SVMMARIVM.

Clericus dispensatus ad beneficia recipienda non censetur dispensatus ad illa retinenda, præsertim stante clausula dummodo plura simul non sint retinenda. num.1.& 3.

Possessio probatur ex locatione cum perceptione fructuum in præiudicium locantis, & fructus percipientis. num.2.

Clericus dispensatus simpliciter ad plura beneficia, duo tantum sine cura recipere potest. num. 3. Vbi ad hoc ampliatur, etiam quod fuerit dispensatus per verba vniuersalia, scilicet ad quæcunque, & qualiacunque beneficia.

Dictio plura in materia prohibitiua verificatur in duobus. num.3.

Dispensatio ad recipienda plura beneficia dicitur subreptitia si in ea non exprimitur, quod petens dispensationem alia

alia beneficia obtinebat etiam quod nulliter obtinuisset, num.4.

Dispensatio ad recipienda beneficia est diuersa ad illa retinenda, & an; & quando committens contra vnam cadat à commodo alterius. num.5.

DECISIO DXXVIII.

1 CAusa ista sæpius proposita fuit tandem conclusum non constare de sufficienti dispensatione Francisci, qui licet illius vigore potuisset successiue recipere plura beneficia illa tamen simul retinere non poterat, iuxta *text. in cap. non potest. in fi. de præbend. in 6. Clement. si plures, eodem titu. cum ibi not. Felin. consil. 4. num. 7. versicul.* & per eius dictum, dispensatus enim ad beneficia recipienda non censetur dispensatus ad illa retinenda. *Rebuff. in prax. de dispensat. rat. ætat. verb.* & insimul retinere, & tenuit Rota in vna Pharen. pensionis, quæ est *decis. 233. num. 26. par. 1. diuer.* Maxime stante clausula, dummodo plura simul non sint retinenda, vt fuit dictum in causa Legionen. Prioratus 8. Iunij 1587. coram bo. mem. Cardinali Pamphilio, & in causa Carthaginen. & Abulen. Beneficiorum 20. Iunij 1608. coram Reuerendiss. Domino meo Damasceno, ideoque cum de anno 1608. quo fuit prouisus de huiusmodi Parochiali plura beneficia haberet collatio sine alia dispensatione fuit nulla *c. ordinarij. §. in conferendis. cum ibi not. de offic. ordin. in 6.* Nec potuit se iuuare dispensatione, contra quam commisit plura beneficia simul retinendo ad *tex. in l. auxilium. in fin. ff. de minor. Felin. dicto cons. 4. num. 8.* cum alijs adductis in dicta Legionen. Prioratus, & in causa Romana pensionis 28. Nouemb. 1586. coram bo. mem. Card. Seraphino.

2 Quod autem de dicto tempore plura beneficia simul retinere nempe Cappellaniam loci de Corabias, & beneficium situm in Ecclesia Sancti Andreæ de Olmedo clare constat ex literis prouisionis de dictis beneficijs sibi factæ per fel. mem. Clementem Octauum de Anno 1603. quorum possessionem postea accepit sub diebus 13. & 24. Nouembris 1604. vt apparet ex publicis instrumentis illius adeptionis, quæ dantur, & ex geminata confessione ipsiusmet Francisci cum aliis late deductis per Informantes, ex quibus satis etiam visum fuit constare de possessione alterius Cappellaniæ sitæ in Ecclesia Parochialis de Albuera, ad quam probandam præter supradicta fuit etiam productum instrumentum actorum, in quo legitur, quod die 27. Octobris 1607. locauit Petro Doblado quandam petiam terræ supradictæ Cappellaniæ, & mediante executione, & subhastatione facta contra conductorem fructus illius percepisse dicitur, ex qua locatione cum fructuum perceptione bene probatur possessio in præiudicium ipsius *gloss. in l. qui vindictas. §. quod per colonum. verb. colonum, & ibi Aret. num. 6. & 8. ff. de acquiren. possess. Alexand. cons. 10. num. 3. vers. licet vbi probaretur. lib. 4. Roman. cons. 70. num. 11. Gabr. de locat. conclus. 4. num. 2. & seqq.*

3 Nec suffragari Francisco verba vniuersalia dispensationis, necnon quæcumque, & qualiacumque beneficia, &c. cum enim dispensatus simpliciter ad plura beneficia duo tantum sine cura recipere possit *c. is cui. in fi. de præbend. in 6. & trad. Felin. dicto consilio 4. num. 7.* illa verba solum referri debent ad facultatem recipiendi, ita vt possit quidem quæcumque beneficia recipere etiam vltra duo *Cardin. in dicta Clem. si plures. colum. 1. in 2. opposit. de præbend. Gemin. in cap. 2. num. 5. ad finem. versi. si autem diceret. de fil. presb. in 6*, siue simplicia, siue curata, vel etiem dignitates fuerint. *Crescent. decis. 1. num. 5. de priuil.* non autem plura simul retinere, prout etiam colligitur ex dicta clausula immediate sequenti, dummodo plura simul non sint retinenda, quæ vti prohibitiua verificatur in duobus, vt dixit Rota in dicta Pharen. pensionis, relat. inter impr. *decis. 233. nu. 25. p. 1. diuers.* & sic vnum tantum retinere potuit, iuxta *text. in c. 1. de fil. presbyt. in 6.* & faciunt not. per *gloss. in cap. pluralis loquutio, versicul. item potest. de regul. iur. in 6.*

4 Minus releuare, quod non retinuerit supradicta duo beneficia vigore dispensationis, ex quo de anno 1604. fuit de illis in forma dignum prouisus, & mandatum de dispensando exequutioni demandatum fuit de Anno 1605. quia præterquam, quod constat de possessione tertij, placuit Dominis responsio, quod aut ante huiusmodi mandatum obtinebat beneficia, & mandatum est subreptitium, non facta mentione de illis etiam nulliter obtentis, ad *tex. in cap. non potest, & ibi gloss. verb. modicum. Anchar. num. 3. vers. Lapus. dicit. de præben. in 6. Gambar. de potest. lega. lib. 10. num. 287. Calderin. consilio 11. de præben. Rebuff. in princ. de dispensat. rat. ætat. verb.* & in simul retinere, *vers. et si Papa.* aut post mandatum, & per retentionem plurium contra illius formam censetur ab eo cecidisse ad *tex. in clem. gratiæ. vbi Vital. num. 12.* dicit illum text. procedere, etiam si post mandatum de prouidendo aliud beneficium non canonice, scienter tamen, quis assecutus fuerit, de rescr. non enim debet esse melioris conditionis is, qui minus canonice, & de facto plura beneficia retinuit, quam legitime prouisus præuia sufficienti dispensatione *c. eum qui. de præben. in 6.* Faciunt. not. per *glos. in d. clem. si plures. verb. vacare in fi. eod. titul. & per Rot. decis. 3. eod. tit. in nou.*

5 Nec placuit Dominis, quod dispensatio, quo ad receptionem in gratia, de qua agitur, censeri debet distincta, & separata à dispensatione quo ad retentionem, iuxta *text. in dicto cap. non potest. in fi.* & ibi *Franc. num. 2. de præbend. in 6.* cum aliis supra allegat. ita vt committens contra vnum non cadat à commodo alterius *ex reg. vtile per inutile. cum ibi not. de regul. iur. in 6.* Fuit enim responsum, quod licet quo ad se istæ duæ dispensationes sint distinctæ, quia vere aliud est retinere, aliud recipere, quamuis vnum veniat in consequentiam alterius, in gratia tamen, de qua agitur, sunt positæ correspectiue, & vna ad declarationem, & limitationem alterius, ita vt postquam dispensatus plura beneficia simul retinendo contra dispensationem commisit, non possit amplius se iuuare, vt tenuit Rota in supradictis causis Legionen. Prioratus, & Carthaginen. in Abulen. Beneficiorum.

6 Et ex his patet non applicari in casu isto regulam de separabilibus, cum indiuiduum quid dicatur ex voluntate disponentis, licet sub dispositione plures inter se distincte comprehendantur, *Put. decis. 323. in fi. lib. 1.* Et ita decisum, &c.

R. P. D. VBALDO.

Burgen. Abbatia de Salas. Mercurij 20. Nouembris 1613.

ARGVMENTVM.

Supplicatio an, & quando præsumatur porrecta ab eo, qui in supplicatione nominatus est.

SVMMARIVM.

Supplicatio præsumitur data ab eo, qui in supplicatione nominatus est, quando tempore datæ supplicationis erat præsens in Curia. nu. 1. & nu. 6.

Præsentia medij temporis præsumitur ex probatione præsentiæ anterioris, & posterioris temporis. num. 2.

Supplicatio præsumitur data ab eo, qui in ipsa supplicatione interesse habebat. num. 3.

Fraudis omnis suspicio cessat vbi non adest eiusdem fraudis causa. num. 3.

Recursus, seu supplicationes iudici laico pro habendo brachio

chio sæculari aduersus iudicem Ecclesiasticum præsumuntur porrectæ ab eo, cuius interest, nu.4.

Supplicatio præsumitur porrecta ab eo, qui impensam fecit, & de cuius vtilitate agitur, num.5.

DECISIO DXXIX.

1 FVerat in hac causa coram me resolutum die 14. Maij 1612. constare de reseruatione Abbatiæ de qua agitur, ex quo Andreas vltimus eius possessor fuerat Protonotarius Apostolicus, quæ resolutio emanauerat Villanoua prouiso Apostolico tantum informante; Quo vita functo, & in eius, nec non Andreæ ius, & possessionem subrogato R.P.D. Quæsada & D.Gabriele moderno possessore iampridem ad causam venientes, fuit iterum super eisdem causa proposita, in qua post longam discussionem placuit Dominis firmare tantum, quod supplicatio pro dicto Protonotariatu obtinendo præsumatur porrecta ab ipso Andrea. Mouebantur Domini, quia Andreas eo tempore erat presens in Curia, & persona extrinseca non præsumitur, *l. ita stipulatus, §. Chrysogonus, ff. de verborum obligat. ita Put. dec.24. incipit coram eodem Marsicano, num.5. libr.1. secundum nouam impressionem. Guidobon. decis. 84. vel 85. incipit Domini dixerunt 12. Ianuarij in vna Burgen. Canonicatus, & Sarnen. decis. 20. in addit. ad suas regul.* vt in copia, quæ data fuit, præsertim stante illo verbo, Supplicat, quod debet in ipsomet Andrea supplicante verificari ad sustinendum actum, cum verba id patiantur, vt arguit Put. post plures ibi allegatos d.dec.24. num.5.

2 Presentia vero deducebatur, tum ex narratiua supplicationis, in qua dicitur, Præsens in Curia, quæ ex stylo non fuisset admissa, nisi præsentia fuisset Officialibus nota in simili, dicit *Crescent. dec. 2. nu.2. de renun. & facit Federic. de Sen. consil. 117. casus talis est, Ioannes, &c. vers. si opinio, quem sequitur Lap. allegat. 7. nu. 5. in fin. Felin. in c. nonnulli, § sunt & alij, sub num. 6. in 4. ampliat. vers. & inducit. de rescript.* Tum ex actibus paulo ante, & paulo post datam supplicationem Protonotariatus ab eodem Andrea gestis in Curia, ex quibus præsumitur præsentia medij temporis. *Tiraq. tract. de præscr. gloss. 5. vers. idque regulare est*, præsertim cum spacium medij temporis fuit modicum, *Imol. cons. 9. num. 2. Crescent. dec.18. nu.5. vers.3. quia inter tempus, de probat.*

3 Accedebat, quod in hac impetratione nullus alius poterat habere interesse preter Andream, & ideo ab ipso censetur supplicatio porrecta, *Socin. iun. consil.97. sub num. 12. & sequ. lib.2.* cum non sit vllo modo verisimile alium supplicasse cuius non intererat, & quod non est verisimile falsitatis habet imaginem. *l. non est verisimile. ff. quod met. caus. Bald. in l.1. nu.16. C. de seru. fugit.* cum alijs per eundem, *Socin. vbi sup. nu.13.* præsertim, cum id non posset contingere absque delicto, & falsitatis nota, si quis alterius nomen in dicta supplicatione sine eius scientia, & sine vllo commodo suo supposuisset, & alias cessat omnis fraudis suspicio vbi non adest causa. *Aym. cons. 75. numero 13. Roland. consil.38. numero 39. lib. 1.* & fuit dictum in Tusculan. vineæ coram Cantuccio relata inter impressas, decis. 111. *num.1. par.2.* & vbi non adest lucrum, *Aym. vbi supra, num. 17. & cons. 8. num. 13. Roland. consil. 11. nu. 56. lib. 3. Cephal. cons. 75. num.22. lib.1. Decian. consil. 57. num.36. libr.3. Menoch. de præsumpt. lib.5. præsumpt.3. nu. 18.* & fuit dictum in Ianuen. pecuniariæ 1. Martij preteriti coram me.

4 Et facit ad motiuum supradictum simile de supplicationibus, factis iudici laico pro habendo brachio sæculari aduersus Iudicem Ecclesiasticum, quæ præsumuntur porrectæ ab eo cuius interest, vt sæpe dictum in Rota, & signanter in causa Tuden. beneficij 8. Iunij 1607. coram Reuerendissimo Domino meo Damasceno, & tamen hęc præsumptio tendit ad supplicantem afficiendum pœna excommunicationis. Vnde multo magis videtur intrare dicta præsumptio quidam supplicatio, fuerit porrecta in hoc casu ab eo cuius intererat, ex quo tractatur de eius lucro.

5 Quæ eo magis corroborantur, cum hęc gratia nulli posset afferre præiudicium, sed solum honorem ipsi Andreæ, quo casu licet non doceretur, nisi de modica impensa, quæ solet fieri in supplicatione, videretur petita ab ipso Sipplicante, licet secus esset in causarum Commissionibus, quæ possent afferre præiudicium propter euentum litis, iuxta *dec.* 78. Ioannis Pauli, & in eadem causa. *Put. decis.27. num.11. lib.1.* secundum antiquam impressionem. Maximè cum ista gratia Protonotariatus non soleat passim concedi, sed requirantur preces, & instantiæ ad eam impetrandam, vt considerat *Ioann. Paul. dicta decision. 78. Mohed. decision. 3. versic. ratio fuit. de præsumpt. &* non nisi ex graui causa concedi debeat, iuxta dispositionem Concilij Tridentini, *session. 24. capit. 11. de reformat.*

6 Non obstat *Put. decis. 268. num. 4. & decis. 299. num. 1. libr.3.* vbi ex præsentia in Curia non arguitur porrectio supplicationis de mandato præsentis, quia ibi ex alijs non præsumebatur porrectio, præsertim quia tractabatur de præiudicio, & non de fauore eius cuius nomine supplicatio dicebatur porrecta, videlicet de resignatione alioquin decisiones illæ admittunt, quod ex præsentia præsumatur porrectio, & allegant, *Felin. in dicto cap. nonnulli. §. sunt & alij de rescrip.* supra allegatum. Ex quibus fuit conclusum præsumi Supplicationem de qua agitur fuisse per Andream porrectam, cum reseruatione tamen, vt de reliquis videretur.

DECISIO DXXX.

Fauentina Beneficij Mercurij 20. Nouemb. 1613.

Impressa apud Buratto.

DECISIO 21.

REVERENDISS. P. D. COCCINO

DECANO.

Romana computorum. Mercurij 20. Nouembris 1613.

ARGVMENTVM.

Petitorum relationi standum omnino est, quando de consensu partium electi fuerunt, nec possunt suspectu allegari noua non superueniente suspicionis causa.

SVMMARIVM.

Petitorium de consensu partium electorum relationi standum omnino est, nu.1.

Iudex semel approbatus allegari non potest suspectus nouo non superueniente causa. num.2.

Appellatione friuola non obstante iudex suspectus allegatus ad vlteriora procedere potest. num.3.

DECISIO DXXXI.

1 DVbitaui cuinam calculo esset standum, & Domini censuerunt esse standum calculo bonæ memo-

memoriæ Alexandri Ruspoli, non autem Olgiati, quia istud Olgiati est particulare, & ab eo fuit recessum per generalem deputationem Ruspoli, vt viderat super omnib. ad *l. pacta nouissima. C. de pact. & propterea* cũ Ruspolus fuerit deputatus de consensu partium, non potest ab illius relatione recedi, nisi doceatur de errore, *ad tex. in l. hac edictali, §. his illud. ibi, quos vtraq; pars elegerit. C. de secund. nupt. Felin. in c. proposuisti, nu. 6. de probat.* quod eo magis placuit Dominis stante legalitate bon. mem. Ruspoli, qui etiam sibi adiunxit extraiudicialiter D. Cæsarem Rodianum, legalitate, & peritia nemini secundum.

2 Neque releuat, quod Domini Herrera, & Costa allegarunt suspectum D. Ruspolum, quia cum non superuenerit noua causa recusanda post consensum præstitum, ista allegatio redditur friuola. *Castr. consil. 442. num. 4. lib. 2. Bero in cap. quoniam contra numer. 154. vers. sed arbitror. de probat.* vt fuit latè deductum in causa Romana Drogariæ 12. Decemb. 1611. coram R. P. D. Caualerio.

3 Minus etiam facit, quod iudex mandauit referri non obstante appellatione interposita à non admissione recusationis, quia beue iudex fecit procedendo, cum dicta appellatio fuerit friuola ex prædictis, & talem quoque illa cognouerit Signatura, quæ noluit eam admittere.

4 Non obstat, quod non fuerit citatus tutor pupilli ad relationem faciendam, quia sufficit, quod fuerit citatus D. Octauius, vel procurator rationis banchariæ, quia satis est, quod fuerit legitime constitutus.

5 Reseruarunt tamen Domini videre, an Domini Herrea, & Costa probauerint relationem continere aliquos erores, quia eorum consensus non tollit, quin dare possint de erroribus, si adsunt.

REVERENDISS. P. DOMINO COCCINO DECANO.

Parisien. pecuniariæ. Mercurij 20. Nouembris 1613.

ARGVMENTVM.

Mandatum ad exigendum differt à cessione crediti, & quomodo cognoscatur, an sit cessio, vel mandatum ad exigendum.

SVMMARIVM.

Cessionarius repræsentat personam cedentis. num. 1.

Restitutio in integrum aduersus sententiam, & rem indicatam non datur, quando non apparet de aliquo grauamine. num. 2.

Contractus qualis sit attendendus magis effectus, quam verba, num. 3.

Mandatum morte mandantis reuocatum censetur, numer. 3. in fine.

Mandatum ad exigendum, quando dicatur potius concessio iurium. num. 3.

Solutio debiti præsumitur ex eo, quod schedula debiti fuit restituta debitori. nu. 4.

DECISIO DXXXII.

1 CVm sententia Auditoris Cameræ transitum fecisset in iudicatum, dubitaui, an constaret de causis restitutionis in integrum, quæ prætendebantur ex eo, quod apparet Bartholomæos esse creditores Nicolai Nasij in Summa Scutorum 12807. vt ex literis datis, quod creditum etiam agnouit Nasius, vt in eius literis, propterea, cum Nasius cesserit creditum, quod habebat cum bonæ memoriæ Horatio Oricellario, possunt agere pro consequendo suo credito, vigore enim istius cessionis Bartholomæi repræsentant personam ipsius Nasij cedentis, *l. emptor. vbi Doctores C. de hæred. vel act. vendit. l. si donare, §. 1. ff. de donat. in virum, & vxor. Crot. cons. 83. nu. 10.*

2 Hoc tamen non obstante censuerunt Domini, non constare de causis restitutionis in integrum, quia non apparet de aliquo grauamine. *Rot. decis. 1. de restit. in integr. in nou.* Nam hic non summus in cessione, sed in mandato ad exigendum, & ideo cessio facta ad fauorem Bedini, per dictum Nasium sustinetur ex deductis in alia decisione.

3 Quod autem hic agatur de mandato ad exigendum satis patet, cum sit attendendus magis effectus contractus, quam verba ex allegatis per Illustrissimum *Maticam de tacit. in libr. 2. tit. 2. num. 4. & 5. & seqq.* & propterea, licet Nasius dixerit, cedo, & transporto, constituerit Bartholomæos Procuratores ad exigendum in rem propriam, attamen cum ipsi non acceptassent simpliciter hanc cessionem, sed cum hac cõditione, *di tener conto a detto Signor Nasi di quello, che essi ricuperanno, ò faranno ricuperare sopra quello, che gli deue, ò potrà deuere all'auuenire*, sequitur, quid ista cessio respiciat commodum ipsius Nasij cedentis, cum ex pecunijs exigendis deberet extingui debitũ ipsius & sic quod in Bartholomæos transierit solum exercitium directarum, non autem vtilium actionum, ita vt essent Procuratores tantum ad exigendum, vt in terminis huius pacti dicit *Imol. in l. facta. §. si hæres, scriptus. li primo. num. 4. vers. vel. forte potest. subtiliter. ff. ad Trebel. Osasch. dec. 45. nu. 4.* quod mandatum per obitum Nasij censetur reuocatum, & in puncto *Castrens. in l. per diuersas. colum. 4. ante num. 7. versicul. aut quærimus, Cod. mandat.*

4 Secundo dato sine veri præiudicio, quod prædicta esset vera cessio, adhuc non releuaret in casu isto, quia constat Nasium soluisse Bartholomæis Scuta 10100. & sic non remanent creditores tantæ summæ, prout in literis, imo & præsumitur satisfactio in totũ, schedula enim fuit facta per Oricellarium Nasio, & Nasius primo illam dedit Bartholomeis, vt patet ex literis datis per Nasium ipsismet Bartholomæis, & ex prædicta cessione ipsius facta. Vnde cum ipse Nasius cesserit postmodum ad fauorem Bedini, apud cuius, hæredes reperitur ista schedula, presumitur Bartholomæis fuisse satisfactum, quia alias dictam schedulã non restituissent ex ponderatis in alia decisione, quibus additur litera nouiter producta, data per eosdem Bartholomæos Oricellario, in qua cedunt dictæ cessioni sibi factæ per Nasium.

5 Ex quibus omnibus infertur, quod aut ista non fuit cessio, aut fuit, si non fuit Bartholomæi pro suo credito non possunt agere contra Oricellarios, cum ipsi postea fuerint cessi, & dati in solutum Bedino ab eodem Nasio, quia non habent contra ipsos actionem, neque personalem, neque realem, cum non appareat de aliqua hypotheca, aut vero fuit cessio, & pariter nõ possunt agere, quia ex deductis in alia decisione, & ex alijs hic ponderatis, dicendum, est ipsos fuisse satisfactos, & in omnem euentum, recesserunt à dicta cessione sibi facta per Nasium, vt in prædictis literis, vnde merito sustinetur cessio facta ad fauorem Bedini. Et ita conclusum non constare de causis restitutionis in integrum, &c.

R. P. D. VEROSPIO.

Cesaraugustana Dedicatienis. Mercurij 27. Nouembris 1613.

AR-

ARGVMENTVM.

Quasi possessio celebrandi processionem in festo Dedicationis Ecclesiæ per quos actus acquiratur, & an requirat scientiam contradicentis Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

Mandatum de manutenendo datur possessori tempore motæ litis per quatuor annos ante. nu. 1.
Quasi possessio faciendi processionem in Ecclesia probatur per vnicum actum. nu. 2.
Præscriptio, seu quasi possessio celebrandi processionem in Ecclesia an requirat scientiam contradicentis Ecclesiæ. nu. 3. & 4.
Scientia præsumitur eorum, quæ publice fiunt. nu. 4.

DECISIO DXXXIII.

1 DOmini recedendo à decisis die 20. Iunij 1612. coram Reuerendissimo Bononien. censuerunt Ecclesiæ Beatæ Virginis del Pilar dandum esse mandatum de manutenendo, quo ad solennitatem processionis extra ipsam Ecclesiam in die illius Dedicationis faciendæ. Nam ex plurium testium depositione constat dictam Ecclesiam per quatuor annos ante motam litem, hoc modo festum suæ Dedicationis celebrasse, quo casu debetur illi manutentio. §. *retinendæ. instit. de interd.*

2 Non obstat, quod habetur in decisione, actus de quibus agitur occasionem liti præstitisse, & per consequens attendendos non esse, in illa enim presupponitur à duobus tantum annis ante motam litem processiones hoc modo fuisse celebratas, quod tamen in facto non subsistere probatur ex testibus. Et licèt Ecclesia S. Saluatoris contradixerit vltimæ processioni de anno 1605. Priores tamen factæ fuerunt sine vlla contradictione, & sic per istos actus acquisita fuit Ecclesia Beatæ Virginis possessio, cum ad hoc vnicus etiam actus sufficeret. *Ripa in cap. cum Ecclesia Sutrina. num. 52. & sequent. de caus. possess. & propr. Aym. consil. 124. numer. 9. Cephal. consil. 170. num. 52. libro secundo, Menoch. consil. 190. num. 2. lib. 2. Rota decis. 17. numer. 1. par. 2. diuers.*

3 Non obstat, quod de scientia, & patientia Ecclesiæ S. Saluatoris non appareat, sine quibus acquiri non potuit dicta possessio. *leg. in incorporalibus. C. de seruit.* Quia cum ex sacrorum Canonum dispositione teneretur Ecclesia Beatæ Virginis Festum suæ Dedicationis celebrare, & ad hoc valeret processionibus, alijsque sacris ritibus vti. *capit. solemnitates. 1. & 2. de consecrat. distinct. 1. Abb. in rubric. de consecrat. num. tertio,* patientia, & scientia Ecclesiæ Sancti Saluatoris ad effectum acquirendi possessionem ex istis actibus non requirebatur. *Paul. de Castro in leg. seruitutes prædiorum. numer. 9. versicul. licèt ipsi. de seruitut. Balb. de præscript. part. secunda, quintæ partis principalis. quæstio. 7. num. 4. Rebuff. ad leg. Gallicam. tom. 3. tit. de materia possessoria. in præfat. n. 145.* & fuit dictum in Carthaginen. Iurisdictionis 16. Decembris 1596. coram Cardinale Seraphino, & in Toletana Decimarum 10. Februarij 1604. coram Reuerendissimo Domino meo Decano.

4 Vltra quod ad scientiam, & patientiam præsumendam sufficeret publice factas fuisse processiones in loco vicino, immo in conspectu Ecclesiæ S. Saluatoris ad tradita per *Menoch. de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 33. num. 68. & seq. &c.*

R. P. D. VBALDO.

Placentina beneficij. Mercurij 20. Nouembris 1613.

ARGVMENTVM.

Collatio beneficij facta ab excommunicato, quando valeat, & quomodo probetur recursus ad iudices laicos ad effectum incurrendi excommunicationem.

SVMMARIVM.

Sententia vt dicatur valida, quæ requirantur remissiue. numer. primo.
Gratia, seu collatio beneficij, tanquam de reseruato, cum reseruatum non sit non valet, etiam quod conferens potuisset illud conferre, etsi non esset reseruatum. nu. 1.
Episcopus excommunicatus beneficium conferre non potest, & talis collatio est nulla, & inualida. Declara, vt numer. tertio.
Recursus ad iudices laicos, quod sit factus de mandato alterius, probari debet per mandatum speciale, & in indiuiduo, & generale non sufficit. nu. 2.
Procurator non censetur habere mandatum ad deliquendum. num. 2.
Episcopus nisi fuerit declaratus excommunicatus, & pro tali habitus, gesta ab eo sustinentur, etsi vere excommunicatus sit. nu. 3. & seqq. Vbi de materia.
Excommunicatio, quæ incurritur ex Bulla Cœnæ Domini notoria est, nec propterea declaratione indiget. nu. 4.
Suspensus etiam occultus censetur prohibitus ab exercitio iurisdictionis. nu. 5.
Excommunicatio non priuat ab exercitio ordinis, vel officij, donec fuerit declaratus. numer. 3. & seqq. Vbi de materia.
Collatio beneficij facta ab excommunicato occulto valet. nu. 3. & seqq.
Recursus ad iudices laicos ad effectum, vt recurrens reddatur inhabilis ad beneficium consequendum, plene, & concludenter, non autem præsumptiue probari debet. nu. 8.
Recursus ad iudices laicos præsumitur habitus ad instentiam illius, de cuius interesse agitur. Declara, vt nu. 8.
Absolutionem petens ab excommunicatione non fatetur se excommunicatum, quia absolutio peti potest ad cautelam. num. 9.
Excommunicatio in vim declaratoriæ ob non paritionem, mandato Rotæ inhabilitat declaratum in futurum, non autem in præteritum. nu. 10.
Declaratoria sub conditione nisi infra certum tempus fuerit paritum, non probat excommunicationem pro tertio, nisi is probauerit in tempore præfixo non fuisse paritum. nu. 11.
Collatio beneficij facta ab excommunicato occulto in personam illius, qui excommunicationem sciebat an, & quando valeat. nu. 12.

DECISIO DXXXIV.

1 FVit resolutum sententiam Rotalem esse confirmandam, quia de eius validitate non controuertitur, & in ea interuenerunt omnia requisita, de quibus per *Caputaqu. dec. 260. part. 2.* Iustitia vero deducitur, quia beneficium, de quo agitur, vacauit de mense Februarij, qui stante altera concessa Episcopo, & ab eo acceptata fit Ordinarius, & ideo collatio ab eo facta in persona Bernardini valuit, gratia vero Ioannis fundata in prætensa reseruatione ratione mensis corruit *Roman. cons. 335. nu. 11. & 14.* vt latius fuit deductum in decisionibus in hac causa factis, 29. Nouembris 1610. & 1. Iulij 1611. coram Illustriss. Cardin. Lancell. à quo emanauit sententia prædicta absolutoria, Bern. Nardini.

2 Contra quam tamen in hodierna causæ propositione coram me adducebantur multa respicientia, tã inhabilitatem personæ Episcopi conferentis, quam ipsius Bernardini, cui fuit facta collatio, & quo ad Episcopum opponebatur ipsum fuisse excommunicatũ, de

de tempore factæ collationis, propter recursus ad iudices laicos, & ideo collationem non valere, *cap. 1, de rescript. in 6,* etiamsi excommunicatus esset occultus. *Cæs. de Graff, decis. 191. alias 2, num. 12. & seq. de sentent. excommunc.* Sed fuit responsum, præterquam quod non satis videbatur constare, quod de mandato Episcopi fuissent habiti, & executioni demandati dicti recursus, prout requirebatur mandatum speciale, & in indiuiduo, cum alias nemo præsumatur habere mandatum ad delinquendum, *l, 3. §. si procurator. ff. quod quisque iur. l. si procurator. & ibi Bart. ff. de condict. indeb. Natt. consil. 538. num. 15. libr. 3.* & cum agatur ad effectum incurrendi pænam inhabilitati Episcopi, requirantur probationes concludentes, & non sufficiat tantum præsumptiones mandati, vt fuit dictum in Tuden. beneficij 5. Aprilis 1664. vers. sed quia aliqui coram bonæ memoriæ Penia exemplo allegarunt.

3 Quicquid igitur sit de hoc respondabatur vlterius quod cum Episcopus nunquam fuisset declaratus excommunicatus nec pro tali habitus, gesta ab eo quãuis vere fuisset talis ratione publici officij sustinentur *l. Barbarius vbi, DD. de offic. Præt. cap. nonne. 8. quæst. 4. c. ad probandum, & ibi Abb. num. 3. & num. 14. in fin. & seq. Felin. num. 3. & 6. de re iudic. Innoc. in cap. veritatis, num. 1. ibi, quod intelligendum videtur, & ibi Bellam. num. 22. Abb. num. 42. & ceteri DD. de dolo, & contum. Couar. in cap. alma mater. part. 1. §. 7. sub numer. 9. vers. ideo. de sent. excommun. in 6. Lap. alleg. 89. num. 11. vers. propterea, & num. 12. & ibi Mandos. de commun. in ver. excommunicatus. Felin. in capit. Rodulphus, num. 39. de rescr.* & fuit in termini dictum in causa Iacen. Archidiaconatus. 23. Iulij 1601. coram bonæ memoriæ Card. Pamphilio & hanc responsionem sequuta est Rota in hac causa, in d. decision. 1. Iulij 1611. coram Illustrissimo Lancel. quæ etiam hodie placuit Domini.

4 Non obstat, quod excommunicatio inflicta per Bullam in Cena Domini ob dictos recursus sit notoria, quia bene respondetur in dicta decisione Iacen. sufficere, quod recursus nõ sint notorij propter quos excommunicatio imponitur, *capite cum secundum, de hæret. lib. 6.*

5 Non obstat decisio in Assisien. Canonicatus 25. Iunij 1599. corã Gipsio, quia vt bene cõsideratur in dicta Iacen, illa loquitur in Episcopo suspenso ex verbis expressis Constitutionis felic. record. Pij V. ob resignationem beneficij admissam, & eiusdem collationem factam in consanguineum resignantis, secus est in excommunicatione occulta, & non declarata, quæ non annullat gesta ratione publici officij ex allegatis, & ratio differentiæ, quia suspensus etiam occultus censetur prohibitus ab exercitio iurisdictionis, *Nauar. Manual. cap. 27. sub num. 151. & cons. 4. sub num. 3. de cleric. excommunic.* & consequenter collationis beneficiorum, quæ est iurisdictionis, *c. nosti. & c. transmissæ, de elect. Lap. d. alleg. 89. num. 12.* sed excommunicatus non priuatur ab exercitio ordinis, vel officij, donec fuerit declaratus, sed tantum à communione Sacramentorum, vt per eiusdem *Nauarr. d. cap. 23. num. 1. & sub nu. 152. vers. 3. dico.*

6 Non obstat, quod in dicta decisione Assisien. dicitur dispositionem, *leg. Barbarius*, non habere locum quando agitur contra prouisum Apostolicum, quia fuit responsum, vltra quod semper erat verum, quod illa decisio habet locum in terminis Constitutionis Pij V. vt dictum est, validitatem collationis, de qua agitur, non fundari solum in communi hominum reputatione, iuxta terminos, *d. l. Barbarius*, sed in præallegata communi Doct. sententia à Rota, sepe canonizata, quod collatio facta ab Episcopo, quamuis occulto excommunicato valeat ex supra deductis.

7 Non obstat *Cæs. de Graff. dict. decis. 2. de sent. excomm.* quia loquitur de collatione facta excommunicato, quæ non valet, quia etiam si sit occultus est incapax collationis, secus est in conferente, excommunicato occulto, cuius gesta ratione publici officij sustinentur ex allegatis.

8 Contra personam vero Bernardini, pariter excipiebatur eum fuisse excommunicatum propter recursum ad iudices laicos, & propter declaratoriam Rotæ in alia causa contra eum latam. Quo ad recursus non videbantur, satis probati ad effectum, de quo agitur qui est, vt Bernardinus reddatur inhabilis ad beneficium consequendum, quo casu plena requiritur probatio, & non sufficit præsumptiua, vt fuit dictum, in d. Tuden. beneficij coram Penia. Affertur enim assertio aduersarij Bernardini, quod sibi fuerunt sublata suæ Bullæ ad instantiam Bernardini, quæ Bernardino non videtur potuisse præiudicare. *l. Scia mancipia emit. ff. ad Velleian.* nec non prouisio iudicium laicorum, quæ apparet facta ad instantiam procuratoris fiscalis audientiæ Episcopalis, nec constat de mandato vel ratificatione Bernardini, & quatenus etiam ipse haberet aliquod interesse tamen, vltra quod in hac causa non admittitur ista probatio præsumptiua, vt dictum est, nec etiam operatur contra aliquem, quando constat plures habuisse interesse, vt fuit dictum in Calaguritana fructuum, 19. Martij 1608. coram bon. mem. Scotto.

9 Nec obstat, quod à Bernardino fuerit petita absolutio, quæ videtur supponere excommunicationem, quia potuit peti ad cautelam. *Rota decis. 11. de sentent. excommun. in antiq. Card. in cap. perpendimus, sub numer. 29. versicul. quæro an ad probandum, de sentent. excommunicat.*

10 Non obstat declaratoria Rotæ contra Bernardinum, quia vltra quod emanauit post beneficium ab eo obtentum, & quatenus inhabilitaret declaratum, intelligeretur in futurum, non autem in preteritum, *Abb. in cap. 1. num. 8. & ibi Felin. num. 8. & Dec. 2. lectur. num. 44. de iudic.*

11 Respondebatur etiam, quod declaratoria est conditionalis, nisi intra certum tempus fuerit paritum, quę non probat excommunicationem pro tertio, nisi ostendebatur non fuisse intra dictum tempus ei satisfactum, qui declaratoriam obtinuit, *Rot. decis. 19. circa fin. vers. alleg. duas de dolo, & contum. in nou. Abb. in c. proposuit. sub nu. 4. vers. & hoc verum de cler. excom. Alciat. de præsumpt. reg. 2. præsumpt. 6. in 1. limit.*

12 Non obstat, quod Bernardinus sciuerit Episcopum fuisse excommunicatum, & ideo collatio ab eo facta licet occulto non valuerit ad fauorem eius qui sciebat, excommunicationem ex alleg. Quia fuit responsum, preterquam quod non constat Episcopum fuisse excommunicatum ex supradictis in principio neque etiam probari istam scientiam de tempore collationis prout requiritur. Addebant etiam aliqui non procedere allegata ad hoc propositum pro Ioanne post extrauagantem Martini V. incipit ad euitan. de qua per *Felin. in c. Rodulphus sub num. 39. & 40. de rescript. & in d. c. ad probandum, nu. 6. in fin. & sub nu. 8. vers. cogitabam, & vers. solue de re iudic. Couar. in d. c. alma mater. par. 1. §. 7. nu. 9. in fin. de sent. excom. in 6.* Ad alia fuit responsum per informantes, & ita fuit decisum, &c.

R. P. D. VBALDO.

Anconitana Censum. Mercurij 20. Nouembris 1613.

ARGVMENTVM.

Agitur in hac decisione de disdicta census ad hoc, vt afficiat, & sit valida, quomodo & quibus fieri debeat, & data illius nullitate an possit ratificari, & quomodo, & an credatur Notario asserenti nũcium

cium retulisse sibi se citasse non constito in actis de schedula citationis.

SVMMARIVM.

Citationis tenorem non probat Notarius asserens nuncium retulisse sibi se citasse, prout in schedula, si schedula in actis integre registrata non reperitur. numer. primo, & sequentib.

Notario asserenti Titium produxisse in actis instrumentum mandati non creditur, nisi totum instrumenti mandatum sit registratum. nu. 1. in fine.

Nuncio dicenti se non citasse, contra assertionem Notarij asserentis Nuncium sibi retulisse se citasse, minus creditur, quam Notario. Declara, vt nu. 2.

Citatio debet esse certa, & non alternatiua. nu. 2.

Præsens, & tacens iudicis decreto an præsumatur acceptare omnia contenta in dicto decreto, nu. 3.

Notario non creditur, si dicat, prout constat tali instrumento à me viso, & lecto. nu. 3.

Minores, & pupilli non possunt constitui in mora ex citatione ipsis facta, quæ propterea fieri debet eorum tutori, num. quarto.

Lis non dicitur finita per sententiam, nisi fuerit exequutioni demandata. nu. 5.

Mater tutrix, si habet litem cum pupillo, non remouetur à tutela, sed datur illi adiunctus, nu. 6.

Tutori à iudice deputato, etiam male deputato, debitores soluentes sunt liberati. Declara, vt nu. 7.

Protestatio declaratoria, & disdicta census non potest fieri procuratori, nisi in subsidium, & quando Dominus haberi non potest. nu. 8.

Interpellatio facta minoribus ex obligatione patris, & non propria, etiam facta tutori non afficit, nisi idem tutor factus sit certus post instrumenta. nu. 3. in fine.

Exhæredatus agnoscens legatum à patre relictum an, & quando censeatur exhæredationi consentire. nu. 10.

Nullum quod est, ratificari non potest. nu. 11.

Ratificatio actus nulli induci non potest ab eo, qui nullitatis scientiam non habent plenam, & certam iuris, & facti, nec sufficit scientia in genere. nu. 12.

Minorum bonorum alienatio fieri non potest a tutore sine decreto iudicis, & alijs solennitatibus, nu. 11.

Ratificatio, vt ex facto inducatur, necesse est, vt factum æquiualeat verbis, & sit tale, quod fieri non possit, nisi actus ratus habeatur. nu. 13.

Causa quælibet iusta excludit ratificationem. nu. 13.

Ratificatio actus gesti non inducitnr, nisi actus geratur cum parte, quæ ex ratificatione ius prætendit. nu. 13.

DECISIO DXXXV.

1 FVit decisum in hac causa 24. Maij præteriti, constare de causis restitutionis in integrum illorum de Leonibus ex rationibus deductis in decisione, quæ ad duas potissimum redigebantur, tum ob defectum disdictæ censuum, de quibus agitur, tum ob inualiditatem depositi, nec potuisse fuit additum prædicto, defectus suppleri ex asserta ratificatione Lauiniæ matris pupillorum de Leonibus, sed quia prædicta omnia impugnabantur per Triumphos, volui eos iterũ super eisdem audire, & Domini re mature discussa censuerunt standum in decis. Et quo ad disdictam illius nullitatis videbatur clara ex defectu citationis. Etenim Notarius asserat nuncium retulisse, se citasse, prout in schedula illa, tamen non est integre registrata in actis, & sic non constat de tenore citationis, ex allegatis per *Fel. in cap. quoniam contra. sub nu. 51. de probat. Rot. dec. 55. par. 1. Paris. cons. 31. num. 14. lib. 4.* & tenuit Rota in causa Lauretana bonorum. 28. Iunij 1604. coram bon. mem. Penia. vt in copia, quæ data fuit, quod confirmabatur ex doctrina *Innoc. in cap. cum in iure. n. 6. de officio deleg. Angel. in repet. l. sciendum. num. 19. ff. de verb. oblig.* quos & alios refert, & sequitur *Alexan. cons. 6. nu. 7. in fin. & num. 8. lib. 4.* vbi tradit, quod si Notarius actorum scribat in actis, qualiter Titius produxit instrumentum mandati, per hoc non probatur tale mãdatum, nisi totus effectus illius instrumenti sit registratus apud acta, & idem sensit *Alex. in auth. si quis in aliquo. in 7. fallentia. num. 9. Et ibi Dec. num. 25. C. de eden. plene Boer. decis. 281. num. 6. & seqq.*

2 Non obstat, *Cyn. in l. si quis Decurio. C. de fals.* vbi voluit, non solum fidem adhiberi Notario circa relationem citationis Nuncij, sed etiam in concursu magis credi Notario scribenti Nuncium citasse, quam ipsi nuncio id neganti, quia fuit responsum in casu Cyni fuisse specificatum nomen Nuncij, & ad quid fuisset facta citatio, nec se retulisse Notarium ad schedulam, hic autem nomen Nuncij est in albis, nec apparet ad quam rem emanauerit citatio, imo nec persona citati est certa, cum sit posita alternatiue per hæc verba, & in termino citationis factæ filijs D. Petri, seu Ioanni Ferrantino eorum asserto tutori, &c. & tamen citatio debet esse certa, vt est *text. in l. aut quod aliter. ff. quod vi, aut clam.* & tandem expresse facta est relatio ad schedulam, quæ non reperitur, immo ex hoc solo dicebat vnus ex Dominis, doctrinam Cyni non applicari, quatenus ibi circa finem dicit quod cũ in eo casu scriptura Notarij habeat suam formam, dictum alterius illi non præiudicat, sed in hoc casu scriptura Notarij non habet suam fomam, ex quo est relatiua ad schedulam, qua non exhibita, tanquam scriptura informis non probat, *iuxta not. in d. authent. si quis in aliquo. C. de eden.*

3 Nec valet dicere, citationis tenorem aliunde posse probari, videlicet ex dicto iudicis, & intimatione postea facta ipsi Ferrantino, qui non contradixit ad exemplum iudicis, qui in sententia præsentibus, & tacentibus partibus lata dicat, viso libello, & visa citatione, *iux. trad. per Felin. in c. quoniam contra. num. 36. de probat.* tum quia ipsemet *Felin. ibidem vers. sed considera* recedit *ab hac sententia,* & reddit rationem, tum quia communis est opinio, quod Notario non credatur, si dicat, prout constat tali instrumento, à me viso, & lecto vt post plures allegatos testatur *Socin. iun. consil. 57. n. 4. lib. 1. & ead.* videatur ratio, si attestetur, iudicem dixisse, prout supra.

4 Accedebant aliæ nullitates eiusdem disdictæ considerata in decisione, quę Dominis placuerunt. Nam ipsis pupillis talis disdicta, nec facta est, nec fieri poterat. *Bart. in l. si ex legati causa. num. 3. ff. de verb. obligat.* Sed debebat fieri eorum legitimo tutori, præsertim ad constituendos pupillos in mora. *leg. sed si ex stipulatu. & ibi gloss. & Bart. in lectura, sub dicta l. si ex legati causa. numer. 3. & ibi Castren. numer. 4. de verb. obligat.* vbi *& est tex. in l. si dictum. §. fin. & ibi glo. in verb. pupillo.* quamuis *Odoff. Bal. & Angel. ff. de euict.* Mater autem, quamuis esset relicta tutrix in testamento, tamen tutelæ renũciauerat, & obtinuerat dari tutorem Ferrandinum Alleum, cui non legitur facta hæc secunda disdicta, de qua agimus. Sed solum Ioanni Ferrandino procuratori ad lites constituto à Lauinia matre, post decretum sibi tutelam auctoritate iudicis, occasione bonorum, seu hæreditatis patrui dictorum pupillorum illis delatę, quo tempore prętensę reassumptionis adhuc viuebat Alleus, cui per dictum decretum tutelæ ad fauorem matris pręiudicari potuisse, non videtur.

5 Et licet Alleus fuisset datus tutor ob impedimentũ litis, quam mater habebat cum pupillis, ob repetitionem suæ dotis, tamẽ illud impedimentum adhuc durabat, quamuis emanasset sententia pro matre, cum lis non dicatur finita per sententiam, nisi fuerit exequutioni demandata. *Mobed. decis. 3. num. 3. vt lite pend. Lanc. Sarn. in regula de annali. quæst. 44. in princ. & per tot. de attent. 2. par. in præfatione. num. 234.* vltra quod mater non assumpsit tutelam, virtute dicti decreti, ex hoc

capito

capite cessantis impedimenti. Neque illud narrauit iudici, sed ex causa hæreditatis patrui pupillorum, vt dictum est, ad cuius Inuentarium conficiendum, & ad agendum in continenti procuratorem constituit Ferrantinum, *vt in Summ. Dominorũ de Triumphis. n. 9. & 10.*

6 Non obstat, quod mater, etiamsi habeat litem cum pupillo, non remoueatur à tutela. *auth. adhæc. C. quando mul. tut. offic. fung. poss.* Quia respondebatur, quod in omnem casum datur illi adiunctus. *Bal. Salicet. & alij in auth. matri, & auiæ. C. eod. tit. Afflict. decisi. 207. num. 1.* prout fuit datus Alleus, qui & ipse citandus erat. *l. Titium, & Mæuium. in princ. vbi Bar. ff. de adm. tut.* imo si non permittatur administrare mater redditur suspecta. *Afflict. vbi sup. num. 2.*

7 Non obstat, quod mater tanquam deputata tutrix à iudice, siue bene, siue male pro tali se gerebat, & ideo actus cum ea gesti sustineantur, & in specie, quod debitores illi soluentes fuerunt liberati, ad *tex. l. debitores. ff. de solut. cum alleg.* Quia motiuum posset applicari si ipsa mater fuisset citata pro redemptione census, de quo agitur, sed quod cum fuerit citatus, procurator ad alia constitutus cessat obiectum, præterquam quod dicta *l. debitores. procedit*, si pecunia in rem pupilli peruenit, vt ibi dicitur. Isto autem casu pupilli negant, se consecutos fuisse pretium census.

8 Accedebat etiam ex mente vnius ex Dominis, quid etiam si procurator fuisset sufficiens, tamen ista protestatio animi declaratoria, prout est disdicta census, non poterat fieri procuratori, nisi in subsidium, quãdo Dominus haberi non posset. *l. aut qui aliter. §. & si forte. ff. quod vi, aut clam. Alex. in l. non solum. §. morte. nu. 37. vers. item adde. & ibi Iason. num. 33. vers. ibi enim. ff. de nou. operis nunc.* & in omnem casum cum interpellatio fieret minoribus ex obligatione patris, & non propria, quamuis fuisset facta tutori, tamen debebat reddi certus per ostensionem instrumentorum, vel alio modo, alias nihil nocebat. *Bartol. in d. l. si ex legati causa. num. 9. ff. de verborum obligat.*

9 Circa depositum placuerunt Dominis alias deducta, non enim dubium, est, quin nullitates prædictę disdictæ influant in depositum postea secutum.

10 Quo vero ad ratificationem Dominę Lauiniæ censuerunt Domini illam non suffragari ad effectum, vt præiudicauerit pupillis quo ad census extinctionem, stãtibus nullitatibus supradictis, & licet egerit ad pecunias depositas consequendas pro sua dote, & sic videatur ratificasse depositum factum in extinctionem census, tanquam necessarium antecedens, tamen ex quo egit nomine proprio, non potuit afferre præiudicium pupillis, quorum causa est separata, sicut filius à patre exhæredatus, pupilli sui nomine agnoscens legatum in eodem testamento relictum, non sibi præiudicat, quo minus proprio nomine dicere possit inofficiosum testamentum paternum, *& è contrario* tutor, qui pupilli exhæredati nomine egit querela, non amittit legatum sibi adscriptum. *§. si tutor. institut. de inoffic. testament.* Discreta enim sunt iura, quamuis plura, in eandem personam deuenerint, aliud tutoris, aliud legatarij, vt dixit *tex. in l. tutorem. ff. de his quibus vt indign.*

11 Et stantibus prædictis nullitatibus disdictæ, & depositi, nec etiam tanquam tutrix potuisset ratificare prætensam extinctionem census, tum quia quod nullum est ratificari non potest. *Bart. in l. obseruare. in fin. ff. de offic. Proconsf. Dec. in l. semper. nu. 16. ff. de reg. iur.* cum alijs per *Honded. cons. 38. nu. 19. lib. 1.* tum quia fuisset alienatio voluntaria census, & sic rei immobilis, quæ sine decreto, & alijs solennitatibus fieri non poterat, toto titulo. *ff. de reb. eor. Gabr. cons. 149. num. 77. lib. 2.* & fuit firmatum in dicta *decis. in fi. vulg. reg. qui vult consequens*, &c. non applicatur, quia non procedit deficiente potestate in eo, qui vult consequens. Euerar. in loco à consequen. *nu. 4. Aym. cons. 34. num. 45.*

12 Non obstat actus receptionis pecuniarum factæ per Lauiniam, de fructibus prætensi census, impositi, per Fanellum ex pretio census alias impositi per Triũphos, quę receptio non videtur fieri potuisse nisi precedente ratificatione disdictæ depositi, & illius consignationis, & tandem census impositi per Fanellum ex allegatis pro Triumphis, & præsertim, quia non videtur negari posse scientia Lauiniæ, ex sequestro facto ad eius instantiam penes Fanellum ex lite habita, cum Arca, & eius vxore super anterioritate suorũ iurium, ex sententia lata ad eius fauorem, & alijs consideratis per Informantes. Quia fuit responsum, quod scientia superueniens cum actu non inducit ratificationem actus, quia fuit nullus, & quem Lauinia potuit credere validum nisi probetur etiam scientia nullitatis. *l. mater. §. ceterum. ff. de inoffic. testam.* Immo non sufficit scientia in genere, sed debet esse plena, & certa iuris, & facti. *Bald. in l. mater. col. 3. C. de rei vendic. Gabr. cons. 36. nu. 59. in fi. & nu. 60. lib. 1. & cons. 62. n. 27. li. 2.*

13 Accedit, quod ad hoc, vt ex facto inducatur ratihabitio, necesse est, vt factum æquiualeat verbis, & sit tale, quod fieri non possit, nisi actus ratus habeatur. *Bar. & Castr. in l. Proculus. ff. rem rat. haberi. Aretin. consil. 128. col. 2. num. 6. Gabr. dicto cons. 36. num. 57. lib. 1.* Secus si factum necessario ratihabitionem non arguat, sed præsumi possit, illud ob aliam causam gestum, vt per *Gabr. loco citato, & per eundem cons. 180. num. 17. lib. 1.* hic autem præsumi potest, Lauiniam non cogitasse de ratificatione, sed egisse, vt suam dotem consequeretur, & alias quælibet iusta causa excludit ratificationem. *d. l. mater. §. ceterum. de inoffic. testa. Angel. in d. l. Paulus. ff. rem ratam haberi. Gabr. d. cons. 36. num. 57.* Vbi etiam subdit, necesse esse, vt is actus, ex quo prætenditur ratihabitio, sit gestus cum parte, quæ illam prætendit. *Aret. d. consilio 128. col. 2. & id putat Gabr. esse verissimum.* Lauinia vero actus, ex quibus prætenditur ratificatio, non gessit, cum Triumphis, sed cum alijs, nec intra tempus anni, iuxta formam Bullæ. Ex quibus Domini concluserunt, standum esse in decisis.

REVERENDISS. P. D. COCCINO DECANO.

Parmen. Datij. Mercurij 27. Nouemb. 1613.

ARGVMENTVM.

Continet hæc decisio diuersas conclusiones, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Solutione eius quod debetur, tollitur omnis obligatio. nu. 2.
Compensatio habet vim solutionis. num. 3.
Schedulæ Bancbariæ consignatis habet vim solutionis. nu. 3.
Confessio non inducitur, quando in ea adest clausula, vt asseritur. num. 4.
Solutio quando dicatur facta in extinctionem fructuum, vel sortis principalis. num. 6.

DECISIO DXXXVI.

1 DVbitaui, an sit satisfactum decreto Rotali sub die 10. Decembris 1612. cuius verba sint, mandatum exequutiuum relaxauit pro integro pretio Scut. 80. mill. monetæ Romanæ Iuliorum decem pro quolibet Scuto, exequendum pro rata Scutorum 55. mill. hoc modo videlicet pro liberatione Illustrissimi Marchionis ab accollatione Montis Baronum pro Scutis 55. mill. per ipsum facta, neç

non ab omnibus promissionibus, & obligationibus in dicta occullatione eiusdem partis Montis per eundem factis, per Illustrissimum, & Reuerendissimum D. Cardinalem Sfortiam facien. cum clausulis oppor. tunis, alias per executionem realem, &c. & pro residuo Scutorum 25. mill. per similem exequutionem realem ad fauorem, & beneficium dicti Illustrissimi Marchionis,

2 Et Domini censuerunt fuisse satisfactum prædicto Decreto solutis infra dicendis. Nam quantum attinet ad Scuta 55. mill. erat in confesso apud partes, quod dicta rata Montis fuerat extincta, & per consequens liberatus Illustriss. Marchio, solutione enim eius, quid debetur tollitur omnis obligatio. *Institut. quibus. mod. tollit. oblig. in princ. gl. fin. in l. cum plures in fine. ff. de euict. late Surd. dec. 113. nu. 2.*

3 Quo ad summam Scutorum 25. mill. pariter fuit satisfactum D. Marchioni, nam cum ipse esset debitor Illustris. D. Cardinalis Scut. 19620. licet nondum venerit dies solutionis huius debiti, tamen placuit S. D. N. concedere D. Cardinali, vt fieret compensatio, perinde ac si dies solutionis venisset, quæ habet vim solutionis, *l. debitor, alias si debitor, & ibi Doctores, ff qui pot. in pign. hab. Bart. in l. diuortio. §. ob donat. num. 2. vers. qui enim compensat. ff. sol. matrim. latè Tiraq. de retract. lignag. §. 3. gl. 3. nu. 2. & sequentib.* quo ad residuum vero Illustris. D. Cardinalis dedit schedulam banchariam Scut. 5380. quæ in istis terminis habet vim solutionis *Bart. in l. si soluturus, num. 5. ff. de solut. Put. dec. 159. secundum eruditissimam impressionem, quam fecit D. Aduocatis Franciscus de Rubeis, lib. 1.*

4 Neque obstat, quod S. D. N. in dicta compensatione sustulit solum dies solutionis, voluit enim in reliquis saluas esse exceptiones, & iura vtriusque partis etiam contra dictum creditum compensandum. Quia hic pro parte Illustris. D. Marchionis non adducitur aliqua exceptio aut ius, quod releuet. Nã dum dicitur, totum istud creditum non esse compensandum, cum vigore subhastationis bonorum Bisighæ nouæ habuerit Scuta 8. mill. de ista subhastatione non cõstat in actis, dũ dicitur de ea cõstare ex cõfessione partis quæ propterea obtinuit, plures prouisiones Rotales, tamen neque de ista confessione apparet, cum pars semper vsa fuerit verbis, vt asseritur, quæ non inducunt confessione partis, *Cassad. dec. 4. nu. 1. & 8. de probat.* & fuit sepissime dictum; Dum vero dicitur, quod Illustriss. Marchio soluit interesse pro Scut. 19620. quod non erat debitum, & ideo est computandum in sortem, de aliqua solutione non constat in actis, & si non cõstaret, non releuaret ad effectum, de quo agitur, quia cũ non sit clarum, quod istud interesse non debeatur, & D. Marchio iurauerit illud soluere, intrat dispositio textus in c. debitores de iureiur.

5 Quantum attinet ad schedulam Scutorum 5380. non obstat, quod fuerit soluta pro fructibus Montis, & sic non cesserit in causam sortis; Quia cum Montis non posset extingui nisi solutis fructibus, & dubitaretur ad quem spectaret dicta solutio, feci decretum facto verbo cum Sanctissimo, & partibus non reclamantibus, sed potius acquiescentibus, quod ex dicta schedula soluerentur fructus dictæ ratæ Montis Scutorum 55. mill. cum declaratione per infrascripta verba, ita tamen, quod per presens decretum non censeatur declaratum, quod prædicta schedula sit pro residuo, & pro integro pretio dicti datij restituendo, quin potius, sit, & seruiat ad bonum computum eiusdem pretij d. Datij, nisi, & donec per Rotam declaretur solutionem dictorum fructuum dictæ ratæ Montis spectare ad Dominum Cardinalem quo casu dicta schedula, & summa in ea contenta cedant non in extinctionem partis pretij Datij, sed in extinctionem dictorum fructuum prædictæ ratæ Montis pro rata tamen fructuum soluendorum, & interim donec per Rotam fiat declaratio ad quem solutio dictorum fructuum ratæ Montis pertineat, vtraq; pars, & eius iura in ceteris præter superius expressa permaneant, & conseruentur, & permanere, & conseruari intelligantur in eo statu, in quo erant ante præsens decretum, & restitutionem dictæ schedulæ.

6 Ex quibus cum appareat, quod non obstante dicta consignatione schedulæ pro soluendis fructibus, debeat tamen censeri pro extinctione Capitalis donec per Rotam fuerit declaratum solutionem fructuum expectare ad dominum Cardinalem, ista schedula debet cedere in extinctionem sortis, quia conditio resolutiua, qualis est ista, præsupponit ius purum ius purum præexistere, sed resolubile, qua resolutione non facta, & sic non declarato, quod solutio fructuũ spectet ad D. Cardinalem, manet à toto principio purum, & sic schedula cedit in extinctionem sortis, *l. proponebatur, ff. de Castren. pecul. Oldrad. consil. 285. numer. 8. versicul. in 2. Castrens. consil. 452. in princ. libr. 1. Alexand. cons. 91. incip. circa primum. num. 5. vers. sed si in aliquo. libro 4.*

7 Non obstat, quod non appareat totam schedulam fuisse solutam pro fructibus; Quia quo ad Scuta 100. soluta Secretario pro extractionis mercede visum fuit Dominis non esse computanda D. Marchioni, sed esse reficienda, per D. Cardinalem, cum ipse teneretur liberare D. Marchionem, quo ad Scuta 103. ba. 80. remanentia D. Cardinalis dedit ordinem, vt soluantur D. Marchioni, residuum vero fuit solutum pro dictis fructibus, vt apparet ex computis datis, &c.

DECISIO DXXXVII.

Barchinonen. Parochialis. Veneris 29. Nouembris 1613.

Impressa apud Buratto,

DECISIO 22.

REVER. P. D. PAMPHILIO.

Romana alimentorum. Veneris 29. Nouembris 1613.

ARGVMENTVM.

Alimenta præstanda sunt à fratri diuite fratri pauperi, & quomodo hæc alimenta taxanda sint.

SVMMARIVM.

Frater tenetur præstare alimenta fratri pauperi etiam illegitimo, num. 1.
Alimenta præstanda quomodo taxari debeant attenditur, quantitas bonorum, & qualitas alimentandi arbitrio iudicis, nu. 2.
Patris iudiciũ multũ facit in præstatione alimentorum, n. 3.
Alimenta præstanda à fratre diuite fratri pauperi debentur iure sanguinis, & ex propria ipsius fratris obligatione, n. 4.

DECISIO DXXXVIII.

1 VTraque parte Informante pro posui dubium, an D. Valerius teneatur præstare alimẽta, & ad quã summam, & quo ad primam eius partem, quod scilicet D. Valerius teneatur præstare alimenta, Res apud DD. nullam habuit difficultatem nam ex deductis in hac causa sub die 13. Iunij 1608. & alijs per Informantes pro Octauiano denuo ponderatis, satis

tis visum fuit constare de requisitis ad istum effectum necessarijs, nempe quod Octauianus sit frater D. Valerij, & filius naturalis D. Marcelli communis patris, & de paupertate, ac indigentia illius ex quibus sequitur, quod omnino sint ei præstan. alimenta à D. Valerio fratre diuidite, per *text. in l. mutus, ff. de iur. dot. & in l. qui filium, vbi glos. final. in versic. hæc aliter. ff. vbi pupill. educ. deb.* & fuit dictum in causa Bononien. alimentorum 24. Nouembris 1604. coram bonæ memoriæ Iusto. Etiam quod sit naturalis *Bart. in l. si quis à liberis, §. vtrum. nu. 5. ff. de lib. agnosc. & in d. l. qui filium, in fin. ff. vbi pupill. educ. deb. Rip. in l. 1. num. 83. ff. soluto matrimon. Molin. de primogen. lib. 2. cap. 15. num. 64.* Qui materia alimentorum non differt à legitimo. *Paleott. de not. & spur. cap. 48. num. 3. Surd. de aliment. tit. 1. quæst. 25. nu. 31. prope finem. & tit. 7. q. 9. n. 5.* & tenuit Rota in causa Romana alimentorum de mense Iunij præteriti coram R.P.D. meo Manzanedo, & alias sæpe.

2 Quo vero ad aliam partem attenta quantitate bonorum, & redditũum Domini Valerij, ac etiam paupertata Octauiani, & alijs eorum qualitatibus quæ arbitrio iudicis attendi solent ad effectum taxandi alimenta, *l. 2. ff. vbi pupil. educ. deb. Alex. consil. 72. num. 7. lib. 5. Aym. consil. 189. nu. 10. Menoch. de arbitr. cas. 169. nu. 3.* fuit resolutum huiusmodi alimenta esse præstan. ad rationem Scutorum decem quolibet mense, nam ex deductis apparet vltra Scuta 800. annua ex hereditate paterna D. Valerium percipere quolibet anno ex bonis primogenituræ Scuta 3000. ex quibus pro nunc DD. arbitrati sunt posse commode solui supradictam modicam ratam Scutorum decem Octauiano, qui in tanta egestate constitutus reperitur, vt alias vel mendicare, vel cum vxore, filijs, & tota eius familia fame perire cogatur.

3 Præsertim ponderando, quod dictus D. Marcellus communis pater reliquit Bruto alteri eius filio naturali vltra habitationem, & alias prouisiones Scuta 250. annua pro alimenti, quod patris iudicium multum facit ex adductis per *Menoch. de arbitrar. dict. casu 169. nu. 8. & seq.*

4 Nec obstat, quod primogenitura proueniat ab Episcopo Scipione, alijsque transuersalibus non autem ab hæreditate paterna, quia placuit responsio, quod cum alimenta à fratre diuite debeantur iure sanguinis, & ex propria ipsius obligatione non est quærendum vnde, & à quo prouenerint bona, quæ ab eo possidentur. *Surd. d. tract. de alimentis tit. 1. q. 25. n. 31. Molin. de primogenitura. d. lib. 2. c. 15. nu. 59.*

5 Et ex his tollitur etiam, quod causa alimentorum respectu primogenituræ sit cognoscenda in Camera, cuius D. Valerius dicitur Cessionarius, quia Octauianus petit alimenta non ratione primogenituræ, sed ratione sanguinis ex bonis per D. Valerium possessis, & vndecumque quæsitis, quæ ei præstare debent ex supradictis.

6 Minus releuat, quod Dominus Valerius sustinere debeat onera matrimonij, quia vltra supradictos redditus habet dotem vxoris ascendentem ad summam Scutorum 32. mill. de quibus vti obnoxijs oneribus matrimonij in taxatione supradicta nulla ratio per Dominos habita fuit, & sic patet non subsistere, quod pro parte Domini Valerij allegabatur circa eius paupertatem, quia ex prædictis apparet bene posse se, & eius familiam alere secundum ipsius qualitatem, & conditionem, ac etiam dicta modica alimenta dicto Octauiano eius fratri pauperi vxore, & filijs adeo grauato.

7 Quo vero ad illud, quod dicebatur pro parte Octauiani de multiplico Scutorum 200. mill. ex dispositione Episcopi Scipionis, placuit DD. responsio data ad hunc illud nõ esse perfectũ, nec ex eo Dominum Valerium modo percipere nisi Scut. 3. mill. annua ideoque non posse pro nunc de illo haberi aliam rationem ad taxationem alimentorum, quæ habebitur, quando D. Valerius de eius fructibus disponere poterit. Et ita decisum, &c.

R. P. D. PAMPHILIO.

Bononien. Transactionis de Capacellis. Lunæ 2. Decembris 1613.

ARGVMENTVM.

Transactio ex capite læsionis rescindi potest, qualis debeat esse lesio transactionem rescindens, & quomodo probanda, & an transactionem impugnans debeat restituere, quod ex transactione recepit.

SVMMARIVM.

Exceptio transactionis dicitur exceptio, litis, finitæ, & impedit litis ingressum, num. 1.

Transactio ex capite læsionis rescindi potest, nu. 2. Vbi etiam quomodo in transactione dicatur apparere de lesione, & numer. 5.

Læsio non præsumitur, & illam allegati incumbit onus probandi, num. 2. in fine.

Fructus per possessorem bona fide consumpti ante petitionem fideicommissario non debentur. nu. 3.

Transactionem impugnans non auditur, nisi restituto omni eo, quod ex transactione recepit. Declara, vt nu. 6.

DECISIO DXXXIX.

1 FVit per Dominos resolutum, transactionem obstare, quia fuit facta inter Dominam Hyppolytam, & Dominam Iuliam de Capacellis seruatis omnibus solennitatibus de iure, & ex forma Statuti Bononien. requisitis, quæ propterea cum sit exceptio litis finitę, impedit litis ingressum, *l. fratres, & ibi Dec. num. 1. & alij. C. de transact. cap. 1. de lit. contest. in 6. Maranta de ord. iud. par. 6. memb. 9. nu. 11.* & fuit resolutum coram me in causa Bononien. Portionis 12. Nouembris 1613. & alias sæpissime.

2 Nec releuare lęsionem, quæ contra eam deducitur, quia licet secundum magis communem opinionem, quam seruat Rota ex capite læsionis trãsactio rescindi soleat, iuxta terminos, *l. 2. Cod. de rescind. vend. late Gabr. de empt. & vendit. conclus. 1. sub num. 68. & sequent.* & tenuit Rota in causa Tirasonen. Decimarum coram Robusterio relat. inter impressas decisiones 102. *num. 2. par. 1. diuers.* Tamen ex deductis in casu isto non satis apparet de læsione in magna summa, iuxta terminos, *d. l. 2. C. de rescind. vendit.* habito respectu ad dubium litis euentum, *gl. in l. Lucius, §. fin. ff. ad Trebel. & ibi Bart. num. 3. & in leg. societatem, §. arbitrorum, numer. 28. ff. pro socio. Affliction. decision. 220. numer. 3.* cum *alijs late adductis, per Gabr. de empt. & vendit. conclusion. 1. sub numer. 68.* & tenuit Rota in causa Romana Deuolutionis Bonorum. 26. Martij 1590. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio, nec satis euidenter, prout requiritur ed istum effectum, *leg. si circumscripta. Cod. solut. matr.* cũ alia læsio non præsumatur, & illam allleganti incumbat onus probandi. *Abb. consil. 64. num. 3. in fine. part. 1. Roland. consil. 92. num. 17. libr. 2. & consil. 28. numer. 21. libr. 4. Natt. consil. 650. numer. 8. circa medium. libr. 4.*

3 Nec placuit DD. quod dicebatur de fructibus, qui Claudio debebantur à die purificati fideicõmissi, propter defectum lineæ masculinæ Hieronymi senioris, etiam ante petitionem, & tamen Domina Hippolyta ab illorum restitutione in laudo, per transactionẽ cõfirmato, absoluta fuerit. Quia regulariter fructus per possessorem bona fide consumpti an petitionem, fideicommissario non debentur. *Castr. cons. 94. numer. 2. vers.*

vers. praeterea. lib.2. Corn. cons.200. num. 12. libr. 4. Gabr. cons.93. nu.14. lib. 2. & fuit dictum in causa Viterbien. Fideicommissi. 13. Iunij 1601. coram Reuerendissimo Domino Damasceno. Fructus vero post litem contestatam, licet de iure debeantur, tamen ad istum effectum non releuant, quia non constat de illorum quantitate, & potest esse recompensata ex praetensionibus Hippolytae, quae plura etiam in transactione concessit, vt patet ex eius lectura.

4 Minus placuit, quod in bonis liberis Ioanni, Baptistae fratris Dominae Hippolytae praedefuncti Claudius patruus succedere debuisset simul cum Domina Hippolyta ex *Bononien. Statut. de success. ab intest. ascen. & collat. §. agnati. namque masculi*, quae bona dicuntur esse valoris Scutorum viginti millium. Quia praeterquam quod contra filiationem, & legitimationem Claudij plura opponebantur pro parte Dominae Hipolytae, ex quibus satis dubium erat, an comprehenderentur in dicto statuto, presertim, quia illud loquitur vbi concurrunt simul soror, & patruus. In casu autem, de quo agitur, praeter supradictos aderant etiã mater, & auia paterna. Vnde apparet, quod plures articuli erant discutiendi, per quos litis euentus satis dubius reddebatur, fuit etiam responsum, quod valor dictorum bonorum in facto non verificatur, prout requiritur ex supra deductis.

5 Praeterea Domini considerabant, quod ex quo plura in transactione per partes hinc inde data, & recepta fuerunt ad hoc, vt dicatur euidenter constare de laesione, non solum est habenda ratio de ijs, quae fuerunt remissa Hipolytae, sed etiam de omnibus ijs, quae per eandem fuerunt data, & remissa D. Iuliae, maxime quia ex deductis per Informantes visa fuerunt Dominis non minoris valoris esse ea, quae per Iuliam fuerũt recepta, quam ea, que per eandem data fuerunt.

6 Et tanto minus Domina Iulia in casu isto videbatur audienda contra huiusmodi transactionem, quia nondum restituit ea, quae illius vigore recepit, quae tamen in primis restituere tenetur ex dispositione, *l. si diuersa, C. de transact.* & licet ex iusta causa posset retinere, quod ex alia iniusta recepit, ex *Neguss. de pignor. par.3. num.17. Archil. decis.4. de caus. poss. & propr.* ex hactenus tamen deductis de huiusmodi iusta causa nullibi apparet. Et ita decisum, &c.

R. P. D. VBALDO.

Romana Pecudum. Lunae 1. Decembris 1613.

ARGVMENTVM.

Periti de consensu partium electi relationi standum est, & quando peritus possit super connexis pronunciare, & de Administratore non conficiente librum rationum, an, & ad quid condemnari possit.

SVMMARIVM.

Periti de consensu partium electi relationi standum est, n.1.
Libro priuato rationum statur circa expensas minutas, nu.3.
Administrator quilibet tenetur conficere librum rationum, n. 4. Vbi amplius quod non sufficit loco libri exhibere paginas manu administratoris confectas.
Lucrum potius praesumitur, quam damnum in retentione pecudum, nu.5.
Arbiter potest pronunciare super connexis, & dependentibus siue quibus non potest sibi expresse commissa commode explicare, num.6.
Mors animalium dicitur casus fortuitus, & illius periculum spectat ad Dominum, non autem ad Adminstratorem, numero 8.

DECISIO DXL.

1 CVm D. Cosmus Gambarus administrasset massariam pecudum D. Veronicae Murtulae, & super redditione rationis praedictae administrationis orta fuisset controuersia inter partes, & causa in Rota commissa fuit de consensu earundem partium, & de mandato Rotae electus peritus D. Bernardinus Maffaeius qui post maturam discussionem dedit relationem in actis, circa quam cum adhuc partes in aliquibus dissentirent, proposui dubium, an sit standum d. relationi, & in qua parte, & Domini firmarunt, standum esse in totum dictae relationi, cum peritus fuerit electus seruatis seruandis, & de consensu partium, vt dixi, *gl. in l. item si vnus, §. principaliter in verb. auctoritati. in fin. ff. de arbitris Bart. in l.1. §. vltimo, & ibi Castr. in fin. Alex. num. 4. & Iason. num. 7. vbi de communi, ff. de verborum obligationib. Paris. consil.96. num.32. libr. 1.* & fuit resolutum in causa Romana Mercedis. 14. Nouembris 1611. coram me.

2 Et quia dicta relatio hab et duas partes principales quo ad primam continentem calculum ad creditum Cosmi, in Summa Scutorum 862. 35. pro tot solutis creditoribus Dominae Veronicae, & expensis factis in Massaria vsque ad diem 2. Nouembris, de anno Millesimo sexcentesimo nono, comprehensis, tamen duabus partitis quas peritus remittit Rotae iudicio partes non discordant, nisi in dictis duabus partitis, quarum Domini dixerunt non esse habendam rationem nisi prout infra. Prima enim est Scutorum 77. debitorum administratoribus Annonae, quibus erant soluenda à Cosmo de mandato Veronicae, & non docet soluisse nisi Scuta 20. 70. vt apparet ex quietantia, & licet Cosmus asserat amisisse quietantiam aliorũ à se solutorum, tamen amissionẽ non probat, nec cautio oblata de releuando Veronicam indemnẽ Cosmo suffragatur ad eum liberandum à solutione promissa.

3 Altera vero Scutorum 78. quae Cosmus asserit soluisse ante consignationem pecudum pro ex pensis factis, nec etiam iustificatur, & licet in instrumento fuerit ei data facultas expediendi, & prouidendi pro vsu dictarum pecudum, non tamen fuit conuentum stari circa expensas eius dicto maxime cum non reportauerit vllas quietantias, nec reticuerit librum rationum. Vnde non intrat quaestio, an circa expensas minutas stetur libro rationum, vt per *Crauett. de antiq. temp. par.5. sect. vers. quid in libro officialis, num.4. & 5.* Et sic ista prima pars relationis reducitur ad Scuta 728. 5. ad decretum Cosmi.

4 Circa secundam partem illa continet duo capita principalia, primum est, quod a die secunda Nouembris 1609. vsque ad diem 12. Iunij 1612. Peritus reperit creditorem Cosmum in Scutis 758. 90. iuxta computum datum ab ipso Cosmo. Sed cum istud computum non sit iustificatum, nec ex libro rationum, nec aliunde, vt dicitur in eadem relatione dictae relationis, videtur standum, cum sit super re ad Peritum pertinente, & ad quam fuit electus, & alias certum sit, quemlibet administratorem teneri conficere librum rationum, *leg.1. §. officio. ff. ad tutor. & rat. distrah.* qui licet loquatur in tutore, tamen extenditur ad quemlibet administratorem, vt ibi per *Bartol. Bald. & alios Doctor. Bald. cons.152.* vbi cumulat plura iura ad hoc propositum, *lib. 3. Angel. consil. 277. sub num. 5. Petr. de Vbald. tract. de duobus fratribus, par.12. numer. 7.* & in terminis administratoris pecudum est plenum, *consil. Gabr. 148. per totum libr. 1.* & quod non sufficiet si loco libri exhibeantur paginae quaedam, manu administratoris, confectae. *Bald. consil.152. sub nu.1. vers. verbi gratia. Gabr. d. cons.148. num.5.*

5 Secundum caput est, in quo peritus refert se esse huius sententiae, vt Cosmus lucratus fuerit per spaciũ qua-

quatuor annorum Iulios quatuor, pro quolibet capite ouis, & capræ, & in totidem illum esse condemnādum. Sed quia Cosmus retinuit pecunias supradictas quarum erat creditor pro seruitio Massariæ, ideo illū fecit debitorem Iuliorum quatuor pro quolibet capite deductis tamen capitibus 600. & sic pro illis, quæ supersunt, iuxta numerationem factam tempore celebrati instrumenti, nec non detractis ad fauorem Cosmi capitibus, quæ ipse ostendit vendidisse de anno 1609. vel docebit eo anno fuisse de mortua. Hoc etiam caput relationis videbatur Dominis, satis iustificatum, nec de eo Cosmum conqueri posse tum quia in hac administratione Cosmus non probat, se habuisse damnum, & lucrum in dubio præsumitur. *Socin.cons.24. num.41. libr.1.* Tum quia peritus illi attribuit lucrum 600. pecudum, pro interesse suarum pecuniarum, quas retinuit pro seruitio Massariæ, absq; eo quod probet requisita, de quibus per *Paul. Castr.in l. 3. §. fin.ff. eo quod cert.loc.*

6 Nec visum est subsistere, quod Peritus excesserit fines suæ peritiæ facultatis taxando lucrum, vt supra, quia cum Cosmus susceperit administrationem, nec rationem sufficienter reddiderit, vt tenebatur ex supradictis videtur licuisse perito hanc partem liquidare cum alias super redditione rationis referre non posset, vt dicitur de arbitrio, qui licet non possit excedere fines suæ facultatis, potest tamen pronunciare super connexis, & dependentibus sine quibus nō possunt sibi expresse commissa commode explicari, *gl. in l. non distinguemus, §. de officio. in verb.cautum.ff.de recept. arbitr. & in c.cum dilectus, in verb.de his. extra, eodem. tit. Feder.de Senis cons.216.D. Federico sub nu.2. vers.qu inimo & arbiter. Abb.cons.62. num.5. p.2.*

7 Nec est verum, quod peritus fecerit dictam taxam in pœnam non confectionis libri, & non exhibitionis computi, de anno 1613. cuius tamen anni fructus adhuc Cosmus non perceperat tempore factæ relationis, quia peritus fecit dictam liquidationem ob defectum non redditæ rationis à Cosmo, & sic non in pœnam, sed in subsidium, & ex necessitate, vt proxime dictum est, vt sonant verba relationis, ibi, *& perche detto Cosmo non mi mostra conto giustificato de libro de amministratione ne d'altra sorte son di parere, &c.* Nec peritus petijt computum anni 1613. sed anni præcedentis, vsque ad tempus relationis, quod fuit de mense Aprilis 1613. & sic per quatuor annos inceptos de anno 1609. vt patet ex verbis relationis, ibi *per quæsti quattro anni.*

8 Non obstat, quod peritus declarauerit periculum mortis animalium spectare ad Cosmum à mense Septembris 1609. & sic contra formam instrumenti, & contra regulas iuris secundum quas mors animalium tamquam casus fortuitus spectat ad Dominum, non autem ad administratorem, *l.contractus.ff.de reg. iur.cum allegatis*, quia obiectum cessat ex facto, cum nihil tale legatur in relatione, sed solum ad fauorem Cosmi, quod non teneatur ad quatuor Iulios taxatus pro capitibus demortuis, tempore æstatis 1609. Pro alijs vero si qua probabuntur mortua, post illud tempus relatio nihil declarat. Ex quibus ita fuit resolutum.

REVER. P. D. PAMPHILIO.

Mediolanen. Decimarum. Merc. 4. Decemb. 1613.

ARGVMENTVM.

De probatione terrarum existentium intra fines alicuius Ecclesiæ ad effectum soluendi decimas, quod ex visitationibus, ex instrumentis etiam enunciatiue loquentibus, & ex confessione partium constare dicatur.

SVMMARIVM.

Territoria esse intra fines alicuius Ecclesiæ parochialis, probatur ex visitationibus Episcoporum, num.2.

Enunciatiuæ plurium instrumentorum habent vim famæ, & probant in antiquis, nu.3.

Decimæ fructuum, qui recipiuntur ex territorio alicuius parochiæ illius Plebano, & Rectori debentur, num.4.

Decima vbi debetur, integra solui debet, nu.4.

DECISIO DXLI.

1 PRoposui dubium in specie, quo ad locum Colonij sub dismembratione anni 1578. minime comprehensum, an scilicet in bonis illius debeatur integra decima Ecclesiæ, & Canonicis Sancti Iuliani, & Domini affirmatiue responderunt, nam quod Ecclesia Sancti Iuliani sit Parochialis, satis constat ex resolutis sub die 13. Ianuarij 1612. quæ bene etiam comprobantur ex alijs, quæ inferius deducuntur.

2 Quod autem locus Colonij sit intra fines dictę Ecclesiæ Parochialis, satis pariter visum fuit probari ex pluribus visitationibus Archiepiscoporum Mediolani, & præcipuè ex visitatione facta de Anno 1602. in qua locus Colonij expresse dicitur esse Plebanatus S. Iuliani, quibus visitationibus ad istum effectum multum est tribuēdū, ex adductis in hac causa sub die 17. Ianuarij 1612. & tenuit Rota in alia Mediolanen. decimarum 22. Iunij 1611. coram Reuerendiss. Domino Lugdunen. & in alijs pluribus causis.

3 Et hoc etiam comprobatur ex instrumento anni 1317. in quo inter alias Ecclesia filiales, & subiectas dictæ Plebaniæ S. Iuliani non solum nominatur Ecclesia loci sexti, à quo locus Colonij vti membrum illius recepit Sacramenta absq; eo, quod decimas ei soluat, vel vllo vnquam tempore soluerit, vt etiam medio iuramēto declarauit Rector illius de anno 1611. sed etiam in eo apparet, quod vnus ex Canonicis dictæ Plebaniæ S. Iuliani pro sua præbenda optauit inter alia medietatem decimæ loci, & territorij de Colonio, cuius optionis effectuatio probatur ex plurib. instrumentis antiquissimis locationum, & quietantiarum, in quibus enunciatur etiam locus Colonij esse dictæ Plebis S. Iuliani, quæ enunciatiuæ cū sint plures, & emanauerint à diuersis Notarijs habēt vim famæ, & probant in antiquis. *Abb.cons.54. n.3. versic.3. probatur lib.1. Put.dec.209. lib.2.* & fuit dictum in causa Nouarien. Decimarum 16. Ian. 1604. coram Illustr. Lancellotto, & alias sæpissime.

4 Ex his remanet etiam probatum, decimam dicti loci deberi dictæ Plebaniæ S. Iulian. *c.fin.de Parochis, c. cum contingat. c. cum in tua. de decim.* quod vlterius probatur ex confessione pro parte Bartholomæi, & consortū in iudicio emanata, & licet ex ea non appareat decimam deberi integram id tamen non releuat, ex quo de iure vbi decima debetur, integra debetur, *c. commissum, c.peruenit. c.non est. c. tua nobis, de decim.* cum alijs adductis in hac causa sub die 18. Maij 1612. Et ita fuit conclusum solo Domino Platto. informante.

R. P. D. PAMPHILIO.

Iannen. Iuris patronatus. Lunæ 9. Decemb. 1613.

ARGVMENTVM.

In iure patronatus nepotes præsertim illegitimi non exprese vocati censentur exclusi.

SVMMARIVM.

Filij illegitimi non vocati à testatore censentur exclusi. numero 1.

Descendentes non debent esse melioris conditionis, quam ipsorum parentes, num. 1.
Exclusi à testatore censentur qui in testamento vocati non sunt. num. 1. & 2.
Nepotum appellatione numquid veniant filij, nu. 4.
Verba sunt referenda ad immediate præcedentia, nu. 4.
Verba vniuersalia restringuntur secundum subiectam materiam, num. 4.
Clausulæ restrictiuæ subsequentes operantur secundum præcedentes dispositiones, nu. 7.

DECISIO DXLII.

1 DOmini perstiterunt in decisis sub die 10. Iunij præteriti, quod scilicet descendentia à patrono obstet Ioan. Stephano, ea præcipue ratione quia, Ioannes Stephanus descendit ab Ibleto patrono clerico mediante persona Laurentij eius filij illegitimi nati dum Ibletus erat patronus, quia filij patronorum cum in fundatione non reperiantur vocati, sequitur quod tàm ipsi, quàm omnes alij ab eis descendentes, tanquam à linea seu radice infecta, & minime vocata remaneant exclusi, *Cephal. consil. 581. num. 38. cum duobus, seqq. Menoch. consil. 172. per tot. & de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 79. num. 25. Card. Mantic. de coniect. vltim. volunt. lib. 11. tit. 32. num. 33. & seq. Peregr. de fideicom. art. 26. numer. 6.*

Qui omnes ea potissimum ratione mouentur, quia descendentes non debent esse melioris conditionis quam ipsorum parentes, per *text. in l. si viua matre. C. de bon. matern.*

2 Quod autem fundator huiusmodi filios patronorum illegitimos in hoc patronatu vocare noluerit, visum fuit Dominis satis constare non solum ex eo, quod de illis expresse mentionem non fecit, *ad text. in leg. quidam cum filium, & ibi Bald. in fin. ff. de hæred. instit. l. commodissime. ff. de libe. & posthum. Aym. cons. 161. nu. 10. Menoch. conf. 85. nu. 86. & seq.*

Sed etiam ex pluribus in alijs decisionibus in hac causa factis ponderatis, ex quibus patet fundatorem de filijs patronorum non sensisse, seu cogitasse, nam post mortem Percinalli eius fratris clerici & patroni non vocauit illius filios, sed filios Comitis Nicolai ipsius fundatoris, ac dicti Perciualli nepotes pariter clericos, disponens quod frater fratri semper succedat, & deficientibus fratribus iura deuoluantur ad nepotes, idque etiam obseruauit in alijs substitutionibus, vt post obitum patroni succedere deberent fratres, & ex fratre nepotes & pronepotes, prout colligitur ex ipsa fundatione, *nu. 7. & seqq.* in qua nunquam fecit mentionem de filijs, & descendentibus patronorum, quos propterea censetur voluisse excludere iuxta *text. in l. quidam. circa fin. vers. res in extraneo, & ibi Bart. num. 6. ff. de verborum oblig. Surd. cons. 5. num. 59. & consil. 262. num. 14.* cum alijs allegat sub dicta die 10. Iunij præteriti, maxime quia si voluisset, de facili illos vocare potuisset, *l. vnic. §. sin autem, Cod. de caduc. tollen. Surd. d. consil. 262. num. 14. vers. & facile. Card. Mantic. de coniect. vltim. volunt. d. lib. 11. numer. 1. versicul. ex quo manifeste*, nec ita substituisset fratres nulla facta mentione de filijs quorum alias de iure erat prima causa successionis, *§. 1. instit. de hæred. quæ ab intest. defer. §. 1. auth. eodem tit. Ceph. consilio 283. num. 4. volum. 2.*

3 Quod etiam suadetur ex eo, quod fundator voluit vt quis tamdiu esset patronus, quamdiu esset clericus, & in clericatu permaneret, ex quo sequitur, vt eo ipso quod patronus ducebat vxorem, desinebat esse patronus, quod clare ostendit fundatorem in patrono considerasse statum clericalem, & cælibatum, & per consequens nõ potuisse cogitare de filijs natis ex aliquo existente patrono, & multo minus de illegitimis propter illius dignitatem, & alias eius qualitates, & circumstantias bene ponderatas in decisione coram bo. mem. Litta sub die 30. Ianuarij 1606. Quibus addi potest alia coniectura desumpta ex confirmatione fundationis facta à Gregorio X. & Clement. VI. quæ verisimiliter non emanasset si in fundatione vocati fuissent filij illegitimi patronorum, qui erant futuri clerici, ne scilicet sub spe sobolis procreandæ allicerentur ad incontinentiam.

4 Non obstat, quod deficientibus fratribus, qui possint, aut velint succedere, vocentur nepotes sui, quorum appellatione comprehendũtur etiam filij patronorum, siue illud verbum referatur ad nepotes ex filijs Nicolai, de quo ibi fuerat facta mentio secundum propriam illius verbi significationem, *l. 1. ff. de grad. l. iusta. ff. de verborum signif. Dec. in l. fin. sub num. 11. Cod. de success. edict.* siue ad nepotes ex fratre patroni prædefuncti secundum minus propriam illius significationem, de qua per *Felin. in cap. per tuas num. 45. de probat. Alex. cons. 49. n. 8. lib. 1.* Quia placuit Dominis responsio, illa verba esse referenda ad nepotes patrono vltimo loco prædefuncti, de quo fundator immediate locutus fuerat, *ad tex. in l. regula. §. fin. & ibi glos. verb. initium. ff. de iur. & fact. ignoran.*

Nec propterea sequi, quod comprehendat etiam filios illegitime natos ex aliquo existente tunc patrono, quos fundator non vocauit, de eis cogitauit, vt supra dictum est, sed satis esse, vt verificentur in alijs nepotibus patronorum, nam etiam verba vniuersalia restringuntur secundum subiectam materiam, *l. 3. §. si quis hæredi. ff. de stat. liber. cum similibus*, & vna pars fundationis declaratur ab alia, *ad text. in l. tertia. §. sed etiam inter duos. ff. de liber. & posthum. Aym. consilio 62. numer. 10.*

5 Neque suffragatur, quod supradicti nepotes, seu filij patronorum possint esse legitimi in pluribus casibus, vel quia antequam quis fuerit clericus, & patronus illos susceperit, vel postquam desierit esse patronus, & postea vxore defuncta rursus ad clericatũ reuersus sit, quia quicquid dicendum esset in dictis casibus, & similibus per Informantes pro Ioanne Stephano ponderatis placuit responsio in alia decisione data, quod ex vocatione filiorum legitimorum ex patronis ante acquisitionem patronatus, vel eo dimisso nõ potest aliquo modo inferri ad filios illegitime natos ex aliquo patrono de tempore quo erat patronus, qualis erat Laurentius filius Ibleti patroni, quẽ ex supra deductis patet fũdatorẽ noluisse vocare.

6 Et ex hoc tollitur etiam aliud fundamentum deductum, quod in hac fundatione illegitimi non sint semper exclusi, vt fuit decisum coram Illustriss. Cardinali Lancellotto, & firmatum coram me, quia quicquid sit de hoc in omnem euentum id posset intelligi de illegitimis aliorum, non autem de natis ex patronis de tempore quo erant patroni, in quibus si fũdator considerauit vitam clericalem, prout expressit in tota fundatione, multo magis censetur in eisdem considerasse continentiam propter eius eximias qualitates, & alias circumstantias ad istum effectum in alijs decisionibus ponderatas, & per consequens non cogitasse de eorum filijs illegitimis.

7 Nec placuit, quod pro vocatione istorum descendentium à patroni deducebatur ex verbis fundationis, sub num. 19. ibi, si contingeret aliquo tempore quod de supradictis ad quos iura prædicta deuolui debent modo, & ordine supradictis vel descendentibus eorumdem, iuxta hanc ordinationem nostram aliquis, vel aliqui essent, &c. quasi quod per illa verba fuerint vocati omnes descendentes Nicolai, quia fuit responsum illa verba, descendentes, & similia, esse restringenda ad fratres, nepotes, & pronepotes patronorum, qui supra in præcedentibus numeris fũdationis reperiebantur vocati, ponderando illas restrictiuas, ibi, modo, & ordine supradictis & ibi, iuxta

hanc

hanc ordinationem nostram, quæ operantur, vt secundum præcedentes dispositiones intelligi debeant. *Alexan.consil.173. num.6. lib.5. Surd.consi.123. numer.13. Magon. decis. Lucen.25. num. 54.* & per consequens ex huiusmodi verbis non possunt dici vocati dicti filij patronorum illegitimi, qui supra nullibi reperiuntur vocati, vt dictum est.

8 Nec potest controuerti, quin Laurentius, ex quo descendit Ioannes Stephanus, natus sit ex Ibleto, de tempore quo erat patronus, nam in instrumento apprehensionis patronatus per Othobonum de Anno 1498. narratur Ibletum per quadraginta, & plures annos fuisse patronum, & de illo tempore decessisse, quæ narratiua visa fuit remanere satis iustificata ex mandato dato ab eodem Ibleto vti patrono ad obligandum loca Sancti Georgij de Anno 1459. nec non ex alijs diuersis partitis medio tempore creatis de mãdato eiusdem, nempè de annis 1487. 1488. & pluribus sequentibus. Ideoque cum Laurentius, vt constat ex dispensatione ad beneficia à Sixto IV. per ipsum obtenta, natus sit de Anno 1469. vel circa, sequitur quod fuerit procreatus tempore quo Ibletus erat clericus, & patronus. Et ita decisum, &c.

R. P. D. VEROSPIO.

Bononien. de Guidalottis, Lunæ 9. Decemb. 1613.

ARGVMENTVM.

Aditio hæreditatis quando censeatur facta per locationem rerum hæreditariarum.

SVMMARIVM.

Protestatio facta ad vnum effectum non potest operari alium, & diuersum effectum. num.1. in fi.

Socius potest locare domos communes, quod enim est mihi commune cum alio meum dicitur. num.2.

Iura non recognita nullam fidem faciunt. nu.3.

Aditio hæreditatis per locationem rerum hæreditariarum nunquid facta dicatur. num. 3. in fine.

Conditionalis dispositio euanescit conditione non purificata. num.4.

DECISIO DXLIII.

1 Dominis placuit à decisione 3. Iunij proxime præteriti non credere, stantibus rationibus in ea deductis. Quod scilicet Plinius adiuerit pro quinta parte hæreditatem Antonij sui ex fratre nepotis, in vim locationum factarum ab ipso de domibus hæreditariis, non simpliciter, sed cum expressione, quod erant ipsius propriæ, quæ tanto magis concludunt aditionem, & per consequens dominium rerum hereditariarum, vt dictum fuit in decisione. Cui non videntur obstare de nouo in contrarium adducta, & primo quod istæ locationes per necesse non concludant aditionem, cum à Plinio fieri potuissent ex alio titulo, nimirum dominii, quod super bonis hæreditariis ille prætendebat ex appropriatione pro suo credito sibi facta, ixta protestationes ex aduerso allegatas, quod scilicet hæc bona Plinius voluerit pro suo credito retinere. Nam omisso, quod istę protestationes à Procuratore tantum ad lites emanauerint. Non tollunt in omnem euentum aditionem, ex qua resultabat bonorum hęreditariorum appropriatio per imaginariam solutionem Plinio pro illius credito factam, vt firmatum fuit in hac causa 14. Nouembris 1611. coram bon. memoriæ Penia. Cum qua ficta solutione non esse incompatibilem iudicialem, sed eam ad maiorem cautelam, & vt iura iuribus adderentur, ab eodem Plinio procurari potuisse, dictum fuit coram me in alia decisione, & vlterius cum protestationes fuerint circa possessionem bonorum Antonij, non possunt intelligi de quinta parte, quam Plinius per aditionem suam facerat, adeo vt pro dicta parte bona non essent amplius Antonij. *glos. in l. per hæreditarium. ff. de acq. rerum domin. gloss. magna. in l. 1. §. veteres. vbi DD. ff. de acquiren. possessione. Surd. decisione 144. num. 14. vers. dicebat.*

2 Nec pariter obstat, eundem Plinium integras domos vti proprias locando, id facere solum potuisse tanquam creditorem, cum ex titulo hæreditario solum in illis quintam partem haberet. Nam quamuis ille fuerit pro quinta parte solum heres, & sic domus haberet cum aliis cohęredibus communes, hoc tamen non obstante potuit eas integras locare ex traditis per *Bartol. in l. & hæc distinct o. §. cum fundum. num.2. ff. de loc. & conduct. Castrens. consil. 395. in princip. vers. illud. lib.2.* Quod enim est mihi cum alio meum dicitur *l. serui electione. §. Labeo. vbi glos. in verb. communis. ff. de leg. 1. l. in re communi. ff. de seruit. vrb. præd.*

3 Denique non obstant literæ Plinii nuper exhibitæ, ex quibus per eundem prætenditur hæreditas renunciata. Quia respondetur, eas non esse in forma probanti, nec recognitas, & propterea nullam in iudicio fidem facere. *cap. 1. & 2. de fide instrum. Alexan. consil. 105. num. 3. lib. 3. Afflict. decis. 81. num. 4.* Et in omnem euentum dato etiam, quod istæ literæ fuissent recognitæ, non releuarent. Primæ enim de anno 1582. die 28. Octobris solum continent hæreditatem Andreæ, non autem Antonil, de qua agitur, & proinde ad presentem casum nihil inferunt. Tanto magis, cum emanauerint post aditam hęreditatem ex prima locatione, & non acceptata tunc temporis renunciatione, superuenerit alia locatio, quę magis aditionem confirmauit *Bart. in l. gerit. num. 21. ff. de acq. hæred. Alex. consil. 32. num. 2. lib. 3. & consi. 126. num. 4. lib. 6.*

4 Aliæ literæ sub die sequenti, videlicet 29. Octobris eiusdem anni, sunt conditionales, vt ex illarum verbis apparet. Vnde non purificata conditione nihil possunt operari *l. si quis fundum. ff. de contrahen. emptio. Roland. cons. 58. num. 14. lib. 3.* Et postea stantibus predictis, hęc renunciatio, cum solum in vim cessionis posset sustineri, per necessarium antecedens hereditatis aditionem præsupponeret, ad *l. decem. & ibi Doct. ff. de verbor. obligat. Anchar. consi. 179. num. 4. Alex. consil. 152. num. 2. lib. 6. Socin. iunior consil. 107. num. 1. lib. 2.*

R. P. D. VBALDO.

Syracusana Fideicommissi. Mercurij 11. Decembris 1613.

ARGVMENTVM.

Testatoris voluntatem in legatis ad pias causas solus Papa commutare potest, neque id facere solet nisi quando voluntas adimpleri non potest, & an desuper valeat transactio inter Ecclesiam substitutam, & hæredes.

SVMMARIVM.

Transactio non obstat illi, de cuius præiudicio agitur sine illius consensu. num.1.

Papa nunquam supplet defectum consensus. num.1.

Oeconomi alicuius Monasterii, & exequutores instituti nullo alio dato hærede sunt loco hæredum vniuersalium, ita & substituti habentur loco fideicommissariorum vniuersalium. num.1. in fine.

Testatoris voluntas in legatis piis non potest immutari per aliquem, nisi per Papam, qui nec etiam solet mutare, nisi quando voluntas adimpleri non potest. nu.2.

Beneplacitum Apostolicum dicitur subreptitium, quando in sup-

in supplicatione non narrantur qualitates substantiales. num. 3.

Beneplacitum Apostolicum si in euidentem Ecclesiæ vtilitatem contentum requirit, vt Ecclesiæ vtilitas sit clara, & indubitata. num. 4.

DECISIO DXLIV.

1 Franciscus Maluasia Canonicus Syracusanus, instituto hærede Iosepho sororis filio voluit, vt decedente sine filijs legitimis, & naturalibus succederet in omnibus suis bonis œconomus, & procurator Conuentus S. Mariæ Succursus Syracusan. sub titulo S. Augustini ad effectum construendi Ecclesiam dicti Conuentus pro salute animæ suæ, & suorum remissione peccatorum. Iosephus concordauit cum fratribus eiusdem Conuentus pro Scutis 500. in præsentis soluendis, & pro alijs Scutis mille, deponendis ad effectum inuestiendi in bonis stabilibus, quorum vsusfructus pertineret ad hæredem, & alios vocatos in testamento, & eueniente casu fideicommissi in illis succederet Conuentus. Quæ concordia fuit ratificata per Patrem Generalem dicti Ordinis S. Augustini sub expressa conditione Beneplaciti Apostolici, quod fuit expeditum in forma si in euidentem, sed eo non executo, interim Ioseph hæres grauatus decessit sine liberis, vnde fratribus prætendentibus successionem in dictis bonis, & causa deuoluta in Rota, fuit primo dubitatum, An esset factus locus fideicommisso, & affirmatiue resolutum 16. Nouembris anni præteriti, nisi tamen obstaret prædicta concordia, de qua fuit reseruatum, vt particulariter videretur, circa quod dubium Domini primo dixerunt die 11. Februarij præteriti, vt exhiberetur Breue Beneplaciti Apostolici, & Constitutiones dicti Ordinis, deinde mandarunt die 13. Maij præteriti, vt firmaretur status hæreditatis tandem in hodierna propositione fuit resolutum concordiam non obstare.

2 Fundamentum præcipuum fuit. Quia quicquid dicendum esset, si substitutio fuisset facta simpliciter Conuentui, Tamen cum fuerit facta Oeconomo, & procuratori pro fabricanda Ecclesia, vt surpa dictum est, qui est persona laica, & hodie est in causa, sed non interuenit in concordia, neque suplicauit, nec mandatum dedit pro confirmatione obtinenda, videtur sine ipsius consensu, nec iniri concordia, nec confirmatio peti potuisse, vt fuit in simili dictum in Burgẽ. Decimarum de Scalante 30. Ianuarij 1589. coram Bubalo. Papa enim nunquam supplet defectum consensus. *Sarnen. in compend. vtr. signat. num. 71. vers. idem est. Rota decis. 458. in fin. lib. 3. par. 3. diuers.* Et non est dubium quin sicut isti Oeconomi, & executores nullo alio dato hærede sunt loco hæredum vniuersalium, *cap. cum tibi, vbi Innoc. & alij. de testam. Barto. cons. 3. num. 3. lib. 1. cum alijs per Menoc. de adipisc. remed. 4. num. 268.* ita in substitutione vim habeant fideicommissariorum vniuersalium, prout arguit idem *Bar. consi. 56. nu. 2. lib. 1. & q. 13. num. 8.*

3 Mouebantur etiam Domini, quia voluntas testatoris fuit explicita in testamento, vt fabricaretur Ecclesia pro salute animæ suę, & remissione peccatorum, quæ voluntas non potuit immutari per fratres dicti Conuentus, sed id pertinebat ad solum Papam, clem. quia contingit, *& ibi gl. in vers. Apostolicæ, & Card. in 10. notab. num. 4. de relig. domib. Lap. alleg. 87. nu. 2. & ibi addentes, Oldrad. cons. 61. in fin.* qui nec etiam solet mutare, nisi quando voluntas adimpleri non potest, *Lap. d. alleg. 87. nu. 6. Mandos. post alios ibidem in. vers. nos quidem*, & fuit resolutum in causa Ciuitatis Castelli Bonorum 17. Augusti 1583. coram Robusterio, in proposito autem non docetur, non potuisse construi Ecclesiam ex bonis à testatore relictis.

4 Quibus sic stantibus non videbatur suffragari confirmatio Apostolica, quia cum non fuerit Papæ narratum, nec de persona Oeconomi, cui erat relictum, nec de causa relicti, sed simpliciter fuerit præsuppositum domum, vel Conuentum dictorũ fratrum debere in prædictis bonis succedere eueniente casu fideicommissi eius beneplacitum videtur subreptitium. *c. cum adeo. c. ad aures. c. constitutus. c. dilectus. de rescr.* & corruit ex defectu intentionis, *gloss. & Doctor. in clem. si Romanus. de præben. Bellamer. decis. 474. Paris. cons. 74. nu. 23. & seq. lib. 4. Rot. decis. 451. nu. 1. p. 1. diuers.*

5 Concurrebat etiam iuxta mentem Dominorum non modica læsio Ecclesiæ in dicta transactione, cum in ea fuerit taxata vniuersa hæreditas ad Scuta 1500. quę tamen ex calculo dato per Informantes pro Monasterio, & ex pretio bonorum venditorum iuxta ęstimationem peritorum apparebat longe opulentior, & tamen ad iustificationem beneplaciti in forma si in euidentem, vtilitas debet esse clara, & indubitata, *c. sine exceptione. 12. quæstio. 2. & ibi Bellam. in princip. cum alijs per Rotam decis. 65. nu. 17. par. 2. diuers.* Et fuit dictum in Lucana Bonorum 11. Februarij præteriti coram R.P.D. meo Pamphilio, & alias sæpe.

6 Nec ista læsio videtur posse euitari sub prætextu, quod poterat dari casus, vt per centum, vel mille annos non fuisset purificatum fideicommissum, nam nec Conuentui antea debebantur Scuta mille, sed eorum vsusfructus pertinebat ad hæredem ex forma dictæ transactionis, ita vt transactio fuerit facta solum pro Scutis 500. sine vlla mentione fabricæ construendæ, iuxta mentem testatoris, & sic intrant supra allegata. Ex quibus fuit conclusum, concordiam non obstare.

REVER. P. D. MANZANEDO

Romana Pecuniariæ, Mercurij 11. Decemb. 1613.

ARGVMENTVM.

Societate officij numquid perlucretur quis per decapitationem illius, qui pecunias dedit ad societatem, & quod si ante decapitationem decapitati bona fuerint per sententiam publicata.

SVMMARIVM.

Obligationis Cameralis exequutio retardari non potest. num. 1.

Bona vbi confiscata fuerunt, illorum Dominium ipso iure transit in fiscum. nu. 2.

Societas officij dicitur finita per publicationem bonorum. num. 2.

Societatem offico quis superlucrari non potest per mortem dantis pecuniam ad societatem, quando ante mortem illius bona fuerunt publicata. num. 2.

Societatem officij, an quis superlucretur per decapitationem illius, qui pecunias dedit ad societatem. num. 3.

Minor potest contrahere sine solennitatibus statutarijs, quando contractus, vel minori est vtilis, vel necessarius. num. 4.

Curator in re satis dubia potest transigere pro pupillo. num. 4. in fine.

Restitutio in integrum non retardat exequutionem iam cæptam per relaxationem mandati. num. 5.

Societatis officij ratificatio dicitur facta per exactionem partis dictæ societatis. num. 6.

DECISIO DXLV.

1 Visum fuit Dominis mandatum Auditoris Cameræ esse exequendum, cum de eius validitate constet in actis, ex quorum resolutione regulariter probatur validitas sententiæ, vt fuit dictum in vna

Anco-

Anconitana separationis Thori 9. Ianuarij 1600. coram Illustrissimo Lancellotto, & de eius iustitia appareat ex eo, quod fuit relaxatum in vim publici instrumenti societatis Scutorum 1212. initæ cum filijs Piccinardi de anno 1608. per D. Ducem Sancti Gemini curatorem D. Marchionis à Cornea in renouationem primæ Scutorum 1700. contractæ de anno 1605. per bon. mem. Abbatem Cæsarem à Cornea, cum Piccinardo, cuius quidem instrumenti executio retardari non potest, cum sit Camerali obligatione vallatum. *Gabr. consil. 67. num. 8. lib. 1. Menoch. de arbitr. cas. 17. num. 5. Galles. ad form. oblig. Camer. p. 1. q. 2. nu. 11. & 12. Rota diuers. decis. 741. nu. 1. p. 1.*

2 Non obstat, quod dicta societas Scutorum 1700. esset superlucrata per mortem Piccinardi, quia eo ipso, quod per sententiam eius bona fuerunt publicata, illorum dominium transiuit ipso iure in fiscum absque vlla apprehensione, *Barto. in l. 1. §. an bona. ff. de iure fisci. Raphael Cuman. consi. 32. num. 2. Ruin. consi. 31. num. 3. & sequ. li. 4. Franc. Luc. de fisc. eius priu. p. 1. num. 92. & p. 2. in tit. de public. bon. in fin. Angel. in tract. de malefic. in verb. eius bona. vers. & not. at. Boss. in tit. de public. nu. 25. Peregr. de iure fisci. lib. 5. tit. 1. num. 52.* & societas remansit dissoluta. *§. publicatione. Instit. de societate. & l. actione. §. publicatione, & l. verum. §. fi. ff. eodem.* Vnde adueniente morte naturali post finitam societatem, & postquam sors principalis illius transiuerat in fiscum illa superlucrari non poterat. *Gabr. consilio 78. nume. 1. lib. 1.*

3 Nec ad rem facere visum fuit decisio in causa Romana societatum 16. Aprilis 1612. coram Reuerendissimo Damasceno, quia illa est restricta tantummodo, an mors, de qua ibi, esset naturalis, vel violenta, ad effectum, vt fieret locus pacto de superlucrando societatem, de quo articulo hodie hic non agitur.

4 Minus obstat, quod in contractu renouationis non fuerint adhibitæ solennitates statutariæ, cum illæ non requirerentur, tum quia dicta renouatio fuit vtilis minori, cum in ea ex gratia Sanctissimi fuerit illi remissa tertia pars debiti. *Roman. cons. 453. in princ. Soc. cons. 160. num. 12. & 17. lib. 2.* & fuit dictum in vna Romana legati 22. Iunij 1607. coram me. Tum etiam, quia fuit facta ex causa necessaria, *Ias. in l. si vnum. §. pactus. ne peteret. num. 29. ff. de pact. Gabr. consil. 20. num. 43. & 50. lib. 2. Put. decis. 105. num. 3. lib. 1. Caput. decis. 199. in fi. p. 3.* & fuit resolutum in causa Imolen. Contractus dotis. 18. Iunij 1610. coram me, nempe pro debito dictę societatis Scutorum 1700. initæ per Abbatem Cæsarem, pro quo ipse minos tanquam illius hæres sine beneficio legis, & inuentarij remanebat obligatus, cum vel non fuerit superlucrata, vt supra demonstratum est, vel hoc esset satis dubium, quo casu bene potuit curator transigere. *Abb. consi. 39. num. 1. vol. 1. Natt. consil. 45. num. 5. Roland. consil. 76. num. 4. 5. vol. 1. Borgnin. de tutor. & curat. num. 55.*

5 Nec facit, quod D. Marchio obtinuerit restitui aduersus omissam inuentarij confectionem, quia restitutio non retardat exequutionem iam cœptam per relaxationem mandati, de cuius executione nunc agitur, ex notatis *ad Ripam in l. 4. §. condemnatum. nume. 30. vers. aliquando petitur restitutio. ff. de re iudic. Alex. consil. 223. num. 6. lib. 6. Put. decis. 285. lib. 2. Cæsar. de Grass. decis. 1. nume. 14. de restit. in integrum.* & fuit dictum in vna Alerien. Beneficij 4. Iunij 1612. coram me. Vltra, quod dicta restitutio nihil operatur, nā etiā illa admissa D. Marchio tenetur ex proprio contractus, cum post aditionem ipsemet dictam renouationem fecerit mediante persona sui curatoris. *Dec. cons. 300. num. 8.*

6 Non obstat denique, quod renouatio societatis non fuerit ratificata per dictos filios Piccinardi, cum de contrario constet ex cessione Scutorum 800. istius societatis pro rata Do. Gauotto facta, ex quo dictam renouationem facto ratificasse videntur, maxime, quia in re integra vigore dictę renouationis, ipsi egerunt pro recuperatione sortis principalis, & in omnem euentum huiusmodi defectus ratificationis operaretur, ne fructus ad rationem 12. peti possent, non autem ne sit restituenda sors principali, quam eorum pater soluit, & pro qua solummodo fuit relaxatum dictum mandatum, quod Domini ex supradictis esse exequendum resoluerunt.

R. P. D. PAMPHILIO.

Pampilonen. Iuris patronatus de Aya. Lunæ 16. Decembris 1613.

ARGVMENTVM.

De probatione Iuris patronatus notanda aliqua, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Testes, vt probent ius patronatus, quomodo deponere debeant. num. 1.

Ius patronatus an probetur per testes deponentes de publica voce, & fama. num. 2.

Ecclesia aliqua, & Rectoria vbi constat, quod sit de iure patronatus, præsumitur etiam quod beneficia in dicta Ecclesia existentia sint eiusdem iuris patronatus. numero 2.

Iuris patronatus non præiudicant prouisiones Apostolicæ, quia in dubio Papa non intendit præiudicare patronis laicis. num. 3.

DECISIO DXLVI.

1 PRo Dominis de Zarauz informantibus nempè constare de iure patronatus beneficiorum in Ecclesia Sancti Stephani, de quibus agitur ad fauorem Dominorum Palatij de Ayagoytia, & Zarauz ex testibus vigore remissoriç examinatis, qui super decimo bene deponunt, quod ex quo antiquitus creuerunt tam reditus dictę Ecclesię, seu Rectorię quam numerus Parochianorum fuerat de consensa patronorum dismembrata certa quantitas bonorum, & fructuum de vniuersis bonis, & redditibus dictæ Ecclesiæ, ex quibus fuerunt primo loco fundata, & dotata tria ex dictis beneficijs, & post aliquot dies alia duo, quodque propterea Domini dicti Palatij pro tempore fuerunt semper habiti, & tenti, & communiter reputati patroni dictorum beneficiorum, sicut dictæ Ecclesię, & fuerunt in quasi possessione præsentandi per 40. & plures annos.

2 Nec non deponunt de publica voce, & fama, cum omnibus requisitis immemorabilis, quæ probatio visa fuit sufficiens in casu isto, in quo cum iam fuerit firmatum die 30. Octobris præteriti, quod Ecclesia, & Rectoria sit de iure patronatus de facili etiam præsumitur, quod beneficia in dicta Ecclesia existentia dicantur de iure patronatus, vt contentum sequatur naturam continentis. *Rota decis. 15. & 16. de iure patr. in antiqu. Felin. in cap. cum. venerabilis. sub. num. 37. vers. tu vide Rotam de except. Abb. cons. 106 num. 2. p. 2.* & fuit resolutum in causa Bononien. Cappellæ 29. Februarij 1608. coram R. P. D. Decano, & in causa Papien. Iuris patronatus 17. Februarij 1612. coram R. P. D. meo Manzanedo, maxime quia in dubio præsumuntur fundata, & dotata de reditibus eiusdem Ecclesiæ. *Rot. decis. 4. post med. versicul. nam sicut patrono, de concess. præben. in nou. Felin. in d. c. cum venerabilis. num. 39. vers. imo dicunt. de excep.*

3 Nec obstare prouisiones Apostolicas, quia præter alias responsiones in facto deductas, quæ DD. placuerunt, fuit etiam dictum, quod ille non mutant statum, ex quo Papa in dubio non intendit predicare pa-

re patronis laicis. *Dec. consil.* 126. *subnumer.* 4. *Achill. decis. vltima. de iure patr.* Et fuit sepe decisum, & ita resolutum.

REVERENDISS. P. DOMINO DAMASCENO.

Foro Sempronien. Pensionis, Lunæ 16. Decembris 1613.

ARGVMENTVM.

Pensionarius, nisi probauerit purificationem conditionis in reseruatione pensionis appositam, non potest ad pensionem agere præterquam, nisi fuerit in quasi possessione exigendi. Et quomodo hec quasi possessio exigendi acquiratur.

SVMMARIVM.

Clausula arbitrio Rotæ debet regulari prout de iure. num. 1.

Pensio reseruata, dummodo pro Episcopo mille ramaneant, non debet solui, nisi prius pensionarius probauerit conditionis implementum, quod scilicet pro Episcopo remaneant mille. num. 2. & 3. vbi ampliatur hæc conclusio, etiamsi Episcopus pensioni consenserit.

Pensionis solutio non retardatur ex eo, quod non sit purificata conditio in reseruatione pensionis apposita, quando pensionarius est in quasi possessione exigendi. nu. 4.

Solutio partis eius, quod deberi prætenditur, an constituat recipientem in quasi possessione exigendi. nu. 8.

Quasi possessio recipit suum esse ab animo, & patientia illius contra quem quis prætendit acquirere quasi possessionem. num. 8.

DECISIO DXLVII.

1 DOminus Episcopus Accorombonus, cui ex causa resignationis Ecclesiæ Foro Sempronien. super eadem fuit reseruata annua pensio Scutorum 1200. cum clausula, dummodo mille ducati remaneant liberi Præsuli dicte Ecclesie pro tempore existenti, instabat contra D. Landum modernum Præsulem d. Ecclesie pro integra solutione annorum Scutorum 1200. super quo cum obtinuisset quoddam decretum, Signatura commisit mihi causam in Rota, cum clausula non retardata solutione arbitrio Rotæ. Vnde dedi dubium, an esset locus arbitrio pro retardanda solutione integræ pensionis, & pro affirmatiua fuit tentum, quia arbitrium debet regulari, prout de iure, *Bart. in Extrauagan. ad reprimendum, verb. videbitur. num.* 8. & millies fuit dictum in Rota.

2 Et de iure est, quod quando adest dicta clausula, dummodo non cogatur Beneficiatus soluere pensionem, nisi Pensionarius probet implementum conditionis, hoc est, quod mille remaneant pro beneficiato, *Cassador. decis. 8. nu. 8. vers. secus si à principio. de rescrip. Gig. tract. de pension. q. 85. num.* 10. *vers. nouus erit casus*, Rota in causa Vercellen. pensionis 28. Iunij 1590. coram Illustrissimo Mantica, in Vicen. pensionis 13. Martij 1595. coram bon. mem. Cardinali Seraphino, Asculana pensionis 23. Iunij 1593. coram Orano, Meleuitana pensionis 27. Iunij 1597. coram Litta, Carpentoraten. pensionis 15. Martii 1601. coram Illustrissimo Lancellotto, Cremonen. pensionis 19. Aprilis 1611. coram R. P. D. Caualerio, & alibi sæpissime.

3 Et procedit etiam si beneficiatus consenserit pensioni, quia consensus habet in ventre eamdem conditionem, quam habet gratia, cui accedit consensus, nempe dummodo mille remaneant pro beneficiato, vt fuit decisum in Salamantina pensionis 26. Martii 1596. coram Gipsio, Lunen. Sarzanen. pensionis 15. Februarij 1593, coram bon. mem. Cardinali Seraphino, Portugallen. dismembrationis fructuum 9. Martij 1598. coram Illustrissimo Lancellotto, Aretin. pensionis 24. Maij 1599. coram Litta, atque in pluribus alijs.

4 Et licet prædicta non habeant locum quando pensionarius est in quasi possessione exigendi, quia tunc non retardatur solutio sub prætextu, quod minime sit probatum mille remanere pro beneficiato, *Mohed. decis. 9. num. 1. & 2. de caus. possess. & propr. Cassad. d. decis. 8. num. 8. vers. nisi agens de rescrip.* & fuit dictum in Senen. pensionis 12. Ianuarij 1596. coram Illustrissimo Mantica, Firmana pensionis 16. Ianuarij 1592. coram bon. mem. Cardinali Blanchetto, Asculana pensionis 23. Iunij 1593. coram Orano, & procedit etiam contra successorem illius, qui soluit ad *decis. Guid. Pap. 629. nu. 2. Put. 151. lib. 3. Gig. trac. de pension. q. 47. num.* 10. Rota in causa Regien. pensionis 26. Iunij 1598. coram Orano, in Parmen. pensionis 4. Iulij 1603. coram R. P. D. Decano, & Campanien. pensionis 20. Iunij 1611. coram R. P. D. Vbaldo.

5 Attamen visum fuit Dominis non probari talem possessionem in hoc casu, nam D. Accorombonus duas tantum exhibuit quietantias à se per publicum instrumentum factas, in quarum vna ipse fatetur se recepisse à D. Canaulio tunc Presuli Forosempronien. Scuta 113. in pecunia numerata, quæ esse dixerunt pro integra, & finali solutione duorum terminorum, alterius in festo Sancti Ioannis Baptistæ mensis Iunij 1610. & alterius in festo Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi eiusdem anni incœptorum, in secunda vero tractatur, quod D. Accorombonus recepit ab eodem D. Canaulio, seu eius procuratore Scuta 700. pro pensione eidem D. Accorombono reseruata, scilicet pro duobus terminis maturatis in Festiuitate Sancti Ioannis Baptistæ 1611. & alterum in Natiuitate Domini Nostri Iesu Christi eiusdem anni, de quibus quietauit, &c.

6 Ex istis prætendebat D. Accorombonus, vel probari integram solutionem Scutorum mille ducentorum, quasi quod illæ quietantiæ contineant confessionem de recepto quo ad totum, quæ confessio de recepto sufficit ad istum effectum, vt in Reatina pensionis, 13. Decembris 1592. coram bonæ memoriæ Cardinali Pamphilio, vel quatenus etiam probaret tantum solutionem partis, quod ista solutio partis debeat sufficere ad effectum, vt ipse dicatur constitutus in quasi possessione exigendi totum, vt in eadem Reatina pensionis, & in Pampilonen. pensionis 16. Ianuarij proximi coram me.

7 Sed neutrum ex prædictis visum fuit subsistere, nam quantum ad primum fuit dictum in primis, conclusionem non procedere, nisi concurrentibus adminiculis pro integra solutione, vt habetur in eadem decisione, quæ quidem adminicula hic non adsunt, sed potius sunt in contrarium, vt infra dicetur. Secundo illa conclusio videtur procedere, quando confessio de recepto est de toto, puta si D. Accorombonus confessus fuisset, se habuisse Scuta mille ducenta, pro duobus terminis maturatis, &c. secus si potest adaptari ad partem tantum, quia possibilitas excludit probationem totius, *ad l. non hoc. C. vnde legit.* in proposito autem verba, de quibus in quietantijs non concludunt numerationem totius, quia licet quietantiæ cantent deliberationem pro duobus terminis, non propterea dicunt, quod hoc fuerit factum per solutionem integræ summæ, & propterea possunt verificari, quod D. Accorombonus mediante solutione 113. Scutorum in vna vice, & 700. in alia voluerit quietare de illis terminis, forte quia sibi conscius esset, quod per illos duos annos plus non superfuerit deductis Scutis mille pro D. Canaulio. Tertio quicquid dicendum esset in dubio adest confessio eiusdem Canauli, & te-

& testes, de quibus infra deponentes vere non fuisse solutum in pecunia numerata plus quam dictas duas partitas, scilicet 113. cum quibusdam expensis pro vno anno, & 700. pro alio.

8 Quantum ad secundum, quod solutio partis sufficiat ad constituendam quasi possessionem totius ex decis. allegatis, fuit responsum conclusionem procedere in dubio, & quando non apparet, quod soluens habuerit in animo agnoscendi debitum pro parte, secus si apparet, quod soluens intellexerit tantum agnoscere debitum pro parte, quia animus soluentis præcipue attenditur in hac materia. *Castr. consi. 130. nu. 2. lib. 2.* Et est regulare in quasi possessione, quæ recipit suum esse ab animo, & patientia illius, contra quẽ quis prætendit acquirere quasi possessionem. *l. si ego §. 1. ff. de publ. l. 3. §. dare, ff. de vsufruct. l. pen. & ibi Bart. nu. 1. ff. de seruit. Bald. in l. 2. num. 1. C. de seruit. & aqu. Alex. qui de communi, cons. 16. num. 13. lib. 5. Afflict. decis. 67. num. 1. Cæs. de Graff. decis. 7. num. 9. de testib.*

9 In proposito autem casu ex depositione eiusdem D. Canauli tempore mortis suæ, & cum iam resignasset Episcopatum, & sic non ageretur de aliquo eius interesse, & ex testibus pro parte D. Landi moderni Episcopi examinatis satis superque probari visum fuit, quod D. Canaulus, neque soluit integra Scuta 1200. neque voluit agnoscere integrum debitum, sed tantum soluit illud, quod super fuerat deductis mille pro Episcopo, iuxta formam reseruationis.

R. P. D. VBALDO.

Rauennaten. bonorum. Lunæ 16. Decembris 1613.

ARGVMENTVM.

Statutum excludens cognatos, seu feminas ab hæreditate alicuius numquid eas exclusisse censeatur ab hæreditate alterius feminæ. Et sic an feminæ isto casu veniant in successione passiua.

SVMMARIVM.

Feminæ ne dum masculi veniunt appellatione decedentium ab intestato. num. 1.

Feminæ veniunt appellatione cuiuscunque personæ. nu. 2.

Personæ verbum comprehendit tam masculos, quam feminas. num. 3.

Agnationis conseruandæ ratio militat tam in successione hæreditatis alicuius feminæ, quam in successione hæreditatis alicuius masculi. num. 4.

Statutum vnum declarat aliud. num. 5.

Statuta excludentia cognatos propter agnatos, & feminas propter masculos ab hæreditate alicuius numquid intelligantur etiam excludere ab hæreditate feminæ. nu. 6. & 7.

Statutum excludens feminas propter masculos dicitur fauorabile, quando in eo expressa est ratio conseruandæ agnationis. num. 8.

Statutum volens alia statuta intelligi debere, prout iacent, non tollit legitimas interpretationes. num. 9.

DECISIO DXLVIII.

1 Mortua ab intestato Lucretia de Zambellettis, superstitibus Iacoba sorore germana, nec non Leonardo, & Petro, de Zambellettis fratribus patruelibus eiusdem Lucretiæ, & causa successionis inter sororem ex vna, & dictos agnatos ex altera parte introducta in Rota, dubitaui, an intraret statutum Rauennaten. ad fauorem agnatorum in casu, & ad effectum, de quo agitur. Et Domini in hac tertia causæ propositione, censuerunt intrare. *Statutum enim de quo agitur sub rubrica 11. lib. 1.* expresse disponit, quod bona cuiuscunque intestati proprie, vel improprie, seu intestabilis decedentis, deficientibus ascendentibus, & descendentibus, deuenire debeant propinquioribus ex parte, & latere patris ipsius defuncti, & sic agnatis proximioribus masculis, ita quod cognati, & ex latere materno prouenientes, & etiam sorores vtrinque coniunctæ, si agnati sint in quarto gradu, perpetuo sint exclusi, vt latius in dicto statuto, cuius copia data fuit, vnde non videbatur dubitandum, quin fratres patrueles, qui sunt in secundo gradu, secundum ius Canonicum, secundum quod gradus computari præcipit idem statutum, excludant sororem. Vnde sola supererat difficultas, an dictum statutum loqueretur in casu successionis passiuæ feminarum. Et Dominis videbatur affirmatiue respondendum, nam id primo deducebant ex rubrica statuti ita concepta: Quod bona quęcunque decedentis ab intestato, deueniant agnatis, &c. illa enim verba, decedentis ab intestato, sunt apta comprehendere tam masculum, quam feminam, & ideo successionem passiuam vtriusque sexus continent, vt per *Alex. consi. 125. num. 16. vbi de magis communi, lib. 7. Gabriel. de verborum signif. concl. 6. num. 45. & seq. vbi etiam de communi. Honded. consi. 92. num. 8. lib. 1. Rota decis. 125. num. 21. versic. proprie. & num. 32. & 37. parte. 2.* & cum Rubrica sit generalis, etiam si nigrum esset speciale, deberet potiùs ampliari à rubro, quam Rubrum à Nigro restringi. *glos. in l. vnic. & ibi Bar. C. de c. ciu. cens. exim. lib. 11. Doct. in l. 1. vbi Salic. Alex. Iaf. & aly. ff. si cert. pet. vbi de communi, Dec. 3. lectur. num. 7. in fine.*

2 Quod secundo comprobatur ex verbis ipsius statuti, ibi, cuiuscunque intestati proprie, vel improprie, seu intestabilis decedentis, &c. nam illa dicto, cuiuscumque comprehendit tam feminas, quam masculos. *Afflict. in Constitut. Regn. rubr. 1. titul. de iur. regal. libro 3. num. 3. Honded. dicto consil. 92. nu. 8. lib. 1. Carpan. ad Statuta Mediolanen. in prælud. tom. 1. nu. 448.* & accedit verbum, decedentis, commune ad masculos, & feminas. *Dec. in l. feminæ. num. 96. vers. & ista limitatio, & num. 111. ff. de reg. iur. Gabriel. dicta conclus. 6. num. 45. Rota dicta decis. 125. num. 37. p. 2.* Nec illa dictio, intestati, hoc casu videtur stare pro masculis tantum, sed ponitur ad distinctionem alterius dictionis, intestabili, & omni casu recipit declarationem ex rubrica, quæ loquitur generaliter de decedente ab intestato, vt dictum est.

3 Quod fortius confirmatur, ex illis verbis statuti, & si defuncta persona relinqueret, &c. certum enim est, verbum persona comprehendere vtrumque sexum. *c. mulieres. de sentent. excommunic. Rota dicta decis. 125. nu. 36. par. 2. Carpan. vbi supra. c. 284. nu. 1.*

4 Tertio principaliter mouebantur, ex ratione expressa in statuto in ipso exordio, ibi, Agnationibus, & familijs Ciuium nostrorum consulere cupientes, quas conseruari intendimus, & augeri, &c. quæ ratio expressa agnationis æque viget in hæreditate feminę, sicut masculi. *§. ceterum. institut de leg. agn. succ. & tradit*, post plures relatos. *Menochius consi. 541. num. 30. lib. 6.* quo enim maiores sunt diuitiæ, eo magis conseruatur, & augetur agnatio. *Tiraquell. de nobilitat. cap. 25. nu. 2. & sequentib. Rota decis. 161. num. 2. p. 1.*

5 Quarto, & vltimo mouebantur ex alio statuto, sub Rubr. 13. vbi disponitur, quod mater, seu auus maternus, & alij ascendentes materni generis in bonis filiorum, seu filiarum, nepotum, vel neptum, non succedant, sed pater, & alij ascendentes masculi paterni generis. Et si pater, & alij ascendentes non extabunt, nec aliqui descendentes, deferatur prædicta hæreditas, & bona defuncti agnatis proximioribus iuxta sancita in statuto supra, Quod possessiones, &c. quod est statutum sub Rubrica 11. de quo agitur. Vnde cum prædictum statutum 13. in prima parte excludat ascendentes materni generis, & includat ascendentes ex

tes ex parte patris, in successione tam masculorum, quam feminarum, & in secunda parte continuatiue disponat, quod, non existentibus ascendentibus masculis paterni generis, nec descendentibus, deferatur prædicta hæreditas proximioribus agnatis, & sic cum illa dictione repetitiua, prædicta, apparet manifeste, quod agati, non extantibus ascendentibus, vel descendentibus, qui est casus noster, vocantur ad hæreditatem tam masculorum, quam feminarum, nec reseruatio legitimæ, quæ fit matri, restringit statutum in hac secunda parte, sed est declaratio, vt matre existente, illi debeatur legitima, & sic istud statutum, vel disponit vocando agnatos, vt supra, vel saltem declarat præcedens, cum non sit nouum, vnum statutum declarari per aliud. *l. non est nouum. ff. de leg. Menoch. qui alios cumulat, dicto consil. 541. sub num. 27.*

6 Non obstat decisio Surd. 9. qui sequens *Salic. in leg. 2. num. 25. C. de noxal. act. & alios relatos in dicta decisi. nu. 6.* voluit statuta ista exclusiua, non intelligi excludere ab hæreditate feminæ, etiam si habeant verba communia. Primo, quia nullus ex illis loquitur, quando ratio agnationis est expressa in statuto, ex cuius rationis identitate fit extensio, quæ potiùs est comprehensio. *l. his solis. vbi Bald. C. de reuocan. donat. late Molin. de primogen. Hisp. lib. 3. c. 5. sub numer. 4. vers. hoc autem, & num. 6. & 7.* & quod in casu Surdi ratio non esset expressa, apparet ex principio decisionis.

7 Secundo, quod ratio Salicet reprobatur per *Brun. de stat. exclud. fem. stan. masc. art. 5. num. 80.* & in omnem euentum procedit in vocatione actiua, non autem passiua, de qua agimus, & quicquid esset de iure communi, tamen in hoc casu non applicatur, stante declaratione, desumpta ex alio statuto, in quo agnati excludunt etiam matrem ab hæreditate filiæ feminæ, vt in terminis considerat. *Gabr. consi. 14. num. 25. lib. 1. Sim. de Pret. consil. 163. num. 54. & 55.*

8 Non obstat, quod simus in statuto odioso odio irrationabilis, Quia stante expressione rationis, vt conseruetur agnatio, dicitur potiù fauorabile, vt fuit resolutum in causa Nucerina Bonorum 29. Maij 1602. coram Reuerendissimo D. meo Damasceno, & in terminis huius statuti, in Rauennaten. Hæreditatis 14. Aprilis 1606. coram R. P. D. meo Pamphilio, quibus addi potest *Brun. dicto tractatu art. 4. per tot. vbi num. 6. de veriori*, & magis communi *Dec. in l. 2. sub num. 5. C. de in ius vocan. Sim. de Pret. dicto consi. 163. num. 50. Gabr. consil. 14. num. 13. lib. 1. & consil. 15. nu. 3. lib. 2. Molin. de Hispan. primog. lib. 1. cap. 18. num. 1. & seqq.* & quatenus dici posset odiosum, asset odiosum, odio rationabili, videlicet ob bonum publicum. *Ruin. consi. 22. num. 11. lib. 3. Gabr. dicto consi. 14. num. 13. & 24. lib. 1.*

9 Non obstat, quod statutum Rauennaten. debeat intelligi, prout iacet. Quia non tollit legitimas interpretationes *Gabr. dicto consil. 14. num. 5. lib. 1. & consil. 15. num. 1. lib. 2. Cim. de Pret. dicto consilio 163. nu. 17. Thesaur. decis. 269. num. 6. & 12.* vbi quod adhuc sub masculino veniant feminæ. *Menoch. dicto cons. 541. num. 31.* Et ita fuit decisum.

REVERENDISSIMO P. D.

COCCINO DECANO.

Romana Domus. Lunæ 16. Decembris 1613.

ARGVMENTVM.

Generalis quietatio iuri præsertim de futuro ad quid extendatur.

SVMMARIVM.

Quietatio, seu liberatio facta verbis amplissimis, quacumque ratione, causa, vel titulo non extenditur vltra ea, pro quibus facta fuit. num. 3.

Verborum vniuersalitas restringitur ad certam causam expressam, num. 3.

Renunciatio iuri de futuro intelligenda est ex causa de præsenti. num. 3.

Renunciatio iuri de futuro extenditur ad causam, ad quam ipsa renunciatio spectare poterat. Declara, vt num. 4.

DECISIO DXLIX.

1 Domus, de qua agitur fuit concessa Alphonso vti patri, & administratori Bartholomæi, &c. videlicet ad tertiam generationem, incipiendam à Bartholomæo nato, & alijs si quos masculos nasci contingat, &c. & eorum filijs, ac nepotibus masculis, & in defectum masculorum pro feminis, & in defectum generationis ad nominationem, vt quatenus opus sit supplendo generationi prædicti possint nominare successorem, seu successores, & propterea cum ex masculis superessent vltimo loco tantum Ioannes, & Lucas, & Ioannes obierit sine filijs superstite Luca res videtur clara, quod Lucas sit comprehensus in stipulatione de masculis natis, siue nasciturìs facta in dicta concessione.

2 Tota igitur difficultas videtur consistere an obstet transactio facta inter Lucam, & Ioannem quam obstare censuit Rota 10. Maij 1612. quo ad vtramque portionem, scilicet Ioannis, & Lucæ, à qua tamen decisione hodie, quo ad portionem Ioannis Rota recessit mota ea ratione, quia cessio facta per Lucam in dicta transactione de bonis, siue liberis, siue emphyteuticis non comprehendit, nisi partem dicti *Lucæ*, vt patet ex lectura dictæ transactionis, tam in narratiua, ibi obtulerit integram portionem suam dictorum bonorum, &c. quam in dispositiua, ibi totam, & integram portionem supradictorum bonorum, &c. & aliorum quorumcumque, &c. & ibi hanc autem, &c. quia in recompensam, & pro pretio dictæ suæ medietatis, &c. & ibi, & promisit dictam suam portionem bonorum, &c.

3 Nec obstat, quod in dicta transactione Lucas promittat nihil petere à Ioanne, & Virginia occasione dotis maternæ, & administrationis, & alias quomodolibet ex quocumque iure de præsenti competen. siue etiam superueniente, & competituro, nec eos molestare super bonis, & hæreditatibus prædictis, quia fuit responsum, quod hæc promissio, & subordinata, & limitata ad partem ipsius Ioannis, vt supra cessam, pro qua absoluit Ioannem, & Virginiam, in amplissima forma, & non fuit cogitatum de cedendo iure ex causa de futuro super portione Ioannis. Bene *Abb. in consi. 114. num. 3. & 4. lib. 2.* Vbi liberatio facta verbis amplissimis quacumque ratione, & causa, vel titulo, non extenditur vltra ea super quibus fuit facta. *Natta consi. 546. nu. 14. Surd. decis. 217. num. 5. & 6. cum seqq. & bene num. 15.* vbi quod verborum vniuersalitas non sufficit, quando certa est expressa, & est communis conclusio, quod renunciatio iuri de futuro est intelligenda ex causa de præsenti. *Bartol. in l. qui Romæ. §. duo fratres. num. 19. ff. de verborum obligation.* Cuius opinionem dicunt communem ibi *Alexand. & Ias. num. 69. idem Alexand. consi. 21. num. 4. lib. 5. & Rip. in leg. 1. num. 26. & ibi Dec. num. 32. C. de pactis. late Corbul. de iur. emphy. tit. de causa priuat. ob renunciat. numer. 18. vsque ad 26.*

4 Minus facit etiam, quod cum domus, de qua agitur, ex nulla alia causa, quam ex successione Ioannis posset

posset ad Lucam spectare renunciatio iuri de futuro per necesse comprehendit istam successionem. *Surd. consilio 562. numero 6. Menoch. consilio 6. num. 15. lib. 2.* Quia fuit responsum, quod dubium erat, an etiam stante dicta renunciatione amplissima eueniente obitu Ioannis Lucas posset prætendere portionem renunciatam. Licet fuisset obligatus, de euictione, ex traditis per Iosephum, Ludouicus decis. Lucana 29. numero 68. & propterea ad tollendam extensionem renunciationis sufficit, quod prædicta verba amplissima ad eius de futuro possint aliquo modo, etiam colorato verificari quo ad portionem ipsius Lucæ cessam, ita vt non debeat extendi ad portionem ipsius Ioannis *leg. cum de indebito. in princip. ff. de probation.*

R. P. D. VBALDO.

Pennen. Pensionis. Veneris 20. Decemb. 1613.

ARGVMENTVM.

Valor fructuum beneficij, vt probatus dicatur, an plena, & concludens requiratur probatio, an vero leuior sufficiat, & quomodo testes ad hoc, vt probent beneficij fructuum valorem per non excessum deponere debeant. Et Magistralis decisio.

SVMMARIVM.

Valoris fructuum beneficij probatio requiritur plena, & exacta, quando agitur ad effectum regulæ de valore, secus si ad effectum retardandi, vel annullandi pensionem super beneficio impositam, quia tunc sufficit leuior probatio. nu. 3. Declara, vt nu. 2.

Probato aduersus id, quod verisimile est, vt bene concludat, debet esse plenior, & fortior, quam aliæ probationes. num. 2. in fine.

Valor fructuum beneficij, quomodo per testis probetur. nu. 3. Vbi de materia.

Testes affines in primo gradu sunt suspecti. num. 3.

Testis vicinus non admittitur ad probandum ualorem. nu. 3. & 6.

Beneficij fructuum ualor per non excessum, ut concludenter probatus dicatur, quomodo debeant testes super eo deponere. nu. 3. & seqq.

Testes dicuntur contrarij, quando unus deponit plus altero, & taxatiue loquuntur. nu. 4. in fin.

DECISIO DL.

1 FVit dictum, testes pro Iulio inductos ad probandum valorem fructuum beneficij per non excessum illum non probare. Nam licet hic non agatur ad effectum regulæ de valore, quo casu requiritur exactior probatio, sed ad effectum reducendæ, vel annullandæ pensiones super beneficio impositæ, quo casu regulariter sufficit leuior probatio, *iuxta decisi. Put. 8. lib. 1.* secundum nou. impress. & fuit dictum in Aquen. pensionis 19. Decembris 1608. coram Illustiss. Card. Lancellotto.

2 Tamen in proposito Domini existimebant, titularem astringi ad concludentem probationem, ex quo contra ipsum vrgebat proprio confessio valoris Abbatiæ, de qua agitur in Ducatis 406. monetæ Regni, emanata in supplicatione cum expeditione literarum ex solutione annata accedendum etiam eius consensu, & obligatione de soluendo pensione imposita Ducat. auri de Camera 176. & solutione eiusdem per integrum decennium pacifice, & absque lite, cum quibus concordat liber æstimi, seu catastri, in quo omnes redditus, bona, & census istius Ecclesiæ annotati reperiuntur, & facto calculo in fine ascendunt ad dictam summam Ducat. 406. ex quibus omnibus simul iunctis durior sine dubio, & fortior probatio in contrarium à titulari exigitur, *iuxta nota. in capitul. quia uerisimile, ubi Abb. num. 2. de præsump. Aym. consil. 6. numero 43. Rota decisione 380. pa. 1.*

3 Quæ probatio hic non videbatur adesse, nam testes examinati vigore remissoriæ, vltra quod patiuntur defectus circa personas, neque etiam concludunt in dicto, cum non sint bene informati, nec sciant, an Abbatia possit, vel non possit habere alia bona, præter specificata ab ipsis, & deponunt de auditu ab alijs, vt fuit ostensum per Informantes discurrentes per singulos testes. Alij quatuor testes examinati in Curia, nec etiam intentionem Abbatis probant. Nā vltra, quod secundus est maritus sororis Abbatis, & sic affinis in primo gradu, qui est suspectus, vt late per *Moder. Rom. de test. q. 54. nume. 1. & 2. & numero 25. & seqq.* Item primus est frater germanus secundi, licet in sua depositione occultauerit hanc fraternitatem, licet in sua depositione occultauerit hanc fraternitatē, isti testes quamuis cōentur coarctare negatiuam, cum enumerando bona Abbatiæ deponant esse non posse, quod Ecclesia habeat alia bona, quia ipsi scirent, non tamen reddunt sufficientem rationem scientiæ dicentes id scire, quia sunt Ciues, & practici terræ Planellæ, quæ ratio est nimis generica, & incerta, cum nec ista, quia vicinus admittatur ad probandum valorem. *Sarn. in reg. de annal. quæst. 12. in fin. Decia. consil. 17. num. 30. uers. præterea ratio. lib. 2.* & cum testes fateantur, se non fuisse arrendatores bonorum d. Abbatiæ, nec fuisse præsentes culturæ agrorum, & recollectionis fructuum, sequitur vt d. ratio non concludat, nisi de auditu, iuxta dictam decisionem. *Put. 8. libro 1. secundum nou. impr.* & tamen ad probandam istam negatiuam, de qua agitur, debebant allegare causan. necessariam, quare aliter esse non posset, quin ipsi scirent. *Ripa in cap. cum Ecclesia Sutrina. num. 88. de caus. poss. & propriet. Aym. consil. 2. sub num. 3. uers. quinimo. & num. 4.* Alij vero duo, nec habent notitiam bonorum Abbatiæ, nec coarctant negatiuam. Vnde non probant valorem. *Sarn. quæst. ult. in fin.* Et tertius deponit etiam de proprio iudicio circa reditus Abbatiæ, & quartus dicit, se informatum ab alijs personis de dicto valore, & fuit Sacrista d. Ecclesię per certum tempus, ad quod restringit depositionem suam.

4 Addebat coram vnus ex Dominis, quod duo Priores testes ex istis examinatis in Curia, qui coarctant negatiuam, & dicunt impossibile esse Abbatiam habuisse, vel habere alia bona, preter corpora nominata in qualitate, & quantitate per ipsos expressa sunt tamen inter se contrarij, cum primus deponat de corporibus. numero 48. alter vero de corporibus 52. & sic quatenus taxatiue deponunt, & vnus plus alio dicuntur contrarij, & nihil probant *Bald. in l. cum antiq. num. 4. C. de testamen. Farinac. de testib. q. 65. num. 15.*

5 Placebat etiam alijs aliud motiuum, quod cum pensio fuerit reseruata super omnibus fructibus Abbatię prouentibus redditibus iuribus obuentionibus, & emolumentis sub quibus appellationibus intrant distributiones, manuales oblationes, & alij fructus incerti, testes debuerunt deponere etiam de istis, alias non suffragantur ad effectum, de quo agitur, vt fuit resolutum in causa Reatina pensionis, 11. Maij 1612. coram bonæ memoriæ Pena, & nihilominus de istis fructibus incertis, nec quicquam probatum, nec articulatum quidem fuit.

6 Non obstat decisio in causa Cassanen. beneficij coram Bubalo in contrarium allegata, quia ibi testis adducit aliam rationem, quia plurimum versatus fuerit in loco, non autem illam solum, quia vicinus, nec ibi vrgebant tot præsumptiones, nec contra titularem

larem desumptæ ex spontanea ipsius confessione, & consensu, & solutione integræ pensionis per multos annos, vt in d. Reatin. coram Penia, nec contra ipsos testes ratione affinitatis, contrarietatis, suspicionis, ob continuam commensalitatem cum Abbate, vt vigent in casu isto. Quibus accedit etiam, quod isti testes sunt examinati post didicita testificata ex benignitate Rotæ, & de eiusdem mandato positi ad partes. Ex quibus omnibus, & alijs cumulatis per Informantes fuit, vt supra, conclusum, &c.

R. P. D. VBALDO.

Taurienen. Cappellaniæ. Veneris 10. Ianuarij. 1614.

ARGVMENTVM.

Pensio domus ad quam summam ascendat probatur ex testibus, & peritis, fructuumque liquidatio probatur coniecturis, & leuioribus probationibus.

SVMMARIVM.

Periti eligi possunt per iudicem ad effectum liquidandi fructus, qui ex bonis stabilibus percipiuntur. nu.1.

Fructuum liquidatio fieri potest ex leuioribus probationibus, & per coniecturas. nu.1.

Testes discordantes in summa, dicuntur contestes in summa minori. nu.1. in fine.

Fructus, qui percipi potuerunt ex re, non solent restitui de stylo Rotæ, nisi à violento spoliatore. num.2.

DECISIO DLI.

1 FVit D. Leonius à Sede Apostolica prouisus de Cappellania, de qua agitur, qui obtento Breui de capiendo possessionem nomine Cameræ illud intimauit Romagnano Aduersario qui in beneficij possessione reperiebatur, sed cum Breui non paruisset, fuit contra eum per Auditorem Cameræ lata sententia declaratoria. Commissa autem causa in Rota cum potestate absoluendi Romagnanum à censuris, & cum clausula partito Breui, etiam cum possessione iam dimissa teneretur ad restitutionem fructuum, dubitaui an constaret de legitima illorum liquidatione, & ad quam summam, & Domini firmarunt probari quantitatem pensionum domorum ad Cappellaniam spectantium. Illa enim satis videbatur iustificari tum ex testibus deponentibus, quid de anno 1606. & 1607. domus fuerunt reditus Scut. seu Ducat. 178. & tanti fuissent locatæ prout reperiuntur locatæ de dicto anno 1607. ad instantiam Commissarij Cameræ Apostolicæ vt in instrumentis, & etiam aliquanto pluris, nisi obstitissent molestiæ Romagnani tum ex relatione peritorum medio iuramento qui fuerunt electi per iudicem sub delegatum de partibus ad effectum liquidandi, quod videtur potuisse fieri, iuxta *cons. Natt.* 510. *num.7. lib.3.* maxime cum simus in liquidatione fructuum percipiendorum, in quibus sufficiunt leuiores probationes etiam per coniecturas *Bal. in l. 1. circa fin. C. de fruct. & lit. expens. Surd. decisione* 282. *num.* 28. & licet periti videantur in aliquibus discordare à testibus cum loquantur de diuersis monetis, tamen sat est, quod in prædicta summa, quæ est minor, concordant *Alexandr. consilio* 64. *numero* 7. *libro* 2.

2 Non obstat, quod ista probatio respiciat quantitatem pensionum, seu fructuum qui percipi potuerunt ad quos Rota condemnare non solet nisi violentum spoliatorem. *Put. decis.* 383. *lib.1.* & in alijs duobus casibus relatis per *Moder. ad regu.8. §.7. proœm. nu.161.* quia hoc videbatur extra punctum in quo solum agitur de liquidatione, iuxta formam condemnationis factæ per Auditorem Cameræ, quæ est in fructibus, etiam qui percipi potuerunt vltra quid in prima commissione Rotali adest clausula firmo remanente iudicato per Auditorem Cameræ.

3 Concluserunt igitur Domini probari quantitatem pensionum, vt supra, quia tamen ex scripturis in Summario dotis non constabat de tempore captæ per Romagnanum possessionis dictarum domorum, nec de tempore possessionis ab eo dimissæ Domini non potuerunt firmare quantitatem summæ ab eo debitæ potuerunt firmare quantitatem summæ ab eo debitæ à die intrusionis vsque ad diem veræ dimissionis cum simus in beneficio reseruato, iuxta decis. *Verall.* 27. *par.* 2. Sed mandarunt vt firmatis prædictis ex ipsis actis fieret calculus. Et ita decisum, &c.

REVERENDISS. P. DOMINO DAMASCENO.

Foroliuien. Societatis. Lunæ 13. Ianuarij 1614.

ARGVMENTVM.

Societates officiorum sine labe vsuraria iniri non posse super officijs non vacabilibus late in hac decisione discutitur, & probatur.

SVMMARIVM.

Societas officij ad rationem duodecim pro centenario inita super officio non vacabili non valet. nu.1. & seqq.

Fructus non vacabilium præsumuntur æquare sortem principalem in 25. annis, & sic reddere ad rationem quinque pro centenario. num.2.

Societas officij sine officio super solo periculo vitæ constitui non potest. num.3.5.& 6.

Idem iuris est de parte quo ad partem sicut de toto quo ad totum. num. 3.

Societas requiritur subiectum communicatiuum lucri, & damni. num.6.

Pecunia vbi datur vt perpetuo sit apud recipientem sortitur naturam emptionis. num.7.

Emptio, & venditio perficitur re, pretio, & consensu. num.7.

Societas officij, quando contrahitur, pecunia non fit recipientis, sed remanet soluentis sub solo periculo amissionis in casu mortis. num.8.

Census vitalicij natura est, vt pecuniarum dominium ab initio transeat in illum, qui constituit se debitorem census. num.8.

Sponsionis natura est, vt solus euentus conditionis habeatur pro causa obligationis. num.9.

Pactum continens vnicam summam pecuniarum dicitur indiuiduum. num.10.

Vtile per inutile vitiatur in indiuiduis. num.10.

Societas, in qua capitale sit saluum, omni iure improbatur. num.11.

Interpretatio super facienda est secundum terminos habiles, & ne sequatur absurdum. num.12.

Consuetudo vsuram permittens attendenda non est. numero 13.

DECISIO DLII.

1 DVbitaui, an mandatum A. C. esset reuocandum ex deductis pro Ghnochis, & Castellis, satis superque constare videbatur officium Cancellariæ Ciuilis Foroliuien. super qua fuerunt factæ societates, de quibus agitur esse non vacabile, & propterea difficultas reducebatur solum ad illud an societas ad rationem 12. pro centenario, & sub periculo vitæ dantis pecunias, vel alcerius nominati per eum sicut communiter fiunt super officijs vacabilibus, ita etiam possent fieri super non vacabilibus super quo arti-

articulo Domini inhærendo decisionibus alias in simili materia factis, nempè in alia Foroliuien. societatis 25. Februarij 1611. coram Illustrissimo Lancellotto in Romana Societatis officij 1. Iulij 1596. coram R.P. Do. Corduba, & in Romana Societatis 14. Ianuarij 1613. coram R.P.Do. meo Pamphilio negatiuam partem amplexi fuerunt moti, quia neque de iure communi, neque ex indulgentia particularium constitutionum de hac materia loquentium similis contractus sustineri potest.

2 Non de iure communi, quia fructus rerum non vacabilium præsumuntur æquare sortem in 20. annis, & sic redire ad rationem quinque pro centenario. *gloss. in auth. perpetuæ. verbo iusta. C. de sacrosan. Eccl. Ias. in leg. si fundum per fideicom. num. 5. ff. de legat. 1. Rom. cons. 369. num. 9. vers. 2. si consuetudo, Corn. consil. 15. numer. 2. lib. 4. afflict. decis. 384. in fine. Natt. consil. 498. num 10. Crau. consil. 189. num. 6. in fin. Tiraq. de retract. lignag. §. 1. glo. 6. numer.* 19. vbi de communi, vnde quod est promissum vsque ad 12. remanet sine fundamento res aptæ producere fructum, & sic erit ex causa fœnoris omni iure prohibiti.

3 Non obstat, quod illud plus soluatur ratione periculi vitæ dantis pecunias, quia sicut non licet simpliciter committere societatem super solo periculo vitæ, vt infra dicetur, ita nec licet facere societatem cuius pars stet super solo periculo vite, quia valet argumentum de parte ad partem, sicut de toto ad totum. *leg. quæ de tota. ff. de rei vendication. cap. pastoral. §. 1. & gloss. verb. citationis. de off. delegat. l. iuris gentium. §. adeo. ff. de pact. l. qui scit. de vsuris.*

4 Neque est verum, quod in officijs vacabilibus pars fructuum soluatur socio pro periculo vitæ, quia imo soluuntur ex eo, quia dicta officia. Ita consueuerunt reddere, & ista ratio solet exprimi in illorum promissione, & taxatione, vt patet ex communi formula prædictarum Societatum, quæ etiam fuit seruata in proposito casu, vbi promisit facere participem fructuum dicti officii, sed quia quando vbi plures aliquando pauciores &c. reduxerunt ratam ad rationem 12. pro centenario, &c.

5 Nec tollit assumptum, quod si dans pecunias non curreret periculum vite minime haberet 12. pro centenario, quia sunt considerandæ duæ personę distinctæ prima est ea, quę vendit officium super qua contrahitur societas, & non est dubium, quod ipse non venderet officium tali pretio, quod posset reddere 12. pro centenario in perpetuum, & absque vacabilitate, altera persona est ipsius officialis qui assumit socium, & iste non soluit 12. pro centenario propter periculum socij, sed quia res super qua contrahitur Societas ista fructificat, socius vero in recompensam periculi vitę, sed currit cum officiali, quod recipit periculum, quod ipse officialis currit cum vendente officium pro ipso socio, etenim secundum rectum tramitem cum moriente officiali perdatur officium deberet socius perdere capitale implicatum in dicto officio ad not. in *l. cum duobus. §. quidam sagariam. ff. pro soc. l. Mutius. ff. eodem tit. l. si merces. §. vis maior. ff. loc. §. illud. Instit. de loc. & Cardin. Tolet. in specie. de instruct. Sacerd. leg. 5. cap. 40. versimo nec* 4. Rota in Romana Societatis 29. Ianuarii 1611. coram Illustrissimo Mellino, sed propter maiorem negotiantium commoditatem quorum magis interest currere periculum propriæ vitæ quam alterius, quia si per propriam mortem amittunt pecunias, cessant etiam indigere expensas adinuentus est iste modus, quod socius non currat periculum vitæ officialis cum vendente officium, sed loco istius currat periculum propriæ vitæ cum ipso officiali, & sic periculum cum periculo compensatur Tolet. vbi sup. Rota in dicta Romana Societatis coram Illustrissimo Cardinale Mellino. Ex quibus non patet bene inferri de periculo vitæ, de quo in societatibus super officijs vacabilibus ad periculum super officijs minime vacabilibus, quia in illis periculum est extrinsecum, & nihil habens commune cum negotio societatis.

6 Quod autem iam dictum est non posset fieri societas sine officio, & super solo periculo vitæ probatur, quia tanquam societas non posset sustineri ex quo deficit subiectum communicatiuum aptum reddere lucrum, & damnum, vt est necessarium in societate *leg. verum, §. final. ff. pro soc. Gabriel consil. 63. numero quinto, & 15. lib. 2. Mantic. de tacit. & ambig. lib. 6. §. 2. numero decimo octauo, tit. 24. numero* 35. Rota in specie in Romana de Herlis. prima Nouembris 1608. coram Reuerendissimo Attrebaten. & in Perusina bonorum 18. Decembr. 1609. coram R. P. D. Manzanedo.

7 Non etiam posset sustineri tanquam census vitalicius, quia vbi datur pecunia, vt perpetuo sit apud recipientem, & sic in hoc sortitur naturam emptionis ex quo pretium fit recipientis ad *l. ex empto. in pri. ff. de act. empt.* & ius exigendi certum quod vita durante potest decernere pro re empta, & sic concurrũt tria requisita ad contractum emptionis, & venditionis nempè res, pretium, & consensus de quibus *per glos. in l. pacta conuenta. in prin. verbo exceptio ff. de contrahen. emp.*

8 In isto enim contractu Societatis ad sex menses pretium non fit recipientis, sed remanet soluentis sub solo periculo amissionis in casu mortis, quod verbũ amittere, prout communiter apponitur. In societatibus est maxime ponderandum, quia ex hoc apparet, quod dominium pecuniarum remanet apud ipsum dantem, quia aliter non posset admittere, ad *l. decem ff. de verborum obli.* & sic iste contractus nihil habet commune cum Censu vitalicio, in quo dominium pecuniarum amittitur ab initio, & fiunt illius qui constituit se debitorem Census.

9 Mon denique sustineretur tanquam sponsio, vt volunt aliqui, quia in sponsione solus euentus conditionis habetur pro causa obligationis *l. à Titio*, ibi nihil in causa est, quare ea pecunia conditione expleta non debeatur. *ff. de verborum signifi. Strach. post Castr. in terminis sponsionis super morte tract. de spons. par. 2. num. 7.* & proinde secundum hunc contractum pecunia amittenda propter euentum mortis non esset danda ab initio, sed deberet quis recipere præmium sponsionis, puta Scut. 12. & se obligare ad centum in casum mortis, iuxta tertiam speciem sponsionis, de qua per *Strach. vbi supra par. 2. numer. 4.* & sic cessaret periculum vsuræ, ex quo nullum potest considerari mutandum, sed cum ille qui dat 12. velit ab initio Censum in manibus satis apparet, quod illa 12. non dantur pro solo periculo, sed pro mutuo saltem simul, & mixtim vnius anni, & maxime personæ sanę, & iuuenis cum quibus plerumque fiunt istæ societates tanti non valet, vt notum est, quæ mixtura illiciti sufficit ad annullandum totum pactum de soluendis 12.

10 Cum enim pactum contineat vnicam summam dicitur indiuiduum *Bal. cons. 32. num. 1. lib. 2. Alex. cons. 147. num. 2. lib. 7. Put. decis. 323. num. 1. lib. 7.* Rota in causa Salamantina pensionis coram Bubalo relatum inter diuers. impress. *decis. 221. numer. 1. p. 2.* & in Melphien. sponsionum coram Cantuccio. Relat. *in decis. 33. num. 6. & 18. d. par. prima.* & in Melphien. fructuum *relat. in decis. 709. par. 1.* in indiuiduis autem licitum propter illicitum vitiatur, *Bart. in l. Grece. §. illud. numer. 3. ff. de fideiuss. Roman. consilio 450. numero 4. Alexand. consil. 143. num. 3. libr. 7. Natt. consil. 429. num. 29. Bisign. decis. 4. num. 3 de appell. Rot. in dictis. decis. 709. nu. 10. p. 1. & 33. num. 17. par. 2.* & magis in specie *Natt. cons. 498. num 1. cum plurib. seq. Rimin. iun. cons. 400. num. 116.*

11 Non obstat si negetur officium super quo fuerunt factæ istæ societates reddere tantum quinque pro cẽtenario & asseratur, imo reddere 12. nam omissa magna inuerisimilitudine, quod officia vacabilia, non reddant tantum in illis partibus quantum officia vacabilia in aliis, & quod res non vacabilis possit tantũ reddere maxime libere ab omni fortuito casu, vt fuit stipulatum in instrumento, de cuius executione agitur etiam hoc concesso incidimus in aliam non minorem difficultatem, nempè inæqualitatis, quia officialis ex re participata lucrabitur æquales fructus, & non subdit periculum amissionis capitalis sicut socius, quod genus societatis, vt scilicet capitale sit soluen. est omni iure improbatum. *l. si non fuerint, cum ibi not. ff. pro soc. l. 1. vbi Bald. q. 9. num. 11. C. eod. tit. glo. in c. plerique. vers. negotiationibus. 14. q. 13. Abb. in cap. nauiganti. num. 11. de vsur. Sot. de iustit. & iur. lib. 6. quæst. 6. art. 2. vers. quæstio, & in respons. ad tertium. l. Ant. in Summ. p. 2. tit Op. 7. Castr. cons. 55. num. 1. & per tot. lib. 2. Roman. cons. 288. num. 7. & 8. Socin. consi. 265. numu. 7. lib. 2 Dec. consi. 123. num. 1. vers. potissima. Crauet. consil. 145. nume. 18. Ruin. consil. 463. numer. 7. & 8.* Rot. in Romana rescissionis contractus, 12. Nouembris 1518. coram Oradino Palazz. qui de veriori, & communi, *in c. per vestras, not. 6. gloss. 11. nume. 6. de donat. inter vir. & vxor.* de magis approbata, & communi. *Natt. consil. 403. numer. 1, 4. & 5.* de communi pariter testantur *Ias. consil. 174. num. 18. libro 2. Lup. in d. cap. nauiganti conuent. 3. §. 1. numer. 24. vers. potissime. de vsur. Plot. in lit. iur. num. 498. vers. limita. 1. Couar. var. resol. lib. 3. c. 2. numer. 3. Bursat. consi. 320. nu. 9.* & super hoc adest particularis Constitutio Sixti Papæ V. incip. detestabilis auaritiæ sub dat. Cal. Nouembris 1586.

12 Minus facit, quod quando Papa concessit Ciuitati Foroliuien. Cancellariam sub qua sunt factæ istæ societates dederit facultatem creandi super illa societates officiorum, quia hoc est intelligendum, quatenus per Communitatem venderetur ad vitam, & sic concurren. terminis habilibus, *iux. notat. in leg. graduatim. ff. de muner. & honor.* quia alias dicendum esset Papam concessisse facultatem faciendi societates vsurarias, & iniustas, quæ interpretatio non est sumenda. *l. Saluius Aristo. ff. de legat. præst. l. ex facto. in principio. ff. de vulgar. & pupill. Bald. consi. 91. num. 2. lib. 4. Roman. consil. 62. num. 4. Crauet. consil. 5. num. 14. Rolan. consi. 72. num. 43. lib. 3.*

13 Non etiam obstat, quod prætensa consuetudo faciendi similes contractus, quia tanquam nutritiua peccati nihil valet, sed imo potius corruptela appellanda, *c. fi. de consuet. gl. in c. quia in omnibus. de vsur. Nat. consi. 498. num. 24. late Rimin. iun. consil. 40. num. 35.* Rot. in Romana Census. 13. Iunij 1594. coram Cardinali Blanchetto in Vrbeuetana Census 6. Iunij 1599. coram Gipsio, & magis in specie in causis Romana Societatis 2. Iunij 1570. coram Cardinale Lancellotto seniore, & Romana soc. offic. 17. Maij 1602. coram Reuerendiss. Attrebaten. & hæc quo ad ius commune.

14 Quo vero ad Constitutiones Apost. tantum abest, quod emanauerint ad relaxan. dispositionẽ iuris, quod imo emanarunt ad concedendam minime bonorum lientiam in hac materia, & non nisi super officij vacabilibus posse fieri, vel deponunt, vt voluit Rota in supradictis Curijs Romana Socie. offic. 1. Iulij 1596. coram Corduba Foroliuien. Societatis 25. Februarij 1611. coram Illustriss. Lancell. & Romana Societatis 14. Ianuarij 1613. coram R.P.D. Pamphilio, vel saltem semper præsupponunt, & cum ista species contractus sit de sui natura mala, & nutritiua peccati, vt supra probatum est, nefas esset dicere, quod Papa super illa voluerit aliquid dispensare *c. super eo de vsur. Natt. cons. 498. num. 20. & seq. Couar. var. resol. lib. 3. c. 1. num. 8. Rol. consi. 55. num. 15. & 16. lib. 2.* Rota in causa Romana damnorum, & interesse 3. Iunij 1575. coram Cotta relat. inter impres. *diu. decis. 67. num. 3. p. 1.* in Vrbeuetan. Census 6. Iunij 1599. coram Gipsio, & in Romana Census 3. Iunij 1594. coram Blanchetto, & in alijs sæpe. Et ita fuit decisum, &c.

DECISIO DLIII.

Romana Laudi. Lunæ 13. Ianuarij 1614.

Impressa apud Buratto,

DECISIO 29.

R. P. D. PIROVANO.

Romana Accomanditæ. Lunæ 13. Ianuarij 1614.

ARGVMENTVM.

Societate inita per viam Accomanditæ finita societate per mortem, vel præfixi temporis lapsum, lucra, & damna inde prouenientia an sint communia.

SVMMARIVM.

Societate contracta, in qua omnes socij se obligant in solidum, & exercent per se, vel per ministrum lapso termino præfixo societati contractus iam cœpti, & ius natum ante finitam societatem non perimitur, sed durat, & eius effectus transeunt actiue, & passiue respectu commodi, & incommodi. num. 2.

Conductor alicuius negotij, puta Dohanarum, si postea in hac conductione assumat aliquos in socios, qui eorum industriam, & laborem exponant ad effectum participandi de lucris, & damnis finita societate per lapsum termini, siue per mortem, lucra, & damna non remanent communia socijs participantibus, sed fit diuisio pro rata temporis, quo societas durauit. num. 3.

Societate contracta per viam Accomanditæ, & illa finita, an lucra, & damna prouenientia post finitam societatem sint omnibus socijs communia. nu. 4. & sequentib.

Societatis naturæ conuenit, finita societate extrahere capitale. num. 10.

DECISIO DLIV.

1 PRæsens dubium, de quibus negotijs, & appaltibus participet Do. Carolus tam ante, quam post disdictam, & pro quo tempore, fuit propositum die 14. Decembris 1612. & tunc propter facti varietatem non fuit capta resolutio, & iterum die 24. Maij præteriti, & dictum, non liquet, quia Domini non fuerunt concordes. Hodie vero dubio repropositо. Pro maiori parte dixerunt D. Carolum participare de negotijs, & appaltibus duraturis vltra trienniũ, non tamen in disdicta exceptis, nisi obstet iniustitia contractus, de qua voluerunt particulariter videre. Et quia materia huius societatis Accomanditæ satis obscura reddebatur, propter particulares conuentiones, & varios casus in Rota resolutos, ac propter Statutum Florentinũ, cuius dispositionem expresse parter sequi voluerunt, & resolutio dubij multum pendebat à cognitione naturæ huius Accomanditæ, ideo pro faciliori intelligentia fuerunt distincti tres casus.

2 Primus est, quando est contracta societas, & socij omnes secundum naturam propriam societatis se obligant in solidum, & exercent, vel per ministrum ab eis prępositum, quod idem est, quod ad eorum obligationem.

tionem. *l.prætor, §.sed & si seruus.ff.de edend.§.si igitur. Instit. quod cum eo.Roncheg. in l.eandem.num.158. de duob. reis. Surd. cons.326. num.2. & 3. vol.3. Rota Ianuen. decis. 14. num. 1.* & hoc casu, quia nedum in contractu societatis, sed etiam in alijs ad negotia pertinentibus nominantur, licet per lapsum termini præfixi sit finita societas, tamen contractus iam cœpti,& ius natum ante finitam societatem non perimitur, sed durat, & eius effectus transeunt actiue, & passiue respectu commodi, & incommi. *l.nemo potest.l.verum.§. in hæredem.ff.pro soc. Bald. consil.87. num.1. vol.2. Petr.de Vbald.in tractat.de duobus fratrib.p.11.num.15.& p.5.num. 32. Thessaur. decis.242. nu.4.* & in his terminis fuit firmatum in Ferrarien. Societatis coram me 14. Ianuarij 1611. Sed iste non videtur casus, de quo agitur, quia non omnes socij obligarunt personam, & bona in solidum, neque eorum complementarius facultatem habebat eos taliter obligandi, quod eis licuisse videtur secundum dispositionem Statuti Florentini titulo De Compagni, *& in che modo il compagno sia tenuto per l'altro. Rub.10*

3 Secundus est casus, quando in certa specie negotiorum,puta in appaltu Dohanarum, Salinarum, Alluminum,& similium,cum eo,qui iam erat Dominus conductionum effectus ex particulari contractu precedente, societas initur per expositionem industriæ, & laboris ad effectum participandi de lucris, & damnis,& socijs in contractibus non nominantur, & hoc casu finita societate, siue per lapsum termini,siue per mortem,lucra,& damna prouenientia ex iure illarum conductionum non remanent communia socio participanti, sed fit diuisio pro rata temporis,qua necessitas, vel potentia implendi per industriam, & laborem cessat per finem societatis, aut per mortem socij, contractusque societatis non est vnitus, & complicatus cum alijs contractibus, vt inde effectus prouenire possint cessante societate. *Bald.cons.87.per totum volumine 2. Petr.de Vbald.de duob.fratrib.par.5.num.32 vers. in contrarium. Rota Ianuen. decis. 14. per totam*, & in his terminis fuit firmatum in Romana Participationis 9. Maij 1583. coram bonæ memoriæ Bubalo. Et hic pariter casus non videtur conuenire præsenti disputationi, in qua agitur de societate complicata cum contractibus nomine sociorum initis habentibus causam de præterito præparatam ex capitulatione per viam Accomanditæ.

4 Tertius est casus, quando societas est contracta per viam Accomanditę,in qua plures socij accomandant administratori pecunias, pro rata conflatas non ad vnum negotium iam cœptum prosequendum, sed ad futura, & plura negotia, cum prohibitione eidem negotiandi in proprio, & quod omnia negotia fieri debeant communi sociorum nomine,& hunc casum, qui est,de quo disputatur, existimabant Domini non differre à primo casu, quo ad facultatem participandi de effectibus duraturis etiam societate finita, quia etsi non conueniat in simplicitate nominis propter illa verba, per viam Accomanditæ, in substantia tamen, & effectu non differt, ex quibus magis dignoscitur, quæ sit natura contractus. *Bald.in c.1.in princ. num.2.de feud. dat. in vim leg.commiss. Castr. consil.261.nu. 1.vol.2. Crauet.cons.20.num.1.Illustriss.Mantic.de tacit. & ambig.contract.lib.2.tit.2. num.1.& sequentib. Cephal.consil. 603.num.15.& 703. num.10. Surd. consil.243. num.2. Becc. cons.35.num.1.vol.1.*

5 Substantia igitur est vniformis, quia si ius, & dominium negotiorum,quæ sperabantur, fuit ipsis Accomandantibus commune, & super eo societas contracta, vt legitur in Capitulis istius societatis, in quibus inter cetera conuentum fuit, quod Philippus nihil posset negotiari nomine proprio, & ad proprium commodum, sed omnia negotia deberent fieri communi nomine, sequitur dicendum complicatum, & vnitum esse contractum sotietatis cum affictibus, & appaltibus, qui sperabantur, quibus ita contractis ex facto institorum,& administratorum dissolutio exinde, prout nec mors socij, negotia illa præterita distrahere non potuit. *l.verum.§.in hæredem.ff.pro socio.* sed durant per mille annos, vt inquit *Bal. cons.87. libro 2. Rimin.iun.cons.52.num.114. Thessaur.decis.242.num.4.Illustriss.Mantic.de tacit.& ambig. contract.lib.6.tit.24.num.33.* Sed eorum emolumenta, tanquam prouenientia de re communi, & à contractu subsistente debent esse communia etiam post finitam societatem, vt declarat *Ruin.cons.91. num.1. & num.11. vol.1.& melius Corn. cons.122.nu.2. vol.1.& sequitur Surd cons.20.num.17.vol. 1.* quod etiam admittitur in allegata Romana Participationis coram bo.mem.Bubalo.vers.non obstat tex.

6 Effectus pariter inter se non differunt, quia, prout in ordinaria societate, Accomandantes conferunt capitale pro rata,æqualiter diuidunt,damna communiter sustinent, vt legitur in Capitulis 3.4.& 10.

7 Ex quibus patet multum differre terminos decisionis Bubali,& Rotæ Ioanuen.14 *& consil.Bald.87.volumine 2.* à terminis huius Accomanditæ,cum priori casu agatur de exponente industriam loco capitalis, qua cessante cessare videatur lucri participatio tanquam à causa finali,& item agatur de negotijs absque nomine,& mandato sociali contractis,& ante societatis erectionem;posteriori vero casu omnes pecuniam conferunt, & ab initio omnia negotia communi Accomandantium nomine fuerunt tractata mandato præcedente, & nomine sociorum in contractibus expresso, ita vt perinde sit, ac si cum ipsis Accomandantibus omnia negotia essent gesta. *§.final. Instit. quod cum eo. Cast. in rubr. C. de exercitoria action. Paris. consil. 93. num.1. vol.1. Alba. consil. 104. numer. 5. Afflict.decis. 82. num.3. Surd. consil. 326. num. 3. vol.3.* quod etiam si expressum non fuisset, taliter contraxisse præsumendum esset, vt declarant *Bartol.& alij in l. qui aliena.§.si is qui putat. ff.de interrog.actio. Natta consi.636.nu. 68.Alciat.de præsumpt.reg.2.præsump.24.num.1.* & latissime comprobat *Surdus,consi.19.num.24. & 30. vol.1.* Vnde stantibus prædictis nisi aliunde doceatur Philippum effectum fuisse dominum rerum, & negotiorum, non poterit excludere Accomandantes finito triennio ab emolumentis ex cōmuni contractu prouenientibus,nec tanquam socius habens duplicatam portionem, quia repugnat legibus societatis, vt vnus plus commodi,& lucri habeat,quam alter.*l.3.C.pro socio.Illustriss.Mantic.de tacit.& ambig.lib.6.tit.6. num.20.& latius titul.14. num.3.4. & per totum*, nec tanquam administrator,quia mercede sua viginti quinque in singulis centum debet esse contentus. *Petr. de Vbal. de duob. fratrib.par.4.num.1.2. & 6.*

8 Non obstat, quod ipse Administrator vigore Statuti Florentini rubr.10.solus in omnibus negotijs, & contractibus remaneat obligatus in solidum,& principaliter contrahendo videatur sibi acquirere proprietatem negotiorum,ita vt elapso termino Accomādantes nihil pretendere possint de prouenientibus ab ipsis cōtractibus,in quibus nominati non fuerūt. Quia fuit responsum, statutum prædictum videri emanatū ad emendationem præiudicij tertijs contrahentibus facti ob liberationem obligationis solidalis, ad quam de iure plures proponentes institorem, vel administratorem tenentur, per ea, quæ consuluit *Anchran. cons. 332. num. 4. Osasc. decis. 150. nume. 7. Rota Ianuen. decis. 14. nume. 8. 20. & 126.* ita vt ille, qui cum vno contraxit, in plures non distingueretur, vt considerat eadem *Rota Ianuen. decis. 14. num.8.* non autem vt alteraret partium conuentiones,de quibus in eo nullum verbum.Præterea dicebatur Philippum non potuisse, nec voluisse in proprio acquirere, quia debuit ex forma Capitulorum,& ita contraxit sub titulo, & nomine communi sociorum, vt patet ex modo con-

contrahendi pro se,& socijs,& quatenus non expressisset, idem esset dicendum ratione præcedentis mandati ex capitulis resultantis. *Aym. cons.10. num.9.* Nec aliter suadere videbantur verba Capitulorum, ibi, *Hauendo hauuto debito fine la ragione, che hà cantato in nome di Filippo Guicciardino, nella quale per via di accomandita hanno hauuto interesse li Signori, &c. quasi per* illa verba inferatur, quod ratio bancharia residebat penes Philippum, & alij per viam Accomanditæ habebant interesse per participationem, non autem per proprietatem, cum penes socios ratio bancharia non resideat.

9 Nam pro iustificatione naturæ primæ Accomanditæ, cuius effectus deinde fuerunt accollati in secunda, non est desumenda interpretatio ex cortice verborum, sed ex substantia Capitulorum, quę cum conueniant huic secundæ Accomanditæ, repugnant verba in toto contextu Capitulorum interpretationi prædictę, dum socij voluerunt Philippum institorem, administratorem, complementarium, & contrahentem sub nomine ab eis recepto, & eo modo rationem banchariam esse penes eum, non autem in proprietatę negotiorum, & rationis erectæ.

10 Cessare etiam videbatur incompatibilitas, & repugnantia deducta ex pacto, de quo in Capitulis Accomanditæ, quod finito triennio sit restituendum capitale, quasi eo restituto nullus ex participantibus possit aliquod vtile prætendere in appaltibus, & affictibus acceptis intra triennium, cum nullus ipsorum posset sentire damnum, si eueniret, nec haberet capitale in ista participatione, sine quo nec damnum, nec vtile dari potest, presertim cum illa negotia, vt notorium est, egeant implicatione magnæ quantitatis pecuniarum, & sint contractus habentes tractum successiuum per plures annos sequentes post triennium. Nam extrahere capitale in fine societatis, quando est saluum, conuenit regulis, & naturæ societatis. *Bald. in l.si non fuerint.ff.pro socio.& in consi.463. num.4.volum. 1. Socin.sen.cons.24.num.33. vol.1.* neque ex eo affictus, & appaltus dici possunt remansisse sine subuentione pecuniarum, quibus deficientibus lucrum sperari non poterit, quia poterat superesse tale lucrum, quod citra capitale immissum sufficere potuisset, pro sustentatione illorum negotiorum. Præterea cum omnes effectus societatis essent restringendi finito triennio vigore *Cap.11.* non erat necesse, quod omnes socij accidentalem societatem renouarent super continuatione affictuum, & appaltuum, cum per æstimationem lucri sperandi, possent estimari, diuidi, & vendi, nedum in tempore sex mensium ad ista peragenda statuto, & vlteriori bene viso ipsis socijs, sed minori etiam tempore, prout factum fuit de effectibus primę Accomanditæ accollatis in secunda, & per æstimationem alienatis, remanente pretio alienationis inter socios diuidendo, & quotidie practicantur venditiones portionis appaltuum, nec videtur verum, quod releuato capitali cessare debeat commodum sociorum, dum nec sentire possunt in commodum, quia vinculum non dissoluitur cũ Camera Apostolica, pro cuius interesse semper tenetur pro summa immissa ad omne damnum, quamuis sortem recuperauerint.

11 Alia etiam ratione, & faciliori prædicta euitabantur, quia si à principio isti appaltus fuerunt sociales, prout fuisse iam dictum est, necesse habet Philippus docere, quomodo mutauerint naturam, & in eius dominium peruenerint, ita vt de administratore finito triennio dominus effectus fuerit, quod quidem per contrarietates, vel absurda demonstrari non potest, sed per modos habiles ad transferendum dominium. *l.nunquam nuda. ff. de acquirend.rer.domin.l.traditionibus. C.de acquirend.possess.Surd. consi.4.num.41. vol.1.*

12 Et quæ deducuntur ab obseruantia primæ Accomanditæ postmodum accollata in secunda, facile in contrarium retorquentur, quia illa fuit talis, vt socij illius Accomanditæ de Affictibus, & appaltibus finito triennio participauerint, dum illi fuerunt venditi secundæ societati pretio Scutorum 102000. & pretium fuit diuisum inter socios primæ societatis secundum eorum participationem.

R. P. D. VBALDO.

Romana de Arronijs, Mercurij 15. Ianuarij 1614.

ARGVMENTVM.

Contraueniens prohibitioni alienationis factæ à testatore cum concessione facultatis ab eodem testatore datæ non contraueníenti capiendi possessionem bonorum propria auctoritate, non censetur priuatus hæreditate non sequuta declaratoria iudicis, & hinc plures explicantur notabiles conclusiones, de quibus in Summarijs.

SVMMARIVM.

Possessio probatur per locationem cum perceptione fructuum. num.1.

Possessio iunior præsumitur clandestina, & turbatiua, & non manutenibilis, præsertim in præiudicium illius, qui non habuit se prospoliata. num.1.

Iudex nulliter, & iniustę procedens non dicitur priuare aliquem sua possessione. num.2.

Cameralis obligationis extensio est necessaria vbi eadem obligatio est rogata à diuerso Notario. num.3.

Actus agentium non operatur vltra eorum intentionem, num.4.

Declarans velle stare simplici copiæ instrumenti, non facit, vt aduersarius non teneatur seruare, & adimplere de iure adimplenda. num.4.

Mandatum relaxatum sine probationibus, & ex actis non iustificatum dicitur notorie iniustum. num.4.

Testes examinati sine citatione partis ad dicendum contra articulos, & videndum illos iurare, dicuntur nulliter examinati. num.4.

Prohibita alienari etiam alienationis latissime sumpto vocabulo non veniunt sub generali hypotheca etiam ad fauorem vxoris. num.5.

Clausula constituti nihil operatur, quando principalis obligatio est nulla. num.6.

Inquilinorum recognitio, & solutiones vni factæ non possunt interuertere veram possessionem alterius. num.7.

Contraueniens prohibitioni alienationis à testatore facta non incurrit pœnam ab eodem testatore impositam contraueníenti nisi sequuta declaratoria iudicis causa cognita, & parte citata. num.8.

Producens instrumentum dicitur fateri omnia contenta in instrumento. num.9.

DECISIO DLV.

1 Domini post binam huius causæ propositionem, alteram die 20. Decembris præteriti, in qua dixerunt, Non liquet, alteram die suprascripta, tandem censuerunt, Fabio Arronio dandum mandatum de manutenendo in possessione domorum, & apothecarum, & vineæ, de quibus agitur, quia quo ad domos, & apothecas, de Fabij anteriori possessione constat ex locatione ab eo facta de anno 1601. cum pensionibus successiue per plures annos receptis, quæ locatio, cum fructuum perceptione bene probat possessionem. *Bart. Aret. & alij in l.qui vniuersas.§.quod per colonum.ff.de acquir.possess.Socin.cons.106. col.1. lib.3. Gabr.in tit.de locat.& cond.concl.4. num.2.& 3.* Et fuit dictum in causa Bononien. de Carnalibus 11. Ianuarij 1602. coram bon.mem. Card. Pamphilio, & alias sæpe, & sic non

non obstat possessio Lucilij, quia tãquam iunior presumitur clandestina, & turbatiua, & non manutenibilis in præiudicium Fabij, qui non habuit se pro spoliato. *c. licet causam. vbi Doct. præsertim Bellam. num. 67. de probat. Alex. cons. 110. num. 1. lib. 1. cons. 76. num. 8. lib. 2. & cons. 88. num. 4. lib. 5. Rota decis. 27. nu. 7. par. 1. diuers.* cum alijs allgatis in Augusten, Hospitalis 21. Februarij 1611. coram me.

2 Et licet Lucilius fuerit immissus auctoritate iudicis, tamen cum iudex nulliter, & iniuste processerit non citato Fabio anteriori possessore, eum non priuauit sua possessione, *Abb. in c. conquerente. num. 8. de restitut. spoliat. Rip. in l. naturaliter, §. nihil commune. num. 60. in fin. & sequent. ff. de acquiren. possess. Rota decision. 802. num. 7. par. 1.*

3 Vnde tota difficultas reducebatur ad hoc, an Fabius amiserit suam possessionem, per mandatum de associando in bonis Fabij relaxatum in Curia Capitolina de anno 1610. ad fauorem Catherinæ vxoris Fabij ob assertam viri vergentiam ad inopiam, cum possessione capta nomine Catherinæ, & alijs subsequutis Nam si non amisit, sequitur, vt tam immissio in eisdem bonis obtenta contra Catherinam per Thomã Luciolum assertum Fabij creditorem in iudicio Saluiani, quam immissio Lucilij contra Thomam ob defectum citationis Fabij possessoris in vtroque immissionis iudicio fuerit nulla, Et Dominis videbatur, Fabium non amisisse suam possessionem, quia mandatum à Catherina obtentum fuit nullum, & iniustum nullitas deducebatur ex eo, quia fuit processum in dicta Curia Capitolina via executiua in vim obligationis Cameralis absque vlla illius extensione, cum tamẽ ageretur coram diuerso Notario ab eo, qui de instrumento dotali fuerat rogatus, *Roman. cons. 353. nu. 6. vers. quo ad tertium, & ibi Addent. Galles. ad form. Camer. obligat. p. 2. tit. de process. nu. 3. & seq.* & fuit resolutum in Romana Domus 16. Decembris 1588. coram bonæ memoriæ Penia, in Romana releuationis à molestijs 12. Ianuarij 1601. coram Illustriss. Card. Lancellotto, & in alijs allegatis per Informantes.

4 Neque hæc nullitas videbatur euitari, ex consensu Fabij volentis stare simplici copiæ dicti instrumenti, quia solum potuit operari, vt pars non cogeretur producere instrumentum publicum ad euitandas expensas, non autem vt propterea non teneretur adimplere ea, quæ de iure seruanda erant, vt posset executiue procedi, cum actus agentum non operetur vltra eorum intentionem *leg. non omnis. ff. si cert. petat. cum vulg.* Iniustum vero fuit dictum mandatum ex duplici capite.

Primo, quia vergentia viri ad inopiam, quo nomine Catherina egit contra maritum pro restitutione, vel assecurationes suæ dotis, non fuit probata nisi per testes nulliter examinatos, qui ideo nihil probant *Caput. dec. 282. par. 3.* nullitas autem apparet ex defectu citationis ad dicendum contra articulos, & videndum testes iurare, vt fuit terminis resolutum in Nebien. Beneficij 30. Octobris 1602. coram Illustrissimo Cardinali Lancellotto, qua nullitate stante, sententia, vel mandatum tanquam sine probationibus non remanet ex actis iustificatum, & sic apparet notorie iniustum. *Cæs. de Graff. dec. 2. nu. 6. de solut.*

5 Secundo, mandatum fuit iniustum, quia ista bona non erant obligata pro dote, cum essent fideicommissaria, & subiecta arctissimæ prohibitioni de non alienando, etiam alienationis latissime sumpto vocabulo quo casu non veniebant sub generali hypotheca bonorum facta per Fabium ad fauorem vxoris, quia nec poterant hypothecari *Bart. Bald. & Ang. in l. fin. C. de reb. alien. non alien. in Summario, & idem, Bart. in l. in quorum. vers. tu dic. ff. de pignor. & in l. codicillis, §. instituto, nu. 5. ff. de leg. 2. Gabr. de reg. iur. concl. 12. & seq. Alex. in leg. si constante. in 3. q. 3. q. princ. num. 25. & 26. ff. solut. matrim. Neguf. de pign. 2. membr. secundæ. par. num. 53. vers. 5. fallit, & c. & in terminis dotis. Ruin. cons. 123. num. 20. lib. 2. Menoch. consil. 116. numer. 14. & 15. libr. 2. Rota decision. 425. num. 8. par. 1.*

6 Nec clausula constituti hoc casu potest aliquid operari, tanquam accessoria ad principalem obligationem. *Bald. in leg. ex testamento, ad finem, Cod. de fideicommiss.*

7 Nec recognitio inquilinorum, & solutiones potuerunt interuertere possessionem Fabij, quam ex prædictis non amisit, *Alexand. in leg. quamuis, §. si conductor, num. 2. ff. de acquir. possess.* Ex quibus sequitur, vt aliæ duæ immissiones ad fauorem creditoris, & ad fauorem Lucilij non obstent Fabio possessori, & non citato.

8 Non obstat, quod stante alienatione facta à Fabio per impositionem duorum censuum super dictis domibus contra expressàm testatoris prohibitionem, Lucilius posset capere possessionem horum bonorum etiam propria auctoritate ex permissione eiusdem testatoris, quia placuit responsio data per Informantes, quod cum hæc facultas esset concessa à testatore in casu contrauentionis, debebat super dicta contrauentione præcedere sententia iudicis declaratoria facti, causa cognita, & sic parte citata, *cap. 1. vbi Ioan. Andr. Archid. & alv. de homicid. in 6. Felin. in cap. cum non ab homine. num. 9. & 10. de iudic. & in cap. Rodulphus, num. 35. de rescript. Alex. consil. 103. num. 17. libr. 1. Grammatic. decis. 105. num. 60. Gail. de pac. publ. libr. 2. cap. 3. numer. 3. Magon. decis. Florent. 16. num. 13. Roland. cons. 20. num. 13. lib. 1. Gabr. cons. 88. num. 23. lib. 1. & cons. 67. num. 17. lib. 2. Affl. dec. 97. num. 2. & 3. Corbul. de caus. priuat. ob non sol. can. q. 12. sub num. 4.* Et fuit dictum in dicta decisione Bononien. de Carnalibus, coram Cardinale Pamphilio & in Ferrarien Bonorum 12. Iunij 1606. coram bonæ mem. Iusto, & hoc optima ratione, quia si fuisset pars citata potuisset allegare aliquam causam, ex qua excusaretur contrauentio, *Affl. d. dec. 97. num. 2. & 3. Gabr. d. cons. 67. num. 17. lib. 2.* Et fuit dictum in causa Cesenaten. Spolij. 22. Iunij 1592. coram Illustrissimo Mantica, quam ipse allegat, & sequitur *de tacit. & ambig. lib. 22. tit. 22. sub num. 14.* vltra quod cum Lucilius elegerit viam iudicij sine aliqua protestatione non protestatione, non poterat amplius redire ad viam facti, & vti dicta facultate. *Bald. in l. 1. sub num. 1. C. de execut. rei iudic. Ruin. cons. 57. num. 3. lib. 4. Corbul. vbi supra, q. 13. in fin.* & fuit dictum in dicta Ferrarien. coram Iusto, & latè in Romana domorum 24. Februarij 1612. & in Pampilonen. Parochialis de Arzoz. 20. Iunij eiusdem anni coram me.

9 Quo vero ad vineam, res videbatur habere minorem difficultatem pro Fabio, quia de eius possessione constat ex instrumento locationis producto per Lucilium contra Iuliam, cui fuit facta renunciatio per cõductorem, ex qua productione videtur confiteri cõtenta in instrumento ad *l. Publia. §. fin. ff. depos. & per Doct. in c. cum venerabilis, vbi Dec. nu. 122. de except. Surd. cons. 5. n. 37.* & fuit dictũ in Romana dotis 6. Iunij 1611. coram me, nec possessio Iuliæ potest Lucilio suffragari, tum quia ipsa consentit, vt mandatum detur Fabio vt in nouo Fabij Summario *nu. 2.* tum quia nec ipsa sibi possidet, sed possidet pro locatore, tanquam cessionaria conductoris, *l. peregre. §. quib. ff. de acquir. possess. l. 1. §. non alij autem, ff. de vi, & vi armat.* & sic Iulia non potuit sublocando Lucilio, plus iuris in eum transferre, quam ipsa haberet ad regulam, *l. nemo plus iuris, ff. de regul. iur.*

10 De expensis, & melioramentis factis à Lucilio in vinea adhuc non constat, & ideo fuit resolutum, Fabio dandum mandatum de manutenendo.

R. P. D.

R. P. D. PIROVANO

Romana pecuniariæ de Cuppis. Mercurij 26. Ianuarij 1614.

ARGVMENTVM.

Societas quibus verbis inita dicatur, & quando societatis damnum, & lucrum debeat inter socios esse commune.

SVMMARIVM.

Societatis lucrum, aut damnum commune est inter socios, etiam post alterius socij mortem, num. 1.
Præfatio, & proœmium ostendunt causam finalem sequentis obligationis, nu. 2.
Socius pro complemento societatis debet contribuere capitale necessarium pro eius rata, nu. 3.
Mandans dicitur facere. nu. 4.
Contrahens nomine proprie sibi ipsi acquirit, & non alteri, nu. 6. Vbi declaratur hæc conclusio, nisi præcessisset conuentio, quod contrahens sibi, & socio acquiret.

DECISIO DLVI.

1 CEnsuerunt Domini contractum de quo in apocha releuare ad effectum, vt hæredes Philippi Guicciardini remanserint etiam post eius mortem obligati ab incommoda, & damna prouenientia ex affictu status S. Floræ, & appaltu Vitrioli recepto per Pompilium de Cuppis à Dom. Duce Sfortia vsque de anno 1607. pro subsequenti nouennio. Fundamentum decisionis fuit, quia inter Guicciardinum, & Pompilium id actum videtur ante conductionem, vt in affictu essent socij, ideo quidquid lucri, dannive factum reperitur commune esse, etiam post alteriuseorum mortem, dicit tex. *in l. actione in 1. vers. si in rem certam, & l. verum. §. in hæredem & l. cum duob. in princ. ff. pro socio.* & quasi damnum preparatum ex illo contractu transit ad hæredes, prout transit ipsum ius conductionis, *Rimin. iun. cons. 52. nu. 114. lib. 1.* & hęc conclusio bene firmatur tam in decisione coram Bubalo Romana participationis 9. Maij 1593. quam in Ferrarien. affictus coram me 14. Ianuarij 1611.

2 Quod autem inter eos actum fuerit de communione secundum portiones conuentas patet ponderando seriem totius apochæ, quæ datur, dicitur enim, enunciato iam tractatu nouæ conductionis, *E desiderando d' hauer per compagno in detto nouo affitto il detto Signor Philippo Guicciardino per li due terzi*, Quæ verba cum sonent in societatem, & de certa re tanquam proœmium, & præfatio bene ostendunt causam finalem subsequentis obligationis, *Bart. in l. 1. in princ. ff. ad Macedonian. Roman. cons. 180. num. 6. Dec. cons. 86. nu. 6. vers. & ista donatio. Crau. cons. 301. num. 2. Becc. cons. 20. num. 11. vol. 1.*

3 Ideo dum in apocha alia verba sequuntur, *Per la presente si obliga di starci interessato per li due terzi, è contribuire à tutta quella somma, che ci bisognerà per il capitale di detto negotio*. Visus est Guicciardinus qualificasse suum interesse tanquam socius, & magis etiam cõfirmasse illam qualitatem prommittendo contribuire capitale necessarium pro complemento negotij conductionis, quæ contributio conuenit legibus verę societatis, *l. si non fuerint. ff. pro soc. o bonæ me. Card. Mant. de tacit. & ambig. lib. 6. tit. 14. num. 9. & per totum*, & est modus acquirendi iuris in re cõducenda, vt dicit text. *in d. l. cum duob. in fin. princ. ff. pro socio.* ibi, quasi cõmune negotium gereretur, & tradunt *Bal. in l. 1. num. 33. vers. respondetur, C. pro socio. Ias. cons. 33. nu. 29. lib. 3.*

4 Addita fuerit præterea ex parte eiusdem Guicciardini facultas sonans in mandatum in personam Pompilij, concludendi partitum affictus cum D. Duce, ibi *Dando facultà al Signor Pompilio, che possa fermare il detto partito de affitti, in quella miglior maniera che potrà*, ita vt eo mandante perinde sit, ac si cum ipsomet Guicciardino negotium gestum, & conclusum fuisset, *§. fin. Instit. quod cum eo. Castrens. in rubr. Cod. de exercitor. act. Alba. consil. 104. numer. 5. Afflicti on. decision. 82. numer. 3. volum. 3.*

5 Et demum pro complemento voluerunt, quod secuta conclusione contractus scriptura conficiatur à *vso di buono compagno*, quæ verba conueniunt proprio, in quo Pompilius desiderauit habere Guicciardinum in socium. Ex quibus omnibus satis patet cessare rationes, quæ allegantur in Romana Participationis coram bo. mem. Bubalo, cum in ea opera, & industria solum fuerit deducta in societatem, vt ideo mirum non sit, si ea cessante per mortem socij, vel finem societatis cessent etiam lucra, aut damna tanquam quid proportionabile ad vsum pecunię ab altero socio immissæ, secus autem est, quando præcedit causa habilis ad communicationem, & consortium ipsius rei, quia tunc transit ius in proprietate, non autem in solo vsu, & commoditate ex solo vinculo societatis causata.

6 Nec etiam obstat, quod Pompilius vsus non fuerit facultate, & mandato sibi in apocha præscripto, dum proprio nomine conduxit, & pro se, & hæredibus suis stipulatus fuerit quo casu videtur totus affictus sibi acquisitus, & non Guicciardino, per ea, quę tradit *Natta cons. 262. num. 12. post Bart. & Alexand. quos allegat.* Quia hoc quoque fuerat conuentum, & promissum in apocha, quod posset concludere affictum cum D. Duce, *in quella miglior maniera che potrà, e giudicherà piu beneficio*. Vnde contrahendo videtur vsus forma præcedentis mandati habili ad obligandum Guicciardinum, iuxta conuenta, *Bart. & alij in l. qui aliena. §. si is qui putat. ff. de interogat. action. Natta cons. 636. num. 68. Alciat. de præsumpt. regul. 2. præsumpt. 24. num. 1. Surd. cons. 19. nu. 24. & 30. vol. 1.*

DECISIO DLVII.

Romana hæreditatis de Alexijs. veneris 24. Ianuarij 1614.

Est impressa apud Caualerio.

DECISIO 284.

REVERENDISSIMO P. DOM. DAMASCENO.

Hispalen. Præeminentiarum. Veneris 24. Ianuarij 1614.

ARGVMENTVM.

Clausula vocatis vocandis an, & quando faciat causam appellabilem, & exequutorem mixtum reddatque iudicium ordinarium, quod de sui natura, erat exequutiuum, & clausula arbitrio Rotę apposita suspentioni sententiæ operetur eiusdem sententiæ suspensionem, quando fuit apposita in prima commissione emanata ex signatura iustitiæ.

SVM-

SVMMARIVM.

Clausula arbitrio Rotæ intelligitur, prout de iure, præsertim quando est apposita in prima commissione, & præsertim, quando commissio emanauit à signatura iustitiæ. nu. 1.

Literæ Apostolicæ, & Breuia, quando sunt iustificata exequutioni mandari debent, nu.2.

Clausula vocatis vocandis facit causam appellabilem, & mixtum exequutorem, num. 3. Declara, vt numer. 4. & numer. 7.

Rescriptorum verba reducuntur ad ordinem iuris, nu.5.

Inhibitio concedi potest absque eo, quod fiat processus, vel pronuncietur, nu. 6.

Actor, & reus quandoque ad imparia dicantur proter diuersitatem rationis, nu.7.

Subrogatus iudex est eiusdem naturæ, cuius est iudex, in cuius locum subrogatur, num.8.

DECISIO DLVIII.

1 A Fel. recor. Clemente Papa VIII. emanarunt tria Breuia super statu Cathedralis Hispalen. in quorum primo Papa declarauit indecorum esse, quod Canonici in Sacris Constituti occasione cuiusdam Turni compellerentur, vt prætendebatur, inseruire Pro Subdiacono, & Diacono Portionarijs solleniter celebrantibus, & proinde id in posterum fieri vetuit. In secundo declarauit, dictos Portionarios teneri subire munia, quæ liber Cæremonialis, Beneficiatis, & Mansionarijs aliarum Ecclesiarum iniungit. In tertio Papa narrans prædicta Breuia fuisse subreptitio modo obtenta, & signanter, quod quædam immemorabilis consuetudo ad fauorem Portionariorum non fuit sibi exposita, stante dicta immemorabili consuetudine mandauit, Portionarios in integrum restitui, seu manuteneri in possessione, vel quasi, à qua vigore dictorum Breuium, seu libri Ceremonialis spoliati fuissent, suspendendo prædicta Breuia tanquam subreptitio modo obtenta, donec super contentis in dictis Breuibus, & alijs similibus, partibus citatis, & auditis quid obseruandum esset Congregatio Sacrorum rituum (in qua tunc huiusmodi causa pendebat) maturius declararet, causa postmodum in Rota R.P.D. Pamphilio commissa fuit dubitatum, an esset locus exequutioni duorum primo loco obtentorũ Breuium, & pro negatiua fuit tentum stante vltimo breui, per quod illorum exequutio suspenditur, donec super contentus in illis maturius deliberetur, successiue datis dubijs super vtroque Breui fuit resolutum, illa esse iustificata, vnde dictus R.P.D. Pamphilius facto in verbo in Rota concessit illorum exequutionem, quæ fuit cœpta per intimationem exequutorialium, ex quibus cum pars portionariorum prætenderet se grauatam, obtinuit mihi committi causam appellationis cum clausula parito Breuibus arbitrio Rotæ, vnde proposui ante omnia dubium, an esset locus arbitrio, & fuit conclusum, non esse locum arbitrio ad effectum suspensionis, seu retardationis exequutionis Breuium, quia clausula arbitrio intelligitur, prout de iure. *Bar. in extrauag. ad reprimendum, verb. videbitur, Paris. consil.8. num.21. lib. 4. Ces. de Grass. dec.7. num.7. & decis.8. num.2. de sent. & re iudic.* & fuit sæpissime dictum in Rota, quod magis de plano procedit, quando, vt hic ponitur in prima commissione, quia tunc cessat obiectum, quod per istam interpretationem commissio redatur superflua, vt alias considerauit Rota in causa Romana Cottiuij die 6. Martij 1606. coram me per doctr. *Felin. in cap. 1. num. 51. vers. & si dicatur arbitrio suo. de constit.* cum alijs in dicta decisione alleg. Confirmantur prædicta, quia cõmissio emanauit à signatura iustitiæ quæ non facit rescripta gratiosa, seu aberrantia ab ordine iuris, vt per *Sarnen. in compend. vtrisque signatur. vers. & si quæratur cum seq. Staphil. de litter. iust. in princ. & vers. secundum est cum duob. seqq.*

2 De iure autem est, vt dicta Breuia demandentur exequutioni, stante quod sunt iustificata, vt super vtroq; fuit resolutum coram R.P.D. Pamphilio, literæ enim Apostolicę postquam sũt iustificatæ habent exequutionem paratam. *Mohed. decis. 13. vt lit. penden. Gig. de pens. q.81. num.2.* Rota in causa Pacen. Parochialis 27. Iunij 1603. coram bon. mem. Cardinale Pamphilio, & in Salamantina Beneficij 31. Ianuarij 1596. coram Corduba.

3 Non obstat tertium Breue, de quo supra, quod prętenditur fecisse causam ordinariam, tum per illa verba vocatis vocandis, quæ faciunt exequutorem mixtum, & causam appellabilem, ad not. *per Felin. in c. de cetero, nu.10. de re iudic.* tum per illud verbum (Declaretur) quod dicitur importare per sententiam, & sic quod debuerint præcedere tres conformes, antequam posset procedi ad exequutionem Breuium.

4 Quia in primis videbatur, non transire de plano, quod clausula vocatis vocandis faciat iudicium ordinarium, nam bene verum est, quod facit, vt ille, qui alias poterat extraiudicialiter procedere teneatur procedere iudicialiter, sed non exinde sequitur, quod si materia est exequutiua, & iudex non pronunciet, sed relaxet mandatum exequutiuum, sit locus appellationi ad effectum suspensiuum, quia in remedio, *l. fin. C. de edict. Diui Adr. tollen.* ad cuius instar proceditur in exequutione litterarum Apostolicarum *Abbas in cap. constitutis num. 14. in fin. de appellat. Menoch. de adipiscen. remed.6. num. 35. Mohed. d. decis. 13. vt lit. pend.* Rota in causa Aduersaria Beneficiorum 3. Iulij 1606. coram me, & similiter in exequutione obligationis Cameralis, & in alijs proceditur iudicialiter, & citatis citandis & nihilominus non retardatur exequutio sub prætextu appellationis.

5 Et pro hac conclusione facit, quod verba rescriptorum reducuntur ad ordinem iuris, *cap. causam cap. super literis de rescript. Calder. consil.2. num. 1. eodem tit. Franc. in c. licet canon. in fin. de elect. in 6.* & proinde si materia secundum ordinem iuris est exequutiua, non debet per dictam clausulam fieri ordinaria, quia cum verba per necesse hoc non importent, ordo procedendi remanet in dispositione iuris, *ad l. commodissime, ff. de lib. & posthum.* cum concord. & bene in proposito argumentatur. *Anchar. consil. 297. num.8. in fin. & num. 9. in princip. Felin. vero in dict. c. de cetero, num.10. de re iud. & Card.* per eum allegatus possent saluari, quando exequutor elegisset (prout potest) proferre sententiam, non autem relaxare exequutionem, vt fuit factum in hoc casu quæ distinctio colligitur ex verbis eiusdem Felin. ibi, & de eius sententia disponitur, vt de sententia iudicis, & ex *Card. per eum alleg. cons.64. alias 63. incip. dico, quod Dominus nu.1. vers.* & hoc præsupposito ibi dico de sententia exequutoris idem per omnia ac si esset sententia iudicis.

6 Et eodem modo respondebatur ad verbum, Declaretur, intelligendo, quod declatio fiat eo modo, quem natura iudicij expostulat, vt videmus in simili de commissione, quod inhibeatur præuia matura causæ cognitione, quia vt possit inhiberi non est necesse facere processum, vel pronunciare super hoc, vt fuit decisum in causa Valentina Iurisdictionis tertia Iulij 1595. coram Illustrissimo Cardinali Mellino, & alibi.

7 Verum istis omissis fuit dictum, per dictas clausulas non fuisse impeditam viam exequutiuam in hoc casu ex triplici capite, primo quia Felin. & alij in contrarium alleg. loquuntur, quando prædicta verba sũt in rescripto impetrato per actorem, quia tunc videtur, quod non nisi ordinarie ad fauorem actoris procedi possit, cum alias forma non seruata deficiat iurisdictio.

dictio. ad c. cum dilecta. de rescript. c. venerabili. de offic. deleg. cum concord. secus videtur in rescripto ex post impetrato per reum, vt in præsenti casu, quia tunc videtur, quod exceptio rei non nisi ordinarie canonizari possit, quia forma est adiecta impedimento exercitij iurisdictionis, non autem ipsi exercitio, & non est nouum, quod actor, & reus pro pter diuersitatem rationis ad imparia iudicentur, prout videmus in simili, *de remed. l. fin. C. de edict. Diui Adr. tollen.* secundum quam regulatur exequutio literarum Apostolicarum, vt supradictum est, etenim si iudex dat exequutioneáctori non datur appellatio, si vero illam dare negat conceditur appellatio, *Ang. in l. quisquis, num. 3. Cod. quorum appell. non recip. Zuccard. in d. l. fin. num. 396. Castr. consil. 39. in fin. lib. 1. Tiraq. tract. le mort saisit part. 6. declar. 6. num. 3. Menoch. de adipiscend. remed. 4. numer. 876.*

8 Secundo fuit dictum, non applicari clausulá vocatis vocandis, & alia de quibus supra, quia dicta clausula fuit directa Congregationi Sacrorum Rituum, quæ sine dubio non procedit ordinarie, nec per tres confoemes, & proinde cum Rota fuerit subrogata in eius locū clausula debet intelligi, prout fuisset obseruata in sacra Congregatione, ad regu la subrogatum, de qua *in l. si eum §. qui iniuriarum. ff. si quis caut. Bar. in l. si quis filium. in fin. C. de inoff. testam. Butr. in c. Ecclesia. il 1. num. 3. vt lit. pend. Felin. in c. cum accessissent, nu. 19. de constit. Dec. cons. 50. num. 2.* & proinde sicut in illa sacra Congregatione fuisset satis extraiudicialiter declarare super exceptionibus Portionariorum ad effectum exequendi Breuia ad fauorem Canonicorum emanata, ita & in hoc casu.

9 Tertio visa fuit cessare omnis difficultas, quia in commissione Rotali adest facultas exequendi dicta Breuia, prout de iure, & proinde quatenus fuisset per tertium Breue sublata facultas exequendi, censeretur restituta perhanc vltimam commissionem, postquam de iure est, vt ista Breuia exequutioni demandentur, vt supra demonstratum est.

REVERENDISSIMO P. D. DAMASCENO.

Romana Legatorum de Columna, Lunæ 27. Ianuarij 1614.

ARGVMENTVM.

Immissio ex Saluiano interdicto ad fauorem legatarij an, & quando retardari debeat ex eo, quod hæres se creditorem hæreditatis, seu fideicommissarium prætendat.

SVMMARIVM.

Legatarij ex Saluiano interdicto immittendi sunt super bonis mobilibus, pecunijs, & nominibus debitorum relictis à testatore, data cautione de restituendo in casu quo hæreditas non sit soluenda, nu. 1. & nu. 10.

Legatario competit Saluianum interdictum in bonis hæreditarijs ipsius testatoris. num. 2. Vbi vt hoc procedit tam super immobilibus, quam super mobilibus, pecunijs, & nominibus debitorum.

Exceptiones requirentes altiorem indaginem non impediunt immissionem possessionem, ex Saluiano Interdicto, numero 3.

Inuentarium factum ab hærede probat plene contra ipsum hæredem. nu. 4.

Retinere rem magni valoris licitum est creditori, donec sibi satisfiat, vel offeratur creditum minoris valoris, Declara vt num. 5.

Retentio rei creditori non datur, quando ex eadem re potest ipsi satisfieri, & alter creditor agens, num. 5.

Exceptio, quæ pendet à fideicommissis tanquam requirens altiorem indaginem non admittitur ad impediendum immissionem ex Saluinno interdicto. nu. 7. Fallit, nisi hæc fideicommissi exceptio incontinenti probetur, nu. 8. Vbi etiam declaratur, quando hæc exceptio dicatur incontinenti probata, num. 9.

Exceptio non requirit altiorem indaginem ex replicatione, quam facit actor, num. 9.

Census impositus super re, fideicommisso subiecta, sustinetur in illa parte, quæ est libera, & quæ fideicommisso non subiacet, nu. 9.

DECISIO DLIX.

1 Rota censuit, legatarijs Antonij Quarti competere immissionem ex Saluiano super bonis mobilibus, pecunijs, & nominibus debitorum relictis per dictum Marcum Antonium præstita tamen cautione per dictos legatarios de restituendo in casu quo hæreditas minime esset soluenda, *iux. notata in leg. finali Cod. de petit. hæred. Rota in causa Foroliuien. Bonorum coram Paleotto relata inter diuersor. impress. 674. libr. tertio, par. 3.*

2 Et quod pro legato competat Saluianum, tradidit *Gabr. cons. 46. num. 21. lib. 1.* & fuit semper resolutum in Rota, nempe in causa Strigonen. Legati 20. Iunij 1588. coram bon. mem. Cardinali Platto in Fauentina legati 24. Nouembris 1589. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio, & in Romana legatorum 3. Nouembris 1599. coram bon. mem. Corduba, quę conclusio procedit etiam super mobilibus pecunijs, & nominibus debitorum. Rota in causa Romana Saluiani 11. Ianuarij 1602. coram bon. mem. Card. Seraphino in Romana pecudum 24. Maij 1600. coram Illustrissimo Mellino, & in Romana seu Foroliuien. de Theodotis 15. Martij 1602. coram bon. mem. Penia.

3 Primum, & secundum extremum non controuertebantur, vnde difficultas fuit reducta ad exceptiones quæ fuerunt factæ per Informantes pro D. Contestabile, hærede cum beneficio legis, & inuentarij dicti Marci Antonij Quarti, nempe quod ipse ex propria persona est creditor hæreditatis dicti Marci Antonij Quarti, pro quibus creditis competit ipsi retentio, sed ad hoc fuit responsum, quod si credita sunt clara competit retentio, si vero sunt dubia, & requirant altiorem indaginem, nequaquam competere retentionem, quia in hoc iudicio minime admittuntur exceptiones requirentes altiorem indaginem, *Rip. in rubr. ff. de pignor. num. 19. prope finem. Natt. consil. 532. num. 4. Becc. consil. 89. n. 2. Menoch. de adipiscend. remed. 3. n. 180. Surd. cons. 4. n. 36.* Rota in Romana Saluiani interdicti. 3. Martij 1608. coram bon. mem. Penia in Romrna census 10. Iunij 1613. coram me, & alibi sæpe.

4 Prop terea resolutio pendebat an credita prætensa per D. Contestabilem essent clara, vel potius requirerent altiorem indaginem, super quo Domini considerarunt, quod aliqua credita sunt omnino liquida, vt sunt expensa funerum, debita hæreditatis soluta per D. Contestabilem post mortem testatoris credita, quę ipse D. Contestabilis habebat cum testatore dum viueret, & pro istis dicebant, D. Contestabili competere retentionem, verum cum ista credita nó ascendant ad Scuta triginta millia, & mobilia, pecuniæ, & nomina debitorum reperta in hæreditate dicti Marci Antonij excedant summam Scutorum ducentorum millium, vt constat ex inuentario confecto per Dominum Contestabilem, quod contra istum plene probat. *l. fin. C. arbitr. tutelæ. Bald. cons. 407. num. 6. libr. 1. Castr. cons. 393. num. 2. lib. 2. Roman. cons. 102. num. 3. Socin. cons. 159. num. 1. lib. 2. Dec. cons. 60. nu. 2. Affl. dec. 313. in princ.* videbatur, quod prædictum creditum parum posset releuare ad effectum impediendi immissionem super eo,

eo, quod superest deductis predictis triginta millibus Cum enim legata minime excedant Scuta viginti septem millia, residuum vsque ad ducenta millia erit omnino sufficiens legatis.

5 Neque satisfecit responsio, quod pro modico, licet retinere rem magni valoris, donec sibi satisfiat, vel offeratur creditum, *ex not. in l. quamdiu. C. de distract. pignor. leg. creditoris, ff. eodem tit. leg. Moschis, & ibi gloss. in verb. possessorem. ff. de iure fisci.* quia fuit responsum prædicta iura procedere, quando vel possidetur res indiuisibilis, prout si quis pro credito Scutorum mille, retineret summam Scutorum decem millium, vel prædium minoris valoris. Tunc enim quia non posset priuari parte, quia priuaretur toto, vt in primo casu, & quia de fructibus venit sibi satisfaciendum, vt in secundo casu, *ex not. in l. 2. & fin. C. de pignoratitia act. Bart. in l. non alienam, num. 12. ff. eodem tit.* qui fructus quando sunt vberiores eo citius sibi satisfiet, non debet cogi ad relaxationem nisi satisfacto sibi de suo credito. Ceterum quando petitur immissio super rebus diuisibilibus æstimatis, & super pecunijs, & nominibus debitorum, omnis æquitas suadet, vt creditor retenta summa in qua est creditor residuum restituat, quia alias retineret sine causa contra not. *in l. ex conducto, in princ. ff. locati. Tiraquell. in tractatu cessante causa, part. 1. num. 189. Galles. ad form. cam. oblig. part. 4. quæst. 1. numer. 12.* Non enim posset retinere propter cautionem, quia iam est sibi cautum, non propter satisfactionem de fructibus, quia res est infructuosa, & sterilis.

6 Alia sunt credita prætensa per D. Contestabilem, ex eo, quod Marcus Antonius Quartus erexit montes super bonis à se possessis, quæ bona dicit esse subiecta fideicommissis ad sui fauorem per mortem dicti Marci Antonij Quarti purificati, qui quidem mõtes vna cum fructibus decursis, vsque ad præsentem diem, & pro maiori parte solutis à D. Contestabili excedunt summam Scutorum trecentorum millium, & sic absorbent valorem mobiliũ pecuniarum, & nominum debitorum prædictorum per Marcum Antonium Quartum super quibus modo prætendit D. Cõtestabilis de damno se releuare. Verum ista debita cẽsuerunt DD. non esse computanda ad effectum retardationis immissionis ex Saluiano, quia sunt turbida, & requirentia altiorem indaginem. Vnde non debent admitti ex supra alleg.

7 Et quod sint talia, patet quia in effectu pendent à dictis fideicommissis. Cum enim Marcus Antonius reliquerit tempore mortis sua bona stabilia excedentia valorem vnius millionis Scutorum ita demum eius hæreditas remaneret debitrix dictorum Scutorũ trecẽtorum millium, si fideicommissum occupat omnia stabilia, ita vt saltem non remaneant libera pro dictis Scutis trecentis millibus. Exceptio autem, quæ pẽdet à fideicommissis, tanquam requirens altiorem indaginem, non admittitur ad impediendam immissionẽ ex Saluiano. Rota in Cesenaten. bonorum. 28. Iunij 1596. coram Seraphino in Romana Saluiani. 13. Ianuarij 1603. coram Litta, & in alia Romana Saluiani. 1. Iulij 1613. coram me.

8 Et licet conclusio non procedat, quando fideicommissum incontinenti probatur, vt fuit dictum in viterbien. bonorum 7. Nouembris 1586. coram Cardinale Seraphino attamen visum fuit Dominis in proposito casu non adesse sufficientem probationem. Nã etsi ex deductis pro parte D. Contestabilis appareat adesse multa fideicommissa in domo de columna, & notoria sit eius descendentia à fideicommittentibus, siue à vocatis, non remanet adhuc illiquidum, an fideicommissa absorbeant omnia bona, relicta per D. Marcum Antonium Quartum, ita vt non remaneant tot de bonis liberis, super quib. possint sustineri mõtes. Inspectio enim pendet ab eo, an nonnulla corpora fuerint in bonis fideicommittentium, & signanter Castra Mareni, & Roccæ Papæ, quæ fuerunt acquisita per Marcum Antonium Quartũ ab Ascanio 9. Cardinali Columna, & sunt magni valoris. Itẽ an ex corporibus, quæ non dubitatur fuisse in bonis fideicommittentis, sint detrahende portiones legitime, & Trebellianice, vel potius fuerint alias distractæ.

9 Nec dicantur, quod istæ sint replicationes ex parte actoris, quæ non faciunt, vt exceptio dicatur requirere altiorem indaginem, *iuxt. notat. per Afflict. decis. 63. Put. decis. 243. lib. 3. Rota in Romana, seu Amerina domus 25. Decembris 1577. coram Cantuccio, relat. inter diuersor. impress. decision. 57. numer. 4. & 6. part. 2. & in Romana de Marescottis. 20. Nouembris 1613. coram me.* Quinimo sunt de intentione rei, cui non sufficit simpliciter ostendere fideicommissa. Sed illa debet ostendere talia, quæ absorbeant omnia bona, quia alias in parte libera sustinetur impositio grauaminis, prout in simili de censu imposito super re subiecta fideicommisso, quod sustinetur in parte libera fuit dictum in causa Romana Census de Cincijs. 13. Aprilis 1600. corã bon. mem. D. Penia, & in Romana census, de Palatijs 2. Nouembris eiusdem anni coram me, & in istis terminis tenuit Rota in Romana Saluiani interdicti. 18. Maij 1598. coram Orano. Talia igitur non sunt fideicommissa, nempe absorbentia omnia bona, nisi probetur identitas omnium bonorum, & quod iam sint detractæ portiones, quia alias in parte libera à fideicommisso potuit imponi onus montium.

10 Alia denique sunt debita, quæ non sunt soluta à D. Contestabile, nec illi debentur, sed pretenduntur per extraneos cum hæreditate, & super hæc fuit dictum non posse retardari immissionem, sed sufficere cautionem præstandam per legatarios, iuxta not. *in d. l. final. Vbi bene Castren. num. 4. Cod. de pet. hæred. Rota in dict. decision. 674. lib. 3. par. 2. diuers. impress.* Et ita fuit resolutum, &c.

REVER. P. D. PAMPHILIO.

Camerinen. Donationis. Lunæ 27. Ianuarij 1614.

ARGVMENTVM.

Creditor succedendo in hæreditate debitoris an, & quando suum creditum confundat, donansque iura, & actiones, quas habet in hæreditate an censeatur donare iura, & actiones passiuas, & contra se.

SVMMARIVM.

Remedium redintegrandæ, & manutenendæ possessionis sunt inter se contraria, & in simul cumulari non possunt, numero 2.

Possessio ciuilis animo retenta præsumitur vbi non constat quem se habuisse pro spoliato, nu. 3.

Possidenti ciuiliter competit remedium redintegrandæ prorecuperatione possessionis naturalis, num. 3. & numer. 4. & numer. 5.

Ciuilis possessio penes duos esse non potest, nu. 4.

Petens se manuteneri, seu immitti, quod non dicatur habuisse se pro spoliato, quo ad possessionem ciuilem. nu. 4.

Possessione, sua quis non priuatur ex decreto iudicis minus rite, & recte procedentis, num. 6.

Creditor succedens debitori suum creditum confundit, numero 7.

Debitum alias extinctum per aditionem hæreditatis reuiuiscit, & in emptorem transfertur facta eiusdem hæreditatis venditione, nu. 8. Declara, vt num. 9.

Donans, seu cedens omne ius, quod habet, censetur cedere, & donare casu quo habebat, & ius tale, quale sit. numer. 9.

Donans

Donans iura, & actiones, quas habet, & quæ sibi competunt super aliqua hæreditate, non censetur donare iura, & actiones passiuas, quæ non sibi, sed contra se competere dicuntur. num.10.

Donare iura contra se ipsum quis non præsumitur. numero 11.

Voluntas contrahentium maxime in contractibus attenditur. num.11. & 12.

DECISIO DLX.

1 SVb die 27. Nouembris præteriti proposui in hac causa dubium, an mandatum Rotale sit confirmandum, vel reuocandum, & quoniam impugnabatur decisio alias in hac causa facta coram R.P.D. meo Manzanedo, Domini tunc mandarunt, quod reuideretur dicta decisio, quæ postea bene considerata, iterum causam sub hac die 27. Ianuarij proposui. Et Domini dixerunt, mandatum esse confirmandum, quia de eius validitate satis visum fuit constare ex reuolutione processus.

2 Nec illi obstare, quod citatio fuerit facta ad videndum decerni, & relaxari mandatum de manutenendo, & quatenus opus sit de redintegrando, quæ remedia vti inter se contraria cumulari non possunt. *Doct. in l. naturaliter. §. nihil commune. ff. de acquir. poss. Menoc. de retin. remed. 3. nu. 507. Veral. decis. 42. incip. mandatum de manutenendo. lib. 2. in manuscript.*

3 Quia in casu isto ex prosecutis, & alijs circumstantijs facti apparet pro parte Ioannis Baptistę instatum fuisse pro manutentione ciuilis possessionis, quæ vbi non constat eum habuisse se pro spoliato, pręsumitur animo retenta, ad not. per *Bald. cons. 446. num. 2. versic. 2. q. lib. 3. Alex. consi. 133. num. 2. & seq. vers. nec obstat si dicatur. lib. 1.* ex qua propterea debetur ei manutentio, etiam pro recuperatione naturalis. *Bart. in l. 1. §. interdictum. num. 2. ff. vti possid. Castr. consi. 244. nu. 1. lib. 2. Put. decis. 419. lib. 2.* & fuit dictum in causa Carthagin. Canonicatus. 6. Aprilis 1609. coram Illustriss. D. Card. Lancellotto.

4 Nec ex illis verbis, & quatenus opus sit de redintegrando, &c. visum fuit Dominis inferri posse, quod Ioannes Baptista habuerit se pro spoliato, quia imo de contrario apparet ex eo, quod petijt manuteneri, quid non potest intelligi, nisi ratione ciuilis, quam præsumitur animo retinere, vt dictum est. Ideoque supradicta verba necessaria referenda sunt ad possessionem naturalem tantum, & turbationes de facto, ad trad. per *Menoch. de retin. remed. 3. sub. num. 507. vers. quorum vera sentent. Surd. cons. 160. num. 72.* non autem ad ciuilem, quæ penes duos esse non potest. *gl. in l. sicut certo. §. si duobus vehiculum. in verb. dominium. vbi etiam Castr. num. 5. ff. commodati,* & in similibus terminis de eo, qui petijt manuteneri, seu immitti, quod non dicatur habuisse se pro spoliato, quo ad possessionem ciuilem, sed censeatur petijsse immissionem pro naturali tantum, trad. *Surd. d. consi. 160. nu. 72. in fi. vers. hoc idem probauit. & nu. seq.* & tenuit Rota in causa Romana Vineæ de Corbinellis. 2. Decemb. 1609. coram R.P.D. meo Decano.

5 Non obstat, quod decretum fuerit conditionale, quia quo ad manutentionem, id non subsistit, quo vero ad redintegrationem, fuit responsum, quod Ioannes Baptista ea non indigebat pro recuperatione naturalis possessionis, pro qua de iure ei datur manutentio ratione ciuilis, vt dictum est.

6 Iustitia vero dicti mandati de manutenendo satis clara colligitur ex eo, quia iudex in prima instantia minus rite, & recte processit, & propterea cum Ioannes Baptista eius possessione per illum priuatus non fuerit. *Abb. in c. conquerente. nu. 8. de restitut. spol.* bene potuit obtinere manutentionem, vt fuit dictum in causa Pennen. & Adrien. Beneficiorum de anno 1584. relatum inter impress. diuers. *decis. 802. num. 7. versi. quia pro responsione, p. 1.* & in causa Sancti Seuerini bonorum 20. Decembris 1610 coram Reuerendissimo D. meo Damasceno.

7 Quod autem minus rite, & recte processerit, apparet ex eo, quia relaxauit mandatum pro Scutis 100. quæ Ioannes Baptista debebat Ioanni Mariæ nepoti occasione diuisionis inter ipsos factæ, & tamen cum Ioannes Baptista, vna cum Matthæo altero fratre Ioannis Mariæ successerit, illiusque hæreditatem ex testamento simpliciter adiuerit, dictum creditum saltem pro dimidia parte remansit extinctum. *Paris. cons. 16. num. 49. lib. 2. Alex. consil. 143. num. 3. versic. Vnde videmus. lib. 2. Castr. consil. 186. in princ. lib. 2.*

8 Neque releuat, quod post aditam hæreditatem Ioannes Baptista donauerit ad fauorem Ersiliæ, Corneliæ, & Fuluiæ, omne ius, omnemque actionem, quod & quam super illa habebat, & sibi competebat, quia sub huiusmodi donatione non potest dici comprehensum ius pro dicta parte crediti extincti. Nam licet debitum alias per aditionem hæreditatis extinctum, facta illius venditione reuiuiscant, & in emptorem transeant etiam debita, quæ hæres habebat erga defunctum de tempore illius mortis. *l. 2. §. penult. l. si hæreditatem. ff. de hæred. vel action. vendit. Afflict. decis. 81. num. 2. Cor. cons. 14. sub num. 11. lib. 3.*

9 Tamen in casu isto non agitur de venditione totius hæreditatis, seu corporis vniuersalis illius, quo casu consideratur hæreditas, prout erat ab initio de tempore mortis, vt dicunt Doct. supra allegati. Sed de donatione, in qua Ioannes Baptista donat tantum illas actiones, & illud ius, quod habet, & sibi competit, seu habere, & competere posset in & super portione eidem obueniente ex bonis, & hæreditate, &c. Quæ verba intelliguntur casu, quo habeat, & talia, qualia de tempore contractus habet. *Barto. Alex. & alij in l. si sic. §. 1. ff. legat. 1. Idem Alex. consil. 187. num. 9. libro 2. Aldobrand. consil. 107. nume. 2. Cardin. Mantica de tacit. & ambig. conuent. libro 4. tit. 10. num. 6.* Et propterea non possunt referri ad ius contra se ipsum, quod per aditionem de illo tempore fuerat extinctum.

10 Præsertim, quia licet in venditione hæreditatis comprehendantur actiones tam actiuæ, quam passiuę aliud tamen est, quando quis donat iura, & actiones, quas habet, & sibi competunt. Huiusmodi enim verba non conueniunt actionibus passiuis, quæ non sibi, sed contra se competere dicuntur. *Berous consil. 41. num. 12. lib. 1. Menoch. consil. 416. num. 16.* Et quod sit quid diuersum donare, seu vendere hæreditatem, & donare ius, quod quis habet in hæreditate, trad. *Corn. consil. 239. sub num. 3. ad med. ibi. Quod etiam ex alio. lib. 4. Menoch. dicto consil. 416. num. 14. & seq.*

11 Quod etiam in casu isto suadetur, quia non est verisimile, quod Ioannes Baptista voluerit donare etiam iura contra se ipsum. *l. si peculium. §. 1. ff. de pecul. legato. Bal. in l. 2. C. an ser. ex suo fact. Alex. consi. 149. num. 6. lib. 2. Roland. cons. 86. num. 4. lib. 1.* Et in conuentionibus maxime attenditur voluntas contrahentium. *l. in conuentionibus. ff. de verbor. significat. Roland. consi. 37. num. 22. lib. 2. Corn. qui loquitur in istis terminis, consi. 267. num. 7. lib. 4.*

12 Et ex his cessat, quod in donatione adsit clausula, Constituti, est quo enim donatio est restricta ad iura, & actiones actiuas tantum, vt dictum est, non extenditur ad iura passiua per istas subsequentes clausulas executiuas, quę principalem dispositionem ampliare non possunt. *Butr. consi. 29. in princ. Dec. consi. 470. nu. 4.* Et ex his ita fuit resolutum.

RE-

REVERENDISSIMO P. D.

DAMASCENO.

Romana de Pinis. Lunæ 27. Ianuarij 1614.

ARGVMENTVM.

Mandatum de manutenendo datur etiam ciuiter possidente, & ei, qui à iudice nulliter procedente spoliatus fuit. Actorumque omissa transportatio non vitiat sententiam in pluribus casibus, de quibus in hac decisione.

SVMMARIVM.

Mandatum de manutenendo dandum est possessori tempore motæ litis. num. 1.
Possessio alicuius probatur ex eo, quod aduersarius alias petierit immitti in illius possessionem, nu. 2. & nu. 4.
Possessio non amittitur per executionem factam à iudice nulliter, & notorie procedente. nu. 3.
Spolio agens non videtur dimittere possessionem ciuilem, quam retinet solo animo, sed agere tantum pro recuperatione possessionis naturalis, num. 5. & seq.
Confessio in dubio debet interpretari ad fauorem confitentis, numer. 6.
Actus iudicialis semper interpretatur ad fauorem petentis, numer. 7.
Verba sunt interpretanda contra illum, qui potuit clarius loqui in contractibus, secus in libellis, nu. 7.
Probatio dubia probare debenti non suffragatur. nu. 8.
Possessores legitimi dicuntur, & in possessione manutenendi sunt, qui à iudice ad possessionem, qua prius se spoliatos habuerunt, restituti sunt, nu. 9.
Actorum transportatio omissa non vitiat sententiam, quando non sunt transportata acta verbaliter tantum producta. numer. 10. parte non citata, numer. 11. vbi etiam quod non dicuntur de actis iura producta extra terminos citationis.
Actorum transportatio non est de forma iuxta Concil. Trid. quando causa non est Ecclesiastica, nu. 12.
Actorum transportatio omissa non vitiat sententiam, quando sine illis actis sententiam iustificatur, num. 12.
Citationis defectus quo ad vnum non nocet quo ad alium legitime citatum, nu. 13.
Citatus quod quis fuerit probatur ex relatione Cursoris, numer. 14.
Citatio dicitur facta personaliter, quando cursor in relatione simpliciter dicit illam fecisse. nu. 14.
Stylus in ordinatorijs iudicijs potest probari per extraiudicialem iudicis informationem, num. 15.

DECISIO DLXI.

1 PRo informante fuit tentũ nempe DD. de Pinis esse dandum mandatum de manutenendo, si quidem constat de eorum possessione de tempore motæ litis. Vnde in illa sunt manutenendi, §. *retinendæ. Institut. de interdict. cum vulg.*

2 Dicta autem possessio DD. de Pinis de tempore motæ litis probatur ex petita immissione contra illos, per quam petitionem aduersarij fassi fuerunt, illos esse in possessione. *Innoc. in c. cum venissent. num. 2. Ioan. Andreas, num. 3. Hostiens. num. 4. Imol. num. 21. Butr. num. 45. Zabar. num. 4. vers. 29.* de restitut. in integrum Rot. in causa Anconitana bonorum. 16. Februarij 1609. coram Reuerendissimo Bononien. & in Romana domorum 20. Maij 1611. coram Reu. Patre Domino Pirouano, & constat etiam ex testibus in hac causa examinatis. Nec prædicta possessione priuati fuerunt per immissionem à iudice suis aduersarijs concessam, ad notat. *in leg. iniuste possidet. ff. de acquir. possess.*

3 Quandoquidem illa conclusio minime habet locum iudice nulliter, & notorie iniuste procedente. *Anchar. consil. 359. num. 3. Corn. consil. 193. num. 4. lib. 3.* Rota in causa Vercellen. Canonicatus 20. Aprilis 1598. coram Orano, & in Beneuentana Parochialis. 28. Nouembris 1612. coram me, nulliter autem, & iniuste processisse iudicem fuit in hac causa resolutum coram Reuerendissimo Bonon. die septima Nouembris 1607.

4 Minus facere visum fuit, quod DD. de Pinis agendo ad restitutionem in spolio coram d. Reuerendissimo Bononien. videantur amisisse eorum anteriorem possessionem *ad Couar. pract. q. cap. 17. num. 3. Veral. decis. 43. lib. 3. in manuscript.* Rota in causa Hispalen. præeminentiarum 16. Iunij 1606. coram Reu. Patre Domino Pamphilio.

5 Nam in primis fuit responsum, quod agens spolio in dubio non videtur dimittere possessionem ciuilem quam retinet solo animo, sed agere tantum pro recuperatione solius naturalis. *Natta cons. 572. num. 21. Menoch. de retinend. possess. remed. 3. nu. 507. cum alijs per Surd. cons. 160. nu. 72.* Rota in causa Mediolanen. Parochialis 22. Iunij 1587. coram bonæ memoriæ Cardinali Platto Oxionen. Cappellaniæ 10. Martij 1589. coram eodem. Et in causa Sanctæ Agathæ Gottorum. 8. Iunij 1598. coram Gipsio.

6 Petitio enim redintegrationis est dubia, & æquiuoca cum possit referri ad solam naturalem qua dubietate omnes regulæ volunt, quod intelligatur de sola naturali, tum quia est species confessionis, quæ in dubio debet interpretari ad fauorem confitentis; *l. si quis intentione. ff. de iudic. Roman. cons. 455. num. 4. & 6. Mohed. dec. 2. de restit. spoliat.* tum quia esset abijcere proprium ius, quod non præsumitur quis velle facere, sed imo quanto magis potest conseruare, *ad not. in l. cum de indebito, ff. de probat.*

7 Tum etiam, quia actus est iudicialis, qui cum de sui natura sit ordinatus ad acquirendum semper fit interpretatio ad fauorem petentis. Vnde videmus, quod licet in contractibus fiat interpretatio contra illum, qui potuit clarius loqui. *l. veterib. & ibi Bart. nu. 2. ff. de pactis, secus fit in libellis. l. inter stipulantem, §. si Stichum. ff. de verb. oblig. Bal. cons. 489. num. 3. in fin. Castr. cons. 199. num. 4. lib. 2. Roman. cons. 136. in princip. Ægid. decis. 733. in fin.*

8 Denique cum aduersarij se fundent in hac petitione, interpretatio debet contra illos fieri, quia probatio dubia non suffragatur probare debenti, c. in præsentia de probat. cum concord.

9 Secundo principaliter fuit responsum, quod dato, & non concesso, quod isti de Pinis habuisset se pro spoliatis cũ vigore sẽtẽtiæ Rotalis late super spolio fuerint restituti dicuntur legitimi possessores, *d. l. iuste possidet. de acquirend. possess. & proinde in illa sunt manutenendi. d. §. retinendæ, cum concord.*

10 Nullitates vero alias per memorialia proposite cõtra hanc immissionem concessam à Rota, & quæ si ad essent, vitiarent immissionem, ex allegatis supra, visæ fuerint DD. bene sublatæ per Informantes pro DD. de Pinis, nam prima de non transportatione omnium actorum visa fuit sublata, tum quia actus, qui prætẽdun tur deficere, fuerunt tantum verbaliter producti vnde non fuerunt transportandi. Rota in causa Carpentoraten. Fideicommissis. 15. Ianuarij 1608. coram Illustrissimo Lancellotto, & in Placentina deuolutionis. 10. Maij 1602. coram bonæ memoriæ Penia, vbi aliæ decisione allegantur.

11 Tũ quia non fuerunt producti parte citata, ex quo non fuerunt exhibiti in termino citationis propterea non dicũtur esse de actis, *iux. not. in c. Charthæ. 3. q. 9. Sarnen. super regul. de annali. q. 4. colum. 3. quin immo, Natta consil. 194. num. 15. Cassad. decision. prima, in fin. de except.*

cept. Rota in causa Perusina de Cauarellis 22. Iunij 1588. coram Mantica, & in Abulen. Cappellaniæ 20. Iunij 1603. coram Illustrissimo Mellino.

12 Tum denique quia sententia Rotalis iustificatur sine illis actis,& transportatio non est de forma,iuxt. Concil. Trid.sess.24.cap.2.§.præterea, cum causa non sit Ecclesiastica,vt post resolutiones Sacræ Congregationis tenuit Rota in causa Romana Lignorum. 23. Iunij 1603. coram me, & in Romana Apothecarum. 8. Februarij 1608. coram Reueren. P. Domino Caualerio.

13 Secunda nullitas ex prætenso defectu citationis personalis pariter visa fuit non obstare, nam præter quod non tangit illos contra quos procedebatur per affixionem,notum est enim, quod defectus citationis quo ad vnum non nocet,quo ad alium legitime citatum, *Bald.in auth.si omnes, num.11. & 12. Cod.si minor se ab hæredit.abstin. Castr. in leg. de vnoquoque num. 1. ff. de re iudic. Feli.in cap.cum inter num.10. fallen. 4. eodem tit.* Rota in causa Mediolanen. rescissionis transactionis 14. Decembris 1601. coram me. Tot enim dicuntur sententiæ, quot sunt personæ, *Castr. in leg. idcirco, nu. 2. ff. de iudic. Gabr. cons. 56. numer. 19. libr. 1. Rota,* in causa Bracharen. Iuris patronatus,prima Martij 1602. coram me.

14 Fuit etiam dictum constare de citatione personali omnium,quandoquidem de citatione constat ex relatione cursoris, cui in hoc creditur tanquam de re spectante ad officium suum, glossa in capite cum parati, verbo suus, *in fine de appellat. Bart. in extrauag. ad reprimendum, verbo per nuncium, num. 10. Rom. cons. 497. num.5. Corn. consil. 79. num.8. libr.3. Vant. qui de communi trac. de nullit.ex defectu citationis, num. 150.* & licet in relatione non dicat se fecisse citationem personaliter, sed simpliciter se fecisse, quod posset intelligi domi dim. copia, attamen Domini in hoc detulerunt attestationi multorum Curialium, qui fidem fecerunt relationem ita factam ex stylo intelligi de citatione personali,quia quando non est personalis Cursor, solet addere illa verba domi dom. copia inter quos attestantes fuerunt quatuor in Romana Curia causarũ patroni insignes,nempe Franciscus Zeccadorus, Horatius Sinibaldus, Alexander Falcianus,Ioannes Ghinus, & alij,quibus Rota detulit.

15 Etiam si non fuerint firmiter examinati cum in ijs quæ concernunt ordinatoria,possit iudex se extraiudicialiter informare. *Alex. in l. dies cautioni. §. hoc autem. num. 26. ff. damn. infect. Dec. cons. 655. nu.27. & seq. Natt.cons.358.in fine. Pedem.dec.22. num.16. & 17.* & fuit dictum in vna Vlixbonen. Iuris deputandi collectores. 14. Martij 1603. coram Reuerendissimo Attrebaten. & in Mediolanen. rescissionis contractus, 17. Iunij 1602. coram me.

REVERENDISSIMO P. D.

COCCINO.

Abulen. Decimarum. Lunæ 27. Ianuarij 1614.

ARGVMENTVM.

Ex Summarijs sumas argumentum.

SVMMARIVM.

Possessionis continuatio metienda est ex parte possessionis, & non ab eo,contra quem possidetur, num.1.

Monachi non tenentur ad decimas hortorum, Declara, vt numer.2.

Exceptio priuilegiorum an possit opponi aduersus agentem possessorio retinendæ, nu.3.

DECISIO DLXII.

1 Domini dixerunt, esse parendum mandato de manutenendo,non solum quo ad decimas maiores verum etiam quo ad minutas, videlicet hortorum nutrimentorum animalium, & similium. Cum enim Ecclesia esset in ista quasi possessione, antequam terre peruenirent ad monasterium, in ea debet manuteneri, etiam contra Monasterium cum in continuatione possessionis metimur ius ex parte possessionis,& non ab eo contra quem possidetur,iuxt.dec. Guido Papæ, quæ semper ad hoc solet allegari, 629. *Gig.de pension.q.47. nu. 10. vers. 5. sciendum.* Et fuit pluries resolutum.

2 Non obstat, quod fratres quo ad decimas hortorum habeant priuilegium in Corpore iuris clausum, *vt in cap. ex parte de decim.cap.2. de eccl.ædific.S.Ant.p.2. Sum.tit.4.c.2.§.4.de decim.Rebuff.de decimis q.5.numer.21.* quia istud priuilegium est examinandum in petitorio & videndum, an intret, & an monasterium habeat omnia requisita, vt eo vti possit maxime cum possessiones grauantur onere solutionis decimarum, ad illos transiuerint,quo casu est dubium, an sint exemptæ à solutione dictarũ decimarũ, vt dicit *gl.in d.c.ex p.il 1.de decim.in verb.laborũ suorum. vers.nisi pacto, & dicit.tex.in c. vltimo.§.cæterum eodem tit.in 6.* de quo in petitorio agendum est.

3 Minus etiam facit,quod priuilegium debeat etiam discuti in iudicio possessorio, vt decis. Guidobon. 21. de restitut. spoliat. alias decisione 115. incip. Antonius Paceccho. quia casus sunt lege diuersi. Nam in casu illius decisionis agebatur spolio contra monasterium,quod allegabat non spoliasse stantibus priuilegijs, & Placuit Rotæ responsio, & ideo ordinauit, quod discuterentur priuilegia,& ita iudicatum,etiam in causa Dertusen. decimarũ, quarta mensis Februarij 1608. coram Reuerendissimo Domino meo Lugdunen. Et ratio est,quia spolium pendet à priuilegijs & ideo prius de illis cognoscendum est, prout cognoscitur prius de possessione, quam de attentatis, quando ab illa pendent attentata. *Capic. decis. 72. & 209. num. quarto. Lancellotto. de attentat. part. 3. cap. 24. quæst.19.* Sed in casu isto secus est dicendum,quia manutentio non pendet à priuilegijs, sed à possessione in qua Ecclesia existebat cum anteriore,& propterea ad effectum manutentionis non sunt discutienda priuilegia. Et ita fuit conclusum, &c.

R. P. D. VEROSPIO.

Firmana Pecuniariæ, Lunæ 27. Ianuarij 1614.

ARGVMENTVM.

Statutum excludens feminas, propter masculos, conditum censetur ratione conseruandæ agnationis.

SVMMARIVM.

Statutum exorbitans a iure communi sufficit verificari in vno casu. nu. 3.

Statutum excludens feminas propter masculos censetur excludere ratione conseruandæ agntionis. num. 2.

Agnationis conseruandæ ratio habetur in restitutione dotis. num. 3.

DECISIO DLXIII.

1 Dvbitaui decima. Iunij præteriti an Domina Calidonia filia Catherinæ de Adamus, ex primo, matrimonio posset non obstante Firmano

mano Statuto lib. 3. cap. 44. in dote materna pro virili succedere, vna cum duobus fratribus ex eadem Catherina, & secundo viro superstitibus, & firmatum fuisset. Do. Calidoniæ statutum non refragare, quia pars non acquiescebat causa denuo per me proposita, Domini rationibus in decisione adductis responderunt ab ea non esse recedendum. Non obstat, quod dictum statutum in secunda parte loquatur de muliere, descendente relictis ex vtroque matrimonio filijs, & sic illud esse intelligendum etiam si mulier cum feminis tantum ex vno matrimonio, & masculis ex alio decessisset, cum tam masculi quam feminæ veniat appellatione filiorum *l. maximum vitium C. de lib. præterit.* nam dato etiam quod filiorum appellatio vtrũque sexum comprehendat, non tamen infertur necessario vigore dicti statuti masculos vnius matrimonij feminis alterius præferri, cum illud adimpleri possit si feminę solum, vel masculi tantum ex vtroq; matrimonio superessent, cum enim hoc statutum exorbitet à iure communi sufficit, quod in vno casu verificetur. *dec. Pedem. 59. nu. 12.* Vltra, quod in casu nostro locum habere non potest, cum ratio non vigeat agnationis propter quam masculus feminam excludit, vt in prima parte statuti, & fuit dictum in alia decisione.

2 Nec valet dicere, statutum non pro conseruanda agnatione, sed fauore masculinitatis emanasse, & sic masculum vnius matrimonij feminam etiam alterius excludere, quia non apparet, masculinitatem fuisse contemplatam, & regulariter quando statutum feminas propter masculos excludit, censetur causa, & ratione conseruandæ agnationis conditum. *Io. Andr. in addit. ad Specul. in rubr. de success. ab intestat. col. prima. Cyn. Alber. Salic. & alii in leg. 1. C. de adulterio. Castrens. cons. 40. num. 1. lib. 2. Fulgos. consil. 77. nu. 1. & 2. Rom. cons. 20. num. 5. Curt. iun. cons. 87. num. 5. Menoch. cons. 6. nu. 11. & cons. 95. num. 60. Paul. de Monte Pico consil. 85. num. 34. & seqq.* vbi etiam de communi vlterius. Cum in pluribus capitulis dicti statuti, & præcipuè in 49. rubr. de success. ab intest. clare sit expressa ratio conseruationis agnationis dubitari non potest, quin hac de causa illud emanauerit.

3 Non obstat, quod in dicta rubrica 49. de success. ab intest. excipiatur casus successionis in dote, & sic inferatur super ea statuentes rationem conseruandæ agnationis non habuisse. Nam vltra, quod in rubrica de successione dotis masculi semper feminis præferuntur, quod regulariter, vt dixi pro agnationis conseruatione fratrum intelligitur in dicta tamen rubr. 49. videtur potius decisus casus de successione dotis relatiuæ cum illa ad rubricam de dotis restitutione ad euitandam repetitionem se referat, vnde sicut in rubrica de successione ab intestato fuit habita ratio conseruationis agnationis. Ita pariter dicendum est, illam fuisse habitam in alia dotis restitutione ex alleg. in superiori decisione. Et ita fuit decisum &c.

REVERENDISS. P. DOMINO DAMASCENO.

Romana Pecuniariæ. Veneris 31. Ianuarii 1613.

ARGVMENTVM.

Fructus recompensatiui iuxta æquitatem l. curabit. C. de act. empt. & vend. non debentur ab emptore, cui res vendita euicta fuit, & sic illam non possidet, nec dolo possidere desijt.

SVMMARIVM.

Fructus recompensatiui non debentur ab eo, qui rem sibi venditam non possedit, nec culta possidere desiit. nu. 1.
Regula est, quod alteri prodesse nemo tenetur nu. 2.
Imputandum est illi, qui non facit id quod facere tenetur. num. 2.
Præsumptio non est sumenda de statu præsenti ad præteritum. nu. 3.
Fructus an, & quomodo melioranti rem venditam debeantur. nu. 3.
Mandatum pro fructibus non liquidatis relaxatum nullum, & inualidum est. nu. 4.
Euictionis actione agere non potest, qui venditori molestias non intimauit. nu. 5.
Culpa non præsumitur, ideo probanda est per allegantem, num. 6.
Iudex in dubio præsumitur recte processisse. nu. 6.
Possidere quod quis dolo, & culpa desierit non præsumitur, ideo contrarium allegans probare tenetur. nu. 6.

DECISIO DLXIV.

1 FVit resolutum mandatum Auditoris Camerę non esse executioni demandandum, quia fuit relaxatum contra D. Lauiniam pro fructibus recompensationis septem annorum, quo tempore prædicta Lauinia non possedit viridarium, nec culpa desijt possidere, cum fuerit eiecta per iudicem ad instantiam Buccarini anterioris creditoris dominorum dicti Viridarij seruatis seruandis, propterea pro tempore quo caruit possessione, minime tenetur ad fructus recompensatiuos, quia cessat ratio *l. curabit. C. de act. empt. & vend.* quod scilicet gauisa fuerit re, & pretio, vt in specie animaduertit. *Cagn. super d. l. num. 26. & 28. & seq.* Vbi de communi, & verissima testatur.

2 Non obstat, quod Lauinia ex pecunijs retractis ex bonis Vitelliorum debitorum dicti Buccarini, soluerit prædicto Buccarino suum creditum non faciendo deductionem fructuum, quos Buccarinus medio tempore perceperat ex Viridario. Vnde sibi imputari debeat. Quia fuit responsum primo, nullo iure caueri, quod Lauinia hoc facere teneretur ad commodum Dominorum de Vulcanijs, vt scilicet ipsi possent gaudere fructibus recompensatiuis, quia regula est, quod nemo tenetur alteri prodesse. *l. in summa. §. item Varus vers. Labeo. ibi.* Neminem cogi posse, vt vicino prosit sed ne noceat. *ff. de aqu. plu. arcen. l. nec creditoris. C. de nouat. Bart. in l. 2. num. 13. ff. sol. matr. Ias. in repet. l. quo minus. nu. 88. ff. de flumin. Alex. cons. 203. nu. 16. libr. 6.* & proinde illi imputandum minime est, si non fecit, quod facere minime tenebatur, ad cumulat. per *Becc. cons. 37. nu. 16. Surd. cons. 345. nu. 30. & seq.*

3 Secundo fuit dictum, esse satis illiquidum, quantum perceperit Buccarinus ex fructibus Viridarij tempore, quo illud habuit in manibus, neque ex locatione status præsentis bene inferri ad præteritum, *cap. si eo tempore, cum ibi not. de rescript. in 6. l. & quæ nondum. §. quod dicitur. ff. de pignor. Alexan. cons. 16. num. 1. lib. 5. Alciat. de præsumpt. regul. 2. præsump. 26. numer. 2. cum aliis per Gabr. eod. tit. concl. 10. nu. 20.* Et propterea dato, & non concesso, quod Lauinia teneatur pro fructibus, quos ex sua negligentia minime fecit compensare, non propterea potuit relaxari mandatum contra illam præcise ad rationem sex pro centenario pretij, per illam debiti, & pro septem annis, quia forte non percepit tantum Buccarinus, cum ista loca deliciarum, vt plurimum tantum non reddant, maxime extra melioramenta, quorum fructus debentur melioranti. *Afflict. dec. 87. num. 7. Put. dec. 276. lib. 3.* Rota in causa Bononien. terrarum 4. Nouembr. 1577. coram Cantuccio, relatum inter diuers. impres. dec. 112. par. 2. in Romana emphyteusis, 19. Febr. 1607. coram Illustrissimo Lancellotto, & in eadem 12. Nouembr. 1612. coram R. P. D. Caualerio.

4 Et proinde cum ad summum possint Domini Vulcanij prætendere à D. Lauinia illud, quod ipsa debe-

bat curare, vt excomputaretur à Buccarino, & neque in hoc totum, cum fructus Viridarij pro rata pretij per eam, sine authorem suum soluti minime spectet ad Vulcanios, non potuit contra illam relaxari mandatum, nisi præcedente hac liquidatione, *Bald. in l. 2. num. 6. C. de execut. rei iudic. Castr. consil. 169. in fin. libr. 2. Aret. cons. 32. nu. 1. Crau. cons. 164. nu. 2. Becc. qui de communi cons. 5. nu. 7.*

5 Non obstat, quod Domina Lauinia minime intimauerit molestias Dominis Vulcanijs venditorib. quia ista non intimatio forte operabitur, vt ipsa non possit agere de euictione, iuxta not. *in l. emptor. l. si controuersia, C. de euict. l. si rem in fin. ff. eod. tit. Bart. in l. 2. §. voluntatem in fin. ff. solut. matr.* sed non propterea prohibetur excipere, quod ipsa nec possident, nec culpa desierit possidere, sine quibus minime debentur isti fructus recompensatiui ex supra allegatis.

6 Quod autem culpa non desierit possidere, non tenetur probare, cum habeat præsumptionem pro se. Tum ex eo, quod culpa non præsumitur, *Bart. consil. 193. num. 3. lib. 1. Alexand. cons. 100. num. 4. lib. 1. Socin. consil. 149. num. 2. libr. 1. Ruin. consil. 93. num. 7. lib. 5. Crauett. consil. 191. num. 11. Becc. dict. consil. 37. num. 11.* Tum maxime, quia fuit eiecta per iudicem, qui præsumitur recte processisse, *l. 2. cum ibi not. Cod. de off. ciuil. iudic. Abb. consil. 41. num. 2. versic. præsumitur, libr. 1. Alexand. in l. qui Romæ. §. duo fratres, num. 20. ff. de verb. oblig. cum alijs, per Gabr. tit. de sentent. concl. 3. in princ.* Vnde, qui asserit contrarium tenetur probare, *l. generaliter. §. petitum, in fin. ff. de fideicomm. libert. l. non est verisimile, in princip. & ibi gloss. vers. præsumptioni, ff. quod met. caus. leg. quia verisimile. vbi Abb. num. 2. de præsumpt. Ias. in l. si extraneus, num. 15. ff. de condit. caus. dat. Dec. consil. 574. num. 5.*

7 Vnum tamen fuit allegatum pro Dominis Vulcanijs, nempe, quod Domina Lauinia habet in manibus Scuta 2600. cum quibus est sibi plus quam satisfactũ de fructibus dictorum septem annorum quibus non possedit Viridarium, quod si verificaretur, in facto Dominis fortasse aliter sentirent, & ita decisum fuit, &c.

DECISIO DLXV.

Romana Alearum Chartarum. Lunæ 17. Februarij 1614.

Est impressa apud Caualerio.

DECISIO 284.

R. P. D. PAMPHILIO.

Bononien. de Capacellis. Lunæ 17. Februarij 1614.

ARGVMENTVM.

Fideicommissum, in quo vocatur primogenitus, an intelligatur de vno tantum, an vero de pluribus primogenitis.

SVMMARIVM.

Numerus singularis vnum tantum, & non plures complectitur, nu. 1.

Fideicommissum, in quo vocatur primogenitus, primogenitus ille vocatus succedit in totam hæreditatem exclusis primogenitis postea nascituris ex alijs feminis, nu. 1.

Testatoris voluntas maxime comprehenditur ex iteratione, & geminatione verborum, nu. 2.

Testator non plures, sed vnicũ tantum primogenitũ in fideicõmisso vocare præsumitur, quando mandat, quod succedẽs primogenitus assumat nomen, & arma familiæ, num. 3. & 4.

Agnatio, & agnationis nomen magis conseruatur quando omnia bona testatoris penes vnum vocatum existunt quã quando in plures personas diuiduntur, num. 4.

Numerus singularis resoluitur in pluritatem, quando militat eadem ratio, & concurrit mens disponentis, Declara, vt num. 5.

Testatoris voluntas in fideicommissis præcipue attendenda est, num. 6.

Primogenitus proprie dicitur primo natus inter fratres, & sic respectu fratrum, non autem respectu aliorum consanguineorum. Declara, vt num. 7.

DECISIO DLXVI.

1 PRoposui dubium quoad aliam medietatem bonorum, de quibus agitur, sub die 21. Iunij præteriti in decisione reseruatum, & quoniam difficultas præsentis dubij non versatur in eo, an Hieronymus fuerit vocatus, quod ex deductis sub dicta die 21. Iunij, & antea 8. Martij præteriti remanet satis clarum, sed in eo, an solus Hieronymus primogenitus D. Hippolitę fuerit vocatus ad totam hæreditatẽ, vel etiam filius primogenitus D. Iuliæ, quatenus nascatur Domini dixerunt solum Hieronymum esse vocatum ad totam hæreditatem, quia testatores deficientibus Hieronymo seniore, & Claudio hæredibus, & quibuslibet eorum liberis, & descendentibus masculis, instituerunt hæredem vniuersalem filium primogenitum masculum ex filiabus feminis, vnde cum vniuersaliter instituerint primogenitum in numero singulari, qui vnum tantum, & non plures complectitur, *cap. gaudemus, versic. nec dixit, de diuort. Natt. cons. 112. num. 2. consil. 164. num. 30. consil. 501. num. 35. & cons. 506. num. 4. Alciat. in l. in vsu. num. 3. ff. de verbor. signif.* solus Hieronymus censeri debet vocatus ad totam hæreditatem; non autem primogenitus singularum feminarum, vt tradit *Socin. cons. 88. in princip. vers. persuadetur lib. 3. quem referunt, & sequuntur. Ias. cons. 215. num. 2. vers. 2. facit volum. 2. Menoch. cons. 158. num. 41. 42. & seq. Simon. de Pret. de interpret. vltim. volunt. lib. 3. interpret. 3. dub. 3. solut. num. 11. Surd. consil. 369. num. 11. & sequent.*

2 Maxime quia testatores casu, quo primogenitus ex feminis conditionem illi adiectam implere noluerit, vocarunt in ordine sequenti primum conditionem illam adimplentem, & dicti eius hæredis liberos, vel descendentes masculos illis vero deficientibus, hæc conditionem adimplere nolentibus, instituerunt hæredem vniuersalem primogenitum masculum nasciturum ex Camilla, Lucretia, & Angelica sororibus Hieronymi senioris conditionem adimplentem, alioquin alium in ordine primum vsq; in infinitum, & propterea cum in diuersis substitutionibus sępissime testatores in numero singulari locuti fuerint, tanto magis de deliberata eorum voluntate constare videtur, quod scilicet vnum solum primogenitum vocare voluerint, non autem plures, iuxta *tex. in l. Balista. ff. ad Trebell. Dec. cons. 504. nu. 9. Aym. cons. 54. nu. 7. & cons. 201. nu. 42. & in specie trad. Marzar. cons. 28. nu. 7. Surd. d. cons. 369. nu. 10. & 19. & cons. 375. nu. 11.*

3 Quod etiã suadetur ex eo, quod testatores in omnib. supradictis substitutionibus primogenito sub pœna priuationis iniunxerunt onus assumendi nomen, & arma familiæ de Capacellis, ideoq; vnũ tantũ primogenitum censentur voluisse substituere, *iuxt. dec. Guid. Pap. 467.* qui loquitur in fortiorib. terminis de eo qui substituit hæredi propriũ filiũ, & ex quo voluit substitutũ eius cognomen, & arma gestare, censetur vnicum filium, & consequenter primogenitũ substituisse, *per reg. l. eum, qui Calendis, verbo si autem, ff. de verbo. oblig. l. boues, §. hoc sermone, ff. de verb. signif. l. hæc conditio. la prima. ff. de condit. & demonstr. idem trad. Cardin. Mant. de vo-*

de coniect. vltim. volunt. libr. 8. tit. 10. num. 4. Menochius consf.158.num.43. Tiraq. de iure primog.q.64. Molin.de primogen.lib.2. cap.4. num.42. Surd. d. cons.369.nu.21.vbi testatur dec.Guid.Pap.esse communiter receptam,& cons.375. nu.16.& seq.

4 Vlterius pro comprobatione fuit ponderatum.quidam post mortem Claudij vltimi masculi predefuncti, non solum duæ, sed etiam plures aliæ in eodem gradu feminæ superesse poterant,tamen non est verisimile Testatores voluisse vocare omnes primogenitos illarum,cum onere assumendi nomen, & arma familiæ de Capacellis. Guido Pap. dict. decis. 467. cir.med. versicul.attamen considerata, cum alijs supra deductis Quinimo ex quo voluerunt hoc modo conseruare agnationem, & familiam ipsorum, censentur etiam voluisse, quod omnia bona perueniant ad vnum non autem quod in plures, & exiguas partes diuidantur, cum melius, & honorabilibus conseruetur agnatio,si omnia bona penes vnum existant. Surd. d. cons. 375. nu.12.& seq. & alias per diuisionem,amplissima quoque patrimonia corrumpantur. c. ex literis. de pignor. Menoch. d. cons. 158. num. 43.

5 Non obstat,quod testatores in prima substitutione vocauerint filios, & descendentes masculos Hieronymi, & Claudij hæredum in numero plurali, & propterea eodem modo dicẽdum sit vocare voluisse plures primogenitos feminarum,non obstante dicta singularitate, quæ vbi militat eadem ratio, & concurrit mens disponentis,resoluitur in pluralitatem, ex Bart. in l.ex duob. ff. de vulg. Socin. in l. si fuerit numer.10. ff. de reb. dub. Surd. dict. consil. 369. n. 1. cum alus. Quia fuit responsum,quod prima substitutio fuit facta de agnatis masculis,qui omnes erant de familia, & agnatione testatorum, sed in substitutione de qua agitur, vocatur primogenitus masculus ex feminis, qui est et de aliena familia, in quo, & si propter assumptionem nominis, & insignium familiæ conseruetur agnatio tamen respectu vocationis plurium ex aliena familia, & non militat eadem ratio, cum ista sit quodammodo adoptiua agnatio, quę in vno tantum solet constitui, & non ita bene per plures, sicut per vnum conseruatur, Surd.d.cons.375.nu.12.& seq. cum alijs supra deductis.

6 Vltra,quod in casu isto non concurrit mens testatorum,nam post mortem Hieronymi, & Claudij substituerunt vnicuique proprios filios, & descendentes masculos,illis vero deficientibus non substituerunt omnes filios masculos ex feminis, sed vniuersaliter primogenitum ex illis,quod clare ostendit,nõ ita eos sensisse de descendentibus ex feminis ,sicut de descendentibus agnatis, & propterea solus primogenitus,ex feminis in casu de quo agitur vocatus censeri debet, etiam attenta voluntate testatorum,quæ in hac materia primum locum obtinet,l.in conditionibus, in princ. ff. de cond. & demon. cum simil.

7 Et ex his cessat, quod censeri debeat vocatus primogenitus cuiuslibet ex feminis, cum primogenitus proprie dicatur primo natus inter fratres,& sic respectu fratrum,non autem respectu aliorum consanguineorum, Socin. iun. cons. 108. num. 18. vers. stante nunc prædicta, & num. 27. cum alijs adduct. per Menoch. consil. 328. num.5.

Quia fuit responsum, quod primogenitus in casu isto secundum voluntatem testatorum,intelligi debet ille,qui primo loco natus est ex feminis, quod clare deducitur,non solum ex eo,quia vocarunt primogenitum,cum onere assumendi nomen, & arma familiæ propterea vnum tantum, & primo natum censentur voluisse vocare, vt supra dictum est, sed etiam, quia vocarunt in numero singulari progenitum ex feminis, & sic illum primum,qui ex aliqua ex feminis nascetur,iuxta not. per Socin.in l. quoties, ff.de reb. dub. & in d.cons.88. num.1.& per tot.lib.5. Couar.var.resol.libr. 3. c.5. nu.3. cum alijs supra adductis, quod etiam suadetur,quia deficiente isto primogenito, vel nolente conditionem adimplere, expresse vocarunt alium in ordine sequẽti primũ ex supradictl,natis & nascituris & sic respectu omnium, natorum non autem respectu fratrum,vnde cum constet de voluntate testatorũ illa est seruanda tanquam lex.6.disponat. in auth. de nupt. maxime quia si testatores voluissent vocare primogenitos in plurali facile id expressissent ad tex.in c.ad audientiam,de decim. cum sim. Et ita decisum,&c.

REVERENDISSIMO P. DOM.

DAMASCENO.

Tullen. Coadiutoriæ. Lunæ 17. Februarij 1614.

ARGVMENTVM.

Impeditus faciendo quicquid potuit,quando excusetur & quando coram sit necessaria protestatio.

SVMMARIVM.

Adimplere dicitur quis, quando fecit quicquid potuit,nu.1. & nu.2. vbi ampliatur hæc conclusio.
Pœnam incurrere nemo debet ex facto alieno,nu.2.
Gratiam amittere pœna est,num.2.
Debitor non soluendo in tempore non incurrit moram,quando nemo est,qui recipiat. nu.3.
Impedimentum non excusat,nisi fuerit tale, quod remoueri non potuerit, & quod fuerit causa immediata, propter quam factum non fuit,quod fieri debebat. Declara,vt num. 4. 5. & 6.
Impedimentum operatur, vt actus qui propter impedimentum expediri non poterat expediatur,nu.4.
Diligentiam quis facere non tenetur remouendi impedimentum, quando apparet eam ab initio non esse profuturam, numer. 6.
Citandus non est ille, qui ab initio protestatur se nolle comparere. nu.6.
Impedimentum excusat impeditum.etiam sine protestatione, quando quis ex parte sua fecit,quod potuit, nu.7.
Protestatio aliud non est, nisi declaratio voluntatis protestantis,nu.7.

DECISIO DLXVII.

1 Rota censuit, gratiam Coadiutoriæ non expirasse etiam si D. Franciscus minime reddiderit rationem in tempore sibi præfixo in dicta gratia, cum decreto annullatiuo gratiæ in casu non redditæ rationis mouit Dominos,quia ex duobus, coram quibus ex forma dictæ gratię erat reddenda ratio,prius,qui erat Cardinalis de Giuri in termino præfixo ex hac vita migrauit. Secundus verò Abbas Stiuagen. in locum Cardinalis defũcti subrogatus se excusauit,propterea non est,quod D. Francisco imputetur,l. quæ sub conditione,§.quoties,ff.de condit.instit.c.imputari non debet, &c. cum non stat.de reg.iur.in 6.Cephal.qui multis exornat, cons. 429. nu.90. cum seqq.

2 Nec debet quis ex facto alieno incurrere pœnam,l. arbiter Calendis. ff. de arbitr. leg. fin.ff. de leg. commiss. leg. vter ex fratribus, ff. de condit. instit. leg. iure ciuili. ff. de condit. & demonstrat. leg. in iure.ff. de reg. iur. leg.1.Cod. de institut. & substit. prout pœna est amissio gratiæ iam concessæ. Crescen.dec.109.incip. reg.de extend.consensibus, lib. 1. in manuscript. Rota in causa Conchen. beneficij 14. Nouembris 1611. & 13. Iunij 1612. coram me,etiamsi ab initio taliter concedatur,vt in casu non implementi remaneat nulla. Surd. decis.232. num.9. Rota in causa Bononien. fideicommissi de Pannolinis 4. Februar. 1602. coram me.

3 Hinc videmus, quod si non est qui recipiat, neq; debitor minime soluendo in tempore incurrit moram, *Alex. cons. 92. num. 9. lib. 1. Dec. cons. 566. in fin. Rolan. consil. 87. nu. 19. lib. 1. neque emphyteuta priuationem, Host. in sum. tit. de locat. num. 12. vers. quid si hæreditate, Rimin. cons. 361. num. 16. lib. 2. Ruin. cons. 150. nu. 15. & 16. lib. 1. Mohed. dec. 15. n. 4. in fin. de locat.* Neque beneficiatus debitor pensionis sub pena priuationis amittit beneficium, *Mohedan. dec. 15. de loc. Put. dec. 8. lib. 1.*

4 Non obstat, quod impedimentum minime excuset nisi duo copulatiue concurrant, nempe & quod impedimentum sit tale, quod remoueri minime potuerit, & quod fuerit causa immediata propter quam minime præstitum fuerit, quod præstari debebat ex cumulat. per *Menoch. de arbitr. iud. cas. 118. num. 7.* quia vtrumq; in proposito casu concurrere visum fuit, nã quantum ad primum, cum recipere rationes penderet à facto Delegatorum ad id munus à Papa, quorum primus decessit, & alter recusauit, satis apparet de impossibilitate remouendi obstaculum, quia non erat in potestate D. Francisci facere quo minus ille moreretur, vel vt alter mutaret voluntatem, *iuxta not. in leg. quæ sub conditione. §. quoties, ff. de condit. instit. l. 1. C. de instit. & substit.* Nec facit, quod D. Franciscus potuisset habere recursum ad Papam petendo alios illorum loco subrogari, quia ad euitandam pœnam annullationis gratiæ sufficit, quod in potestate Francisci non fuerit implere formam datam à Papa, non enim fuit obligatus impetrare nouos Delegatos, quia hoc non fuisset proprie remouere impedimentum, vt loquuntur Doctores, remotio enim impedimenti operatur, vt actus expediatur, vt prius. *l. fin. in fin. ff. de natal. restit. l. Imperialis. §. 1. vbi Salyc. in princip. C. de nupt. auth. quib. mod. nat. effi. sui, §. illud. & tit. quib. mo. effi. legit. §. si quis sane, & §. si quis igitur. Feder. de Sen. cons. 276. num. 3.* Hic autem non fuisset expeditus, vt prius, sed diuerso modo stante diuersitate personarum.

5 Quo ad secundum, quod impedimentum fuerit causa immediata Doctores dicunt, tunc impedimentum fuisse causam immediatam, quando ille, qui facere tenebatur accinxit se deueniendo ad actus proximos Bart. quem alij sequuntur *in l. 2. §. quod diximus, num. 2. ff. si quis cautio.* vbi ponit exemplum de illo, qui allegat se impeditum venire propter tempestatem Maris, quod debet probare se accessisse ad litus Maris, in proposito autem casu D. Franciscus comparuit coram secundo Delegato, & exhibuit quosdam libros se offerendo redditioni rationis, vnde satis videtur deuenisse ad actus proximos.

6 Non obstat, quod non exhibuerit omnes libros, & sine omnibus libris minime possit reddi ratio ex alleg. quia vt quis excusetur sufficit, quod deueniat ad actus proximos, nec tenetur facere omnia illa, quæ faceret, si impedimentum se non offerret ante oculos. Vnde licet *Bartol. loco supra allegato*, quem alij sequuntur, dicat esse probandum accessum ad litus Maris, non propterea dicunt esse probandum, quod ille collegerit sarcinas, & posuerit pedes super naui cum similibus & pro Domino Francisco facit communis regula, quod quis non tenetur facere diligentiam, quæ ab initio apparet non esse profuturam, *leg. fin. §. penultimo. ff. quis ord. in bon. poss. ser. Riminald. cons. 21. num. 27. lib. 1.* Rota in causa Placentina Decanatus, 16. Iunij 1595. coram bonæ memoriæ Penia, hinc videmus, quod quis non est vlterius citandus, quando ab initio protestatus fuit, se nolle comparere, *capitul. eum qui. vbi Franch. num. 5. vers. 2. limit. de dolo & contum. in 6. Innocentius in capitul. ad petitionem, num. 3. versic. si autem. de accus. Alexand. cons. 81. num. 6. lib. 4. cum alijs per Gabr. de cit. concl. 1. num. 429.* cum multis similibus quæ adduci possent.

7 Denique non obstat, quod Dominus Franciscus non fuerit protestatus per se non stare, *iuxta not. per gloss. in cap. cupientes. §. quod si per viginti. verb. proposita, de electiori, in sexto. Bald. in l. properandum. §. sin autem vtraque, num. 2. C. de iud.* quia Rota sequitur opinionem, quod quando quis fecit ex parte sua, quod potuit non sit necessaria alia protestatio, ita apud *Crescen. decis. 5. de except. Verall. decision. 73. part. 2. in impress. & decis. 126. & 136. incip. Rota tenet, part. prima in manuscript.* Fuit decisum in causa Papien. Deuolutionis. 13. Martij 1595. coram bonæ memoriæ Cardin. Pamphilio, in Placentina Decanatus 16. Iunij eiusdem anni coram bonæ memoriæ Penia, & in Hispalen. Beneficiorum 10. Ianuarij 1603. coram Iusto, & referunt *Sarn. super regul. de annal. quæst. 76. ad finem. Lancellott. de attent. part. 2. capit. 12. ampliat. 1. num. 65 & 66.* quod videtur fundatum optima ratione, nempe quia protestatio non est, nisi quædam declaratio voluntatis protestantis, *Alciat. in leg. detestatio, num. 6. de verborum significat. Crauet. cons. 120. nu. 3. in fin.* quæ quidem declaratio non videtur necessaria vbi adsunt facta. *ad l. Paulus. ff. rem rat. hab. cum ibi not. per Scriben.* quando enim quis fecit, satis velle præsumitur vtilitatem, quæ ex illo facto solet resultare *ad l. cum de indebito. ff. de probat. cap. quia verisimile de præsumpt. cum concord.*

R. P. D. VBALDO.

Viterbien. seu Romana Pecuniaria. Veneris 28. Februarij 1614.

ARGVMENTVM.

Filio exhæredato sine iusta causa testamentum nullum sustinetur per clausulam codicillarem in vim fideicommissi. Debetur tamen isto casu filio sola legitima, non autem Trebellianica.

SVMMARIVM.

Legitima filiis relinqui debet iure institutionis, & si fuerit relictum minus, quàm importat legitima, testamentum non est nullum, stante clausula omni meliori modo, sed filius agit ad supplementum. nu. 1.

Testamentum est nullum, vbi filius exhæredatur sine causa. num. 2.

Exhæredatio filii sine iusta causa reddit testamentum paternum nullum. num. 2. Vbi hoc ampliatur, etiam quod filius exhæredatus ex testamento patris aliquod legatum, vel commodum consequatur.

Clausula codicillaris sustinet testamentum nullum ob præteritionem filii, vel exhæredationem sine causa in vim fideicommissi. nu. 3.

Legitima solum, & non Trebellianica detrabitur a filio exhæredato sine causa, quando ob id testamentum nullum sustinetur per clausulam codicillarem. nu. 4.

DECISIO DLXVIII.

1 FVit responsum pro informante, videlicet hæreditatem Iuliæ spectare ad Dominam Victoriam eius filiam pro medietate, in qua fuit à matre hæres instituta, cum hoc tamen, vt deduceretur legitima Pauli alterius filij, qui fuit à matre priuatus hæreditate relictis ei tantum Scutis decem. Et mouebantur Domini, quia aut hoc testamentum valet, quasi illa decem censeantur relicta Paulo, titulo institutionis, qui iure nouissimo requiritur, *§. aliud quoque capitulum. authent. vt cum de appell. cog.* idque propter clausulam omni meliori modo. in principio, & in fine appositam, iuxta *Bald. in l. quoties. num. 10. C. de hæred. instit. Iason. in auth. nouissima. num. 24. vers. octauo limit. Cod. de inoff. test. Alex. consil. 50. num. 9. libr. 7. cum aliis per Card. Mantic. de coniect. vltim. volunt. lib. 3. titul. 14. num. 11.*

num.11. Et videbatur clarum, quod Paulus non possit dare de nullitate testamenti, sed solum agere ad supplementum legitimæ, iuxta *l. omnimodo. C. de inoff. test. & §. sed hæc ita, Instit. eod. tit. & vtrobique not. Glos. & Doct.*

2 Aut testamentum est nullum, quod videbatur verius, cum Paulus fuerit expresse exhæredatus ex causa minus legitima, & non æquipollenti narratis in *d. §. aliud quoque cap. vers. Causas, auth. vt cum de app. cog.* & exhæredatio non rite facta, non est exhæredatio, sed præterito. *l. non putauit. §. non quæuis. ff. de bon. poss. cont. tab.* & alias paria sunt non facere, & non facere debito modo *l. 1. §. pen. ff. quorum leg. l. si aut nullum. C. de suis, & legit.* & filius præteritus dicitur si non sit institutus, vel legitime exhæredatus, etiamsi aliquod commodum, vel legatum ex testamento consequetur secundum communem opinionem, de qua per Doct. omnes, exceptis ibi *Rimin. & Dec. in l. posthumo, C. de bon. poss. cont. tab. in auth. ex causa. vbi Bart. num. 10. C. de lib. præter. Bal. in l. quoties, num. 11. de hæred. instit. Guigl. de Benedict. in c. Raynutius. in verb. in eod. testamento. il primo. nu. 250. de testam. Bertran. consi. 101. num. 1. lib. 1. & consi. 1. num. 4. lib. 2. cum alijs relatis per Hipp. Rim. in d. l. posthumo. num. 335. & addi potest Cuiacius ad l. 1. ff. de libe. & posthum. & de communi testatur. Bello. institu. de exhæred. liber. in princip. num. 4. & ibi Tob. Non num. 7.*

3 Existente igitur nullo dicto testamento, nihilominus propter clausulam codicillarem in eo appositam censetur Paulus ab intestato rogatus restituere medietatem Victoriæ institutæ, iuxta tradita per *Doct. in dicta authen. ex causa. C. de liber. præter. Bart. in l. 1. q. 5. num. 9. ff. de iure codic. Dec. consil. 369. num. 2. Bero. consil. 118. num. 30. vers. 2. dico. lib. 2. vbi de communi. Gabr. consi. 109. numer. 5. vbi de communi, & consil. 113. num. 2. lib. 1. Clar. in §. testamentum. quæst. 46. Put. decis. 7. de testam.* & fuit dictum in Reatina Hæreditatis. 3. Martij 1600. coram bon. memoriæ Iusto, & latissime per *Modern. Petrus de effect. clauf. codicil. quæst. 53. effec. 33. numer. 6.* quod habet locum etiam si filius sit male exhæredatus, vt post alios contra *glossam ibi tenet Alex. in d. authen. ex causa. num. 13. vbi de magis communi. Ias. numer. 22. & seqq. Curt. iun. num. 68. & seq. Cagnol. num. 137. cum alijs, per Gail. pract. obseruat. lib. 2. obseruat. 114. num. 2. & 3. & per Modern. Perus. de effect. clauf. codicill. quæst. 23. effect. 14. & sequent.*

4 Est autem hoc casu detrahenda à Paulo sola legitima, non etiam Trebellianica, ex quo propter eius preteritionem, vel malam exhæredationem testamentum est nullum, & ipse per clausulam codicillarem ex fideicommisso censetur rogatus pure, non autem sub conditione, vel in diem restituere hæreditatem, quo casu vnam tantum detrahit quartam. *Bart. consil. 20. nu. 3. & 6. lib. 1. & in l. Papinianus. §. meminisse. in fi. & ibi Angel. in fine. & Bald. sub numer. 3. ff. de inoffi. testam. Alex. consi. 142. num. 13. & seqq. lib. 2. Gabr. consi. 113. num. 4. & 5. lib. 1. Simon de Pretis. de interpret. vlt. volunt. lib. 2. interpr. 1. dubit. 1. solut. 11. num. 29.* cum alijs, per Informantes, quibus addi potest *Card. Mantic. de coniect. lib. 7. tit. vltim. num. 31. Menoch. de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 32. num. 2. vers. nam filius. Cagnol. in d. §. meminisse. num. 21. & alij per Moder. Perus. d. tract. de effect. clausul. codicill. quæst. 53. effectu 33. num. 23.* Et ita fuit decisum.

REVER. P. D. MANZANEDO

Bononien. Pecuniariæ. Lunæ 3. Martij. 1614.

ARGVMENTVM.

Apochæ in actis productæ, & parte citata recognitæ, & dimissa copie collationata restitutæ, probat copia collationata etiam quod postea ori ginalia amplius non reperiantur.

SVMMARIVM.

Apochæ, & earum exempla registrata, & recognita in actis seruatis seruandis, & parte citata probant absque productione originalis. num. 1.
Citatio prima debet esse personalis. nu 2. vbi tamen quod in hoc seruanda est forma statuti.
Alternatiua dispositio in vna tantum parte sufficit, quod adimpleatur. num. 2.
Procurator principalis absentis citari debet, quando pars scit, aduersarium habere procuratorem, alias secus. numero 3.
Dispositioni iuris communis standum est in casu, a statuto omisso. num. 4.
Decretum iudicis appositum in registratione apocharum facit transitum in iudicatum. num. 5
Solutio præsumitur facta, quando debitor habet penes se apochas crediti sibi à creditore consignatas. num. 7.

DECISIO DLXIX.

1 Constare de credito trium apocharum Domini dixerunt, cum aliquæ exceptiones, quæ contra illas opponebantur, fuerint sublate per decisiones, factas sub diebus 18. Iunij 1612. & 27. Ianuarij præteriti. Reliquas vero super quibus non fuit tunc capta resolutio hodie visum fuit Dominis non obstare. Prima enim desumpta ex eo, quod non exhibeantur originalia dd. apocharum videtur cessare, cum illæ reperiantur registratæ, & recognitæ in actis seruatis seruandis, & parte citata, quo casu probant absque productione originalis. *Bal. in auth. si quis in aliquo. num. 5. C. de edend. Felin. in c. vltim. in fin. de fid. instrumentorum. Couar. pract. cap. 21. num. 6. Caputaquen. decis. 354. nu. 5. par. 2.* & fuit dictum in vna Romana Mutui 10. Ianuarij 1600. coram Illustrissimo Lancellotto.

2 Nec obstat, quod tempore registrationis Hieronymus esset absens Neapoli, & non fuerit citatus personaliter, sed tantum domi dimissa copia contra formã statuti, & dispositionem iuris communis, iuxta quam prima citatio debet esse personalis. *c. causam, vbi glo. & DD. de dol. & contum. l. 1. in princip. ff. de liber. agnosc.* Quia cum prædictum statutum in defectum citationis personalis mandet fieri duas citationes pro diuersis diebus, & horis iuridicis, etiam quod citandus sit absens à Ciuitate. Et in casu nostro istæ duæ citationes fuerint factæ, non erat opus citatione personali, quoniam in alternatiuis sufficit dispositionem in vna parte adimpleri, *l. si quis ita stipulatus. in fin. ff. de verb. oblig.* vt in nostris proprijs termis notant. *Bart. in l. 4. §. prætor. num. 15. ff. de damn. infect. Practic. Papiens. in tit. form. respons. rei conuenti. in glo. 2. num. 12. Abb. consi. 19. num. 1. vers. & pro hoc. libr. 1. cum alijs pluribus relatis per Tiraq. de retractu lignag. §. 9. glos. 2. nu. 56.* Præsertim quia dictæ citationes fuerunt factæ in domo solitæ habitationis Hieronymi, vbi habitabat etiam Carolus, eius patruus, & Dominus Prothesilaus eius consanguineus, qui poterant, & debebant comparere ita mandante eodem statuto.

3 Minus refert, quod saltem essent citandi procuratores Hieronymi, quia cum huiusmodi iudicium esset agitandum cum ipsomet principali, non autem cum procuratore, quia prædicto statuto prohibetur comparere in *§. statuimo ancora, & ordinamo, fol. 39.* videtur cessare obiectum. Vltra quod non constat de scientia Pompiliæ, quod Hieronymus Bononiæ procuratores haberet, prout requiritur. *Abb. in c. causam. num. 3. de dol. & contumac. Bart. in l. 4. §. prætor ait. num. 16. de damn. infect. Vant. de nullitat. titu. de defect. citat. nu. 84.* Et alter procurator qui inuentarium confecerat fuerat ad illum actu solummodo substitutus.

4 Circa vero secundam exceptionem desumptam ex statuto

statuto d.fori,fol.76. in §.ma che quando,&c. volenti apochas executioni demandari donec penes creditores fuerint repertæ, non autem si penes debitorem, quo casu nullam eis statuit esse fidem adhibendam, placuerunt Dominis responsiones datæ in prima decisione, quod scilicet simus in casu à statuto omisso, cum dictæ apochæ non fuerint repertæ penes creditorem, nec penes debitorem, sed deperditæ, & ideo standum est dispositioni iuris communis. *l.commodissime.ff.de liber. & posthum. Alexand.consil.19. in fine. vol. 1.Surd. decis.195. num.11.* vt instrumento in actis registrato sit fides adhibenda, non aliter docto de originali ex supra & in dicta decisione adductis.

5 Præterea vltra registrationem pro executione dd. apocharum adest decretum iudicis diffinitiuum, quod transiuit iniudicatum,& sic multo magis sumus extra casum statuti, ad tradita per *Bart.in l. certi conditio.§. quoniam. nume.4. ff. si cert. pet. Surd.decis.174.num. 14. Menoch. cons.11. num.5.*

6 Vlterius considerabant Domini, quod cum apochæ fuerint per Pompiliam creditricem in partibus productæ in actis, & ipsa instante registratæ, & illius procuratori restitutæ,licet hodie sint deperditæ nihil refert, cum ab initio cœpti iudicij penes ipsam fuerint repertæ, quod videtur sufficere ad effectum eis fidem adhibendi.

7 Quibus accedat, quod nulla alia ratione statutum adimit fidem scripturis repertis penes debitorem, nisi quia presumuntur retrotraditæ à creditore,& facta solutio. *l.2. ff.de pact. Gabriel. de nouat. concl.1. num. 47.* Secus vero statuit,quando reperiuntur penes creditorem propter contrariam præsumptionem non solutionis, quæ tunc viget. Vnde cum in casu nostro solutio non probetur, nec illa aliter præsumitur, nisi probetur. *l.50.ff.de probat.Natt.consi.569.num.2.Menoc. præsumpt.35. num.1. lib.3.* videtur dicendum, quod sicut propter præsumptionem non solutionis adhibetur fides scripturis repertis penes creditorem, ita etiam propter eandem præsumptionem debeat adhiberi apochis, de quibus agitur, in actis registratis, & ab ipso creditore productis, licet postea fuerint deperditæ, vbi enim eadem viget ratio, ibi eadem statuti dispositio resultat. *l.cum ratio. de bon.damnat. l.illud.ff.ad leg.Aquil. Honded. cons.8. nu.5. lib.1. Surd.consi. 301. num.19.*

8 Non obstat taciturnitas Pompiliæ, & inimicitiæ ortæ inter ipsam, & filium. Quia sunt præsumptiones,& non iustificantur,& iustificatæ non releuarent, cum non concludant per necesse. Ex quibus, & alijs in prædictis decisionibus adductis, fuit resolutum constare de credito trium apocharum.

DECISIO DLXX.

Oxomen. Archidiaconatus. Lunæ 10. Martij 1614.

Impressa apud Buratto.

DECISIO 36.

R. P. D. VBALDO.

Romana Retractus Domus. Lunæ 10. Martij 1614.

ARGVMENTVM.

Retrahere volens domum venditam, venditori præferri vigore Bullæ Pij V. sub prætextu, quod in domo vendita habeat censum subire debet easdem conditiones, quibus contractus venditionis fuit cum alio celebratus, ita vt nec venditor, nec emptor vllum sentiat damnum,

SVMMARIVM.

Retrahere volens domum venditam, & venditori præferri vigore Bullæ Pij Quinti, sub prætextu, quod in domo vendita habeat censum subire debet easdem conditiones, quibus contractus venditionis fuit cum alio celebratus, ita vt nec venditor, nec emptor vllum sentiat damnum. nu.1. & 2.

Retractus permissus ab aliquo statuto, vel conditione dicitur exorbitans,& correctorius iuris communis,quia adimit libertatem emendi, & vendendi. num.2.

Iuris congrui constitutio est exorbitans, & correctoria iuris communis. Et propterea non extendenda, sed restringenda, vt minus corrigat, quam sit possibile. nu.2.

Census super aliqua domo impositus censetur extinctus, quando Dominus census domum consuetam emit. nu.3.

Census impositus super pluribus bonis stabilibus, licet desinat esse super vna re stabili, remanet tamen in alijs. num. 3.

Necessitas in quam quis se sponte coniecit non excusat. num.4.

Sententia debet esse conformis libello. num.4. in fine.

DECISIO DLXXI.

1 Domini de Castellanis emerunt domum ab Illustris. D. Horatio Vrsino pro precio Scutorum 9000. ad quorum computum numerarunt 5000. & pro reliquis 4000. susceperunt, & accollarunt in se censum eiusdem summæ in sorte principali, quem Do. Horatius habebat cum D. Leonida Vrsino cum onere illum extinguendi intra annum. Ceterum D. Bernardus de Franchis ad cuius fauorem impositus fuerat à D. Horatio alius census super dicta domo, & venditus pro pretio Duc.7500.egit contra DD.Castellanos ad retractum d. domus vigore Bullæ fel.rec. Pij V. in ordine 80. & post institutum iudicium cessit prædictum censum, & ius retractus D. Gasperi Riualdo pro quo sententia lata per A. C. & in gradu appellationis causa introducta in Rota dubitaui, an dicta sententia esset confirmanda, vel infirmanda, & Domini pro informatione responderunt. Fundamentum principale resolutionis fuit, quia sententia condemnat Dominos de Castellanis ad retrouenden. domum D. Gaspari cum pactis, & conditionib. diuersis ab ijs quibus ipsi emerant nam conditiones emptoris erant, vt de pretio Duc. 3000. mille peruenirent ad manus Horatij, & de alijs Scut. 808. extinguerentur duo census, quorum alter erat cum D. Leonida, de quo sup. alter cum DD.de Caetanis, sententia vero mandat Castellanos retrouendere domum,& recipere Scut. 1500. alia vero Scut. 7500. excomputare cum censu eiusdem summæ D. Bernardi de Franchis super eadem domo impositi, & cessi D.Gaspari, vt dictum est supra, de quo tamen censum nulla in emptione mentio facta fuerat,& tamen certum est eum, qui vult præferri, vel retrahere debere subire easdem conditiones,quibus contractus fuit cum alio celebratus, ita vt nec venditor nec emptor vllum sentiat damnum, *l.debet.ff.de ædil.edict.late Tiraquell.de retract. lignag.§.1.gloss.18.num.7.& 8. & §. 29.gloss.2.num.2. & de retract. conuent.§.6.gloss.2. num.2. & sequen. Fab.de Mont. in tract.de emp.& vend. quæstio.3. in princ. num. 43.* & fuit dictum in Rauennaten. pecuniariæ 13. Ianuarij 1603. coram bon.mem. Iusto.

2 Id quod est conforme etiam dispositioni eiusdem Bullæ Pij V. cuius intentio fuit ita, præferre Dominum Census, vt tamen voluerit prospicere indemnitati emptoris, ideoque statuit in vers. vbi autem, &c. Domino Census debere denunciari conditiones quibus

quibus res vendenda erat, & sane cum Bulla sit exorbitans,& correctoria iuris communis,quatenus concedit prelationem Domino Census etiam inuito ipso venditore, & adimit libertatem emendi primo emptori contra *l.dudum.& l.inuitum,C.de contrahen.empt.& l.nec emere. C. de iure deliber.* debet stricte intelligi, & vt minus lædat ius commune quam fieri possit. *l. vt gradatim.§.etsi lege.ff.de mun. & honor. c. cum dilectus.vbi Butr.& alij. de consuet.* & cum possit sustineri eius dispositio cum vno solo grauamine,videlicet,vt emptor teneatur retrouendere, non dent aliud addi, vt scilicet teneatur excomputare,vel excompensare pretium cum pretio census, de qua compensatione Bulla non loquitur, vt in simili de Bulla iuris congrui fuit dictum in Romana iuris congrui coram *Robusterio, quæ est decisio 475. num.2. & seqq.p.1.diuers.* & in alia Romana iuris congrui 5.Iunij 1600. coram Reuer.P.D.meo nunc Decano, & in terminis Bullæ de qua agitur in Romana domus 22. Iunij coram Illustriss. Card.Lancellotto.

3 Nec videbatur obstare, quod per emptionem domus à Domino Census factam census super ea impositus dicatur extinctus, cum res sua nemini seruire possit ad *l. Vranius.ff.de fideiuss.* & proinde Bulla, quæ concedit prælationem censeatur etiam concedere compensationem pretij census cum pretio domus, quia fuit responsum, quod cum census esset impositus non solum super dicta domo,sed etiam super plurib. alijs bonis magni valoris, & certis finibus designatis poterat super illis census remanere, dato quod super domo esse desijsset, vt sæpe fuit decisum, & signanter in Beneuentana Census 29. Martij 1593 coram bon. mem. Cardinali Pamphilio, & in Romana census 14. Ianuarij 1601. coram Reuerendissimo Do. meo Damasceno.

4 Nec etiam obstat, quod sit imputandum Dominis de Castellanis si non præcauerunt domum posse retrahi à Censuario, hoc enim retorquebatur, nam licet ipsi scirent posse retrahi, sciebant etiam ipsos debere conseruari indemnes, & ideo magis videtur imputandum ipsi censuario, qui licet sciret pacta, & conditiones quæ erant, vt pretium deberet solui in pecunia numerata pro extinctione aliorum censuum, & non istius impositi super domo, nihilominus voluit retrahere, cum tamen non cogeretur cum Bulla det facultatem censuario non autem imponat necessitatem, & alias non excuset necessitas in quam quis sponte coniecit, *l.si fideiussor. §. si necessaria.ff.qui satis. cog.Surd.decis.59.num.11.* quod bene videtur aduertisse Bernardus qui in monitorio cui postea Gaspar adhæsit, petijt in venditione preferri cum oblatione soluendi, vel deponendi pretium solutum à Castellanis, & tamen sententia condemnat tantum ad restitutionem partis pretij, quod etiam mouebat Dominos pro confirmatione sententiæ cum non esset conformis petitioni, & libelo, *l.vt fundus.communi diuid.cap.licet Hely.de Simon.*

5 Quibus accedebat, quod tam ex præcedenti retractu,& conuentione postea facto comprobata,vt Bernardus vna manu cederet censum, alia vero Gaspar imponeret censum eiusdem Summæ ad fauorem Bernardi, quam ex alijs deductis per Informantes, præsertim quod Bernardus nunquam habuit animum emendi istam domum,vt deponunt testes pro Castellanis inducti, nec Horatius vendendum ad effectum extinguendi censum quem habebat cum Bernardo. Imo in instrumento venditionis Dominus Horatius illum intra quinquennium extinguere,& domum ex proprijs pecunijs liberare promisit, & ex cessione census facta post venditionem perfectam, & post inchoatum iudicium videbatur emptio aliquantulum affectata, & procurata ad æmulationem aliorum de Castellanis. Ex quibus fuit resolutum sententiam A. C. esse infirmandam.

R. P. D. REMBOLDO.

Calaguritana Beneficij de Creacu. Lunæ 10. Martij 1614.

ARGVMENTVM.

Gratia quomodo iustificatur tam quo ad obitum illius, de cuius beneficio agitur, quam de valore Beneficij, & de Clericatu eius, qui gratiam obtinuit.

SVMMARIVM.

Parochi fides probat mortem beneficiati. num.1.
Beneficij collatio, quando est fundata in reseruatione tunc obitus probatur per solam famam. nu.2.
Valor beneficij probatur per testes deponentes de publica voce, & fama. num.3.
Valor beneficij probatur per expressionem factam ab illis, qui similia beneficia obtinuerunt. num.3.
Valor beneficij probatur duobus testibus, & in hoc sufficit qualis probatio etiam minor semiplena. nu.4.
Clericatus probatur ex oppositione, & approbatione, & ex literis prouisionis. nu.5.
Clausula dummodo tempore datæ non sit alteri ius quæsitum intelligendus est de iure valido, & considerabili. num.6.
Nemo potest facto proprio sibi ius ad beneficia acquirere. num.7.
Clericis duobus ad beneficium concurrentibus, & vtrique in examine approbatis potest cuique eorum ad libitum habentis potestatem conferendi conferri, & locus est gratificationi. num.8.
Nullum quod est ius aliquod tribuere non potest. nu.9.
Gratia facta lite pendente non suffragatur. num.10.

DECISIO DLXXII.

1 CVm post factas in hac causa resolutiones coram Reuerendissimo Domino Bononien. die 1. Februarij, & die 18. Maij 1612. quod sit locus nouo examini, Michael à bon. mem. D. Penia hic in Curia, & Martinus à Reuerendissimo D. Archiepiscopo Burgen. in partibus examinatus, & vterque ad beneficia curata administranda idoneus repertus fuisset,& Michael insuper de beneficio, de quo agitur Apostolica auctoritate prouideri sibi obtinuisset. Dubitaui in locum dicti Reuerendissimi D. Bononien. suffectus cui prædictum beneficium huiusmodi adiudicandum esset, & Domini censuerunt Michaeli vti prouiso Apostolico adiudicandum cum gratiam sue prouisionis sufficienter iustificauerit. Nam quo ad vacationem per obitum Ioannis Lopez in mense Ianuarij anni 1610. satis videbatur de ea constare ex edicto Ordinarij oppositione Martini depositionibus duorum testium, & fide Parochi, quæ etiam sola sufficeret. *Rebuff.in tract.de regist.bap.& sep.articulo vltimo.glos. vnica. vers. & sic patet. Mandos.super regu. 18. quæst.10. num.4. Rot. diuers.decis.220. num.1. par.2.* & fuit dictum in Aquilana beneficij. 12.Decembris 1602. coram Reuerendissimo D. Bononien.

2 Et maxime, quia prouisio Michaelis non est fundata in reseruatione, quo casu iustificatur vacatio ex sola fama, vel alias semiplena probatione. *Put. decis. 266.num.4. lib. 3.* & fuit dictum il Placentina Canonicatus, & præbendæ 1. Martij 1599. coram bon. memoriæ Orano.

3 Quod vero beneficium, de quo agitur, non excedat valorem Ducatorum octuaginta probatur per duos testes deponentes de publica voce, & fama, quod sufficit. *Put. deci.29. lib.1. Caputaq. decis.277.nu. 8. par.1. Rota diuers. decis. 298. num.1. par.1.* quibus testibus accedit etiam liquidatio fructuum recollectorum

rum pendente lite facta, & communis expressio omnium similia beneficia obtinentium, quod non excedant valorem Ducat. 24. vt fuit dictum in Calaguritana de Ollauarij 15. Decembris 1604. coram bon. mem. Penia.

4 Valor beneficij obtenti probatur pariter duobus testibus, qui dantur in Summario Michaelis, *nume. 16.* sufficit enim hoc casu qualis qualis probatio etiam minor semiplena, vt fuit dictum in Comen. beneficij 28. mensis Martij 1596. coram bonæ memor. Cardinali Pamphilio, & in Abulen. beneficij 13. Octobris 1595. coram bonæ memoriæ Cardinali Blanchetto.

5 De Clericatu, & alijs qualitatibus Michaelis constat tam ex oppositione, & approbatione, quam ex literis suæ prouisionis, vt fuit dictum in dicta Calaguritana de Ollauarii, coram bonæ memoriæ Penia in Tirasonen. Canonicatus 28. Nouembris 1605. coram R.P.D. meo Pamphilio.

6 Neque obstat Michaeli clausula, dummodo tempore datæ non sit alteri ius quæsitum, &c. quia dicta clausula intelligenda est de iure valido, & considerabili, vt fuit dictum in Calaguritana beneficii de Maestu. 24. Nouembris 1604. coram Reuerendissimo D. Attrebaten.

7 Verum vel Martinus prætendit acquisiuisse ius ex nuda oppositione, & hoc non potest attenta etiam constitutione felicis recordationis Papæ Clementis Octaui circa collationem de beneficiis huius Diœcesis faciendam cum nemo possit facto proprio sibi ius ad beneficium acquirere. *Cassad. decis. 18. num. 3. de præbend. Put. decis. 283. numer. 3. & sequent. lib. 3.* & fuit dictum in dicta Calaguritana de Maestu.

8 Vel prætendit ius ex oppositione iuncta approbatione, & hoc ius non visum fuit Dominis considerabile, ex quo simul cum ipso fuit approbatus etiam Michael & alii, & omnes æqualiter idonei renunciati. Vnde liberum erat Capitulo, & beneficiatis eligere ex approbatis quem maluissent, & sicuti citra iniuriam Martini, & absque læsione iuris per ipsum acquisiti Capitulum potuisset eligere Michaelem, ita & multo magis hoc potuit facere Papa, vel præueniendo Capitulum, vel pro libito suo de beneficio huiusmodi disponendo.

9 Quatenus vero Martinus prætenderet ius ex electione, & præsentatione Capituli, & institutione Ordinarii, cum omnea isti actus fuerint declarati nulli, & attentati, vtpote pendente appellatione facti, nullum ius validum potuerunt ipsi tribuere, vt fuit dictum in dicta Calaguritana de Ollauarii, coram bon. mem. Penia, & in alia Calaguritana de Maestu, coram Reuerendissimo Attrebaten.

10 Nec visum fuit Dominis posse suffragari Domino Martino præsentationem Capituli vltimo loco de ipsius persona factam. Tum quia gratia Michaelis est anterior, tum quia huiusmodi præsentatio facta est lite adhuc pendente, & absque mandato Rotæ. Et ita fuit decisum.

DECISIO DLXXIII.

Romana Grani. veneris 11. Aprilis 1614.

Impressa apud Buratto.

DECISIO 41.

REVERENDISS. P. D. COCCINO DECANO.

Toletana Pensionis. Veneris 11. Aprilis 1614.

ARGVMENTVM.

Ex Summarijs sumas Argumentum.

SVMMARIVM.

Sententia nulla non facit transitum in iudicatum ex eo, quod ab ea non fuerit appellatum intra decem dies. nu. 1.

Sententia dicitur nulla, vbi citatio ad terminos substantiales, & ad sententiam, fuit facta pro die, in quo non potuit interuenire tempus congruum. nu. 2.

DECISIO DLXXIV.

1 Fvit conclusum non constare de re iudicata sententiæ Rotalis, licet non fuerit appellatum intra 10. dies, iuxta textum in c. quod ad consultationem, de senten. & re iud. quia cum sententia prædicta sit nulla non facit transitum in iudicatum. *Anchar. cons. 36. nu. 1. & seq. Bald. cons. 363. incip. punctus facti. numer. 2. vsque ad fin. lib. 4. Abb. consil. 61. per totum, lib. 1.*

2 Nullitas autem est euidens, quia die 3. Iulii fuit citatum ad terminos substantiales, & ad sententiam vnde non potuit interueniri tempus congruum, ita vt dicti termini sortirentur effectum suum, de quibus *Vestr. in prax. lib. 5. c. 4.* & qui de stylo Curiæ seruantur. *Vant. de nullit. process. nu. 59. & num. 6. in fine.* Et ita fuit conclusum.

R. P. D. PIROVANO

Florentina Pecuniariæ. Lunæ 14. Aprilis 1614.

ARGVMENTVM.

Confiscatio bonorum facta iure speciali non trahitur ad bona sita extra territorium confiscantis, & hodie bona non confiscantur, nisi in crimine hæresis, læsæ Maiestatis, & vbi statuto, vel consuetudine sic constitutum est. Et quando per confiscationem bonorum debitor sit liberatus ab omni obligatione.

SVMMARIVM.

Debitor per confiscationem bonorum censetur liberatus ab omni obligatione, ita vt à creditoribus amplius conueniri non potest, cum omnia iura actiue, & passiue sint in fiscum translata, etiam quod is deuenerit ad pinguiorem fortunam, & fuerit restitutus. nu. 1.

Confiscatio facta in Statu Florentiæ vigore iuris municipalis, seu particularis constitutionis, & non de iure communi non trahitur ad bona sita in territorio Ecclesiastico. n. 2.

Confiscatio bonorum hodie non fit, nisi in crimine hæresis, & læsæ maiestatis, aut ex dispositione alicuius Statuti, vel consuetudinis. num. 3. etiam quod bona expresse confiscentur, & non in consequentiam alterius pœnæ. num. 4.

Fiscus tenetur satisfacere creditoribus condemnati delinquentis, & quid si delinquens debitor habebat bona in pluribus territorijs. nu. 5.

DECISIO DLXXV.

1 Fvit per Dominos resolutum, confiscationem fisci Florentinæ non obstare Michelino agenti ad consequutionem sui crediti contra D. Antonium Franciscum Soderinum, & eius bona in ditione Ecclesiastica consistentia. Nam etsi vera sit conclusio, quod sequuta capitali condemnatione contra eundem Soderinum propter delictum Florentiæ patratum, & confiscatis bonis à supremo Domino illius pro-

prouinciæ remaneat liberatus ab omni obligatione, ita vt à creditoribus nõ possit amplius conueniri nec molestari, sed agendum sit contra fiscum in quem translata sunt omnia iura actiue, & passiue *leg.2. vbi Bal. & Salic.C.ad leg. Iul.de vi publ.in l. si marito vbi gl.ff. sol.matr.Bar.in l.creditor.ff.de solut.Peregr. de iure fisci lib. 5.tit.1.num.54.* & prædicta etiam procedant sequuta restitutione non tamen bonorum, & eo peruento ad pinguiorem fortunam *leg.4.C.de sent. pass.Boss.in tit. de proclam.quod fit bon.publi.nu.15. Odd.de restit.in integ.par. 2.q.97. art.2. num.13.*

2 Tamen quia condemnatio, & bonorum confiscatio contra Soderinum facta non fuit de iure communi, sed vigore particularis constitutionis Ciuitatis Florentiæ, & clarum sit, quod ista territoria inter se sunt diuersa,ac diuersi Domini cuiuscumque territorij, & bursæ fiscales distinctæ, & separatæ. Dixerunt Domini huiusmodi confiscationem non trahi ad bona sita extra territorium confiscantis, & sic Status Ecclesiastici ob defectum iurisdictionis *l.3.de offi.præsi. Bart.in l.cunctos populos.in fi. num.5. C.de sum. Trin.& fid. Cathol. August.ad Angel.de Malef.in verb.& eius bona publicamus.num.5. vers.tertia fuit opinio Boss. de bonorum public.num.62.* addens si etiam similes Constitutiones vigerent in alio territorio,*Clar.in prax.§.fi.quæst.78.vers. sed hic quæro. Bertach.consil. crimin.82.26. & 7. lib.1. Surd. consil.152. num.28. lib.2. Peregr.de iur.fisci lib.5. titu.1.nu. 137. & D. Prosper Farinacius in sua praxi quæst.25. nu.99.* affirmans conclusionem hanc non solum esse communem prout testantur Cephal. & Clarus ab eo allegati, sed carere etiam omni prorsus difficultate.

3 Quod autem confiscatio bonorum emanauerit de iure speciali, non autem communi, patet, quia propter homicidium sequuta est condemnatio, pro quo quidquid esset olim, hodie tamen bona non applicantur fisco quando imponitur, vel venit ad consequentiam delicti, & hoc ex iure nouissimo.*Auth.bona damnatorum. C. de bonis proscript.* quod totus mundus obseruat exceptis casibus hæresis, & læsæ Maiestatis, & nisi ex dispositione statuti, vel consuetudinis aliter caueatur, vt testantur *Alberic. in 3. parte statutorum q. 18. circa finem.Clar.in prax.d.quæst.78.in princ.* post alios, quos allegat. *Honded. consi.110. num.1. volum.1. & Modernis temporibus idem testatur D.Prosper. Farinac.in alleg. quæstio.25. in princ.*

4 Nec obstat,quod dicta Authen.videatur correcta, quando lex adimit bona tacite,& in consequentiam, scilicet dum delinquens condemnatur in pœnam vitæ absque bonorum ademptione, secus quando expresse, vt in præsenti, quando fuit condemnatus in pœnam mortis cum specifica bonorum confiscatione. Quia fuit responsum hanc fuisse consideratio- nem *Aretin.in l.eius qui.§.1.in vlt. notab.ff.de testam.* sed contra eum tenuerunt *Guido Pap.quæ.437.nu.4. Nellus de S.Gemin. in trac.Ban.1.par.2.temporis, quæ.11.ad finem.* loquens expresse de condemnatio in contumaciam. *Ceph.l.cons.79.num.19.vol.1. dicit Aretinum loqui*, prout vere loquitur, vbi pro contumacia condemnatio fit in bonis solis absque pœna corporali, tunc enim bonorum condemnatio stat principaliter, & propter se, & iura antiqua remanent incorrecta, secus autem, vt hic, vbi pro contumacia pœna etiam corporalis fuit imposita, propterea cum cōfiscatio, de qua agitur, nullum tribuat ius fisco huius territorij nullum pariter ius erit translatum ex cessione reportata per Soderinum ex vulgata regula. Nemo dat, quod non habet; ac etiam quia omnes exceptiones, quæ competunt contra cedentem, possunt opponi contra eius cessionarium. *Afflict.decisi.163.nu.5. Thesaur. decis.221. numero 1.*

5 Postremo non obstat, quod si bona alicuius territorij, non etiam venirent in confiscatione, quod nihilominus Soderinus esset liberatus à creditoribus Florentiæ vbi bona sunt confiscata propter naturam obligationis, quæ est intelligenda ordine successiuo, vt prius ad bona Florentiæ sit agendum, pro quibus fiscus successor tenetur soluere, deinde ad alia in ditione Ecclesiastica existentia in subsidium alij nõ sufficientibus, iuxta quæstionem, quam ponit *Bal. in l. 2.C.ad l.Iuliam de vi publi. & Castren. cons.209.& 390.lib. 2.* Quia vltra, quod contrarium sensit *Imol. consil.35.* cuius rationes circumscripto interesse, & concursu alterius fisci, placuerunt Dominis quidquid dixerit in facto scribens pro Soderino cum ratio ordinis successiue ponderata per *Castren.* in contractu videatur repugnare primis regulis, ex quibus creditor in pluribus pignoribus sibi oblatis habet electionem *l. creditores.ff. de distract. pignor. leg.qui generaliter.ff.qui pot. in pign.habeant. Surd.post alios decis.44. nu.6.* fuit etiam dictum secundum opinionem *Castrens.* Michelinum posse agere ad bona existentia in ditione Ecclesiastica, quæ agit in subsidium tanquam impeditus ex statuto Florentiæ disponente, quod creditores eorum, qui passi sunt condemnationes non possint agere ad bona confiscata ante factam per creditores diligentiam pro consequenda satisfactione in bonis extra dictionem Principis confiscantis existentibus, & ideo cum Michelinus repellatur à dicto statuto vtique poterit agere contra bona sita in Vrbe secundum eandem Castrens. opinionem. Et ita, &c.

REVER. P. D. MANZANEDO.

Lucana Iuris patronatus, Lunæ 14. Aprilis 1616.

ARGVMENTVM.

Donatio iuris patronatus nulla prorsus, & inualida est sine approbatione Episcopi in tantum, vt nec sufficiat approbatio Vicarij, nisi habeat speciale mandatum, & an Vicarius consuetudine acquirere possit hoc ius approbandi donationem iuris patronatus.

SVMMARIVM.

Iuris patronatus donatio facta non valet, nisi fuerit approbata ab Episcopo. nu.1.

Iuris patronatus donatio vt valeat,debet probari ab Episcopo, nec sufficit approbatio Vicarij etiam habentis generale mandatum. nu.1. & seq.

Mandatum generale etiam cum expressione aliquorum requirentium speciale mandatum non operatur, nisi quo ad expressa. nu.1.

Ius patronatus donari non potest, nisi donatio fuerit approbata ab Episcopo, nec sufficit approbatio Vicarij, qui contraria consuetudine tale ius approbandi acquirere non potest. nu.3.

Testes examinati parte non citata non probant. num.4.

DECISIO DLXXVI.

1 Domini steterunt in decisis nempè donationes iuris patronatus fuisse nullas cum non fuerint approbatæ ab Episcopo, sed à Vicario non habente ad id speciale mandatum ex adductis in alia decisione. Quibus non obstat constare de sufficienti mandato Vicarij ex eo,quod Episcopus ille in deputatione dederit facultatem gerendi multa, quæ requirunt speciale mandatum, & generaliter cum constituerit ad gerendum similia, vel maiora expressis, & ad omnia quæ ipsemet Episcopus faceret, si præmissis omnibus personaliter interesset etiam si talia forent, quæ concessionem exigerent magis specialem, quam præsentibus sit expressum,quasi per istas clausulas generales, videatur etiam constitutus ad omnes casus requirentes speciale mandatum, & consequenter ad consen-

consentiendum donationi iuris patronatus. Quia fuit responsum facultatem authorizandi donationes iuris patronatus non venire sub dicto mandato, cum non sufficiat ad hunc effectum fuisse expressum aliquid de requirendo speciale mádatum cum illa clausula generali. *Franc. in c.2. nu.6. vers. & aduerte. de offi. vicar. in 6. Ferret. cons.327. num.7.* qui loquitur in nostris terminis. *Modern. in tract. de vicar. c.31. in fin.*

2 Prædictæ enim clausulæ generales restringuntur ad præmissa, vt denotant illa verba quę in præmissis, & circa ea necessaria fuerint, &c. & alia subsequentia, quæ nosmet faceremus, si præmissis omnibus, & singulis, &c. & ideo nihil operatur, nisi quo ad expressa. *Alexan. cons.22. nu.10. ad fi. vol.1. Rui. cons.59. nu.3. lib.5. Borgnin. decis.21. nu.45. & seq. par.1.*

3 Minus facit, quod in Ciuitate Lucan. adsit consuetudo, vt vicarij possint consentire donationibus iuris patronatus, vt probant plures donationes per eos approbatæ Dicebatur enim primo ex dictis donationibus non bene inferri ad validitatem istius cum patiantur eundem defectum, maxime cum non probentur effectuatæ. Secundo Vicarium sine speciali mandato non posse ex consuetudine acquirere huiusmodi facultatem ex plurib. rationibus adductis per *Ferret. consi.345. nu.5. & seqq.* Et in omnem euentum cum talis consuetudo sit contra ius, vt per Ferret. vbi supra *nu.8.* deberet esse quadragenaria, vel immemorabilis. *Abb. in c. fin. nu.11. de consuetud. Socin. consil.260. n.19. lib.2. Borgn. decis.11. num.47. par.1. Balb. de præscrip. p.5. principali q.12. num.2.*

4 Nec obstant testes super dicta consuetudine deponentes cum illi deponant de simplici consuetudine, non autem de quadragenaria, vel immemorabili, & fuerunt exeminati lite pendente, & parte non citata. Ideoque non probant *Rot. decis.189. num.3. p.3. Farinac. in tract. de testib. quæstio.72. numer.1.* quo vero ad visitationes dicebatur ex illis non inferri ad scientiam Episcopi circa donatione, ita vt illas videatur approbasse, cum non constet tunc ei fuisse ostensas.

R. P. D. VEROSPIO.

Romana Locationis Domorum. Lunæ 14. Aprilis. 1614.

ARGVMENTVM.

Ecclesiæ domus dirutæ an, & pro qua pensione possint in emphyteusim dari, aut locari, quando in vtilitatem Ecclesiæ datę, & locatę censeantur.

SVMMARIVM.

Sententiæ si fuerint iniustæ etiam quod transierint in iudicatum executioni non mandantur à Rota. nume. 1.

Ecclesiæ bonorum alienatio facta cum auctoritate Summi Pontificis, & cum iusta causa, & Ecclesiæ vtilitate sustinetur, & valet. num.2.

Summi Pontificis auctoritas in alienatione rerum Ecclesiæ supplet omnes alias solennitates. num.2.

Ecclesiæ bona stabilia penitus diruta possunt in emphyteusim perpetuam dari. num.2. & 3. vbi etiam an possint locari ad tempus, & pro qua pensione.

Ecclesiæ domus dirutæ locari, & in emphyteusim dari possunt, & pro qua pensione. num.3.

Ecclesiæ bona in emphyteusim data cum pacto, quod ea finita melioramenta cedant vtilitati Ecclesiæ, data censentur ad ipsius Ecclesiæ vtilitatem. num.3.

Lesio consideranda est tempore contractus, & non alio tempore. num.4.

Ecclesiæ bona si fuerunt alienata absque expressione confinium, & circunstantiarum ipsorum bonorum, alienatio non valet. Declara, vt num.5.

Decretum iudicis interpositum in alienatione rerum Ecclesiæ, præsumitur interpositum seruata forma beneplaciti Apostolici. num.6.

Iudex super contentis in beneplacito Apostolico expedito in alienatione rerum Ecclesiæ potest se informare etiam extraiudicialiter. num.7.

Periti æstimationi standum est, quando fuit specialiter deputatus, & partes æstimationem approbarunt. num.8.

Forma data ad certum effectum potest per æquipollens adimpleri, dummodo sequatur effectus, ad quem data fuit. num.9.

Exceptio non adimplementi non potest opponi ab illis, qui post non adimplementum soluerunt, non adimplemento non obstante. num.10.

Papa in alienationibus rerum Ecclesiæ solet tantum Ecclesiæ vtilitatem respicere in præstando suum beneplacitum. num.10.

DECISIO DLXXVII.

1 DE Anno 1598. ob magnum Fluminis inundationem cum nonnullę domus sub proprietate Cappellę Sanctissimi Sacramenti Basilicæ Lateranensis in totum corruissent fuerunt ab illis Cappellanis per viginti annos locatæ Ioann. Baptistæ Rozzo cum pacto, quod in eorum refectionem ipse conductor saltem Scuta duo millia erogaret, & vlterius persolueret annuam pensionem Scutorum 74. Finita vero locatione dictæ domus libere vna cum omnibus melioramentis ad Cappellam reuerterentur, & additis in instrumento non nullis alijs pactis, fuit tandem obtentum beneplacitum Apostolicum. Et successiue per D. Vicegerentem fuit seruatis seruandis pro validitate contractus pronunciatum, vnde Ioan. Baptista conductor, & illius hæredes vsque ad annum præteritum in pacifica possessione permanserunt postea dicti Cappellani super nullitate locationis iudicium intentarunt, & obtinuerunt à iudice deputato sententiam fauorabilem, de cuius executione cum ageretur causa extra Rotam mihi commissa, & dubio per me proposito, fuit resolutum dictam sententiam executionem non mereri, cum enim Rota non soleat exequi sententias extra ipsam latas, nisi constito sibi de illarum iustitia. *Mohed. decis.11. de sent. & re iudic. Veral. decis.84. par.1. Rota diuers. decis. 498. num.3. par.3. & 704. lib.1.* Nec attendit, quod illæ fecissent transitum in iudicatum, *Rota decis.438. in fin. par.1.* Ideo causa discussa visum fuit de iustitia præsentis sententiæ non constare, quia per eam nulla declaratur dicta locatio, in qua reperitur vtrumque requisitum in alienatione bonorum Ecclesiæ necessarium, solennitas iud. & iusta causa.

2 De solennitate non potest esse difficultas cum interuenerit Summi Pontificis authoritas, quæ supplet omnes alias solennitates. *Abb. in cap.1. de confirm. vtil. vel inutil. & cons.47. lib.1. Oldrad. consi.131. n.2. Rota decis.65. num.1. par.2.* Iusta causa pariter ex euidenti Ecclesiæ vtilitate deducitur, nam cum istę domus fuissent penitus dirutæ, vt ex instrumento locationis depositione testium, & sententia iudicis executoris aperte colligitur poterant in emphyteusim perpetuam pro tertia parte antiquæ pensionis concedi, iuxta *cap.3. §. si quas ruinas. 10. q.2. & authent. si quas ruinas. C. de sacros. sanct. eccles. vbi glos. in verbo tertiam partem. Alberic. in authent. perpetua. num.2. C. eodem Archidiac. in c. hoc ius porrectum. num.17. 10. q.1.*

3 Vnde cum fuerint ad tempus locatæ pro annua pensione Scutorum 74. tertiam partem antiquæ pensionis excedente satis videtur Ecclesiæ vtilitas apparete. Tanto magis quia finita locatione melioramenta debebant ad Ecclesiam reuerti, quod multum confert ad probandam illius vtilitatem. *Tiraquell. de retract. lignag. §.1. glos.18. numero 38. & 69. Cæsar de Graff. decis.5. nu.3. de reb. eccles. non alien.* & Rota in Romana deuo-

deuolutionis domus 26. Martii 1590. coram Cardin. Pamphilio. Præterea ſtante penſione conuenta Scutorum 74. & conſiderato annuo cenſu, qui poterat emi de Scutis duobus millibus in refectionem domorum erogatis vtique dicta penſio Scut. 74. correſpondet antiquæ.

4 Neque ad inducendam læſionem releuat domos hodie locari pro Scutis 270. Nam vtilitas de tempore contractus eſt attendenda, nec eſt habenda ratio valoris prouenientis ex impenſa, & facto conductoris. *c. ad aures, & ibi glo. verbo tunc. de reb. eccleſi. non alien. c. cum cauſa, & ibi glo. verbo tempore, de teſtib. l. ſi voluntate. C. de reſcind. vend. Calder. conſil. 5. de rerum permut. Cagnol. in l. 2. C. de reſcind. vend. num. 212. & ibi Pinel. 3. p. c. 4. n. 15. Ruin. conſi. 35. ad fi. lib. 1. Iaſ. conſ. 54. n. 20. lib. 1. Aym. conſi. 114. num. 6. Rota diuerſ. deciſ. 18. num. 4. p. 2.*

5 Non obſtat prædictam locationem fuiſſe nullam tanquam non ſeruata forma Paulinæ ob non factam de bonis locatis expreſſionem cum omnibus illorum circumſtantiis, vt fuit dictum in Cortonen. reſciſſionis locationis 26. Ianuarii 1590. coram Orano. Conſtat enim ex locationis inſtrumento coram iudice Commiſſario producto, nec non ex teſtibus ab eodem examinatis omnes circumſtantias neceſſarias fuiſſe ſpecificatas, quod ſufficit. *Menoch. conſ. 287. num. 27. 34. 38. & ſeq. Surd. deciſ. 265. num. 43. Socin. conſil. 15. num. 15. lib. 1. Couar. lib. 2. variar. reſolut. c. 17. numer. 1. verſic. melius. Felin. conſil. 42. nume. 9.* Et ſic non obſtat allegata deciſio Cortonen. cum ibi fuerit alienata certa terrarum quantitas abſque vlla loci, & confinium expreſſione.

6 Vlterius ex quo iudex deputatus pro validitate contractus decretum interpoſuit forma beneplaciti Apoſtolici ſeruata præſumitur. *Abb. conſ. 41. num. 1. in fine, & num. 2. lib. 1. Menoch. d. conſ. 287. num. 35. & 36. Alciat. de præſumpt. regul. tertia. præſumpt. nona. Bero. conſi. 88. num. 25. lib. 1. Natta 441. num. 25. lib. 2. Couar. loco ſupra citato. Dec. conſi. 175. numer. 5. verſ. vnde ex præmiſſis, & conſ. 109. nu. 3. & 341. nu. 12.* Rota in Feſulana bonorum 18. Martii 1611. curam Reuerendiſs. D. meo Damaſc.

7 Cum preſertim ſuper contentis in dicto beneplacito potuerit ſe iudex extraiudicialiter informare. *Abbas d. conſi. 41. num. 2. lib. 1. Dec. conſi. 341. num. 2. Put. deci. 432. lib. 2. Capic. deciſ. 16. num. 4. Rota diuerſ. deciſ. 479. num. 1. & 2. par. 1.* & fuit dictum in alleg. Romana deuolutionis domorum 26. Martii 1590. coram Cardin. Pamphilio. Nec ſubſiſtit obiectum, quod conductores in refectione domorum ſummam Scutorum duorum millium in inſtrumento conuentam non erogauerint. Quia ex duobus teſtibus pro conductore examinatis contrarium apparet.

8 Nec obſtat alterum ex ijs tempore locationis fuiſſe Io. Baptiſtæ ſocium, Nam vltra quod hoc in facto non probatur, huiuſmodi defectus in omnem euentum ſuppleretur per Architecti æſtimationem aſſerentis muros de nouo conſtructos aſcendere ad ſummam Scutorum duorum millium, & quinquaginta, & cum iſte fuerit ad id ſpecialiter deputatus, & partes illius æſtimationem approbauerint, hæc vigore pacti videtur attendenda. *l. 2. & ibi gloſſ. vlt. & DD. C. communia vtriuſque iud. Corn. conſ. 125. per tot. & conſil. 140. num. 7. lib. 2. Felinus in c. propoſuiſti. num. 7. verſ. fallit. ſecundo de prob.* Exceptio pariter, quod in æſtimatione habita non fuerit ratio cæmentorum, quæ vltra Scuta duo millia fabricæ, iuxta conuentionem debebat inſeruire, non viſa fuit Dominis releuans cum dicta cæmenta ſint paruæ conſiderationis, & regulariter veniant cum expenſis in aſportatione terrarum compenſanda, de quibus impenſis in æſtimatione non reperitur habita ratio.

9 Non obſtant alie prætenſæ nullitates ex pactorum inobſeruantia deductæ vid. quod ſingulis menſibus datum non fuerit computum expenſarum, nec fuerint domus ædificatæ per fabros murar[illegible] in inſtrumento deputatos. hec enim forma cum data fuerit ad certum effectum bene per equipollens poterat adimpleri dummodo effectus, prout hic eſſet ſubſecutus. *Pariſ. conſ. 31. nu. 34. lib. 2. Put. deciſ. 252. num. 8. & 9. lib. 2. Caſſad. deciſ. 2. num. 2. de re iud. Bald. in l. ſi duo patroni. §. ſi quis iurauerit. col. 2. verſic. quæro qui dicatur. ff. de iureiuran. Barto. & DD. in l. Gallus. §. quid ſi tantum. 2. col. ff. de lib. & poſthum. Mant. de tacit. lib. 2. tit. 4. n. 45. & 46. Rota diuerſ. deciſ. 33. num. 4. & 5. par. 2.*

10 Præterea cum ſpacio tanti temporis Cappellani non reclamauerint, & penſiones hucuſque receperint videntur iſtum non adimplementi defectum remiſiſſe. *Aret. conſ. 150. col. 1. verſ. aliquando, & iſte caſus. Aym. conſ. 151. nu. 8.* & fuit dictum in Mediolanen. frumenti 16. Octobris 1587. coram Orano. Et in omnem euentum prædictorum omiſſio contractum nullum non redderet, cum non reſpiciant vtilitatem Eccleſiæ ad quam tantum Papa ſolet reſpicere. *Socin. conſ. 15. nu. 51. lib. 1. Ruin. conſ. 157. num. 25. & 26. lib. 1. Dec. conſ. 142. Surd. conſ. 243. nu. 16. & 27. Rota diuerſ. deciſ. 178. num. 8. par. 2.* & fuit dictum in Romana domus in Burgo, 30. Martij 1589. coram bon. mem. Card. Mantica.

REVERENDISSIMO P. D. DAMASCENO.

Baren. ſeu Nullius Prioratus. Veneris 18. Aprilis 1614.

ARGVMENTVM.

Beneficium quando dicatur collatiuum, & quando manuale, & quid de beneficiis, quorum prouiſio ſpectat ad Hieroſolymitanam Religionem.

SVMMARIVM.

Beneficium dicitur collatiuum, quando per vltimas prouiſiones effectuatas apparet per mortem vnius alterum impetraſſe in titulum perpetuum. num. 1.

Beneficium an ſit collatiuum, vel manuale attenditur vltimus ſtatus. num. 1.

Beneficia ſpectantia ad Religionem Hieroſolymitanam de ſui natura ſunt manualia. num. 2.

Religioſi non prohibentur habere beneficia, quæ ſæcularibus conferuntur in titulum perpetuum. num. 2.

Hieroſolymitana Religio habet priuilegium conferendi ſua beneficia in titulum, & ad nutum amouibilia. num. 3.

Singula ſingulis referenda ſunt. num. 3. in fine.

Hieroſolymitana Religio non poteſt beneficia conſueta conferri, Clericis Sæcularibus conferre, nec beneficiorom ſtatum mutare. num. 3. & 4. Vbi declaratur hæc concluſio.

Priuilegio qualificato ſe defendens debet probare in caſu, de quo agitur, qualitatem priuilegij. num. 4.

Beneficia Religionis collatiua numquid cadant ſub reſeruationibus Apoſtolicis. num. 5.

DECISIO DLXXVIII.

1 DVbitaui, an beneficium eſſet collatiuum ad effectum, de quo agitur. Effectus eſt, quia ſi eſſet manuale non poſſet dici vacaſſe in menſe reſeruato, vt prætendit Stephanus, & proinde nec comprehendi ſub reg. 8. quæ requirit vacationem in menſe. Domini reſoluerunt beneficium eſſe collatiuum, quia adſunt duæ vltimæ prouiſiones in titulum perpetuum effectum ſortitæ, cum per mortem vnius impetrauerit alter ad vulg. *conſ. Oldrad. 229.* ſæpiſſime canonizatum in Rota, & per mortem iſtius, qui vltimo impetrauit, modo prætendat vtraque pars vacare beneficium, & iſte vltimus ſtatus eſt attendendus ad effectum ſuſtinendi prouiſionem illi confor-

mem. c. consultationibus. de Iure patron. *Rot. decis. 14. eod. titul.in antiq. & decis.2. de præbend. in nou. Than. decis.3.* Rot. in causa Maioricen. Sacristæ 10. Decembris 1602. coram bon. mem. Cardinale Pamphilio, Egitanien. Canonicatus 1. Martij 1603. coram Reuerendissimo Bononien. Ferrarien. Prioratus. 18. Martij 1608. coram bonæ memoriæ Pægna, & alibi sæpe.

2 Non obstat, quod prouisio spectet ad Religionem Hierosolymitanam, & beneficia dictæ Religionis de sui natura sint manualia. *Mohed. decis. 10. de caus.poss. & propriet.* Nam esto, quod hoc sit regulariter, non prohibentur Religiosi habere beneficia, quæ sæcularibus conferant in titulum perpetuum. *Abb. in c. de Monachis. nume.9. in fin. de præbend. Rot. decis.54.num. 1. vers. nec obstat dictum. de rescript. in antiq. Felin. in c. in nostra. numer.44. vers.7. not. eod.titu.* & proinde cum istud fuerit repertum in hoc statu, donec discutitur de natura istius beneficij, debet sustineri prouisio facta secundum vltimum statum, & natura beneficii attendetur in futura vacatione per supra allegata.

3 Non etiam facit, quod Religio habeat priuilegia conferendi sua beneficia in titulum,& ad nutum amouibilia, prout in priuilegijs Clementis Papæ VII. & Pauli Papæ III. Vnde infertur,quod per collationem factam in titulum non fuit immutata natura manualitatis propria beneficiorum huius Religionis, iuxta *decis.Mohed.* supra à legatam, quia fuit responsum, priuilegium Clamentis non dicere,quod Religio possit beneficia consueta conferri Clericis sæcularibus in titulum, prout est istud,de quo agitur,conferre ad nutum amouibilia, & sic facere de collatiuo manuale, & de sæculari regulare, sed solum,quod beneficia possint per procuratorem in Romana Curia conferri in titulum,vel ad nutum,quod potest,& debet intelligi singula singulis congrue referendo, iuxta notata in *l.si negotium, & ibi gloss. verb.gestorum. C.de negot.gest. cum concord.* & sic quod manualia ad nutum, collatiua vero in titulum conferri.

4 Quo vero ad priuilegium Pauli III.fuit dictum non haberi in priuilegio, quod Religio possit mutare statum beneficiorum, sed quod beneficia Religionis, que prius fratribus conferri consueuerant,& a longo tempore citra per abusum, vel propter defectum fratrum idoneorum Clericis sæcularibus conferri cœperunt,possint per eandem Religionem denuo conferri fratribus,ipsique fratres,quibus beneficia huiusmodi conferri contingeret in titulum etiam quo ad vixerint retinere valeant,&c.propterea vt sit locus prædicto priuilegio esset pro parte Religionis probandum, quod beneficium,de quo agitur,esset prius Regularibus per tempus legitimum conferri consuetum,quia non est bona consequentia,collatio beneficij spectat ad Religionem, ergo est consuetum conferri Regularibus, cum & Religio possit habere beneficia sæcularia, & non nisi sæcularibus conferri consueta, vt supra probatum est. Notum est autem, quod qui se fundat in priuilegio qualificato, debet probare,quod in proposito casu concurrant qualitates, alias priuilegium non suffragatur. *leg.prætor.la seconda.§.docere, cum ibi not.ff.de ui bon.rapt.Socin.cons.27.n.14.lib.4.Natta cons.254. num.2. Cephal. cons.256.in fi.Becc.consil.53. num. 9.Surd.decis.305.nu.41. cum alijs per Tiraquell. de retract. lignag.§.8.gloss.7. num.1. & seq.*

5 Circa illud, quod beneficia Religionis etiam collatiua non cadant sub reseruationibus Apostolicis, Domini non dubitarunt regulam octauam, propter amplissimas clausulas derogatorias, quas continet, derogare priuilegijs conferendi, quæ habet dicta religio,per ea,quę fuerunt alias dedicta in causa Meliten. Beneficij 5. Martij, & 14. Nouembris 1605. coram benæ memoriæ Pegna. Casalen. Canonicatus 29. Ianuarij 1604. coram Litta, Compsana Iuris patronatus 23. Ianuarij 1603. & 3. Decembris 1604. coram eodem, Aquilana Beneficij 6. Februarij 1604. coram Reuerendissimo Bononien. Eugubina Præpositure 3. Martij 1606. coram eodem, & in Assisien. Beneficii 7. Maii 1607. coram me. Sed difficultas erat in confirmationibus Priuilegiorum dictæ Religionis factis per S. D. N. post conditam regulam, sed super istis Domini non institerunt, cum viderentur extra dubium, &c.

R. P. D. VBALDO.

Meten. Professionis. Veneris 18. Aprilis 1614.

ARGVMENTVM.

Professio Monialis alia est expressa, & alia tacita, seu præsumpta, quæ dicatur expressa, & quæ tacita, & an tacita professio propter metum reuerentialem reddatur nulla, & an admittat probationem in contrarium, & quomodo.

SVMMARIVM.

Professio Monialis expressa fit per emissionem trium votorum. num.1.

Professio Monialis tacita, seu præsumpta resultat ex delatione habitus ex lapsu temporis, quæ non censetur exclusa à Sacro Concilio Tridentino. num.2.

Professio Monialis tacita, seu præsumpta admittit probationem in contrarium resultantem ex reclamationibus, & protestationibus. num.3.

Professio Monialis expressa facta propter metum reuerentialem non rescinditur, secus professio tacita, vel præsumpta. num.5. & 6.

Professio Monialis præsumpta ex gestione habitus ex lapsu temporis tollitur ex contrarijs præsumptionibus. num.6.

Metus causa durante metus ipse semper durare præsumitur. num.6.

Testes singulares probant animum alicuius. num.7.

Testes singulares singularitate adminiculatiua probant. numero 7.

DECISIO DLXXIX.

1 FVit resolutum, non constare de professione, quæ obstet D. Renatæ. Nam de expressa dubitare non poterat, quæ solet fieri per emissionem trium votorum. *c. cum ad monasterium. in fin. de statu monachor. Rota decis.216. nume. 3. par. 2.* & hanc constabat ex testibus non fuisse factam à Renata, immo nec fieri consueuisse in illo monasterio, sed solum dari annum, & diem, quo elapso moniales solent haberi pro professis, & de hac expressa, quod non interuenerit inter partes, satis conueniebat.

2 Vnde sola difficultas remanebat in tacita professione, quæ resultat ex dilatione habitus, & lapsu temporis,iuxta stylum monasterii, & dispositionem iuris communis, quæ non est exclusa à Sacro Concilio Trident.vt per *Nauar. cons. 35. numer. 5. de regul. lib. 3. Honded. cons.78. num. 22. lib.2.* sed DD. videbatur non constare de tali professione tacita, quæ vtique non potest dici, nisi præsumpta, vt per *Innoc. in cap.1.in fi. de his, quæ vi*, metusve causa fiunt, & ibi *Imol.num. 16. vers.* & est ratio diuersitatis.

3 Et ideo admittit probationem in contrarium resultantem ex reclamationibus, & protestationibus in contrarium factis. *glos.singularis.in cap.tuarum.in verb. signatos.* quam ibi sequuntur *Doct. & in specie. Abb. num.6. Dec. num. 33. de priuil. Bald. in term. consilio 206. incipit proponitur.lib.4.Innoc. in c.perlatum. nume.3.* & ibi Host.*nu.12. Abb. nu.14.* de his, quæ vi metusve causa. *Decian.*

Decian. responso 18. num. 5. lib. 3. Honded. d. cons. 78. numer. 4. & 25. lib. 2. Menoch. de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 83. num. 17. Rota in causa Neapol. profess. 26. Iunij 1598. coram Gipsio.

4 De reclamationibus autem, & protestationibus D. Recanatæ satis videbatur constare, tum ante susceptionem habitus, & veli dicendo, quod nolebat emittere votum, nec professionem, tum in ipso actu susceptionis, dicendo, quod nolebat fieri religiosa, vt deponit secundus, & octauus testis, tum ex declaratione voluntatis facta in continenti post, & de alijs declarationibus, & protestationibus similibus intra annum, vt deponunt tertius, & septimus dati in *Summario D. Renatæ, nu. 4. & 5.*

5 Accedebat prædictis causa metus reuerentialis, quem habebat dicta Renata ob malam auiæ tractationem, quæ volebat eam monasticum habitum suscipere, vt ijdem testes deponunt. Vnde videbatur intrare doctrina *Abb. in d. cap. perlatum. num. 14. de his, quæ vi metusve causa fiunt. Post Innoc.* quod licet ad infirmandam expressam professionem non sufficiat metus reuerentialis, sed debeat esse talis, qui cadat in constantem virum, tamen secus est ad elidendam præsumptionem, professionis, ex gestatione habitus cum vna præsumptio aliam tollat. *l. Diuus. ff. de in integr. restitut. cap. literis. de præsumpt. & not. in cap. transmissæ. qui fil. sint legit.*

6 Et in terminis præsumptæ professionis, quod tollatur ex alijs præsumptionibus tradit *Innocent. in dict. cap. primo. in fin. de his, quæ vi metusve. Hostien. ibidem. numero duodecimo, & plures refert Rota decis. 216. numero 21. parte secunda. diuersorum.* præsertim cum metus ille reuerentialis duraret vsque ad mortem auiæ, quia semper vigebat metus futuræ malæ tractationis. *Honded. qui alios refert consilio vigesimo tertio, numero 41. libro primo.* & fuit dictum in dictum Neapolit. professionis.

7 Non obstat, quod testes videantur singulares, quia vltra quod ad probandum animum videntur sufficere, ex trad. per *Aym. cons. 73. n. 33.* illa singularitas videbatur adminiculatiua, & non obstatiua, *Corn. consil. 286. nu. 7. circa med. lib. 3. Aym. cons. 78. nu. 6.* cum in hoc conueniant, quod Renata reclamauit intra annũ.

8 Nec videbatur obstare, quod testes prædicti essent nulliter examinati ob defectum citationis ad videndum eos iurare. *cap. 2. de testib.* quia obiectum cessabat ex facto cum fuerit citatus, procurator aduersariæ, vt interesset iuramento testium, de cuius procuratoris mandato constat in actis. Et ita decisum, &c.

DECISIO DLXXX.

Brundesina pecuniariæ, Lunæ 21. Aprilis 1614.

Impressa apud Buratto.

DECISIO 44.

DECISIO DLXXXI.

Romana dotis de Boncompagnis. Lunæ 28. Aprilis 1614.

Impressa apud Caualerio.

DECISIO 298.

REVERENDISS. P. DOMINO DAMASCENO.

Hispalen. Legitimitatis. Lunæ 28. Aprilis 1614.

ARGVMENTVM.

Clausula arbitrio Rotæ minuit rigorem iuris, quando est directa iudici iurisdictionem habenti, & remissoria conceditur cum clausula sine retardatione processus, quando articuli, vel sunt irreleuantes, vel suspecti de calumnia, & quando articuli dicantur tales.

SVMMARIVM.

Dilatione pendente, licet nihil per iudicem innouandum sit, potest tamen iudex ex causa reuocare dilationem datam, præsertim quando causa est commissa cum clausula arbitrio Rotæ, nu. 1.

Clausula arbitrio Rotæ minuit rigorem, nec intelligitur, prout de iure, quando est directa iudici, & iurisdictionem habenti, nu. 2.

Remissoria conceditur cum clausula sine retardatione processus, quando articuli, vel sunt irreleuantes, vel saltem suspecti de calumnia. nu. 3.

Opinio hominis in his, quæ a voluntate opinantis non dependent, veritati cedit. nu. 4.

Articuli quando dicantur irreleuantes ad effectum denegandi remissoriam. nu. 5. & 6. & seq.

Probatio, quæ constat per scripturas, præualet probationi testium, nu. 6. Vbi ponuntur multa exempla articulorum irreleuantium. & nu. 7.

Instrumentum originale vbi adest, ibi non est necessaria matrix. nu. 7.

Facta magis declarant voluntatem, quam verba. nu. 7.

Scripturæ recognitio censetur probata ex testibus dicentibus habere notam manum scribentis, & alias vidisse cum scribere. nu. 8.

DECISIO DLXXXII.

1 Resolutum fuit, intrare arbitrium ad effectum prolationis secundæ sententię ad fauorem D. Annę Ceron. non obstante pendentia termini remissoriæ iamdiu concessæ D. Francisco Duarte, quia licet regulariter pendente dilatione, nihil sit per iudicem innouandum, *l. siue pars. C. de dilat. cum concord.* est tamen eidem iudici arbitrarium ex causa reuocare huiusmodi dilationes. *l. quod iussit. vbi Bart. nu. 5. ff. de re iud. Mil. verb. dilatio. Grat. cons. 77. nu. 17. lib. 2. Vestr. in prax. lib. 7. cap. 1. circa fin. num. 15. Lancellot. de attent. par. 2. cap. 7. num. 10.*

2 Quod magis de plano procedit in hoc casu, stante commissione Summi Pontificis, quod in hoc procedatur arbitrio Rotę, etenim clausula arbitrio minuit rigorem. *Crescent. dec. 4. nu. 3. de testib.* Rota in causa Viterbien. bonorum 17. Maij 1596. coram Illustr. Arrigonio in Aurien. Parochialis 27. Aprilis 1598. coram Illustr. Lancellotto, & in Papien. Prepositurę 7. Maij 1610. coram Reuerendiss. Attrebaten. maxime quando dirigitur iudici, alias iurisdictionem habenti, quia tunc si dicta clausula intelligeretur simpliciter, prout de iure, sicut voluit *Bart. in extrauag. ad reprimendum. verb. videtur. n. 8.* noua commissio redderetur omnino superflua, vt post *Fel. in cap. 1. nu. 51. col. 4. vers. & si dicatur arbitrio suo, de constit. & Dec. in l in personam. §. generaliter. ff. de reg. iur.* Considerauit Rot. in causa Romana Cottiuij, die 6. Martij 1606. coram me.

3 Causam autem arbitrandi, quod procedatur ad vlteriora, non obstante pendentia remissorię prębuerunt

runt scripturæ de nouo exhibitæ pro parte Dominæ Annæ, ex quibus articuli, super quibus fuit concessa remissoria, vel redduntur irreleuantes, vel saltem adeo suspecti de calumnia, vt si modo ageretur de danda remissoria, vel omnino denegaretur, vel non nisi cum clausula sine retardatione processus concederetur, sicut in similibus casibus consueuit Rota, vt fuit dictum in causa Leodien. Canonicatus coram Paleotto relata inter diuers. *impress. decisione* 718. *lib*.3. *p*. 3. & in causa Vlixbonen. parochialis. sexta Iunij de anno 1611. coram me.

4 Quod vero articuli sint tales, quales supra fuit deductum, apparet, quia primus, & tertius, quod D. Anna, & eius frater nati fuerint ante matrimonium non releuant, quia nõ controuertuntur, & illis præsuppositis fuit resolutum pro legitimitate, stante dispensatione in radice matrimonij, vt in decisione in hac causa facta die 4. Februarij 1613. coram R.P.D. Vbaldo, secundus, & quartus, quod D. Anna fuerit reputata illegitima, & pater illam pro tali habuerit, omisso, quod sunt multum inuerisimiles ex alias, & nunc deductis pro D. Anna, etiam si probarentur, nihil pariter releuarent, quia D. Anna non nititur reputatione illegitimitatis, sed vera probatione, quæ si adest, vt iam est decisum, & ex scripturis de nouo repertis melius roboratur, talis reputatio nihil obesset, quia opinio in ijs, quæ minime pendent à voluntate opinantis, cedit veritati. *l. regula*. §. *qui ignorauit. ff. de iur. & fact. ignor*. §. *si quis rem. vbi Aretin. num*.2. *Instit. de legat. Bartol. & Castren. in l. is, qui putat, num*.3. *Alex. num*.4. *ff. de acquir. hæred. Roman. cons*.260. *num*.4.

5 Vltra quod quo ad reputationem patris apparet de calumnia, quia parentes instituerunt D. Annam vocando illam ex legitimo matrimonio natam, prout in eorum testamentis in actis productis. Quintus, in quo habetur, quod ecclesia Sancti Gregorij, in qua fuit celebratum matrimonium, non erat parochia, & quod fuit celebratum coram illo, qui non erat parochus, partim minime releuat, partim vero redditur suspectissimus de calumnia, stantibus scripturis nuper exhibitis, nam quantum ad Ecclesiam Sancti Gregorij datur pro parte D. Annæ licentia Ordinarij, vt matrimonium celebraretur in prædicta Ecclesia Sancti Gregorij, quantum vero ad illud, quod matrimonium minime fuerit celebratum coram proprio Parocho, notum est in Ciuitate Hispalen. vniuersam corã residere penes D. Archiepiscopum, qui deputat Rectores Ecclesiarum, in quibus exercetur cura, ad nutum amouibiles, modo ex scriptura data in *Summario D. Annæ nume*. 2. *apparet*. quod Ordinarius pro anno 1573. deputauit in Rectorem Curatum Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Magdalenę Franciscum de Medina, coram quo eodem anno fuit contractum matrimonium inter patrem, & matrem D. Annę, vt in scriptura matrimonij in actis producta, & coram R.P.D. Vbaldo firmata esse in forma probanti, & rursus ex alia scriptura data eodem Summario. *num*.3. apparet de licentia, seu mandato dato per d. Ordinarium Rectoribus dictæ Ecclesiæ *della Maddalena*, & eorum cuilibet coniungendi prædictos in matrimonium vigore dispensationis Apostolicæ.

6 Ex quibus vel conuincitur irreleuantia articuli, cum quicquid dicturi sint testes in hac materia, potiùs standum sit scripturis, iuxta not. *per glo. in cap*.1. *verb. in scriptis. de cens. in* 6. *Specul. tit. de instr. edit*. §. *restat. num*.3. *& seq. Crauett. consi*.54. *num*.15. Rot. in causa Gadicen. administrationis. 21. Iunij 1577. coram bon. memoriæ Cardinali Seraphino, & in Pampilonen. Rectoriæ 19. Decembris 1586. coram Orano, vt saltem ex prædictis scripturis articulus redditur valde suspectus, & verisimile est, quod super eo nihil dicturi sint testes. Sextus articulus de publicatione Sac. Concil. Trid. non releuat, cum D. Anna minime pretendat obseruantiam dicti Concilii non fuisse necessariam, sed asserat dictum Concilium fuisse obseruatum. Septimus articulus, quod hoc matrimonium fuerit celebratum sine scientia Ordinarij, omisso quãtum probabilis sit talis negatiua, conuincitur de irreleuantia ex prædicta licentia concessa ab Ordinario, cui scripturæ magis staretur, quam testibus ex glos. & alijs supra alleg. Octauus, quod Pius Papa V. denegauerit dispensationem nihil releuare fuit visum, cum sufficiat, quod Gregorius Papa XIII. illam concesserit, & non est mirum, quod vnus Pōtifex immo idem vna vice deneget, & alia forte melius informatus de circumstantijs facti, vel meritis petentis concedat.

7 Nonus de solita adnotatione in libris præsentationum, & iustificationum huiusmodi dispensationum, & quod modo talis adnotatio non reperiatur, nihil releuat, stante, quod in istis scripturis apparet, prædicta reperiri in rerum natura, etiam si non fuerint registrata in actis, sicut dicimus de matrice, quæ non est necessaria, vbi adest instrumentum originale. *Bald. in rubr. C. de fide instrum. num*.20. *Alex. cons*.175. *num*.3. *lib*. 7. *Felin. in c. cum P. Tabellio. nu*.2. *eodem tit. Couar. pract. quæst. c*.19. *num*. 3. Rot. in causa Romana donationis coram Aldobrandino *relat. int. diuers. impress. decis*.250. *num*.4. *par*.1. & in causa Ferrarien. bonorum 23. Martij 1601. coram Corduba. Decimus de natiuitate Martini de anno 1551. non facit ad causam. Vndecimus, quod copula non fuerit sequuta affectu maritali, sed vesana libidine, & ipsi parentes D. Annæ hoc sæpius confessi fuerint, visus fuit omnino inuerisimilis, & inde calumniosus, cum contrarium præsumatur, stante matrimonio subsequuta *Osasch. decis*.154. *nume*. 12. *circa fin*. factum enim subsequutum magis declarat voluntatem, quam verba *leg. Paulus. ff. rem rat. hab*. & est plus, quam inuerisimile, quod personæ nobiles, maxime femina, confessi fuerint, se potius motos vesana libidine, quam affectu maritali, & spe consequendi dispensationem, & quicquid dicendum foret circa prædicta ad effectum vltimæ sententiæ, & finalis expeditionis causæ, saltem ad effectum non retardandi processum propter pendentiam remissoriæ visa fuerunt abundare stantibus dictis supra in princip. & quod agitur de modico præiudicio, quia post reportatam remissoriam in tertia instantia poterit D. Franciscus melius deducere iura sua.

8 Quę vero deducebantur pro parte eiusdem D. Francisci circa non legitimam recognitionem iurium, de quibus supra, visa fuerunt non obstare, nam quod testes non viderint scribere, non refragatur, cum dicant habere notam manum, & alias vidisse scribere, quod sufficit. *Achill. decis*.2. *de fid. instrument. Pui. decis*. 18. *cod. tit*. Rota in supra allegata Ferrarien. bonorum 23. Martij 1601. coram Corduba, in Romana Cottiuij 4. Februarij 1604. coram me, & in Tiburtina Castrorum 4. Iulij 1608. coram Reuerendissimo Lugdunen. vbi aliæ decisiones allegant. sicut etiam bene visa fuerunt sublata per Informantes pro D. Anna alia magis leuia, quæ opponebantur dictis scripturis. Et ita conclusum.

REVER. P. D. MANZANEDO.

Leodien. Fructuum. Lunæ 28. *Aprilis* 1614.

ARGVMENTVM.

Breuis est decisio, & quid contineat collige ex Summarijs.

SVM-

SVMMARIVM.

Mandatum de manutenendo conceditur probata possessione per immemorabilem consuetudinem. num.1. Vbi hoc ampliatur etiam quod possessio non probetur in aliquo loco priuilegiato.

Possessorium Summariissimum manutentionis non admittit exceptionem requirentem altiorem indaginem, nec requirit titulum possessionis. num 2.

DECISIO DLXXXIII.

1 Archidiaconis dandum esse mandatum de manutenendo Domini dixerunt, cum de eorum possessione constet ex testibus deponentibus, quod ab immemorabili tempore viget consuetudo apponendi sequestra super beneficij vacantibus in eorum Archidiaconatibus, quoties illa sunt litigiosa, vel talia efficiuntur intra biennium à die adeptę possessionis, nec non percipiendi omnes fructus dempto salario pro seruitore dicti beneficij, iuxta priuilegium fel. re. cor. Leonis X. ipsis concessum, qua possessione stante intrat manutentio. §. *retinendæ institut. de interdict. Bar. in l. ait prætor. §. quod ait. num. 2. & nu. 14. ff. vti possidetis. Couarr. pract. c. 17. num. 2. Verall. decis. 200. par. 2.* etiam quod dicta possessio non probetur in aliquo loco particulari. Cum in his possessorijs soleat attendi magis causa, quam actus, & exercitium. *Bart. in l. 1. §. si quis hoc interdicto. nu. 1. ff. de itin. actu. priuato. Rota decis. 17. num. 2. & seq. par. 2. diuers.*

2 Non obstat, quod dictum priuilegium fuerit reuocatum, quia huiusmodi exceptio reuocationis, tāquā requirens altiorem indaginem non intrat in hoc iudicio Summarijssimo manutentionis, in quo non requiritur titulus, & quatenus requireretur dictum priuilegium, quamuis reuocatum, illum tribueret saltem coloratum. *Mohed. decis. 13. de restit. spol. Achill. decis. 4. eod. tit. Rota diuers. decis. 137. lib. 3. par. 3. diuers.* Et ita resolutum fuit.

R. P. D. ANDREA.

Hispalen. Portionis. Veneris 2. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

Familiaritas Cardinalis plene, & concludenter probanda est, quando agitur ad excludendum prouisum ab Ordinario. Quomodo autem probetur familiaritas, & eius dissolutio plures notabiles ex hac decisione eliguntur conclusiones.

SVMMARIVM.

Familiaritas plene, & concludenter probanda est, quando agitur ad excludendum prouisum ab ordinario, licet ad alium effectum leuiores sufficiant probationes. nu. 1.

Familiaris de præterito præsumitur etiam familiaris in futurum, nisi probetur contrarium. nu. 2. & 7.

Familiaritas cessat vbicunque familiaris fuit licentiatus, & dimissus. num. 2. & 3.

Familiaris vt quis dicatur, requiritur, & mens, & dens, & sic qui non habet victum, non dicitur familiaris. nu. 3.

Familiaris ad hoc, vt quis dicatur necesse est, vt fuerit destinatus ad aliquod certum seruitium. num. 3.

Qualitas adiuncta verbo intelligitur secundum tempus verbis. num. 4.

Familiaritatis dissolutio probatur per testes, & quomodo isti testes deponere debeant. num. 5.

Familiaritas probatur ex libris, in quibus sunt descripti familiares alicuius Domini. num. 6. Declara, vt numero 9. & 11.

Familiaris potest esse quis licet non comedat in Tinello, vtputa quia recipit portionem in pecunia, vel eam habeat extra domum. num. 9.

Argumentum ab vsu patris familias validum est. nu. 11.

DECISIO DLXXXIV.

1 Fvit pro maiori parte resolutum, non constare de familiaritate Simonis. Cum enim illa deduceretur ad effectum reseruationis ad excludendum prouisum ab Ordinario de hac portione, quæ per illius obitum vacauerat, vtique dicta familiaritas erat plene, & concludenter probanda. *Sarn. in reg. de benefic. vacan. per obitum fam. Card. quæst. 13. num. 6. versic. & ita declarantur. Simonet. de reseruat. quæst. 36. num. 5. Verall. decis. 147. par. 1. & decis. 380. par. 2. Tholom. decis. 832. in fi. par. 3. lib. 3. diuers.* Et fuit dictum in Parmen. Canonicatus 26. Iunij 1585. coram Gipsio, & in Salamantina, & Abulen. Beneficiorum. 9. Iunij 1599. coram Pegna, & in Hispalen. Beneficij de Gibralcon. 7. Maij 1607. coram Reuerendissimo Bononien. & in specie in hac eadem Ecclesia in Hispalen. Archidiaconatus 20. Februarij 1606. coram Iusto. Quicquid ad alium effectum sufficiant leuiores probationes, vt distinxit Rota in Salamantina Cappelleniæ del Voto. 20. Nouembris 1592. coram bonæ memoriæ Cardinali Pamphilio.

2 Probatio autem D. Francisci prouisi Apostolici visa est Dominis non solum turbida, & æquiuoca, sed etiam destructa, & conquassata per probationem Gasparis, qui fuerat prouisus ab Ordinario. Licet enim inter partes non controuerteretur, Simonem ante annum 1598. per plures annos fuisse familiare bon. me. Cardinalis de Castro, quæ familiaritas semper præsumitur durare, nisi probetur contrarium. *Sarn. vbi sup. n. 5. in fi. vers. est tamen verum. Simonet. d. quæst. 36. nu. 4. Gamb. de offic. leg. lib. 3. n. 164.* & tenuit Rota in dicta Parmen. Canonicatus coram Gipsio. Attamen iuxta depositionem testium Gasparis infra allegan. dicta familiaritas fuit disoluta de anno 1598. quo Simon fuit licentiatus, & dimissus à familiaritate dicti Cardinalis *Io. And. in c. fi. nu. 7. vers. si ergo Dominus, & ibi Gemin. n. 9. de verb. signif. in 6. Bal. in l. 1. n. 4. versic. & qui dicantur. C. de episc. & cler. Mil. in verbo familiaris quando dicatur. Sarnen. d. q. 13. nu. 3. versic. si vero recederet, & nu. seq. Mandos. in reg. 32. q. 13. nu. 14.* de quo tempore, vt deponunt ijdem testes, Simon discessit è domo, & seruitio Cardinalis, & habitauit in alia domo seorsum, prout ad probandum dissolutionem societatis est *tex. in l. itaque. ff. pro soc.* per quem ita tenet *Pet. de Vbal in tract. de duob. fratrib. p. 11. n. 12. vers. Quinto distrahitur. Alex. cons. 92. n. 3. lib. 2. Natt. cons. 100. n. 4. Menoc. cons. 12. n. 27. Hect. Felic. de societ. c. 35. num. 1.* Ad cuius instar societatis se habet familiaritas. *Simonet. de reseruat. q. 35. num. 5. Doct. in c. fin. vbi Gemin. nu. 9. Franc. nu. 14. de verb. signif. in 6.*

3 Et præsertim, quia ab inde citra non recepit solitam portionem vulgo *la parte*, neque salarium Cardinalis, vt dicunt omnes testes, Et tamen ad contrahendam familiaritatem requiritur mens, & dens, & sic præstatio victus, *vt in d. c. fi. vbi omnes Doct. Anchar. cons. 398. n. 2. Sarn. in reg. de impetr. benef. vacan. per obit. fam. Card. quæ. 13. in princ. & quæ. 14. n. 5. in fin. Menoch. de arbitr. cas. 552. num. 2. & 5.* prout neque inseruiuit in eius officio, ad quod fuerat destinatus sicut antea, nec in aliquo alio certo seruitio, vt deponunt ijdem testes, quod est secundum extremum in hac materia omnino necessarium. *Franc. in d. c. fin. nu. 14. Sarn. vbi supra. quæst. 13. n. 8. vers. est bene verum. Mandos. in regul. 32. q. 10. nu. 3. Meno. cas. 201. nu. 127. & d. cas. 552. n. 7.* Et fuit dictum in illa Salamantina, & Abulen. Beneficiorum coram Pegna, & in dicta Hispalen. Archidiaconatus coram Iusto, nec amplius dicta familiaritas fuit renouata, vt concordant omnes testes eiusdem Gasparis.

4 Vnde cum Simon de hac portione fuerit prouisus
de mense Octobris 1599. quo tempore familiaris esse
desierat, dici non potest, illam fuisse reseruatã, ex quo
regula tertia, quia nititur D. Franciscus reseruat tan-
tum beneficia, quę familiares obtinent, & obtinebunt
durante eorum familiaritate, & qualitas iuncta verbo
intelligitur secundum tempus verbi. *l. in delictis. §. si
extraneus. ff. de noxal. act. l. Titius. ff. de testa. milit. & in pun-
cto Mohed. decis. 23. nu. 1. de præben.*

5 Quod autem dicta familiaritas fuerit dissoluta de
anno 1598. nec vlterius renouata, probant quamplu-
res testes pro parte Gasparis super tertio, & quarto, ex
primis, & super secundo ex additionalibus in eius Sũ-
mario. *nu. 2.* qui dicunt, quod quamuis Simon fuerit
familiaris Cardinalis, tamen ipse fuit licentiatus de
mense Augusti prædicti anni 1598. quodque ipse ex
tunc remansit persona libera, nec amplius inseruiuit
Cardinali eius vita durante, nec fuit habitus, tentus,
aut reputatus pro familiari Cardinalis, sed operã de-
dit alijs prætensionibus, fuitq; factus inquisitor Op-
pidi de ilerena, & subiungunt fere omnes, quod hac
de causa Simon nõ associauit Cardinalem ad nuptias
Regias, quæ postea celebratæ fuerunt Valētiæ. Quod-
que in libris Cardinalis, in quibus erant descripti
omnes familiares Cardinalis non erat descriptus Si-
mon, & quod quolibet mense fiebat Rotulus familia-
rium Cardinalis, & qui non erant descripti in Rotulo
non erant, nec reputabantur familiares Cardinalis, &
supradicta omnia probantur per optimas, & conclu-
dentes rationes, scilicet, quia erant familiares Cardi-
nalis, & quia viderunt libros, & ita quoque viderunt
fieri, & obseruari absque eo, quod viderint, sciuerint,
aut audiuerint aliquid in contrarium, quod si extaret
esse non posset, quin illud sciuissent, aut audiuissent,
propterea quia erant familiares, & continui com-
mensales, & addunt quoque alias rationes.

6 Cum qua depositione, quę sola per se sufficeret con-
cordat liber, seu Rotulus Cardinalis, in quo in men-
se Augusti anni 1598. leguntur hæc verba. Salen. *de
racion el contador Ioan de lasciua enfermo y el Racionero
Gastelu ausente*, & in mense Nouembris eodem anno,
quando Cardinalis aderat Madriti, & mandauit illi
dari portionem per aliquot dies adsunt hæc verba.
*Simon de Gastelu entra en racion el primero dia y no va con-
tado en este numero*, id est in numero familiarium. Qui-
bus libris, & Rotulis ad probandum affirmatiuam,
seu negatiuam familiaritatis plurimum solet de fer-
ri. *Paris. consil. 136. nume. 32. lib. 4. Menochius præsum-
ptio. 78. numero 3. ad finem. versic. sic respondit. libro 2.
Put. decisione 411. numero 1. libro 1. Simonett. vbi supra.
numero 15.* & dixit Rota in Comen. Beneficij 18. Mar-
tij 1596. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio, & in
Hispalen. Beneficij 7. Martij 1604. coram Reuerendiss.
Bononien.

7 Quibus non fuit visum obstare deducta per D. Fran-
ciscum. Et primo quod Simon esset familiaris Cardi-
nalis ante annum 1598. & ideo D. Franciscus habeat
fundatam intentionem in præsumptione iuris, quod
etiam esset familiaris de anno 1599. quęstiones sibi fuit
collata hæc portio, quia probato initio præsumitur
continuatio, vt in indiuiduo fuit dictum in illa Par-
men. Canonicatus coram Gipsio, & tradunt Gambar.
Sarnen. & Simonett. supra allegati. Hoc enim cessat
ex ibidem deductis, si quidem de anno 1598. dicta fa-
miliaritas fuit dissoluta, nec constat vlterius illam
fuisse renouatam, prout D. Franciscus tenebatur pro-
bare ex traditis per *Sarnen. in d. reg. de benefic. vacan. per
obit. fam. Card. quæst. 13. num. 4.*

8 Non obstant testes examinati pro parte D. Franci-
sci, qui dicunt Simonem de tempore prouisionis, scili
cet de anno 1599. ante, & post fuisse familiarem, & cõ-
tinuum Commensalem Cardinalis. Summario *nu. 1.* &
comprobantur ex alijs testibus de eorum iudicio, &
de publica voce, & fama, *n. 2.* nec non ex testibus exa-
minatis in lite per ipsum Simonem intentata pro sa-
lario vsque ad obitum Cardin. *nu. 3. & 4.* Omisso enim
quod aliqui ex prædictis testibus sunt sibi contrarij
dum alij dicunt ipsũ remansisse Hispali de anno 1598.
cum alijs famulis non licentiatis in domo Cardinalis
cum portione, & salario, alij vero negant, & quod te-
stes in causa salarij fuerunt examinati inter alios, &
omissis alijs exceptionibus contra illorum dicta, de
quibus hic per Informantes pro Gaspare. In isto con-
cursu DD. existimarunt potiùs esse standum testibus
eiusdem Gasparis, qui deponunt contra familiarita-
tem, quia sunt plures numero, reddunt meliorem ra-
tionem, & vt colligitur ex eorum depositionibus vi-
dentur melius informati, & melius distinguere tẽpo-
ra, & habent concomitantiam Rotulorum, & libro-
rum Cardinalis, & damniculantur ex notulis colla-
tionum, vt supra late fuit dictum in discursu.

9 Non obstat *decis. Paleot. 619. nu. 6. & 7. p. 3. lib. 3. diuers.*
Vbi quod hi libri non sunt de substantia ab proban-
dam negatiuam familiaritatis, cum possit quis esse fa-
miliaris, licet non comedat in Tinello, vt puta quia re-
cipit portionem in pecunia, vel eam habet extra do-
mum Cardinalis. *Sarnen. d. q. 13. nu. 7. vers. est tamen vlte-
rius. Simonet. q. 35. n. 23. Menoch. cas. 201. n. 118. & cas. 522. n.
5.* Et quia in scribendis libris potuit esse error Scri-
bentis, qui omiserat scribere, quia illa decisio Paleotti
non negat, quin ex huiusmodi libris possit probari
familiaritas, sed quod illi non sunt de substantia ad
eam probandam cum alijs etiam modis possit illa pro-
bari. Et quia Scribens per errorem potuit omittere,
in his autem libris fere omnes testes dicunt, quod qui
nõ erat descriptus non habebatur pro familiari, quod
etiam deponunt aliqui ex testibus D. Francisci, ita
quod de substantia probationis, iuxta stylum Cardi-
nalis hęc scriptura videretur esse necessaria ad *gl. in c.
1. §. postquam verbo in scriptis, de censib. in 6. & non solum de
mense August. an. 1608. & seq.* vsque ad obitum Cardina-
lis, dictus Simon non fuit descriptus in libris vti fa-
miliaris, quo casu posset intrare possibilitas non des-
criptionis ob errorem, de qua in *decis. Paleot.* sed etiã
fuit adnotatum in dictis libris, quod ei fuerat dempta
portio, & quod in oppido Madriti fuit sibi data per
aliquot dies non vti existenti de numero familiariũ,
ita quod non possibilitas omissionis, sed certitudo
scriptionis attendi debeat.

10 Idque eo magis est dicendum, quia cum dictis libris
se conformant testes Gasparis Summario *n. 2.* & signã
ter Primus super primo, & secundus, tertius, quartus,
quintus, sextus, octauus, nonus, duodecimus, & deci-
mus quartus, super tertio, qui deponũt, quod licet in
oppido Madriti Simon habuerit stantiam, & partem
in domo Cardinalis, hoc tamen fuit per spacium tan-
tum 24. dierum, & non illa habuit vti familiaris Car-
dinalis, sed tanquam hospes, & quod ob hanc causam
finitis ditis 24. diebus Simon redijt Hispalim, nec Va-
lentiam se contulit associando Cardinalem, prout fe-
cerunt alij familiares, & tam testes prædicti, quam
ceteri ipsius Gasparis in sola ratione librorum non
constituunt fundamentum exclusionis familiarita-
tis, sed etiam quia Simon desiijt inseruire officio, ad
quod fuerat destinatus, vt supra dictum est.

11 Preterea licet libri, & Rotulus non sufficiãt pro ple-
na probatione in hac materia, negari tamen non põt
quin magnam faciant præsumptionem, adeo quod iũ-
ctis adminiculis plene probent, vt ex *Put. d. decis. 411.*
tradit Simonet. vbi supr. & firmauit Rota in dicta Co
men. Beneficij, coram bon. me. Card. Pamphilio. & in
dicta Hispalen. Beneficij, coram Reuerendiss. Bonon.
quæ adminicula hic concurrunt. Cum enim Cardi-
nalis esset solitus in collationibus beneficiorum fa-
ctis eius familiaribus facere mentionẽ de familiarita-
te ratione, de qua hic per testes, hac mentione nõ fuit
vsus

visus in collatione facta Simoni, argumento dempto ab visu patrisfamilias *l. hæredes palam. §. sed etsi notan. ff. de testam. leg. si seruus. §. fin. ff. de leg. 1. cum aliis per Mandos. in proem. reg. q. 2. num. 4.* prout de dicta consuetudine conferendi cum hac enunciatiua familiaritatis, & quod in hoc adhibeatur magna cura, & diligentia deponunt testes eiusdem Gasparis Summario, num. 6. Et de hac diuersitate inter collationem Simonis, & alias patet ex ipsis collationibus Summar. nu. 7. & 8. Deducitur quoque aliud adminiculum, ex eo quod vestes lugubres tempore obitus Cardinalis nō fuerunt datæ Simoni, sicut fuerunt datæ ceteris familiaribus, vt deponit Primus testis super tertio ex primis, & hic per Informantes pro Gaspare, Vltimo concurrit publica vox, & fama, de qua deponunt omnes testes Gasparis Summario. nu. 3. quod Simon à prædicto an. 1598. quo fuit licentiatus à Cardinali vsque ad obitum illius non fuit eius familiaris, quæ ex abūdanti dicuntur, cum vt supra ostensum fuit, testes de certa scientia, & de visu plene, & concludenter probent hanc distractionem, & dissolutionem familiaritatis.

12 Et licet aliqui ex dictis testibus deposuerint contrarium in causa Salarij, tamen illis semotis adhuc remanent tot testes, qui sufficiunt pro exclusione reseruationis, & contra prætensionem Salarij multum facit declaratio ipsius Simonis in testamento, in quo remisit hæredibus Cardinalis illam suam prætensionem, quod potuit euenire ex agnatione bonæ fidei. Et ita conclusum pro maiori parte, non constare de familiaritate Simonis.

R. P. D. DVNOZETTO.

Calciaten. Decimarum. Veneris 2. Maii 1614.

ARGVMENTVM.

Gratia per solam signaturam supplicationis ex solo verbo Papæ dicitur perfecta, & an, & quando supplicantem penitere possit ante expeditionem literarum beneplaciti Apostolici.

SVMMARIVM.

Supplicationem si quis porrexerit super confirmatione concordiæ post illius expeditionem, non potest amplius eum pœnitere. nu. 1. & 4.

Supplicatio, & gratia per solam Signaturam, & etiam solo verbo Papæ dicitur perfecta, etiam literis non expeditis. num. 2.

Transactio, & concordia super decimis sine auctoritate Papæ fieri non potest. nu. 3.

Pœnitentia numquid locus sit ante expeditionem literarum beneplaciti Apostolici. nu. 4.

Declaratoria contra non parentem literis Apostolicis numquam datur sine contumacia. num. 6.

DECISIO DLXXXV.

1 Rota vtraque parte informante censuit supplicationem signatam pro confirmatione concordiæ initæ inter Decanum, Capitulum, & litis consortes, ac monasterium D. Mariæ della Estrella supe solutione decimarum, esse relaxandam, non obstante contradictione Capituli, ea præcipue ratione, quia post obtentam confirmationem non est locus pœnitentiæ. *Rot. diuers. dec. 810. par. 3. diuer.* Fuitque dictum in vna Bononien. transactionis. 5. Decembris 1607. coram R. P. D. meo Decano, & alias sæpe.

2 Non obstat, quod dicitur alias literas expeditas non fuisse, quia cum supplicatio porrecta de mandato vtriusque partis fuerit signata per solam signaturam Gratiæ fuit perfecta. Solo enim verbo Papæ perficitur. *cap. quidam. & ibi Butr. num. 10. Imol. num. 8. de renunc. Cassad. dec. 1. eod. tit. num. 6. vers. si prius. Caputaq. dec. 88. par. 3. Put. dec. 94. num. 2. lib. 2. Sarn. in reg. de infirm. q. 18.* Expeditio enim literarum requiritur solum, vt possit ad expeditionem gratiæ procedi non autem ad illius substantiam, aut perfectionem. *Rot. dec. 87. num. 3. & seq. de rescript. in antiq. Cassad. decis. 4. nu. 2. de caus. poss. & propr. Caputaq. dec. 301. nu. 4. p. 3.* & licet supplicatio ante registrationem possit per Papam lacerari, ex eo tamen non sequitur esse locum inter partes penitentiæ post signaturam supplicationis si per Papam non laceretur.

3 Et hæc eo magis Domini admittenda censuerunt, quia agitur de Concordia super decimis, que sine Papæ auctoritate interdicitur. *cap. 2. & ibi Abb. & DD. de transact. Rebuff. de decimis. q. 13. nu. 16. 20. & 26.* Vnde posset dici, non esse locum penitentiæ, etiamsi supplicatio nondum esset signata. *Alex. consil. 40. num. 1. lib. 5. Paris. cons. 1. num. 129. & seq. lib. 1. Cephal. consil. 91. num. 9.*

4 Nec obstat regula de consensu, & quod late ab Informantibus pro Capitulo deducitur, ante expeditionem literarum Beneplaciti Apostolici locum esse penitentiæ, hoc enim procedit in beneficialibus, aut in materia super qua non licet transigere sine placito Sedis Apostolicæ, *vt Put. dec. 343. lib. 1. in nou. impress.* Et fuit decisum in dicta Bononien.

5 Quæ proponuntur circa nullitatem, & enormem læsionem, non respiciunt supplicationis relaxationem, neque impediunt literarum expeditionem, quinimo læsio prætensa præsupponit concordiam, quæ si ex capite nullitatis, aut læsionis rescindenda sit, hoc particulari dubio examinandum esse Domini existimauerunt, præcipue, quia causa nullitatis dictæ Concordiæ mihi causa commissa reperitur, semperque opponi potest de lesione, aut nullitate etiam literis expeditis.

6 Ex his resultat dec. secundæ partis dubij, an esset danda declaratoria contra monasterium ob non paritionem mandati de manutenendo relaxati ad fauorem Capituli, nunquam enim conceditur declaratoria sine contumacia. *Oldrad. cons. 277. Cassad. dec. 12. de rescript. dec. 2. nu. 2. & seq. de pens.* Et fuit sæpe decisum. Sed hic nulla potest considerari contumacia, dum monasterium obtulit separatum soluere decimas, iuxta formam concordiæ, in quo fuit renunciatum liti *ad trad. per DD. in cap. 1. de transact. Mohed. dec. diuers. 3. eod. tit. vel saltem non potest negari, quin concordia præbuerit legitimam causam non parendi. Oldrad. d. consil. 277. Rot. diuer. dec. 77. num. 1. par. 1.* Et ex his fuit decisum dandam esse supplicationem, & non esse relaxandam declaratoriam.

R. P. D. VBALDO.

Romana pecudum. Veneris 2. Maii 1614.

ARGVMENTVM.

Huius decisionis argumentum ex his, quæ in Summario scripta sunt, facile sumi potest.

SVMMARIVM.

Dictio iuxta secundum quod stat relatiue ad præcedentia. num. 2.

Dictio franca idem importat, quod dictio libera. numero tertio.

Libere aduerbium significat sine diminutione. numer. tertio in fin.

Administrator tenetur conficere librum Administrationum, nec sufficiunt folia, & lista. nu. 4.

Probatio vt releuet debet esse concludens, & necessaria. numer. quinto.

Testes non debent iudicare, sed sigillatim deponere, n. 6.

DECISIO DLXXXVI.

1 POst factam decisionem in hac causa die 2. Decembris præteriti, in qua fuit dictum, standum esse in totum relationi Domini Bernardini Periti de consensu partium, & de mandato Rotæ electi, cœpit prætendere Dominus Cosmus, particulam dictæ relationis esse ad sui fauorem, quatenus in ea dicebatur, quod peritus reperiebat creditorem Cosmum in summa Scutorum 758. 90. iuxta computum datum ab ipso Cosmo, & cum ex aduerso contenderetur, immo dictam partitam fuisse à perito reiectam, ideo vt trique parti satisfacerem, Dubitaui, an dicta partita esset ponenda ad creditum Cosmi, & circa alias partitas esset recedendum à decisione prædicta.

2 Et Domini quo ad primam partem dubij negatiue responderunt, licet enim secundorum computorum Cosmi peritus referat illum esse creditorem in prædicta summa, tamen postea subiungit hæc verba. Et *per non potere io cauare vn conto chiaro giustificato, son di parere, che detto Cosmo sia condennato à pagare per questi quattro anni fin à questo giorno baiochi* 40. *per ciascuna pecora, & capra franchi d'ogni spesa*. Ex quibus verbis apparet, dictam partitam, vel fuisse reiectam, vel non approbatam à perito, tum quia ipse se simpliciter refert ad computum Cosmi, ibi, Secondo il conto dato da Cosimo, quæ dictio stat relatiue. *cap. Abbate. §. præterea. vbi gloss. de verb. signif. Alex. cons. 81. num. 8. lib. 6.* & sic denotat potius prætensionem Cosmi, quam approbationem periti.

3 Tum quia cum condemnauerit Cosmum pro illis quatuor annis, quibus rationem saltem legitimã suæ administrationis non reddidit, vt debeat pro quolibet pecudis capite soluere quatuor Iulios franchi d'ogni spesa, videtur reiecisse dictam partitam à Cosmo prætensam. Neque enim dicti quatuor Iulij vllo modo dici possent franchi d'ogni spesa, si esset habenda ratio ad creditum Cosmi expensarum contentarum in partita, de qua agitur. Dictio enim illa (franca) idẽ importat, quod liberum. *Oldrad. cons. 234. nu. 2. vers. huius autem verbi*, quem sequitur *Bald. in cap. 1. nu. 17. de Capit. qui cur. vend. in vsib. feud. Bertazzol. claus. 30. gl. 10. nu. 2.* Libere autem significat sine diminutione *Io. Andr. in cap. 1. num. 2. in verb. libere. de reg. iur. in 6. Bertazzol. vbi supra. in principio.*

4 Nec visæ sunt facere pro iustificatione dictarum expensarum scripturæ, & testes ex aduerso dati, quia Cosmus tenebatur conficere librum rationum, & folia, & listæ non sufficiunt pro ratione reddenda, iuxta *Bald. cons. 152. sub nu. 1. post med. vers. ex his igitur. libr. 3. Gabr. cons. 148. num. 5. lib. 1. Alex. in addit. ad Bar. in l. nuda ratio. ff. de donat.* quem sequitur *Mandel. cons. 241. nu. 10.* & fuit firmatum. in dec.

5 Libri publicæ Annonæ, seu Dohanæ, ex quib. prætenditur probari quantitatem hædorum, agnorum, & lanæ, quæ fuit ad vrbem delata non probant negatiuam, quod maior quantitas non fuerit per Cosmũ percepta, cum potuerit vendi extra Vrbem, & tamen probatio debet esse concludens, & necessaria. *capit. in præsentia. de probat. l. neque natales. C. eod. tit. Rota decis. 506. nu. 3. par. 1.*

6 Testes vero nec videbantur probare intentionem Cosmi, tum quia debebant sigillatim deponere de fructuum, & impensarum quantitate, non autem iudicare, prout faciunt de lucro, vel amissione. *Aym. cons. 41. nu. 4. & cons. 134. nu. 43. Rot. dec. 107. nu. 33. par. 2.*

7 Tum quia nonnulli ex his fuerunt Vergarij Cosmi & principaliter interessati, cum non retinuerint librum rationum, iuxta stylum aliorum Vergariorum, & sic tractant de se exonerando. Alij non deponunt de omnibus fructibus, vt tertius, quartus, quintus. Et quo ad impensas valde mouebat Dominos, quod vt dicit peritus non potest videri earum computus, cum Cosmus emerit alias oues, & commiscuerit cum pecudibus Dominæ Veronicæ. Vnde & herbæ emptæ, & aliæ impensę potuerunt deseruire etiam pro pecudibus proprijs Cosmi, quæ tamen omnes ponuntur ad debitum Veronicæ.

6 Vltra quod ratione herbarum vigebat aliqua suspicio propter partitam Scutorum 516. quam Cosmus ponit se soluisse Communitati Ciuitatis Castellanæ, & tamen fuit ostensum, fuisse solutam longe minorẽ summam. Quo ad alias duas partitas nihil videbatur Dominis deduci de nouo, quod releuaret, & ideo ex prædictis, & alijs consideratis per Informantes à decisis recedere noluerunt.

REVER. P. D. MANZANEDO.

Viterbien. Bonorum. Veneris 2. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

Renunciatio facta à filia femina ante ingressum in monasterium ad fauorem fratrum fratribus defunctis, an & quando transeat ad hæredes dictorum fratrum, an vero ad monasterium, & quid si fuerit renunciatum bonis fideicommisso subiectis.

SVMMARIVM.

Renunciatio hæreditatis facta à sorore in fauorem fratrum nõ expirat morte dictorum fratrum, sed transit ad eorum hæredes quando fuit facta in vim pacti, & donationis irreuocabilis inter viuos. nu. 1.

Contractus omnes regulariter transeunt etiam in hæredes, & successores. nu. 2. & 3. Vbi præsertim quando adest clausula Et cetera, apposita post verbum acceptantibus. Item quando adest clausula in perpetuum. ibid.

Clausula Et cetera, & clausula in perpetuum facit, transire contractum, & dispositionem ad hæredes, & successores. num. 3.

Renunciationis causa cessante, quando cessare censeatur ipsa renunciatio. nu. 4.

Renunciatio facta à filia femina fratribus, quando censeatur facta causa conseruandæ agnationis, vel potius propter ingressum religionis. nu. 4. & seqq.

Causa finalis dicitur illa, sine qua aliter quis non fuisset dispositurus. nu. 4. & 5.

Causa in dubio potius præsumitur impulsiua, quam finalis. num. 5.

Donatio præsumitur ratione coniunctionis. nu. 5.

Cessante causa impulsiua non cessat effectus. nu. 6.

Causa vna ex pluribus cessante non cessat effectus. n. 7.

Femina nata ex masculis de agnatione, licèt sit nupta dicitur de agnatione, & familia. nu. 8.

Monasterium nihil potest prætendere de bonis illius, qui in Religionem ingressus est, & ante ingressum eadem bona alteri donauit. nu. 9.

Fideicommissum purificatum post emissam professionem illius qui monasterium ingressus est, an transeat ad monasterium non obstante renunciatione facta ante ingressum. num. 10.

DECISIO DLXXXVII.

1 DVbitaui, an renunciatio facta à Portia, nunc sorore Annæ Mariæ ad fauorem fratrum expirauerit, & quatenus duret, An obstet monialibus Sancti Dominici. Et quo ad primam partem dubij, Domini negatiue responderunt, nam licèt Paulus, & Ludouicus, ad quorum fauorem Portia renunciauit

ciauit mortui fuerint. Attamen quia renunciatio fuit facta in vim pacti, & donationis irreuocabilis inter viuos etiam illis vita functis non expirat, sed transit ad heredes donatarij, iuxta opinionem Rotæ, de qua testatur *Achil. dec. vnic. de donat. Put. decision. 274. numer. 4. & seq. lib. 3. Mantic. de tacit. & ambig. libr. 12. tit. 21. num. 20.*

2 Quod facilius procedit in casu nostro, in quo renunciatio comprehendit, etiam dictorum Ludouici, & Pauli hæredes, licet de illis non fuerit facta specialis mentio, cum in contractibus regulariter cēseatur stipulatum etiam pro hæredibus, & successoribus, *l. veteris, C. de contrahen. & committen. stipul. Ias. cons. 217. nu. 2. & seq. lib. 2. Tiraq. de retract. conuent. §. 1. gl. 6. nu. 1. Surd. dec. 322. nu. 36. & seq. Menoch. cons. 335. nu. 42. Rot. dec. 682. num. 4. par. 1.*

3 Præsertim concurrente clausula, Et cetera, apposita post verbum, Acceptantibus, &c. quæ extenditur pro se, hæredibus, & successoribus. *Rot. decis. 393. in princ. p. 1.* Item clausula (In perpetuum) quæ facit transire dispositionem ad hæresides *Iacob. Berret. cons. 81. num. 9.* cum alias non daretur perpetuitas. *Oldrad. cons. 226. num. 3. in fin. Paris. cons. 26. num. 46. lib. 3.* Item clausula ad habendum, & cetera, quæ in dispositiua apposita operatur eundem effectum. *Rol. cons. 55. nu. 37. lib. 3. Bero. cons. 63. num. 11. lib. 3. Borgn. decis. 36. num. 17. lib. 2.*

4 Quibus non obstant renunciationem fuisse factam fauore agnationis, & ideo cum per mortem Pauli, & Ludouici sine filijs cessauerit causa finalis renunciationis, cessare debeat, & ipsa renunciatio, tanquam illius effectus, *l. in omn. ff. de adopt. cum alijs.* Quia fuit responsum, causam finalem dictæ renunciationis potius fuisse Religionis ingressum, vt patet ex proœmio ibi Quæ quidem Illustris. D. Portia D. Locumtenenti animum suum patefecit, ac se diuino afflatu deliberasse Deo dicare, &c. ex quibus verbis clare colligitur, quod illa deliberans de Religionis ingressu, & paupertatem eligens, bonis, & hæreditati renunciauit, ea ex causa, quia Religionem profiteri volebat, alioquin perfecto si credidisset remanere in sæculo, vel ad illud redire, talem renunciationem non fecisset. Vnde hæc causa vere, & proprie dicitur finalis. *Natt. cons. 609. nu. 10. & seq. Crau. cons. 142. num. 9.* & in indiuiduo quod religionis ingressus sit causa finalis in similibus renunciationibus, voluerunt *Socin. cons. 183. nu. 3. libr. 2. Dec. cons. 86. col. 4. vers. quantum vero ad portionem hæreditatis. Couar. in c. quamuis. par. 3. §. 2. num. 4. vers. 3. ratio. de pact. in 6. Barz. decis. Bonon. 25. num. 68. versic. sicut est in proposito.*

5 Causa vero conseruationis agnationis fuit impulsiua, cum talis in dubio præsumatur, ad tradit. *per gl. in l. 2. §. fin. & ibi Bart. ff. de donat. Alber. nu. 3. Roman. n. 2. Bald. in l. generaliter. num. 5. vers. sed in dubio. C. de episc. & cleric.* Maxime, quando non constat, quod disponens aliter non fuisset dispositurus, *Crau. d. cons. 142. num. 9. Cephal. cons. 81. n. 9. & seq.* prout in casu nostro in quo etiā remota causa conseruationis agnationis Portia nihilominus verisimiliter dictam renunciationem fecisset, tum propter sanguinis coniunctionē, cum Ludouicus, & Paulus essent fratres sibi vtrinque coniuncti. *l. cum rem alienam, C. de legat. l. illud, C. de sacros. eccl. Dec. cons. 120. col. 3. vers. quia respondetur. Cephal. vbi sup. n. 12. Barz. d. dec. 25. nu. 70.* Tum etiam, quia ei fuerunt à dictis fratribus promissa annua Scuta 30. & remanebat dotata in Scutis 400. *Socin. cons. 34. num. 5. lib. 4. Barz. vbi supr. nu. 73.*

6 Videtur ergo dicendum, quod Portia intendens ad Religionis ingressum, ac ibi optime de condecentibus prouisa ad fauorem fratrum dictam renunciationem fecisset non habita principaliter ratione ad cōseruationem agnationis, quę potius fuit causa impulsiua ex supradictis, & ideo licet cessauerit non tamen propterea cessat effectus renunciationis, *Bald. in dict. l. generaliter, nu. 5. Cephal. d. cons. 81. nu. 8. Tiraq. in tract. cessante causa in 1. limitat.*

7 Vlterius posito, quod agnationis conseruatio fuisset causa finalis prout non est ex supradictis; Tamen illa non fuit sola, cum concurrent, aliæ supra relatæ nempe sanguinis coniunctio, congrua dotatio, & Religionis ingressus, quę suum debitum effectum fuerunt sortitæ. Vnde succedit regula, quod quando plures causæ considerantur, vna deficiente si aliæ durent non cessat effectus. *§. affinitatis, Instit. de nupt. Tiraq. vbi supra limit. 22. num. 1. Natt. consil. 14. num. 6. Osasch. decis. 118. num. 6.*

8 Vltra quod neque potest dici in casu nostro per mortem Pauli, & Ludouici sine filijs cessare conseruationem agnationis, cum adhuc supersit D. Catherina soror illorum, & Portiæ, quæ licet sit nupta, cum sit nata ex masculis dicitur de agnatione, & familia, *l. voluntetis, C. de fideicomm. Socin. cons. 227. nu. 4. in fin. lib. 2. & nu. 5. Paris. cons. 35. nu. 5. in fin. libr. 3. Cephal. cons. 53. num. 86. & 87. Gabr. cons. 195. nu. 3. libr. 1. Peregr. de fideicomm. art. 14. nu. 37.*

9 Et ex his inferebant Domini ad resolutionem secundæ partis dubij, nempe d. renunciationem obstare Monialibus Sancti Dominici, cum enim renunciatio non expirauerit, sed adhuc duret ex supradictis, videtur exclusum monasterium, cui nullum ius competit, nec defertur in his rebus, quæ Monachus ipse ante ingressum renunciauerit, *ad text. in capit. si qua mulier 19. quæst. vltima, authent. nunc autem, Cod. de episc. & cleric. Couarr. dicto cap. quamuis part. 3. §. secundo, num. quinto, in fine,*

10 Nec obstat, quod nos versemur in bonis subiectis fideicommisso purificato post emissam professionem quo casu monasterium potest agere, non obstante renunciationem, ex *Corn. cons. 272. lib. 3. Ruin. cons. 204. lib. 1.* & alijs allegatis per Informantes.

Quia contrariam opinionem amplexi sunt Domini in præsenti casu, tanquam magis communem, vt testatur *Cou. vbi sup. §. 2. nu. 3. vers. contrariam, &c.* quam tenueruut *Bart. in l. fin. num. 7. & ibi Bald. num. 14. & Purpur num. 171. Cagnol. num. 207. versic. melius est itaque. C. de pact. Dec. consil. 31. in fine. versic. tamen. ista disputatio. Mencich. de success. creat. part. prima, libr. secundo, §. 18. num. 93. & sequent.* hanc dicens veram, & magis communem.

11 Ceterum, quia pro parte Monialium dicebatur bona fideicommisso subiecta non comprehendi sub dicta renunciatione, ideo Domini quo ad secundā partem dubij dicerunt, prædictam renunciationem monasterio obstare, quatenus comprehendat bona dicti fideicommissi, de qua comprehensione voluerunt particulariter videre.

DECISIO DLXXXVIII.

Venetiarum donationis. Lunæ 5. Maij 1614.

Impressa apud Buratto.

DECISIO 47.

R. P. D. PAMPHILIO.

Meliten. Nauis. Lunæ 5. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

Emptor primus, qui rem emptam alteri vendidit, si vendita res fuerit euicta secundo emptori, an, & quan-

quando agere possit contra primum venditorem de euictione, si à secundo emptore, cui res euicta fuit non molestatur.

SVMMARIVM.

Sententia præsumitur valida, vbi ex reuolutione processus constat de iurisdictiono, mandato procuræ, de citationibus & alijs requisitis. num. 1.

Emptor qui rem emptam alteri vendidit re euicta à secundo emptore non potest agere de euictione rei emptæ, nisi constito de molestijs sibi illatis à secundo emptore, cui res euicta est, num. 2.

Fallit quando dictus emptor in venditione, quam postea fecit, reseruasset sibi ius in re vendita, donec fuerit de pretio satisfactus, nu. 3.

Emptor de euictione agere non potest, quando nullum damnum passus est, n. 3. in fin. & nu. 4. & nu. 5. Vbi præsertim quando res euicta emptori restituta fuit.

Emptor, qui rem emptam alteri vendidit, quando res, quam vendidit fuit euicta à secundo emptore, potest agere de euictione contra primum venditorem, etiam quod non sit molestatus à secundo emptore, quando promissio de euictione fuit facta non solum primo emptori, sed etiam eius hæredibus, & successoribus, nu. 5.

De euictione agi non potest contra venditorem, cui prius lis intimata non fuit, nu. 6. & nu. 7. Vbi quid si venditor fuit præsens euictioni.

Negatiua probari debet ab illo, qui se fundat in ea, numero 8.

DECISIO DLXXXIX.

1 DIxerunt Domini, sententiam Rotalem esse confirmandam, quia quo ad illius validitatem de ea satis visum fuit constare ex reuolutione processus, in qua apparet de iurisdictione, mandato Procuræ, & de citationibus, cum alijs requisitis, *iuxt. decision. Caputaq. 260. par. 2.*

2 Iustitia vero satis clara colligitur ex decisionibus coram Reuerendissimo Domino meo Damasceno in hac causa factis, in quibus firmatum fuit, Commendatarium Spinulam non teneri de euictione nauis ad fauorem magni Magistri ea præcipue ratione, quia nauis non fuit euicta ipsi magno Magistro, qui emit à Commendatario, & cui Commendatarius promisit de euictione, sed Guisulpho, qui illam emerat à Petro Ioanne, qui à magno Magistro causam immediate habuerat, ideoque magnus Magister, nisi molestias patiatur à Petro Ioanne de euictione contra Commendatarium agere non potest, prout non posset Petrus Ioannes agere contra magnum Magistrum, nisi & ipse molestetur à Ghisulpho, iuxta not. per Scribentes *in l. si pro re. §. si pro euiction. ff. de euictionibus*, cum alijs in decisione adductis.

3 Non releuat, quod magnus Magister vendiderit Nauem Petro Ioanni habita fide de pretio, cum obligatione omnium bonorum, ita vt censeatur etiã sibi reseruasse tres super naui, & consequenter statim secuta euictione agere possit, etiam quod non molestaretur à dicto Petro Ioanne cui vendidit *Bart. & alij in d. l. si pro re. §. si pro euiction. ff. de euict.* quia præter responsiones datas in vltima decisione Reuerendiss. D. mei Damasceni, quæ Dominis placuerunt, fuit etiam dictum, quod Doctores in contrarium allegati loquuntur, quando venditor reseruauit sibi ius in re, quod perijt damno ipsius venditoris propter euictionem subsecutam, iuxta terminos dictæ *l. si pro re. §. si pro euictione, ff. de euictionib.* In casu autem, de quo agitur, licet magnus Magister vendiderit habita fide de pretio, nihil tamen propter euictionem eidem perijt cum possit ad pretij consecutionem agere contra Petrum Ioannem primum emptorem, & ille non possit ei opponere de euictione, non solum, quia molestatur à Ghisulpho, vt supra dictum est, sed etiã quia ab eodem molestari non potest, cum nauis quæ ei euicta fuerit à Commendatario postea restituta fuerit, & propterea cum magnus Magister propter euictionem nullum damnũ patiatur, Sequitur quod euictione contra Commendatarium agere nõ possit ad tradit. per *Doc. in d. l. si pro re, §. 1. vbi Bald. post medium, vers. & isto casu. ff. de euict.*

4 Et ex his cessat, quod Petrus Ioannes sit decoctus, & propterea magno Magistro de dicto pretio satisfieri non possit, quia vltra, quod de decoctione non constat, sufficit in casu isto, quod magnus Magister non patiatur damnum propter decoctionem, quæ prouenerit à facto proprio ipsius, qui habuit fidem de pretio personæ minus idoneæ ad soluendum, ad *text. in c. damnum, de reg. iur. in 6.*

5 Cessat etiam, quod Commendatarius promiserit de euictione ad fauorem magni Magistri hæredum, & successorum, quo casu agi potest etiam si res non sit euicta primo emptori, per textum *in l. vlt. ff. de except. rei vend.* cum alijs deductis in cau sa Mediolanen. bonorum. 14. mensis Ianuarij 1596. coram Illustriss. D. Cardinali Arrigonio, quia præterquam Ghisulphus cui nauis euicta fuerat illam emit à Petro Ioanne non autem à magno Magistro, fuit etiam respõsum, quod modo non agũt successores, sed ipsemet magnus Magister, & tamen postquam Guisulpho nauis à Commendatario restituta fuit, cum cessauerit euictio, nec ipse, nec Petrus Ioannes de ea agere possunt, ad text. *in leg. si vnus, §. idem Iulianus, ff. de euiction. & faciunt tradita per Bartol. in leg. facere posse, in fine. ff. soluto matrimonio.*

6 Præterea, tanto minus de euictione agi potest contra Commendatarium, ex quo non fuit eidem intimata lis, prout intimari debebat, maxime quia euictionẽ euitare poterat, *iuxta text. in l. emptor. l. si controuersia, C. de euict. l. si vnquam in fin. eod. tit.* cum alijs in dictis decisionibus allegatis.

7 Nec subsistit, quod D. Commendatarius fuerit præsens, & consequenter non fuerit necessaria intimatio iuxta notat. *per gl. in l. si dictum. §. si præsenti, Cod. & ff. de euictio.* quia fuit præsens postquam nauis fuerit euicta & sic res non erat integra.

8 Placuit etiam Dominis aliud fundamentum decisionum, quod quatenus magnus Magister agere posset contra Commendatarium ex eo, quia de pretio nauis à Petro Ioanne non fuerit sibi satisfactum probare deberet se fecisse diligentias pro illius consecutione, illud non fuisse consecutum. Cum enim agat cõtra tertium, qui non est ei obligatus soluere, & fundet intentionem suam super negatiua, debet illam probare, *l. in illa stipulatione, & ibi Bar. num. 6. ff. de verborum obligat. Lapus alleg. 94. sub numer. 4. vers. nam si accuso, Pacian. de probat. lib. 5. c. 51. num. 45. & 51.* Et ita decisum ponderatis etiam alijs per Informantes per Domino Commendatario, & in dictis decisionibus deductis, quæ Dominis placuerunt.

R. P. D. REMBOLDO.

Perusina de Fideicommissi de Alphanis, Lunæ 5. May 1614.

ARGVMENTVM.

Dos sorori à fratre constituta, an censeatur data, de bonis paternis, vel maternis.

SVMMARIVM.

Instrumentum facit probationem probatam, num. 1.

Copulæ natura est diuidere pro rata, num. 1.

Ratione

Ratione cessante cessat iuris dispositio. nu. 2.
Extensio de casu ad casum non fit in exorbitantibus, numero secundo.
Pater dotando filiam non exprimendo de quo patrimonio censetur dotasse de suo proprio. numero secundo. Declara vt num. 4.
Necessitatis causa vbi quis aliquid facere tenetur, præsumitur id facere, quantum vrget necessitas, & non plus. numero 3.

DECISIO DXC.

1 DVbitaui de quibus bonis intelligatur dotata Vincentia ad effectum, vt sciri possit, an dicta dos detrahenda sit à fideicommisso, & hæreditate patris in totum, vel pro qua parte, & Domini censuerunt pro dimidio de bonis paternis, & pro altera dimidia de maternis dotatam fuisse. Nam, vt ex publico instrumento, quod facit probationem probatam. *l. cum precibus. C. de probat. Bald. in l. Imperator. num. 8. ff. de stat. homin.* apparet, fuisse promissam dotem Vincentiæ à fratre Ducatorum quatuor millium de bonis paternis, & maternis, præsente, & consentiente matre, Vnde censetur promissa pro dimidia de bonis maternis, Natura enim copulæ est diuidere pro rata, *leg. reos. §. cum in tabulis. ff. de duobus reis. Socin. in l. 1. nu. 40. vers. ex quibus etiam, & ibi Rip. nu. 91. late Barbos. in 4. parte, dicta l. 1. nu. 103. vers. sed his non obstantibus. & num. seq. ff. solut. matrim.*

2 Neque hoc casu obstat dispositio *l. fin. C. de dot. promiss.* quia locum habet in parte tantum, non autem fratre dotante sororem in maiori quantitate quam de iure tenebatur dotare, tunc enim in ea parte, qua fuit excessum, cessat vtraque ratio legis, paterni, scilicet officij dotandi filiam, & affectionis, quam erga illam gerere præsumitur, quæ non solet esse tanta in fratre erga sororem, atq; ideo merito cessare debet iuris dispositio. *l. adigere. §. quamuis. ff. de iure patronat. l. quod dictum. ff. de pact.* maxime quia dicitur exorbitans & non trahen. ad alios casus, vt in simili trad. *Corn. cons. 16. nu. 4. vers. nec sunt termini pares. lib. 3. Menoc. cons. 370. nu. 2.*

3 Et facit, quod quando aliquis tenetur ex causa necessitatis aliquid facere præsumitur id facere quantũ vrget necessitas, & nil vltra. *argum. l. vlt. ff. de exercit. act. Dec. in l. si donatione. nu. 17. C. de collat. & in terminis Soc. d. l. 1. num. 38. & seq. ff. solut. matr. Menoch. d. consil. 370. n. 21.* quod eo magis Domini admittendum censuerunt, quia non agitur de aliquo præiudicio inferendo matri, quæ non est in causa, sed ad effectum impediendi diminutionem fideicommissi, quod per cõstitutionem dotis tam excessiuæ fuisset fere totum euersum, Vnde cum Vincentia dotata fuerit à fratre in Scut. quatuor millibus, quæ dos excedit ad minus in medietate legitimam sibi debitam in hæreditate patris, censeri debes pro altera medietate, de bonis maternis dotata, per supra allegata.

4 Et prædicta bene confirmantur etiam per statutũ Ciuitatis Perusię, dum disponit, quod si pater simpliciter dixerit dotare de bonis paternis, & maternis, non expressa quantitate maternorum, aut paternorũ, tunc intelligitur dos constituta pro dimidia pro bonis paternis, & pro altera de bonis maternis, quæ dispositio visa fuit satis clara, non solum ad effectum exclusionis feminarum ab omni successione, prout in eodem statuto disponitur, sed ad effectum conseruandi bona vinculata cum illud certum sit, quod si bona materna non extitissent, non fuisset constituta dos in tanta quantitate in præiudicium fideicommissi. Et ita Domini resoluerunt cum presupposito, quod mater habuerit bona, in quibus altera medietas dotis Vincentiæ constitui potuerit.

R. P. D. PIROVANO.

Calaguritana de Branteuilla, Veneris 9. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

Ex duobus presentatis coram Ordinario, si vterque fuerit eque idoneus ab examinatoribus reputatus, potest idem Ordinarius vni potius, quam alteri beneficium conferre, & gratificare, nec ab hac collatione da tur appellatio.

SVMMARIVM.

Idonei æqualiter in examine reperti duo, si vnus eorum consequitur beneficium, non potest dici grauatus, nec a collatione potest appellare. nu. 1.
Appellationi censetur renunciatum quando petitur id, quod in sententia pronunciatum est. nu. 2.
Appellatio à decreto examinis eorum, qui ad beneficium idonei, vel non idanei reperti fuerunt, debet esse expressa, & tacita non sufficit, cum huiusmodi decreta habeant vim interloquutoriæ. nu. 3.
Appellatio a collatione beneficij non extenditur ad decretum factum ad examinatoribus. nu. 4.
Ordinarius ex duobus præsentatis ad beneficium æque idoneis iudicatis in examine, potest vni potius, quam alteri gratificari, & vni, & non alteri beneficium conferre, neque in hoc dicitur aliquem grauare. nu. 5. & nu. 7.
Citatio non est necessaria vbi si quis citatus esset, n hil opponere poterat. nu. 6.

DECISIO DXCI.

1 VIsum est Dominis collationem factam ad fauorem Gasparis non fuisse nulla, neque attentatam, præcesserat enim relatio examinatorum in qua tam Gaspar, quam Franciscus fuerunt renunciati idonei æqualiter ad simplicia, & exinde beneficiati vtrumque presentarunt ordinario iuxta formam motus proprij Sanctę memorię Clementis Papę VIII. & procuratores tam dicti Gasparis, quam Francisci institerunt pro collatione, & ideo siue extraiudicialiter, siue iudicialiter prętendatur fuisse processum, quia cessabat grauamen propter rationem equalitatis, non videbatur remedium appellationis posse deseruire. *Osasch. decis. 61. numer. 3. Surd. consil. 334. num. 1. volum. 3.*

2 Et eo minus propter approbationem relationis ex instantia facta pro collatione vigore pręsentationis, quę sola sufficere, ad remouendum omnem appellationis effectum. *Crescen. de procurat. dec. 1. Crau. consil. 158. nu. 3. Menoch. de præsump. lib. 2. præsumpt. 94. Surd. cons. 104. nu. 1.* qui omnes affirmant, appellationi esse renunciatum quando aliquid petitur vigore prioris sententię, vel decreti.

3 Nec responsio data pro Francisco, quod scilicet eadem die, qua petijt sibi fieri collationem petierit fieri nouum examen, quia simpliciter petijt sibi fieri collationem, & ad abundantiorem cautelam etiam fieri nouũ examen, quę reiteratio necessaria non erat pro substantia iudicis gratificationis coram Ordinario, neque quo ad ipsos beneficiatos, cum Franciscus in paritate cum Gasparo fuerit pręsentatus ex quib. sequitur, quod cum à sententia examinatorum non fuerit appellatum, nec decennium ad appellandum prodesse possit Francisco, tam propter approbationem, quam etiam ex eo, quod similia decreta tanquam habentia naturam interloquutorię requirunt ad effectũ de quo quęritur expressam appellationem, vt fuit resolutum

solutum in Calaguritana beneficij de Zurbano 29. Octobris 1608. quarta Nouembris 1609. 13. Ianuarij 1611. coram bonæ mem. Penia, vt inde processus ad institutionem, & collationem dici non possit attentatus.

4 Et quamuis postea fuerit appellatum à collatione, & alijs decretis effectus tamen illius appellationis nō trahitur ad relationem examinatorum, nec ad electionem examinatorum tanquam ad actus iam approbatos & ratificatos, sed sustinetur, quo ad actum collationis quatenus de iure sit admittenda.

5 Ceterum, nec eam esse admittendam Domini existimarunt, quia non datur considerabile grauamen pro Gasparo pro sustinenda appellatione, dum Ordinarius potuit eligere idoneum omissis alijs idoneis, & in hac parte gratificationis iudicium exercere, vt fuit firmatum in Rauennaten. Parochialis 2. mensis Decembris 1591. coram Illustriss. Domino meo Cardinali Arrigonio.

6 Et propterea cessant omnes nullitates, quæ opponuntur contra eandem sententiam respectu omissæ citations, & celeritatis ad iudicandum, quia hæc omnia fuerunt sublata in supradictis Calaguritan. de Zurbano, in quibus fuit dictum, citationem non esse necessariam, quia contra gratificationem nihil poterat opponi, & iudicium contentiosum cessauerat, & factus erat locus voluntariæ iurisdictioni.

7 Vltimo pariter non videtur obstare defectus iurisdictionis Prouisoris non habentis facultatem conferendi iure deuoluto, *cap. fin. vbi DD. ff. offic. Vic. in 6.* Quia ex facto fuit sublata difficultas, dum renunciantur pares, quo ad identitatem, & pares præsentantes, & Prouisor non se adstringit ad ius deuolutū sed addit clausulam, & alias omni meliori modo, ex quibus patet respectu subiecti processus, sequutum fuisse magis iudicium gratificationis, quam iuris deuoluti, & voluisse omni meliori modo valere, quod sufficit. Et ita fuit resolutum.

R. P. D. DVNOZETTO.

Vrbeuetana Bonorum. Veneris 9. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

Statutum Vrbis requirens certas sollennitates in contractu minorum habet locum in quocumque contractu læsiuo, etiam per indirectum.

SVMMARIVM.

Minor prohibitus contrahere sine certis solennitatibus a statuto Vrbis, lib. 1. c. 113. & 151. censetur etiam prohibitus sine dictis solennitatibus contrahere in quocunque contractu læsiuo etiam per indirectum, nu. 1.

Ætas minor probatur per librum Parochi. num. 2.

Minor annorum 18. prohibitus contrahere à statuto sine certa solennitate nec etiam sine dictis solennitatib. contrahere potest, si ad complementum annorum 18. deficiant tres menses, num. 3.

DECISIO DXCII.

1 CVm à sententia extra Rotam lata daretur appellatio, Domini circumscripta exequutione, quæ pro Dominis Marescottis, anno præterito prætendebatur, dixerunt dictam sententiam esse confirmandam tanquam iustam. Fuit enim lata super rescissione contractus concordiæ initæ à DD. Sfortia, & Galeatio in minori ætate constitutis, non seruatis solennitatibus statuti Vrbis, *capit. 113. & 151. libr. 1. de contra. minor.* quæ quidem nullitas locum habet in quocumque contractu læsiuo, etiam per indirectum *Put. decision. 162. num. 2. libr. primo, Crescen. decis. 3. de constitut.*

2 Probatur minor ætas Sfortiæ ex fide authentica Parochi, cuius scriptura recognita fuit per duos testes, iuxta stylum Curiæ, ex qua natiuitate dicitur concludens probatio, *arg. leg. 2. in princip. ff. de excus. tut. Crauett. de antiquit. tempor. par. prima, §. vidimus, & aliunde. numer. 34. Mandos. in regul. 18. quæstio. 10. num. 3. & sequent.*

3 Qua fide stante Domini non dubitarunt clare constare de minori ætate d. D. Sfortiæ. Ipse enim Sacro baptismatis fonte susceptus, est die 17. Septembris 1589. & instrumentum concordiæ, de cuius validitate agitur celebratum fuit die 26. Iunij 1609. sicque deficiunt circiter tres menses adhoc, vt vigore statuti Vrbis d. D. Sfortia maior habeatur, intratque dispositio d. statuti irritans minorum obligationes, factas sine præscriptis sollennitatibus. Minoris enim ætas respicitur de iure ad hunc effectum de momento ad momentum, per text. expressum *in l. 3. §. minores, ff. de minor. facit in l. vsucapione. ff. de diuers. & tempor. præscript.*

4 Quo vero ad Galeatium non aderat difficultas, quia ipse minor ætate est Sfortia fratre primogenito, & partes ipsæ in instrumento enunciant ipsum esse minorem. Ex quibus, vna tantum parte informante, ita fuit decisum.

R. P. D. VBALDO.

Mediolanen. Capellaniæ. veneris 9. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

Ex Summario sumas argumentum.

SVMMARIVM.

Clericus ob non residentiam non potest beneficio priuari, nisi fuerit personaliter citatus, aut si absens erat ter per publicum ædictum requisitus, & per sex menses expectatus, num. 1. & seq.

DECISIO DXCIII.

1 DOmini dixerunt, sententiam de partibus esse nullam. Nam vltra trinam citationem per publicū edictum in loco beneficij, requirebatur etiam quod Hieronymus expectaretur per sex menses, ex quo erat absens, & nunquam fuit personaliter citatus, vt constat ex actis, iuxta tex. & ibi Doct. in c. ex tuę de cler. non resid. Et fuit in terminis resolutum in Torden. Præpositurae 17. Martij 1600. coram Cardinali Seraphino, in impress. dec. 1346. p. 2. quæ fuit confirmata in decisione 1366. eadem par. 2.

2 Quod autem non fuerit expectatum spacium sex mensium constat, quia citatio, siue Monitorium emanauit sub die 24. Septembris 1612. Et sententia priuationis fuit lata. 5. Nouembris eiusdem anni, & sic nimis propere, & festinanter, vt in dicta decisione 1346. num. 3.

3 Prætendebatur etiam iniusta dicta sententia, sed Domini ex capite nullitatis eam reuocandam censuerunt. Et ita fuit decisum Hieronymo solum informante.

REVER. P. D. PAMPHILIO.

Sancti Seuerini Bonorum, Lunæ 12. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

Ex Summarijs sumas Argumentum.

SVM-

SVMMARIVM.

Negotiorum gestor soluens aliquam pecuniarum quantitatem creditori sui principalis, ab eo illam repetere potest, num. 1.

Bona fides non patitur, vt quis habeat rem, & pretium. num. secundo.

Exceptio illiquida non impedit restitutionem certam, & indubitatam. nu. 3.

Causa censetur commissa, quo ad omnes in commissione expressos. nu. 4. & 5.

Maritus supportans onera matrimonij, debet habere vsumfructum dotis. nu. 6.

DECISIO DXCIV.

1 FVit resolutum, Dominam Bartholomæam teneri ad restitutionem Scutorum 1400. quia Domini de Margarutijs promiserunt soluere Domino Alexandro absenti, & Petro eius patri præsenti, & acceptanti pro dote dictæ Bartholomeę neptis Scuta 4500. quorum Scutorum mille ad eam spectare dixerunt pro restitutione dotis Bartholomeæ senioris illius auiæ paternæ, Scuta 1500. pro restitutione dotis Tiburtiæ matris, & reliqua Scuta 2000. pro legato sibi relicto ab auo paterno. Vndę cum in huiusmodi promissione vti extranei, qui non tenebantur dotare, censeantur gessisse negotium Bartholomeæ, & vlterius illius vigore coacti fuerint soluere Petro Scuta 1400. actione negotiorum gestorum, ad illorum restitutionem agere possunt contra Bartholomæam, pro qua soluerunt. *cap. quicunque. 12. q. 4. l. soluendo. ff. de negot. gest. Anchar. cons. 285. num. 4. vers. descendo breuiter. Cardin. Mantica de tacit. & ambiguit. conuent. lib. 17. tit. 8. num. 22. & in istis terminis tradit Surd. cons. 119. num. 26.*

2 Nec obstare, quod Margarutij promiserint dictam dotem eiusque portionem præfatam soluerint intuitu bonorum ipsius Bartholomeæ, quæ adhuc retinentur per ipsos Margarutios, qui propterea non possunt agere ad restitutionem pecuniarum contra Bartholomæam, quia fuit responsum, quod post sententiam Rotalem, in qua propter nullitatem transactionis Domini Margarutij fuerunt condemnati ad restitutionem dictorum bonorum, ipsa Bartholomea obtinuit redintegrari ad omnia eius bona in transactione comprehensa, quæ fuerunt ei restituta, vel saltem non apparet, quod per Margarutios præstetur aliquod impedimentum, quo minus ipsa consequi ea possit, vnde non debet hodie, sub hoc prætextu Bartholomea liberari à restitutione dictorum Scut. 1400 ne hoc modo colludendo cum eius marito, & socero habeat bona, & dotem, contra *tex. in l. bona fides. ff. de regul. iur. cum simil.*

3 Neque releuare, quod Margarutij adhuc retineant prædium nuncupatum, de passatempo, quia vt patet ex decisione super hoc particulariter facta sub die 14. Aprilis præteriti, non constat quod huiusmodi prædium spectet ad D. Bartholomæam, nec quod fuerit in dicta transactione per ipsam renunciatum, & per consequens non potest ipsa Bartholomæa per hanc exceptionem illiquidam euitare dictarum pecuniarũ restitutionem certam, & indubitatam. *ad text. in l. fin. C. de compensat. Socin. cons. 24. num. 36. vers. accedit ad hoc lib. 1.*

4 Minus subsistere, quod Battholomæa non fit nominata in commissione, & propterea in ea non comprehendatur, quia cessat difficultas ex commissione vltimo loco per Margarutios specialiter obtenta ad effectum recuperandi dicta Scuta 1400. in qua fuerunt narrata tam gesta pro parte Petri coram Auditore Cameræ, quam etiam pro parte Alexandri, & Bartholomæi in Rota, & causa super huiusmodi recuperatione fuit commissa in Rota, quo casu censetur in ea non solum comprehensus Petrus, sed etiam Bartholomea, *Rota dec. 12. de rescrip. in nou.*

5 Ad id vero, quod dicta Scuta 1400. fuerint ex decreto iudicis inuestita in locis Montium pro cautione dictorum de Margarutijs, qui prætendebant illa repetere. Placuit responsio, quod non ideo minus Bartholomea tenetur actione negotiorum gestorum illa restituere, postquam Petrus, in cuius ereditũ fuerunt inuestita, non consensit, quod ea restituantur ipsis Margarutijs.

6 Quo vero ad personam Petri, cui dicta Scuta 1400. fuerunt soluta, visum fuit ipsum non posse cogi ad eorum restitutionem, quia legitime ea exegit vigore promissionis sibi factæ cum obligatione Camerali, nec alias gesta per Bartholomæam circa dicta bona possint præiudicare ipsi Petro, qui non petit bona, sed pecunias sibi promissas, ex quibus saltem debet habere vsumfructum, cum onera matrimonij supportet, *iuxta text. in l. si is. ff. de iure dot. Bald. Nouell. de dot. par. 6. priuil. 36. num. 1. vers. nam æquum est, & sub numero secundo, vers. si autem ipse filius.* Et ita fuit resolutum &c.

R. P. D. DVNOZETTO.

Salernitana Contributionis, Lunæ 12. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

Appellatio interponi debet coram iudice, & non coram Notario. Restitutioq; in integrum non impedit executionem rei iudicatæ acceptatæ à parte, & de qua notorie constat in actis.

SVMMARIVM.

Appellatio interposita coram Notario per dimissionem schedulæ appellationis, non dicitur legitima, quia appellari debet coram iudice, & non coram Notario. nu. 1.

Notarius quilibet de stylo Curiæ in absentia Notarij causæ potest rogari de actibus iudicialibus ad referendum eidem causæ Notario. nu. 2.

Restitutio in integrum non impedit executionem rei iudicatæ de qua notorie constat in actis. nu. 3. & 4.

DECISIO DXCV.

1 DOmini censuerunt constare de re iudicata, quæ sit exequenda, cum à sententia lata in Rota non fuerit intra legitimum tempus appellatum, & ita transitum fecit in iudicatum, nec potest dici appellatum fuisse, licet procurator Monialium schedulam appellationis vltima die termini, in manibus Notarij dicatur dimisisse. Debuit enim appellare coram Iudice, & non coram Notario, prout de iure requiritur, *cap. vt debitus. de appellat. cap. cordi. eodem titul. libr. 6. Vestr. in prax. cap. 3. nu. 27. & 57. lib. 7.*

2 Nec excusationes allegatæ à dicto procuratore Monialium visæ sunt Dominis releuantes, cum notorie sit liber accessus ad Iudices, quorum benignitas, & facilitas omnibus Informantibus aditum præbet, & ex stylo Curię, quilibet in absentia Notarij causę, potuit rogari de dicta appellatione ad referendum. De iustitia vero sententię, stante decisione coram R. P. Dom. meo Vbaldo facta, Domini non dubitarunt.

3 Et licet causa restitutionis mihi commissa reperiatur, propterea executio non potest impediri, quia constat ex reuolutione actorum, & ex processu fuisse

acceptatam pro parte Abbatis, & Monachorum rem iudicatam. Nam die 16. Aprilis anni 1613. fuit præfixus terminus Monialibus ad docendum de appellatione, eiusque legitima prosecutione, ad effectum executionis sententiæ cum intimatione, deinde 22. eiusdem mensis, & 10. Maij sequentis, citatus fuit dictus procurator Monialium, ad taxationem expensarum, & relaxationem mandati, seu literarum executorialium tam pro suo, quam pro omnibus contentis in dicta sententia,

4 Quo posito fundamento non retardatur executio petita per commissionem restitutionis in integrum, *Castren. in auth. quæ supplicatio, num. 3. vers. vel dic melius, C. de precib. Imper. offer. Rip. in l. 4. §. condemnatum, num. 30. vers. aliquando petitur restitutio. ff. de re iud. Put. dec. 28. lib. 2. Rota diuers. decis. 346. num. 6. par. 1.* fuit dictum in Bonon. de Ballis 19. Martij 1607. coram Reuerendissimo D. Lugdunen. & latissime, ac doctissime coram R. P. D. meo Pamphilio in Ferrarien. Bonorum 26. Iunij 1613. Ex his vna tantum parte informante, cum procurator Monialium sæpe citatus informare neglexerit, ita fuit decisum.

R. P. D. VBALDO.

Mediolanen. Pensionis. Lunæ 12. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

Ex Summarijs sumas argumentum.

SVMMARIVM.

Argumentum à solitis validum est in iure, nu. 1. in fine.
Prorogatio tenenda potest esse maior primo termino. nu. 2.
Voluntas hominis regulanda est, & præsumitur iuxta potestatem, quam quis habet, num. 2.
Concessum tempore limitato vltra illud tempus censetur prohibitum, nu. 2.
Priuilegium habes aliquid faciendi, si stricte eo vtatur, non potest postea eo vti magis large, num. 3.
Copula Et, debet sumi qualificatiue, & restrictiue, non autem extensiue, quando sumus in gratia præiudiciali, numer. 4.
Copula Et, requirit concursum copulatorum, numero 4. in fine.
Actum quem quis impugnat, vel non implet, ad sui fauorem quis allegare non potest. num. 5.
Res dicitur indiuidua, quando non effert vtilitatem in parte respectu partis, quantam in totum respectu totius, numero 5.

DECISIO DXCVI.

1 PRoposito dubio sub die 15. Ianuarij præteriti, An DD. Beneficiati officiales nuncupati Ecclesiæ Cathedralis Mediolanen. essent immittendi in possessionem exigendi pensionem Scutorum 1000. quam olim S. Carolus Cardinalis Archiepiscopus Mediolanen. ad eorum fauorem reseruauerat super fructibus Abbatiæ Miramundi, quæ præuia eiusdem S. Caroli demissione, perpetuo vnita fuerat authoritate Sedis Apostolicæ, Hospotali maiori Mediolanen. & Dominis Canonicis eiusdem Cathedralis aduersarijs contendentibus, non esse locum dictæ immissioni propter prætensam applicationem de dicta pensione factam ab eodem S. Carolo pro fabrica domorum Canonicalium, & eorundem officialium, placuit Dominis, vt particulariter videretur, an instrumentum Anni 1583. contineret dictam applicationẽ pensionis, & pro quo tempore, & quo ad primam partem fuit resolutum affirmatiue, quia in dicto instrumento legitur S. Carolum deputasse fabricerios ad exigendum dictam pensionem quam eidem fabricæ persolui voluit, & intendit, quæ verba in effectu nihil aliud important, quam applicationem pensionis eidem fabricæ, præsertim cum in Breui fel. recor. Pij Quinti fuit eidem Cardinali concessa facultas deputandi personas, quæ dictam pensionem exigerent, & in dictam fabricam conuerterent, & dictæ facultatis vigore S. Carolus de Anno 1577. expresse applicauerat dictam pensionem fabricæ per quinquennium, intra quod spacium, cum fabrica non esset perfecta, & ipse de potestate sua dubitaret, recurrit, ad fel. recor. Gregorium XIII. qui illud tempus, ad aliud quinquennium prorogauit. Vnde cum de anno 1583. deputauerit fabricerios, vt supra, dubitari non potest quin eodem modo pensionem eidem fabricæ applicauerit arguendo à solitis, *l. vel vniuersorum. ff. de pignor. act. l. Titianus, ff. quod cum eo, cum simil.*

2 Quo ad secundam vero partem, Domini dixerunt applicationem prædictam intelligi factam per aliud quinquennium à die dat. literarum Gregorij, quæ est 18. Martij 1583. tum quia prima applicatio ad eundem terminum quinquennij fuit restricta, & non videtur conueniens, vt secunda prorogatio maior sit primo termino, ad not. *per Bald. in cap. fin. num. 32. de consuetud. Gabriel. de dilation. conclus. 4.* tum quia voluntas S. Carosi regulanda est, iuxta potestatem, quæ sibi à Gregorio XIII. ad quin que tantum annos concessa fuit. *l. Lucius Titius, §. Imperatores, ff. ad municip. c. cum super Abbatia. de off. deleg. Paris. consil. 9. numer. 95. libr. 2. Surd. consil. 431. num. 41. libr. 3.* & concessum ad tempus limitatum, vltra illud non extenditur, *leg. statuliberum. §. Stichum, ff. de leg. 2. leg. 1. §. si mulier. ff. de liber. agnosc. Tiraquell. de retract. conuent. §. 1. gloss. secunda, numer. 46.*

3 Non obstat, quod in Breui felicis record. Pij V. concedatur S. Carolo facultas applicandi pensionem fabricæ ad quinquennium, & plus, & minus arbitrio eiusdem S. Caroli, & quousque fabrica perfecta esset quia respondebatur, quod cũ dicta facultate ad quinquennium tantum vsus fuerit in prima applicatione de Anno 1577. & postea dubitans, ne vigore eiusdem facultatis vlterius terminum prorogare posset, aliam facultatem obtinuerit, ad quinque tantum annos coarctatam credendum est, eum illam viam elegisse, quã tutiorem suę conscientię iudicauerat, & sic quod fuerit vsus secunda facultate sibi ad quinquennium tantum concessa, & facit ad hoc, quod habens priuilegiũ aliquid faciendi, si stricte eo vtatur, non potest postea eo vti magis large, quam fuerit vsus, vt per *Bart. in l. vsum numero secundo, Cod. de aquæduct. libro duodecimo. Alban. ad Bart. in leg. per agrum. num. secunda, Cod. de seruit. & aq.*

4 Respondebatur etiam per nonnullos ex Dominis, quod cum simus in gratia præiudiciali Beneficiatis, copula illa, & quousque fabrica sit perfecta, debet sumi qualificatiue, & restrictiue non autem extensiue, vt latè per *Honded. consilio secundo, numer. 25. & sequ. & consil. 8. num. 48. libr. primo*, adeo vt non videatur posse prætendi, applicationem fuisse factam, quousque fabrica sit perfecta, nisi copulatiue concurrat arbitrium S. Caroli. *Roman. consil. 166. versic. quo ad secundum. Felin. in capit. secundo, num. 21. de rescript.* & ideo cum S. Carolus noluerit arbitrari pro aliquo tẽpore, vt in instrumento deputationis officialium, de quib. agitur, parum refert quod habuerit facultatem arbitrandi vsq; ad perfectionem fabricæ, quia illa copula requirit concursum copulatorum. *l. si hæredi plures. ff. de condit. instit. Put. dec. 193. lib. 1.*

5 Et in supradictam sententiam eo magis Domini inclinabant, quod in prædicto instrumento anni 1583. non solũ pensio beneficiatorũ, sed etiam fructus Caluenzani vniti mensę Capitulari, fuerunt ex eadem fabriceriorum deputatione applicati fabricæ, & tamen post

post transitum ad Cœlum eiusdem S. Caroli, Domini Canonici fructus Caluenzani recuperarunt, & in proprios vsus conuerterunt, ita vt non videatur posse in ea applicatione se fundare contra Beneficiatos, quam ipsi, vel impugnarunt, vel non impleuerunt, *iux. tex. in l. Iulianus. §. offerri. ff. de act. empt.* & faciunt tradita per *Gabriel. conclus. 1. num. 1. de regul. iur.* maxime cum applicatio dictorum fructuum, & pensionis, de qua agitur, videatur indiuidua, tum ex eo, quod non affert fabricæ eandem vtilitatem in parte respectu partis, quantum in totum respectu totius. *Bart. in leg. cui vsusfructus. sub num. 4. ad fin. ver. præterea. ff. de vsufruct. legat. Couarru. lib. 2. var. resol. cap. 16. num. 5. ver. non obstat. cum alijs per Rot. decis. 709. numer. quarto, par. 1. diuers.* tum ex verisimili mente S. Caroli, quem non est præsumendum voluisse grauare solum Beneficiatos. *Put. decis. 323. in fin. lib. 1.* & fuit decisum in Pacen. Parochialis de Talauera. 20. Nouemb. præteriti, coram R. P. D. meo Pamphilio, & ideo dicta applicatio non debet tanquam indiuidua, diuerso iure censeri, *arg. leg. eum qui ædes. ff. de vsucap.* Et ita fuit decisum.

R. P. D. VEROSPIO.

Ferrarien. Pensionis. Lunæ 12. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

Monetæ bonitas, & valor, quando mutatur in solutione facienda, an attendi debeat tempus obligationis, vel potius tempus solutionis.

SVMMARIVM.

Solutio facienda est in illa moneta, quæ reperiebatur tempore celebrati contractus. nu. 1.
Solutio facienda est in moneta currenti tempore obligationis, quando illius mutatio est intrinseca, videlicet minoris ponderis eius, quod erat tempore obligationis. Si vero mutatio est extrinseca, vt quia monetæ valor augeatur, & tunc attenditur tempus solutionis. nu. 2.
Scutum aureum differt a scuto argenteo. nu. 3.
Probatio, quæ non est de actis, habenda non est in consideratione. nu. 4.

DECISIO DXCVII.

1 FVit alias de anno 1591. super beneficio Sanctæ Blancæ Mutinen. Diec. per Simonem Bottanum obtento reseruata Equiti Paulo Leonio pensio Scutorum 45. monetæ Ferrarien. quæ dictum fuit aurea Scuta 42. constituere. Hæc autem pensio diu fuit soluta per Bottanum. Postea vero cum esset moneta Ferrariensis nimis alterata, & per hoc ad supradictã rationem Bottanus recusaret istam pensionem soluere, lite coram iudice deputato introducta, fuit ab illo pronunciatum, d. titularem teneri ad solutionem pensionis hic Romæ in Scutis monetæ Ferrariensis, vel ad eorum valorem de tempore faciendæ solutionis. A qua sententia Bottanus appellauit, & causa mihi commissa dubium proposui super confirmatione, vel infirmatione dictæ sententiæ, quod fuit restrictum, vt videretur. An Scutum Ferrariense esset moneta in specie, vel imaginaria, & super hoc vtraque parte informante, fuit resolutum, Scutum Ferrariense esse monetam in specie. Constat enim ipsum reperiri cussum ante pẽsionis reseruationem ex illius productione, & recognitione in actis facta, nec non ex testibus pro Leonio examinatis deponentibus reseruationis tempore fuisse Scutum argenteum Ferrariense. Vnde sequitur, vel in dictis Scutis faciendam esse solutionem, vel in alia moneta ex qua possint hæc emi, quæ tempore dictæ reseruationis reperiebatur, & fuerunt in obligatione per deducta per *Bart. & DD. in l. Paulus. ff. de solut. Aret. cons. 11. nu. 3. Cagnol. in l. 2. C. de pactis, inter empt. & vendit. Aym. cons. 47. nu. 6. Surd. cons. 220. num. 4. & cons. 406. Grat. cons. 12. num. 44. lib. 1.* & tenuit Rota in vna Narnien. Legitimæ 13 Aprilis 1581. coram Cardin. Seraphino in Romana pecuniariæ Sancti Celsi 27. Ianuarij, coram bon. mem. Penia, & in alia Romana aureorum octo Zeccarum. 20. Iunij 1597. coram Illustrissimo Lancellotto, & alibi sæpius.

2 Vlterius in ista materia proceditur cum distinctione, Diuersum enim statuitur in intrinseca, vel extrinseca monetæ præmissæ bonitas immutetus. Primo enim casu, quando videlicet moneta facta fuisset minoris ponderis, tunc ne alter contrahentium damnũ recipiat tempus obligationis est inspicien. si vero sit immutata bonitas extrinseca, quia verbi gratia Scuti valor, qui tempore obligationis erat centum solidorum ad centum, & decem ascenderit, vel ad nonaginta fuerit diminutus, isto casu debet solutionis tempus attendi, quam distinctionem *trad. Bart. n d. l. Paulus. nu. 6. de solut. & eam communiter sequuntur DD. & præcipue Aret. d. cons. 11. nu. 3. qui de communi testatur. Tiraq. de retr. lig. §. 1. gl. 18. nu. 26. Gabr. de solut. concl. 1. & 2.* & Rota in causa Foroliuien. census 8. Martij 1612. coram Reuerendiss. D. meo Damasceno, & in Acherontina fructuum 28. Aprilis 1600. coram Illustr. Lancellotto. Modo cum in casu nostro bonitas intrinseca sicuti Ferrarign. mutata non reperiatur, sed illud extrinsece tantum auctum fuerit, quia de nonaginta Bononenis hodie constituitur, cum antea solum ascẽderit ad septuaginta, istud extrinsecum augumentum debitoris damno cedere debet, sicut eiusdem lucro cessisset diminutio ex allegatis.

3 Non obstat pensionem fuisse reseruatam in Scutis monetæ illarum partium, & propterea censeri dictam monetam imaginariam, cum Scuta monetæ non reperiantur, quia cum vere tunc temporis esset, vt dixi, Scutum argenteum videtur adiectum monete verbũ ad differentiam aurei Scuti, quod pariter currebat in illis partibus, & in his terminis loquitur *Cephal. cons. 31. nu. 6. & seq. vol. 1.*

4 Non obstant fides nonnullorum mercatorum Ferrariensium, qui dicunt Scutum monetæ Ferrarien. nõ esse cussum, sed imaginarium, nam vltra quod ista nõ facit fidem, cum præterea non sit de actis, non est habenda in consideratione. *Bald. in l. 2. nu. 19. C. de eden. Soc. in tract. regular. regula 4. in princ.* Ex quibus Dominis visum fuit, dictam sententiam extra Rotam latam esse confirmandam.

R. P. D. VEROSPIO.

Hieracen. prætensi Iuris patronatus. Mercurij 14. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

Attentata pendente appellatione, vel pendente termino ad appellandum, reuocanda sunt.

SVMMARIVM.

Attentata post appellationem reuocanda sunt. nu. 1.
Attentata pendente termino ad appellandum reuocanda sunt etiam quod non fuerit appellatum. nu. 2.
Appellatio datur a sententia institutionis Iuris patronatus. num. 3.

DECISIO DXCVIII.

1 REuerendissimus Dominus Episcopus Hieracen. cum instante suo procuratore fiscali super liber-

libertate beneficiorum, de quibus agitur, pronunciasset, causa per viã appellationis interpositæ per Principem Hieracen. pretendentem in eisdem beneficijs Ius patronatus deuoluta fuit ad Metropolitanum, qui præuia dictæ sententiæ reuocatione non solum pendente termino ad appellandum, sed post appellationem etiam interpositam ad institutionem, & immissionẽ deuenit. Vnde per me dato dubio d. procuratore fiscali tantum Informante, fuit resolutum, constare de attentatis, quæ veniant reuocanda, cum institutio, & inde sequuta pendente termino ad appellandum, & post appellationem fuerunt attentata, & per consequens reuocanda, *cap. non solum de appellat. in 6. cap. post appellationem, 2. quæst. 6. gloss. in cap. dilectis in verbo, exequendam, de appell. Rot. diuers. decis. 6. num. 1. & 2. par. 2. Lancellot. de attentatis par. 2. cap. 11. num. 14. & 16. in fine.*

2 Quod procederet etiam si non fuisset appellatum, quia tanquam gesta pendente termino saltem per viã nullitatis esset reuocanda. *Cæs. de Grass. dec. 2. numer. 5. de appellat. Lap. allegat. 1. Mohed. decision. 150. numer. secundo.* Et fuit dictum in vna Cremonen. Iuris patronatus. 26. Februarij 1607. coram Reuerendissimo Bononien.

3 Nec potest in dubium reuocari, causam ad effectũ attentatorum fuisse appellabilem ex quo Metropolitanus iudicialiter ad institutionem per diffinitiuam sententiam processit, à qua propterea dabatur appellatio. *Lancellot. de attent. cap. 12. limit. 40. num. 10. & limit. 49. nu 4.* Et fuit dictum in Florentina Iuris patronatus de Rirascolis, 28. Aprilis 1606. coram Reuerendissimo Bononien. & coram me in vna Gerunden. Beneficij. 26. Nouembris 1612.

R. P. D. DVNOZETTO.

Maceraten. Census, Mercurij 14. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

Valet contractus mulieris ad ipsius vtilitatem, etiam sine statutarijs solennitatibus celebratus, & quid si in mulieris contractu adhibentur consanguinei remotiores, non vocatis proximioribus.

SVMMARIVM.

Cameralis obligatio exequutioni mandanda est, quando constat de legitimo comparentis mandato, ac de legitimis citationibus, nu. 1.

Deceptis, & non decipientis iura succurrunt, nu. 2.

Proximiores consanguineos si mulier habeat, adhibeatque in instrumento remotiores quis possit hanc nullitatem allegare num. 2.

Minor quando agitur de lucro captando, si se maiorem iurauit, non restituitur in integrum, nu. 2.

Mulier ad sui vtilitatem potest contrahere etiam sine solennitatibus statutarijs, & valet contractus, nu. 3.

DECISIO DXCIX.

1 DOmini vna tantum parte informante dixerunt sententiam latam ab Auditore Cameræ, tanquã validam, & iustam esse confirmandã. Processit enim in exequutione obligationis Cameralis vigore facultatum, & ex reuolutione actorum de mandantis procuræ comparen. ac de legitimis citationibus constat, vt fuit dictum in Mediolanen. Iuris patronatus. 22. Iunij 1609. coram Reuerendissimo Lugdunen. & alias sæpe. De iustitia vero dictæ sententiæ constat, quia iudex mandauit exequi instrumentum, in quo mulier cum decreto iudicis, & consensu consanguineorum cum iuramento contraxerat seruatis solennitatibus statutarijs.

2 Nec potuit retardari exequutio dicti instrumenti iurisiurandi religione vallati, sub prætextu, quod alij proximiores parentes in loco adessent contractus, quia ipsamet dolose cum iuramento asseruerat nullos alios proximiores consanguineos adesse qui à aduersos dolum proprium non est audienda. *Castrens. consil. 53. nu. 3. p. 2. Ruin. in l. 1. §. nunciatio. nu. 211. ff. de nou. oper. nunciat. cum multis allegatis per Oddum. de restit. in integr. q. 83. art. 3. n. 12. 18.* Sicuti dicitur de minore, cũ agatur de lucro captando cum se maiorem esse iurauit, tunc nõ potest beneficium restitutionis in integrum implorare, *l. si alterius. §. si tamen. C. si minor. se maior. dix. Seraphin. priuil. 83. nu. 50. Odd. loco citato. Deceptis enim & non decipientibus iura subueniunt. l. 2. §. verba ff. ad Senatusconf. Velleian. l. si is qui minorem C. si min. se maior. dixerit. c. cum vniuersorum de rerum permutatione.*

3 In quam sententiam eo libentius Domini iuerunt, quia mulier in euidentissimam vtilitatem contraxit. Cum enim esset obligata ad solutionem census annui, qui soluebatur ad rationem decem pro centenario, Vnde cum ipsa dotem, seu patrimonium non distraxerit, infertur etiam non seruatis solennitatibus statuti potuisse licite, & valide contrahere. *Socin. consil. 80. num. 12. volum. 4. Tiraquell. de legib. connub. in verbo De son Maria, glos. 8. numer. 62. per leg. cum hi. §. eam transactionem. ff. de transact.* Ex quibus pro confirmatione sententiæ Auditoris Cameræ fuit capta resolutio, &c.

R. P. D. VBALDO.

Turritana Bonorum. Mercurij 14. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

Ex Summarijs sumas Argumentum.

SVMMARIVM.

Vsusfructus, quem pater viuens habet in bonis filij durat etiam post mortem ipsius filij viuente patre, nu. 1.

Manutentio debetur anteriori possessori, quia posterior possessio clandestina, turbatiua, & non manutenibilis est, numer. 1.

Possessio alicui auferenda non est propria auctoritate, & sine citatione, quando possessor potest deducere aliquod ius impediens possessionis adeptionem, num. 2.

Statutum, & consuetudo differunt inter se. num. 3.

Præsupposito cessante, cessat etiam dispositio in præsupposito fundata, nu. 4.

Pater à luctuosa hæreditate filij excludendus non est, & contrarium voluisse statutum, interpretatio non est facienda. num. 4.

Dominium in contractibus non transfertur sine traditione, numer. 5.

Verb obliqua requirunt factum, & sine facto resolutiua non sunt, num. 6.

DECISIO DC.

1 DOmini censuerunt dandum esse mandatum de manutenendo D. Michaeli, de cuius possessione constat per publicum instrumentum, constante matrimonio inter ipsum, & Antoniam, quæ possessio fuit continuata etiam post mortem vxoris superstite filio infante, ratione legitimæ administrationis, & vsusfructus *leg. cum oportet. Cod. de bon. quæ liber.* qui vsusfructus durat etiam post mortem filij, viuente patre, *leg. vltim. Cod. de vsufruct. cum alijs in decisione huius causæ allegatis, die 22. Aprilis anni præteriti coram me, quibus addi potest. Gomez. ad leg. Tauri 6. num. 11. & seq.*

& seq. Ascan.Clem.de patr.potest.effect.2.num.34.vers.amplia.6.Caualc.de vsufr.mulier.relict.n.180.& consequenter Michaeli, tanquam anteriori possessori debetur manutentio, non autem D. Archiepiscopo, cum ius possessio posterior tanquam clandestina,& turbatiua non est manutenibilis. cap.licet causam.de probat.Rot.diuer.dec.27.nu.7.par.1.& dec.19.nu.1.par.2. & fuit sepissime decisum, & nouissime in causa Regien. beneficij 15. Nouemb. præteriti coram R. P. D.meo Dunozet. Debuit enim citari Michael, qui erat in possessione, quamuis alias vsusfructus finitus esset. Crescen. dec.7. de restit. spoliat. Gabr. c ons. 88. nu. 23. lib. 1.

2 Neque obstare visum fuit fundamentum, quod fiebat pro Archiepiscopo super instrumento dotali, ac statuto cuius vigore prætendit potuisse capere possessionem vti vacuam propria auctoritate. Quia nec in instrumento, nec in statuto legitur permissa talis facultas, sed solum in instrumento dicitur dotem datam fuisse iuxta vsum, consuetudinem, & practicam Ciuitatis Sassaris, & in casu restitutionis Michael promittit restituere dictam dotem. In statuto vero dicitur, quod dos remaneat his à quibus processit. Vnde cum D.Michael potuisset deducere non esse statuto locum in hoc casu,& alia plura,ex quibus forte ostendisset,se non teneri restituere dicta bona,requirebatur omnino citatio,& non poterat sine citatione partis,& ministerio iudicis ab Archiepiscopo propria auctoritate capi possessio,iuxta decisionem Afflict.97. num. 2. & 3. Gabr. d. cons. 88. num. 23. lib. 1. & cons. 67. num. 13. & 17. lib. 2. Bart. in l. creditores. sub num. 14. C. de pignor. & in similibus terminis. Guido Pap. dec. 107. num. 1. Rebuff. de Constit. Regn. gl. 5. num. 64. & fuit dictum in causa Cesenaten. spolij. 22. Iunij 1592.coram bonæ memoriæ Card. Mantica, & per eundem Mantic. de tacit. & ambig. lib. 22. tit. 22. nu. 4. & seqq. quem sequuta est Rota in causa Regien. bonorum 20. Decemb. præteriti coram R.P. D. meo Duzonet, & in causa Romana de Arronij 15. Ianuarij præteriti corã me, vbi aliæ decisiones, & auctoritates cumulantur.

3 Vltra,quod pactum, vel instrumentum dotis non refertur ad aliquod statutum,sed ad vsum, practicam & consuetudinem Ciuitatis, de quibus non constat, & vtique differunt statutum,& consuetudo,iuxt.not. in leg. omnes pop. ff. de iust. & in leg. de quib. ff. de leg.

4 Statutum vero non videbatur intrare, quia sub rubrica de dotibus,& antifato loquitur defuncto patre, non autem superstite, prout est casus noster. Nam ibi in vers. si mulier decederet &c. disponitur,quod moriente muliere sine filijs dotes suæ, & antifatum reuertantur ad dotantes, quæ verba non possunt intelligi,nisi mortuo viro, quo casu est locus antifato,seu lucro dotali,& sic cessante præsupposito antifati,cessare etiam debet illa dispositio, iuxt. not. in leg. mancipia. C. de ser. fugit. cum alijs per Surd. cons. 150. num. 78. libro primo, Vnde cum statutum postea in continenti ponat alium casum,quando mulier reliquerit filium vel filios qui moriantur ante etatem legitimam,quod remaneant proximioribus quibus de iure debentur, debet intelligi retento eodem themate, videlicet præmortuo marito, quæ sane interpretatio videtur rationabilis, ne pater excludatur à luctuosa hæreditate filij, vt eiusmodi statuta esse intelligenda, tradit Vincent. de Franch. decis. 91. numer. 1. & seqq. Capic. dec. 210. numer. primo. Et cessare videbatur difficultas ex alio statuto sub rubric. de filijs decedentibus ab intestato deferente successionem filij ab intestato ipsi patri superstiti.

5 Rursus quo ad pactum, quod Michael dotem habeat,teneat,& possideat,tam, & tamdiu, vel tantum, quousque accidat casus, & locus restitutionis dictæ dotis,& sic cum prætendatur euenisse casum ob mortem filij infantis, videatur dominium, & possessio Michaelis resoluta, & consequenter Archiepiscopus potuerit ingredi possessionem vacantem. Respondebatur, quo ad dominium non posse dici retro translatum per illas dictiones extinctiuas donec, quousq; & similes, quia cum simus in contractib. dominium non videtur posse retro transferri sine traditione leg. ea lege. vbi not. ff. de cond. ob caus. l. fin. C. de reb. alie. non alien. Bart. in l. 1. nu. 16. ff. de cond. & demonstr. Castr. in l. qui absenti. §. 1. circa fin. & ibi Alex. nu. 8. vers. est & alia. ff. de acq. possess. vbi dicit contrarium esse speciale in pacto legis commissoriæ,& addictionis in diem; & & pro hac opinione est auctoritas glos. in l. 1. in verb. mortis causa. vers. & in illis casibus, quam ibi sequuntur Bart. & Cuman. num. 10. Ang. in fin. ff. de donat. de communi, Alex. cons. 10. sub num. 4. lib. 1. Corn. cons. 96. nu. 5. lib. primo,& cons. 102. nu. 19. lib.2. Ruin. cons. 109.nu. 24. vbi de communi. libr. 4. Dec. cons. 299. visa petitione. num. 4. & in l. traditionibus. num. 13. in fin. C. de pact. Tiraq. de retract. conuent. §. 1. gl. 7. num. 16. & in l. si vnquam. in ver. reuertatur. sub nu. 17. vers. sed & illud. Cod. de reuoc. donat. Alciat. cons. 84. num. 6. lib. 8. Iacob. Henric. consil. 1. num. 278. lib. 1. Ferdin. Loaz. in leg. filiusfamilias. §. Diui. num. 173. in fin. in 6. limit. & num. 174. & ibi Rip. num. 88. ff. de leg. 1. Surd. de alim. tit. 8. priuil. 61. num. 7. & alios etiam addit. Modern. de fideicomm. art. 51. sub nu. 82.

6 Et in omnem euentum quicquid esset dicendum de dominio, certe non erat resoluta possessio ipsius Michaelis, iuxta tex. & ibi Bald. in l. dotis. C. solut.matr. quæ tanto magis procedunt, quia verba pacti non erant absoluta, sed statim post supra relata sequuntur alia,videlicet,vt veniente dicto casu restitutionis dotis,Michael teneatur restituere, & reddere pecuniam pro pecunia &c.& sic requirebatur eius factum cum illa sint verba obliqua, Bartol. in l. centurio. num. 45. ff. de vulgar. quem omnes nemine descrepante sequi testatur Odd. de compend. part. 4. in ver. restituat. Vltra, quod hæc omnia quæ dicuntur de statuto, & pacto respiciunt petitorium, vt fuit consideratum in alia dec. 22. Aprilis.

7 Non obstat,quod ipse Michael mortuo filio petierit immissionem,quia obiectum cessabat ex facto, cũ potius fuerit petita manutentio, vt apparet, Tum ex verbis suæ comparitionis,ibi, quia dubitat, ne aliqua persona velit illum perturbare,aut molestara in dicta possessione,aut illum de facto spoliare,& ibi Mandet constituere eum sub protectione, & defensione realium manutentialium, & illarum virtute conseruare in illa &c. tum ex litera Saluaguardiæ rescripta ad dictam petitionem,ibi, Dominum Michaelem conseruetis, & conseruari faciatis in dicta possessione &c. Ex quibus fuit resolutum Michaeli dandum mandatum de manutenendo.

R. P. D. REMBOLDO.

Argentina Commendæ. Mercurij 14. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

Ex Summarijs sume Argumentum.

SVMMARIVM.

Appellatione decreta sententia executioni demandanda est. num. 1.

Auctoritatem in facto proprio quis interponere non potest. num. 2.

DECISIO DCI.

1 Domini dixerunt, inhibitionem non fuisse à Rota sine fraude extortam, quoniam tacitum fuit,

fuit, appellationem à sententia bonæ mem. Gypsij contra Præceptorem, & Conuentum Insulæ Viridis Argentinen. in Rota lata fuisse desertam ob non prosecutionem ipsius per plures annos, & insuper pro parte magni Prioris Alemani Commendatarij commendæ, de qua agitur fuisse obtentam commissionem executorialem Reuerendissimo Domino Bononien. directam, atque in vim illius iam ante aliquot annos executoriales relaxatas, quæ si expressa fuissent vtique dictam inhibitionem vigore Commissionis predictę appellationis non concessisset. Deserta enim appellatione sententia est executioni demandanda, capite cum sit Romana, & ibi *Francus, num. 15. vers. sed certe. de appellation. late Modern. de attent. 2. part. cap. 12. ampliatione 1. num. 33. & seq.* & propterea censuerunt Domini, dictam inhibitionem iure merito esse moderandam, ad tradita per *Modern. vbi supra capit. 21. limit. 7. & 12.*

2 Et quia agentes pro magno Priore, & Moderno Commendatario instabant pro relaxatione nauarum executorialium, quod aliæ à Reuerendissimo Domino Bononien. iam relaxatæ directæ reperiuntur fel. recordat. Rodulpho Secundo Roman. Imperat. qui interea, Deo ita volente diem obijt extremum, ideo facto per me verbo in Rota memorialium die septima mensis Iulij præsentis anni Domini mandarunt nouas executoriales relaxari, illasque Sacræ Cæsereæ Maiestati, nunc gloriose regnanti dirigi, non obstante pretensa concordia inter magnum Priorem, & Conuentum dictæ Insulę Viridis inita. Tum quia de dicta Concordia nunquam hactenus sufficienter fuit doctum, tum quia visum fuit Dominis, quod magnus prior non potuisset in facto proprio authoritatem suam interponere. *Clem. 2. & ibi Doctor. de reb. eccles. non alienan.* & executoriales alias relaxatæ remanent iustificatissimæ ex decisionibus, & sententia bonæ memoriæ Gypsij, contra quas nihil, quod releuet, deducitur. Et ita fuit decisum, &c.

R. P. D. VBALDO.

Placentina Beneficij. Mercurij 21. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

De episcopo recurrente ad iudices seculares, quando sit excommunicatus, & ob id exercitio iurisdictionis conferendi beneficia priuetur. Et quomodo huiusmodi recursus probari debeat ad effectum, vt is pœnam incurrat.

SVMMARIVM.

Excommunicatus incapax est cuiuscumque gratiæ, & rescripti. num. 1.

Episcopus excommunicatus durante excommunicatione sacros ordines conferens irregularis factus est, num. 2. Declara, vt num. 8.

Suspensus, siue publice, siue occulte prohibetur ab exercitio iurisdictionis, & à collatione beneficiorum, nu. 2. Declara vt nu. 5.

Recursus ad curiam sæcularem adhoc, vt recurrens pœnam incurrat debet concludenter probari. num. 3.

Recursus ad curiam sæcularem non censetur probatus ex mandato ad recurrendum ad dictos iudices, quia hoc intelligi potuit in casibus licitis, & in quibus Ecclesiastici possunt impune recurrere ad iudices laicos, nu. 4.

Excommunicatus non prohibetur conferre beneficia, nec priuatur exercitio iurisdictionis, antequam fuerit declaratus, num. 5.

Episcopus acceptans alternatiuam nullum ius de nouo acquirit, sed solum declarat, quod vult vti alternatiua numer. 6.

Excommunicatus potest facere declarationem suæ voluntatis, num. 6.

Alternatiua non tribuit nouum ius Ordinarijs collatoribus, sed remouet obstaculum reseruationis mensium, nu. 7.

Irregularis non est quilibet excommunicatus, nu. 8.

DECISIO DXCII.

1 IMpugnabatur decisio in hac causa coram me facta die 27. Nouembris præteriti, duobus potissimum fundamentis, primum erat, quod videbantur sufficienter probati recursus Episcopi Placen. ad iudices laicos ex mandato speciali ad recurrendum acceptatione, & ratificatione ipsius, & proinde tanquam excommunicatus non videbatur capax alternatiuæ, cuius vigore contulit beneficium, de quo agitur. Nam alternatiua, quam acceptauerat de tempore fel. record. Clementis VIII. expirauerat per obitum Papæ de anno 1605. & tempore alternatiuæ concessæ per Sanctissimum D. N. quam Episcopus acceptauit de anno 1606. iam erat excommunicatus propter dd. recursus habitos de anno 1603. & alias certum est, excommunicatum esse incapacem cuiuscunque gratiæ, & rescripti. *capite primo, de rescript. in 6. Butr. in capite ad proband. numer. 11. versic. secundus casus, de re iudic. Calder. consil. decimosecundo, de regul. Roman. consil. 506. numer. 12.*

2 Secundo dicebatur ex testibus nouiter examinatis probatum fuisse Episcopum durante excommunicatione ordines sacros contulisse, & dabatur etiam publicum instrumentum vnius collationis, quo casu Episcopus videbatur factus irregularis capit. is qui secundo responso, de sententia excommunicationis, in sexto, cum allegat, quæ irregularitas inducit suspensionem, & suspensus, siue publice, siue occulte, prohibetur ab exercitio iurisdictionis, & sic à collatione beneficiorum, vt etiam distinguendo inter excommunicatum, & suspensum firmatur in dicta decisione huius causæ coram me.

3 Verum his non obstantibus Domini non putarunt esse recedendum à prædicta decisione 27. Nouembr. in hac causa facta ex fundamentis ibi relatis, & quo ad primum obiectum considerabant, quod in effectu agitur, vt Episcopus propter dd. recursus fuerit effectus inhabilis ad conferendum, & vlterius, vt ab eo prouisi priuentur iure sibi quæsito, & sic negari non potest, quin vtroque casu agatur de pœna *l. 1. Cod. de his, quæ pœnæ nomen. Bald. in repet. l. sed etsi post tres, sub num. 60. ff. si quis cautionibus, in iudic.* Et ideo hoc casu requiritur concludentissima probatio recursum, vt fuit firmatum in decis. Tuder. beneficij. 5. Aprilis 1604. & 25. Iunij eiusdem anni, coram bon. me. Penia, & in d. decis. coram me.

4 Quo posito, si examinentur, vel coniunctim, vel diuisim presumptiones illę, quæ afferuntur contra Episcopum, non putabant Domini esse tales, ex quibus Episcopus potuisset, vel posset hodie, si viueret, declarari excommunicatus. Nam quoad mandatum illud fuit generale ad faciendas quascumque requisitiones, appellationes, & protestationes, in causa Episcopi cũ Decano & Capitulo, & sic potuit intelligi in casibus licitis, in quibus Ecclesiastici possunt impune recurrere ad iudices laicos, vt late per *Menoch. de retinen. remed. 3. q. 52. num. 354. & seqq.*

5 Prouisiones Regiæ, quæ adducebantur partim emanarunt ante dictum mandatũ, partim petitæ fuerunt à diuersa persona ab ijs, quæ in mandato fuerũt expressæ, vt latius fuit ostensum per Informantes, sed quatenus etiam essent probati dicti recursus, tamen cũ episcopus nũquã fuerit declaratus excõmunicatus potuit conferre, cum excommunicatus non priuetur exercitio iurisdictionis, antequam declaretur excommunicatus, vt per *Nauar. in man. cap. 27. sub num. 1. & num. 152.*

num. 152. vers. dico. Et latius fuit deductum in decisione huius causæ.

6 Neque obstat, quod supradictum est de alternatiua, quia fuit responsum, quod per acceptationem alternatiuæ nullum ius de nouo acquiritur, sed solum declaratur voluntas acceptantis, quod vult vti alternatiua quæ declaratio bene fieri potest etiam ab excommunicato. *Rot. decis. 5. & decis. 10. sub num. 1. vers. tamen etiam. de concess. præben. in nouis. & decis. 19. num. 2. eod. tit. in antiq. Couarr. lib. 3. var. resol. c. 16. sub nu. 4. vers. quorum opinio. Et in puncto Modern. ad reg. 8. glos. 58. num. 24. & 26.*

7 Accedit etiam, quod alternatiua non tribuit nouum ius ordinarijs collatoribus, sed remouet obstaculum reseruationis mensium. *Put. decis. 215. in fine. l. 1. & decisione 488. num. 2. & 5. & decisione 492. num. 2. lib. 2. Caput. decisione 88. num. 6. & decis. 214. num. 6. & 7. par. 2. Mandos. ad reg. 11. quæst. 11. num. 3. & seq. Modern. ad reg. 8. in §. 5. proœm. num. 123. & sequen. & gloss. 42. num. 13. & gloss. 43. num. 120.* Vnde sicut Episcopus Placen. potuisset in mensibus non reseruatis conferre non obstante prætensa excommunicatione, ex quo non fuerat declaratus ex adductis in decisione: ita pari ratione videtur potuisse conferre vigore alternatiuæ in mense alias reseruato, cum per alternatiuam, & eius acceptationem nullum sibi ius nouum tributum fuerit ex allegatis.

8 Nec obstare visum fuit secundum obiectum de irregularitate, tum quia fundatur in prætensa excommunicatione, de qua non constat ad effectum, de quo agitur, vt ex supradictis patet, tum quia nec etiã excommunicatus quilibet est irregularis, ex traditis per. *Nauarr. in Manual. capit. 27. num. 191. in fine.* tum quia text. in dicto capit. is qui. de senten. excommunic. in sexto. & Doctor. ibi loquuntur de celebrando in loco supposito interdicto Ecclesiastico, qui non est casus noster. Ex quibus fuit resolutum, standum esse in decisis.

R. P. D. ANDREA.

Remana Domorum. Mercurij 21. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

Emphyteutica res, quando transit ad manum mortuam, tunc Ecclesia Domina directa potest cogere successorem ad vendendum infra annum, vt reincidat in manus priuatorum, etiam quod transierit in locum pium, collegium, vel vniuersitatem secularem.

SVMMARIVM.

Emphyteusis Ecclesiastica, quando transit ad manum mortuam, Ecclesia domina directa potest cogere successorem ad vendendum infra annum, vt reincidat in manus priuatorum. num. 1. & 2. Vbi quod hoc habet locum, etiam quod emphyteusis transeat non solum in aliam Ecclesiam, sed etiam in quemcumque locum pium, vel aliam vniuersitatem sæcularem.

Collegium laicale nunquam moritur, sed semper permanet, etiamsi omnes personæ Collegij eximantur, & mutentur. num. 2.

Bona confraternitatis laicorum alienantur sine solennitatibus requisitis in alienatione rerum Ecclesiæ. nu. 3.

Emphyteuticæ rei inuestitura regulatur ab vltima præcedente inuestitura, & non ab alijs antiquis præcedentibus. num. 4.

Consensus limitatus limitatum producit effectum. nu. 5.

Ecclesia potest retinere rem emphyteuticam, ad quam successit, absque eo, quod cogatur illam alienare in priuatam personam ex priuilegio Pontificis. num. 6.

DECISIO DCIII.

1 Domini resoluerunt, sententiam R. P. D. Celesij esse confirmandam. Ratio resolutionis fuit, quia quando res emphyteutica transit ad manum mortuam, tunc Ecclesia domina directa potest cogere successorem ad vendendum infra annum, vt reincidat in manus priuatorum, & subijciatur solito hominum commercio, ne Ecclesia domina directa fraudetur iure suo, dum manus mortuo non perit, nec habet defectum lineæ, & sic priuetur Laudemio, & res ita de facili non possit ad eam reuerti. *auth. de alienat. & emphyt. in princ. §. si vero contigerit. Specul. sic declarans. in tit. de emphyteus. §. nunc aliqua. num. 142. & seq.* vbi ait, ita seruari de consuetudine. *Ias. in l. fin. nume. 91. vers. dicit etiam, & numer. 95. & seq. C. de iur. emphyt. Henric. Boich. in c. potuit. numer. 16. de locat. Clar. in §. emphyteusis. quæst. 33. in fi. Guilelm. de Benedict. in repet. cap. Rain. in verbo, & vxorem nomine Adelasiam. decis. 5. nume. 5. de testam. Pyrrhus ad consuetud. Aurel. titul. de Laudemio. §. 14. cum alijs allegat. per Petr. PecK de Amortizat. bonorum. c. 34. num. 1. Cald. de renouat. emphyt. lib. 1. quæst. 19. nume. 18. Iacob. Camer. var. resolut. c. 19. num. 50.*

2 Nec ad hunc effectum visa fuit subsistens differentia inter Ecclesiam, vel locum pium, ac aliam vniuersitatem sæcularem, in quo valde insistebant Informantes pro Venerabili Archiconfraternitate, quia eadem ratio non deficientis lineæ militat in Vniuersitate, & alio quocunque Collegio laicali, ex quo nunquam moritur, & idem permanet etiamsi omnes personæ, ex quibus constat, rebus humanis eximantur, & mutentur. *l. proponebatur. ff. de iudic. l. sicut. §. in decurionibus. ff. quod cuiusque vniuers. nom. l. si grege. ff. de legat. 1. l. inter stipulantem. §. sacram. ff. de verb. obligat.* per quam rationem, ita in Ciuitate respondit. *Anchar. cons. vlt. num. 3. Corbul. de caus. priuat. ob alienat. ampliat. 12. nume. 5.* & per eandem rationem, quod ad istum effectum manus mortua dicatur Ecclesia, Ciuitas, Collegium, siue aliud quodcunque corpus Ecclesiasticum, vel sæculare, tenuit *Petr. PecK in dicto tract. de Amortizat cap. 2. Camill. Borrell. in addit. ad Bellug. in Specul. Princ. rubr. 14. §. veniamus. littera A. verb. mortuam. Calder. vbi. sup. num. 19.*

3 Licet enim dicta Archiconfraternitas Sanctissimæ Trinitatis asserat se non esse Ecclesiam, neque locum pium, sed Collegium mere laicale, quod vendit res suas absque alia solennitate in rebus Ecclesiasticis, & locis pijs seruari solita, ex traditis per *Gabriel. de pia causa. conclusione 1. num. 17. & 12. Salaz. de vsu, & consuetud. cap. 8. num. 24. vers. 2. infertur.* cum alijs allegatis, attamen effugere non potest illam rationem, quod in ea quemadmodum in Ecclesia, & loco pio linea, aut nunquam, aut certe raro solet deficere, & ideo inter alias interpretationes dicitur manus mortua, quod sicut morientis hominis manus id quod comprehendit firmissime tenet, neque facile remittit, sic etiam quicquid Vniuersitas, seu corpus istiusmodi semel acquirit, & in potestatem suam quasi in manum accipit, tenaciter retinet, & non nisi cum magna difficultate in commune hominum commercium post deinde remittit, vt declarat *Rebuff. ad ord. reg. tomo 1. de liter. oblig. artic. 5. gloss. 5. Petr. PecK dicto capit. 2. versic. mihi quidem, & c. seq.*

4 Non obstat, quod alias Capitulum concesserit domos istas Societati Sancti Antonij de Padua, & quod propterea remanserint alienabiles, quia placuit responsio, quod non potest ex hoc inferri, vt hodie debeant permanere penes Confraternitatem, cum post dictam concessionem fectam societati, quæ ob alienationem sequutam irrequisito Domino ciciderat in commissum, postea emanauerit alia concessio facta priuatis personis, à quibus Confraternitas habet cau-

causam, quæ propterea attendi debet, & non quod antea factum fuit. Vbi enim adest noua inuestitura extraneis personis facta, vel ex mera liberalitate Domini directi, cui deuoluta bona erant, tunc nulla habetur ratio qualitatum expressarum in antiquis inuestituris, sed solum in noua concessione, à qua sequentes regulantur. *Ruin.consil.15. num.11. lib.1. Menoc. consi.593. num.6. & 7. Surd.consi.440. ex num.48.* vbi multa ad saturitatem congerit, & in istis terminis fuit consideratum in Ferrarien. Bonorum, 19. Martij 1604. coram Illustrissimo Lancellotto.

5 Nec releuat easdem domos fuisse de consensu Capituli venditas ad vitam, quia hoc retorquetur contra societatem, quæ cum dictas domos re habuerit, illas retinere non potest, & ideo cogi debet alijs personis refirmare. Consensus enim fuit ad effectum vendendi, & sic non debet extendi ad facultatem retinendi, quia consensus limitatus, limitatum producit effectum. *l. iubemus. & ibi Doct. C. ad Velleian. Paris.consil. 19. num.49. lib.3. Verall. decis.214. num.5. par.1.* & non extenditur vltra, quam ex illo inferatur. *Puteus decis. 188. num.3. lib.2.*

6 Allegatum inconueniens, quod tolleretur commercium inter Confraternitates, & Ecclesias, si cogeretur dicta confraternitas nunc vendere, vltra quod non applicatur ad ipsam, quæ se facit laicalem, & vltra quod allegare inconueniens, non est soluere, argumentum cessat ex eo, quia potest obtinere licentiam Papæ, vt maior pars Confraternitatum habet priuilegium retinendi bona emphyteutica, quæ dicitur amortizatio, & prohibitionis retinendi veluti solutio, & laxamentum, vt post alios tradit *Petr. Peck in dicto tract. de amortizat. bonor. cap.1. & 4.* Et ita conclusum.

DECISIO DCIV.

Giennen. Cappellaniæ, Mercurij 21. Maij 1614.

Est impressa inter Caualer.

DECISIO 305.

R. P. D. DVNOZETTO.

Ferrarien. Bonorum, Mercurij 21. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

Ex Summarijs sume Argumentum.

SVMMARIVM.

Mandatum de manutenendo non datur, non probata possessione. num.1. & 2. Vbi quod non sufficit probatio possessionis passiuæ.

Solutio census pro decimis, & fructibus probat possessionem recipientis eos. nu.2.

Nemo plus iuris in alium transferre potest, quam ipse habet. num.3.

Instrumentum inuestituræ, seu infeudationis non transfert possessionem in inuestitum, seu infeudatum. nu.3.

DECISIO DCV.

1 Fvit per Dominos resolutum, non esse dandum mandatum de manutenendo D. Marchioni, quia de eius actuali possessione nullo probationis genere constat, sine qua non datur manutentio. *§. retinendæ. Instit. de interdic. Rolan. consi.9. nu.18. vol.3. Couarr. pract. quæst. c.17. num.2. in fin. vers.2. cauere debet. Rota decis.4. nu.11. p.2. diuers.* & fuit sæpissime decisum.

2 Non obstat solutio census pro decimis, & fructibus, de quibus D. Marchio fuit inuestitus à Domino Episcopo Ferrarien. quia hęc est passiua possessio, quę soli Episcopo suffragatur, quia D. Marchio eius vigore posset compelli ad continuationem. *Rip. in c. cum Ecclesia Sutrina, nu.2. de caus. pos. & propriet. Felin. in c. inter dilectos. num.8. de fide instrumentorum.*

3 Non obstat concessio, seu inuestitura illi facta. Nam vltra, quod multa fuerunt deducta pro illius nullitate, quæ tamen Domini reseruarunt videnda in disputatione dubij principalis. Fuit responsum, instrumentum infeudationis non continere aliquem particularem actum possessionis, cum in eo fuerint concessæ decimæ, & fructus, qui non percipiebantur per Episcopum, & sic per infeudationem non posse dici aliquam fuisse translatam in Dominum Marchionem possessionem ex clara iuris regula, *in l. nemo plus iuris. ff. de regul. iur. & ibi Dec. & Cagnol. in leg. traditio. ff. de acquir. rer. domin. cum sim. per Surd. consi.126. numer. 31.* Ex quibus vtraque parte informante, ita decisum fuit.

R. P. D. VBALDO.

Romana Deuolutionis, Veneris 23. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

Emphyteusis deuolutio ob non solutionem Canonis non habet locum, nisi actor suum dominium directum probauerit. Quomodo hoc dominium probetur, & in dubio annuæ præstationis solutio præsumitur facta potius ex causa census, in quo non cadit deuolutio, quam ex causa Canonis, & proprietatis.

SVMMARIVM.

Emphyteusis deuolutionem obtinere non potest dominus directus, nisi plene, & concludenter directum dominium probet. num.1.

Annuarum præstationum solutiones factæ præsumuntur potiùs factæ ex causa census, quam ex causa canonis. num.2.

Enunciatiua etiam inter easdem partes non probat dominium, præsertim si vnica fuerit. nu.3.

Differentiæ rerum non nudis pactis, sed traditionibus transferuntur. nu.4.

Deuolutio non datur in re censuata per non solutionem census. num.5.

DECISIO DCVI.

1 Fvit dictum, sententiam extra Rotam latam esse confirmandam, in qua D. Iulius fuit absolutus ab impetitis, & Capitulo perpetuum silentium impositum. Capitulum enim in iudicio deuolutionis intentato non probauit, se esse directum dominum Casalis, de quo agitur, prout plene, & concludenter probare tenebatur, iuxta *decis. Caputaq.282. par.1.* sepe canonizatam in Rota, & signanter in Romana vineæ 23. Iunij 1592. coram Orano in Romana domus. 11. Maij eiusdem anni coram Illustriss. Mellino, in Romana proprietatis vineæ, 18. Iunij 1601. coram Cardinali Pamphilio, in Neuerin. emphyteusis, 8. Februarij 1608. coram Reuerendiss. Attrebaten. & nouissime his diebus preteritis in Romana domus Sancti Nicolai coram R. P. D. meo Caualerio.

2 Neque facit ad hanc probationem prætensum instrumentum, in quo de anno 1525. Cola, & fratres de Bonauenturis recognouerunt Basilicam S. Petri fuisse, & esse in possessione exigendi annuam responsionem

nem 8. Ducatorum cum dimidio, super certo terreno extra portam Castelli, seu viridarium in loco dicto Vallis inferni, ratione proprietatis D. Basilicar. dictamq. annuam responsionem ex eo, quod dictum terrenum vendiderunt Cardinali Sanctorum Quatuor, collocauerunt super Casali Turris rubeæ, ita quod D. Casale intelligatur, & sit sub onere DD. responsionum soluen. ratione proprietatis, &c. Quia vltra, quodd. Instrumentum non videbatur in forma probanti ex eo, quod est sine Indictione, Anno, Pontificatu, non est recognitum, nec probata legalitas Notarij. Respondebatur etiam tum quod dictæ solutiones, vel responsiones non probant dominium, cum potiùs præsumantur factæ ex causa census, quam pro canone. *Natt. consil. 3. nu. 3. Bero. cons. 113. n. 8. lib. 1. Crescent. decis. 3. de præsump. & decis. 1. de censib.* Fuit dictum in dicta Romana vineæ coram Orano, & in Ortonen. locationis 14. Aprilis 1606. coram Reuerendiss. Lugdunen.

3 Tum quod dicta confessio, vel recognitio assertorum Auctorum D. Iulij cum enunciatiua, de qua supra, non probat dominium ad effectum deuolutionis, etiam inter easdem personas, præsertim, cum enunciatiua sit vnica, vt fuit dictum in dicta Romana proprietatis vineæ, coram Cardinali Pamphilio.

4 Tum & tertio, quid ad omne peius dicta recognitio cum illa enunciatiua ratione proprietatis dictæ Basilicæ probarent dominium Ecclesiæ respectu illius terreni Vallis inferni, non autem Casalis, de quo agitur. Et licet in eodem instrumento casales supponatur eidem oneri responsionis ratione proprietatis tamen adhuc debet id intelligi, ratione eiusdem terreni non autem Casalis Tur. quia esset valde inuerisimile, vt loco proprietatis super modica quantitate terreni voluerint dicti de Bonauenturis supponere sub proprietate eiusdem Basilicæ Casale rubrorum plusquam centum. Tum quia dominia rerum non transferuntur nudis pactis, sed requiritur traditio. *l. traditionibus. C. de pac. §. per traditionem. Inst. de rer. diuis.* cum alijs per *Surd. cons. 22. num. 75. lib. 1.* quæ traditio hic non adest. Immo illa recognitio, & casalis suppositio fuit facta absente Capitulo, & in omnem euentum dicta suppositio casalis videtur facta pro rata æstimationis dictæ annuæ responsionis, quæ erat supra dicto terreno, non autem supra toto casali, iuxta decisio. *Afflict. 80. num. 4.*

5 Non obstat schedula, vel indultum fel. recor. Clementis VII. confirmatum per felicis recor. Sixtum V. in quo disponitur, quod si constet, Capitulum esse in possessione exigendi censum, Canonem, vel responsionem, sed non constet, cuius rei ratione, in dubio stetur libro censuali Capituli, & etiam si dubitetur, sitne Canon, an census in dubio ipsa bona sub proprietate, & dominio capituli censeantur, quia fuit responsum in primis, quod D. Motus proprius habet conditionem in ventre, dummodo de iure & proprietate capituli constet, de qua non constat, saltem quo ad Casale ex supra dictis, & quo ad libros censuales respondebatur, ex ijs potiùs colligi, quod dicta responsio solueretur tam pro censu, quam pro Canone, vt patet ex partita data pro capitulo in Summario. *num. 6.* in illis verbis, *gli heredi di Mario Bonauentura per il Casale di torre Rossa ducono per anno censo Ducati 8. e mezo*, & sic cum aperte loquantur de censu, sequitur iuris conclusio, vt in re censuata non cadat deuolutio, *c. constitutus. de relig. domib. Bero. consil. 113. numer. 8. lib. 1. Dec. consil. 163. num. 2.* Et ita fuit decisum, &c.

R. P. D. VBALDO.

Romana Dotis. Veneris 23. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

Inuentarium ab hærede factum probat quantitatem bonorum hæreditariorum, ita vt præsumatur non alia extare bona, quam descripta in eo. Ponitur insuper in hac decisione præsumptio l. Quintus. ff. de donation. inter virum, & vxorem, cum nonnullis declarationibus.

SVMMARIVM.

Inuentarium confectum ab hærede probat quantitatem bonorum hæreditariorum, & inducit præsumptionem, quod alia bona, quam in eo descripta, non remanserunt in hæreditate, adeo vt dicenti contrarium incumbat probandi onus. num. 1.

Valor, & pretium bonorum probatur per peritos, numero 1. in fine.

Vxor emens nomine proprio vineam, censetur emisse de pecunijs mariti, vinea tamen spectat ad vxorem, & pretium spectat ad virum. nu. 2.

Emens rem proprio nomine censetur de suis proprijs pecunijs emisse. num. 2.

Vxor emens vineam nomine proprio præsumitur emisse de proprijs pecunijs, quando constet, quod maritus fassus fuit vineam ad vxorem spectare, vxor que in ea se pro domina gerebat. num. 2. & 3. in fine. Vbi multo magis, quando maritus confitetur vineam esse emptam de pecunijs mulieris.

Vxor emens vineam nomine proprio non præsumitur emisse de pecunijs mariti, quando illa erat diues, vel industriosa, maritus autem pauper. num. 3.

Falsitas vt euitetur, omnis interpretatio facienda est. n. 4.

Vxor, & maritus emens domum communi nomine, quamuis pecunia fuerit vxoris, sibi acquirunt pro medietate, & vnius morte illius ius dicitur resolutum. nu. 5.

DECISIO DCVII.

1 PRoposui dubium per Dominos reseruatum in decisione in hac causa facta, die 9. Decemb. præteriti, quæ fuerit quantitas, vel valor bonorum Francisci mariti D. Septimiæ de tempore obitus eiusdem mariti, & Domini vtraque parte informante responderunt, quantitatem probari extitisse, prout constat ex inuentario confecto à Septimia hærede Francisci seruatis seruandis, & citatis creditoribus, & in specie Ioanne Henriquez Auctore aduersariorum Septimiæ, qui nunc sunt in causa. Inuentarium enim ritè confectum bene probat quantitatem bonorum, & inducit præsumptionem, quod alia bona non remanserint in hæreditate, adeo vt dicenti contrarium incumbat onus probandi, iuxta *Glossam ord. in l. cum de lege. ff. de prob. Alciat. de præsump. reg. 3. præsump. 20. Roland. de inuentar. part. 4. section.* quæ incipit, hæres cum inuentario. *num. 2. & sequen. Natta consil. 238. num. 2. Paris. consil. 45. num 20. lib. 2. Alciat. de præsump. d. regula 3. præsump. 20. Osasch. decis. Pedem. 181. sub. num. 11. Rota apud Cardinalem Seraphinum. decis. 504. num. 6. par. 1.* & cum dicta bona fuerint æstimata per peritos communiter electos in summa Scutorum 1783. 7. videlicet mobilia existentia in domo Vrbis Scutorum 1149. 78. & melioramenta in vinea, & eius domo ad Scuta 633. 29. per dictam æstimationem videtur probatus valor bonorum, vt fuit dictum in Romana Saluiani vigesima Ianuarij 1611. coram me.

2 Nec obstare visum fuit, quod vinea ad Sanctum Lazarum, & domus emphyteutica non fuerint appositæ in inuentario, & tamen præsumantur emptæ de pecunijs viri, ad excludendam præsumptionem. *leg. Quintus. ff. de donat. inter vir. & vxor.* Quia fuit responsum in primis, quod quatenus etiam intraret dicta

præ

præsumptio, bona tamen empta essent vxoris, & solum pretium fuisset ponendum in inuentario, vti hereditarium. *Bart. in l. vxor marito, num. 3. C. de donat. inter vir. & vxorem. cum alijs, per Gabriel. de præsumptio. concl. 15. num. 14. & per Menoc. de præsumption. lib. 3. præsumpt. 51. num. 42.* Præterea dicebatur, quo ad vineam illam fuisse acquisitam Septimiæ, idque probari non solum, quia fuerat ab ipsa empta proprio nomine, ad *l. 1. & l. multum interest. C. si quis alteri, vel sibi. cum alijs allegatis per Osasch. decis. Pedemon. 140. num. 9.* Sed etiam, quia sæpius maritus fassus fuerat ad ipsam spectare, vt deponunt testes pro Septimia inducti. *Menoch. post relatos d. præsump. 51. num. 27. & 28.* vbi de communi, & præsertim cum tunc ageretur de solo mariti præiudicio, ex quibus testibus probatur etiam, quod Septimia habebatur, & se gerebat pro Domina in dicta vinea, conducendo operarios pro illius cultura, & illis soluendo mercedem, qui actus à posteriori sunt considerabiles, secundum *Bal. in d. l. multum interest. sub num. 3. Ruin. consi. 170. num. 4. lib. 4.*

3 Quibus accedit, quod, vt est probatum per eosdem testes, Septimia erat diues relicta à primo viro, & Zaffettus, cui secundo nupsit erat pauper, valetudinarius, & sine arte, quo casu non intrat præsumptio. *l. Quintus. Gabr. d. conclus. 15. numer. 13. Menoch. vbi supra, num. 36.* Vbi quod tunc res caret probabili dubitatione, & de muliere diuite, quæ nupsit pauperi, idem *Gabriel, vbi supra. nu. 24. Menoch. nu. 38. Coras. lib. 3. Miscel. c. 5. n. 3.* præsertim stante industria eiusdem Septimiæ, quæ, vt ex dictis testibus constat, erat cantatrix, & modulatrix optima, ad quam audiendam confluebant viri Principes, & Magnates, à quibus ampla munera reportabat. *Gabriel. d. conclu. 15. nu. 12. Menoch. dicta præsumptio. 51. nu. 32. Mynsinger. centur. 2. obser. 92. numero 7.*

4 Nec obstare videbatur, quod Franciscus imposuerit censum super vinea, affirmans cum iuramento illam esse suam. Quia placuit responsio, vel quod talis res inter alios acta non potuit præiudicare Septimiæ, vel quod ad euitandam falsitatem, & periurium sumi debet interpretatio, vt intellexerit de melioramentis in vinea factis, quæ certe erant sua, iuxta deducta in Romana Casalis Marciliani, 19. Iunij 1587. coram Seraphino, quæ est inter impressas *decis. 794. nu. 21. part. 1.* & in hac causa 6. Iunij 1611. coram me.

5 Quo ad domum vero, quæ fuit empta communi nomine viri, & vxoris, ad vitam vtriusque, & sic quatenus pro medietate pertineret ad virum, quamuis pecunia fuerit vxoris, iuxta *l. 1. & l. mancipia. & l. qui aliena. C. si quis alteri, vel sibi. Rota decis. 278. in principio. p. 2. diuers.* dicebatur ius viri fuisse resolutum per ipsius mortem, & ideo non potest dici, quod remanserit in eius hæreditate post eius obitum. *Bartol. in l. libertis. prima. sub nu. 3. ff. de alimen. & cib. legat. Cephal. cons. 158. nu. 4 lib. 2. Cardinalis Mantica de coniect. vltim. volunt. lib. 9. tit. 2. sub nu. 29. versic.* id quod constare, &c. Quo vero ad pecunias in emptione domus expositas, fuit dictum, vigere easdem rationes pro exclusione *d. l. Quintus.* supra consideratas, & quod magis est, confessionem ipsius mariti in ipso instrumento, quod pecuniæ essent Septimiæ, iuxta late deducta in causa Romana pecuniariæ. 14. Decembris 1612. coram R. P. D. meo Pamphilio, & in hac causa 9. Decembris præteriti coram me.

6 Ex quo etiam tollitur, quod in contrarium opponebatur, quod dictæ pecuniæ essent illæ, quas Franciscus in dotem acceperat cum pacto inuestiendi, quia hoc forte procederet, si Franciscus pecunias numerasset in actu emptionis domus, non autem vxor, vt cantat instrumentum. Vltra quod nec summa concordat, & receptio dotis per aliquot annos præcesserat, vt non sit verisimile, Franciscũ tãto tẽpore penes se retinuisse otiosas pecunias dotales. Et ita fuit decisum, &c.

R. P. D. VBALDO.

Calaguritana Fructuum, & distributionum. Lunæ 26. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

Absens à seruitio suæ Ecclesiæ an, & quando lucretur fructus, & distributiones.

SVMMARIVM.

1 *Absens à seruitio suæ Ecclesiæ ad effectum, ut lucretur fructus, & distributiones duo copulatiue requiruntur, uidelicet iusta causa absentiæ, & licentia Ordinarij. num. 1. & num. 3. & num. 4. Vbi amplius, quod non sufficit licentia Capituli.*

2 *Absens à seruitio Ecclesiæ propter litem, quam habet cum Capitulo sibi ab eodem Capitulo indebite motam, lucratur fructus, & distributiones. num. 2.*

3 *Abscens à seruitio Ecclesiæ non petita licentia ab Episcopo non lucratur fructus, & distributiones, etiam quod licentia si fuisset petita, fuisset etiam denegata. nu. 4.*

4 *Absens à seruitio Ecclesiæ, & in Vrbe residens ex permissione Vicegerentis numquid lucretur fructus, & distributiones. num. 5.*

5 *Absens à seruitio suæ Ecclesiæ sine licentia Superioris, non lucratur fructus, & distributiones, etiam quod illam petierit, & non obtinuerit. num. 6.*

DECISIO DCVIII.

1 DEcanus Calaguritanus obtenta commissione in Rota in prima instantia super iure votandi in capitulo, & anniuersarijs dictæ Ecclesiæ, ad curiam accessit, & obtento mandato de manutenendo, quo ad ius votandi obtinuit etiam in Rota committi causam super fructibus, & distributionibus, quas prætendebat lucrari, etiam si esset absens à sua residentia. Vnde proposito dubio, an esset habendus pro præsenti in casu, & ad effectum, de quo agitur, Domini negatiue responderunt, quo ad fructus, & distributiones post obtentum mandatum prædictum de manutenendo cum reseruatione, vt de alijs decursis ante dictum tempus videretur. Fundamentum fuit, quia vt tritum est in Rota ad effectum, vt absens lucretur fructus, & distributiones duo copulatiue requiruntur, videlicet iusta causa absentiæ, & licentia Ordinarij *ad trad. per glos. in cap. relatum. in verbo Prælatorum. & ibi Abb. in 4. notabili, de clericis non residentibus. Et idem Abb. in c. inter quatuor. eodem titulo. Felin. in cap. finali, ad finem. uersic. 6. limita. de magistris.* Et fuit dictum in Alerien. Fructuum, 15. mensis Aprilis 1603. coram bon. mem. Cardinale Pamphilio, & alias sæpe.

2 In proposito autem casu postquam Decanus habuit mandatum de manutenendo, quo ad ius votandi in Capitulo, videtur penitus cessare iusta causa absentiæ si quam antea poterat forte prætendere, quasi videretur abesse pro defensione iurium suæ dignitatis, & impediri facto Capituli, quod illum turbabat in iure votandi, *ad tex. in c. ex parte. 2. de clericis non resident. Calderin. cons. 17. de præbend. Ancbar. consi. 17. nu. 2. Couarr. lib. 3. uariar. resolut. c. 13. sub num. 8. uers. 10.* & fuit tentum in Salamantina censurarum. 28. Nouembris 1594. coram bonæ memoriæ D. Cardinali Seraphino. Quę est decisio 1098. numero 5. par. 2. in impressis, & in Asten. Fructuum, 15. Martij 1613. coram R. P. D. meo Manzanedo.

3 Controuertebatur etiam per Informantes pro Capitulo alterum requisitum licentię, quo deficiente, etiam si adsit iusta causa absentię, tamen non lucratur

tur fructus, & distributiones, vt in dicto *cap. relatum*, & fuit dictum in eadem Asten. fructum 10. mensis Ianuarij, proxime preteriti, coram eodem D. meo Manzanedo.

4 Nec obstare videbatur, quod licentia esset petenda à Capitulo ex forma statuti Ecclesiæ, quam certum videtur Capitulum fuisse denegaturum, cum sit pars formalis in hac causa, & consequenter videretur superflua petitio. *l. hæc stipulatio. §. Diuus. ff. vt leg.* nom. caueat. cum similibus, Quia fuit responsum, quid licentia non erat petenda à Capitulo priuatiue ad Episcopum, neque statutum corrigit ius commune, & videtur cessare difficultas ex *Sacro Concilio Tridentino, sess. 23. c. 1. de reformat. §. eadem.* vbi disponitur, non licere abesse absque licentia Episcopi, & causa prius cognita, & probata, & quatenus etiam fuisset denegan da, erat tamen petenda, cum sit de forma. *Cardin. in Clemen. 1. §. volumus. num. 2. de foro compet.* & fuit dictum in Treueren. Chori Capitularis, 10. Martij 1606. coram R. P. D. Manzanedo.

5 Nec videbatur ex commissione causæ in Rota, & permissione R. P. D. Vicegerentis resultare sufficiens licentia ad effectum, vt Decanus tanquam presens lucraretur fructus, & distributiones, huiusmodi enim tolerantia Vicegerentis solum suffragatur, ne Decanus incidat in pœnas in suis edictis promulgatis contra non residentes, & in omnem euentum posset forte prodesse ad lucrandos fructus, quos etiam absentes interdum percipere solent, vt fuit dictum in Lucerina fructuum. 7. Februarij 1590. coram bon. mem. Cardinali Seraphino, quæ est *decisi. 910. num. 4. par. 1. in im. press.* non autem ad lucrandas distributiones, quæ solis interessentibus conceduntur. *c. vnico. de clericis non resident. in 6. Concil. Trident. sess. 24. c. 12. §. distributiones, de reformat.*

6 Nec videbantur etiam suffragari memorialia porrecta Sanctissimo Domino Nostro, & in Sacra Congregatione Episcoporum pro eiusmodi licentia, quia non sufficit eam esse petitam, sed requiritur, quod sit obtenta. *Cardin. in cap. relatum. num. 2. de cler. non resident.* Quæ tamen omnia latius erunt discutienda, cum disputabitur circa fructus, & distributiones præteritas, & decursas, ante prædictum mandatum de manutenendo, de quo Rota, vt dixi, reseruauit particulariter videri, & ita fuit decisum, &c.

REVERENDISSIMO P. D.

COCCINO DECANO.

Tullen. Parochialis. Mercurij 28. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

De Clerico ob non residentiam condemnato, in priuationem beneficij à iudice nulliter procedente, quod illi dandum sit mandatum de manutenendo.

SVMMARIVM.

Possessio per instrumentum dicitur probata, alio non existente in possessione. num. 1. Declara, vt num. 5.

Possessione quis priuatus non censetur per mandatum à iudice relaxatum nulliter. nu. 2.

Absens condemnari non potest, nisi saltem fuerit per edictum citatus. num. 2.

Clericus ob non residentiam priuari non potest, nisi expectatus per sex menses. nu. 2. Declara, vt nu. 4.

Appellatio numquid detur à sententia priuationis beneficij, ob non residentiam, ad effectum suspensiuum. num. 3.

DECISIO DCIX.

1 Visum fuit Dominis Desiderio dandum esse mandatum de manutenendo. Constat enim de eius possessione tempore litis motæ. *§. hodie. instit. de interd.* ex instrumento, quod alio non existente in possessione, sufficit. *l. prædia. vbi. Bar. num. 1. de acquir. possess.*

2 Neque obstat, quod Desiderius fuit priuatus sua possessione per ordinarium Tullen. & tradita possessio Nicolao, quia obiectum procederet, si ordinarius valide processisset, secus autem quando nulliter. *Doctores in l. clam possidere. §. qui ad nundinas. ff. de acquir. possessione,* prout processit in isto casu. Nam cum ageret contra absentem ad priuationem ob non residentiam, requirebatur trina citatio per edictum in loco beneficij, & postea tenebatur expectare per sex menses. *c. ex tua. de cleric.* non resident. & fuit tale deductum in causa Terdonen. præpositurae 1. Decembris 1600. coram me. Quę quidem expectatio per sex menses hic non adest, cum ordinarius in continenti processerit.

3 Minus facit, quod à sententia priuationis non datur appellatio ad effectum suspensiuum, iuxta dispositionem *sacros. Concilij Tridentini, sess. 23. c. 1. de reformat.* & adest Constitutio Pij V. *numer. 64.* Quia prædicta sententia fuit executioni demandata, & propterea si iudex nulliter processit, & Desiderius non habuit se pro spoliato, potest in causa appellationis petere manutentionem, vt in causa Nolien. Beneficij, coram me.

4 Neque prædictis resistit textus in *c. ex parte. il primo, de cleric.* non resident. quasi in casu illo non expectentur sex menses, quia in casu illius textus Decanus abfuerat per decennium, & propterea eius non residentia erat notoria, & mandatum de priuando processit à Papa, cui licuit præsumere Decanum habuisse dignitatem pro derelicta, quod tamen non licet inferiori, vt notat *Abb. ibidem. num. 4. & 6. qui num. 7. in fine,* dicit, ipsos inferiores debere seruare formam dicti *c. ex tua. de cleric. non resident.*

5 Non obstat, quod Desiderius habuerit se pro spoliato, vt patet ex sententia Ordinarij Lingonen. ibi, nos dictum Desiderium redintegrauimus, & restituimus in personam, qualitates, beneficia, ac bona ab ipso ablata, &c. quia est aduertenda series facti. Desiderius enim ante sententiam priuationis fuerat excommunicatus per Ordinarium Tullen. & causa super ista excommunicacione fuerat commissa Ordinario Lingonen. non autem causa super priuatione, & ideo ista sententia per prædicta verba tollit effectus, quos parit excommunicatio, non autem videtur approbare, quod Desiderius habuerit se pro spoliato ob sententiam priuationis, quia talis causa non fuerat introducta coram ipso Ordinario Lingonen. Et eodem modo respondetur ad narratiuam commissionis Rotalis, quæ narrat dictam sententiam Ordinarij Lingonen.

6 Quæ dicuntur de recursibus habitis ad iudices laicos, placuit Dominis, quod Desiderius obtineret absolutionem, prout obtinuit, & sic cessat omnis difficultas, &c.

R. P. D. VBALDO.

Mantuana bonorum. Mercurij 28. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

Præscriptio non præsumitur, nec titulus, nec bona fides, nec alleganti eam prodest, nisi ex cursu triginta annorum ante motam litem. Et melioramentorum exceptio non impedit executionem,

nem, quando in actis de melioramentis non constat.

SVMMARIVM.

Præscriptio non præsumitur, & ideo probanda est per allegantem. num.1.
Titulus, & bona fides non præsumitur in præscriptione, num.2.
Præscriptio non prodest, nisi triginta annorum ante motam litem. num.2.
Melioramentorum exceptio non impedit executionem, quando de melioramentis non constat in actis, num.3.

DECISIO DCX.

1 QVia executio sententiæ Rotalis contra D. Carolum, qui succubuit in iudicio spolij in Rota intentato non potuit consumi contra tertios quosdam possessores, habentes causam à D. Carolo, qui non fuerant in sententia nominati, nec in executione citati. Et ideo Rota censuit, 10. Decembris 1612. esse supersedendum in executione quo ad ipsos, ideo eis legitime citatis, proposui hodie dubium, An ipsis competat aliqua defensio. Et Domini negatiue responderunt, informante solum Domina Æmylia in maxima possessorum contumacia, qui sæpissime citati ad informandum comparere noluerunt. Nam si prætendant aliquam defensionem sibi competere ex persona D.Caroli, obstant sibi plures decisiones Rotales in hac causa factæ, coram me, & præsertim vltima coram Reuerendissimo Domino meo Damasceno sub die 8. Februarij anni præteriti, in qua fuit conclusum, non constare de bono iure D. Caroli. Si vero Prætendunt ex propria persona defensionem sibi competere, & tunc, aut quia præscripserint, & præscriptionem probare debent, quia illa tanquam quid facti, vel à facto descendens, videlicet à possessione, & cursu temporis non præsumitur, *l. denique. ff. ex quibus caus. maior. Bald. cons.450. num.2. lib.4. Aym. cons.132. num.12. Menoch. de præsumpt. lib.6. præsumpt.23. nu.1. & seqq. Honded. cons.79. nu.44. & seq. lib.1. Immo.*

2 Nec præsumuntur qualitates ad eam inducendam necessariæ, videlicet titulus, & bona fides. *Menoc. vbi supra num.9. Paris. cons.27. num.90. lib.1.* Vltra quod in hoc casu non videtur posse dari de aliqua præscriptione, cum nec D.Carolus, nec isti tertij ab eo causam habentes possederint per 30. annos, præsertim ante motam litem, prout requiritur, *l. sicut. C. de præscript. triginta, vel quadraginta ann. Aym. consil.201. nu.33. Honded. cons.82. num.45. lib.1.* etiamsi isti tertij vellent vti accessione temporis Do. Caroli eorum auctoris, quia detracto tempore pupillaris ætatis Dominæ Æmylie, neque probaretur decursus 30. annorum. *dicta. l. sicut. Balb. de præscript. parte 6. princip. in 23. casu. num.34. ad fin. Gabr. consil.163. numer.12. lib.1.* Et fuit dictum in causa Romana de Caffarellis. 9. Decemb. 1587. coram Gipsio. Et fuit consideratum in hac causa 14. Maij 1612. coram me.

3 Aut quia fecerint melioramenta in dictis bonis, & propterea prætendant impedire executionem, & retinere bona, iuxta *consi. Gabr.31. num.22. & seqq. lib.2.* Et neque hæc prætensio subsistit, cum de istis melioramentis non constet in actis. *Paris. cons.33. num.53. lib.1. Roland. cons.28. nu.31. lib.1. Rota decis.312. nu.4. p.2. diuers.* Et ita fuit decisum.

R. P. D. ANDREA.

Conchen. Decimarum dell'Infantado. Lunæ 2. Iunij 1614.

ARGVMENTVM.

Sententia nulla dummodo iusta parte non opponente potest confirmari, & an oppositio super nullitate suffragetur, si fiat coram secundo iudice, nec repetatur coram iudice tertiæ instantiæ. Plura de actorum amissione, & an illa probetur assertione Notarij, & an acta, quæ non reperiuntur, præsumantur esse de illis, quæ amissa sunt. De protestatione in quolibet actu repetenda, & de sententia petitioni non conformi, quando sustineatur.

SVMMARIVM.

Negatiua probatur, quando ex reuolutione chartarum processus acta in eo annotata non reperiuntur. nu.1. & 2.
Sententia nulla dummodo iusta fuerit, parte non opponente confirmari potest. num.2.
Protestatio in iudicialibus repeti debet in quocumque actu, alias ab ea recessum censetur. num.3.
Amissio scripturarum probatur per assertionem Notarij, quādo illa allegatur non à Notario, sed à tertio. nu.4.
Amissione actorum aliquorum probata, acta, quæ deficiunt, censentur esse de amissis. num.4.
Nullitatem allegans, illam probare debet. num.4.
Sententia non conformis libello sustinetur in causis Summarijs. num.5.
Decimæ debent deferri ad horrea publice deputata. nu.5.
Sententia non conformis petitioni sustinetur in casibus, de quibus. num.5.
Testes examinati absque citatione ad videndum illos iurare, probant secundum praxim Hispaniæ. num.6. & 7.

DECISIO DCXI.

1 NOn placuit Dominis diuisio dubij facta per Informantes pro Rectoribus Ecclesiarum, postquam ipsis bis auditis Rota ordinauerat disputari, An sententia Rotalis esset confirmanda, vel infirmanda, quod dubium cum haberet duo capita, & prætensam iniustitiam, & nullitatem, ipsi tamen super nullitate tantummodo scripserunt, sed pro benignitate Dominorum, quæ æque ac auctoritas summa est omisso capite iniustitiæ, quæ ex decisionibus in hac causa factis omnino cessare videbatur, & pars eo ipso, quod non scripsit acquiescebat. Quo ad caput nullitatis censuerunt nihil deduci, quod firmitatem sententiæ in aliquo labefactaret.

2 Prima enim nullitas, quod sententia Rotalis confirmabat sententiam Prouisoris Conchen. alias nullam ex defectu citationis, & conclusionis in causa, quæ non reperiuntur in processu, ex quo remanet probata negatiua. *Bart. in l. hi, qui ad ciuilia. nu.4. C. de appell. Castrens. cons.81. nu.3. lib.2. Dec. cons.483. nu.4. Vant. de nullit. ex defect. citat. nu.14. & 15. Afflict. decis.107. nu.5.* cessabat ex duobus. Primo, quia sententia nulla dummodo iusta parte non opponente potest confirmari. *Cæs. de Grass. decis.9. num.11. de caus. poss. & propr.* Ex reuolutione autem processus non constat, quod coram iudice Rotali facta fuerit huiusmodi petitio, nec tale aliquid visa fuit continere protestatio, facta coram R. P. D. meo Pirouano, bene per Dominos considerata.

3 Neque potest suffragari Rectoribus instantia facta coram Metropolitano super nullitatibus, quia illa debuit reiterari coram iudice Rotali ex quo post sententiam Metropolitani adhuc durabat eadem ratio petitionis cum per dictam sententiam non esset finita lis, nec satisfactum menti petentis, nisi etiam in Rota confirmaretur sententia Metropolitani, & declararetur nulla sententia Prouisoris. *Bald. in l. fideicommissa. §. si quis*

si quis decem. in fine. ff. de lagat. 3. Felin. in cap. 2. num. 5. fallentia 5. de treg. & pace. Roman. cons. 504. num. 1. cum duobus seqq. Vbi plena additio litera A. cum alijs per *Tiraq. in l. boues. §. hoc sermone. limitat. 6. num. 1. & 2. & limit. 10. in princ. ff. de verb. signific.* & receptum est in iudicialibus, quod protestatio in quocumque actu repeti debet, alias ab ea censetur recessum. *Mohed. dec. 2. de iudic. Put. decis. 218. cum. secundo, libro secundo, Verall. dec. 403. num. 2. par. 2. Rota diuer. decis. 788. numer. 3. par. 1.*

4 Secundo dicta nullitas cessabat ex amissione partis actorum, de qua attestatur Notarius, cui in hoc fatis visum fuit deferri posse, cum huiusmodi amissio non allegetur per ipsum, sed per alium ex deductis per *Mandell. cons. 101. nu. 8. in fin.* Nam eo ipso, quod aliqua ex actis sunt deperdita, præsumitur hoc, quod deficit in illis contineri, quia amissio actorum inducit præsumptionem, quod solennitas fuit seruata. *gl. in fin. in cap. quoniam contra. & ibi Bald. nu. 27. versicul. item fallit. il secundo.* quem ceteri communiter sequuntur, de probat. cum alijs per *Gabr. de sent. conclus. 4. num. 13. & latius per Rot. dec. 143. num. 11. part. 2. diuers.* Et in omnem euentum, aut pars admittit amissionem actorum, & tunc præsumitur pro validitate sententiæ, aut non admittit, & tunc illi incumbit onus probandi processum integrum, ex quo dat de nullitate, quam allegans probare debet. *Ioan. Andr. ad Specul. de exequut. sent. §. posthumo. num. 6. litera B. ad med. versic. probabit autem, Vant. de nullit. rubric. à quo, & quib. mod. numer. secundo, cum trib. seqq. Crescen. dec. 2. num. 1. de præsumpt.*

5 Alia nullitas ex difformitate sententiæ cum libello, quia sententia Prouisoris nedum continet condemnationem, iuxta libellum, sed vlterius condemnat ad deferendum fructus in tertia maiori adhorreum maius, vltra quod ea non procedit in causis Summarijs. *Andr. Gail. obseru. 66. num. 15. lib. 1.* qualis est causa decimarum. *Clem. dispendiosam. vbi glos. in verbo decimis. de iudic.* Et omisso quod iudex potest ex officio in dicta causa procedere. *Anchar. in d. Clement. dispendiosam. num. 4. cum alijs per Alexand. Monet. de decim. cap. 8. num. 76. in 1. conclus.* Ex alio remouebatur, quia nisi cogerentur Rectores ad deferendum decimas in horreum maius, Episcopus non posset de illis participare, & ideo dum Episcopus dixit, Rectores sibi subtraxisse partem decimarum, & petijt sibi dari mandatum ad effectum, vt Rectores sibi soluant certe inconsequentiam petijt eas deferri ad horreum commune, quia vbi sunt horrea ad hoc publice deputata, debent decimæ ad illa horrea deferri. *Couar. lib. primo var. cap. 17. nu. 8. vers. 8. ex bis colligitur. ad med. vers. secundum si horrea. Alex. Monet. vbi supr. cap. 6. num. 4. vers. tertia conclusio. & seq.* Cum igitur hoc sit consequtiuum ad petitionem Episcopi, dici non potest, quod fuerit diuerso modo pronunciatum. *Afflict. dec. 32. nu. 3. & 4. Rot. dec. 450. nu. 2. & per tot. par. 1. diuers.* & idem fuit responsum ad condemnationem fructuũ decursorum, qui etiam veniunt consequutiue ex natura iudicij. *cap. conquerente. de restit. spoliat.*

6 Tertia nullitas ex defectu citationis ad videndum iurare testes, in quo valde insistebant Informantes pro Rectoribus, satis superque fuit sublata per particularem decisionem in hac causa factam, coram R. P. D. meo Pirouano. Cui non obstat formula interloquutoria de admittendo partes ad probandum, relata per *Gonzalez. Suar. de Paz. in sua praxi, parte prima, primi tom. 8. temp. num. 2.* vbi post dictam admissionem sequitur, *y mandò citar ambas partes para ver presentar iurar y conoscer los testigos, & num. 54. idem Gonzal.* ait, dicta verba apponi, quia prædicta citatione non præmissa depositio testium erit nullius momenti. Cum enim iuxta stylum illarum partium soleat post dictam admissionem ad probandum cum præfixione termini nouem dierum apponi dicta clausula citationis ad videndum iurare testes, vt in Summario Rectorum, num. 10. & Prouisor dixerit, quod admittebat partes ad probandum, cum dicto termino nouem dierum, ad effectum, vt infra illos facerent eorum diligentias, vtique dicta clausula citationis, etiam si omissa fuerit, quod satis negari potest, habetur pro expressa *ad text. in leg. quod si nolit. §. quia assidua. ff. de ædilit. edicto. & in cap. cum M. Ferrariensis. vbi Doct. de const. Gabr. de consuet. concl. 3. num. 2. & 35. Affl. decis. 265. num. 83. Grammat. dec. 62. num. 20. Surd. dec. 223. num. 9.* etiamsi dicta clausula esset substantialis. *Gabr. vbi sup. nu. 28.*

7 Quod bene agnouit Procurator Rectorum, qui intimato sibi dicto decreto Prouisoris, & dato interrogatorio, quem nos dicimus articulum per Procuratorem Domini Episcopi, coram eodem Prouisore petijt sibi dari copiam dicti interrogatorij, siue articuli, ad faciendum per suos principales interrogatoria necessaria contra testes, quos D. Episcopus præsentauerit, ex quo remanet indubitatum, quod illud decretum fuit intellectum à partibus in vtroque casu, tam de recipiendo testes, quam de citando ad videndum eos iurare, postquam immediate post illius intimationẽ pars Episcopi dedit, & procurator Rectorum dixit, quod volebat dare sua interrogatoria, iuxta stylum, de quo per *Gonzal. Suar. vbi sup. d. 8. temp. nu. 60. vers. postquam enim cum duob. seqq.* Ex quibus, & alijs deductis coram R. P. D. meo Pirouano in decisionibus in hac causa factis vnanimiter placuit in omnibus sententiam Rotalem esse confirmandam, &c.

DECISIO DCXII.

Romana Pecuniariæ. Lunæ 27. Iunij 1614.

Impressa apud Buratto.

DECISIO 58.

R. P. D. DVNOZETTO.

Ciuitatis Castelli Parochialis. Lunæ 2. Iunij 1614.

ARGVMENTVM.

Testes de publica voce, & fama, ad effectum iustificandi gratiam beneficij probant obitum, valorem beneficij, & clericatum. Papa in beneficialibus est absolutus Dominus, & potest concurrere cum quocunque collatore, illiusque assertioni statur super idoneitate eius, cui fecerit gratiam beneficij.

SVMMARIVM.

Papa in beneficialibus est absolutus Dominus, & potest concurrere cum quocunque collatore. nu. 1.
Obitus probatur per publicam vocem, & famam. num. 1. in fine.
Valor beneficij probatur per publicam vocem, & famam. n. 2.
Clericatus probatur per testes deponentes de publica voce, & fama. nu. 4.
Assertioni Papæ statur super idoneitate clerici, cui fuit facta gratia de beneficio. nu. 5.
Clausula in gratia beneficij apposita, dummodo non sit alteri ius quæsitum quid, & quantum operetur. nu. 6. & 7.
Collatio Parochialis facienda est electo magis idoneo in concursu. nu. 6. Vbi aliter facta est ipso iure nulla.
Decretum irritans inficit Titulum, & possessionem. nu. 7.

DECISIO DCXIII.

1 Domini vtraque parte informante responderunt constare de bono iure D. Florutij ex prouisione Apostolica ad eius fauorem facta, quæ cum fuerit iustificata, sine dubio dedit ius in beneficio, cum Papa in beneficialibus sit absolutus Dominus, & possit concurrere cum quocumque collatore, capite cuncta per mundum, capite per principalem, *quæst.3, Caputaq. decis. 282. num.3. par.1. Late Gonzal.super reg. 8. §. 1. num.1. & seq. §.2. num.44. in proœm. & gloss.4.num.176.* gratiam fuisse in omnibus iustificatam, concludenter fuit doctum. Nam obitus bene probatur per testes, de publica voce, & fama deponentes, *Put. decision. 266. num.4. lib.3. Mohed. decision.1. nnmer.1. de probat.* Fuit dictum in Calaguritana beneficij de Suazu 10. Martij proxime præteriti, coram R. P. D. Remboldo, & alias sæpe.

2 Quod valor beneficij non excedat Ducatos 140. concludenter probatur ex testibus prædictis de publica voce fama, *Put. decis.29. lib.1. Caputaq. decis.277. num.8. part.1. Rota diuers. decis.293. num. primo, part. 1.* fuit dictum in dicta Calaguritana de Zuasu 10. Martij proxime præteriti, coram R. P. D. Remboldo, & in alijs causis.

3 Nullitas vero examinis obiecta ex defectu citationis ad videndum iurare testes, fuit sublata ex facto. Nam procurator Rogerij fuit citatus personaliter. ad videndum iurare testes die octaua Octobris, 1613. qui die sequenti, sub qua cadebat citatio, iurauerat

4 Clericatus, & aliæ qualitates Florutij, probantur ex eisdem testibus de publica voce, & fama, & communi reputatione. *Rot.decis. 19. de probat. in antiq. Caputaq.dict.decision.277. num.8. Rota diuers.decis.459. part. 3. libr.3.* fuit dictum in Casalin. Canonicatus 13.mensis Ianuarij 1606.coram Reuerendissimo Domino Attrebaten. & in Calaguritana beneficij coram R. P. D. Pamphilio.

5 De maiori idoneitate D. Florutij constat ex assertioni Papæ asserentis sibi constitisse ex testimonio Episcopi, quæ asserentis sufficit ad effectum iustificationis, vt fuit dictum in Nucerina beneficij 30. Octo. 1592. coram bonæ memoriæ D. Penia in Colonien. Canonicatus 20. mensis Maij 1602.coram bon.mem.Illustrissimo Pamphilio, & in dicta Calagitana.

6 Non obstat in prouisione Apostolica clausula dummodo non sit alterius quæsitum, &c. per quam censetur præseruatum ius Rugerij ex prouisione Capituli ad sui fauorem facta, & cuius vigore reperiebatur in possessione. Nam etiamsi ius conferendi spectaret ad Capitulum, quod adhuc non videtur probatum, tamen cum simus in parochiali collatio erat facienda electo magis idoneo in concursu ab Episcopo iuxta formam traditam à Sacro Concilio Tridentino, *sess.24. cap.18.* in Summario D. Florutij dato, quę forma cum non fuerit per Capitulum hoc casu seruata, collatio fuit ipso iure nulla. *c.cū dilectus, de rescript.cum alijs in his terminis per Gonzalez. gloss.4. num.136. & 137.* stante præsertim Constitutione Sanctæ memoriæ Pij Papæ V. quæ collationes omnes contra dictam formam factæ, declarantur nullæ, irritæ, & nullius roboris, & momenti.

7 Decretum enim irritans inficit titulū, & possessionem, *c.si eo tempore de elect.in 6. Cassad. dec.1. nu.7. de restit.spoliat.cum alijs latè congestis per Gonzalez. gl.67.num. 11. & seq.* Ita vt Rugerio ex dicta collatione nullū ius considerabile possit dici acquisitum, quod solum pręseruat clausulam dummodo non sit. *Abb. cons.98.num. 4. ante fin. vers.non obstat. lib.1. Sarren. super regul.de iure quæsit.non tollen.quæst. 21. num. 4.* Fuit dictum in Calaguritana beneficij de Maiorate 24. Octobris, seu Nouembris 1614. coram Reuerendissimo Attrebaten.dicta Calaguritana, coram R.P.D. Remboldo.

8 Verum, quia Informantes pro Ruggiero prætendebant, non esse locum concursui, eo quia dicta parochialis sit de mensa Capitulari, Domini in hac positione ex prędictis resoluerunt constare de bono iure D.Florutij; nisi beneficium sit de mensa Capitulari, super quo postea erit particulariter videndum. Et ita fuit conclusum, &c.

R. P. D. MANZANEDO.

Romana Census. Lunæ 1. Iunij 1614.

ARGVMENTVM.

In incorporalibus possessio cedentis transfertur in cessionarium, daturque cessionario manutentio, sicut daretur cedenti.

SVMMARIVM.

Mandatum de manutenendo dandum est cessionario, sicut daretur cedenti, probata eius possessione. numero 1. & 2.

Possessio cedentis transfertur in cessionarium, quando sumus in iuribus incorporalibus. num.2.

Cessio in incorporalibus tantum operatur, quantum traditio. num.2.

Producens quietantias sine protestatione censetur ratificasse solutiones in ea contentas. num.3.

Manutentio non impeditur per exceptionem requirentem altiorem indaginem. num.4.

DECISIO DCXIV.

1 Ioanni Baptistę dandum esse mandatum de manutenendo pro medietate census, Domini dixerunt, cum pro dicta medietate sit cessionarius Annibalis, de cuius quasi possessione exigendi fructus census non controuertitur, & constat ex pluribus partitis ex aduerso in actis productis. Vnde sicuti manutentio competere Annibali cedenti. *§.retinend.c. instit.de interdict.* Ita & competit Ioanni Baptistę cessionario in quem huiusmodi ius fuit translatum, *l. nomen debitoris. in princip. de leg.3. Roman.consilio 38. num.1. & consil. 135. in princ.Paris. consil.75.num.18. lib.4.*

2 Cum enim simus in iuribus incorporalibus possessio cedentis transfertur in cessionarium absque alia apprehensione. *Natt.cons.398. num.38. Menoch. de retinen. remed. 3. num. 259. & seq.* quia in incorporalibus tantum operatur cessio, quantum tradito. *glos. & Doct.in l.finali.C.quan. ad fisc. vel priuat. Bart.in l. ad eum quem. num. 1. ff. de donat. Bald. consil. 341. in fin. lib.2.* & sic probata possessione cedentis, cessionario competit manutentio ex superius adductis ex eodem. *Natt. vbi supra.d. nu.38.ita declarante glo. in l.2.§.idem Nerua. in ver. experiaris.ff. ne quid in loco publico.Menoch. vbi supra.* Et fuit dictum in vna Romana census 4. Martij 1611. coram bone memorie Penia.

3 Maxime, quia constat etiam de quasi possessione exigendi Ioannis Baptistæ ex pluribus quietantijs ab ipso factis diuersis debitoribus D. Flaminię. Et licet non constet de mandato soluentium, tamen cum ipsa Domina Flaminia dictas quietantias produxerit in iudicio sine aliqua protestatione, illas solutiones ratificasse videtur. *l. Publia. §.finali. ff. depositi. cap.cum olim.de censib. Dec. in c. cum venerabilis. num. 22. de exception.Surd.consil.5. nume.37. & consi.28. num.47. lib.1.* Et fuit dictum in vna Romana dotis, 6.Iunij 1611.coram R.P.D. Vbaldo, etiam si productio sit facta à Procuratore. *Caputaq.decis.193.p.1.*

4 Non

4 Non obstat extinctio census ex aduerso opposita, quia redditur multum turbida, ex adductis per Informantes pro vtraque parte, & tanquam requirens altiorem indaginem est remittenda ad petitorium, nec interim possidenti est deneganda manutentio, vt fuit resolutum in Bononien. census 21. Ianuarij 1600. coram Illustrissimo Cardinali Lancellotto. & in alia Romana fructuum census. 22. Iunij 1609. coram Domino meo Caualerio. Ex quibus ita resolutum.

R. P. D. VBALDO.

Barchinonen. Cappellaniæ. Lunæ 2. Iunij 1614.

ARGVMENTVM.

Ius patronatus ex sola fundatione acquisitum dicitur, & etiam per quasi possessionem iuris præsentandi. Quomodo præscribatur Ius patronatus ob negligentiam patronorum non præsentantium, & quando Ius patronatus dicatur Ecclesiasticum.

SVMMARIVM.

Ius patronatus ex fundatione acquiritur. nu. 2.

Iuris patronatus quasi possessio probatur per collationem beneficiorum ad præsentationem patronorum. nu. 2.

Ius patronatus non præscribitur ex sola negligentia patronorum, qui alias fuerunt in possessione præsentandi, nisi doceatur de collationibus factis tanquam de beneficio libero cum scientia, & patientia patronorum. nu. 3.

Ius patronatus censetur Ecclesiasticum, quando fuit fundatum à clerico non habente bona patrimonialia, vel aliunde quæsita, quam ex beneficio. nu. 4.

Ius patronatus censetur Ecclesiasticum, quando est reseruatum ad fauorem beneficiatorum, etiam quod sit fundatum de bonis laicalibus. nu. 5.

Regula quod attendi debet id quod est, & non id, quod futurum est. nu. 6. in fine.

Ius patronatus non mixtum, sed Ecclesiasticum dicitur, quando in fundatione fuerit dictum, quod si beneficiati intra mensem non præsentauerint, ius præsentandi deuoluatur ad laicos. nu. 6. & 7.

DECISIO DCXV.

1 CVm fuissent erectæ duæ Cappellaniæ vsque de anno 1415. à quondam Nicolao Oromir ad præsentationem duorum Clericorum, & ipsis intra mensem præsentare negligentibus, ad præsentationem laicorum, & vna ex prædictis Cappellanijs vacasset de mense Iulij, fuit de ea prouisus Bernardinus à Sede Apostolica, tanquam de reseruato ratione mensis, qui obtento Breui de capienda possessione, obtinuit etiam sententiam declaratoriam contra Nicolaum, qui in possessione dictæ Cappellaniæ reperiebatur. Vnde in gradu appellationis commissa causa in Rota cum rescripto parito Breui arbitrio Rotę die 15. Nouembris præteriti, proposui dubium. An intraret arbitrium, & DD. mandarunt, vt videretur. An constaret de Iure patronatus, & de eius qualitate, videlicet, an esset Ecclesiasticum, vel mixtum in casu, & ad effectum, de quo agitur, qui eram ad excludendam vel includendam reseruationem.

2 Quo dubio hodie proposito, Domini quo ad primam partem censuerunt, constare de Iure patronatus ex fundatione, quæ data fuit, ex qua regulariter acquiritur. *gloss. & Doct. communiter, in cap. piæ mentis. 16. quæst. 7. cap. nobis. de Iure patron. Aym. consil. 68. in princip.* & fuit sæpe decisum, & de effectuatione satis videbatur constare, ex quo Ordinarius ad præsentatione patronorum dictas duas istas Cappellanias aliquando contulit cum enunciatiua dictæ Institutionis Cappellaniarum à Nicolao Oromir factæ, & alias non est verisimile, quod Ordinarius, de cuius interesse agebatur, contulisset ad præsentationem, nisi extitisset Ius patronatus, *iuxta decis. 11. de Iur. patron. in nou. Lamb. de Iure patron. lib. 2. part. 2. quæst. 10. artic. 7. num. 11. Card. Seraph. dec. 1232. num. 2. part. 2.* iuncto præsertim spacio fere 200. annorum, quod intercessit à dictis collationibus, iuxta tradita per *Gabr. de præsumpt. concl. 1. nu. 9.*

3 Nec dicatur per negligentiam patronorum tanto temporis spacio fuisse præscriptum statum libertatis, ex quo de alijs pręsentationibus non docetur. Quia respondetur, quod dato statu, Ius patronatus ex antedictis pręsentationibus, & institutionibus Ordinarijs, sola negligentia patronorum non sufficit ad pręscribendum statum libertatis, sed deberet doceri de collationibus factis, tanquam de beneficio libero, cũ scientia, & patientia patronorum, vt fuit late deductũ in causa Papien. Archipresbyteratus. 9. Aprilis 1601. coram bo. mem. Cardinale Pamphilio.

4 Quo ad secundam partem dubij visum fuit DD. hoc Ius patronatus esse potius Ecclesiasticum, quam laicale, vel mixtum, quia hęc Cappellania fuit fundata à Clerico, videlicet à Rectore Ecclesiæ, & cum nõ constet, eum habuisse bona patrimonialia, vel aliunde quęsita, & constet eum habuisse beneficia, pręsumitur Ius patronatus fundasse ex bonis, vel redditib. Ecclesiasticis, & proinde Ius patronatus esse Ecclesiasticum. *Roc. de iur. patr. in verbo Ius. nu. 18. Lambert. eodem tract. lib. 1. par. 1. q. 8. art. 7. num. 17.*

5 Quibus accedit, quod istud Ius patronatus est expresse reseruatum ad fauorem duorum beneficiatorum, & sic censeri debet Ecclesiasticum, etiamsi esset fundatum de bonis laicalibus. *Abb. in cap. cum autem. nu. 3. de iure patr. & in cap. eam te. nu. 4. eod. tit. Roc. eo. tract. in verb. Ius nu. 15. Card. cons. 82. nu. 1. in fine.*

6 Non obstat, quod si beneficiati non pręsentauerint intra mensem, ius pręsentandi deuoluitur ad laicos ex tenore dictę fundationis, quod est vnicum fundamentum informantium pro Nicolao ad inducendam mixturam huius Iuris patronatus, quia fuit responsum, mixturam in hoc casu considerari, quando in simul, & eodem tempore Clerici, & laici habent ius pręsentandi. *gloss. final. in cap. vnic. de Iure patronat. in sexto. Abb. in capit. vltimo. prope finem.* ibi pręsentatio simul pertineat. de Iure patronat. *Roe. eodem tract. in in verbo Ius. nu. 15. & 16. Lambert. lib. primo. part. prima. quæstione prima. artic. 6.* In hoc autem casu non adest communis, vel concursus inter clericos, & laicos, sed ius pręsentandi competit solis clericis, sed ijs tantum negligentibus pręsentatio deuoluitur ad laicos, & sic nullum ius dicitur laicis competere ante deuolutionem. *Rebuff. in prax. in titul. de deuolut. numer. 32. Rota decis. 10. versic. concludendo.* vsque ad finem. de Iure patronat. in antiquis. nec est ius de pręsenti certum, & determinatum, sed pendet à futuro euentu negligentię beneficiatorum, qui potest esse, & non esse, quod ius euentuale non videtur considerabile, iuxta *text. in leg. sciendum. §. penult. ff. qui satisd. cogan. Aegid. decisione 741. numer. 6. circa finem. Sarnen. in regul. de iure quæsito non tollend. quæstio. 4. in principio, & numer. 12. versic. primus est.* cum duobus sequentibus facit regula, quod res non recipit denominationem ab eo, quod erit, sed ab eo, quid est. *Bald. & Salicet. in leg. si nondum. Cod. de furt. Iason. in leg. prima. §. qui mandatum. numero primo. ff. de offic. eius, cui mand. est iuris.* & quod debet attendi presens status purus, & non qui euenire potest. *Castrens. consilio 428. numero primo, parte prima*, & ad hoc multa similia congerabant Informantes pro Bernardino, quę Dominis placuerunt.

7 Placebat etiam vni ex Dominis aliud motiuum, quod Ius patronatus re vera resideat in ipsis Clericis, sed ob eorũ negligentiam præsentatio deuoluatur ad laicos, quæ præsentatio non est ipsum Ius patronatus, sed quidam fructus, & effectus ipsius, vt tradit *Roc. vbi supra num.8. Lambert. de Iurepatron. prima par.2. lib. quæst.1. artic.2.* & possunt simul stare, quod vnus sit patronus, & alter habeat præsentationem, *c. consultationibus, vbi gloss. & Doct. de Iure patronat.* Et quando constat de Iure patronatus, ipsa præsentatio non attenditur. *Abb. & Doct. in dict. c. consultationibus, cum latè deductis, in decision.167. nu.10. par.2. diuers.* Ex quibus fuit resolutum, Ius patronatus prędictum esse Ecclesiasticum.

R. P. D. VEROSPIO.

Cæsaraugustana Dedicationis. Lunæ 9. Iunij 1614.

ARGVMENTVM.

De celebratione festi dedicationis Ecclesiæ plura notanda, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Ecclesia tenetur de iure communi celebrare festum suæ dedicationis. nu.1.

Consuetudo seruanda est in celebratione festi dedicationis Ecclesiæ. nu.2.

Maior quisque dicitur in domo sua, num.4.

Ecclesia Cathedralis habet prærogatiuam celebrandi suam dedicationem, nu.4.

Quasi possessio celebrandi festum dedicationis priuatiue quo ad aliam Ecclesiam, quomodo probari debeat per testes, num.5.

DECISIO DCXVI.

1 POst mandatum de manutenendo, me ponente concessum Ecclesiæ B. Virginis de Pilar super celebratione festi propriæ Dedicationis.

Dubitaui an eadem Ecclesia teneretur ad instar aliarum, Dedicationis Ecclesię Mettropolitanæ festum celebrare. Et fuit negatiuę responsum, ex quo enim dedicatio Metropolitanæ sub eodem die cadit cum dedicatione Ecclesiæ del Pilar, ista cogi non debet, ad illam celebrandam, cum de iure communi proprię dedicationis diem celebrare teneatur, *c. solemnitas 1. & 2. de consecrat. dist.1. & c.1. eod. tit. dist.3. & notat. Abb. in rubr. de consecrat. nu.3.*

2 Quod idem vniuersali Ecclesiæ consuetudini respondet, si quidem officium dedicationis proprię Ecclesiæ regulariter alijs solennitatibus prætertur, vt ex rub. Breuiarijs Romani 4. in ordine de Dominicis ex 10. de translatione festorum colligitur. Hæc autem consuetudo est seruanda. *Vitallin. in Clemen. dignum, nu. 59. & 60. de celebrat. Missarum. Felin. in rubr. de maior. & obed. nu.10. Nauar. in Manuali, c.13. num.5. Rota in nouis, dec.4. nu.3. de elect.*

3 Et hoc idem iuri consonat, cum respectu precedentiæ quilibet in domo sua maior dicatur, *leg. nihil omnino, & ibi glos. fin. Cod. de palat. sacr. larg. libr. 12. Capic. decision. 27. numero 24. & 25. Corn. consilio 193. numero 15. libr. 2.*

4 Vlterius ex quo Ecclesia del Pilar olim fuit Cathedralis, censetur prærogatiuam celebrandi suam dedicationem retinuisse. *Ioan. de Platea in leg. 1. & 2. de præfect. prat. libr.12. Guido Pap. decis. 377.* Quæ ratio dignitatis antique non militat in alijs Ecclesijs, & ideo hæc non tenetur, sicut aliæ Metropolitanæ, & dedicationem celebrare.

5 Stante igitur assistentia iuris, nec non dicta vniuersali consuetudine pro Ecclesia del Pilar, debuit Metropolitana probare, se post erectionem, & translationem in Cathedralem illi prohibuisse, ne proprię dedicationis solennitatem celebraret, & quod eadem etiam per tempus requisitum ad præscribendum acquieuerit, per *gl. in l. qui luminibus, & ibi Bart. Castr. & alij, ff. de seruit. vrban. præd. Felin. in cap. pastoralis, num. 5. in 8. limit. de officio Ordinarij, cum alijs per Gabr. de præscript. conclus.10. num. 130.* Hoc tamen nunquam fuit probatum, non obstantibus testibus alias in contrarium adductis, vt fuit resolutum in decisionibus coram Reuerendissimo Bononien. Et cum hodie nihil vltra releuans deducatur non videtur in eodem amplius insistendum, &c.

REVER. P. D. MANZANEDO.

Colimbricen. pensionis. Veneris 6. Iunij 1614.

ARGVMENTVM.

Pensionis solutio quibus exceptionibus retardetur, quando causa est commissa cum clasula arbitrio Rotæ.

SVMMARIVM.

Pensionis solutio retardatur, quando ex ventre literarum Apostolicarum apparet, pensionem esse extinctam ex assecutione Parochialis Ecclesiæ, num.1. & seqq.

Iudex potest ex officio agentem repellere, quando illi offert exceptio, quæ inest obligationi. num.1.

Concessum ad tempus post illud tempus censentur denegatum numer.2.

Pensionis solutio non retardatur per exceptiones, requirentes altiorem indaginem, num.3.

Supplieatio vbi continet plura, possunt super ea plures literæ expediri, sub radem daea, & quilibet suas expedit literas, prout sua interest, & sine grauamine sibi imposito. numer.4.

DECISIO DCXVII.

1 FVit coram me in ista causa resolutum secunda Decembris 1613. arbitrium non intrare pro retardatione solutionis, cum illa non retardetur, quoties constat de reseruatione pensionis, iuxta decisiones ibi adductas, & quod exceptio assecurationis alterius Parochialis, qua stante cessabat ista pensio respiciebat petitorium, & requirebat altiorem indaginem, cum non esset liquida, & interim pensionarius non erat priuandus sua possessione, & cum Gundisaluus illi decisioni non acquiesceret, causam super eisdem 20. Aprilis præsentis anni repro posui, & Domini ordinarunt, quod videretur particulariter super extinctione istius pensionis ad eundem effectum, an intraret arbitrium. Vnde hodie proposui dubium, an dicta pensio esset extincta in casu, & ad effectum, de quo agitur. Et Domini pro extinctione responderũt ex illo potissimum fundamento, quod in supplicatione Sanctissimo porrecta super resignatione istius parochialis facta per Henricum ad fauorem Gundisalui adest decretum Sanctissimi, his verbis, quod quotiescumque aliquam aliam parochialem Ecclesiam de Iure patronatus eiusdem Comitis existen. vacare, & ipsum Henricum ad illam præsentari, & eam consequi contigerit, pensio per presentes reseruata eo ipso cesset, dictusque Gundisaluus, & sui in dicta Ecclesia successores ad illius solutionem vlterius faciendam non teneatur, &c. Vnde cum constet de Iure patronatus eiusdem Comitis, quod nec contrauertitur, videtur dicendum, pensionem istam cessare, ex adductis

ctis per *Cassador. dec. 10. n. 1. & seq. de rescript.* cum ex facie supplicationis appareat de extinctione pensionis, constito, prout constat de assecutione Henrici alterius parochialis, quo casu tradit Cassad. iudicem ex officio posse, & debere absque partis oppositione repellere agentem, per *tex. in leg. lecta. vers. dicebam. ff. si cert. petat. & ibi Bart.* Non enim est necesse opponere exceptionem, quæ inest obligationi, *l. petens. cum ibi notat. C. de pact. l. eum qui ita §. qui ita. ff. de verb. oblig.* & tali casu exceptio dicitur oriri ex ventre literarum, & in eisdem literis pensionem annullari, & tunc retardari solutionem, *iuxta dec. 649. num. 3. libr. 3. par. 3. vbi Rota sequuta est supradictam decisionem Cassadori. Et in idem cadit dec. 654. nu. 5. eadem parte, & lib.*

2 Et facit, quia iuxta dictum decretum Sanctissimi pensio ista fuit concessa, tantummodo ad tempus assecutioni alterius parochialis per Henricum, & concessum ad tempus, post illud censetur denegatum. *l. 1. §. 1. & ibi Bald. ff. de pact. l. statu liberum. §. Stichum. & l. Titia cum testamento. §. vlt. de legat. 2. Oldrad. cons. 203. in fine. & plures cumulat. Tiraq. de retract. conuent. gl. 2. §. 1. num. 46.* Nec in isto casu prædicta exceptio potest dici requirere altiorem indaginem, cum oriatur ex ventre eiusdem supplicationis, & requirat solam verificationem in facto assecutionis alterius parochialis per dictum Henricum.

3 Ex quibus videtur responsum decisionibus *Veral. 321. par. 1. 320. seu 322. incip.* pensionarius tenetur soluere. parte secunda. quibus dicitur exceptionem extinctionis pensionis non impedire illius solutionem, quia requirit altiorem indaginem, ex ibi adductis. Loquuntur enim prædictæ decisiones in exceptione extinctionis, non oriente ex ventre literarum reseruationis, sed aliunde, prout in professione monachi, qui cum posset ex dispensatione pensionem retinere non videbatur consentaneum interim priuare pensionarium sua quasi possessione exigendi, quod secus est in casu nostro, in quo exceptio extinctionis oritur ex ventre dictæ supplitiocanis, & ex decreto per Sanctissimum in illa apposito.

4 Non obstat, quod in literis reseruationis istius pensionis non adsit prædictum decretum, quia ex stylo Curiæ possunt super eadem supplicatione plures literæ expediri, sub eadem data, & quilibet expedit suas literas sine grauamine sibi imposito, & prout sua interest, quod euenit in casu nostro, cum Henricus expediuerit reseruationem pensionis sine dicto decreto. Gundisalu. vero literas suæ prouisionis sine grauamine dictæ pensionis, quamuis ad partes expediuerit literas super dicto decreto, & omnes istæ literæ sunt desumptæ ex eadem supplicatione, continente dictum decretum, quod sufficit.

5 Minus obstare videtur, quod dictum decretum nō videatur conforme mandato ad resignandum dato per Henricum restricto ad assecutionem alterius parochialis maioris valoris, de quo tamen maiori valore non fit mentio in decreto. Respondebatur enim quod ista exceptio tendit ad inualidandam resignationem ob defectum consensus, sed non ad extinctionem pensionis, quæ apparet extincta, ex dicto decreto apposito in supplicatione, vltra quod prædicto decreto fuit adhibitus consensus procuratoris Henrici. Ex quibus fuit conclusum pro extinctione pensionis, qua stante Domini censuerunt intrare arbitrium pro illius solutionis retardatione maxime cum clausula arbitrio remittat aliquid de iuris rigore, & intret æquitas maxima, quod stante dicta extinctione solutio pensionis retardetur, & per consequens ex supradictis fuit recessum à prima decisione.

DECISIO DCXVIII.

Boianen. Beneficij. Veneris 6. Iunij 1614.

Impressa apud Buratto.

DECISIO 59.

REVER. P. D. PAMPHILIO.

Placentina Dotis, & Antifacti. Veneris 6. Iunij 1614.

ARGVMENTVM.

Donatio propter nuptias, quam vigore statuti vxor lucratur propter mortem viri, quo ad vsumfructum filio superstite ex eodem viro mortuo filio, quandocumque filius moriatur, proprietas consolidatur cum vsufructu ad fauorem vxoris.

SVMMARIVM.

Donationem propter nuptias, quam vxor lucratur per mortem mariti quo ad vsumfructum viuente filio ex eodem marito procreato, lucratur ipsa vxor, & mater respectiue, et am quo ad proprietatem mortuo filio, siue ante transitum matris ad secunda vota, siue etiam post. nu. 1.
Forma inducitur per clausulam non aliter, nec alio modo. n. 2.
Clausula non aliter, nec alio modo inducit formam, & est adeo præcisa, vt non recipiat interpretationem, seu modificationem à verbis separatam. nu. 2.
Dictio ipse denotat personalitatem, ita vt omnes alios excludat. nu. 3.
Conditionalis promissio, conditione non adimpleta, non est obligatoria. nu. 3.
Cautio præstita per procuratorem alicuius in casu, in quo de iure præstari non debebat, intelligitur præstita, quatenus de iure præstari deberet, & non alias. nu. 4. & 5.
Instrumentum dicitur probatio probata, & facit rem manifestam. nu. 6.

DECISIO DCXIX.

1 Censuerunt Domini, sententias quo ad præiudicialia Angelicæ Mariæ esse reuocandas, quo ad reliqua confirmandas. Et quo ad caput reuocationis ex eo moti sunt Domini, quia Angelica Maria in dictis sententijs reperitur condemnata ad præstandam idoneam securitatem de restituendo Antifactum Arcello heredi ipsius primi viri, finito vsufructu, quam tamen cautionem nullo modo præstare tenebatur, quia, cum iam decessisset vnicus eius filius ex primo matrimonio, ipsa lucrata fuit dictum Antifactum, seu donationem propter nuptias etiam quo ad illius proprietatem, iuxta dispositionem *tex. in leg. feminæ. §. illud. C. de secundis nupt. & in auth. de non eligen. secunda nuben. §. prospeximus. vers. quapropter. §. hoc autem. versic. si vero præmoriantur. & §. illud vero. vers. sed & diligentiam. & tradit Alex. cons. 63. num. 2. & seq. libr. 5. & cons. 66. sub nu. 7. vers. & si dicti filij. lib. 3. Aymon cons. 285. circa finem. vers. 2. respondeo. & vers. 3. Ioan. Garon. in authent. ex testamento. nu. 46. & sequent. vbi testatur de communi. C. de secundis nupt. Rimin. iun cons. 305. nu. 88. & sequent. lib. 3. Ruin. cons. 21. sub. num. 2. vers. sed alijs filijs. lib. 3. Gabriel. de secundis nupt. conclusione 3. nu. 29. vbi post alios reprobat opinionem gloss. in dicta authentic. ax testmento. in verbo filij. quæ contrarium tenuit. C. de secundis nupt.* & dicit, quod hæc opinio videtur magis communis, quam etiam sequutus est *Vincent. de Franc. decisione 106.* & in terminis Statuti Placentiæ, Petr.

Ant. Anguisola consil.4.per tot. lib.5. & procedit,siue filij decesserint ante transitum matris ad secunda vota, *Ripa in l.feminæ in 4. quæst. C.de secund.nupt. Gabr. eodem tit. conclus.1. num.22. siue post transitum ad secunda vota, iuxta text. in d.l. fæminæ, §. illud C.de secundis nupt. Alex. d.consil.66. num.7. versic. attamen. attento,l.b.3. & d. cons. 63. num.3. vers. accedit ad idem lib.5. Ruin. d.cons.21. sub nu.2.vers.sed alijs filijs. libr. 3. Gabr.d. tit.de secund. nupt. concl.1.nu.23. & concl.3. nu.30.*

3 Non obstat,quod Angelica Maria sub die 23. Aprilis 1602. post obitum ipsius primi viri promiserit dicto Arcello in actu solutionis Antifacti præstare fideiussionem de eo restituendo, quia, vt legitur instrumento dictæ promissionis, illa fuit restricta ad formam Statuti Placentiæ de hac re disponentis cum clausula non aliter, nec alio modo, quæ inducit formam *Decius cons.528, num.11. Ruju. consil.92. num.25.lib. 3. Paris. cons.19. num.25. lib.2. Natta consil. 372. num. 5. Roland. consil.63.num.29.lib.4.* Rota in causa Bononien. Translationis pensionis 23. Ianuarij 1579. relat. inter impres. diuers. *dec.446. num. 5. par. 1.* & est adeo præcisa, vt non recipiat interpretationem, seu modificationem à verbis separatam. *Alex.cons.3. num.4.lib.1. Dec. consil.61. num.2. Natta cons.372.nu.5.* Statutum sub rubric.de Dote, & antifacto lucrandis,quod ab vtraque parte datur circa cautionem huiusmodi nihil aliud disponit,nisi quod mulier prædecedete viro,antequam possit exigere, & habere ad hæredibus viri Antifactum teneatur præstare liberis idoneam securitatem de restituendo ipsis liberis dictum Antifactum,si contingat eam prædecedere liberis prælibatis. Vnde,cum iam ante diem solutionis decesserit dictus filius, sequitur dicendum, quod ipsa Angelica Maria ex huiusmodi promissione ad formam Statuti restricta nullam securitatem præstare teneatur, ex quo enim statuentes in casu isto prædecedentiæ filiorum nihil disponunt, censentur, quo ad hoc voluisse se conformare, cum dicta iuris communis dispositione, ad *text. in leg. si cum dotem. in principio. ff. soluto matrimon. Ancharan. consil. 26. num.secundo, cum similibus.*

4 Quod tanto magis est dicendum in casu isto, quia Statutum dicit, quod mulier teneatur præstare liberis idoneam cautionem de restituendo ipsis liberis, quod pronomen ipsis denotat personalitatem, ita vt omnes alios excludat etiam hæredes ipsorum filiorũ. *Ias.in l.filiusfamil.§.Diui. in secunda lectura. num. 151. & Rip. num.111. versic. & idem si.ff.de legat.1.Bald.cons.304. num.1. lib.5. Natt.consil.163. num. 8. Tiraquell. de retract. conuent. §.1. gloss.6. numer.25.* cum alijs relatis in causa Bergomen.Legati.9. Octobris 1595.coram Seraphino Maxime quia id disposuit sub conditione si contingat matrem prædecedeee liberis prælibatis, ex quo infertur,quod si eueniat contrarium, quod prædecedant filij, securitas de restituendo, & ipsa restitutio locum non habeant, ad textus *in leg. cum Prætor. ff. de iudic.* cum similibus adductis per *Pet. Anton. Anguisolam dicto consil. quarto numer. 3. in fine, & sequent. libr. quinto.*

5 Non obstat cautio præstita in partibus, pro obtinenda executione sententiæ, & rei iudicatæ,quia vltra quod illa fuit præstita à procuratore,de cuius speciali mandato non constat, prout constare debet ad effectum,vt Angelicæ Mariæ præiudicare possit placuit etiam responsio,quod cum de iure præstari non debeat,vt supra firmatum est, vel intelligitur præstita per procuratorem quatenus de iure præstari debeat ex adductis per *Afflict. decisione 399. numero decimo tertio, & sequent.* vel vti erronea non tenet, quia errans non consentit. *Grammat.dec.103.nu.168.& seq.*& alias si vigore dictæ cautionis Antifactum vllo tempore restitueretur, vti indebitum condici posset, *l. is qui ff. de condict. indebit Afflict.d. decis. 399. in fine.*

Ad decisionem Putei 17. de constitut. placuit responsio quod illa loquitur in terminis Statuti valde diuersi, ibi enim solum disponitur ad fauorem mulieris in casu non existentiæ liberorum, sed filijs extantibus nihil defertur matri, nec etiam quo ad vsumfructum: Ideo dicit,quod si filij extent, & postea moriantur,non facit, quod ipsa succedat in proprietate, & est ratio, quia tunc non potest habere locum consolidatio, sed in Statuto, de quo agitur vt supra dictum est, extantibus filijs, matri defertur Antifactum ad vsumfructum, filijs, vero postea prædecedentibus,cum statutum nihil disponat, intrat supradicta iuris communis dispositio, secundum quam in casu isto proprietas cum vsufructu consolidatur, & ipsa mater remanet plena Domina, vt considerat *Vincent. de Franchis, dicta decis. 106.*

6 Quo vero ad confirmationem sententiarum in alia parte, in qua condemnant dictum Arcellum ad solutionem Antifacti vna cum damnis, & interesse, moti sunt Domini, quia de dicto anno 1602. dictus Arcellus expresse ad prædicta se obligauit cum iuramento,& obligatione Camerali,prout constat ex publico instrumento, quod dicitur probatio probata. *Bald. in l.interest.l.in vltimo notabili. Cod. de solut.* & facit rem manifestam. *Bartol. in l. prima. numero 8. ibi Iason, numero 10. nou. oper. nunciat.* Verum cum pro parte Arceli huiusmodi damna, & interesse dicerentur soluta pro aliquibus terminis placuit Dominis de illis esse habendam rationem.

DECISIO DCXX.

Æsina pecuniaria. Lunæ.9. Iunij 1614.

Impressa apud Caualerio.

DECISIO 512.

REVERENDISS. P. DOMINO DAMASCENO.

Romana Legitimæ. Lunæ 9. Iunij 1614.

ARGVMENTVM.

In præiudicialibus scientia debet esse explicita,& indubitata,quando,& ex quibus presumatur,seu probetur ignorantia potius,quam scientia.

SVMMARIVM.

Scientia explicita, & indubitata requiritur in præiudicialibus,num.1.

Mulierum genus liberale non est,ideo eo minus præsumuntur voluisse iactare suum,nu.2.

Ignoranti quando non currit præscriptio an ignorantia præsumatur,num.3.

Restitutio quando petitur ex capite ignorantiæ an ignorantia præsumatur,nu.3.

Negligentia in agendo non imputatur illi, qui nesciebat se agere debere,num.3.

Ignorans æquiparatur impotenti,nu.3.

Præscriptio non currit non valenti agere,num.3.

Ignorantia probatur iuramento,num.4.

Scientiam testamenti,& contentorum in eo quando quis habere dicatur,nu.5.& 6.

Enunciatiua non probat contra præsentem,quando principaliter agitur de enunciato. nu.7.

DE-

DECISIO DCXXI.

1 QVia in hac causa fuit dictum lapsum quinquennij, de quo in *l. finali. C. de inoffic. testament.* minime obstare D. Septimiæ ex quo non apparet habuisse scientiam donationis factæ per patrem, & ignorantia præsumitur ex ibi allegat. & ideo fuit in hac propositione dubitatum, an constaret de scientia D. Septimiæ ad effectum, de quo agitur, & pro negatiua fuit tentum saltem quo ad illam explicitam, & indubitatam scientiam, quæ requiritur in præiudicialibus, iuxta notat. *l. de his, ff. de transact. glos. in cap. concertationi. ver. ciuerit, & ibi Gemin. nume. 15. de appellat. in 6. Paris. consi. 47. nume. 9. lib. 1. Crauet. cons. 93. nume. 8. Natta 636. num. 192. Becc. cons. 111. num. 20. Surd. cons. 328. num. 28. Put. decis. 397. num. 3. lib. 2. Podemont. decis. 176. num. 3. & 4.*

2 Maxime in mulieribus quarum genus nullatenus est liberale. *l. si stipulata. vers. si vxor. ff. de donat. inter vir. & vxor. l. sed si ego. in fin. ff. ad Senatusconsul. Velleian. & vtrobique glos. in fin. Bart. q. 7. nu. 4. vers. 5. probo. Castren. cons. 342. num. 3. lib. 1. Alex. cons. 144. num. 10. lib. 5.* Vnde minusque ceteri præsumuntur voluisse iactare suum, contra regulam, de qua in *l. cum de indebito. ff. de prob.*

3 Et quicquid sit de eo an ignorantia sit probanda per illum, qui negat impletam præscriptionem, vel aduersus illam fuerit restitutus, de quo per *Mandell. cons. 18. num. 5.* in quo forte facienda esset distinctio inter negantem concurrisse præscriptionem, & petentem restitutionem in integrum aduersus illam, quia primo casu negans præscriptionem non se fundat in ignorantia, sed opponit non esse proposita requisita, seu prescriptionem hoc est lapsum temporis, & negligentiam agere debentis, de quo per *Abbat. in rubr. de præsumpt. num. 1. in fin. Felin. in princip. Bald. cod. tit. in procem. versic. his generaliter,* in fin. quæ negligentia minime imputari potest nisi adsit scientia illius, qui agere debebat. *Alexand. consi. 1. nu. 15. lib. 4. Castren. consi. 47. num. 1. lib. 2. Decian. consil. 44. num. 36. lib. 1.* quia alias nesciens æquiparatur impotenti. *l. annus. de calumniat. l. in actione. vers. plane. ff. de furt. l. argentum. ff. commod. glos. in c. quia diuersitatem. versi. notitiæ. de concess. præben. Anchar. cons. 174. num. 3. in fin. & num. 4. Roman. consi. 228. num. 2.*

4 Verum quia Rota in decisione in hac causa facta 10. Decembris proxime præteriti, & in alijs ibi alleg. noluit resoluere an cessat præscriptio, vel potius competat restitutio. Ideo DD. in hac propositione dixerunt, quod etiamsi esset opus probare ignorantiam, quod illa remaneret probata ex instrumento iam præstito per Do. Septimiam ex quo probatur ignorantia. *c. vt circa. in fin. & ibi glos. ver. per proprium. de elect. in 6. Bald. consi. 92. num. 1. in fin. lib. 1. Oldrad. consi. 286. num. 4. Anchar. consi. 174. num. 4. Roman. cons. 54. num. 3. vers. contrarium. Alex. cons. 76. num. 8. lib. 7. Corn. consi. 168. num. 17. lib. 3. Crauet. cons. 201. numer. 33. & admittit Mandel. d. cons. 18. num. 5.*

5 Quæ autem fuerunt adducta pro parte societatis ad probandam scientiam donationis visa fuerunt non obstare, nam totum fundamentum consistit in eo, quod Septimia habuit scientiam testamenti paterni in quo quidem testamento enunciabatur donatio, de cuius inofficiositate agitur. Vnde infertur, quod si habuit notitiam testamenti, ergo & donationis in illa enunciatæ, sed ad hoc fuit responsum in primis non constare, quod Septimia habuerit scientiam saltem explicitam testamenti, prout requiritur in preiudicialibus iuxta notat. *in d. l. de his. ff. de transact.* cum alijs supra allegatis, non enim adest aliquis qui dicat Septimiæ fuisse lectum, vel ostensum testamentu patris, sed tantum, quod ipsa egit contra societatem tanquam hæredem patris, quod arguit scientiam testamenti in genere, quia alias sine testamento societas non potuisset esse hæres cum non succedat ab intestato Numæ patris Septimiæ, sed non exinde infertur, quod habuerit scientiam explicitam contentorum in eo, prout requiritur ex supra allegatis.

6 Secundo fuit dictum etiam probata scientia explicita dicti testamenti, & quod verbaliter fuerit insinuatum Septimiæ adhuc non probari scientiam explicitam donationis in qua consistebat præiudicium Septimiæ, etenim in dicto testamento non restringitur donatio, sed tantum illa simpliciter, & in genere enunciatur, vnde non probat, quod Septimia sciuerit omnia contenta in illa, sed tantum in genere fuisse per pactum factam quandam donationem, & nihilominus vt quis tacendo sibi præiudicet requiritur scientia explicita ex supra allegatis.

7 Sed neque probatur scientia implicita, quia non fuit obligata Septimia credere simpliciter enunciatiuæ testamenti paterni, cui enunciatiuæ nedum tertius, qui non interuenit in actu minime teneatur stare, sed neque ipsemet, qui interuenit tenetur stare, quando agitur principaliter de enunciato. *Angel. in l. iuris gentium. §. quod fere. in fine. ff. de pact. Alexand. cons. 21. num. 4. lib. 1. Dec. consil. 359. num. 6. Ruin. consil. 167. nu. 25. lib. 1. Decia. qui de communi consil. 120. num. 19. lib. 3.*

8 Non obstat, quod Domina Septimia fecerit quandam nominationem, iuxta facultatem sibi concessam in donatione, quia hoc fuit paulo ante litem motam, & sic ab illo tempore vsque ad tempus mote litis non fuit elapsum quinquennium, de quo in dicta *l. finali. C. de inoffic. donat.* Et ita fuit decisum, &c.

R. P. D. REMBOLDO.

Romana de Cincijs, Veneris 13. Iunij 1614.

ARGVMENTVM.

Clausula sublata, &c. in vna commissione apposita, non operatur quo ad aliam, & diuersam conditionem. Sic & iudex appellationis confirmans primam sententiam in vna parte, non videtur infirmare in alia, & è contra quando commissiones, & petitiones sunt diuersæ.

SVMMARIVM.

Absolutus in vna parte censetur condemnatus in alia, num. 2.
Iudex appellationis condemnans, seu absoluens in vna parte sententiæ latæ à primo iudice, an & quando censeatur condemnasse, & absoluisse in alia. num. 2. & per totam decisionem.
Clausula sublata, &c. apposita in vna conditione, non trahitur ad aliam diuersam conditionem. num. 3.
Numerus pluralis non potest verificari in numero singulari. num. 4.
Sententia in parte reformata non censetur in reliquis confirmata, quando diuersæ sunt commissiones, & petitiones. num. 5.
Relegato ad tempus bona confiscari non possunt. num. 6.

DECISIO DCXXII.

1 CVm superioribus annis Iacobus, & Bernardus de crimine Parricidij inquisiti, & Iacobus quidem capitis pœna mulctatus, Bernardus vero ad perpetuas triremes, & ambo in pœnam confiscationis omnium bonorum, & hæreditatis Francisci eorum patris, siue ablationis tanquam ab indignis condemnati fuissent, filij, & hæredes prædicti Iacobi primum, nec non Bernardi intra legitima tempora à pena prædictæ confiscationis, siue ablationis coniunctim

ctim appellarunt, causamque appellationis huiusmodi Reuerendissimo, tunc temporis Vrbis Gubernatori per speciale rescriptum Sanctissimi signatum committi obtinuerunt. Deinde appellauit etiam separatim ab alijs Bernardus à pœna perpetuarum triremium sibi imposita, & ad eundem fel. rec. Clementem VIII. recursum habuit, qui causam appellationis, & recursus huiusmodi eidem Domini Gubernatori, cui causa confiscationis, & ablationis commissa reperiebatur ad minus partium dispendium in vim Chirographi commisit, & ex tunc quamcumque sententiam vigore huius Commissionis ferendam cum clausula sublata, & decreto irritanti confirmauit. Vtroque iudicio sic pendente filij, & hæredes Iacobi totam hæreditatem Francisci certa pecuniarum soluta summa per viam compositionis à fisco sibi vendicarunt.

2 Post hæc insurrexerunt tres aliæ familiæ de Cincijs, & pretendentes bona confiscata ad ipsos spectare vigore antiqui fideicommissi obtinuerunt causam contra prædictos filios, & heredes Iacobi in Rota committi Reuerendiss. Bononien. Cumque interea Bernardus per sententiam iudicis à prædicto D. Gubernatore deputati à triremibus liberatus, & speciali Sanctissimi D. N. gratia etiam ad Vrbem restitutus fuisset, & ad prædictam causam inter familias de Cincijs, & filios Iacobi vertentem vti tertius pro suo interesse admissus. Dubitaui in locum d. Reuerendiss. Bononien. suffectus, an si obstet clausula sublata in commissione, vt dixi, apposita; Siquidem Informantes pro filijs Iacobi prætendebant, quod cum Bernardus condemnatus fuerit non solum in pœnam triremium, sed etiam confiscationis omnium bonorum, & iudex appellationis in eo tantum quo ad triremes condemnatus, & transmissus fuit, male iudicatum, dictamque penam triremium in pœnam exilij arbitrio Gubernatoris commutandam pronunciauerit censetur in reliquis priorem sententiam confirmasse, *Butr. in c. cum inter. num. 26. vers. prædicta, & ibid. Imol. nume. 12. vers. idem aduerte. Felin. n. 13. de sent. & re iud. Bart. in l. 1. nu. 1. C. si aduers. rem iud. & l. 1. C. si plures vna sent. Natt. cons. 484. nu. 20. Alex. cons. 49. num. 1. & 2. lib. 7. Rot. decis. 22. de appell. in antiq.* eoque magis, quia visus fuit dictione taxatiua tantum, *Abb. d. c. cum inter. col. pen. in princ. vers. tertius casus. & ibi Felin. n. 11. vers. fallit quinto. Bald. in d. l. 1. nu. 3. in fi. C. si aduers. rem iudicatam.* Atque hinc inferebant, quod sicuti Bernardo obstaret clausula sublata respectu commutationis pœne corporalis, ita etiam pariter ei obstat respectu pœne confiscationis, cum vtraque eadem sententia comprehendatur, & vigore vnius commissionis ab eodem iudice emanauerit.

3 Verum his non obstantibus Domini contrariam sententiam amplexi sunt. Nam dicebant, quod ex ipsamet serie facti supra relati luculenter apparet, diuersas adfuisse commissiones, & priorem quidem, in qua nulla legitur clausula sublata, appellationem à pœna confiscationis, alteram vero, in qua adest d. clausula, appellationem Bernardi à pœna corporali tantum continere; Vnde cum certi iuris sit, clausulam in vna commissione appositam non extendi ad aliam omnino diuersam, ex allegatis per *Ruin. cons. 70. nu. 17. lib. 5.* quem refert, & sequitur *Gabr. de claus. conclus. 3. nu. 84. in 4. limit.* non videbatur vllo modo obstare Bernardo *d. clausulam sublata*, quin absque alia preuia oris apertione appellationem à pena confiscationis prosequi possit.

4 Neque prædictis refragari putabant, quod Pontifex videtur voluisse vtramque causam vnica, posteriorem quidem commissione comprehendere, & præsertim, dum in ea mandauit fiscum, & alios de Cincijs, qui in causa confiscationis tantum, non autem pœnæ corporalis interesse habebant citari, quia placuit responsio quod, scilicet ex lectura ipsiusmet commissionis apparet illam fuisse restrictam ad causam appellationis à solo Bernardo ratione pœnæ corporalis interpositæ, nam licet in ista posteriori fiat mentio etiam prioris commissionis, atque hinc Pontifex motus sit ad committendum eidem Gubernatori etiam causam appellationis à pena corporali, nihilominus hanc solam comprehendi in ista posteriori commissione aperte demonstrant verba ibi. Et ideo cum minori partium dispendio, hec etiam causa appellationis recursus, atque grauaminis respectu Bernardi ad triremes condemnati facile à te pariter cognosci poterit, atque terminari, &c. & ibi causam, & causas appellationis recursus, grauaminis in integrum restitutionis, quæ verba, cum sint singularis numeri non possunt ambabus appellationibus diuerso tempore, & à diuersis personis interpositis conuenire. *l. vbi numer. ff. de testib. cum alijs congestis per Surd. decis. 210. nu. 9.* Et dum Papa voluit etiam alios de Cincijs in hac causa citari, ideo fuit, quia cognitio causæ pœnæ corporalis erat absque dubio preiudicialis alijs de Cincijs respectu bonorum, quæ ad illos per fiscum peruenerant, Nam si Bernardum à crimine Parricidij absolui contigisset, eo ipso detegebatur iniusta confiscatio, & iure merito reuocanda, cum confiscatio præsupponat delictum, sine quo sustineri non potest.

5 Rursus visum fuit Dominis, quod dato etiam, quod clausula sublata de vna commissione influeret in alia adhuc tamen non obstaret Bernardo respectu pœnæ confiscationis, eo quia articulus confiscationis videtur fuisse potius per iudicem appellationis ommissus, & super pœna corporali tantum pronunciatum. Regula enim, quod sententia in parte reformata censetur in reliquis confirmata, vltra alias limitationes, quas patitur, & docte prosequitur in sua allegatione D. Farinacius, fallit, quando eæ ab initio sunt diuisæ, & limitationes, quæ loco positionum habentur separatæ, vt post Inn. & alios bene declarat *Felin. in alleg. c. cum inter. de re iudic.* tunc enim iudex potest super vno articulo pronunciare reliquis omissis. Quod etiam in proposito casu euenisse aperte colligitur ex ipsamet sententia, ponderando presertim narratiuam ipsius, quæ multum confert ad cognoscendum quid contineatur in ea, & quod taxatiua tantum videtur potius adiecta pronunciationi iudicis, quam liberationi, & absolutioni, vt optime aduertit idem D. Farinacius in supradicta sua allegatione, & quod denique in D. sententia nulla prorsus facta fuit mentio confiscationis bonorum, sed penæ corporali tantum.

6 His aliqui ex Dominis addebant, quod quatenus articulus confiscationis esset comprehensus in sententia iudicis appellationis censeretur potius in ea Bernardus à D. confiscatione absolutus. Nam dum iudex declarauit Bernardum non meruisse; nisi pœnam exilij arbitrio Gubernatoris, tacite videtur indicasse pœnam confiscationis male fuisse appositam. Sententia enim prout iuris est, declarari debet, & de iure non possunt bona publicari relegata ad tempus, *l. bona. in princ. ff. de iur. fisci. l. relegatorum §. ad tempus, vbi Bart. & alij. ff. de interdic. & releg.* Verum in hoc Domini noluerunt pro nunc pedes figere. Iudicarunt enim particulari inspectione dignum, & Bernardo pro victoria presentis dubij satis, superque esse superius deducta, cum quibus Domini vnanimiter transierunt.

R. P. D. PAMPHILIO.

Romana Spolij Domorum. Lunæ 16. Iunij 1614.

A R

ARGVMENTVM.

Spolij actio non datur ei, qui facto proprio à possessione cecidit. Bona vxoris per maritum possessa, an præsumantur data in dotem, & peritorum relatio super valore rerum magis probat, quam testium depositio.

SVMMARIVM.

Spolio agere non potest qui à possessione cecidit facto proprio, num. 1.

Æstimatio facit emptionem, & venditionem. numero 2. in fine.

Æstimatio bonorum stabilium facienda per Peritos communiter erigendos si non fuit facta fauore dotis remittitur arbitrio boni viri. nu.3.

Dos præsumitur in bonis stabilibus consignata ab vxore marito, quando maritus dicta bona possedit per plures annos ea sciente, & patiente, & præsertim concurrentibus alijs coniecturis. num.4. in fine.

Possessionis causa censetur mutata per superuenientem titulum. num.5.

Peritorum relationi super valore alicuius rei standum potius est, quam depositioni testium. nu.7.

DECISIO DCXXIII.

1 ITerum proposui dubium in hac causa, resolutum coram Illustriss. D. Cardinale Lancellotto. sub die 4. Maij 1611. Et Domini steterunt in decisis, quod scilicet sententia Auditoris Cameræ in spolio lata ad fauorem Orientis sit reuocanda, quia ipsa ex dote Scut. 2000. data Ioanni Petro marito in tot bonis stabilibut, dicitur cecidisse à possessione eorundem bonorum facto proprio, quo casu non poterat agere spolio. *Doct. in c. sæpe. de restit. spoliat.* cum alijs in decisione adductis.

2 Nec obstat, quod Oriens promiserit dotem ex bonis stabilibus æstimandis per peritos, alterum pro parte eligendum, & in euentum discordiæ per tertium à Congregatione Illustrissimi Vicarij deputandum. vnde cum æstimatio non fuerit facta per peritos, vt fuit conuentum, non potest dici, quod Oriens dicta bona eius vero consignauerit, & sic ex facto proprio ceciderit à possessione. Quia placuit responsio, quod æstimatio per Iacobum à Porta, insignem peritum, referentem se à dicta Congregatione deputatum censetur facta de consensu ipsius vxoris, tam ex possessione mariti istarum domorum continuata spacio plurium annorum post contractum matrimonium, nec non ex destructione illarum, sciente, & patiente vxore, & earumdem ædificatione in nouam formam ab eodem marito, & Pompeio illius patre facta, quod verisimiliter dicta vxor non permisisset, nisi prius domos in dotem consignasset, quam etiam eo, quia maritus, vel illius pater semper supportauit onera matrimonij, & demum dictas domos vendidit, ex quibus omnibus saltem simul iunctis, & alijs per Informantes deductis, satis visum fuit constare dictam æstimationem fuisse factam de consensu ipsius vxoris, ex qua propterea dicitur facta emptio, & venditio. ad *l. quoties. C. de iure dot. & ibi Bald. num. 8. Couarr. pract. quæst. c. 28. cum alijs in decis. alleg.*

3 Præterea placuit etiam alia responsio, quod licet sudradicta æstimatio non censeretur facta de consensu Orientis, nihilominus fauore dotis dicitur facta à lege secundum id quod valebat res tempore datæ dotis, ex tradit. per *Socin. Bald. Nouell. Couarr.* & alios in decisione allegatos, quorum opinio visa fuit Dominis satis æqua: cum enim fuerint promissa in dotem Scuta bis millæ soluenda in tot bonis stabilibus æstimandis per peritos communiter eligendos, ipsis non arbitrantibus fauore dotis, locus esse debet arbitrio boni viri. *l. 3. C. de dot. promis. l. cum post. §. gener. ff. de iure dot. Socin. iun. consi. 141. num. 9. lib. 1. Couarr. pract. quæst. dicto c. 28. sub num. 1. versi. fit enim in hoc casu.*

4 Neque obstat, quod Oriens præter dictas domos haberet etiam vineam cum Canneto, & vnum Fenile, quo casu non potest dici facta æstimatio à lege, cum esset in facultate ipsius consignare alia bona preter domos, quia vltra, quod dictus peritus a Congregatione electus æstimauit domos in Scutis 930. & vineam in Scutis 983. quæ simul iuncta non sufficiunt pro quantitate dotis Scutor. 2000. & fenile, cum Canneto visum fuit Dominis ad istum effectum non posse haberi in consideratione cum sit tam parui valoris, vt simul cum alijs supradictis bonis vix excedat quantitatem dotis, & propterea bene potuit maritus acquirere dominium, & possessionem dictorum bonorum, & vxor remanere creditrix dictæ paruæ summæ, quæ dotem excedit. Fuit etiam pro responsione dictum, domos, de quibus agitur, satis præsumi per Orientem fuisse pro dicta dote consignatas ex pluribus, & præcipe ex possessione mariti continuata per plures annos ipsa sciente, & patiente, ad tradit. *per Rot. in causa Vrbeuetana legati coram Centuccio, relat. inter impress. decis. 155. num. 11. par. 2. diuers.* concurrente præsertim noua illarum ædificatione, cum alijs omnibus supradictis coniecturis, quę sufficiunt in hac materia. *Calcan. consil. 11. num. 4. vers. ad hoc accedat, Surd. consil. 94. num. 18.* Rota in causa Sabinen. Dotis de anno 1576. relat. inter impress. *decis. 588. nu. 2. p. 1. diuers.*

5 Nec subsistit, quod dictæ Domus fuerint possessæ à Pompeio vti Tutore, seu Administratore Orientis, quia tutela de tempore contracti matrimonij iam erat finita, cum Oriens esset annorum 15. administratio vero pariter de dicto tempore expirauit, quia in ipso instrumento sponsalium apparet Pompeium computa suæ administrationis legitime reddidisse, & solidasse, & sic possessio dicti Pompei patris Ioannis Petri censetur mutata per superuenientiam noui tituli dotis, quæ ei tradenda erat, cum supportaret onera matrimonij, & haberet filium in potestate, *l. si is. §. ibi. ff. de iur. dot. Bald. consi. 31. lib. 4. Socin. iun. consi. 15. in princ. & num. 1. vers. item quod filius, lib. 2.* prout tradita censetur, & probatur ex testibus, qui modo dantur, deponentibus Pompeium simul cum Ioanne Petro filio dictas Domos destruxisse, & in nouam formam ædificasse.

6 Non obstat, quod cum Pompeius, & eius filius vellent vendere dictas domos ipsa vxor dissenserit. Nam vltra, quod testis, qui id deponit, est vnicus, & consanguineus D. Caroli, qui propterea non probat, fuit etiam responsum, quod vxor postquam semel dissenserat, potuit consentire, prout vere consensisse censetur ex supradictis omnibus coniecturis, cum alijs supra deductis.

7 Nec demum obstant tres testes pro parte Domini Caroli examinati ad probandum valorem dictorum bonorum, quia illorum depositio visa fuit Dominis non esse attendenda ad istum effectum, stante relatione dicti periti, cui standum est, ad *tex. in leg. 1. ff. de ventr. inspic. cum similibus.* Et tanto magis, quia plures patiuntur exceptiones, & non deponunt de valore deducto canone, quo dicta bona grauata reperiuntur, nec de illis illorum qualitatibus, qui propterea non probant. *Alexand. consilio 54. num. 4. & 5. libro 6. Aym. consi. 430. numero 5.* Et fuit in Rota sæpissime decisum, &c.

R.P.D.

R. P. D. DVNOZETTO.

Ferrarien. Bonorum. Lunæ 16. Iunij. 1614.

ARGVMENTVM.

De alienatione bonorum Ecclesiæ facta non seruata forma rescripti Papæ.

SVMMARIVM.

Sententia lata contra formam rescripti inualida est. numero 1.
Forma inducitur per ablatiuum absolutum. nu.2.
Forma non seruata corruit actus, nec à non seruatione excusat quælibet causa etiam iustissima. nu.2.
Alienationis rerum Ecclesiæ validitas pendet ab vtilitate, quæ debet esse euidens. nu.3.
Iudicium humanum fertur circa manifesta, non autem circa occulta. num. 3.
Ecclesiæ bonorum alienatio non potest iudicari facta in euidentem vtilitatem, nisi bona, quæ alienari debent, specificentur. nu.2. & 3.
Ecclesiæ bonorum alienatio admissa à Papa, si in euidentem, &c. non est valida, nisi citato episcopo, vel eius promotore, præsertim quando adest clausula vocatis vocandis. nu. 4. & 5. Vbi de eadem materia.
Producens scripturas censetur confiteri omnia contenta in scripturis productis. nu.6. & 7.
Processus per affixionem factus non valet, quando extat certus contradictor, qui propterea prius personaliter citari debet. nu.8.
Citationes non exequutæ iuxta formam decreti iudicis nulliter dicuntur exequutæ. nu.9.
Notario sine testibus non creditur, asserenti citationem esse exequutam. nu.10.
Citatio non dicitur legitime exequuta ad valuas Ecclesiæ, nisi fuerit lecta, & dimissa ibidem per aliquod temporis interuallum. nu.10.
Ecclesiæ bonorum alienatio valet sine beneplacito Sedis Apostolicæ, quando alienatur prædium exigui valoris. Declara, vt nu. 11. & 12.
Decimarum etiam exiguarum laici sunt penitus incapace. num.12.
Reseruatio beneplaciti Sedis Apostolicæ operatur, vt actus antea gestus sit inualidus. num.12.

DECISIO DCXXIV.

1 FVit resolutum, sententiam esse inualidam, quia lata vigore rescripti, si in euidentem non seruata illius forma. c. cum dilecta. & ibi *Doct. de rescrip. Abb. consi.41. num.3. lib.1. Gozad. consi.67. num.2. Card. Seraph. decis.337. num. 6.* & in puncto respondet Rota in Cortonen. rescissionis locationis. 26. Ianuarij 1590. coram Orano.

2 Aderat enim in literis præter alia clausula quatenus illis rebus, & bonis prædictis prius coram nobis specificatis, &c. forma inductiua propter ablatiuum absolutum. *leg. à testatore. ff. de condi. & demonstr. Paris. consil.41. num.14. lib.4. Caputaq. decisi. 150. num.1. & p.1.* & tamen non procedit talis specificatio, cuius omissio non potest excusari, eo quod bona, quę concedebantur, essent incognita, tum quia respectu validitatis actus nulla tametsi iustissima causa excusat à seruatione formę, vt post *Bal. scribit Dec. cons.466. num.14. & Franc. Becc. consil.66. nu.26.* tum quia Summus Pontifex sic rescribendo excusationem hanc reijcit, nec voluit admittere assumptum illud partium, quod ea, quę concedebantur, essent penitus incognita, tanquam aduersans naturæ rescripti, pro quo instabant.

3 Nam cum validitas alienationis tota penderet ab vtilitate Ecclesiæ, quæ debet esse euidens. c. sine exceptione. ibi, quod non sit dubium profuturum *Ecclesiæ 12.q.2.c.1. ibi,* præsertim cum euidens necessitas, vel vtilitas subesset, *de reb. Eccles. non alienan. in 6. Card. Seraph. decis.508. in princip. & num.11. Rota decis.65. num. 17. & decis.178. num. 10. p.2.* vix est, quod vtilitas certa aliqua ratione posset haberi, nisi mediante specificatione huiusmodi, cum humanum iudicium circa manifesta feratur, non autem circa occulta. *can. erubescant. distin.32.* & denique, quia excusationem hanc non patitur ipsa principalis ratio adijciendi clausulam hanc, quæ est, quia cessante specificatione Episcopus pro tempore existens non sit certus de quantitate bonorum in alienatione comprehensorum, in quo plurimum etiam fauor versatur, & vtilitas Ecclesiæ, & ne quando super ipsa liquidatione bonorum litigare cogatur. *glos. in c. peruenit. in verb. existere.* vbi etiam *Butr. num.6. & 7. de arbitr.*

4 Fuisse quoque nullam dixerunt DD. ex defectu citationis Episcopi, vel eius promotoris omnino necessariæ tam vigore clausulæ vocatis vocandis. c. exhibita. vbi *Abb. in vltimo notab. de iud. Cardin. cons.63. in princ. Rota decis. 30. de rescript. in nou.* quam vigore alterius clausulæ, si ibi constiterit. *glos. in c. præsenti. in verb. constiterit. de cens. Abb. in c. conquerente. nu.9. de restit. spoliat. Ægid. decis.68. Card. Seraph. decis.601.*

5 Qui defectus non potest euitari sub prætextu, quod supplicatio cantet etiam nomine Episcopi, vt propterea clausula vocatis, debeat intelligi de alijs, qui forsan possent prætendere interesse ratione possessionis, vel proprietatis. *Rot. decis.636. num. 4. par.1.* Nam præter id, quod non constat de mandato Episcopi in personam eius, qui dictam supplicationem porrexit, ad *tex. in c. nonnulli. §. cum autem. de rescriptis.* & solus Marchio potuit eam porrigere, motiuum forte procederet, si Papa simpliciter rescripsisset, iuxta supplicationem. Verum cum rescriptum nouam formam pro validitate contractus adiecerit, mandando prius bona specificari, per illud fuit acquisitum nouum ius Ecclesiæ, extra instrumentum, & extra supplicationem. Vnde cum non possit inferri à supplicatione ad scientiam qualitatum rescripti ab illa difformis, & separati, *argum. l. non est ferendus. ff. de transact.* non potuit valide procedi ad excusationem talis rescripti, nisi pro hoc nouo interesse legitime citato ipso Episcopo, aut eius mensæ promotore. *l. de vnoquoque. ff. de re iudicat.*

6 Atque ita visum fuit, non posse huic propositæ facti speciei applicari supra relatam decisionem 636. quia in casu illo Rector Ecclesię supplicationem porrexerat, & mox illam signatam cum instrumento locationis produxerat, ex qua productione resultabat nedum scientia, sed etiam approbatio respectu rescripti, & illius formæ, & confessio contentorum in scripturis productis. *Aymon. consi.201. nu.5. Paris. consi.125. num.20. lib.1. & consi.79. num.3. lib.3.*

7 Neque dici potest, nil potuisse opponi per Episcopum, aut per dictum eius promotorem, imo verisimiliter curasset, vt diligenter specificarentur, & liquidarentur bona infeudata, illorumque qualitates, & quæ impensa foret necessaria pro illis ad cultum redigendis, vt omnibus tandem diligenter perspectis, vel prout instare, vel pro confirmatione contractus, vel pro declaratione illius nullitatis. Vnde fit, vt non præmissa tali citatione non possit dici quicquam gestum per delegatos causa cognita, vt in fortioribus terminis videlicet in facto ipsiusmet Episcopi non vocato promotore menſę alias considerauit *Rota apud Card. Seraph. decis. 1395. sub nume. 7.* & euentus docuit propter dictam citationem non fuisse factam dictam specificationem.

8 Et ex his corruit totus processus veluti factus per affixio-

affixionem, cum tamen extaret certus contradictor. *cap. vltimo. de elect. in 6. Cassad. decis. vltima. nume. 6. vt lit. penden.* quem ideo oportuerat citari personaliter prius quam processus decerneretur per affixionem, aut per edictum. *Abb. in c. ex tua. num. 3. de cleric. non resident. Rota decis. 8.* & ibi adden. de dolo, & contumac. in nou. *Caputaq. decis. 117. num. 1. p. 1. Card. Seraph. decis. 972. num. 4. & decis. 1276. num. 4.*

9 Vltra quod fuit per iudices mandatum exequi citationes ad valuas Cathedralium Adriæ, Ferrariæ, & S. Stephani Rodigij, & tamen non apparent executæ vniformiter ad omnes prædictas Ecclesias, iuxta dictum decretum. Vnde consequitur nullitas actus, Baldus in l. non sunt liberi. in prima lectura ante primum nume. vers. sic remota forma. de statu hominum. *Gemin. Achil. decis. 14. de dolo, & contumec. Caputaq. dacis. 160 incip. citatio. lib. 1. in impress.*

10 Et de executione ad valuas Ecclesiæ S. Stephani Rodigij aliter non constat, quam ex simplici assertione Notarij, cui sine testibus non creditur. *Put. decis. 5. lib. 3.* & quod exequuta fuit ad valuas Ecclesiæ Cathedralis Ferrariæ, minus quoque legitime apparet exequuta, cum non fuerit lecta, neque ibi dimissa per aliquod temporis interuallum, prout requiritur. *Cassad. decis. 4. de dolo, contum. Rot. d. decis. 8. eodem tit. in nou. & in nouiss. decis. 325. num. 6. lib. 3. p. 3.*

11 Neque obstare putarunt Domini id, ad quod refugiebant Informantes pro D. Marchione, videlicet sustineri infeudationem hanc etiam sine beneplacito Apostolico, quia propter rerum incertitudinem videtur intrare dispositio. *cap. terrulas. 15. quæst. 2.* Nam præterquam quod iudicarunt, illud prorsus esse extra terminos susceptæ disputationis restrictæ ad validitatem sententiæ delegatorum censuerunt ex facto tolli, cum illa incertitudo reducibilis esset, ad certitudinem per specificationem de iure omnino necessariam, secundum quam agitur non de terrulis, sed de bonis magni redditus, & vt intret dispositio dicti textus, multa debent concurrere, videlicet præcisa necessitas, quod prædium sit exiguum, quod sit inutile, & denique, quod sit longe distans, vt ibi scripserunt *Gemin. in primo not. Archidiac. in verb. quicumque. Et Ægid. sub num. 2. vers. nam si magnæ.*

12 Et remouet omnem difficultatem, quod infeudarentur etiam decimę quarum, tametsi exiguarum, laici sunt penitus incapaces sine beneplacito Papæ. *cap. quamuis. vbi glos. in verbo concessit. de decimis. Caputaq. decis. 241. num. 3. p. 1. Card. Seraph. decis. 1424. ad fin.* Vnde etiam tale beneplacitum expresse reseruatum fuit, quæ sane reseruatio operatur, vt actus antea gestus nullum producat effectum. *Verall. decis. 205. num. 3. p. 1. Mohed. decis. 1. de simon.* & quod interim sit locus pœnitentiæ, vt respondit Rota in vna Syracusana Præsentiarum 5. Decemb. 1588. coram bon. mem. Cardinale Platto. Ex quibus ita fuit decisum, vtraque parte informante.

R. P. D. DVNOZETTO,

Calciaten. Decimarum. Veneris 20. Iunij 1604.

ARGVMENTVM.

Transactio facta à Decano, & Capitulo, quando valeat sine consensu Episcopi, & Sede vacante, quando etiam prætextu læsionis rescindi possit.

SVMMARIVM.

Transactio Sede vacante potest fieri a Capitulo, quando non agitur de bonis spectantibus ad mensam Episcopalem, sed solum de decimis, secus si in tractatione ageretur de præiudicio aliquo mensæ Episcopalis. nu. 2.

Transactio est species alienationis, & ideo regulariter fieri non potest a Capitulo solo; Ecclesia carente legitimo defensore. nu. 1.

Transactio facta a Capitulo sine consensu Episcopi valet, quando est confirmata a sede Apostolica. nu. 3.

Beneplacitum sedis Apostolicæ in transactione facta a Capitulo sine consensu Episcopi, quando dicatur subreptitium ob non factam mentionem pendentiæ litis. num. 4.

Transactio solenniter facta a Capitulo præsumitur vtilis, & qui læsionem allegat, probare debet. nu. 5.

Transactio de bonis Ecclesiæ, quando dubius est litis euentus, eo ipso dicitur Ecclesiæ vtilis. nu. 6.

Læsio in transactione non consideratur habito respectu ad rei valorem, sed ad dubium litis euentum. nu. 6. & 7.

Transactio non rescinditur sub prætextu læsionis, nisi ea fuerit enormissima, vel saltem enormis. nu. 7.

Transactio an dicatur continere læsionem, ex quo facta est post relaxationem mandati. num. 8. & seqq.

DECISIO DCXXV.

1 Rota vtraque parte informante censuit, concordiam initam inter Decanum, & Capitulum Calciaten. & Monasterium B. Mariæ della Estrella, Ordinis S. Hieronymi super perceptione decimarum in territorio de Villalouar, esse validam, nulloque læsionis, aut nullitatis vitio laborare, & maxime ratione, quia interuenerunt in ea requisitæ solennitates à iure beneplacitum Apostolicum, iustaque transigendi causa, recessus scilicet à lite personis Ecclesiasticis multum conueniens. Et quod ad primum caput Nullitatis attinet, existimarunt Domini dictam transactionem non posse dici nullam ex eo, quod facta fuit sede Episcopali vacante, cum enim sit species alienationis videbatur non potuisse à Capitulo solo fieri Ecclesia carente legitimo defensore. *c. si qua de reb. 12. q. 2.* eligendus necessario erat per Papam legitimus administrator, *cap. si Episcopus. de supplen. negli. prælat. in 6.*

2 Responsum enim fuit posse dici talem consensum requisitum fuisse aut ratione interesse Domini Episcopi, aut solennitatis debitæ, quo ad primum non agebatur de bonis mensę Episcopalis, sed solummodo de decimis, & rebus mensæ Capitularis, in quibus Episcopo nullum ius Episcopale competere potest. Vnde illius non requirebatur auctoritas ad validitatem dictæ Concordiæ. *Rodoan. de rebus Eccles. non alien. q. 6. num. 5.* secus autem dicendum esset, si ex hac transactione aliquod mensæ Episcopali præiudicium ex dicta concordia inferretur, & ita intelliguntur iura pro parte Capituli in contrarium allegata, tanto magis, quia beneplacitum expeditum fuit saluo iure cuiuslibet tertij. Vnde præseruatur quodcumque præiudicium Episcopi.

3 Aut vero requirebatur Episcopi authoritas, & interuentus pro solennitate transactionis, & eo casu cessat omnis nullitas, quia adest confirmatio Sedis Apostolicę, per quam supplentur omnes quęcumque solennitates, siue auctoritates Episcopalium, siue aliarum similium. *Abb. consi. 41. nu. 3. vers. item omnis solennitas. Rodoan. de reb. Eccl. q. 36. nu. 18. Dec. consi. 341. nu. 12. Gabr. consil. 71. nu. 10. & 13. lib. 2. Surd. cons. 245. nu. 39. & consi. 249. num. 9. lib. 2. Rot. decis. 479. num. 1. p. 1. diuers.*

4 Nec obstat in dicto beneplacito nullam fuisse mentionem factam de lite, introducta in Rota super rescissione dictæ transactionis. Respondetur enim non posse iustificari in facto fuisse inchoatam litem, antequam supplicatio dictæ concordiæ fuisset per Sanctissimum D. N. signata, quod tempus ad hoc, vt litem exprimere teneretur, Monasterium debuit attendi. *Clemen. fin. & ibi glos. & DD. de rescript.* sicque per solam signaturam iam fuerat gratia perfecta, vt fuit dictum coram me in hac ipsamet causa die secunda

Maij

Maij præteriti. Vltra, quod non erat amplius locus pœnitentiæ, etiam ante obtentionem dicti beneplaciti, vt fuit similiter in dicta decisione firmatum.

5 Multo minus iudicarunt Domini posse dictam concordiam ex capite læsionis rescindi, quia tantum abest, vt Capitulum, sicut tenebatur, se esse enormiter læsum concludenter probet, quin potius dentur in contrarium magna argumenta vtilitatis dictę transactionis, cum ipsa non fuerit facta tumultuarie, & precipitanter, sed maturo consilio habito inter Dominum Decanum, & capitulum, & litis consortes longo tractatu examinatis testibus, visisque eorum depositionibus interuenientibus prouisoribus sede Episcopali vacante ex vna parte, & cum licentia generalis totius Ordinis S. Hieronymi Priore, & dicto Conuentu ex altera. Vnde concordia tam solennis presumitur quoque vtilis. *Bald. in cap. 1. nu. 6. de his, qui feud. dare poss. Paris. consi. 24. num. 5. lib. 4. Couarr. var. resolut. lib. 2. c. 17. nu. 2. Rodoan. loco cit. num. 74.*

6 Nec tantum præsumitur hec vtilitas concordię, imo videtur adesse, quia recessum fuit à lite, in qua Capitulum succubuerat in prima instantia, vnde clare probatur dubius litis euentus, & in odium litium transactio de bonis Ecclesiæ eo ipso dicitur vtilis. *Ancharan. cons. 136. ad med. Mobed. decis. 8. nu. 1. de locat. Dec. cons. 474. n. 9. Rolan. cons. 15. nu. 17.* Non enim læsio contra transactionem adducta ponderatur habito respectu ad rei valorem, sed ad dubium litis euentum. *Afflict. decis. 220. nu. 2. Gabr. de empt. & vend. concl. 1. num. 68.* Fuit dictum ex multis rationibus coram Corduba 14. Maij 1601. & coram R. P. D. meo Damasceno in Prænestina bonorum 21. Februarij præteriti.

7 Deinde colligitur non sufficere ad rescissionem transactionis qualemcumque etiam grauem lęsionem, sed requiri enormissimam, vel saltem enormem in magna summa, habito etiam respectu ad dubium litis euentum. *glos. in leg. Lucius. §. fi. ff. ad Trebell. & ibi Bar. sub num. 3. cum alijs per Pinell. in l. 2. par. 1. c. 4. num. 14. C. de resind. vend. Mantic. de tacit. & ambig. conuen. lib. 26. tit. 9. num. 23. Rota decis. 235. p. 2. diuers.* & nuper coram R. P. D. Pamphilio in Bononien. transactionis, 2. Decemb. 1613.

8 Nec obstare visum fuit maximum Capituli fundamentum, desumptum ex eo, quod dicitur constare de læsione vltra dimidium, quia facta fuerit concordia, postquam Capitulum obtinuerat mandatum Rotæ de manutenendo in perceptione omnium decimarum, super quibus fuit conuentum, & nihilominus loco integræ decimæ dictum Monasterium S. Hieronymi solum obligauit, se tantum ad soluendam vigesimam, sed etiam in dicta transactione Monasterio remissæ fuerunt omnes decimæ præteritæ, quæ vigore dicti mandati de manutenendo poterant in continenti exigi. Respondetur enim in facto non subsistere dictam concordiam fuisse factam ante relaxationem mandati, nam dicta transactio iam fuerat conclusa ante disputationem dubij, & stipulata ante relaxationem mandati, quo termino pendente poterat Monasterium plura opponere ad impediendam causę cognitionem, quæ in incerto erat.

9 Et quatenus etiam hoc subsisteret existimarunt Domini, non posse dici omnes decimas fuisse proprias Capituli, nec sola concessio mandati de manutenendo data Capitulo videtur firmare ius dicti Capituli, quia non continet expressionem meritorum causæ, sed est mera distinctio actoris, & rei, ad ordinandum iudicium præparata, quæ manutentio sæpius in progressu causæ reuocatur, tanquam momentanea possessio. Vnde quicquid potuerit sperare Capitulum ex huius litis euentu dignosci non potest, ex solo mandato de manutenendo. Remanebat enim petitorij cognitio integra, in quo iudicio iam Monasterium sententiam fauorabilem causa cognita, & discussa obtinuerat, & quatenus duas alias conformes obtinuisset, decimę, quę solutę forent, vigore dicti mandati fuissent per dictum Priorem, & Monasterium repetitę, vltra liberationem integram ab omni solutione decimarum.

10 Assistentia si quidem iuris presupposita à Capitulo sola non sufficit in concursu priuilegiorum Monasterij prescriptionis immemorabilis allegato, quę probari poterat, sententiæ fauorabilis obtentu, quę omnia visa sunt præponderare, & forsan superare assistētiam prędictam, saltem ad constituendum dubium litis euentum, per quem aperta fuit via transactionis, facitque transactionē presumi vtilem ex supradictis.

11 Addiderunt aliqui ex Dominis non posse dici probatam læsionem ex dicto mandato, quia nō inde probatur respectu proprietatis, super qua inita fuit concordia. *l. mulier. §. qui possessionem. ff. de eo quod met. caus. l. si duo. §. fin. & ibi glos. ff. vti possidetis.* quia est momentanea possessio, paruique momenti, habita ratione proprietatis, vt ait *Bar. in l. admouendi sumus, nu. 55. ff. de iureiur. Pinellus in d. l. 2. par. 3. c. vltimo. num. 26. de rescind. vendit.* Ex quibus omnibus ita fuit decisum.

R. P. D. A N D R E A.

Tirasonen. Parochialis de Ablitas. Lunæ 16. Iunij 1614.

A R G V M E N T V M.

Vnio Ecclesię probatur multis modis, de quibus in hac decisione.

S V M M A R I V M.

Vnio Ecclesiæ parochialis cum Cathedrali, censetur probata per antiquissimam donationem. nu. 1.

Enunciatiuæ plures instrumentorum probant vnionem Ecclesiæ. num. 2.

Vnio Ecclesiæ probatur per exactionem decimarum factam à Rectore, cui dicitur Ecclesia vnita. num. 3. & nu. 6. Vbi de hac materia.

Vnio Ecclesiæ probatur per testes deponentes de publica voce, & fama. nu. 4.

Vnio Ecclesiæ probatur per antiquas colationes. numero 5. & 7.

D E C I S I O DCXXVI.

1 POstquam ad fundandam suam exceptionem, quæ versabantur in probanda vnione Eccesię parochialis loci de Ablitas, Capitulum Ecclesię de Tudela quosdam testes hic in Curia formites examinauerat, reproposita causa die 16. Iunij proxime præteriti vtraque parte informante, & omnibus accurate perpensis, Visum fuit pro Capitulo talia adduci, ex quibus satis superque probaretur vnio ad retardandam immissionem Valentini. Et primo considerata fuit antiquissima donatio Regis Nauarræ facta Ecclesię de Tudela de omnibus alijs Mesquitis, siue Ecclesijs, quæ erant in illius oppidis vna cum decimis, & primitijs, inter quas Ecclesias mentio habetur Ecclesię de Ablitas. Vnde inferebatur hanc Ecclesiam fuisse pleno iure concessam dicto Capitulo, vt in simili donatione eiusdem Regis considerauit Rota in alia Pampilonen. Parochialis de Istella 14. Decembris 1598. coram Seraphino in impress. *decis. 1304. in principio.*

2 Secundo concurrebant alię plures enunciatiuæ, de quibus in concordia inter Episcopum Tirasonen. & dictum Capitulum de Tudela, & in confirmationibus Apostolicis Adriani Quarti, & Celestini Tertij in quibus enunciatur ista Ecclesia de membris, & pertinentijs illius de Tudela, quę enunciatiuę licet non sint

sint indiuiduæ vnionis, tamen sufficit, quod virtualiter eam contineant. *Seraph. decis. 1272. num. 1. vers. nec obstare. & dicta decis. 1304. in fine*, & dixit Rota in Tudertina Prioratus. 14. Iunij 1593. & Parmen. Prioratus 28. Ianuarij 1594. coram Litta, & in Aurien. S. Pelagij. 2. Maij 1611. coram R. P. D. meo Pamphilio. Ex enunciatiuis autem antiquissimis diuersorum instrumentorum vnionem probari non dubium est. *Put. decis. 209. quæ est in nouis 204. lib. 2. Verall. decis. 344. & 347. par. 3. Seraph. d. decisio. 1272. in princ.* Et fuit dictum in vna Tirasonen. iuris præsentandi 22. Iunij 1588. coram Bubalo, & in alijs sæpius.

3 Tertio, multum mouebat id, quod per testes de partibus probabatur, & ex antiqua sententia Ordinarij similiter apparebat Capitulum percepisse, & percipere omnes decimas tanquam Rectorem dictæ Ecclesiæ cum assignatione congruæ portionis pro Vicario signum euidens, quod Ecclesia sit vnita Capitulo *Card. in clem. 1. num. 7. quæst. 15. & ibi Imol. numer. 23. vers. Vlterius quærit. de iure patron. Crescent. decis. 2. de decimis. Mohed. decis. 5. eodem tit. Verall. decis. 339. part. 3.* Rota in Aurien. congruæ 14. Maij 1608. coram Attrebaten. & in his terminis fuit decisum in Vlixbonen. iuris conferendi. 5. Decembris 1605. & 22. Aprilis 1606. coram Litta, & latius 13. Iunij 1607. coram Illustriss. Lancellotto.

4 Quarto, addebantur testes in Curia examinati, qui saltem ex publica voce, & fama disponebant de tali vnione, quæ publica vox, & fama, cum simus in antiquis probat vnionem. *Felin. cons. 2. nu. 16. & 21. Caput. decis. 347. num. 4. par. 3.*

5 Quinto, omnem difficultatem remouere videbatur id, quod ex instrumentis apparebat, videlicet centum quinquaginta ab hinc annis, vel Decanum ad præsentationem Canonicorum, vel eius officialem ad eorumdem nominationem hanc Ecclesiam contulisse cum enunciatiua speciali, quod Capitulum, & Canonici de Tudela erant veri, & legitimi Rectores dictæ Ecclesiæ de Ablitas, & tanquam tales præsentabant; huiusmodi enim præsentatio tanquam ad Rectores pertinere non poterat, nisi in proprijs Cappellis *c. 1. de Cappell. Monach. c. de Monachis. de præben. cap. ad hæc. de offi. c. Vicarij Rota decis. 798. num. 5. par. 1. diuers.* & fuit dictum in Tirasonen. præsentandi 10. Februarij 1586. & 13. Maij, & 22. Iunij 1588. coram Bubalo.

6 Quibus non obstabant in contrarium adducta. Nam primum quod sola perceptio decimarum esset signũ æquiuocum cessabat ex quo vltra talem perceptionem concurrebant alia superius ponderata, vt in puncto fuit decisum in dicta Vlixbonen. Iuris conferendi coram Illustriss. Lancellotto. Secundum vero circa præsentationes, & collationes de ista Ecclesia, quod omnes sint in mensibus ordinarijs, ex facto remouebatur, cum vt veteres collationes omittantur, quæ promiscue factæ fuerunt omnibus anni mensibus, adsit collatio facta 4. Octobr. 1559. altera 20. Maij 1584. & vltima præsentatio, & institutio 2. Februarij 1607. per vacationem de Mense Augusti, qui omnes menses, cum Capitulum non gaudeat alternatiua sunt Apostolica.

7 Sed quia pro parte Valentini opponebatur iura prædicta, & scripturas non esse in forma probanti, ideo cum isto præsupposito, fuit capta resolutio.

REVERENDISSIMO P. D.

COCCINO DECANO.

Maioricen. Fabricæ. Lunæ 16. Iunij 1614.

ARGVMENTVM.

Ecclesia Cathedralis quando indiget reparatione cuius sumptibus reparati debeat.

SVMMARIVM.

Ecclesia Cathedralis quando indiget reparatione attenditur consuetudo, cuius expensis reparari debeat. nu. 1.

Ecclesia Cathedralis, vbi indiget reparatione, attenditur consuetudo statutum, seu priuilegium, cuius expensis reparari debeat. num. 2.

Ecclesia Cathedralis vbi indiget reparatione circumscripto statuto, & priuilegio reparari debet ex proprys fructibus pro fabrica destinatis, si vero non ad sunt fructus ad fabricam destinati, onus reparandi dispectat ad Episcopum de quarta suorum redditũum tam futurorum, quam præteritorum. num. 3.

Ecclesia Cathedralis, quando indiget reparatione, si quarta pars redditũum Episcopi non sufficit ad illius reparationem contribuere tenentur Canonici, & alij, qui in Ecclesia possident beneficia, demum vero & Parochiani. num. 4.

Episcopus pro reparatione Ecclesiæ numquid possit assignare fabricæ distributiones quotidianas deficientium Canonicorum, & beneficiatorum. num. 5.

DECISIO DCXXVII.

1 EPiscopus & Capitulum Maioricen. statuerunt, vt Episcopus, & quælibet ex dignitatibus, & Canonicis pro tempore quotannis certum quid soluerent pro reparatione Ecclesiæ Cathedralis, & insuper statuerunt per hæc verba, similiter statuimus, & mandamus, vt de omnibus distributionibus quotidianis tam ordinarijs, quam extraordinarijs demptis, quę lucrantur interessentes in Comitatu Sanctissimi Corporis Christi ad infirmos duæ portiones in perpetuum assumentur ad dictam restaurationem, & reparationem fabricæ. Cumque in prædicta Ecclesia adsit confraternitas S. Bernardi cum suis Rectoribus beneficiatis administrantibus, vt prætenditur vnam extribus bursis distributionum, quæ quotidie in eadem Ecclesia singulis beneficiatis interessentibus dantur, dubitaui, an Rectores prædicti teneantur contribuere in duabus portionibus applicatis pro reparatione fabricæ. Et DD. vtraque parte informante negatiue responderunt, admissa etiam sine veri preiudicio, quod prædicta scriptura Episcopi, & Capituli sit vera. Nam de iure communi circa reparationem Ecclesiæ Cathedralis attenditur consuetudo, vt late probat *Bero. in cons. 3. num. 1. & 2. vol. 1.* Hic autem nulla probatur consuetudo, imo apparet de contrario ex statuto de recenti facto, si enim adfuisset consuetudo superfluum fuisset statutum.

2 Neque obst. quod statutum, & priuilegium consuetudoque in istis terminis æquiparantur, vt per *Bero. dicto loco, num. 3. vers. item crederem dicendum*, & merito, quia Capitulum de consensu Episcopi potest statuere super his, quę concernunt statum Ecclesię, prout fuit factum in isto casu. Nam huic motiuo poterat responderi, quod Berous loquitur in statuto antiquo, quod cum fuerit obseruatum, habet vim consuetudinis non autem in statuto facto de recenti ad exgrauandum Episcopum, vt statim dicetur.

3 Ex quibus cum cesset consuetudo, statutum validum, & priuilegium, aut Ecclesia habet proprios fructus pro fabrica, & ex illis est reparãda, & si nõ habet onus reparandi spectat ad Episcopum de quarta redditũum suorum, non solum futurorum, sed etiã præteritorum, quos ad hunc effectum tenetur conseruare ita concludit *Bero. loco proxime alleg. num. 6. & seq. Barbat.*

bat.conf.26. difficile est.num.4.vers.& prædicta omnia,lib.3, quos refert,& sequitur Surd.consl.62. num,23. volum.5.

4 Et quamuis idem Berous subdat, quod si quarta Episcopi non sufficit,teneantur contribuere Canonici,& alij, qui in Ecclesia possident beneficia,& postea totus clerus, & hi qui in inferioribus Ecclesijs obtinent beneficia,demum vero Parochiani.Et super hoc Episcopus potest facere statutum: tamen hic non probatur, quod quarta Episcopi habita ratione ad præteritum non sufficiat, & in omnem euentum, quod etiam non sufficiant eroganda per Capitulum.

5 Non obstat denique, quod Episcopus potest assignare fabricæ distributiones quotidianas deficientiũ, vt ex sententia Illustrissimorum Interpretum censuit Rota in Gadicen. distributionum 21. Octobris 1577. quæ habetur *par.2.decis.325.*quia intelligebant Domini istam sententiam procedere iuris ordine seruato, scilicet in euentum, quod quarta Episcopi non sufficeret,tunc posset applicare distributiones Canonicorum. Hic autem cum Canonici secundo loco teneantur, etiam quod quarta Episcopi non sufficeret, non erat de veniendum ad applicationem distributionum beneficiatorum, sed primo erat videndum an applicanda per Canonicos sufficerent. Et ita fuit decisum.

R. P. D. VEROSPIO.

Romana pratensis spolij. Lunæ 16. Iunij 1614.

ARGVMENTVM.

Ex Summarijs huius decisionis argumentum apparet.

SVMMARIVM.

Spoliatus restituendus non est, si culpa, & facto suo à possessione cecidit. num.1. etiam quod nulliter, & non seruatis solemnitatibus statutarijs rem, à cuius possessione cecidit, alienauerit. num.2.

Possessio amittitur etiam per alienationem factam nulliter,& sine solennitatibus statutarijs. num.2.

DECISIO DCXXVIII.

1 MArtia, & Angelica sorores post factam cuiusdam domus venditionem Antonio Luccatello, cum decessissent Moniales Sancti Spiritus de Vrbe, tanquam hæredes prætendentes dicta domo se spoliatas, coram Illustrissimo Vrbis Vicario super hoc iudicium instituerunt contra dicti Luccatelli hæredes, qui sententiam absolutoriam reportarunt. Vnde pro parte Monialium introducta causa per viam appellationis in Rota, fuit me ponente, Luccatellis tantum informantibus resolutum, dictam sententiam esse confirmandam. Cum enim dictæ sorores (quarum personas Moniales repræsentant) a possessione istius domus facto proprio ciderunt, non potest actio spolij Monialibus competere. *Doct. in c. sæpe. de rest.spol.Socin. in l. rem quæ nobis. num.8. ff. de acquir.possess. Paris. consil. 1. num. 164. Menoch. de recuper. possess. rem.15. num.95. Ægid. decis. 494. Put. decis. 276. num.1. secundum nouam impressionem lib.3.*Et fuit dictum in Albinganen.Cappellaniæ,15. Maij 1592.coram Illustrissimo Arigonio,& in causa Beneuentana Spolij coram me 10. Martij preteriti.

2 Quod procedit etiam si ob non seruatas solennitates statutarias fuisset nulliter alienata. Nam cum dicta venditio per ipsas mulieres, licet minores vna cũ testamentario curatore facta reperiatur per eam, quamuis nullam, dicitur amissa possessio, cum istarum mulierum consensus non defecerit.*Gabriel.consl. 36. nu.17. lib.1. Honded. consl.23. num.10. lib.2. Rota decis. 93. per tot.par.2. diuersorum, &c.*

R. P. D. VBALDO.

Barchionen.Beneficij. Veneris 20. Iunij 1614.

ARGVMENTVM.

Subrogatio gratiosa iustificata censetur probatis lite, Clericatu, & obitu beneficiati in possessione beneficij, & quomodo hæc probentur.

SVMMARIVM.

Subrogatio gratiosa iustificata censetur probata lite, clericatu, & obitu beneficiati in possessione. num.1.

Lis dicitur constare ex commissione præsentata in actis. num.2.

Clericatus probatur per testes deponentes vidisse clericum celebrantem, & quod communiter, & publice pro Clerico habebatur. num.3.

Mors probatur per librum Parochi, in quo describuntur nomina mortuorum. num.4.

Possessio probatur ex perceptione fructuum. num. 5.

DECISIO DCXXIX.

1 DOmini censuerunt Michaeli Corberæ dandam esse immissionem in vim gratiosæ subrogationis ab eo obtentæ, in ius, & possessionem Petri Feu, quia iustificauit omnia necessaria ad hunc effectum, videlicet litem, Clericatum, & obitum Petri in possessione, *Mohed. decis.11. vt lit.pend. Put.decis.214.lib.1. & decis.495.lib.2. Paleot.decis.203.& 119.* & fuit dictum in Lucana Maiusculatus. 13. Octobris 1586. coram Orano in Burgen, Præstimonij de Pancoruo,24.Octobris 1588. coram Gipsio in Astoricen. Archidiaconatus. 6. Nouembris 1602. coram Illustrissimo Cardinali Lancellotto in Pampilonen. Parochialis de Artoz. 13. Maij 1611. coram me, & alias sæpe.

2 De lite enim constat ex commissione in Rota præsentata à Petro, *Rot. decis.9. de cau. possess.& propriet. & decis.6.vt lit.pend.in nouis. Cassad.decis.6. de rescript.Put. decis.36.nu.1.lib.3. secundum vltimam impressionem.*

3 De Clericato Michaelis constat ex testibus,qui deponunt vidisse illum celebrantem, & quod communiter,& publice pro Clerico habebatur. *Rota decis.14. de probat. in antiq. Ægid. decisi. 114. Caputaq. decis. 277. num.8. par. 1. Rota decis. 293. num.1. par.1. diuers.* & fuit dictum in Bracharen. Parochialis. 22. Aprilis 1605. coram Reuerendissimo D.meo Damasceno,& in Ciuitatis Castelli. 2. huius mensis coram R.P.D. meo Dunozet.

4 De obitu Petri præter dictos testes constat ex partita extracta ex libro Parochi,in quo adnotantur nomina mortuorum, *Rebuff. in tract. de registr. Bapt.& sepult.art. vltimo. glos. vnic. vers. & sic patet. Mandos.super reg.18. quæst.10. num. 4. Rota decis. 220. num. 1. par. 2. diuers.* Et fuit dictum in causa Calaguritana Beneficij de Cuacu. 10. Martij præteriti, coram R. P. D. meo Remboldo.

5 Quod autem Petrus possideret, & signanter tempore obitus deponunt ijdem testes dicentes eum percepisse fructus ex hoc beneficio,ex qua fructum perceptione probatur vera possessio. *leg. 2. C. de acq. possess. leg.Titia.* & ibi communiter Doctores. *ff.de solut.Paris. consil.5.num.21. lib.4. Ferret. consi.220. num.17. Crau.consl. 107. num.2. Socin. consil. 23. num.14. lib. 4. Ioseph. Ludou. decis.Perusin.29. nu.14. Osasc. decis. Pedem. 43. numer. 3. Sarnen.in reg. de annal.q.47.n.1.& 2.Cæs.de Grass.decis.10. n.3.de caus.possess.& propr.*Et fuit dictũ in causa Perusina fidei-

fideicommissi de Bigazzinis. 30. Martij 1607. coram R.P.D. meo Pamphilio. Ex quibus ita fuit decisum, solo Michaele Informante, & per contradictas, quomodo bene proceditur defuncto colliti gante. *Rot. decis. 8. vt lit. pend. in nouis*.

REVER. P. D. PAMPHILIO.

Tusculana releuationis indemnitatis. *Veneris* 20. *Iunij*. 1614.

ARGVMENTVM.

De vi Cameralis obligationis, quando habeat viam exequutiuam, quando sit necessaria illius extensio, & quibus exceptionibus retardetur.

SVMMARIVM.

Obligatio Cameralis parit viam exequutiuam tam inter ipsos contrahentes pro, & contra, quam etiam inter contrahentium hæredes. num.1.

Obligationis Cameralis extensio fit ad effectum, vt iudex possit esse certus de sua iurisdictione, & semel facta inter creditorem, & debitorem non est amplius necessaria inter debitorem, qui soluit, & fideiussorem. num.2.

Obligatio Cameralis quando in ea est susceptum mandatum vnica citatione præcedente, non habet necesse, vt mandatum relaxetur cum intimatione, nisi in fratres. nu.3.

Fideiussor, qui soluit pro aliquo principali debitore, agere potest pro releuatione indemnitatis contra debitorem, & eius hæredes, etiam non facta intimatione molestiarum; quando nihil releuans opponere poterat. nu. 4.

Emptor agere potest de euictione contra fideiussorem, & venditionem etiam non intimatis molestijs, quando fecit omnem possibilem defensionem. nu.4.

Obligatio Cameralis non admittit exceptiones requirentes altiorem indaginem. nu.5.

Emphyteuticus contractus requirit scripturam. num.6.

DECISIO DCXXX.

1 Domini dixerunt esse procedendum ad executionem, quia mandatum fuit relaxatum pro summa quam Iulianus mediante iudicis auctoritate coactus fuit soluere, occasione fideiussionis per ipsum factæ, ad fauorem bo.mem. Cardinalis Columnę intuitu Alexandri, qui cum promisisset eundem Iulianum indemnem releuare à dicta fideiussione cum obligatione Camerali, bene potuit pro tali releuatione procedi via executiua. *Cassad. decis. vnica. de mut. pet. Gales. ad form. oblig. Camere l. par. 1. q.2. num.12. Thesaur. decis. 26. num.11.* & fuit plures decisum, quæ datur tam inter ipsos Iulianum, & Alexandrum contrahentes, quam etiam pro & contra eorum hæredes. *Gales. dicto tract. de oblig. Cam. par.2. q.1.* & faciunt deducta in causa Romana Census. 5. Maij 1610. cum alijs alleg.

2 Nec obstare, quod in huiusmodi iudicio relationis indemnitatis non fuerit facta extensio obligationis Cameralis, quia cum huiusmodi extensio fuerit facta in iudicio moto per Cardinalem contra Iulianum fideiussorem, & illius acta repetita fuerint in iudicio releuationis indemnitatis, in visum fuit sufficere, cum ex his Dominus A.C. potuerit esse certus de sua iurisdictione, specialiter respectu hæredum Alexandri, principaliter in solidum obligati, ad quem effectum requiritur talis extensio, ad trad. per *Gales. dicto tract. de oblig. Camer. in 2. p.3. par. princ. sub tit. de processu. nu.4. & seq.*

3 Neque releuare, quod in relaxatione mandati non præcesserit decretum in citatione a soluendum, nisi in fratres iuxta stylum tribunalis A.C. quia hoc non procedit, quando prout in obligatione, de qua agitur, fuit susceptum mandatum vnica citatione præcedente, vt fuit dictum in Romana pecuniarię de Pinellis 8. Aprilis 1598. coram bon. memoriæ Orano, & in causa Perusina dotis 7. Aprilis 1606. coram Reuerendiss. Attrebaten.

4 Minus refragari, quod per Iulianum non fuerint molestiæ sufficienter intimatæ Alexandro principali, siue illius hæredibus, prout requirebatur ad effectum, vt contra eos pro releuatione indemnitatis agi posset ex alleg. quia fuit responsum, exceptiones oppositas pro parte Alexandri, & eius hęredum esse satis leues, & irreleuantes, vel saltem requirere altiorē indaginem, quæ propterea fuissent reiectæ prout fuerunt reiectæ exceptiones, quas contra eandem obligationem opposuit Iulianus, qui vt constat ex actis omnem defensionem possibilem fecit, vt executionē euitaret, quo casu stante huiusmodi defensione, & iustitia executionis hæredes Iuliani non debent impediri, quo minus agant pro releuatione indemnitatis prætextu intimationis non factę ad *text. in l. si fideissor. ff. manda.* cum alijs adductis in Romana pecuniariæ 26. Iunij 1589. coram bon. mem. Card. Pamphilio, & in simili, quod emptor agere possit de euictione etiam non facta denunciatione litis venditori, vbi constat de iustitia euictionis, & emptor omnem defensionem possibilem fecit, vt illam euitaret. *Alexan. consi. 63. numero 12. libro 6. & alij alleg. per Couarr. var. resolut. lib.3. cap.17. num.6.* tenuit Rot. in causa Bononien. euictionis. 5. Decembris 1605. coram bon. mem. Litta.

5 Neque subsistere, quod filiæ Alexandri sint creditrices patris pro dote materna, & alijs de causis, ex quibus propterea præferendę sint in Arboreto, super quo capta fuit executio supradicti mandati relaxati contra bona hæreditaria Alexandri, quia fuit responsum, quod licet ex iuribus datis probetur constitutio dotis, non tamen constat de illius solutione, neque concludenter apparet de alio ipsorum credito contra bona patris, prout requiritur ad impediendum effectum obligationis Cameralis, quæ non admittit exceptiones requirentes altiorem indaginem. *Galles. d. tract. Camerali. q.4. p.1. nu.17. Ant. Aug. de iureiur. §. de obl. Cameral. num.4.* & fuit dictum in Romana executionis Cameralis 2. Aprilis 1593. coram bon. mem. Orano, & coram R. P. D. meo Pirouano, in alia Romana affictus 30. Martij 1612. & alias sæpissime.

6 Nec demum placuit Dominis, quod supradictum arboretum non sit hæreditarium, cum viuente Alexandro vti emphyteutico ob non solutionem canonum deuolutum fuerit ad Abbatiam, Griptæ ferratæ, & postea per Abbatem denuò concessum filiabus dicti Alexandri, quia ad hoc probandum non datur aliqua scriptura, quę est necessaria in contractu emphyteutico. *l.1. & ibi glos. in verbo alienationes.* A.C. de iure emphyt. *Alexan. consi. 50. nu.4. lib.5. Clar. in §. emphyteusis. quæst.1. Ruin. cons. 167. num. 22. lib.1. Bursat. qui testatur de magis communi, consi. 26. nu.16. lib.1.* Valascus, qui pariter de magis communi testatur, *in tract. de iure emphyt. q.7. nu.1. vers. inter omnes. & in vers. verumtamen. Surd. decis. 10. num.1.* & tenuit alias Rota coram Seraphino, *decis. 607. num.1.*

7 Verum quia dicebatur vlterius huiusmodi arboretu fuisse datum in dotem filiæ Alexandri, & de tempore executionis à Petro illius marito possideri, contra quem propterea vti tertium possessorem vigore obligationis Cameralis executiue procedi non poterat, ex allegat. Econtra vero opponebatur de hoc non constare, & Petrum possedisse, vt administratorem filiarum Alexandri, placuit Dominis, quod antequam ad executionem procedatur iuxta supradictam resolutionem, de hac possessione Petri particulariter videatur. Et ita fuit resolutum.

R. P. D. PIROVANO.

Palpien. Pensionis. Lunæ 16. Iunij 1614.

ARGVMENTVM.

Ex Summario sumas Argumentum.

SVMMARIVM.

Resignans beneficium cum reseruatione pensionis addita clausula non aliter, alias, nec alio modo, dum pensio impugnatur in totum, vel in parte, resignans potest redire ad beneficium. num. 1. & 2. Vbi hæc conclusio ampliatur etiam contra successorem in beneficio.

DECISIO DCXXXI.

1 PRo Informante fuit resolutum, scilicet non esse locum reductioni pensionis, sed quatenus Matthæus titularis impugnat pensionem, Petrus Maria pensionarius venit restituendus ad Præposituram: Agitur enim de pensione reseruata ex causa resignationis factę ab ipsomet Petro Maria, qui consensit sub reseruatione tantæ quantitatis pensionis, cum clausula non alias, aliter, nec alio modo, quo casu dum pensio impugnatur in totum, vel in parte, resoluitur consensus taliter conditionaliter præstitus, & resignans potest redire ad beneficium, quod nunquam censetur ab eo abdicatum. *Cresc. dec. 17. de rescri.* & fuit resolutum in causa Vicentina pensionis 20. Aprilis 1592. coram bon. mem. Card. Mantica, & coram me in alia Vicentina pensionis. 21. Maij 1610. in qua alię similes resolutiones referuntur.

2 Nec refert, quod in presenti non agatur de persona resignatarij, sed de alio successore in beneficio; quia nihilominus etiam successores afficit conditio pro conseruatione iuris ipsius resignantis. *Caputaq. dec. 8. num. 2. par. 3. & dec. 155. par. 1. Paris. de resignat. lib. 6. q. 3. num. 18.* Et ita solo Petro Maria informante fuit resolutum.

DECISIO DCXXXII.

Terdonen. Beneficij. Veneris 20. Iunij 1614.

Est impressa inter Caualer.

DECISIO 315.

R. P. D. REMBOLDO.

Nullius, seu Giennen. Beneficiorum. Veneris 20. Iunij 1614.

ARGVMENTVM.

Ex Summario sume plura notanda in hac decisione explicata.

SVMMARIVM.

Possessio beneficij Antecessoris non transit in successorem sine noua apprehensione. nu. 1.

Literæ Apostolicæ habent paratam exequutionem. nu. 2.

Literæ Apostolicæ emanatæ Motu proprio non indigent iustificatione. nu. 3. Declara, vt num. 4.

Gratiam qui obtinuit alicuius beneficij per literas Motu proprio expeditas, quando teneatur iustificare ius sui Authoris. num. 4.

Possessor beneficij, de quo est prouisus ab Ordinario, dicitur legitimus contradictor ad excludendum viam exequutiuam. num. 5.

Confessio dubia non releuat. num. 6. & 7. Vbi proterea, quod interpretanda est, vt minus præiudicet confitenti, quam sit possibile.

Confessio facta à Procuratore principali non nocet. nu. 8.

DECISIO DCXXXIII.

1 VIsum fuit Dominis, non posse concedi Domino Didaco manutentionem in possessione beneficij, de quo agitur, cum non doceat de possessione propria, quę est fundamentum manutentionis, nec minus iuuari possit possessione antecessoris sui. Illa enim non transit in successorem absque noua apprehensione. *l. cum hæredes. ff. de acquiren. possess. Achill. decis. vltima, de iure patronat. Caputaque decisi. 423. parte secunda.*

2 Dixerunt autem dandam esse immissionem in vim literarum Motus proprij Sanctiss. D.N. quę propter reuerentiam illis debitam habent exequutionem paratam ad instar, *l. final. C. de edict. Diu. Adria. tollen. ad notat. per Modern. de adipiscend. remed. vlt. num. 35.*

3 Non obstat, quod dictę literæ non fuerint iustificatæ, quia cum emanauerint Motu proprio, vt dixi, non indigent alia iustificatione. *Achill. decis. 10. de probation. Put. decis. 101. lib. 3.* cum allegatis in Fauentina Monasterij 15. Decemb. 1603. coram bon. mem. Card. Seraphino.

4 Non obstat, quod Didacus saltem tenuit iustificare ius sui authoris ad allegat. in Hispalen. Beneficiorum 10. Iunij 1611. coram Reuer. P. D. Pamphilio; quia hoc procederet si ageretur de immissione in vim tituli, tanquam successoris. Secus vero est, quando agitur de immissione in vim commendę, quę presupponit custodiam fructuum, donec possessor de captiuitate reuertatur. Vnde nil aliud videtur iustificandum, quam quod captiuus de tempore captiuitatis de facto possidebat vti talis *Achill. decis. 24. de restitut. spoliat.*

5 Non obstat, quod cum Ioannes reperiatur in possessione, & sit prouisus ab ordinario, dicatur legitimus contradictor, ad excludendam viam exequutiuam, etiam de intentione Sanctiss. D.N. qui voluit prędicta beneficia commendare, dummodo medio tempore non fuisset alteri ius quæsitum, quia respondetur, quod cessat obiectum ex eo, quod prædictus Ioannes non docet nec de aliquo titulo, nec de possessione.

6 Non enim potest dici constare de dicta possessione ex confessione D. Didaci in mandato procurę, in quo conceditur facultas citandi quoscunque intrusos. Nam præterquam quod dicta confessio emanauit de anno 1611. & sic longe post Motum proprium obtentum, illa non potest suffragari Ioanni tanquam dubia. c. in præscripta. de probat. *l. non hoc. C. vnde l. Surd. cons. 5. num. 45.*

7 Cum enim plura fuerint beneficia à Didaco obtenta, & Ioannes non nominetur in mandato, potest confessio intelligi quo ad alia beneficia, Debet enim interpretari, vt minus præiudicet confitenti. *leg. si quis intentione ambigua. ff. de iudicij. leg. de ætate. §. nihil interest. ff. de interrog. actio. Rota diuers. 806. numero primo, parte prima, & decisione 80. numero 21. parte secunda,* in qua fuit dictum, alias Rotam interpretatam fuisse professionem pro nuda facti detentatione, vt apud *Mohed. decisione 2. alias 37. de restitut. spoliat.* Immo dicta confessio non est assertiua, sed intelligenda data facultas citandi intrusos quatenus adessent.

8 Minus Ioannes potest se fundare in confessione, de qua in commissione, quia illa facta fuit à Procuratore, & est incerta, & dubia ex supra allegatis. Non con-

constat etiam de titulo Ioannis, qui tamen copulatiue cum possessione requiritur ad effectum impediendi immissionem. *Modern. de adipiscend. remed.4.numero 565.* & fuit dictum in Vrbeuetana Castrorum, prima Iunij 1569. coram bonæ memoriæ Cardinale Seraphino, nec minus de iure Collatoris ordinarij, &c.

R. P. D. PIROVANO

Romana pecuniariæ, Veneris 20. Iunij 1614.

ARGVMENTVM.

Plures, & diuersæ iuris conclusiones in hac decisione explicantur, quæ in Summario per te ipsum videre potes.

SVMMARIVM.

Possessione sua tam ciuili, quam naturali potest quisque a iudice rite, & recte procedente priuari. nu.1.

Instrumentum facit probationem probatam, veritatem apparentem, nullo alio adminiculo indigentem. nu.2.

Constituti clausula probat contra constituentem possessionem eius, ad cuius fauorem quis se possidere constituit. num.3.

Possessio probatur per sustentationem litis. nu.4.

Possessio probatur per instrumentum adeptæ possessionis. num.4.

Constituti clausula, & virtus lapso decennio expirat. num.5. Declara, vt num.6.

Possessio ammititur per lapsum decennij. num.5. Declara, vt num.6.

Possidens de præsenti de præterito præsumitur continuasse in futurum possessionem, etiam siue præfinitione temporis alio non existente in possessione. num.6.

Possidere quis præsumitur ex præcedenti titulo. num.7.

Præscriptio decem annorum obstat agenti Saluiano interdicto. num.8.

Malafides inducitur per motam litem, quæ præscriptionem impedit. num.8.

Compensatio non admittitur de non liquido ad liquidum. num.9.

Compensatio de credito vnius personæ non admittitur ad creditum alterius. num.9.

Sententia est indiuidua, ideo pro parte valere, & pro parte non minime potest. num.10. & 11.

DECISIO DCXXXIV.

1 Dubitaui an sententiæ Auditoris Cameræ, & R.P. D. Zambeccarij sint confirmandæ, vel infirmandæ, & præsens dubium, quamuis videatur comprehendere disputationem validitatis vtriusque sententiæ, restringitur tamen ab sententiam Auditoris Cameræ, à quo si rite, & recte fuit processum, nulli dubium, quod Hieronyma, seu Innocentius Carpitonus eius filius, & hæres potuerunt priuari possessione tam ciuili, quam naturali. *Mohed. decis.4. & 7. de restit. spoliat. Rota decis. 802. num.7.part.1. diuers.* & consequenter sententia D. Zambeccarij super manutentione non est manutenenda, sed reuocanda. Fuerunt igitur Domini pro validitate sententiæ Auditoris Cameræ. Aliam vero reuocandam censuerunt. Nam cum prædicta sententia Auditoris Cameræ lata in Saluiano fuerit, Federicus, & Flaminia coniuges requisita in eo remedio bene probarunt.

2 De credito cum hypotheca in specie super vinea, de qua agitur, constat ex instrumento impositionis census super eadem vinea, quæ probatio dicitur probata, & veritas apparens, cum descendat ab instrumento, vt dicunt *Alciat. de præsumpt. regul.13. præsumpt. 3. num.8. Osasc. decis.72. num.4.* Nec eget alio adminiculo, sed sufficit, vt dictum fuit, in Romana Saluiani 27. Maij 1599. & in Romana Bonorum de Ceilis. 14. Maij 1610. coram bon. mem. Pegna. & in alia Romana Saluiani. 19. Nouembris 1599. coram D. Cardinale Lancellotto, tunc Rotæ Auditore.

3 De primo extremo, quod scilicet vinea fuerit possessa per Hortensium Riccardum, qui censum imposuit, & vendidit constat ex instrumento recognitionis, & assignationis dotis factæ per eundem Hortensium Hieronymæ vxori suæ, super hac eadem vinea, in quo asserit vineam prædictam per ipsum esse tentam, & possessam, & donec Hieronyma adepta fuerit possessionem, constituit se eius nomine tenere, & possidere, quæ assertio, & clausula constituti contra ipsummet constituentem, & habentem causam ab eo probat possessionem, *Tiraquell. de iure constit. possess. in princ. num.2. Rota decis.549. parte 1. diuers.*

4 Secundum extremum probatum remanet ex sustentatione litis, & instrumento possessionis per Hieronymam adeptæ vigore mandati de redintegrando, cum tamen alterum ex prædictis sufficeret, prout de primo plures fuit decisum, teste *Pontano de Spolio. lib. 2. c.17. num.185.* signanter apud *Caputaq. decis.369. p.2. Cæsar de Graff. decis.4. num.2. de restitut. spoliat. Seraphin. decis. 1415. nu.3. De secundo sunt decisi. Caputaq. 173. par.3. 333. p.2. Rot. decis.802. num.5. p.1. diuers.*

5 Nec obstat, quod virtus clausulæ constituti expirare videatur decennio elapso, cum tanto tempore amittatur possessio. *Alciat. de præsumpt. regu.2. præsump. 21. nu.12. Mathesil. sing.117. num.7. & 8. Ripa in c. cum Ecclesia, num.23. de caus. poss. & propriet.*

6 Quia si attendatur tempus contractæ obligationis, quod contingit de anno 1570. & ab eo vsque ad annum 1586. tempore, quo fuit assignata dos prædicta, cum non doceatur, alium fuisse in possessione, non cessat præsumptio continuatæ possessionis, & post decennium per reg. qui olim possedit, & hodie possidere præsumitur, de qua per *Glos. Bartol. & Bald. in l. siue possidetis. C. de probatio. Alciat. de præsumpt. reg.2. præsump. 21. Natt. de communi cons.235. in fi. Becc. cons.75. nu.13. lib. 1.* & hanc præsumptionem procedere sine præfinitione temporis, quando alter non est in possessione, declarat *Menoch. de præsumpt. lib.6. præsump.64. num.42. & tenuit Rota decis.62. nu.6. p.2. diuers.*

7 Si vero tempus commensuraretur à dicto anno 1586. citra, & tunc quo ad effectum Saluiani non est attendendum, quia sufficit, vineam fuisse in bonis Hortensij de tempore contractæ obligationis, & probari ex clausula constituti vsque de eo tempore, vltra quod neque decennium esset elapsum, quia subhastatio fuit facta de anno 1395. neque probatur, quod alter esset in possessione, sed potius effectuata promissio constituti, quia vinea reperta fuit tempore subhastationis penes Hieronymam, quę alio non apparente ex titulo præambulo assignationis dotis possidere præsumitur. *Glos. in l. quædam mulier. ff. de rei vendic. l.2. de acquir. posses. Becc. cons.13. nu.2. lib.1.*

8 Non obstat exceptio decennalis præscriptionis, quæ consideratur de anno 1586. quo vinea pro dote fuit consignata Hieronymę, & per eam possessa vsque ad annum 1604. quo fuit Saluianum intentatum, & quę sufficere videtur ad repellendum agentem in Saluiano, vt fuit dictum in Romana Saluiani 2. Decembris 1601. coram Reuerendissimo nostro Decano, quia placuit Dominis responsio data, quod ante decennium fuit incœpta lis, per quam Hieronyma fuit constituta in mala fide, quæ impedit præscriptionem *l. motæ litis. C. de rei vendic. Couarr. in reg. possessor. 2. p. §.12. numero 4. versic. 2. conclusi. de regul. iur. in 6.* Vltra, quod adhuc durat census per resolutionem subhastationis, & sic hypotheca, quæ prescripta dici non potest. Nec dicatur, quod in subhastatione

tione vineæ coniuges prædicti cesserint omnia eorũ iura Parmenidi emptori, quia attenta declaratione nullitatis subhastationis recuperarunt primæua iura ex eo, quod titulus reductus fuit ad non titulum, in cuius consequentiam iura fuerunt cessa, vt fuit dictũ in hac eadem causa coram me 13. Ianuarij 1612.

9 Et ex prædictis patet responsio ad id, quod dicebatur istos Coniuges non posse agere pro fructibus cẽsus pro illo tempore, quo retinuerunt pecunias redactas ex pretio vineæ subhastatæ, quia cum debitor census recuperauerit vineam, & obtinuerit etiam condemnationem pro omnibus fructibus de tempore perceptis, & dicti Coniuges condemnati ad restitutionem dictarum pecuniarum vna cum damnis, & interesse, visum fuit Dominum census non posse impediri in perceptione fructuum, cum omnia ad suum principium redierint, nec compensatio de damnis, & fructibus vineæ, ad quorum restitutionem fuit condemnatus, tanquam spoliator, & de tempore, quo durauit spolium videtur admittenda cum fructibus census debitis coniugibus, quia de re non liquida, & de qua pendet iudicium in Rota, non videtur admittenda, per *legem finalem. C. de compensationibus. Afflictus decis. 381. num. 6. Alba. consil. 211. numer. secundo. Seraphin. decisione 1455. num. quarto. & quinto.* & tanquam de credito vnius personæ ad creditum alterius, quæ regulariter non admittitur *l. in rem suam. §. creditor. ff. de compensat.*

10 Demum non obstat, quod saltem pro fructibus decursis ab anno 1594. tempore quo vinea fuit subhastata vsque ad annum 1599. quo Hieronyma mouit litem super redintegratione, immissio dari non potuerit, ex quo Parmenides non fuit condemnatus ad restitutionem fructuum vineæ, nisi a die motæ litis, & coniuges gauisi sunt pretio pecuniarum pro eo tempore, quæ propterea ad restitutionem damnorum loco fructuum vineæ restituendorum per Parmenidem cogi non potuerunt, quia nec ipse Parmenides cogendus erit ante tempus litis contestatæ, & consequenter sententia adiudicans plus debito remanet nulla, propter illius indiuiduitatem, quæ non admittit, vt pro parte valeat, & pro parte non, *Bart. in leg. si non sortem. §. si centum. ff. de condictione indebit. Roman. cons. quadringentesimo quinquagesimo quarto, nu. 12.*

11 Quia fuit dictum, ex facto cessare obiectum, cum ex Scutis quinquaginta debitis vsque in anno 1594. & fructibus duodecim decursorum ab anno 1599. 27. Septembris, quo fuit mota lis per Hieronymam super redintegratione vsque ad totum annum 1612. satis patet, quod in sententia non fuerit habita ratio fructuum census decursorum ab anno 1594. vsque ad annum 1599. quo lis fuit mota. Et ideo si ex prædictis de iustitia sententiæ Auditoris Cameræ constat; prout constare visum fuit, consequitur exinde, aliam sententiam super manutentione latam esse iniustam, cum per eam priuati fuerint coniuges sua possessione, in quam immissi fuerunt auctoritate iudicis rite, recte procedentis, qui potuit Hieronymam sua possessione tam naturali, quam ciuili priuare, vt in initio fuit dictum. Et ita fuit resolutum &c.

R. P. D. VEROSPIO.

Esina Bonorum. Lunæ 23. Iunij 1614.

ARGVMENTVM.

Agitur in hac decisione de testamento, in quo sunt instituti hæredes illi, ad quos de iure hæreditas pertinet, & inde incidenter declarantur nonnulla, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Testator instituens hæredes, ad quos de iure hæreditas pertinet censetur vocasse venientes ab intestato proximiores. num. 1.

Testator regulariter præsumitur se conformare cum lege municipali. nu. 2.

Renuncians contra ius renunciatum venire non potest. num. tertio.

Testator legando aliquid cum clausula, ne plus petere possit, censetur excludere legatarium ab vniuersali institutione. num. 4.

Hæres institutus in re certa non dato ei alio cohærede vniuersali, consequitur totam hæreditatem, etiam quod fuerit institutus cum clausula, quod nihil aliud petere possit. numero 5.

Institutio eorum ad quos de iure pertinet hæreditas dicitur certa, non autem incerta. nu. 6.

Testamentum interpretandum est, ne in eo resultet contrarietas, & repugnantia. nu. 7.

DECISIO DCXXXV.

1 Sanctes de Veteribus Esinæ Ciuitatis condito testamento decessit relictis Cleopha matre, nec non Lucretia, & Veronica sororibus. Matri legauit bonorum omnium vsumfructum, Lucretiæ Scuta quingenta, Veronicæ vero in eadem Ciuitate Moniali reliquit annua Scuta 25. hoc tamen adiecto, vt amplius illa petere non posset. In alijs vero bonis omnibus eos hæredes vniuersales instituit, ad quos illa de iure pertinerent. Mortua post obitum testatoris matre, fuit inter dictas sorores orta controuersia, & causa de partibus per viam appellationis hic introducta. Dubitaui cuinam ista Sanctis hæreditas deberetur. Et Domini censuerunt, illam pro tribus partibus ad Lucretiam. Pro quarta vero parte ad Cleopham defuncti matrem pertinere. Testator enim instituit sibi hæredes quos de iure. Vnde vocasse censetur venientes ab intestato. *l. si quis ita hæres. ff. de hæred. instit. l. 2. ff. de liber. & posthum. & post alios Ruin. consil. 6. num. 6. lib. 2.* Et per consequens Cleopham matrem, & Lucretiam sororem, & proximiorem consanguineam. *ex auth. defuncto. C. ad Tertull.*

2 Itæ autem mulieres, licet de iure communi pro æquali portione succedere debuissent, cum tamen in illa Ciuitate statutum vigeat, quod filio ab intestato decedenti mater in quarta solum parte succedat, necessario sequitur, Lucretiam ad alias tres partes esse admittendam, cum regulariter testator videatur cum *l. municipali se conformasse, Bart. in l. hæredes mei. §. cum ita. ff. ad Trebell. Alex. in l. 3. nu. 5. de legat. primo. Brun. in tract. de stat. exclus. fem. art. 8. nu. 105. & 206. per tot. cum alijs per Card. Mantic. de coniect. vlt. volunt. lib. 4. tit. 11. nu. 16. & seq.* & fuit dictum in Leodien. fideicommissi. 19. Nouembris. 1610. coram R. P. D. meo Caualerio.

3 Nec Veronica testatoris etiam soror, & in eodem gradu cum Lucretia potest in dicta hæreditate succedere, quia cum ad fauorem Sanctis, & eius hæredum ipsa renunciauerit, contra propriam renunciationem hodie venire non potest. *l. quæritur. §. si venditor. ff. de ædil. edicto. l. si maritus. la seconda. §. si negauerit. ff. de adult. c. ex transmissa. de renunciat. Aym. cons. 114. nu. 10.*

4 Præterea stante prohibitione Veronicæ facta, ne plus illa consequi posset, quam annua Scuta 25. sibi in testamento relicta, satis ab vniuersali institutione videtur exclusa. *Bart. in l. quoties. §. si duo. nu. 1. ff. de hæred. instit. & post alios tradit Ruin. cons. 90. num. 11. lib. 2.*

5 Non obstat, eandem Veronicam in re certa institutam fuisse, & perconsequens ei non dato cohærede cense-

censeri totam hæreditatem consecutam, non obstant testatoris prohibitione, quod plus illa petere non valeret, vt per *Gulielm. de Benedictis in cap. Raynutius, in 1. part. num. 272. de testam. & alijs alleg.* Quicquid enim sit de tali opinione, quam satis esse controuersam apparet ex allegat. per *Clar. in §. testamentum, quæst. 74. & per Card. Mantic. de coniect. vltim. volunt. libr. 4. tit. 12. numer. 7.* Hæc tamen in casu nostro non applicantur cum adsit (vt supra dictum fuit) hæredis vniuersalis institutio.

6 Nec releuat exceptio, dictam institutionem tanquam incertam non valere ex allegatis. Nam cum illa relata fuerit ad eos, ad quos de iure pertineret, hæreditas dici non potest incerta, & consequenter sustinetur, *l. asse toto. vbi gloss. & Doct. ff. de hæred. institut. Gabriel. de testam. conclus. 11. num. 4. & 6. Tiraq. de leg. connubial. gloss. 7. num. 193. Card. Mantic. de coniectur. libr. 4. tit. 3. num. 11.*

7 Non obstat Lucretiam vti legatariam, & Cleopham vsufructuariam in generali institutione cōprehensas non fuisse, ne resultet contrarietas, & repugnantia, quod eædem personæ sint hæredes, & legatariæ, vt per *Paris. cons. 3. nu. 23. & seq. libr. 3.* Quia non propterea vlla oritur repugnantia, cum Cleopha vsufructuaria censeatur solum respectu partis, quę pertinebat ad Lucretiam, hæc autem legatum Scutorum quingentorum ex tota hæreditate percipere debet, & sic pro concurrenti quantitate etiam ad matrem spectante, *iuxta text. in l. ab omnibus, §. actio. ff. legat. 1.* Nec prædictum legatum dici potest inutile, cum statim mortuo testatore debeatur delato post obitum matris vsufructuariæ propriæ institutionis effectu.

R. P. D. DVNOZETTO.

Meliten. seu Portugallen. Commendæ. Lunæ 23. Iunij 1614.

ARGVMENTVM.

Literæ Apostolicæ super prouisione Commendę magno Magistro directæ ad alicuius fauorem, quando censeatur commendatitiæ quando monitoriæ, & quando præceptiuæ, & quando etiam is, cui directæ, sunt, obedire teneatur, & non obediendo puniatur. Quando, & ex quibus quis iuri suo renuntiare dicatur.

SVMMARIVM.

Monitoriales literæ an sint, vel solum commendatitiæ, cognoscitur ex verbis appositis in dictis literis, num. 1.
Vbi ponuntur nonnulla verba, quæ monitionem, & præceptum important. nu. 1.
Monitorijs literis licet nullum quæratur ius illi, qui eas obtinuit, intrat tamen officium iudicis, vt compellat monitum ad parendum literis Apostolicis, nu. 2. & 3.
Præces emanatæ ab eo, qui imperare potest, vim necessitatis habent, nu. 2.
Literæ monitoriæ à Papa emanatæ, habent vim præcepti, numero 2.
Literis præceptorijs Papæ non obediens magis punitur, quam non obediens literis monitorijs, nu. 2. & 3.
Papæ monenti, & præcipienti beneficium alicui conferri, si collator non paret puniendus est, nu. 3.
Literarum Apostolicarum, seu Breuis registratio habet vim acceptationis, num. 4. Vbi etiam, quod tribuit ius præsentanti illas, & nu. 5. Vbi præsertim, quando talis registratio est facta causa cognita.
Literarum Apostolicarum verificatio, & iustificatio non est necessaria, quando fuerunt registrata de mandato illius, cui præsentatæ fuerunt, num. 5. Vt ampliatur etiam, quod in litteris adsit clausula, prout iuris, & æquitatis ratio postulat.
Renunciatio iuris sui non præsumitur, & omnis interpretatio facienda est, vt talis præsumptio excludatur, numero 6.
Renunciatio iuris sui non inducitur per verba vrbanitatis, numer. 6.
Indecens est dispendium sustinere, Vnde quis misericordiam deberet impetrare, nu. 7.
Ranunciare iuri suo, & literis impetratis non intelligitur is, qui se committit gratiæ aduersarij, vel voluntati alterius. Quod vtique intelligendum est de remissione arbitrio boni viri. nu. 7.
Impugnans actum non potest se in illo fundare. nu. 8.

DECISIO DCXXXVI.

1 ROta censuit, Illustriss. & Reuerendissimum Dom. Magnum Magistrum Ordinis S. Ioannis Hierosolymitani debuisse conferre fratri Emanueli de Couros Commendam tunc vacantem, & petitam à d. fratre Emanuele, & hodie teneri conferri eidem primam vacaturam. Ratio primæ partis huius decisionis ea præcipua fuit quia literæ in forma Breuis, à fel. recor. Clemente VIII. & eidem fratri Emanueli concessæ, & directæ magno Magistro, tunc viuenti, non sunt simpliciter commendatitiæ, sed monitoriæ, vt colligitur, ex dictis Breuis lectura, & ex multis clausulis in eo contentis. Ponderarunt enim DD. inter alia, verba monemus, & requirimus, quæ monitorialibus semper apponi solent, *Mandos. de monitor. q. 1. num. 6. & 7.* deinde illa verba ius quæsitum, & antianitatem concedas, quæ habent vim præcepti de prouidendo, maxime quia sæpius verbum volumus repetitum legilegitur vna cum his verbis, registrari facias, quæ simul iuncta satis superque visa sunt declarare intensam Sanctiss. voluntatem, dictas literas monitoriales d. fratri Emanueli conceden. ad effectum, vt eius vigore ipsi à magno Magistro Commenda vacatura conferretur.

2 Quo posito intrat clara iuris regula, licet per literas monitorias nullum ei, qui eas obtinuit ius queratur in re, *c. si capitulo, c. soli. & c. vlt. de concess. præben. in 6. latè Feder. de Sen. q. 290. num. 1. & 2.* intrat tamen officium iudicis, vt compellat monitum ad parendum literis Apostolicis, *c. literis, vbi gloss. in ver. monitorias, & Doct. de rescript. gloss. in cap. veniens, in ver. renunciasse iuri. de renun.* Preces enim ab eo, qui imperare poterat emanatæ, vim necessitatis habent, parumque refert vtrū literę sint monitoriæ, vel præceptorię, quia nulla alia in iure cōstitui poterat differentia inter eas, nisi vnica, quia magis puniendus ille, qui literis præceptorijs, quam qui monitorijs obtemperare renuit, *arg. can. fin. 14. q. 1. Comp. in c. Capitulum; & in cap. constitutus, de rescript. d. Federic. quæst. 290. num. 3.* Vbi ait, perinde esse si verbo monemus, aut si verbo præcipimus vsus fuerit Papa. *c. si soli. de præbend. in 6. c. Capitulum, de rescript.*

3 Ex quibus necessario inferendum est, dictas literas monitorias tribuisse ius personale dicto fratri Emanueli ad implorandum iudicis officium, & petendam collationem, quia collator tenetur obedire, alias puniendus, *Bellam. in c. literis, nu. 1. Host. nu. 5. vers. quamuis etiam. Imol. nu. 9. vers. sed bene quæritur Butr. num. 8. de rescr. Nauar. in c. si quando except. 21. n. 78. vers. consid. 2. de rescr. d. Feder. de Sent. loc. cit.*

4 In quam sententiam eo libentius iuerunt Domini quia res non erat amplius integra, & deuentum fuerat ad actum proximum executionis Breuis, ad eius scilicet registrationem, per quam inducitur aceptatio literarum, & virtuale decretum, vt executioni demādetur, *Rebuff. super concord. tit. de mandatis Apostolicis, §. &*

§. *& obijcitur, in ver.* & in illiu squinternio registrari, eo magis, quia Papa in dictis literis non solum monuit magnum Magistrum, vt conferret fratri Emanueli,,primam commendam vacaturam,sed illico,vt ei ius quæsitum, & antianitatem concederet, quod rescriptum post præsentationem facto dicto magno Magistro, & registrationem, tribuere debet præsentanti ius reale, & considerabile, *c. si capitulo, de concess. præb. in 6. Bisign. dec. 6. de consuet. Roch. eod. tra. sess. 4. n. 11. & Feder. de Sen. d. q. 290. nu. 4.*

5 Considerarunt enim DD. registrationem illam factam fuisse non perfunctorie, aut tumultuarie, sed causa cognita more militari solito, postquam dictus frater Emanuel in magno consilio purgauit se de his, quæ ei per fratrem Ioannem Suarez priorem Prioratus Portugalliæ fuerant obiecta, qua oppositione non obstante dictus Illustrissimus, & Reuerendissimus magnus Magister, & Venerabile consilium dictas literas Apostolicas, fidesque productas in Cancellaria, tanquam veras registrari mandarunt, ex quo decreto DD. iudicarunt, omnia esse sublata, quæ Informantes pro magno Magistro de subreptione literarum dicti fratri Emanuelis longa verborum serie differuerunt. Cum enim, vt dictum est ex registratione inducatur acceptatio, superuacua erat literarum Apostolicarum verificatio. *Cassad. dec. 8. num. 8. de rescript. Gigas de pensio. q. 35. num. 9. versic. quoties vero*, & fuit dictum in vna Abulen. pensionis, 15. Decembris 1610. coram R. P. D. Pirouano, nec propterea quod clausula, prout iuris, & æquitatis ratio postulat, apposita fuit verificanda sunt narrata in dictis literis. Ius enim & æquitas mouit Papam in recognitionem rerum bene gestarum per dictum fratrem Emanuelem ad concedendas has literas, sed ideo non rescripsit, vt fieret collatio, prout iuris, vt colligitur ex verbis dictis Breuis, & ex supradictis.

6 Nec obstare visum fuit Dominis, quod dicitur, dictum fratrem Emanuelem renunciasse omni, quod ei competebat, iuri, per protestationem factam die 16. Iunij 1597. in Congregatione Prioratus Portugalliæ, quæ datur in Summario. numero 3. Nam vltra quod omnis interpretatio sumi debet ad excludendam iuris proprij renunciationem. *Dec. cons. 308. num. 8. Tiraq. de retract. lignag. §. 36. glos. 2. numer. 50.* responsum fuit, non legi expressa verba renunciationem concludentiam, dum ait dictus frater Emanuel se nolle contra Prioratum in genere, & in specie, & contra mentem, & auctoritatem magni Magistri vti dictis literis monitorijs, cum sit obediens religiosus easque remittit dicto magno Magistro, vt de illis faceret, quod sibi videretur. Quæ verba potius ad vrbanitatem, quam ad præcisam renunciationem sunt referenda. Nullum enim fit præiudicium auctoritati dicti magni Magistri si literarum Apostolicarum debita petatur executio, cum se submisit dictus frater Emanuel magno Magistro.

7 Nulla propterea dici poterat per hanc submissionem elici renunciatio indecens, est enim, vt vnde misericordiam deberet impetrare inde cogatur dispendium sustinere, vt sunt verba Cælestini Papæ III. *in c. sane, & ibi glos. & c. veniens, & ibi late gloss. de renunciat.* vbi ait notandum, quod licet quis se committat gratiæ aduersarij, non renunciando diserte literis impetratis, non intelligitur propter hoc renunciasse iuri, quod sibi ex dictis literis competebat. Deinde, cum se dictus frater Emanuel remisit voluntati magni Magistri, id intelligendum est arbitrio boni viri. *Dec. cons. 497. num. 19. Rota diuers. decis. 252. in manuscriptis*, Fuit latè dictum in Toletana parochialis 29. Aprilis 1593. coram bon. memor. Penia, quod docuit obseruantia cum deinde postea causa cognita dictum Breue fuit per septem annos nulla dictæ renunciationis habita ratione de mandato moderni magni Magistri registratum, contradicente dicto Prioratu, vnde tollitur omnis prætensa renunciatio.

8 Placuit etiam Dominis responsio data, hanc prætensam renunciationem factam fuisse sub ea cōditione, modo literæ Apostolicæ registrarentur in memoriam seruitiorum, quæ Religioni frater Emanuel præstiterat, ideo cum nō fuerit acceptata, sed reiecta protestatio, sequitur ex actu impugnato, nō posse vllum ab eo qui illud impugnat fundamentum sumi, *cap. ex eo. de reg. iur. in 6. Late Surd. consil. 136. num. 29.* Nec potest dici constare de vlla acceptatione facta, vel à magno Magistro, vel à dicto Prioratu, imo contrarium apparere, quod magnus Magister, cui viuenti frater Emanuel se remiserat, nunquam potuit obtinere, vt Breue huiusmodi registraretur. Protestatio enim facta legitur 16. Iunij 1597. & registratio Breuis coram magno Magistro moderno 16. Aprilis 1605. nulla dictæ protestationis, aut renunciationis facta mentione, multo minus prætendi potest acceptatio facta à dicto Prioratu Portugalliæ cum Procurator dicti Prioratus rigide semper se opposuerit dictæ registrationi, ita vt dictus frater Emanuel coactus fuerit, etiam in contradictorio iudicio à magno Magistro, & consilio obtinere, imo nec adhunc vsque diem illius actus acceptationem inducens adducitur, vnde huiusmodi renunciatio iustæ fratris Emanuelis petitioni non potest obstare.

9 Quibus stantibus existimarunt Domini, nullam superesse difficultatem, hodie magnum Magistrum teneri primam commendam vacaturam vigore dicti Breuis, & monitorij eidem fratri Emanueli conferre. Cum enim male fecerit magnus Magister non prouidendo de commenda tunc vacata. *cap. si soli. de præben. in 6.* loco pœnæ succedit, vt primam vacaturam conferre teneatur. *capit. dilectus. 27. in fin. de præbend. Vbi Abb. nu. 6.* & ceteri omnes DD. Quæ dicuntur hinc inde de nullitate collationis iam factæ, visa sunt non esse præsentis inspectionis, cum sit causa separata, quæ maiorem pateretur difficultatem, vocandusque esset prouisus de cuius interesse agitur. Ex quibus, vtraq; parte informante, ita fuit decisum.

R. P. D. VBALDO.

Hisspalen. Coadiutoriæ Venerijs 14. Nouembris 1614.

ARGVMENTVM.

Attentata lite pendente, & post inhibitionem etiam nulliter emanatam reuocanda sunt, & quando suam possessionem continuans dicatur attentare.

SVMMARIVM.

Attentata lite pendente reuocanda sunt. num. 1.
Attentata post inhibitionem reuocanda sunt etiam, quod inhibitio nulliter emanauerit nu. 2. Amplia, vt num. 5.
Inhibitio, siue iusta, siue iniusta timenda est. nu. 2.
Possidere vnam, & eandem rem duo in solidum non possunt, sed diuersis respectibus, nu. 3.
Coaditor mortuo coadiuto non potest continuare possessionem aliquam viuente coadiuto habebat ratione seruitij, & administrationis, sed indiget noua possessione, num. 4.
Continuans possessionem suam attentare non dicitur. Fallit, quando possessor vtitur diuerso modo possidendi, ab eo, qui vtebatur ante litem, nu. 4.
Periurij exceptio non obstat petenti reuocationem attentatorum, num. 6.
Attentata reuocanda sunt etiam parte non instante ex officio iudicis, num. 6.

DE-

DECISIO DCXXXVII.

1 Fuit resolutum constare de attentatis,& esse apponendũ sequestrum,quia pendente lite in Rota inter duos Coadiutores Antonium,& Ioannem,& post inhibitionem Rotalem mortuo interim coadiuto Antonius obtinuit sibi tradi possessionem à Capitulo dimidiæ portionis, de qua agitur, vnde non est dubium possessionem fuisse attentatam, & ideo reuocandam. *toto tit. vt lit. pend. cap. non solum, de appel. lib. 6. Achill. decis. 29. de appellat. Veral. decis. 324. numer. 2. par. 1. Put. dec. 395. libr. 2. Cæsar. de Grass. decs. 3. in fin. de appell.*

2 Etiamsi inhibitio nulliter emanasset, cum semper timenda sit, siue iusta, siue iniusta. *Put. & Cæsar. de Grass. in decisionibus allegatis. & ex stylo Rotæ intrat sequestrum. Cassad. dec. 3. nu. 6. de restit. spoliat. Caputaq. dec. 157. par. 3.* & fuit sæpissime decisum.

3 Non obstat, quod Antonius fuerit in possessione coadiutoriæ longe ante litem motam, & ideo potuerit eandem possessionem continuare, etiam post mortem coadiuti ex vulgari regula, quod qui continuat non attentat, quia respondebatur, quod præterquam quod non fuit probatum ipsum fuisse in tali possessione viuente coadiuto, illa possessio fuit seruitij, & administrationis tantum, non autem tituli, & beneficij, cuius possessio residet penes ipsum coadiutum, & duo in solidum eodem modo rem possidere non possunt, sed bene diuersis respectibus, *Doct. in cap. licet causam de probat. Bart. in l. si duo. nu. 4. ff. vti possidet. Rota dec. 33. nu. 3. par. 1. diuers.* & fuit dictum in Romana de Lante 10. Iunij. 1613. coram me.

4 Et ideo mortuo coadiuto cessat illa possessio seruitij, quam habebat Coadiutor, neq. illam potest continuare, vt in terminis dicit *Put. dec. 226. num. 12. libr. 1. secundum antiq. impr.* Sed aget noua possessione Tituli, & beneficij, vt fuit resolutum in Hispalen. præeminentiarum. 8. Februarij 1613. coram Reuerendissimo Damasceno. Vnde regula, quod qui continuat, non attentat, non videbatur applicari, quia non procedit, quando possessor vtitur diuerso modo possidendi ab eo, quo vtebatur ante litem. *gl. in in cap. non solum. in gl. magn. circa med. vers. dic tamen de appell. in 6. Berous cons. 118. nu. 8. vbi de communi, & num. 24. lib. 3. Lancell. de attent. par. 2. cap. 4. de attent. lite pendent. nu. 92. & seqq. secundum nou. impress.*

5 Nec obstat, quod Antonius deptus fuerit possessionem vigore subrogationis, quia cum subrogatio fit in ipsis literis Coadiutoriæ, præcedit inhibitionem Rotalem, quæ est tantæ efficaciæ, vt etiam possessionem subrogari cæptam post inhibitionem faciat subiacere vitio attentatorum. *Lancellot. vbi supra. numer. 433. & sequent.*

6 Demum nec obstat videbatur exceptio periurij, quia fuit responsum eam non obstare petenti reuocationem attentatorum. *Lancellot. de attent. 3. par. q. 26. per tot. vbi refert*, Rotam alias ita inclinasse in vna Vrgellen. Canonicatus. 2. Decembris 1563. coram bone memoriæ Oradino, præsertim, quia iuramentum non fuit præstitum de non petenda reuocatione attentatorum, & ibi per eum, numero septimo, & cessat difficultas, quia attentata etiam cessante instantia partis venirent tamen reuocanda officio iudicis propter læsam eius Maiestatem. *Rota decis. 2. sub num. primo. de restitut. spoliat. in nou. Cassad. d. dec. 3. num. 6. de restitut. spoliat.*

7 Ex quibus fuit vt supra conclusum, Quia tamen agebatur de interesse Capituli, an ad illud spectent fructus, & distributiones ratione non interessentiæ collitigantium. Domini non intendebant per hanc resolutionem aliquod ei præiudicium afferre, sed inclinabant, vt Capitulum, si vellet, quo ad suum interesse audiretur, &c.

DECISIO DCXXXVIII.

Romana Hæreditatis, & Paragij Dotis. Lunæ 1. Decembris 1614.

Impressa apud Buratto,

DECISIO 82.

DECISIO DCXXXIX.

Firmana Hæreditatis. Veneris 12. Decembris 1614.

Impressa apud Buratto,

DECISIO 84.

R. P. D. PIROVANO.

Romana Accommanditæ. Mercurij 10. Decembris 1614.

ARGVMENTVM.

De vi, natura, & effectu contractus Accomanditæ, & in quo præsertim à contractu societatis differat.

SVMMARIVM.

Accomanditæ contractus quid sit, & de eius effectibus. num. primo.

Accomanditæ contractus non soluitur morte sociorum, seu alias per finitam societatem. nu. 1.

Nudum nomen in contractu vnus habere potest, & alter substantiam, & vtilitatem. nu. 2.

Simulatio non dicitur ex eo, quod in contractu vnus habeat nudum nomen, & alter substantiam, & vtilitatem. numer. secundo.

Rei suæ quisque moderator, & arbiter est. nu. 3.

Administratores alienorum negotiorum tenentur de mala administratione. nu. 3.

Acquisita ex communi pecunia omnibus socijs acquiruntur. num. 4.

Actus quilibet requirit non solum voluntatem, sed etiam potestatem, nu. 6.

Participatio vtilium in societate non datur ab illis, qui non sunt domini negotij, & mercaturæ. 7. nu. 7.

Aequalitas inter socios seruanda est. nu. 8. & nu. 14.

Mandatum acceptans censetur se astrinxisse omnibus contentis in mandato. nu. 10.

Actus censetur factus à procuratore in exequutionem præcedentis mandati. nu. 11. & 12.

Videtur verbum importat arbitrium illius ad quem dirigitur num. 13.

Arbitrio alicuius aliquid remissum regulatur à dispositione iuris. nu. 14.

Casus omissus remanet sub dispositione iuris communis. num. decimo quarto.

DECISIO DCXL.

1 Domini censuerunt standum esse in decisis sub die 13. Ianuarij præteriti, quia contractus istius Accomanditæ vere pertinet ad tertium casum in decisione

sione consideratum, cum tam ex forma conuentionis quam ex modo contrahendi nihil aliud sit, quam cõmunis negotiatio per viam institoriæ nihil proprium illi tribuens, sed in communi pro ratis portionibus directe acquirens, quo casu sicuti passiue per eam socij obligantur erga tertios contrahentes pro sorte immissa, ita & eos obligant, & contractam obligationem & eius effectus non dissoluit mors sociorum, neque finis societatis. *leg. verum. §. in hæredem. ff. pro socio.* & semel radicata durat per mille annos, vt bene probant *Bald. & alij allegati in 3. casu*, quibus addendo diligentius etiam Domini ponderabant verba Capitulorum societatis ad demonstrandum, quod accomandantes noluerunt Philippum dominum proprietatis negotiorum, neque Philippum diuerso modo contraxisse, & in his terminis vis disputationis consistere visa fuit.

2 In prooemio enim Capitulorum Accomandantes sibi ipsis proponunt, farne vn'altra sotto nome dell' istesso Filippo, si ergo nomen erat Philippi, in necessarium consequens substantia erat alterius, quia inepte domino rei eiusdem rei nomen, quod sonat in quandam apparentiam tribuitur, & tamen nõ est nouum, quod vnus nudum nomen, alter vero substantiã habere possit. *leg. qui mihi donatum. ff. de donat. Ancharan. cons. 127. in princ. vers. sed plura concurrunt*, quod etiam fuit dictum in Romana Census de Vitellijs, coram me. 18. Iunij 1613. Et quotidie practicatur in Officijs Romanæ Curiæ.

3 In secondo capite leguntur sequentia verba, si deua dare il compimento per le mani di Filippo Guicciardini, & Vincenzo Cei, à quali in solidum spetti il gouerno, & amministratione di detto negotio, & in quinto capite, ibi, come piacerà à Filippo, e Vincenzo Amministratori, sed prædicta de directo contrariantur titulo dominij negotiorum, & implicat contradictionem, quod quis sit dominus, & ab alia persona eiusdem rei recipiat gubernium, & administrationem, quia de gestis in re propria nemini tenetur reddere rationem, cum absolute sit moderator, & arbiter. *l. in re mandata. ff. mandati.* sed vti gubernator, & administrator subiacet censuræ mali regiminis, prout regulariter omnes aliena gerentes negotia tenentur. *Natta cons. 134. num. 9. volum. 1. Magon. dec. Flor. 42. Flam. Rub. cons. 29. & 33.* vbi latissime firmat hanc conclusionem.

4 Clarius etiam hoc ipsum videbatur colligi ex verbis capituli tertij, ibi, Conuengono che il corpo della ragione sij di Scudi 40000. da metterst da ciascuno dell'interessati, ergo acquisita ex communi pecunia non debuerunt cadere sub dominio solius contrahentis, quando nec potuit propter conuenta in octauo capitulo, nec voluit ex modo contrahendi expofito, sed omnibus participantibus acquiruntur, vt dicit de procuratore ad certa negotia constituto, & institore, & administratore, latissime *Surd. consil. 19. nu. 24. & 33. volum. 1.*

5 Et ne contingeret dubitari super diuersitate negotiorum, si effectus, vel eorum consummatio vltra triennium se extenderent, An Accomandantes voluerint ea comprehendere societate finita, illud expressérũt in septimo capitulo, ibi, Possino entrare in qual si voglia negotio di somme notabilissime, e da durare per magior termine di tre anni, quæ facultas taliter contrahendi videtur apposita ad maiore declarationem dispositionis. *l. verum. §. in hæredem. ff. pro socio*, vt scilicet inchoata transeant etiam finita societate.

6 Et ab hac communi negotiatione per viam Institoriæ, & ab impotentia ipsius Philippi negotiandi in proprio ex conuentis in octauo capitulo, videbatur Dominis sublatum omne medium pertinens ad acquisitionem dominij, & proprietatis negotiorum in capite ipsius Philippi, cum in quolibet actu requiratur nedum voluntas, sed etiam potestas, *glos. in l. si filiæ, C. de donat. ante nupt. ca. cum super Abbatia. de offic. deleg. Menoch. cons. 103. num. 51. vol. 1.* quæ ad vtilitatem sociorum duntaxat poterat se extendere ex præambulis titulis gubernatoris, & administratoris, per quos Domino, & non eis acquiritur.

7 Ex quibus sequitur, quod si Philippus Dominus non est negotiorum, per consequens in huiusmodi contractu Accomanditæ non potest considerari admissio participationis vtilium durante societate, quæ solum datur à veris Dominis negotiorum, vt loquuntur decisiones in Romana participationis coram Bubalo. 13. Ianuarij 1583. & coram R. P. D. Vbaldo in alia Romana participationis. 26. Iunij 1614.

8 Non obstat Statutum Florentiæ Rubrica X. disponens, quod administrans in negotio erecto per viam Accomanditæ teneatur in solidum aduersus omnes creditores pro quacunque summa; Accomandantes vero pecunias non nisi pro quantitate immissa, vt exinde dicendum videatur Philippum fuisse dominum negotiorum, cum damna, & vtilia sequerentur eius obligationem, non autem Accomandantium, qui pro rata descendebant ad participandum tantum de lucris vel damnis contingentib. Quia vltra responsiones datas in decisione, quæ placuerunt Dominis, dixerunt etiam Statutum quidem disponere, quod administratores remaneant obligati in solidum aduersus creditores pro quacunq. summa, sed adhuc non esse resolutũ quod soli administratores in solidum teneantur pro damnis contingentib. quia de hoc inter Accomandãtes, & administratores in Statuto nullum verbum, sed dispositioni iuris relinquitur requirentis, vt inter socios seruetur æqualitas. *l. 3. C. pro socio. Card. Mantic. de contract. lib. 6. tit. 6. nu. 20. & tit. 14. nu. 3. & 4.*

9 Præterea vbi etiam administratores tenerentur, & conueniri possent in solidum pro quacunq. summa, non inde sequeretur esse dominos negotiorum, quia scienter tanquam in solidum obligati aduersus creditores contrahunt vigore præcedentis mandati non gratuiti in capitulis suscepti, vt non sibi ipsis, sed Accomandantibus acquirant, quod tenebantur obseruare, quamuis ab initio liberum esset, illud non acceptare, vt infra dicetur, & exceptio solidalis obligationis magis pertinet ad iniustitiam contractus institoriæ, & administrationis, de qua particulariter est videndum, quam ad consequentiam dominij stante prohibitione acquirendi in proprium, & proprietate officij administratorum, qui alijs, & non sibi ipsis acquirunt.

10 Non obstat, quod isti Accomandantes in conductionibus cum Camera non nominentur, sed solus Philippus, qui suam rationem banchariam, suosque hæredes obligauit, in quem propterea censetur per Cameram, & alios Conductores translatum Dominium conductionis, non autem in alios Cameræ Apostolicæ ignotos, vt considerat *decis. Ianuen. 14. num. 55. versic. non obstat si dicatur.* Quia huiusmodi motiuum bene procederet, nisi præcessissent conuentiones, & mandata, iuxta quorum tenorem omnibus socijs, à quibus receperat mandatum, & nomen, & non administratoribus erat acquirendum, & cogi poterat, postquam illius oneri per acceptationem se adstrinxerat. *l. idemque. §. si procurator. l. si mandauero tibi, la seconda §. sicut, ff. mandati. Surd. decis. 304. num. 4. & consil. 19. num. 26. libr. 1.*

11 Nec dicatur, quod non ipsorum Accomandantiũ nomine sed proprio Philippus contraxit stipulando pro se, vel pro socijs bancharíæ, vel pro se, & quibus ipse dederit participationem. Quia aut præsumitur, quod Philippus proprio nomine, & hæredum suorũ contrahendo fecerit actum in exequutione mandati præ-

precedentis, *iuxt. text. & glos. in l. qui in aliena. §. is qui putabat. ff. de acquirend. hæred.* vbi hoc etiam affirmat *Bart. & alij sequuntur relati per Surd. consil. 19. num. 24.* & tunc suo nudo nomine acquisiuisse, in proprietate vero pro socijs accomanditæ dicendum est.

12 Aut vero sibi, vel alijs voluit acquirere, & de hac voluntate non apparet ex consideratione facta pro DD. Guicciardinis, quod scilicet socij rationis banchariæ sint diuersi à socijs accomandantibus, cum ex facto non appareat, quod in hac bancharia ratione adessent alij principales socij, quia Ceus erat minister, prout Philipus, quod si etiam adfuissent, nihilominus, quia mandatum præcedens erat particulare ad appaltus Camerales, censetur in dubio omnia egisse vigore precedentis mandati, vt declarat *Bar. in d. leg. qui in aliena, §. si is qui putabat, Rimin. l. post dotem. numer. 17. versic. secundo casu, solut. matrim. Alciat. regul. 2. præsumpt. 24. num. 9. Surd. d. cons. 19. num. 30. vol. 1.* maxime cum, vt iam dictum est, posset cogi ad exequutionem mandati suscepti.

13 Quæ autem contra Accomandantes denuo ponderantur circa verba 11. capituli, nempe quod finito triennio sit restituendum capitale, quod dicebatur excludere communionem negotiorum incœptorum quorum effectus post triennium durabant, cum illa negotia non possint sustineri sine capitali, vnde cessante interesse sociorum rationis bancharie per capitalis restitutionem faciendam dominium negotiorũ videatur remanere penes Philippum, qui nedum pro socijs, sed etiam pro se, & suis heredibus acquisiuit. Visa sunt concludenti responsione posse euitari, quia verba sunt intelligenda ciuiliter, & in quantum qualitas negotiorum patitur, ideo finito triennio, & cõsequenter societate non fuit simpliciter conuentum; quod solutis prius creditoribus capitalia Accomandantibus restituantur, quia super hoc tanquam euentuali, quod de eo tempore essent libera capitalia, non poterat diffinitiue determinari, sed addita prouisione. *E se vi restassero effetti da restringersi, che non potesse prontamente seguire, sij obligato il detto Filippo stantiare in Roma, &c. & paulo infra, se li deua metter quell'ordine, che parerà alli SS. Partecipi*, ex quibus verbis dicebant Domini satis colligi fuisse in mento sociorum, si non remansissent post triennium negotia, in quibus necessaria non esset implicatio capitalis, quod illud socij possent recuperare, si autem remansissent, & opus fuisset, quia forte ex lucris non superabundaret, illud exponeretur attenta facultate partic ibus attributa, quæ sonat in arbitrium, prout de illis verbis, vt sibi videbitur, respondit *Signorol. cons. 210. num. 9. Dec. cons. 493. nu. 17. Paris. cons. 95. nu. 22. libr. 1. Menoch. de arbitr. quæst. 8. num. 5.*

14 Quod arbitrium procul dubio secundum iuris dispositionem erat regulandum, vt affirmant, *Bald. Ias. Paris. Socin.* & alij relati per eundem *Menoch. arbitr. q. 13. num. 15.* Ideo aut isti appaltus veniunt appellatione effectuum societatis, prout venire dictum fuit, cum consistant in iure, & facultate, & actione exigendi, quæ actio dicitur filia obligationis contractæ intra triennium cum *Camera. §. 1. instit. de verb. obligat. l. licet. §. ea obligation. ff. de procur.* Et de eis particulariter legitur prouisum in capitulis, aut sub nomine effectuum non comprehenduntur, & tunc tanquam de casu omisso remanet prouisum ex dispositione iuris, lege commodissime, *ff. de liber. & posthum.* vt scilicet æqualiter commoda, & incommoda inter socios sustineantur, *l. secundum naturam ff. de regul. iur. l. 1. in pr nc. ff. de instit. act. Card. Mant. de tacit. lib. 2. titul. 4. num. 82.* Et consequenter capitale non sit recuperandum, quatenus negotijs qualitas id patiatur, quod etiam videtur dicendum, si admitteretur intellectus, quod effectus essent intelligendi, vti dependentes à negotijs perfectis in illo triennio, prout sunt frumenta, animalia, sal, alumina, & similias quia nihilominus similes casus à prouisione legali non essent exclusi, *l. ob æs, C. de de prædus minor. vbi glos. Tiraquel. de retract. conuent. §. 1. gl. 6. num. 9. Crauet. de antiq. tempor. 4. par. 1. membr. num. 116.* Id affirmantes, si etiam concurreret taxatiua, tantum Et ita fuit resolutum.

DECISIO DCXLI.

Romana prætensæ Participationis. Lunæ 15. Decembris 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 55.

DECISIO DCXLII.

Farfen. Bonorum, veneris 19. Decembris 1614.

Impressa apud Buratto.

DECISIO 87.

DECISIO DCXLIII.

Colimbrien. Matrimonij. Veneris 19. Decembris 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 86.

R. P. D. PIROVANO.

Mediolanen. Canonicatus. Veneris 9. Ianuarij 1615.

ARGVMENTVM.

Immissio in vim gratiosæ subrogationis datur ex cessione iurium, & facta à collitigante Notario sine testibus, quando credatur circa acta. Procuratorum fides extraiudicialis an probet stylum, & ciuilem possessionem, quando quis retineat non habens se pro spoliato. Vide præmissas conclusiones in Summario positas.

SVMMARIVM.

Papa solus potest de beneficijs disponere, num. 2.
Gratiosa subrogatio absque alia iustificatione habet locum, quando vnus ex litigantibus alteri cedit iura sua, & renunciat liti. nu. 2.
Instrumentum cessionis sine testibus non dicitur perfectum, nec probat. nu. 2. vers. tamen iudicis mandatum æquiualet eius præsentiæ. nu. 3.
Notarius a iudice deputatus censetur etiam rogatus ad scribendum acta, num. 3.
Notario aliquid asserenti, etiam sine testibus, creditur circa acta, numer. 3. Vbi hoc limitatur, nisi stylus sit in contrarium.
Stylus numquid probetur per fidem procuratorum extraiudicialem. num. 4.
Iudex rite, & recte procedendo non dicitur quem sua possessione spoliare. nu. 5.
Citatio ad sententiam sufficit dom. dim. cop. stylo sic suadente nu. 5. in fine.

Pos-

Possessio capta pendente termino decem dierum ad appellan. dicitur nulla, & attentata, nu.6.

Possessionem ciuilem quis retinere dicitur qui nunquam habuit se pro spoliato, & hæc sufficit ad immissionem vigore gratiosæ subrogationis, nu.6.

Animus qualis fuerit declaratur ex antea dictis, aut gestis, nu.6. vers. ad prædicta.

Possessione sua, quod quis se spoliatum habuerit, quomodo cognoscatur, nu.6. vers. ad prædicta.

DECISIO DCXLIV.

1 VAcante Canonicatu in Ecclesia Sancti Sepulchri in Ciuitate Mediolanen. cuius patronatum dum Marliani, & Cortesellæ inter se contenderent, interim Ordinarius, tanquam de libero contulit D. Iulio Cæsari Bonomio, qui possessione apprehensa, & colonis recognitis, vbi intellexit fauore Marliani latam fuisse sententiam super patronatu cessit iuribus suis, & liti sub die 7. Iunij 1612. fauore illius, cui de iure, & ea cessione stante Marcianus obtinuit subrogari gratiose in possessione in qua Iacobus processor tempore sui obitus, & successiue Iulius Cæsar tempore cessionis existebat, & inde prætendere cœpit immissionem, sed Cortesellis opponentibus dedi dubium, An Marliano esset danda immissio, quod per Dominos negatiue fuit resolutum, & eisdem etiam placuit, vt sequestrum beneficio iam appositum remaneret.

2 Nam etsi asseratur vacationem contigisse per cessionem factam à Iulio Cæsare de beneficio litigioso, de quo nemo possit disponere nisi Papa. *c. 1. & 2. vt lite pend.* & hoc casu proprie detur immissio in vim gratiose subrogationis absque alia iustificatione. *Vital. in Clem. 1. num. 41. vers. & ideo, vt lit. pend. Mohed. decis. 3. & 11. cod. titul.* & fuit dictum coram Gipsio in Burgen. de Panerouo. 28. Nouembris 1588. & nouissime in Agrigentina Beneficij. 30. Maij 1611. coram R. P. D. Pamphilio, & alias sæpe. Tamen in præsenti visum est, non probari huiusmodi vacationem, quia scriptura, quę datur, cum careat testibus, non probat actum cessionis esse perfectum. *§. oportet. auth. de fid. instrum. gloss. in §. si vero absunt versicul. quantum auth. de hæred. & Falcid. Alex. cons. 23. num. 8. vol. 1. Dec. cons. 458. nu. 6. Dec. cons. 18. num. 115. volum. 1. Becc. consil. 6. num. 26. libr. 1.*

3 Neque ex eo sustineri potest, quod recepta sit Notario actuario Curiæ Archiepiscopalis Mediolani, de cuius deputatione non dubitatur, nec iudicis mandato in ea recipienda, quod ęqualere solet eius præsentiæ. *Afflict. decis. 135. num. 1. Marant. in prax. par. 6. actu 10. num. 16.* cum eo ipso, quod generaliter à iudice deputatus est, videatur ab eo rogatos, vt acta scribat, nec requiratur alia specialis commissio secundum *Bald. in cap. quoniam contra. num. 9. quem sequitur Dec. in 10. notat. num. 12. de probat. Rimin. iun. in instit. de donat. §. 1. num. 923. & 936.* Ideo huius Notarij scripturæ etiam absque testibus fides sit adhibenda, *gloss. in cap. quoniam contra in versic. duos viros. de probat. vbi Abb. Abb. Imol. & Felin. num. 12. latissime comprobant per text. in leg. donationibus, Cod. de donat.* Quia placuit Dominis responsio deducta ex stylo illius fori, per quem distinguuntur acta minoris prejudicij, ab actis maioris præiudicij, vt primo casu causarum sollicitatores soleant nomine eorum principalium comparere, & acta in personam principalium concipere, etiam si præsens non sit, quæ ab actuarijs sine testibus recipiuntur.

Secundo vero casu requiratur præsentia principalis, vel legitimum mandatum, & decretum iudicis adhibitis testibus, vt in fide styli, quædam fuit, in qua recensentur præsentationes literarum Apostolicarum vel personæ electe ad beneficia iuris patronatus, aut cessionis, vel renunciationis alicuius partis, vel sponsalium, aut appellationis interponendę, aut petendæ responsionis super ipsa appellatione. Stylo autem subsistente omnes conueniunt acta iudicis sine testibus fidem non facere. *Bald. in rubr. num. 8. Cod. de fide instrument. Ioann. Andr. Imol. Butr. Abb. Felin. Lanfranc. & alij in dicto capit. quoniam contra. de probation. Rimin. iun. plenissime in §. primo, numer. 881. Institut. de donation.*

4 Non obstat, quod fides data tamquam extraiudicialis informatio procuratorum illius fori non probat stylum, sed concludenter aliunde sit probandus tamquam contra ius, & decisoria respiciens, prout fuit resolutum in Aretina spolij 9. Iunij 1614. coram Reuerendiss. Coccino nostro Decano, Quia fuit dictū, quod cū fides, quæ datur scripturis Notarij actuarij propter calorem præsentię, & auctoritatis iudicis, vel magistratus, videatur respicere ordinaria iudicijs in receptione actorum, neque sit contra ius maiorem scripturæ addere firmitatem, sed secundum ius, & excludatur falsa iudicis assertio, sufficere quod de tali stylo extraiudicialiter constet. *Osasch. decision. 22. num. 16. in fine. Rebuff. tractatum de Cons. styl. & form. gloss. 13. numer. 52.* & secundum hanc distinctionem fuit resolutum in causa Mediolan. rescissionis contractus 17. Iunij 1602. coram Reuerendissimo Archiepiscopo Damasceno.

5 Secundo principaliter deneganda Marliano videbatur immissio, quia gratiose fuit subrogatus in possessionem in qua Iulius Cæsar de tempore cessionis existebat, quam tamen de eo tempore neque naturalem, neque ciuilem habebat, quia ante cessionem per iudicis sententiam, & immissionem Marliani vtraque fuerat priuatus, quod facere potuit iudex rite, & iuste procedens, *l. qui vniuersas. §. item cum prætor, l. iuste possidet. ff. de acquir. possess. Ias. in l. clam possidere. §. qui ad nundinas, eodem titul. Mohed. decis. 4. num. 4. de restitut. spol. Rot. decis. 802. nu. 6. par. 1. diuers.* recte autem processisse videtur cum circa iustitiam satis appareat beneficium esse de Iurepatronatus laicorum, & quoad validitatem, & eo quod Iulius Cæsar citatus ad sententiam passus sit illam ferri, nec ab ea appellauit, nec refert quod citatio prædicta ex causa facta fuerit domi dimissa copia, non autem personaliter, quia sufficit cum de stylo illius fori, ita obseruari fuerit dictum in allegata Mediolanen. rescissionis contractus coram Reuerendiss. Damasceno.

6 Non obstat, quod immissio Marliani fuerit nulla, & attentata, tamquam data intra decem dies ad appellandum, *c. non solum de appellat. in 6.* quæ non sanatur per omissam appellationem, cum nihilominus si non per viam attentati, saltem per viam nullitatis veniat reuocanda lite deserta, vt in Calagnritana beneficij. 229. in impress. coram Cardinale Seraphino, & Cæs. de Grass. decis. secunda, de appell. quam passim Rota seruat, & eo casu dicebatur Iulium Cesarem retinuisse ciuilem animo, cum nunquam ante cessionem habuerit se pro spoliato, Put. dec. 419. in fin. libro secundo, quod sufficere, vt vigore gratiosæ subrogationis dari debeat immissio, visum est Dominis in Burgen. Canonicatus 30. Martij 1607. coram Reuerendissimo Archiepiscopo Bononien. & in Agrigentina beneficij 30. Maij 1611. coram R. P. Domino Pamphilio.

Ad prædicta enim fuit responsum, quod cum nouum non sit, ex antea dictis, aut gestis declarari qualis fuerit animus litigantis, *glos. in leg. Fulcinius, §. sed bis, ff. ex quibus caus. in possess. eat. Ruin. consil. 106. num. 10. libr. 5. Menochius plura cumulans, de præsumpt. libr. 6. præsumpt. 35. per totum,* satis probari visum fuit, Iulium Cæsarem habuisse se pro spoliato ex cessione subsequuta, in qua narrat sententiam contra se latam, & sic fatetur scientiam illius, & agnoscendo bonam fidem cedit,

cedit, quæ agnitio bonæ fidei, quo ad animum Iulij Cæsaris non incipit à puncto cessionis, sed ab antea, nempe à discursu, & determinatione de iustitia sententię, & malo iure suo, de quo tempore cœpit amittere ciuilem, si quam habebat in animo, taliter quod in actu cessionis iam prædicta ciuilis animo non retinebatur, cuius contrarium ex antea gestis colligebatur in allegata Burgen. Canonicatus ex mandatis datis ad appellandum, vt ex commissionibus Rotalibus cum facultate manutenendi, Et ita fuit resolutum.

REVERENDISSIMO P. D. COCCINO DECANO.

Asten. Pensionis. Lunæ 19. Ianuarij 1615.

ARGVMENTVM.

De translatione pensionis reseruatæ ad alicuius fauorem, quando sit necessaria literarum iustificatio, & quando etiam sola Signatura supplicationis absque expeditione literarum sufficiat.

SVMMARIVM.

Literæ Apostolicæ reseruationis pensionis exequi non possunt absque earum iustificatione cessante quasi possessione exigendi, & consensu titularis. numer. primo. Declara, quando reseruatio fuit facta vigore translationis Motu proprio. nu. 2.

Familiaritas Cardinalis censetur probata per assertionem eiusdem Cardinalis. nu. 3.

Familiaritatis probata tempore reseruationis pensionis præsumitur durare, nisi contrarium probetur. nu. 4.

Gratia quando dicatur perfecta per solam Signaturam supplicationis. nu. 5.

Pensio reseruata Militi Hierosolymitano sustinetur etiam nõ probato clericatu. nu. 6.

DECISIO DCXLV.

1 Sanctiss. D. N. reseruauit pensionem Scut. 400. auri ad fauorem Sereniss. D. Cardinalis Sabaudiæ, quam signata supplicatione, & non aliter expeditis literis transtulis in D. Equitem della Sirena, qui expeditis literis petebat illarum exequutionem, quam Domini concedendam esse censuerunt, moti, quia licet verum sit, quod ad effectum vt literæ possint exequi, requiratur earum iustificatio, cessante quasi possessione exigendi, & consensu titularis in reseruatione, vt per *Cassad. dec. 10. num. 8. de rescript.* & fuit late deductum in causa Salamantin. pen. 26. Martij 1593 coram bon. mem. Gypsio.

2 Tamen secus est in casu isto, ex quo reseruatio vigore translationis fuit facta motu proprio, *Abb. in cap. dudum. nu. 3. de priuileg. Card. in clem. 1. nu. 10. de probat. Dec. cons. 341. num. 5. Achill. dec. 10. de probat.* cum aliis per *Seraphinum dec. 1484. nu. 10.* & ideo ob illarum reuerentiam debent exequi, capit. quando de rescrip. *Cassad. d. dec. 10. num. 8. eodem tit. Gigas de pens. quæst. 35. numer. 9.*

3 Et licet etiam verum sit, quod familiaritas Equitis debeat iustificari, cum fuerit narrata per verba, vt asseris, attamen hic videtur satis iustificata, quia cum non agatur ad effectum reseruationis, sed iustificatio nis gratię, illa satis visa fuit probari ex assertione Cardinalis in mandato ad consentiendum translationi pensionis, vt ex testib. qui dantur iuxt. not. per *Sarnen. de impetran. benef. vacan. per obit. fam. Card. q. 13. n. 6. Simonet. de reseruat. q. 36. nu. 5. & 11.*

4 Contra quos testes licet opponantur plures exceptiones, tamen quicquid dicendum esset de eis, non est atten. cum Rota vtatur eorum dictis ad effectum tãtum adminiculandi assertionem Cardinalis, qui testes cum bini deponant de familiaritate tempore reseruationis, cum illa præsumatur durare, nisi contrarium probetur. *Sarnen. vbi supr. Crescent. dec. 18. n. 1. de probat.* & contraria probatio non potest desumi ex quo Serenissimus Dux Sabaudiæ vsus fuerit opera Equitis decernendo illum Oratorem ad certum Principem, quia non propterea censetur dissoluta familiaritas Cardinalis, cum hoc fuerit ad modicum tempus & non animo dissoluendi familiaritatem, *Calder. cons. 8. de offic. leg. Simonett. de reseruat q. 35. nu. 18.*

5 Neque releuat, quod D. Titularis non consensit translationi pensionis, quia Papa expresse huic consensui præstando derogauit, & voluit deberi pensionem sine Titularis consensu, imo eo inuito, & contradicente, prout etiam non releuat, quod Serenissimus Dominus Cardinalis non expediuerit literas, ita vt videatur obstare reg. de non iudicando iuxta formam supplicationis, quia non agatur de exequutione primæ reseruationis, sed literarum D. Equitis, propterea ad validitatem gratiæ sufficit, quod Papa hoc sciuerit, prout sciuit, cum in literis translationis referat se ad supplicationem pro reseruatione pensionis porrectam, ibi prout in supplicatione desuper expedita plenius continetur, & propterea cum non agatur de exequutione primæ reseruationis, sufficit pro validitate gratię Equitis, quod supplicatio Sereniss. Cardinalis esset signata, quia per talem signaturam erat perfecta, & literæ solum requirebantur ad probationem. *Boer. dec. 348. vbi nu. 7. refert extrauagantes super hoc editas per Alex. VI. & Leon. X.* de quibus etiam meminit *Cassad. dec. 1. in fin. de renunc.*

6 Minus etiam releuat, quod debet constare consensu, & mandato Cardinalis ad cessandum primam pens. quia de mandato constat ex ipsius exhibitione, de consensu vero præstito procuratore constat à tergo literarum iuxta stylum, & in literis translationis adsunt etiam termini, in quibus debet solui pensio. Clericatus vero D. Equitis non requiritur, cum pensio ei fuerit reseruata tanquam Militi Hierosolymitano. *Cæs. de Grassis dec. 1. per totam, & præsertim, num. 19. de probat.* Ex quibus conclusum pro exequutione literarum.

R. P. D. DVNOZETTO.

Ciuitatis Castelli Parochialis. Veneris 20. Iunij 1604.

ARGVMENTVM.

Beneficia curata, & regularia an, & quando censeantur perpetua, & collatiua, an vero manualia, & de mensa.

SVMMARIVM.

Beneficia curata etiam regularia præsumuntur perpetua, & collatiua, non autem manualia, seu de mensa. nu. 1.

Beneficia manualia, & non perpetua, & collatiua nunquam vacant, nec conferuntur in titulum, sicut beneficia vacantia. num. 2.

Beneficia non præsumuntur manualia ex regularitate numer. tertio.

Beneficium quando est manuale, & de mensa Rector recipit suam congruam à Capitulo. nu. 4.

Collatio beneficij non tribuit ius, nisi doceatur de effectuatione, & vnica non sufficit. nu. 5.

Parochialis an sit de mensa, an vero collatiua per concursum attenditur vltimus status. nu. 6.

N DE-

DECISIO DCXLVI.

1 PRoposui dubium reseruatum in decisione facta secunda huius mensis, an Parochialis Ecclesia Sanctæ Mariæ de Petra longa sit de mense Capitulari & Domini responderunt negatiue, nam de iure beneficia curata etiam regularia præsumuntur perpetua & collatiua non autem manualia, seu de mensa, *Bellam.dec.203. Cassad. decis.3. num.3. & decisio.12. nu.9. de præben. Paris. cons.44. nu.3. libr.4.* & fuit in his terminis dictum in vna Fanen, Parochialis 28. Nouembris 1605. coram Litta.

2 Quæ presumptio iuris comprobatur ex collationibus factis de hac parochiali, tam ante, quam post sæcularizationem Ecclesiæ Cathedralis, cum illæ fuerint factæ Rectori vti de vacante per obitum, vel per resignationem, ex quo excluditur parochialem esse de mensa, seu de manuale, quæ numquam vacat, nec confertur in titulum, sicut de vacanti, *gloss. in Clemen. vnica, §. quidam etiam, in verb. ad mensam, de excess. Præl. Feder. de Sen. cons.200. num.20. Gemin. cons.86. num.4. & 5. Gonzal. ad regul.8. gloss.6. num.63. §. 6.* & fuit dictum in vna Parmen. Prioratus 19. Aprilis 1600. coram R. P. Domino Penia in Tarusina Parochialis 10. Decembris coram dicto Reuerendissimo Bononien. & in dicta Fanen.

3 Non obstat, quod ante sæcularizationem hæc parochialis solita regi per regulares, postquam de ea, vel prouidebatur canonicus regularis, vel efficiebatur Canonicus, & postea ei fiebat, prouisio, quia ex regularitate non infertur ad manualitatem, vt fuit dictum in dicta Parmen. & Fanen.

4 Minus obstat, quod prouisi soluebant aliquid annuum Capitulo. Nam vltra quod soluebant Sacristiæ & non Capitulo, fuit responsum tale solutionem magis excludere intentionem Capituli, quia si beneficium esset manuale, & de mensa, Rector reciperet à Capitulo suam congruam, vt fuit dictũ in dicta Taruisina, & Fauen. & ex dictis solutionibus prout ex descriptione in libro Capituli potest colligi subiectio huius Ecclesiæ, vt fuit dictum in dictis decisionibus.

5 Non obstat de anno 1431. fuisse factam Collationem huius Ecclesiæ Parochialis per reductioné alterius antea prouisi ad claustra, quia nec constat de effectuatione, prout requirit, iuxta *consil. Calder. 12. de iure patron.* & est vnica, cum aliæ omnes subsequentes sonent in collationem, quæ vti posteriores, sunt attendendæ, vt fuit dictum in dicta Fanen. verum & quatenus possit adesse aliquod dubiũ super collationibus factis ante secularizationem, illud tollitur ex collationibus post sæcularizationem, quæ cum fuerint semper factæ per concursum, multum faciunt pro interpretatione præcedentium *Rot. diu. decis. 503. nu.7. par.1.* & fuit sæpe decisum.

6 Placuit etiam Dominis, quod cum hoc casu non agatur, nisi de præiudicio ipsius Capituli conferentis potuisse ipsum inducere, vt hec parochialis quamuis de mensa conferetur per cõcursum, per quem potius dicitur mutatus vsus, quam status, quo casu sufficit vltimus status, *Rota dec.2. de præben. in nouis.* Ex quibus ita decisum fuit vtraque parte informante.

R. P. D. VBALDO.

Romana Pecuniaria. Lunæ 23. Iunij 1614.

ARGVMENTVM.

Duæ conformes faciunt rem iudicatam in omnibus Curijs Vrbis.

SVMMARIVM.

Sententiæ dicuntur conformes, quando vna confirmat aliam numer.1.

Sententiæ duæ conformes, faciunt rem iudicatam inter ciues Romanos, incolas, & districtuales vigore Statuti Vrbis, num.1. Vbi quod hoc Statutum seruatur in omnibus Curijs.

DECISIO DCXLVII.

1 DOmini dixerunt constare de duabus sententijs, conformibus, cum sententia Rotalis simpliciter confirmet sententiam A.C. glos. & Doct. *in Clem. 1. de re. iudic. Couarr. pract. q. cap.25. num.5. & 6. Gabr. de execut. rei iudic. conclus.1. nu.33. & seq. cum ibi alleg. Thesaur. decis.228. num.2. Surd. cons.102. num.9. & seq. libr.1.* & ideo est locus earum executioni, cum duæ sententiæ conformes habeant vim trium inter ciues Romanos, incolas, & districtuales, & faciunt rem iudicatam ex statuto Vrbis *lib.1. cap.178.* quod statutum seruatur in omnibus Curijs, & etiam in Rota, vt fuit sæpe decisum, & signanter in vna Romana de Comitibus. 21. Iunij 1577. coram fel. record. Clemente VIII. tunc Rote Auditore, quæ est inter impressas decision. 452. parte 1. & prius in alia Romana medietatis Domus 2. Februarij 1571. coram Binarino, & in Romana Separationis Thori 2. Decembris 1605. & 11. Ianuarij 1606. coram Reuerendissimo Lugdunen. & in Romana locorum Montium 25. Maij 1611. coram me. Quod autem collitigantes sint Ciues, & Incolæ Vrbis inter partes non controuertitur, & corroboratur quo ad D. Victoriam ex fide Baptismatis, & quo ad Gasparem ex enunciatiua in pactis sponsalium datis in Summario. num.3.

2 Iustitia vero dictarum sententiarum ostenditur ex iuculenter ex deductis in decisione huius causæ, sub die decimaquarta Decembris de anno Millesimo sexcentissimo duodecimo, coram Reuer. Patre Domino meo Pamphilio, in qua etiam respondetur omnibus in contrarium adductis, quas responsiones Domini censuerunt nulla rationes ex nunc adductis Informantes pro hæredibus Gasparis esse sublatas. De validitate vero dictarum sententiarum non controuertitur, & illa apparet ex reuolutione processus, iuxta *dec. Caputaq.260. par.2.*

3 Non obstat, quod Domina Victoria dederit omnia sua bona in dotem Gaspari, & ideo comprehendantur etiam Scuta septingenta, de quibus agitur, quia obiectum cessat ex facto, cum ex instrumento sponsalium appareat fuisse certa bona, & pecuniarum summas specificatas, quæ dabantur in dotem. Vnde non repugnat, quo minus haberet alia bona, & pecunias paraphernales, ex late adductis in dicta decisione.

4 Non obstat prætensa clausula restitutionis in integrum, quia commissio fuit reformata ad instantiam Dominæ Victoriæ per aliam commissionem, in qua rescribitur, vt constito de duabus conformibus, quæ sint exequendæ, ad finalem procedatur executionem. Et ita fuit decisum.

REVER. P. D. PAMPHILIO.

Spoletana Prædij Veneris 27. Iunij 1614.

ARGVMENTVM.

Fundi valor quomodo probetur ad effectum, vt illius subhastatio rescindatur ex capite læsionis.

SVM-

SVMMARIVM.

Pretium, seu valor fundi subhastati in dubio præsumitur iustum. nu. 1,

Fundi valor, & pretium diminuitur, quando ille erat subiectus inundationi fluminis, quando fuit venditus absque cautione, de euictione, & quando venditor erat pluribus debitis intricatus, nu. 2.

Valor, seu pretium fundi non probatur per testes deponentes de particulari affectione, & de eorum iudicio, sed debent deponere de communi æstimatione. nu. 3,

Fundi valor, seu pretium non probatus per testes, qui eorum dicti rationem non reddunt. nu. 4.

Valor, seu pretium fundi an æstimetur secundum quantitatem fructuum. nu. 4.

Læsio ad effectum rescindendi subhastationem debet esse vltra dimidiam iusti pretij. nu. 5. & 6.

Arbitrio Rotæ, quando quid committitur intelligi debet, prout de iure. nu. 6.

Qualitas requisita in decreto probari debet per eum, qui se fundat in decreto. nu. 7.

DECISIO DCXLVIII.

1 Domini censuerunt subhastationem factam de anno 1603. fuisse iustam, quia de dicto tempore Prædium, de quo agitur, erat subiectum inundationi fluminis, quæ durauit vsque ad annum 1608. vt deponunt testes, qui dantur pro Pannonino, & tamen fuit subhastatum Troiano plus offerenti, à quo causam habet Pannonius pro pretio Scutorum 1075. quod in dubio iustum præsumitur. Surd. consil. 256. num. 4. Maxime stante decreto iudicis, quod habet præsumptionem pro se. *Gabriel. de empt. & vend. conclus. 1. num. 65. Rebuff. in comment. tom. 2. de rescis. contract. art. vnic. gl. 15. num. 39. & sub num. seq. vers. ideo hoc decretum.*

2 Nec contrarium probari per testes pro Vespasiano super valore dicti prædij examinatos. Quia, vltra quod non deponunt, habita ratione inundationis fluminis, & deliberationis factæ absque cautione de euictione. Et minus quod Vespasianus tunc illius Dominus, erat pluribus debitis implicitus, quæ qualitates sine dubio diminuunt valorem prædij, ad *tex. in l. eum qui. §. melior. ff. de in diem addict. & not. Bart. in l. 1. §. si hæres. nu. 3. & ibi Rip. nu. 28. ff. ad Trebel.* ita vt testes nulla facta mentione dictarum qualitatum, non possint dici concludenter probare iniustitiam valoris, ad effectum, de quo agitur. *Alex. cons. 54. n. 4. lib. 6. Aym. cons. 440. nu. 5. Seraph. dec. 1317. nu. 1.*

3 Fuit etiam responsum, quod plures ex illis deponunt de particulari affectione, & de eorum iudicio, non autem de communi æstimatione, vt fieri debet in materia læsionis, *iux. doctr. Bar. communiter receptam. in l. pretia rerum. sub num. 2. vbi Alex. num. 11. ff. ad legem Falcid. Cagnol. in l. 2. num. 232. & seq. C. de rescind. vendit. Socin. iun. cons. 75. num. 3. lib. secundo.* Rota in causa Romana Rescissionis Contractus 30. Octobris 1602. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio. Et vlterius æquiuocant circa tempus reparationum, quæ fuerunt factæ diuersis temporibus, & pluribus annis intermedijs.

4 Nec reddunt sufficientem causam scientiæ, prout requiritur in probanda æstimatione fundi. *Alexan. in d. l. pretia rerum. num. 12. vers. addit etiam. ff. ad leg. Falcid. Cagnol. in d. l. 2. num. 236. C. de rescind. vend.* Alij vero, qui deponunt de annuo redditu Scutorum 90. & 100. adeo vt valor fundi ad rationem quinque pro centenario ascendat ad Scut. 1800. & 2. mill. videntur se restringere solum ad tempus subhastationis, nec deponunt de pluribus annis præcedentibus, & subsequentibus, de quibus arbitrio iudicis deponere debebant ad effectum, vt facta compensatione anni fertilis, cum sterili, ex illorum depositione probabilis valor, & iustum rei pretium dijudicari posset, vt fuit resolutum in causa Tiburtina Castri Arsularum 26. Iunij 1598. coram bon. mem. Penia.

5 Præterea Vespasianus articulauit communem valorem dicti prædij de tempore supradicto fuisse Scutorum 1600. vel etiam 1700. Ideoque tam articuli, quam testes, qui de eo deponunt tanto minus visi sunt Dominis releuare, quia dictus valor non ascendit vltra dimidiam iusti pretij, prout requiritur ad effectum, vt dicatur constare de iniustitia illius, *iuxt. term. d. l. 2. C. de rescinden. vendit.* cuius remedium locum habet etiam in subhastatione, *Corn. cons. 56. nu. 2. lib. 3. Rebuff. in comment. tom. 2. de rescis. contract. d. art. vnico. gl. 15. nu. 38. & in tit. de precon. art. 7. gl. vnic. in fin. Cagn. in d. l. 2. num. 161. & ibi Pinel.* qui post alios testatur de veriori, & magis communi, *nu. 25. C. de rescind. vend. Gabr. de empt. & vend. d. concl. 1. sub num. 61. vers. contrariam Seraph. dec. 1478. sub nu. 1. vers. neq. ista deliberatio.* Et fuit alias sæpe decisum.

6 Et licet dicatur hic agi de probando valore ad effectum arbitrij, non autem iuxta terminos *d. l. 2. de rescind. vend.* Placuit tamen responsio, quod arbitrium intelligitur prout de iure. *Bart. in extrauag. ad reprimend. verbo, videbitur. nu. 8. Paris. cons. 56. nu. 5. lib. 1.* De iure autem non attenditur quælibet iniustitia pretij, sed illa, quæ ascendit vltra dimidiam, ad not. per *Abb. in cap. ad nostram. sub num. 9. vers. puto tamen. & ibi etiam alij, de empt. & vend. & Decian. cons. 2. nu. 173. lib. 1.* cum alias vbi pretium superat læsionem, pro validitate actus pretium sit attendendum, non autem læsio. *Pedemon. dec. 41. nu. 7.*

7 Nec subsistere, quod prædium fuerit subhastatum pro maiori summa, attento quod creditum erat computandum ad rationem Iuliorum nouem pro quolibet Scuto vigore decreti Cameræ. tamen computatum fuit ad rationem Iuliorum decem. Quia placuit responsio, quod huiusmodi decretum loquitur de censibus contractis in moneta Marchiæ, seu qua trenis veteribus. Vnde cum Census de quo agitur, sit emptus in Prouincia Vmbriæ, non censetur emptus ex tali moneta, & propterea Vespasiano, qui dicit cōtrarium, & vtitur tali decreto, incumbit onus probādi illius qualitates. *Bart. in l. 1. §. quod autem ait prætor. ff. ne quid in flum. public. Surd. dec. 60. nu. 4. & dec. 276. nu. 1. & seq.* Et ita decisum &c.

DECISIO DCXLIX.

Romana Legatorum, & vsusfructus. Veneris, 27. Iunij 1614.

Est impressa inter Cavaler.

DECISIO 318.

R. P. D. DVNOZETTO.

Romana, seu Mechlinien. Pecuniariæ. Veneris 27. Iunij 1614.

ARGVMENTVM.

De fide, & probatione libri Mercatorum.

SVMMARIVM.

Apocha ab aliquo scripta, & subscripta contra scribentem probat. num.1.
Sententia lata super maiori summa ea, quæ debetur in totum nulla, & inualida est, nu.2.
Liber Mercatoris, quando probat pro scribente in aliquibus partitis debet etiam probare contra scribentem, nu.2.
Sententiam potest reseruare aliquid liquidandum in futurum numer.3.
Liber Mercatoris iunctis adminiculi plene probat. num.4.
Liber Mercatoris plene probat, quando ita consuetudine receptum est, nu.5.
Testes nulliter examinati faciunt adminiculum, nu.6.
Singulas si non pro sunt, multa collecta iuuant, nu.7.
Iura etiam in forma non probanti fidem faciunt, quando plura adminicula pro illius probatione concurrunt, nu.8.

DECISIO DCL.

1 Domini dixerunt non constare de causis restitututionis in integrum. Nam sententia in ea parte, in qua condemnat Dominum Pompeium ad soluendos florenos 1268. remanet bene iustificata ex apocha ab ipso confecta, & subscripta, *Gabriel. post alios conclus.3. de præsumpt.*

2 Nec obstare visum fuit solutionem florenorum 750. super qua Informantes pro Domino Pompeio præcipue insistebant, ad docendum de iniustitia sententiæ vti latæ pro maiori, summa, *ex Bart. Castrens. & aliis l.si non sortem. §. si autem, ff. de condit. indeb. Ruin. consil.160. num.27. libr.2. Paris. consil.81. nu.24. lib.2.* Fuit dictum in illa Romana Spolij 21. Februarij 1600. coram Iusto in Romana Pretij vineæ, 27. Iunij 1608. coram Reuerendissimo Lugdunen. & alias sæpe. Nam cum de tali solutione non constet, nisi in libris Gerardi, ex quibus etiam constat de maiori debito Domini Pompeij non potest se iuuare partitis cantantibus ad eius fauorem nisi etiam approbet partitas contrapositas in eius debitum. *Matthes. singul.79. & ibi latè Adden.* & fuit sæpe in Rota decisum. Vnde dum impugnabat partitas libri remanet clarum, & indubitatum creditum florenorum 1268.

3 Non obstat, in dicta apocha fuisse reseruatam taram partitarum, & per consequens non potuisse fieri cõdemnationem ad dictam summam, nisi prius facta dicta tara, non satis est in sententia fuisse reseruatam taram in executione faciendam, vt post *Bart. & Bald. firmat. Roman. cons.76. nu.5. vers.* Secundum est permittendum. *Osasch. dec.129. nu.14.*

4 In alia vero parte, in qua condemnat eundem ad solutionem florenorum 1412. sententia iustificatur ex partitis libri Gerardi, qui vnitis adminiculis pro scribente plene probat. *Crauett. de antiq. temp. p.1. §. videmus abunde. nu.19. Magon. decis. Florent. 95. num. 5. & fuit decisum.*

5 Plura concurrunt vero adminicula, quæ Dominis visa fuerint satis, superque sufficiẽtia. Adest enim fides mercatorum asserentiam in Belgicis Regionibus libris mercatorum dari plenam fidem, & quod magis est approbatio ipsmet Domini Pompeij in dicta apocha solidationis computorum, quæ sola sufficeret, vt hodie eosdem libros impugnare non posset, ad regulam, *quod semel. de reg. iur. in 6.*

6 Concurrit etiam consignatio creditorum Domini Pompeij facta ab eius procuratore Gerardo, vt ipse ex illis sibi satisfaceret de suo credito, quæ consignatio fuit ratificata per Dominum Pompeium per literes directas eidem Gerardo, quibus accedant testes deponentes de confessione ipsius D. Pompeij, qui licet nulliter fuerint examinati, deseruiunt tamen pro adminiculo.

7 Ita vt ex omnibus simul vnitis resultare concludẽtem probationem debiti, Domini non dubitarunt ex vulgari regula, & quæ non prosunt singula multa iuuant causam de probatione. *Glos. in leg.2. in verbo legitimis, ff. de excusat. tut.* nuper fuit dictum in vna Romana Pecuniariæ. Lune 2. huius mensis coram me. Non obstat Gerardum non reddidisse rationem creditorum sibi consignatorum. Nam contrarium apparet ex exhibitione sententiæ latæ per Auditorem generalem exercitus Belgici, in qua Dominus Pompeius fuit declaratus debitor.

8 Non obstat dictas partitas fuisse minus legitime extractas. Nam cum in alia instantia id nõ fuerit oppositum, sustinetur sententia. *Put. decis.415. libr.1. & 119. lib.2. in antiq. impress.* & licet legatur quædam protestatio facta sub die 4. Nouembris, tamen fuit facta à non habente mandatum procuræ, vltra quod Dominis hanc exceptionem parum obstare hoc casu visum fuit, cum pro veritate patitarum plura supra ponderata concurrerent, quo casu etiam iuribus informibus fides adhiberi solet. *Caputaq. dec. 234. p. 1.* Fuit dictum in Romana domorum in Burgo. 16. Ianuarij 1602. coram Illustrissimo Lancellotto, Et ita fuit decisum vtraque parte informante &c.

R. P. D. REMBOLDO.

Perusina Fideicommissi de Alphanis. Veneris 27. Iunij 1614.

ARGVMENTVM.

Dos à matre filiæ constituta, de quibus bonis constituta censetur.

SVMMARIVM.

Dotem filiæ à matre constitutam fuisse de bonis subiectis, qui allegat probare tenetur, num.1.
Dotem à matre filiæ constitutam fuisse de bonis proprijs, quibus coniecturis probetur, nu.2.
Dote constituta à matre filiæ de bonis paternis, & maternis, de quibus bonis dos constituta censeatur. nu.3.
Mater dotando filiam quando præsumatur illam dotasse de bonis proprijs, vel de bonis ipsius filiæ, nu.4. & 5.
Solutio præsumitur facta de propria pecunia soluentis, quando soluens erat diues, nu.7.

DECISIO DCLI.

1 Iterum proposui dubium die 5. Maij ad fauorem fratrum de Alphanis, resolutum, an scilicet Vincentia dotata sit de bonis paternis, vel maternis in totum, aut pro parte. Et Domini vltra deducta in alia decisione considerarunt, quod cum Alexander prædat detrahere integram dotem Vincentiæ de bonis fideicommisso subiectis, illi, incumbit onus concludenter probandi fuisse ex dictis bonis integre solutam ad notata *l. si donatione. C. de collat. cum aliis allegatis per Modern. de fideicommiss. art. 42. num. 79.* & præsertim, quia tam ex instrumento promissionis dotis, quam ex alio instrumento solutionis eiusdem, satis manifeste contrarium colligitur.

2 Ac propterea putabant non obstare decisionem in Romana de Cincijs 4. Iunij 1604. coram Illustrissimo Dom. Cardin. Mellino. Nam vltra quod, vt vnus ex Dominis dicebat, fuit facta pro maiori parti Septies causa proposita, non videbantur termini pares. Agebatur enim in dicta decisione ad effectum sustinendi obligationem factam ab Episcopo patruo, qui expresse declarauit se esse tutorẽ, & curatorem suorũ nepotum, ad quos onus dotandi sorores spectabat, dictosque nepotes in libris tutelæ debitores creauit summæ dotis

dotis promissæ, quæ vna cum alijs coniecturis in dicta decisione deductis videbantur reddere rem sat is claram, quod Episcopus non habuit intentionem dotandi de proprio.

3 In casu autem proposito nō solum cessat fauor matris, quæ non negat se de proprio teneri voluisse, nec est in causa, sed omnes coniecturæ militant potius in contrarium, & præsertim, quia fuit promissa dos Vincentiæ de bonis paternis, & maternis, & promissio fuit facta præsente, & consentiente matre, nomine proprio, non autem curatorio, nec vlla ratione videtur dicendum, quod frater absq; eo, quod mater se de proprio obligare voluisset in tanta quantitate dotasset sororem ad euersionem fideicommissi paterni.

4 His accedit, quod mater soluit etiam pro dote Alexandræ alterius filiæ Scuta duo millia, & quod vere, & cum effectu soluit ad computum dotis Vincentiæ Scuta mille, & centum, vt ex instrumento quietantiæ apparet, & debitum residui agnouit soluendo vsuras etiam in hodiernum diem vt est in confesso apud partes. Ex quibus omnibus simul iunctis Domini absq. vlla difficultate censuerunt, non modo reddi turbidā probationem Alexandri, de sumptam ex presumptione *leg. fin. C. de dot. promiss.* quæ vltra responsiones in alia decisione datas contraria præsumptione tollitur vt tradunt omnes Scribentes ad d. leg.

5 Sed quod immo haud obscure probetur, matrem de proprio soluisse Scuta duo millia, & quod consequenter etiam constet de presupposito in alia decisione reseruato, dictam scilicet matrem habuisse bona ex quibus dos Scutorum duorum millium constitui potuerit, eoque magis, quia stantibus supradictis onus probandi contrarium incumberet Alexandro, & pro parte de Alphanis fuit ostensum per publicum instrumentum, cuius copia datur in Summario partis aduersæ. num. 6. dictam matrem extitisse hæredem satis amplæ hæreditatis sui patris tempore factæ dotis solutionis.

6 Non obstat, quod cum mater fuerit relicta in testamento Marcelli curatrix Baldassaris filij præsumitur Scuta 1100. soluisse de bonis d. Baldassaris non autem de proprijs, quia vltra quod non probatur illam vnquam administrasse bona dicti Baldassaris, & præsertim de tempore factæ solutionis, tamen ex quo Alexander prætendit detrahere dotem vti solutam de bonis Marcelli, & prædicta mater potuit soluisse de proprio tenetur præcise probare solutionem fuisse factam ex bonis Marcelli, *iuxt. gl. in l. cum oportet. verb. ex eius substantia. in fine. vers. vel dic refert. C. de bonis, quæ lib. quam sequitur Rom. consil. 274. versic. ceterum,* & mulieri, & præsertim, quia attenta causa præambula promissionis, & statuti in alia decisione ponderati mater potius censetur soluisse de suo. *Bart. in l. triticum. ff. de verborum obligar. Surd. dec. 308. nu. 19.*

7 Non obstat, quod tempore factæ promissionis dotis non fuit purificata conditio, sub qua mater fuit instituta hæres à patre, quia fuit visum Dominis ad hunc effectum, satis esse, non solum, quod mater habuit de dicto tempore ius quæsitum in hereditate patris, & spem proximam succedendi, & quod potuit se obligare ratione suæ legitimæ, quæ nullam recipit conditionem, sed etiam quod tempore factæ solutionis fuit diues, quia vt dixi ex quo ipsa soluit & habebat in bonis, vnde solueret, præsumitur de suo soluisse, & faciunt not. *per Deciam. consil. 628. numer. secundo. Corneus consil. 22. numer. 7. libr. secundo, & consil. 98. numer. 6. ad med. versic. censetur enim. libr. 4. Barbat. consil. 22. nu. 8. lib. 1.*

8 Non obstat, quod potuit augeri dos Scutor. 375. Vincentiæ à patre relicta arbitrio matris, & aliorum exequutorum testamenti paterni, quia omisso, quod arbitrium non poterat extendi ad Scuta quatuor millia attento valore hæreditatis, & numero filiorum, ad *l. si filiæ pater. ff. de legat. 3.* satis videtur matrem fuisse vsam dicta facultate augēdo dotem ad Scuta duo millia. Et quod ex supradictis apparet, neque ipsam voluisse vlterius vti dicta facultate, neq. fratrem in plus dotare sororem de bonis paternis.

R. P. D. VEROSPIO.

Castren. Beneficij. Veneris 27. Iunij 1614.

ARGVMENTVM.

Instrumentalis possessio alio nōn possidente sufficit ad concedendum mandatum de manutenendo. Posterior possessio præsumitur clandestina, & ideo non est manutenibilis. Decretumq. irritans non operatur, quando non habet locum Constitutio, cui adhæret tanquam accessorium.

SVMMARIVM.

Possessio probata per publicum instrumentum alio non possidente sufficit ad concedendum mandatum de manutenendo. nu. 1.

Possessio posterior præsumitur clandestina, & turbatiua, & propterea non est manutenibilis. nu. 2.

Decretum irritans inficit titulum, & possessionem, quando intrat constitutio, cui adhæret tanquam accessorium, alias secus. nu. 3.

Alternatiua ad fauorem Episcopi non operatur nisi probetur Episcopum eo mense residere in diœcesi, & quis debeat probare Episcopi residentiam. nu. 4.

DECISIO DCLII.

1 DE mense Octobris 1611. vacante per obitum Petri Gherardi Cappellania Sancti Ioannis Baptistæ Castren. Diœcesis Reuerendissimus Episcopus illam, vti gaudens alternatiua contulit Octauio Platonio, qui cum eius possessionem accepisset, insurrexit Fabricius Vanninus, vti à Sede Sede Apostolica de eadem Cappellania tanquam reseruata prouisus, & possessionem pariter fuit adeptus. Vnde causa in Rota introducta, Dubitaui, cui dandum esset mandatum de manutenendo. Quod resolutum fuit, esse concedendum Octauio. Constat enim de illius anteriori possessione per publicum instrumentum, quod ad hunc effectum alio non possidente suffragatur. *l. non idcirco & ibi Bald. C. de fid. instrum. l. prædic. ff. de acquir. poss. Menoch. de retinen. remed. 3. nu. 575. Put. dec. 360. nu. 8. lib. 1.* Et fuit coram me dictam in causa Vercellen. Cappellaniæ 14. Iunij præteriti.

2 Non obstat Fabricij possessio, quæ tanquam posterior, clandestina, & turbatiua præsumitur, & propterea non est manutenibilis. *capit. licet causam. de probat. Bart. in l. si duo. num. 4. ff. vti possid. Couar. pract. quæst. cap. 17. in fin. cum alijs per Menoch. de retinen. poss. remed. 3. num. 725.*

3 Nec valet dicere, Beneficium, de quo agitur, vacasse in mense Octobris in vim regulæ octauę reseruato & per consequens Octauij possessionem non esse manutenibilem ob decretum irritans eiusdem regulæ, quod inficit titulum, & possessionem. Respondetur enim huiusmodi decretum, ita demum operari, si intret constitutio, cui adhæret tanquam accessorium. *Gemin. & Franc. in cap. præsenti. in princip. de offic. leg. in 6.* Et fuit dictum in Vmbriaticen. Parochialis. 1. Iulij 1613. coram Reuerendissimo Domino meo Damasceno. Et sic nisi clare pateat, beneficium sub dicta regula comprehendi, decretum irritans non operatur, vt fuit in terminis resolutum in dicta Vmbriaticen. Parochialis, & in Beneuentana Beneficiorum. 14. Decembris 1607. coram Reuerendissimo Domino

meo Decano. Hic autem ex quo Castren. Episcopus alternatiuam acceptauit, non intrat regula, nec dici potest constare de reseruatione, cum mensis Octobris alias reseruatus per alternatiuam ordinarius efficiatur, vt habetur in eadem regula,

4 Non obstat, solam acceptationem alternatiuæ non sufficere, nisi etiam Episcopi residentia probetur. Nam vltra quod Octauio tanquam reo, & possessori, non videtur istud onus probationis incumbere, ex trad. per 3. *Modern. super reg. 5. gl. 43. num. 99. versic. neque obstant.* Et fuit dictum in Barchinonen. Beneficij, 3. Martij 1603. coram Reuerendissimo Bononien. Hoc in omnem euentum erit in petitorio discutiendum, cum Octauio pro manutentione sufficiat in Summarijssimo possessorio, reseruationem vigore dictæ regulæ non esse notoriam, adeo vt decretum irritas excludatur ex allegatis, &c.

R. P. D. VEROSPIO.

Romana Legitimæ. veneris 27. Iunij 1614.

ARGVMENTVM.

Filio legitimato in amplissima forma debetur legitima, quæ à patre prohiberi non potest, etiam quod fuerit institutus hæres vniuersalis, nec illi censetur renunciatum per simplicem aditionem hæreditatis, nisi expresse renunciatum fuerit.

SVMMARIVM.

Naturalis filius legitimatus à Papa in amplissima forma acquirit iura suitati successionis ab intestato, & ius dicendi testamentum paternum nullum ob præteritionem. numer. secundo.

Legitimatus filius naturalis à Papa in amplissima forma acquirit iura suitatis successionis ab intestato, & ius dicendi testomentum paternum nullum, ob præteritionem. numer. secundo.

Legitima debetur etiam filio naturali legitimato in amplissima forma à Papa, ac si fuisset de legitimo matrimonio natus. nu. 3.

Legitimæ petendæ ius in bonis paternis transit ad filium filij, & sic ad nepotem defuncti. nu. 4.

Legitima prohiberi non potest, nec illi aliquod grauamen imponi. nu. 5.

Legitima detrahitur etiam de bonis primogenituræ subiectis etiam, quod fuerit expresse prohibita. nu. 5.

Legitima detrahitur etiam de bonis alienari prohibitis sub pæna caducitatis. nu. 5. in fine.

Testandi facultas etiam amplissima nunquam intelligitur data à Principe, vt pater possit filium legitima priuare, nisi hoc expresse dixerit. nu. 6.

Pater non potest filio succedenti ex persona propria aliquod præiudicium facere. nu. 7.

Hæreditas, quam quis nunquam adiuit, ad alios transmitti non potest. nu. 7.

Succedere iure proprio quando quis dicatur. nu. 7.

Donatio conditionalis conditione cessante resoluitur, & extinguitur. nu. 8.

Legitimæ vt dicatur renunciatum, non sufficit simplex hæreditatis aditio, sed requiritur expressa renunciatio. nu. 9.

Legitimæ prohibitio facta a patre in bonis sibi à Principe donatis, an & quando valeat. nu. 10. & seqq.

Bona a Principe donata filiusfamilias numquid ad filios spectent, tanquam bona castrensia, & de illis ad libitum disponere possit. nu. 11.

Legitima numquid debeatur filio clerici patris. num. 12. in fine.

Legitima numquid prohiberi possit filio instituto in plus, quam importat legitima. nu. 13.

DECISIO DCLIII.

1 Bonæ memoriæ Cardinalis ab Alta emps de anno 1574. nonnulla castra, & alia bona per ipsum acquisita donauit Roberto filio suo naturali, per felic. recordation. Gregorium XIII. in amplissima forma legitimato, reseruata tamen sibi facultate constituendi primogenituram, vel alias de dictis bonis tam inter viuos, quam in vltima voluntate ad sui libitum disponendi, qua dispositione non sequuta, voluit ad filios, & descendentes eiusdem Roberti legitimos, & naturales in infinitum de primogenito in primogenitum illa deuenire, alienationem expresse prohibes, & vlterius omnem Falcidiæ, Trebellianicæ, atq; etiam legitimæ detractionem, quod si dictus Donatarius ciuiliter, vel naturaliter ipsi Cardinali prædecessisset isto casu ille donationem voluit non subsistere. Postea de anno 1580. primogenituram ad fauorem eiusdem Roberti instituit, eique donauit alia castra, & bona cum pacto, quod hæc pariter ad ipsum Cardinalem reuerterentur si Robertus ciuiliter, vel naturaliter præmoreretur, post suum tamen obitum Cardinalis alia non facta dispositione dicta bona voluit ad filios legitimos, & naturales ipsius Roberti deuenire, nec non ad illos pleno iure spectare, perinde, ac si dictæ acquisitiones in illorum fauorem expresse, nominatim, & immediate fuissent factæ, prohibendo similiter omnem, & quamcunque alienationem, vt supra, post huiusmodi dispositiones Robertus decessit relicto Excellentissimo D. Duce Ioanne Angelo filio suo legitimo, & naturali quem idem Cardinalis vigore facultatis à Pio Quarto, & Gregorio XIII. sibi concessæ, vniuersalem hæredem instituit, eique substituit filium ipsius primogenitum, & successiue de primogenito in primogenitum in infinitum. Deficiente vero linea masculina vocauit filiam feminam eiusdem Ducis Ioannis Angeli primogenitam, eiusque feminæ primogenitæ primogenitum masculum. Et extincta dicta linea tam masculina, quàm feminina filium substituit Comitis Annibalis fratris sui primogenitum, nec non successiue omnes eiusdem lineę primogenitos masculos, in quorum defectum filias feminas vocauit ordine, quo supra de linea Ducis Ioannis Angeli fuit dispositum alienatione bonorum expresse prohibita, & omni Falcidiæ, Trebellianicæ, ac etiam legitimæ detractione. Modo Dux Ioannes Angelus prætendens in istis bonis legitimam sibi deberi, vt eam detraheret constitutis formiter ipsius filio primogenito Curatoribus obtinuit causam dictæ separationis in Rota mihi committi. Vnde fuit per me vtraque parte Informante dubium propositum, an legitima illi deberetur, quod nemine contradicente fuit affirmatiue resolutum. Cum enim Robertus pater D. Ducis à Gregorio XIII. fuisset in amplissima forma legitimatus, & ad primæua naturæ iura restitutus, tanquam de legitimo matrimonio vere, & non ficte natus habebatur §. *sit igitur licentia. Auth. quib. mod. nat. effic. legit. §. quoniam varie. Auth. quibus mod. natu. effic. sui. §. licet igitur. Authent. eadem. Bart. in l. si is, qui pro emptore. num. 29. ff. de vsucap. & in l. 2. nu. 10. ff. de vulg. & pupil. Gozad. consil. 6. num. 77. Eug. cons. 52. num. 49. & seqq. Curt. iun. cons. 153. nu. 11. Couarr. de matr. par. 2. cap. 8. §. 8. num. 3. Mant. de coniect. vlt. volunt. lib. 11. tit. 10. num. 10. cum alijs per Tiraquel. in l. si vnquam. vers. susceperit liberos. num. 85. C. de reuoc. donat.* & fuit dictum in Hispalen. legitimitatis. 13. Febr. 1613. coram R. P. D. meo Vbaldo.

2 Et per consequens iura suitatis dicitur acquisiuisse §. primo. ibi suorum hæredum iura nanciscuntur. *Institut. de hæred. quæ ab intest. defer. & §. liceat igitur. Authen. quib. mod. nat. effic. sui. Menoch. cons. 266. num. 2. volum. 3. cum alijs per Tiraquel. in d. l. si vnquam. vers. susce-*

susceperit.num.78.C. de reuoc. donat. nec non fuerunt illi debita iura successionis etiam ab intestato. *§.reliqui. & §.si quis ergo. Auth. quid. mod.nat.effic.sui. Ias.cons.202. col.5.in fine. lib.2.Dec.consi.365. num.5. Ruin.cons.94. num. 7. lib.3. Ang. consi.17. num.5. in fin. vers. ibi autem sic legitimati, cum alijs per Peregr.de fideicomm.art.23.num.26.* & facto testamento si fuisset præteritus, vel exhæredatus eidem querela inofficiosi competebat, *Alexand. in rub.ff.de liber.& posthum, num.3. & ibi Ias. num.8. & 11.in fin. Paul.de Castr.consil.30. num.4.lib.1.Roman.consi.43.Rolan.consilio 67. num.22. lib.3.Rimin.iun.consi.156.nume.37. lib.2. Paris.consi.7. num.4. volu.2. Couarr. in epitom.4. decret.p.2. cap.8.§.8.num.2. in fin.Clar.in §.testam.q.84.Crass. in §. testamentum. q.36. nu.2.*

3 Prout etiam tanquam ex legitimo matrimonio nato fuit illi debita legitima. *Bal. in c. de caus.num.62. de off.delegat. Dec.in l.precibus. num.29. C. de impuber.& alijs substi. Natt.in l. hac consultissima. §.ex imperfecto, num.96. vers.item debetur.C.de testamen.Rub.in l.Titia.§.Imperator. sub num.47. vers. & tamen legitimati. de legat. 2. Beringar. in l.in quartam. num.54. ff. ad legem Falcid. Tiraquell.in leg. si vnquam. vers. susceperit liberos. num.79. C. de reuoc.do-nat.Rolan.consi.96. num.52. & consi.67. num.20. lib.3. Ias. consi.154.sub num.22. lib. 2. Alexand.consi.vltimo. colum. fin.lib.5. Paris.cons.7.num.3. volum.2. Laderch.Imol.consi. 170.num.2. Surd.consi.75. numer.1. volum.1.& in tract. de alimen. tit. primo. q.8. Peregr. cons.27. num.1. volum.3. & de fideicomm.art.23.num.28. vers.dispositio quoque.Menoc. consi.164.num.35. lib.2. Coracc.de matr.p.2. cap.8.§.8.num. 2. Rot. decis.355. numer.1. p.1. diuers.* & fuit decisum in Bononien. de Mulettis 20. Decembris. 1602. coram Cardinale Pamphilio.

4 Cum igitur dicto Roberto legitima deberetur eo prædefuncto Dux eius filius tanquam partis locum ingressus iura successionis in bonis Cardinalis aui paterni acquisiuit, & legitima illi ex persona propria debetur. *Salicet.in Authen.nouissima.num.5.C. de inoff.testamen.& ibid. Ias. num.51. Ferd.in repet.l.in quartam,num. 8. ff. ad legem Falc. Alexand. consil.4.numer.13.lib.4.Ruin. consi.186. num.1. lib.2. Bursat. consil.13. num.41. volum.1. Rimin.iun.consil.50. num 70.& 76. lib.1.& consi.192. num. 7. lib.2. & cons.446. numer. 6. volum.5. Menoch.consil.681. num.19. & seqq.Petr.de fid.q.15.num.14. Peregr.de fideic. art.36.num.39. Cucc.de legit. in princ.sub nu.2. vers.debetur autem.Gabr.cons.110. nu.21.& 22. lib.2. cum alijs per Crass. de success.§.legitima, q.4. nu.1.*

5 Non obstat Cardinalem tam in primogenitura, quam in testamento bona omnia fideicommisso subiecisse cum expressa cuiuscumque detractionis, etiam legitimæ prohibitione. Nam respondetur legitimam prohibere non potuisse, cum nullum illa grauamen recipiat. *l. quoniam in prioribus. C. de inof.testam. & ibi communiter DD. Paul.de Castro nu.1. Ias.nu.1. Alex. num.1. Gloss.in Authen.nouissima,& ibi DD.C. eod.Soc.iun. consi.131. num.4.lib.1. Bursat. qui plures refert,cons.92.nu. 10.lib.1. Gabriel. de legitima conclus.1. nu.1.* Et in specie, quod de bonis primogenituræ subiectis legitima detrahatur, etiam quod id fuerit expresse prohibitum, trad. *Molin. de primog.Hispan. lib.2. c.1. nu.28.in fi.& 29.* Quod procedit stante etiam alienationis prohibitione, sub pœna caducitatis *Honded. cons.72.nu.5.lib.1.Peregr.de fideic.art.36. num.67. qui Aret. in alleg. cons.19. nu. 4. & Ias.in l.filius.fa. §. Diui in 1.lect.col.2.num.12. & in 2. lect.col.3.nu.16. & Rip. num.27. Crat. nu.75. de leg.1.Rim. iun.cons.50.nu.70. & seq. lib.1.*

6 Nec obstat amplissima facultas per Summ. Pontifices Pium IV. & Gregorium XIII. Cardinali concessa de omnibus ipsius bonis disponen. per quam videtur indultum, vt non solum ille primogenituram cō stituere posset, sed vlterius etiam legitimæ detractionem prohibere, quia dicta facultas de per se non sufficit, sed ex receptiori sententia, vt grauetur in legitima filius, expressa Principis concessio requiritur, vt per *Suarez in l.quoniam. in prioribus. 18. limitat. in declarat.leg.Reg.& limitat.2.incipien.* Secundo limitabis hanc legem determinantem *sub numer.16. vers. semper etiam aduertas.C.de inoffi.testam.Rod. Lopez super l.32.tit.9.partic.6. glos.5. in verb. non Valdras, post princip. & vers. sed pone.* tenuit Rota in Romana Legatorum de Columna 16. Iunij præteriti coram Reuerendiss. Damasceno, & idem sentire videtur *Molin. de primogenitura Hisp. lib.2. cap.1.num.28. vers.in secunda specie principali,* cum per similem facultatem, quamuis amplissimam, non præsumatur Papam voluisse filios in legitima grauali, *l.si quando.in principio,C.de inoffic.testamen.* & ibi Scriben.

7 Non obstat, Robertum donationi per Cardinalem sibi factæ assensum præstitisse, & cum in ea fuerit legitimæ onus impositum, videatur D.Duci tanquam Roberti filio præiudicatum. Nam vltra quod de tali assensu ad istum effectum non apparet, cum tamen in omnem euentum Robertus Cardinali prædecesserit, non potuit vllum afferre præiudicium filio Cardinali auo ex persona propria succedenti, vt post alios tradit *Suarez in repetit. dict. l. quoniam in prioribus, Ampliat. 10. nume. 54. C. de inoffic. testam.* Nec potest in dubium reuocari, D.Ducem Auo ex persona propria successisse. Cum enim pater nunquam fuerit D.hæreditatem assequutus illam transmittere non potuit ad filium, qui propterea iure proprio succedet. *Bart. in l.1.§. si sit nepos, sub num.1. vers. tamen in veritate.ff. de collat.dot.& in l.1.§. si filius. vers. sed mihi. ff.de coniung. cum emancip. liber.& in l. si auus. vers. nota ex hac leg. & ibi.Bald. sub num.4. vers.1. casu. Salic. num.3. Alex. num.6. Aret.in prin. vers.non tamen succedit. Ias. in prin. Iacob.de S. Georg.nu.2. Fulgos.nu.2. C. de liber. præter.*

8 Vlterius nec potest fieri fundamentum in dicta donatione, quæ fuit conditionalis, videlicet si Robertus Cardinali superuixisset, alias irrita esset, & inanis. Præmortuo igitur Roberto negari non potest, donationem fuisse resolutam. *l. 1. ex princi. §. item ff. de donation. Tiraquell. de retract. conuent. §.primo.gloss.7. num.3. & seq.*

9 Nec valet dicere D.Ducem, saltem ex quo hæreditatem adiuit, illique se immiscuit, censeri Cardinalis prohibitioni de non alienando legitimam acquieuisse, & sibi præiudicasse quo ad illius detractionem. Nam dato etiam quod in dicta hereditate se Dux immiscuisset, & testamentum approbasset, non ideo sibi præiudicauit, cum ad hoc expressa, & specifica requiratur legitimæ renunciatio. *Odofr. in l. si quando. §. & generaliter.in princ.& ibi Ias. num.4. & alij. C. de inofficioso testam.Ruin.consi.56. nu.8. & sequent. consi. 57. sub num.3. vers.adeo quod filius. lib.2. Cephal. consi.188.num.30.lib.2. & consi.95. num.8.11.& seq. lib.1. Ancharan. consi.152.sub nu.8. versic.legitimam. vero debitam. Alexan. consi. 89. col. final.num. 14. vol.4. Paris.consi.43.nu.36. volum.3. Peregr. consi.68. num.13. Eug.consi.38.num.8.& sequent.Odd.consi. 63.num.24.Mag.decis.Lucen.85. nu.8. Peregr.de fideicomm. art.36. nu.84. qui plures refert. Cruc. de legit. vers.nec vsufructu. nu.11.* & fuit decisum in Romana de Lante. 11. Februarij 1583. Coram Clement. VIII. & coram R.P. D. Manzanedo in Romana legitimæ 11. Decembris 1609.

10 Non obstat bona, de quibus agitur, ex redditibus Ecclesiasticis prouenisse. Vnde cum illorum dispositio sumat originem ex facultate testandi à Pio IV. & Gregorio XIII. Cardinali concessa videatur idem Cardinalis tanquam de bonis à Principe sibi donatis potuisse de illis ad libitum etiam in præiudicium legitimæ filij disponere per *Vasq.in repetit.d.l.quoniam in prioribus.lib.1.§.10. limit.63. num.473. C. de inoffi.testam.* Respondetur enim, Vasquez loqui de quadam lege in partibus Hispaniarum, vt tradit Suarez ibidem limit. 6. qui dicit grandem esse limitationem, sed illam se nunquam vidisse practicari.

11 Et

11 Et licet idem Vasq. hoc subdat etiam videri sibi de iure communi per *text. in leg. cum multa, C. de bonis quæ liber.* in qua disponitur, bona per Principem donata filijsfamilias ad instar Castrensis peculij, esse in eorum libera dispositione, dicta tamen lex non obstat tanquam de iure nouissimo correcta cum testamentum hodie filijsfamilias respectu bonorum, in quibus habet ille testandi facultatem inofficiosi querelæ subiaceat, §. iustum autem perspeximus. ibi, sancimus non licere. *Auth. vt cum de appell. cognosc. gloss. in l. fin. in verbo testam. & ibi Bar. & Bald. sub num. 1. C. de inoffic. test. Fulgos. num. 5. Salic. num. 4. versi. sed dubium oritur de iure nouo. Ias. num. 5. idem Bartol. in auth. ex causa. num. 13. vers. si vero. C. de liber. præter. & ibi Alex. nu. 4. qui de communi testatur. præterea l. cum multa.* solum habeat locum in filiofamilias, non autem in parte, prout erat in casu nostro *Card. vt communiter tradunt Scrib. supra alleg. in d. l. fin. C. de inoffic. testament. vltimo contra Vasquez* opinionem senserunt plures viri Doctissimi, & præsertim *Aug. de perusio consi. 242. sub num. 1. & sub num. 2. in fine versi.* illa simpliciter, vbi habet in bonis a Principe donatis patri, etiam cum iurisdictione legitimam filijs deberi, si pro hæredibus, & successoribus etiam donata fuissent, vt in casu nostro.

12 Additur, nos hic non versari in bonis immediate donatis à Principe, sed in proprijs ipsius Cardinalis, de quibus ille poterat ad libitum in vita disponere, licet de eisdem tanquam ex redditibus Ecclesiasticis acquisitis testari non posset. Vnde per liberam testandi facultatem concessam illi solum videatur indultum, vt legitimam, & consuetam haberet testamenti factionem iuris ordine seruato, nec est credendum Summum Pontificem, qui iura tuetur, per huiusmodi liberam concessionem totam testamentorũ obseruationem multis vigilijs excogitatam vertere voluisse, vt expressum habetur, in *leg. si quando. C. de inoffic. testamen. vbi Alber. Bald. Salyc.* & omnes notant. Et quod hac libera concessione fuerit solum habilitata persona not. plene Moderni Romani, de numero testium capit. decimo tertio, numero vigesimo quinto, cum pluribus sequentib. vbi num. 29. ex multis allegatis dicitur per hoc remissam non censeri solennitatem, quæ tangit ius tertij, vt etiam habetur in decisione 84. num. 4. part. 2. diceretur. Et si nullo modo videtur in casu nostro adempta filio legitima in bonis patris, etiam Clerici debita. iuxta *text. in Authen. presbyteros in fine de episcop. & cler. vbi Bald. in primo notab. idem in l. si quando. in 3. notab. C. de inoffic. testamen. Ang. in l. 1. num. 5. vers. sed hodie. ff. eod. & ibi Paulus de Castro. num. 8. Iacob. de S. Georg. nu. 7.*

13 Ad obiectum, quod filius in maiori parte oneratus grauari possit in legitima per Cuman. cons. vigesimo quinto, & alios allegatos, Respondetur id simpliciter non procedere, sed adhibita solum cautela, de qua per *Socin. iun. consil. 212.* & alios allegatos in Romana legitimæ. 11. Decembris 1609. coram Reuer. P. Domino Manzanedo, vt videlicet pater grauando in legitima filium addat, si filius testamentum non approbauerit, se in legitimo tantum illum instituere, alias grauamen non sustinetur, vt habetur in dicta decisione, & ad Cum. alleg. qui firmat fructus à grauato perceptos in legitimam imputare dicitur illum reprobari communiter, vt per *Alexand. in l. in fideicomm. num. 6. & 7. ff. ad legem Falcidiam, & ibi Rip. num. 41. vers. mihi non placet ista decisio Raph. Aquen. num. 7. Socin. consi. 82. num. 3. vers. sed quicquid. lib. 4. Bursat. consi. 44. num. 18. Rim. iun. consi. 50. num. 89. & consi. 150. num. 48. Magon. decis. Lucen. 85. num. 19. vers. tamen contrariam sententiam.* Vbi testatur hanc esse æquiorem, & magis communem opinionem *Gabriel de legit. concl. 1. num. 41. vers. circa istam limitationem.*

DECISIO DCLIV.

Romana domus S. Nicolai Lunæ 23. Iunij 1614.

Est Impressa inter Caualerio,

DECISIO 316.

DECISIO DCLV.

Senen. Bonorum. Veneris 4. Iunij 1614.

Impressa apud Buratto.

DECISIO 74.

R. P. D. PAMPHILIO.

Placentina Archipresbyteratus. Ven. 4. Iulij. 1614.

ARGVMENTVM.

Appellatio an, & quando detur à collatione parochialis ad effectum suspensiuum.

SVMMARIVM.

Attentata lite, & appellatione pendente, reuocanda sunt num. 1.

Appellatio non datur à collatione parochialis a effectum suspensiuum. Declar a, vt nu. 2.

DECISIO DCLVI.

1 PRo Informante nempè constare de attentatis, ita vt sit locus sequestro, quia à sententia ordinarij, qui clarauit Comitem Ricardum esse instituendum, pro parte Comitis Ranutij fuit appellatum, & propterea institutio, quæ illius vigore emanauit, lite, & appellatione pendente, vna cum possessione subsequuta est attentata, *c. non solum. de appell. in 6. c. 2. vt lit. pen. eod. lib. Rot. decis. 10. vt lit. pend. in nou. cum similibus.* & consequenter sequestranda. *Cassad. decis. 3. n. 6. de restit. spol. Caputaq. decis. 157. p. 3.*

2 Non obstat, quod agatur de Parochiali, in qua non admittitur appellatio ad effectum suspensiuum ex dispositione Concilij Tridentini sessio. 24. capit. decimo octauo, versicul. in omnibus. de reformat. & ex Bulla Pij Quinti, de conferend. Parochialibus. Quia placuit responsio, quod Concilium, & Bulla loquuntur quando facto concursu appellatur à mala electione, non autem quando prout in casu isto, agitur inter præsentatos, vel patronos laicos, super pertinentia iuris patronatus, & appellatur ab institutione facta ad præsentationem alicuius ex patronis, quo casu possessio, per appellationem suspendi debet, vt de appellatione interposita à præsentato habente plures voces patronorum, tenuit Rota in causa Compostellana Parochialis 3. Iunij 1588. coram bonæ memoriæ Cardin. Plato, & faciunt tradita in causa Lucana plebis 18. Iunij 1571. coram bonæ memoriæ Cardinali Lancellotto, cum alijs relatis coram me in causa Toletana Parochialis. 7. Iunij 1609. Et ita decisum, &c.

R. P. D. PAMPHILIO.

Toletana Admissionis. Veneris 4. Iulij 1614.

ARGVMENTVM.

Non parentes executorialibus Rotæ, & sententij declaratorijs, parere coguntur per aggrauatorias, Rectoresque, & beneficiati præcedunt Cappellanos amouibiles. Coadiutor autem non precedit Canonicos, sicut præcedebat coadiutus.

SVMMARIVM.

Executorialibus, & sententiæ declaratoriæ parere nolentes iuxta stylum Rotæ, parere coguntur cum aggrauatorijs, num.1.

Cappellani amouibiles non iure proprio vtuntur, sed iure Collegij, à quo deputantur. nu.2.

Rectores, & Beneficiati perpetui, qui iure proprio vtuntur, & ex persona propria dignitatem habent, vti digniores de iure sunt præferendi Cappellanis. nu.3.

Coadiutor doctus cum futura successione, & cum omnibus prærogatiuis, & præeminentijs Coadiuti, non potest præcedere Canonicos veros, quos præcedebat Coadiutus. num.3. in fine.

DECISIO DCLVII.

1 FVit resolutum, non esse dandam aggrauatoriam, quia ex deductis sufficienter visum fuit constare de paritione Rectorum, & Beneficiatorum in admittendo Cappellanos ad nutum amouibiles Collegij Compluten. in eorum Congregationibus capitulo nuncupato cum honoribus, & emolumentis, quibus in Congregationibus prædictis interessentes vtuntur iuxta formã Breuis, & mandati Rotalis, ideoque non est locus aggrauatoriæ ad quam proceditur contra eos, qui executorialibus, & sententiæ declaratoriæ parere recusant, ac proinde censuras Ecclesiasticas sustinent, iuxta stylum Rotæ, & trad. *Vest. in praxi lib. 8. c. vlt. sub num. 19. vers. lata denique.*

2 Nec obstare, quod Rectores & Beneficiati supra dicti recusauerint dare præcedentiam dictis Cappellanis, & cum illis communicare emolumenta propria, Nam quo ad præcedentias breue, & mandatum Rotale non dicunt, quod Cappellani ad nutum amouibile debeant præcedere Rectores, & beneficiatos perpetuos, sed tantum, quod in præfatis Congregationibus interesse debeant, & gaudere omnibus priuilegijs, prærogatiuis, exemptionibus, & honoribus, quibus interessentes vtuntur, quod respectu præcedentiæ visum fuit intelligendum esse, prout de iure, & sic cum Cappellani amouibiles non iure proprio vtantur, sed iure Collegij, à quo deputantur ad notata per. *Vital. in Clement. vnica. nu. 22. & sequentib. de offi. vicar. Lapus alleg. 85. nu. 8. vers. secus in temporalibus.*

3 Sequitur, quod Rectores, & beneficiati perpetui qui iure proprio vtuntur, & ex persona propria dignitatem habent vti digniores sint de iure præferendi. *purpur. in l. 1. sub num. 632. vers. & quo ad ceteros. ff. de offi. eius cui mand. i. est iurisd. Dec. in cap. sane. il secondo, nu. 12. vers. sed habito respectu. de offic. delega. Menoch. consil. 51. num. 24. lib. 1.* Rota in causa Pampilonen. antelationum 8. Martij 1577. relat. inter impress. decis. 326. num. 3. & sequen. par. 2. diuers. ita vt cappellani amouibiles præfatis prærogatiuis, priuilegijs, & honoribus in Congregationibus vti valeant respectu inferiorũ, & placuit simile de coadiutoria data cum futura successione, cum omnibus prærogatiui, & præeminentijs coadiuti, cuius tamen ratione coadiutor non potest præcedere Canonicos veros, quos præcedebat coadiutus ex supra dictis rationibus. Rota in causa Salamentina Coadiutoriæ 25. Iunij 1593. coram bon. mem. Penia.

4 Quo vero ad emolumenta Breue pariter, & mandatum Rotale non loquuntur de ijs, quę quilibet Rector, & beneficiatus particulari nomine perceppit, ex propria Ecclesia, sed de ijs, & quæ obuenerunt ratione interuentus indictis Congregationibus, & quibus aliis Rectores, & beneficiati in dictis Congregationibus interessentes vti solent, quo casu non potest dici constare de aliqua contrauentione cum non appareat, quod in dictis Congregationibus, & similibus emolumentis alii vmquam vsi fuerint, ad tradit. per *Aym. cons. 293. num. 5. Petr. de probib. fideicom. alienat. q. 13. nu. 46. & seq.* Et ita decisum, &c.

R. P. D. REMBOLDO.

Pampilonen. beneficij de Aricaleta. Ven. 4. Iulij 1604.

ARGVMENTVM.

Clausula arbitrio Rotæ, quando intrat ad effectum retardandi executionem Breuis, & quando ius patronatus præsumatur in beneficio erecto infra limites Ecclesiæ parochialis, & de eiusdem Ecclesię bonis dotatum ipsa Ecclesia existente de iure patronatus.

SVMMARIVM.

Clausula arbitrio Rotæ relaxat aliquantum iuris rigorem, contentatur quæ leuioribus probationibus, & sufficit dare fumum iuris patronatus ad effectum supersedendi in executione Breuis nomine Cameræ, numer. 1. Declara, vt num. 2.

Ius patronatus non acquiritur ex concessione Episcopi, aut ex Constitutionibus Synodalibus, nec suffragatur quasi possessio Vniuersitatis præsentandi ex Conc. Trid. sess. 25. de reformat. c. 4. num. 7.

Beneficium fundatum intra limites Ecclesiæ Parochialis, & ex bonis eiusdem Ecclesiæ dotatum, non dicitur de iure patronatus eiusdem Ecclesiæ etiam quod ipsa Ecclesia esset mater de iure patronatus. num. 4.

Episcopus non potest reseruare laicis ius patronatus beneficij dotati de bonis Ecclesiæ matricis. nu. 1.

Sententiæ latæ ad fauorem Vniuersitatis non possunt præiudicare Ecclesiæ, & successori. num. 6.

DECISIO DCLVIII.

1 LIcet clausula arbitrio Rote relaxet aliquantum iuris rigorem, atque hinc sæpius resolutum fuerit, sufficere leuiores probationes, & quod detur fumus iuris patronatus ad effectum supersedendi in executione Breuis nomine Cameræ, & præsertim in Barchinonen. Beneficii S. Petri. 23. Febru. 1600. coram bon. mem. Cardin. Pamphilio, & in Astoricen. Prioratus 9. Decemb. 1596. coram bon. mem. Litta, & in Foroliuien. iuris patronatus 15. Maij 1609. coram R. P. D. meo Manzanedo, vbi aliæ decisiones allegantur.

2 Nihilominus in hac causa Domini negatiuam amplexi sunt. Dixerunt enim, quod cum non impediat quodlibet ius patronatus reseruationem, sed illud tantum, quod ex fundatione, & dotatione acquiritur. *Cassad. dec. 4. num. 5. de probat. & decis. 7. num. 5. de iure pat.* cum alijs late cumulatis in Compsana Iuris patr. 23. Ianu. 1604. coram bon. mem Litta, non sufficit dare fumum iuris patronatus in genere, sed necesse est, vt detur talis, cuius probatio releuet, qualem non putabant adesse in casu proposito.

3 Nam ad hunc effectum non potest suffragari Ioanni vltimus status, & quasi possessio vniuersitatis presentandi, neque titulus productus ex concessione Episcopi,

copi, & Constitutionibus Synodalib. Sunt enim hæc omnia sublata per *Conc. Trident. sess. 25. de refor. c. 9.* Eoque magis, quia versamur in vniuersitate, & parochianis, in quibus præsumitur vsurpatio *c. querelam, vbi Abb. nu. 7. & in c. cum Ecclesia Vulterana num. 8. in fi. de elec. Imm. in c. cum Ven. nume. 9. de excep. Roch. de iure patron. ver. Construxit. nu. 29.* & fuit dictum in Tiburtina iuris patron. 5. Iulii 1599. coram bon. mem. Penia. Et ad summum possent tribuere ius ex priuilegio, quid non impedit reseruationem. *Rot. dec. 304. num. 2. & 3. p. 2. diuers.*

4 Quinimo ex instrumentis ex aduerso productis clare apparet, beneficium de quo agitur fuisse ab initio fundatum intra limites ecclesiæ parochialis, & ex bonis eiusdem ecclesiæ dotatum, ac proinde quatenus etiam probatur, ecclesiam matricem esse de iure patronatus laicorum, adhuc tamen beneficium sic erectum esset, vel liberum, vel de iure patronatus Rectoris Ecclesię Matricis. Placuit enim Dominis pro nunc opinio *Lamber. de iure patr. p. 1. 2. lib. 2. q. princ. art. 15. num. 4.* optimis ibi per eum rationibus, & auctoritatibus fundata, quam absque difficultate procedere putarunt, eo quia ex eisdemmet iuribus à Ioanne productis apparet, hoc beneficium fuisse dotatum ex decimis spectantibus ad ecclesiam Matricem, quæ cum sint debitæ Ecclesiæ, vel Rectori, de Iure diuino, non potest dici beneficium fuisse dotatum de bonis Vniuersitatis, sed de bonis ipsius Ecclesiæ, ac propterea non potuit inde aliquod ius Vniuersitati acquiri, & præsertim ad effectum impediendi reseruationem.

5 Nec obstat consensus Episcopi, vel alia in contrarium adducta, quia ex supradictis apparet, quod Episcopus non potuit reseruare laicis Ius patronatus beneficij dotati de bonis Ecclesiæ Matricis, quia hoc esset vsurpare bona ipsius Ecclesiæ, vt inquit *Abb. in c. 3. nu. 12. de Eccles. ædific.* vel ad summum, vt dixi tale Ius patronatus erit ex concessione, & priuilegio, quod non impedit reseruationem.

6 Similiter non obstant sententiæ latæ ad fauorem Vniuersitatis, & institutiones subsecutæ, quia non potuerunt præiudicare Ecclesiæ, & successori. *Caput. decis. 128. nu. 4. p. 2.* Vltra quod institutiones, vt plurimum emanarunt cum clausula, vt asseris, &c.

7 Et ex his Domini censuerunt non solum non dari sufficientem fumum ad effectum retardandi exequutionem, sed quod ex probationibus factis in totum excludatur ius patronatus ex fundatione, vel dotatione prout requiritur. Vnde dixerunt, nos non versari in terminis decisionum supra relatarum, & quod per consequens non intret arbitrium ad effectum retardandi exequutionem Breuis, quod, cum sit sufficienter iustificata clausula constito, omnino venit exequendum.

R. P. D. REMBOLDO.

Macer aten. Pecuniariæ. Veneris 4. Iulij 1614.

ARGVMENTVM.

De nullitate sententiæ defectu mandati comparentis, & de solutione facta tutori, quando debitorem liberet.

SVMMARIVM.

Sententia est nulla, quando fuit obtenta à procuratore non habente mendatum parte protestante neminem audiri, nisi docto de legitimo mandato. nu. 1.

Solutione eius quod debetur tollitus omnis obligatio. numero 2.

Tutori solutio facta cum interuentu proximiorum, & decreto iudicis valida est. nu. 2.

Solutio facta tutori liberat debitorem, si tutor ille publice se gerebat pro tali. nu. 3.

DECISIO DCLIX.

1 IN nimiam partis aduersæ contumaciam proposui dubium, solo Antonio informante, An sententia contra ipsum in partibus lata sit confirmanda, vel infirmanda. Et Domini ex vtroque capite nullitatis, scilicet, & iniustitiæ negatiuam amplexi sunt, si quidem nullitas videbatur colligi ex defectu mandati illius, qui pro Vlysse comparuit in iudicio, & sententiam obtinuit. Ex quo enim fuerat sæpius protestatum, neminem ex aduerso audiri, nisi docto de mandato, non potuit iudex citra vitium nullitatis ad vlteriora procedere, non exhibitio ante sententiam in actis mandato. *Bald. consi. 122. sub num. 1. vers. sed in hac allegatione lib. 3. Aym. consi. 108. num. 1. Rota diuers. decis. 599. num. 2. p. 1.* Et fuit dictum in Romana prætensæ nullitatis contractus 27. Iunij 1611. coram R. P. D. meo Pamphilio.

2 Iniustitia vero redditur manifesta ex eo, quod Vlysses fuit satisfactus de prætenso credito, vnde non poterat Antonius ad illud iterum soluendum cōdemnari, cum solutione eius, quod debetur, tollatur omnis obligatio. Instit. quib. mod. toll. oblig. in princip. sed etiam quod solutio non sit facta ipsimet Vlyssi, sed Francisco eius tutori cum interuentu tamen proximiorum, & decreto iudicis, vt apparet ex publico instrumento quod datur. *l. Lucius. la seconda. §. tutelæ, & §. final. ff de admin. tutor. l. 1. C. si aduers. solut.*

3 Quod autem Franciscus, cui fuit facta solutio erat verus tutor Vlyssis probatur tum ex testamento patris Vlyssis, Tum ex eo, quod ille publice se pro tali gerebat, quod ad effectum inducendę liberationis sufficere videtur. *leg. si quis seruo. ff. de solut. Rota diuers. decij. 89. num. 9. part. 2.* Tum denique, quia fuit ab Vlysse vti talis approbatus, dum ab hæredibus d. Tutoris maior factus rationem administrationis exegit. *Castren. consilio 1. num. 3. lib. 1. Dec. consi. 261. num. 6. vers. Et qui exegit. Aym. consi. 204. num. 14.*

R. P. D. VBALDO.

Auersana Beneficij. Veneris 4. Iulij 1614.

ARGVMENTVM.

Agitur de concessione mandati de manutenendo facienda possessori beneficij, & hinc nonnulla ad materiam explicantur, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Mandatum de manutenendo dandum est docenti de sua possessione. nu. 1.

Possessio prouatur per instrumentum alio non possidenti. numero 1.

Beneficium resignans in manibus Papæ amittit omnes ius, omnem quæ possessionem ipsius beneficij. nu. 2.

Possessorium retinendæ est summarissimum, & in eo non attenditur, nisi simplex possessio, & nuda facti detentio. num. 3.

Sententia nulla etiam executioni mandata non priuat quem sua possessione. num. 4.

Mandatum de manutenendo datur etiam possidenti ciuiliter, & non naturaliter. nu. 4.

DECI-

DECISIO DCLX.

1 Domini dixerunt esse dandum mandatum de manutenendo Raphaeli, quia illud datur possidenti, §. *retinendæ. Instit. de interd. l. 1. §. huius autem, vbi Bart. in princ. & in §. quod ait prætor, num. 14. ff. vti possid. Couar. pract. q. c. 17.* & ipse satis docet de sua possessione per publicum instrumentum adeptæ possessionis, alio non existente in possessione, *l. prædia. ff. de acqu. possess. Rot. dec. 21. de restit. spoliat. in antiq. l. non idcirco, vbi Bald. C. de fid. instrum.* Fuit dictum in Mediolanen. Beneficij 27. Maij 1611. & in Augusten. Hospitalis 21. Februarij de eodem anno coram me, & alias sæpius.

2 Non obstat, quod tempore captæ possessionis per dictum Raphaelem Petrus Paulus Auersana esset in possessione. Quia iam ipse per liberam resignationem in manibus Papæ factam ex causa permutationis ad fauorem dicti Raphaelis amiserat omne ius, & possessionem, iuxta notata per *Innoc. in c. super hoc de renunciat. Rota decis. 2. de renunciat. in antiq.* Fuit dictum in Hispalen. Permutationis 4. Decembris 1595. coram Gipsio, & in Mutinen. Canonicatus 27. Martij 1602. coram Litta.

3 Minus obstat impetratio facta per Florillum ob nō expressionem veri valoris, quia hoc nihil commune habet cum hoc iudicio Summarijssimo manutentionis, in quo non attenditur nisi simplex possessio, & nuda facti detentio. *Couarr. pract. quæst. dict. cap. 17. sub numero 4. versic. in specie. Rota diuersor. decis. 641. numer. 8. part. 1.*

4 Non obstat sententia Nuncij ad fauorem dicti Florilli, quia quatenus fuisset executioni demandata, de quo non constat, nihil faceret, quia cum fuerit per duas decisiones coram me declarata nulla, & per primam etiam iniusta non priuasset dictum Raphaelem sua possessione, *l. fin. vbi gloss. & Doct. C. si per vim vel alio modo. Ruin. cons. 17. num. 5. lib. 5. Rota diuers. decision. 802. nu. 7. par. 1.* saltem possessionem ciuili, quę animo retinetur, cuius ratione competit manutentio. *Ias. in l. clam possidere. §. qui ad nundinas, num. 62. ff. de acquir. poss. cum alijs per Menoch. de retinen. remed. 3. num. 22.* Fuit dictum in Romana Vineæ de Rusconib. 28. Nouemb. 1611. coram R. P. D. meo Sacrato, & in Romana Domorum. 24. Februarijs 1612. coram me. Et ita decisum Raphaele solum informante.

R. P. D. VBALDO.

Meliten. Beneficij. Veneris 4. Iulij 1614.

ARGVMENTVM.

De probatione possessionis, quādo spoliatus redintegrari petit ad possessionem, qua spoliatus est, nonnulla notanda, de quibus in Summarijs.

SVMMARIVM.

Possessio probatur per instrumentum ad effectum manutentionis, num. 1.

Possessio probatur per locationem bonorum iunctis adminiculis, num. 2.

Spoliatus petens se restitui ad possessionem, quia se spoliatum dicit, censetur confiteri possessionem spoliantis. nu. 2.

Mandatum de manutenendo, datur etiam spoliatori, numer. 2.

Appellatione pendente sententia exequi non potest, num. 3. & num. 6.

Manutentio datur ratione ciuilis possessionis, quando quis non habuit se pro spoliato, nu. 3.

Statutum correctorium iuris communis extendi non debet, numer. 4.

Spoliatus non restituitur, nisi probauerit suam possessionem tempore spoliationis, nu. 5.

DECISIO DCLXI.

1 Domini dixerunt, mandatum de manutenendo dandum esse D. Equiti Berzetto in possessione beneficij, de quo agitur, quia de eius possessione constat ex publico instrumento adeptæ possessionis, quod plene probat possessionem vacantē, *leg. prædia, ff. de acquir. possess. Rota decis. 56. num. 1. par. 1. diuersor. & sæpe in alijs.*

2 Quæ possessio coadiuuatur ex instrumento locationis bonorum dicti beneficij factę à dicto Equite, quæ cum adminiculi probat, *Bart. in l. ad probationem, C. locati. Rota apud Seraphin. decis. 896. num. 2.* Quod vero d. possessionem retineret de tempore motæ litis probatur ex memoriali loco libelli dato per D. Equitem Cagnolum Aduersarium in quo petijt se redintegrari ad dictum beneficium, quo se dicebat spoliatum per Equitem Berzettum, & ex sententijs quę mādant Cagnolum reponi ad dictam possessionem. Ex his enim necessario infertur, quod possessio de tempore motæ litis esset penes Berzettum prætensum spoliatorem. *Abb. in cap. cum ad sedem num. 28. de restit. spoliat. Socin. in leg. rem, quæ nobis, numer. 16. ff. de acquir. possess. Menoch. de recuper. remed. 15. num. 383.* & alias certum est, quod etiam spoliatori datur manutentio. *Menoch. de retin. rem. vltimo, num. 18. Rota decis. 641. nu. 8. part. 1. diuers.*

3 Non obstant sententiæ ad fauorem Cagnoli, quarum vigore dicitur cepisse possessionem, quia stante appellatione ad Sanctissimum pro parte Berzetti, & litis introductione in Rota, non potuerunt executioni demandari c. non solum, de appellationibus in 6. & interim Berzetto, qui non se habuit pro spoliato competit manutentio saltem ratione ciuilis possessionis. *Menoch. retin. rem. 3. num. 22. Rota decis. 19. numer. 12. par. 2. diuers.*

4 Non obstat, quod in vim stabilimentorum Religionis Hierosolymitanæ duæ conformes habent executionem, etiam si fuerit appellatum, quia fuit respōsum, allegat. *cap. 22. tit. 7. de concil.* non loqui de appellatione interposita ad Papam, sed ad Concilium Generale, & cum sit correctorium iuris communis, non debet extendi. DD. in authen. quas actiones, *Cod. de sacrosan. eccles. Alex. cons. 167. num. 13. vers. nec etiam obstat. lib. 7. cum vulgarib.*

5 Accedebat etiam iniustitia dd. sententiarum, quæ mandant reintegrari Cagnolum ad possessionem beneficij, nec tamen constat vnquam illud possedisse cū alias primum extremū in spolio sit cōcludenter probandum. *Afflict. dec. 364. nu. 5. Rot. dec. 165. num. 1. par. 2.* Prior enim Cagnolus bene habuit ius conferendi dictum beneficium, prout illud contulit Berzetto, & vti collator pro se illud retinere non poterat.

6 Decisio in Camerinen. pensionis 22. Iunij 1594. coram Gipsio exemplo allegata videbatur non applicari; quia loquitur quando à sententia super delegatione manutentionis non fuit appellatum, vel non fuerat profecuta appellatio. Ideo non mirum, si fuerat amissa possessio: hic autem appellatio fuit interposita, vt supra dictum est. Et ita decisum.

R. P. D. VBALDO.

Sigina bonorum. 4. Iulij 1614.

ARGVMENTVM.

Statutum Vrbis, quod duæ conformes faciant rem iudicatam, habet locum etiam in vniuersitate litigante, dum-

te, dummodo sententiæ sint validæ. Secus si inualidæ, & apocha non archiuiata facit fidem, quando constat de legalitate Notarij, & cessat suspicio fraudis.

SVMMARIVM.

Sententia, à qua non appellatur, transit in iudicatum. num.1.
Sententiæ duæ conformes faciunt rem iudicatam vigore Statuti Vrbis, etiam inter Vniuersitatem, in eius districtu existentem. num.2.
Sententiæ duæ conformes faciunt rem iudicatam vigore Statuti Vrbis, quando sunt validæ. Secus si sint nullæ. num.3.
Apocha etiam non Archiuiata facit fidem, quando constat de legalitate Notarij, & cessat suspicio fraudis. num.4.

DECISIO DCLXII.

1 FVit dictum constare de re iudicata, cum quia non fuit appellatum à sententia Rotali vltimo loco lata. *Auth. hodie. C. de appellat. c. cum dilectus. in fin. de elec. c. quod ad consultationem. de re iudic. c. Romana. §. si vero. de appellat. in 6.* Fuit dictum in Romana Domorum. 19. Ianuarij 1611. coram Reuerendissimo Bononien. & in Romana locorum Montium. 25. Maij, & in Romana Pecuniaria. 27. Iunij 1611. coram me.

2 Tum quia dicta sententia est conformis sententiæ R. P. D. Bilij, & sic cum Ciuitas Signina sit in districtu, vt deponunt testes in hac causa examinati, intrat dispositio *Statuti Vrbis lib. 1. c. 178.* quod duæ conformes inter ciues, incolas, & districtuales habeant vim trium, & faciant rem iudicatam. *Rot. diuers. decis. 37. num. 1. p. 3. lib. 2.* fuit dictum in dicta Romana Domorum. 19. Ianuarij 1611. coram Reuerendissimo Bononien. & in dicta Romana locorum Montium coram me.

3 Non obstat, quod Statutum intelligatur de sententijs validis, & iustis, vt fuit dictm in Bononien. de Ghelis. 9. Iunii 1610. coram R. P. D. meo Coccino, quia de illarum validitate non dubitatur, & de earum justitia patet ex concordia inter partes inita super hereditate quondam Francisci, & Pomponij, quæ concordia fuit canonizata per duas decisiones coram bon. mem. Penia.

4 Nec videtur obstare, quod apocha transactionis non sit Archiuiata, quia fuit responsum, Bullam Archiuij non esse in vsu, quando constat de legalitate Notarij, & cessat suspicio fraudis, prout in casu nostro. *Put. decis. 304. lib. 1.* Et ita fuit decisum Panetio, & consortibus tantum informantibus in magna Liuij aduersarii contumacia.

REVERENDISSIMO P. D.

COCCINO DECANO.

Romana Mensæ Nummulariæ. Mercurij 30. Iulij 1614.

ARGVMENTVM.

Feminæ an, quando, & quomodo sint incapaces officiorum publicorum, seu priuatorum, & quando veniunt appellatione filiorum, hæredum, successorum, posterorum, & simium, & quando feminis exclusis censeantur etiam exclusi masculi feminarum filij.

SVMMARIVM.

Mensa Numularia est similis officijs, quæ olim in Ciuitate exercebantur. num.2.
Officium dicitur publicum quorum Officiales eliguntur à Papa. num.3.
Gabellas exigere, illasque Cameræ soluere officium publicum est. num.3.
Mulieres sunt incapaces omnium officiorum ciuilium, & publicorum, etiam quod officium sit publicum auctoritate, licet vtilitate priuatum, & etiam quando officium est priuatum auctoritate, & vtilitate. num.4.
Mulieres sunt incapaces exactionis gabellæ, & propterea non succedunt in conductione vectigalium. nu.5.
Feminis exercitium mensæ nummulariæ non conceditur propter honestatem, & quia illis propter immaturitatem iudicij habilitas non conuenit. num.6.
Gabellas exigere est munus mere personale. nu.7.
Munera personalia in Romana Curia ad Cameram spectantia feminis non conceduntur. num.7.
Dictio alium repetit qualitatem, & similitudinem in substantia. num.8.
Virorum appellatione non veniunt feminæ. num.8.
Continuatio debet censeri facta in eodem statu, in quo quis existebat de tempore concessionis. num. 9.
Feminæ possunt esse capaces tituli, licet non sint capaces exercitij, quando possunt exercere per alium. nu.10.
Dictio illi est relatiua, operaturque specialem relationem ad supra expressa. num.11.
Feminæ propter iudicij immaturitatem non dicuntur habere aliquam habilitatem. num.12.
Feudi successionis sunt etiam capaces feminæ, quando in inuestitura fuit data facultas inseruiendi per alium. Declara, vt num.13.
Filiorum appellatione veniunt feminæ per extensionem, non autem ex propria verbi significatione. nu.14.
Filiorum appellatione non veniunt feminæ in materia differenti ex natura rei, & ex mente concedentis. nu.14.
Filiorum appellatione non veniunt feminæ in concessione officiorum. num.15.
Hæredum, & successorum appellatione non veniunt feminæ in materia differenti. num.16.
Filiorum, & hæredum appellatione coniunctiue vocatorum quando veniant feminæ. nu.17. & 18.
Emphyteusis concessa pro filijs, & hæredibus numquid transeat ad feminas. nu.18.
Posterorum, seu familiæ appellatione feminæ non comprehenduntur in materia differenti. num. 19.
Priuilegia sunt stricte interpretanda. nu.20.
Beneficia Principis licet sint late interpretanda, interpretatio tamen debet esse talis, quæ non augeat concessionem, nec comprehendat illos, qui in ea comprehensi non sunt. num.21.
Feminæ vbi sunt exclusæ in aliqua concessione, censentur etiam exclusi feminarum filij. nu.22. Vbi præsertim quando concessio fuit facta fauore familiæ.
Descendentium, vel hæredum masculorum appellatione num. quid veniant masculi, nati ex femina. num.22.
Concessio facta Motu proprio intelligenda est, prout iacet. num.24.
Verisimilis mens concedentis semper attendenda est in concessionibus. nu.24.

DECISIO DCLXIII.

1 LEo X. recol. mem. concessit Iacobo de Frangipanibus ius, & facultatem tenendi, & exercendi vnam mensam nummulariam in foro Piscium per hæc verba, tibi pro te, tuisque filiis hæredibus, & successoribus de tuo corpore recta linea descendentibus in perpetuum ius, & facultatem vnam mensam nummulariam in foro Piscium per te, & successores tuos predictos, seu alium virum integrum, & fidelem, quem tu, & illi respectiue ad hoc duxeritis pro tempore deputandum tenendi, & exercendi concedimus. Cumque vltimo loco decesserit Hieronymus vltimus masculus

masculus relicta D. Laura filia nupta D. Ludouico de Matthæis, Dubitatum fuit in Camera coram D. Vidono, An dicta Laura esset comprehensa in dicta concessione, & sic An sententia Illustrissimi Cardinalis Prothesaurarij esset confirmanda, & cum Domini Clerici non fuerint concordes, placuit Sanctissimo D. N. transmittere ad nos informationes, & responsiones pro vtraque parte datas, & expresse iniungere, vt pro veritate sententiam diceremus, & dubio per me proposito in Congregatione supradicta die, matureque discusso concordi voto fuit resolutum feminas, & sic Lauram non esse comprehensas in dicta concessione Leonis, & propterea ius alteri concedendi esse deuolutum ad Cameram, & hoc siue attendamus naturam rei, siue mentem concedentis.

2 Nam quantum attinet ad naturam, certum est, istud ius tenendi, & exercendi hanc publicam mensam esse simile officijs, quæ olim in Ciuitate exercebantur, de quibus *in l. 2. iuncta gl. fin. de nund.* quæ ad instar Argentariæ esse dicit Budæus *in l. si hominem. §. quoties. col. 5. vers. horum nunc inster fere sunt. ff. deposit.* & per consequens dicitur officium publicum, vt de communi contra *glos. in l. prætor. §. etsi seruus. in ver. potest. & in l. Argentarius. in ver. publicam. ff. de eden.* testatur *Plautius. in Rubr. C. de eden. cap. 9. in princ. & cap. 10. nu. 4. & in l. 1. eod. tit. cap. 6. num. 3. & seq. lib. 2. & de veriori opin. Roncegall. in l. eandem. nu. 144. vers. arbitror tamen. ff. de duob. reis & contrarijs respondet Alphan. in Rubr. C. de eden. nu. 24. & 25. & Fachin. cont. iur. lib. 11. cap. 86.*

3 Quod præcipue est dicendum, tum quia illi de Frãgipanibus officiales, & exercitores huius mensæ fuerunt electi ab ipso Papa, quo casu huiusmodi officiũ dicitur publicum. *Roffred. in tract. ord. iud. par. 3. rubr. de Action. in fact. ex edict. de eden. num. 2. vers. iura enim. Ronchegall. in d. l. eandem. num. 144. versic. arbitror tamen. ff. de duob. reis, & sentit Aretin. in cap. primo, num. 20. de probat. & Castren. in l. prætor. in princip. ff. de eden.* Tum quia vt patet ex eadem concessione exigunt Gabellam, eamque Cameræ soluunt, quod est officium, seu munus publicum. *Castr. in cons. 468. colum. 2. ante fin. vers. & ideo præsupposito,* ibi habere aliquod officium in gabellis. *lib. 1. Luc. de Penna in l. vnic. col. 1. ante fin. vers. an ergo cogitur. C. de mulier. & in quo loc. lib. 10. quem sequitur Dec. in l. feminæ. nu. 23. vers. 10. non potest. ff. de reg. iur.*

4 Vnde sequitur mulieres istius officij, seu mensæ esse omnino incapaces, vt est *tex. in verbis in l. feminæ. ff. de reg. iur.* Vbi quod feminæ remotæ sunt ab omnibus officijs ciuilibus, & publicis, *& not. Dec. ibid. num. 2. cum pluribus seq. Petr. Fabr. ibid. post princip. vers. deinde officia publica. Mainer. num. 19. & seq.* Vbi idem dicit, nedum quando officium est publicum authoritate, & vtilitate, sed etiam quando est publicum authoritate, vtilitate tamen priuatum, & regulariter etiam, quando est priuatum authoritate, & vtilitate, ad idem est tex. in l. 1. in princ. Vbi quod ciuilia officia feminis adempta sunt, & in *l. 2. in princip. ff. ad Velleia. l. 1. §. sexum. ff. de postul. Caldas. de iur. emphyt. lib. 3. cap. 15. num. 21. in fin. Celsus Vga cons. 16. nu. 19. Syluan. cons. 1. nu. 8. & 9.*

5 Et præcipue propter dictam exactionem Gabellæ, quod mulieres sint illius incapaces dicunt *Luc. de Penna. & Dec. loc. præcit. Alberic. in l. adeo. alias ideo. num. 2. ff. pro soc.* Vbi quod mulieres non succedunt in conductione vectigalium, cum non sint idoneæ ad tales conductiones, & quod ita fuit iudicatum Parmæ, cuius dictum sequitur *Martin. Lauden. de fisco. q. 190. Peregr. de iur. fisc. lib. 6. tit. 5. num. 10.* & bene ad propositum *Ioan. Gœddeus consil. 24. numer. 94. inter cons. Academiæ Marpurgi.*

6 Quantum vero attinet ad mentem concedentis clara colligitur ex lectura ipsius cõcessionis. Ex ea enim apparet Papam contemplatum fuisse Valerium exercuisse, & Iacobum tunc exercere, filiosque & successores esse exercituros in proœm. ibi tenueritis, & exercueritis, &c. & inferius tenen. & exercendi, & ibi prout tu tenes, & exerces, &c. nec non ibi, pro vestri laboris mercede, & inferius ibi, hæc cura nulli melius quam tibi, & etiam ibi hactenus probe, & assidue gessistis, & inferius, tenendi, & exercendi, ac etiam ibi, vt idem negotium exercere, & per consequens cum cõtemplatus fuerit exercitium tam in illis, qui iam antea retinuerant hanc mensam, quam in eis quib. concedebatur, non censetur in hac concessione voluisse comprehendere feminas, quibus nec exercitium propter honestatem, nec habilitas propter immaturitatem iudicij conuenit, vt tradit *Luc. de Penna in l. vnic. sub num. 3. C. de mul. & in quo loc. lib. 10. Dec. in d. l. feminæ. num. 121. ff. de regul. iur. Castrens. cons. 166. num. 2. vers. videtur etiam. lib. 1.*

Quod multo magis est dicendum propter dictam exactionem Gabellæ Cameræ Apostolicæ debitam, quam non est aliquo modo verisimile, Summum Pontificem voluisse feminis concedere, cum hoc sit munus mere personale, vt inquit *Luc. de Pen. vbi supra vers. item quia sexus,* & maxime, quia similia officia, Romanæ Curiæ spectantia ad Cameram feminis concedi non solent, quod ad istum effectum multum attenditur, vt in similibus officijs dicit *Castr. cons. 166. n. 2. vers. videtur etiam. lib. 1. Peregr. de iur. fisc. lib. 1. tit. 2. nu. 102. in fin.*

8 Idque comprobatur ex alijs verbis ibi per te, & successores prædictos, seu alium virum, ponderando verbum alium, quod cum repetat qualitatem, & similitudinem in substantia. *Felin. in cap. sedes. num. 6. vers. dictio alius. de rescript. Alex. cons. 1. nu. 10. lib. 4. Anchar. cons. 361. nu. 5.* & bene ad propositum *Soc. sen. cons. 300. col. 3. vers. tertio principaliter, lib. 2. Honded. cons. 7. num. 31. & cons. 8. num. 52. post med. vers. & dictio illa alij libr. 2. Surd. cons. 21. n. 13. & 14. lib. 1.* dicendum est Papam intellexisse etiam principalem debere esse virum, cuius appellatione non veniunt feminæ. *Ias. in leg. si quis id quod nu. 20. ff. de iurisd. omn. iud. Dec. in d. l. feminæ. nu. 97. vers. idem. ff. de reg. iur. Sylua. cons. 1. nu. 8.* Vbi quod verbum vir est formaliter mulieris exclusiuum.

9 Pro quo etiam fuit consideratum, quod Valerius exercuerat, & Iacobus gentili quodam munere probe, & assidue gerebat istam mensam de tempore concessionis, vt in eadem concessione dicitur, ex quo colligitur Leonem, nihil aliud facere voluisse, quam mediante priuilegio continuare eandem mensam in eisdem de Frangipanibus, & eorum successoribus priuatiuo quo ad alios, quæ voluntas continuandi similiter colligitur ex illis verbis, ibi, ipsius mensæ vsus firmus, & stabilis permanebit, & ex hoc contrahentium huiusmodi commoditas conseruabitur, &c. Ista autem continuatio debet censeri facta in eodem statu, in quo existebat de tempore concessionis. *leg. sed & si manente. ff. de precar. leg. Labeo. la seconda. §. hæc autem ff. de arbit. Bart. in l. 1. §. & post operis. num. 5. versic. sed si in banum. ff. de nou. oper. nunc.* & sic pro masculis tantum, prout erant Valerius, & Iacobus, qui eam tenuerant, & exercuerant.

10 Non obstat, quod Leo in ipsa concessione dederit facultatem exercen. per alium, & per consequens dicendum sit feminas esse capaces tituli, licet non sint capaces exercitij, quod possunt per alium facere, vt in Argentaria tradunt *Doct. in l. 1. C. de eden.* quia quicquid sit de veritate huius opinionis, vt patet ex trad. per Dec. ibid. n. 12. vers. non obstat, quod seruus. cum alijs adductis pro Camera, obiectum in casu isto videtur cessare ex lectura ipsius concessionis, in qua Papa non concedit aliquem titulum distinctum ab exercitio, sed ius, & facultatem tenendi, & exercendi dictã mensam per se ipsos, vel per alium virum integrum, & fidelem, & ideo si feminæ non sunt capaces tenen. & exercen. hanc mensam per se ipsas, vt supradictum est, satis patet eas esse incapaces huius concessionis,

sionis, cum in omnem euentum saltem habitu deberent habere possibilitatem illam exercendi, dum Papa considerauit, quod actu possint. *Bald. in proœm. ff. nu. 6. vers. circa hoc membrum.*

11 Pro quo etiam faciunt illa verba concessionis ibi per te, ac filios, & successores prædictos, seu alium virum, &c. quem tu, & illi respectiue duxeritis deputandum, &c. ex quibus patet, quod facultas inseruien. per alium est concessa tantum illis, quibus supra concessa erat possibilitas exercen. per se ipsos, ponderan. verbum illi, quod tanquam relatiuum operatur specialem relationem ad supra expressos. *Bald. in l. fin. nu. 4. C. de impub.* & alijs sub. quod etiam suadetur ex alijs verbis, seu alium virum, &c. supra ponderatis, quæ ostendunt etiam principalem, cui dicta facultas reperitur concessa debere esse virum, cuius appellatione non veniunt feminæ ex *Ias. Dec. & alijs supra alleg.*

12 Vlterius fuit consideratum, quod masculi licèt exerceant per alium, tamen ministerio melius assistunt etiam pro vtilitate publica, quam feminæ, præsertim cum alius vir deputandus debeat esse integer, & fidelis, vt dicitur in ipsa concessione, pro qua electione, requiritur habilitas etiam in ipso eligente, vnde tanto minus est dicendum, Papam voluisse concedere dictam facultatem inseruien. per alium feminis, in quibus aliqua habilitas non reperitur propter immaturitatem iudicij ex *Dec. in d. l. feminæ. num. 121. ff. de reg. iur.* cum alijs supra alleg.

13 Et ex his patet responsio ad simile adductum de feudo, cuius feminæ sunt capaces, quando est data facultas inseruien. per alium. *Card. Mant. de tac. & ambig. conuen. lib. 23. tit. 15. nu. 40.* quia illa conclusio non habet locum, quando in concessione fuit electa industria personæ masculi, prout fuit electa in casu isto vt supra probatum est, & ita declarat idem Mantic. ibidem, & bene *Ruin. cons. 18. num. 17. & consil. 24. nu. 7. lib. 1.* & cessat difficultas, quia ex prædictis constat quod dicta facultas inseruien. per alium est concessa ipsis masculis, qui poterant per se ipsos, & consequẽter ex ista facultate deputandi non possunt iuuari feminæ, ex *Ruin. supra alleg.*

14 Nec in contrarium visum fuit obstare, verba illa concessionis pro feminis ponderata, nempe filijs hæredibus, & successoribus de tuo corpore descenden. quia quo ad verbum filijs, licet eorum appellatione per extensionem, non autem ex propria verbi significatione veniant feminæ, vt dicunt Doct. communiter relati, per *Gabr. de verb. signific. conclus. 6. num. 39.* tamen cum ex prædictis constet, nos versari in materia differenti, tam ex natura rei, quam ex mente concedentis, sub nomine filiorum non veniunt feminæ. *Bart. in l. 1. num. 1. versic. aut de mente non constat. ff. de verbor. signific. Bald. in l. seruus. versic. simile dicimus. C. communia. de success. & in l. in multis. num. 2. ff. de stat. hom. Salic. in l. quicumque. num. 1. vers. tamen latius. C. de seru. fugit. Imol. in l. si ita sit scriptum num. secundo. ver. in gl. & seq. ff. de leg. 2. Card. in Clem. 1. nu. 7. post medium, vers. aliquando de mente non constat. de elect. Ias. in l. si quis id quod nu. 11. ff. de iurisdict. omn. iud. Corn. cons. 224. nu. 5. vers. & similiter masculinum. lib. 2. Syluan. d. cons. 1. n. 12. & seq. & est communis, & indubitata concl. Tiraquel. de retract. lignag. §. 1. gl. 9. nu. 197.*

15 Et in specie, quod in concessione officiorum sub nomine filiorum non veniant feminæ. *Bald. in cap. ad audientiam. il primo. num. 12. vers. sane in officijs de rescript. Decian. in d. l. feminæ. num. 121. ff. de reg. iur. Ias. in d. l. si quis id quod num. 14. limit. 4. & in l. tres fratres. num. 14. limit. 8. ff. de pact. Tiraquel. de legib. connubial. in l. 1. gloss. 1. part. 1. num. 82. Gabr. de verb. signif. conclus. 6. num. 61. vers. quarto infertur. Caldar de iure emphyt. libr. tertio, capit. 15. num. 21. in fin. Celsus Vgo. consil. 16. num. 19. Peregr. consil. 8. numer. 16. lib. quinto.* Vltra quod ad huiusmodi effectum non requiritur, quod feminæ sint omnino incapaces, sed sufficit, quod materia magis conueniat masculis, quam feminis. *Guido Pap. singul. 522. Sylu. d. cons. 1. nu. 12. ad fin. versic. imo fortius. & seq. Gabr. vbi sup. num. 56.*

16 Quo vero ad alia verba hæredibus, & successoribus de tuo corpore descendentibus, & si dicantur magis communia, tamen fuit responsum, quod in materia differenti, nec etiam sub dictis nominibus veniunt feminæ. *cap. 1. §. & si clientulus. de alienat. feud. cap. 1. §. perfecto. de leg. Corrad. capit. 1. §. hoc autem. qui feud. dar. poss. cap. 1. §. filia. de feud. success. & dicunt Bald. in l. quoties. num. 3. C. de suis. & legit. hær. Aluarot. in cap. 1. §. fin. num. 1. vers. ibi hæredibus scilicet filius masculis, & num. seq. si de feud. fuer. controuer. Castr. in l. maritum. num. 7. versic. & prædicta vera. ff. solut. matrim. Paris. consil. 72. num. 6. & 7. & 33. vers. adhuc etiam lib. 4. Roland. cons. 71. num. 39. lib. 2. Zas. de feud. par. 8. num. 36. Gabriel. d. conclus. 6. num. 40. vers. limita. Surd. dec. 65. num. 4. versic. hinc dicimus. Cardin. Mantic. de tacit. & ambig. con. lib. 23. tit. 14. in princip. & num. 12. & sequen.* qui Doctores. licèt loquantur in feudo, tamen optime applicantur ad istam materiam differentem, cum non possit dari diuersitatis ratio. *Castrens. cons. 166. n. 2. vsque ad fin. lib. 1.* & generaliter in qualibet materia differenti loquitur *Natta, cons. 676. num. 9. lib. 4. Celsus Vgo d. cons. 16. nu. 19. & 20.* Vbi dicit hanc conclusionem esse marmoream.

17 Præterea placuit Dominis alia responsio, quod verbum hæredibus intelligatur coniunctiue cum verbo filijs, etiam quod adesset copula &, secundum communem sententiam, de qua *Couarr. variar. resol. lib. 2. cap. 18. num. 3. Paris. cons. 48. nu. 10. lib. 4.* & dixit Rota in causa Ceruien. Bonorum 14. Februarij 1583. coram Card. Seraphino, quod maxime procedit cum verbum hæredibus, sit positum absque copula, quo casu magis qualificatur ex verbo filijs, ita vt dispositio absque dubio sit intelligen. de filijs masculis hæredibus. *Pinel. in l. 1. par. 3. nu. 90. vers. inde etiam infertur. C. de bon. matern.* & fuit dictum coram me in causa Romana Emphyteusis 28. Nouembris 1603. & propterea cum verbum commune hæredibus appositum filijs intelligatur de masculis, ita debet intelligi verbũ successoribus descendentibus ex quo vocantur ceteri, cum sit appositum in eadem oratione. *Bartol. in l. Seia. §. Caio. num. 3. & 5. ff. de fund. instr. & in l. prætor. la seconda. §. eritque differentia. in princip. vers. quandoque lex. ff. vi bo. rapt.* & hanc esse veriorem, & communem opinionem, dicit *Franc. Aret. cons. 1. nu. 12.* maxime quia si aliter diceretur resultaret absurdum, quod descendentes feminæ ex filijs Iacobi essent melioris conditionis, quam propriæ filiæ, vt considerat *Ias. in l. tres fratres. n. 8. in fin. vers. certe appellatione nepotum, vbi optime ad propositum. ff. de pact. Rimin. sen. consil. 179. nu. 4. & seq. lib. 1.* cuius dictum in hac materia differenti absque dubio probari potest, dum tenet simpliciter, quod verbum, filijs, declarat verbum commune hæredibus, & successoribus, prout idem voluerunt *Curt. iun. in cons. 319. nu. 24. & seq. Cephal. cons. 11. nu. 15. & 22. Hier. Magon. dec. Lucis. 7. num. 26. cum seq. Capic. de inuest. feudi in tit. feud. clausulæ. col. 6. ver. quod autem. pag. mihi 95. Gabr. cons. 69. nu. 9. & 10. lib. 2. Menoch. consil. 585. nu. 1. & seq. lib. 6.*

18 Minus etiam facit, quod in emphyteusi concessa pro filijs, & hæredibus veniant feminæ saltem sub nomine hæredum ex alleg. per *Surd. cons. 140. nu. 22. & est decis. bon. mem. Iusti. in causa Bononien.* deuolutionis 14. Ianuarij 1602. Nam fuit responsum, quid isti Doct. loquuntur retenta opinione *Bartoli in l. Gallus. §. si parente. ff. de liber. posthum.* quod dicta verba, pro filijs, & hæredibus, stent disiunctiue quæ opinio cum sit communiter reprobata, vt supradictum est, visum fuit esse admittendam contrariam opinionem, quod scilicet verbum hæredibus qualificetur ex verbo

verbo filijs, vt deciditur in allegata decisione bon. memoriæ Card. Seraphini in causa Ceruien. bonorum, in qua articulus fuit ex professo examinatus, & ponderatur, quod aliqui ex supradictis Doctorum loquuntur in concessione facta pro, & hæredibus, & sic in diuersis terminis, & vtcumque sit, loquuntur in materia indifferenti, scilicet in emphyteusi, cuius siue sit Ecclesię, siue priuati, mulieres capaces sunt, vt est communis opinio de qua Berous in capite in præsentia, *num.401.& seq. de probat. Clar. in §. emphyt. q. 32. num.1. & 2. Surd. decis.95.num.14.& quamuis Alex. conf. 160. lib.2. Peregr. de iur. fisc. lib.1. tit.2. num. 102.& Surd. d. consil.140.* loquantur in alijs concessionibus, tamen vt patet ex eorum lectura, fundatur in opinione aliorum supra allegatorum Doct. sed quicquid dicendum sit in alijs casibus, non loquuntur in materia differenti, nec quando repugnat mens concedentis, prout in casu isto, vt patet ex prædictis.

19 Non obstant verba Procemij posteris, familiæ, & personæ, quia vltra quod in materia differenti sub illis non comprehenduntur feminæ, *Tiraquell. de retract. lignag. §.1. glos.9. num. 242. & 243.* nomen autem autem familiæ interpretandum est secundum subiectam materiam. *Rebuff. in l. familiæ. 196. colum.2. versic. verum, ff. de verbor. signific.* In dispositiua Leo declarauit de qua persona, familia, & posteris intellexerit, quæ est attendenda. *Bart. in l. Aurelio. §. Sticho ff. de lib. lib. leg. Dec. conf.28. num.3.* & tenuit Rota in causa Pacten. pensionis 25. Octobris 1593. coram bon. mem. Card. Pamphilio.

20 Quę omnia eo magis procedere debent, quia non agitur de beneficio, vel alia concessione fauorabili, sed de priuilegio, vt expresse legitur in ipsa concessione, ibi speciali priuilegio, &c. *Dec. conf.32. num. 3. versic. non obstant ergo allegata. Natta consil.49. numer. 14.* eoque odioso, & pręiudiciali saltem respectu aliorum qui similes mensas retinere potuissent, ac etiam pisces vendentium, & ementium, quia si adessent plures mensæ inuenirentur, qui pro viliori pretio præstarent operas, & propterea stricta facien. est interpretatio. *Innoc. in cap. quod dilectio. de consanguin. & affin. & ibi ceteri scriben. præsertim. Alex. de Neuo, num.5. vers.2. solutio. Dyn. in c. quæ à iure communi. num.3. & 4. de reg. iur. in 6.* Nam etsi iste officialis videatur similis officialibus, de quibus *in l.2. ff. de nundin. & similis argentarijs, tamen ille text.* non est restrictus ad vnum officialem, & Argentarij erant plures, *vt in l. qui tabernas, ff. de contrah. empt. gl. in l. quædam. §. nummularios, in vers. decurritur, ff. de eden. Ronchegal. in l. eandem in princ. nu. 194. vers. arbitror tamen. ff. de duob. reis.*

21 Ex quibus etiam respondetur ad illud, quod beneficium sit late interpretan. quia vltra quod non versamur in beneficio, vt dictum est, interpretatio debet esse talis, quæ non augeat concessionem, vt comprehendat illos, qui in ea non sunt comprehensi, & sic, quod in ista materia differenti comprehendat feminas. *Decius. consil.223. in fin. vbi eleganter.* Hinc videmns, quidam licet feudum sit beneficium. *Natta. conf. 159. num.10.* attamen in eo sub nomine filiorum hæredum & successorum non veniunt feminæ, vt supra probatum est, & quamuis in aliquibus casibus veniant, hic tamen non datur casus, vt feminæ comprehendantur vt pariter abunde supra probatum est.

22 Et ita etiam cessat alia prætensio, quod saltem filij masculi ex feminis censeantur in dicta concessione comprehensi, quia cum ex prędictis constet feminas esse omnino exclusas, ita remanent exclusi earum filij, *l. si viua matre. cum ibi not. C. de bon. mater. Ruin. conf. 18. num.5. lib.3. Cremen. sing.21. & ibi adden. Tiraquell. qui innumeros citat. de primogen. quæst.12. num.16.& q. 13. nu. 6.* Quæ conclusio in præsenti in visa fuit Dominis absque dubio procedere, tum quia concessio Leonis fuit facta intuitu, & fauore familiæ de Frangipanibus & ideo non possunt dici comprehensi masculis ex feminis, qui sunt de aliena familia. *Ruin. d. conf. 18. num. 5. ante medium, vers. vel vltra eum. libr. 3. Mandel. conf. 86. sub numer.4. libr.1.* alias enim transire ad plures familias, contra voluntatem concedentis, qui vni tantum familiæ, concedere voluit, vt legitur in procem. ibi si alicui certæ familiæ, &c. quod non est dicen. ad *text. in leg.4. §. toties, & ff. de damn. infect. & considerat Grat. conf.120. num.16. versic. quinto, considero, lib.2.* Tum quia versamur in priuilegio, in quo masculus ex femina appellatione descendentium, vel hæredum masculorum non venit. *Alex. conf.56. num. 5. in princ. libr.1.* presertim in priuilegio odioso, & tertio præiudiciali. *Dec. consil.123. num.4. ante medium, versic. item fallit,* & probatur *ex text. in l.1. ff. de iure immun. Berous conf.96. num.13. lib.1. Io. de Imol. conf.62. incipit, post exhibitum, sub nu.5. vers. item fallit, & nu.6. Vinc. de Franc. dec. 207. num.6.*

23 Et pro huiusmodi interpretatione multum faciūt Breuia Sixti V. & Sanctiss. D.N. in quibus non solum habetur, quod concessio Leonis est pro masculis, sed vlterius in illo Sanctiss. D. N. ipsi de Frangipanibus narrarunt, quod per deficientiam eorum lineæ masculinæ ista mensę erat deuoluen. ad Cameram Apostolicam, quod bene deseruire potest p ro declaratione, etiam vbi verba essent dubia. *Dec. conf. 193. sub nu. 6. vers. & hoc multum confirmatur. Paris. consil. 23. num. 24. in fin. libr.1. Menoch. qui alios citat. consil. 191. numer. 48. libr.2. & est decis. Cardin. Seraph. 183. num. 5.* & ista Breuia fuerunt etiam acceptata per illos de Frangipanibus, tum per registrationem in Camera pro eorum parte facta. *Felin. in cap. cum venerabilis, num.22. & Dec. num.22. alias 90. de except.* tum per illorum vsum, iuxta tradita per *Dec. in l. semper qui non prohibet. num.8. & seq. ff. de reg. iur.*

24 Tandem non releuat, literas Leonis fuisse concessas Motu proprio, & propterea esse intelligenda, prout iacent, vt post alios dicit *Surd. conf.140. nu.59. & seq.* quia etiamsi essent intelligendæ, prout iacent, nihilominus sub dicto verbo filijs iunctis alijs verbis communibus non venirent femine, nec descendentes ex eis, cum materia sit differens, vt dictum est. Nam in istis concessionibus semper est videndum, an materia sit differens, vel indifferens, vt dicit *Tiraqu. de retract. lignag. §. 1. glos. 9. num. 237.* Vbi quod hic est cardo totius istius materiæ, prout etiam præcipue attenditur verisimilis mens concedentis. *Bart. in leg.1. num.1. vers. aut sub nomine appellatiuo, ff. de verb. signific. Imol. in l. si ita sit scriptum, num.3. post medium, alias sub num.8. vers. si autem constaret de mente. ff. de l.2. Card. in Clem.1. num.7. circa med. versic. si autem. de elect.* Vnde cum ex prædictis apparet, tam ipsum Leonem concedentem, quam Pontifices successores, & ipsos de Frangipanibus censuisse, solum de masculis familię de Frangipanibus cessat omnis controuersia, *leg. continuus, ff. de verb. obligat. cum vulgar.*

REVERENDISSIMO P. DOM. DAMASCENO.

Romana literarum Cambij. Lunæ 1. Nouembris 1614.

ARGVMENTVM.

Mercator non tenetur soluere literas cambij sibi directas, si eas non acceptauit, quando, & quomodo hæc acceptatio probetur.

SVMMARIVM.

Mercator non potest cogi ad soluendum literas cambij sibi remissas nisi prius illas acceptauerit. nu. 1.
Mercator tacite dicitur acceptasse litaras cambij, quando eas acceptas penes se retinet sine contradictione, nu. 2.
Testis vnicus nihil probat, nu. 3.
Testis fustigatus, & ad triremes transmissus, tanquam infamis est inhabilis ad testificandum, nu. 4.
Testis periurus in interrogatorijs sibi factis in totum repellitur. nu. 5.
Testes nepotes ex sorore non probant pro auunculo, numero sexto.
Confessio extraiudicialis probanda est per testes integros, & contestes. uu. 6.
Testibus rei magis creditur, quam testibus actoris, numero septimo.
Promissio vni facta, alteri ius non acquirit, nu. 8.
Promissio omnis intelligitur rebus stantibus in eodem statu, num. 9.

DECISIO DCLXIV.

1 COmmendator Minalis præsentauit Carpianis Mercatoribus Vrbis literas cuiusdam Francisci Villæ Mercatoris Ianuensis, per quas dictus Franciscus mandabat dictis Carpianis, vt soluerent prætato Commendatori Scuta sexcenta auri ad nundinas proximas apparitionis. Verum quia dictus Franciscus, antequam veniret dies solutionis, decoxit, & propterea Carpiani recusarunt soluere literas, fuit dubitatum, an dictæ literæ essent executioni demandandæ, & pro negatiua tentum fuit, quia vt mercator, ad quem sunt tractæ literæ cambij, cogatur soluere, requiritur acceptatio. *Salic. in l. pro debito. num. 4. C. de bon. auth. iud. poss. Bart. in l. singularia. nu. 19. ff. si cert. petat. Simon de Pret. cons. 87. nu. 19. & 20. lib. 1. Bursat. cons. 39. nu. 3. lib. 1. Mascard. de probat. concl. 989. nu. 7. par. 2. Rot. Ianuen. dec. 104. num. 9. Rot. diuers. dec. 811. per tot. par. prima.*

2 De prædicta autem acceptatione visum fuit non constare, non quidem tacite, & per retentionem, sine contradictione literarum penes se iuxta cumulata per *Rotam diuers. d. dec. 811. num. 9.* cum pluribus sequent. parte prima, quia ista retentio non allegatur pro parte Commendatoris.

3 Non etiam probatur acceptatio expressa, vel per scripturam à tergo literarum, vt sæpe fieri solet, vel etiam per testes, nam quantum ad scripturam à tergo illa non reperitur facta, Quantum ad testes visum fuit Dominis, quod non probent, etenim quo ad actum præsentationis adducitur pro parte Commendatoris vnicus testis, deponens de dicta acceptatione cui Domini nullam habuerunt fidem, quia vnicus. *cap. licet. cap. veniens. cap. iusiurandum. de test. Natt. cons. 31. nu. 3. lib. 1.* Rot. in Rom. nullitatis contractus, 9. Iulij 1604. coram Reuerend. Bononien. familiaris, & mercenarius. *Decian. consil. 94. num. 2. Rot. in nou. decisione 12. cum alijs per Farinac. de test. quæstio. 55. num. 135. & sequent.*

4 Item alias fustigatus tanquam latro, & ad triremes transmissus, per quæ effectus est infamis, & inde inhabilis ad testificandum. *leg. fustibus. Cod. ex quibus cau. infam. irrogat. Farinac. de test. quæstio. 56. nume. 456. Gabriel. conclus. 19. num. 10. de test. Rot. diuers. dec. 343. num. tertio.*

5 Præterea periurus siquidem interrogatus, an alias fuerit inquisitus, vel carceratus negat, præterquam de carceratione per vnam diem, vel noctem, & proinde tanquam periurus propter indiuiduitatem iuramenti repellitur in totum. *l. si quis maior. C. de transact. Paris. cons. 53. num. 24.* & quidquid posset probari, adest in contrarium vnus testis examinatus pro parte mercatorum omni exceptione maior, ex quo contra illius personam nihil opponitur, qui deponit de verbis prolatis per mercatores in actu præsentationis quæ concludunt recusationem, dicit enim Carpianum respondisse, quod similes literæ non acceptantur, nisi per diem, vel triduum post literas nundinarum, & quod eodem tempore fit acceptatio, & solutio, & quod Commendator deberet redire suo tempore, & interim ipse videre volebat, an haberet in manibus, ita vt soluere posset.

6 Quo vero ad alios duos testes deponentes de confessione extraiudiciali Carpiani, quod literas acceptauerit, visum fuit pariter Dominis minime posse fieri super illis fundamentum, tum quia non integri, ex quo sunt nepotes ex sorore, ad tradita per *l. parentes. C. de test. Socin. sen. cons. 229. num. 9. vers. 4. lib. secundo Bursat. consil. 230. num. 167. lib. 3.* Rota in Romana census 29. Aprilis 1611. coram Reuer. P. D. Pirouano, tum quia non sunt contestes de loco, tempore, & verbis, vnde tanquam singulares minime probant *Cæsar. de Grass. dec. 97. alias 4. num. 3. & 4. de sent. & re iudicat. Put. dec. 476. lib. 2. Rot.* in Romana pecuniaria. 3. Martij 1595. coram bonæ mem. Penia, & in Nicosten. donationis 22. Iunij 1601. coram Reuerendiss. Mellino, & in Romana Cambiorum, 24. Nouembris 1603. coram me.

7 Accedat depositio testis Carpiani de qua supra, quæ licet non plena, elidit hanc imperfectam actoris probationem. *Bart. in l. admonendi. num. 51. ff. de iureiur. Aymon. de antiq. temp. part. 3. §. 1. num. 30. Rot. diuers. decis. 238. nu. 24. par. 1.* & fuit dictum in Farfen. Territorij, 20. Iunij 1606. coram bo. mem. Penia, & in Senogallien. iuris pascendi, 27. Maij 1609. coram Reuerendiss. Bononien.

8 Non etiam visa fuit resultare acceptatio ex Epistola scripta per Carpianum dicto Francisco Villæ, 8. Februarij 1613. in qua dicitur, *la vostra ci trouiamo del primo stante*, ne il Commendatore, &c. *ci hauesse tratto Scudi 600, &c, al prezzo, & termine che torneranno li pagamenti, &c. si pagaranno, e in tanto ci direte come ci hauemo à valere, perche il ritratto delle sode non sara tanto a gran longa, però tutto ci auisarete di riposta in questa, che s'osseruarà l'ordine che ce ne darete, &c.* nam in primis apparet, quod hæc Epistola non fuit responsiua literarum præsentatarum à Commendatario, ex quo illa cantant sub die 25. Ianuarij, hæc autem respondent literis scriptis sub die prima Februarij nec minus apparet, quod antequam fuisset conscripta hæc Epistola, Commendatarius præsentasset literas, de quibus agitur, vnde ex hac Epistola minime concluditur aliqua acceptatio dictarum literarum. Nec facit quod sufficiat Carpianos ex tunc promisisse, nam præter quod esset etra dubium, in quo quæritur tantum de literis præsentatis per Commendatarium, adhuc fuit dictum hanc Epistolam non posse suffragari Commendatario, tanquam promissio, quia ius non potuit acquiri Commendatario per promissionem aleri factam, *§. alteri. instit. de inutil. stipulat.* cui motiuo minime obstat, quod confessio facta in Epistola scripta tertio probet ad fauorem alterius, ad *decis. Put. 11. libr. secundo, Rota Ianuen. decis. 31. numero sexto,* quia vt dictum fuit primo loco, Epistola non concludit confessionem acceptationis de præterito, tanquam vero noua promissio minime suffragatur Commendatario per dictum *§. alteri. institut. de inutil. stipulat.*

9 Præterea dato, quod esset simplex promissio de soluendo Commendatori facta ipsi Villæ, esset intelligẽda stante Villa in eodem statu, ad *l. quod Seruius, & ibi*

ibi Ias. de condit. caus. dat. Aym. consi. 94. num. 4. Rota diuers. decis. 127. par. 1. num. 2.

DECISIO DCLXV.

Veneta Donationis, Veneris 7. Nouembris 1614.

Impressa apud Buratto.

DECISIO 77.

REVERENDISS. P. DOMINO DAMASCENO.

Baren. seu Nullius Archipresbyteratus, seu Prioratus. Die Veneris 23. Ianuarij 1615.

ARGVMENTVM.

Agitur in hac decione numquid per regulam Cancellariæ octauam censeatur derogatum priuilegijs religionis habentis amplissimas clausulas derogatorias derogatoriarum in materia iuris conferendi beneficia reseruata.

SVMMARIVM.

Papa antecessor non potest imponere legem successori. nu. 1.

Clausula Quorum tenores, latissime extendenda, operaturque, ac si tenor literarum fuisset insertus. num. 2.

Papa quando aliquod priuilegium reuocat per viam generalis legis, non tenetur reuocationi inserere formulas speciales derogationis in dicto priuilegio appositas. num. 3.

Papa potest reuocare priuilegia concessa de Consilio Cardinalium, etiam sine eorumdem Cardinalium Consilio. nu. 4.

Papa sine Cardinalium consensu potest statuere omnia ea, quæ non concernunt mutationem status vniuersæ Ecclesiæ. num. 4.

Priuilegia emanata per viam legis numquid comprehendantur sub regulis Cancellariæ. num. 5.

Consuetudines respectu inducentium possunt dici leges. num. 5. in fine.

Dispositionis, seu Constitutionis verba, seu nomen non attenduntur, sed rei substantia. num. 6.

Constitutionis verbum non est ista generale, quin possit ad negotia priuatorum accommodari. num. 6.

Clausula ex certa scientia, in confirmatione posita, habet vim nouæ concessionis. Declara dummodo constet, quod Papa habuerit plenam notitiam aliter secus. num. 7.

Ignorantia Papæ præsumitur in his, quæ facti sunt. nu. 8.

Papa non præsumitur sub inuolucro verborum sibi præiudicare voluisse. num. 8.

Papa non præsumitur sub generalitate verborum regulis Cancellariæ derogare voluisse. num. 8.

Clausula ex certa scientia, in confirmatione apposita, operatur, vt confirmatio non possit dici in forma communi. Declara, vt num. 9.

DECISIO DCLXVI.

1 NOn placuit Dominis, recedere à decisione in hac causa facta die 20. Iunij 1614. Et ad illud, quod priuilegia Religionis habeant clausulas derogatorias derogatoriarum amplissimas, nempè quod illis non possit derogari, nisi tenoribus illarum de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertis, ac huiusmodi derogationibus Consistorialiter factis, & per trinas distinctas literas eundem tenorem continentes, tribus similiter distinctis vicibus Magistro, & conuentui legitime intimatis, & insinuatis, ac ipsorum Magistri, & Conuentus, ad id expresse accedente consensu, & aliter factas non suffragari, fuit responsum. Aut ista deduci ad effectum, ne Papa potuerit derogare, nisi seruata dicta forma, & certum est, quod Antecessor minime potest imponere legem successori, vt in istis terminis dixit Rota apud me in causa Perusina Pensionis decima tertia Ianuarij 1614.

2 Aut vero deducuntur ad effectum voluntatis, ex quo non seruauit dictam formulam, & respondetur, quod voluntas derogandi literis sub quacunque forma concessis, satis colligitur ex regula octaua, ibi, Nec non priuilegia disponendi de huiusmodi beneficijs, &c. Aut quod illa sub huiusmodi reseruationibus nunquam comprehendantur etiam cum quibusuis derogatoriarum derogatorijs, & fortioribus, efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & alijs deductis, quorum tenores pro expressis habere, & latissime extendi volumus, quibusuis Collegijs, personis, &c. concessis aduersus reseruationem huiusmodi minime suffragari, &c. Cum enim Papa voluerit derogare quibusuis priuilegijs cum quibusuis derogatoriarum derogatorijs, & fortioribus, & insolitis clausulis, satis derogauit côtêta in dicto priuilegio, quæ non sunt nisi derogatoriæ derogatoriarum cum clausulis insolitis, & efficacioribus, accedente maxime clausula, quorum tenores, &c. latissime extendenda, quæ operatur perinde ac si tenor dictarũ literarum derogatoriarum derogatorijs fuisset insertus in regula. *Bald. in c. cum dilecta. sub. num. 12. vers. item ait. de rescript. Butr. cons. 2. nu. 6. Ias. in l. finali. nu. 7. C. si contra ius, vel vtilit. publ. Sarneu. q. 6. n. 8. Cassad. decis. 38. super regn. nu. 3. Put. decis. 89. nu. 1. lib. 1.* Rota in Toletana Annatarum 19. Iunij 1589. coram bon. mem. Orano, & in Steramnen. bonorum. 5. Maij 1613. coram Reuerendissimo Bononien. & in Eugubina Præpositturæ. 3. Martij 1606. coram eodem Reuerendissimo Bononien. cum alij deductis in causa Veneta pensionis. 6. Februarij 1612. coram me.

3 Alias si ista non sufficiunt, erit dicere, quod fuerit imposita lex Papæ, seruandi illam formulam cum per verba generalia non possit clarius loqui. Et prædicta eo facilius procedunt, quando, vt in proposito, reuocatio fuerit per viam generalis legis, quia ridiculum esset dicere, quod in illis Papa teneretur facere insertiones similium formularum ad *Felin. in c. accedentes. nu. 5. de præscript.* Faciunt tradita per *Sarnen. in proœmio regularum Cancellariæ. q. 5. Bald. in l. humanum. num. 4. vers. sed dicit Cyn. C. de legib. Roman. cons. 436. num 21. vers. respondes illud verum. Couar. in rubr. de testam. par. 2. sub num. 19. versicul. quantum nostræ quæst. Cald. consi. 11. sub num. 1. de priuileg. Ripa cons. 6. nu. 2. de constitut. in 6. Cassad. decis. 38. num. 8.* super regula, & in terminis regulæ octauæ, latissime comprobauit Rota in causa Cameracen. Canonicatus. 4. Iulij 1579. coram bon. mem. Cardin. Lancellotto, & in Compsana Iuris patronatus. 3. Decembris 1604. coram R. P. D. Litta.

4 Circa illud motiuum, quod priuilegia sint concessa de Consilio Cardinalium, vnde cum eodem Consilio debuerint reuocari, fuit responsum, tale Consilium minime esse necessarium, vt late probat *Abb. in cap. 2. numer. 3. vers. numquid autem. de cleric.* non residen. & de communi, & magis communi, *Iacob. de Consil. lib. 7. art. 5. numer. 136.* & de communi quo ad ea, quæ non concernunt mutationem status vniuersæ ecclesiæ, *Alber. in rubr. C. de legib. nume. 3. Gemin. in c. super eo. nume. 4. vers. communis conclusio est, de hæretic. in 6. Dec. in rubr. de constit. sub num. 2. vers.* & quid sit. *Crot. in repetit. eiusdem rubr. num. 2. & 3. Germonius tract. de indulto. Cardin. §. quod tu. Roman. num. 56.* & de veriori testatur Prob. ad *Monach. in dicto c. super eo. num. 34. & 35. de hæretic. in 6. Troil. Malsuez de Canoniz. Sanctorum. num. 33.*

5 Ad illud, quod ista priuilegia emanauerint per viam legis,

legis, ex quo Summi Pontifices in illis concedendis, voluerunt esse tales, vt patet ex illis verbis ibi perpetuæ Constit. edicto, &c. & etiam adsunt super hoc stabilimenta ipsius religionis, materiam collationum diffinientia, ex quibus infertur, quod cum ista priuilegia emanauerint per viam legis non comprehendūtur sub regulis Cancellariæ, vt in Tirasonen. Vicariæ die 13. Octobris 1595. coram bon. mem. Litta, fuit responsum, illam decisionem loqui in terminis Constitutionis Pij Papæ V. super Vicarijs, vt in Bullario 46. in ordine, quæ quidem Constitutio est generalis. Vnde nil mirum si non cadit sub regulis Cancelariæ, quæ quæ in hac materia non tollunt leges generales, sed speciales seu priuatas, vt patet in verbis regulæ octauæ, ibi, consuetudines etiam immemorabiles optandi, &c. priuilegia, & indulta, &c. Leges autem generales non possunt dici Constitutiones Pontificis ad fauorem Religionis, nec minus stabilimenta, cum recipiant vnum tantum corpus. Vnde respectu regularum Cancellariæ, quæ sunt generales, & tangunt omnes ista pro specie reputantur. *Decian. conf. 382. num. 4. Prob. ad Monac. in c. cum personæ num. 6. de priuileg. in 6.* & quod Papa in regula octaua voluerit derogare istis legibus specialibus, probatur ex eo, quod derogauit consuetudinibus optandi, quæ quidem consuetudines respectu inducentium possint dici leges, ad tradit. *in c. consuetudo. dist. 1. Innoc. in cap. certificari. de sepultur. Abb. in rubr. de constitut. sub num. 1. §. ex non script. Institut. de iure natur. gent. & ciuil. Iason. in l. de quibus, ff. de legibus.*

6 Non obstat, quod Papa in istis priuilegijs vsus fuerit verbo Constitutionis, quia non attenditur, nomē, sed ipsa rei substantia. *c. sedulo. 38. dist. c. intelligentia. Vbi glos. in verbo rei est sermo. de verb. sign. l. quoniam indignum C. de testam. Paris. consil. 61. num. 35. lib. 3.* Vltra quod nomen Constitutionis non est ita generale, quin possit accommodari ad negotia priuatorum, ad tradit. per *Abb. in rubr. de constit. num. 2. Bart. in l. omnes populi, sub num. 53. ff. de iustit. & iur. Marcambr. consil. 262. num. 25. & sequent.*

7 Ad illud, quod priuilegia Religionis fuerint à S. D. N. post regulam confirmata cum clausula ex certa scientia, quæ certa scientia importat nouam concessionem, *c. si Apostolicæ. Vbi gl. in verbo confirmamus, de præbend. in 6.* Fuit responsum, verum quidem esse, quod si Papa habuisset plenam notitiam priuilegiorum Religionis, & signanter super iure conferendi, & quod priuilegia Religionis non debeant, cadere sub reseruationibus Apostolicis, posset dubitari, quod Papa confirmando voluerit illa reconualidare, etiam cum derogationem regulæ octauæ. Sed difficultas esset, an Papa habuerit plenam notitiam in hoc casu, prout requiri demonstrat ille textus in illis verbis, ibi Nosque postmodum plena de his facta narratione, & tradunt *Bal. l. in fin. col. penul. vers. dicas etiam. quod illa clausula. C. sent. rescind. non posse. Alex. cons. 23. nu. 12. lib. 5. Castr. cons. 84. in fine. lib. 2. Dec. cons. 142. nu. 7. Gozad. cons. 5. nu. 14. & 15.*

8 Quod autem non habuerit in hoc casu patet ex lectura confirmationis, in qua nihil de iure conferendi dicitur, & præsumitur ignorantia eorum, quæ sunt facti c. præsumitur *de reg. iur. in 6. glos. in l. verus, ff. de probat. Paris. cons. 11. numer. 132. libr. 1.* Quia non fuisset narrare Papæ quod religio haberet ius conferendi, nisi expressa fuisset hæc qualitas, quod in priuilegijs contineatur hoc, quod beneficia non deberent cadere sub reseruationibus Apostolicis, quia nō censeretur Papa sub inuolucro verborum sibi voluisse præiudicare, ad *Bald. in cap. veniens, num. 4. versic. sed quid si Princeps, de iureiur.* cum alijs per aliam decisionem allegatis. Sicut nec minus sub generalitate verborū presumitur voluisse derogare Regulis Cancellariæ, vt per *Sarnen. in proœmio regul. q. 5. n. 2. Felin. in c. nonnulli num. 7. de rescript.* cum alijs in prædicta decisione allegatis. Quinimo ex proœmio confirmationis, & alijs ponderatis in alia decisione, apparet, quod Papa non intendebat confirmare priuilegia Religionis, nisi circa exemptionem à decimis, & facultatem vniendi, & nec illa quidem reualidare, quatenus nulla, vel reuocata fuissent, sed tantum roborare, vt patet in illis verbis ibi, vt ipsa priuilegia firmius subsistant, quo sæpius confirmitata extiterint.

9 Non obstat, quod in confirmatione adsit clausula ex certa scientia, quæ facit, vt non possit dici, confirmationem esse in forma communi, ex allegatis, quia respondetur, posse quidem clausulam operari quo ad exemptionem à decimis, & facultatem vniendi, quæ specialiter fuerunt expressa, secus quo ad prætensa priuilegia conferendi, maxime in mensibus reseruatis, quæ Pape non fuerunt expressa, & de quibus non apparet Sanctitatem suam habuisse notitiam, ab *Abb. in capit. 1. num. 6. versic. & dicitur ex certa scientia, de confirmat. vtil. vel inutil. Alex. cons. 123. num. 19. & 22. Paris. consil. 3. num. 46. & 47. libr. 4.* quæ iure magis procedunt de plano, quo ad ea, quę de facili non conceduntur, & sunt pręiudicialia ipsi concedenti, vt est ius conferendi beneficia reseruata, quia ista requirunt maiorem, & clariorem expressionem, quam alia ad *Bald. in cap. veniens, de iureiuran. cum alijs supra allegatis, &c.*

REVERENDISSIMO P. DOM. COCCINO DECANO.

Viterbien. fideicommissi. Lunæ 9. Februarij 1615.

ARGVMENTVM.

Spurius legitimatus cum clausula sine præiudicio venientium ab intestato, non excludit substitutum, si hæres sine filijs legitimis, & naturalibus decesserit.

SVMMARIVM.

Filius legitimatus facit deficere conditionem in fideicommisso opppositam si sine filijs legitimis, & naturalibus, decesserit, num. 1.

Legitimationes spuriorum factæ in præiudicium substitutorum, reuocantur ex Bulla Pij IV. Declara, vt num. 2.

Filij spurij legitimati non excludunt substitutum si hæres decesserint sine filijs legitimis, & naturalibus, quando legitimatio est facta cum clausula sine præiudicio venientium ab intestato, num. 3. & per totum.

Clausula legitimationis sine præiudicio venientium ab intestato non operatur, quando legitimatio est facta ad instantiam patris testatoris, quando agitur de illius successione, secus si de successione fideicommittentis. Declara, vt num. 4. & 5.

DECISIO DCLXVII.

1 Dedi dubium sola Isabella filia quondam Fortunij informante, an fuerit purificatum fideicommissum Rosati ad fauorem Laurentij substituti sub conditione, si Dominicus institutus decesserit sine filijs legitimis, & naturalibus, & tota difficultas consistit in eo, quia dictus Fortunius filius prædicti Dominici, licet natus spurius, fuit legitimatus per Dominos de Campegijs, quorum priuilegia sunt amplissima, vt sæpe fuit firmatum in Rota. Certi enim iuris est, quod filius legitimatus facit deficere conditionem si sine filijs legitimis, & naturalibus, vt relatis infinitis Doctoribus hanc sententiam communem dicit *Rolan. consil. 83. num. 19. libr. 3. Crass. in §. fideicom. quæst. 38. Peregrin. de fideicomm. art. 28. num. 45. Molina de primog.*

mog. Hispan. lib. 3, cap. 3. n. 2. & fuit resolutum in causa Camerinen. fideicommissi. 28. Octobris 1596. coram bon. mem. Penia, & elegantissime, & docte fuit deductum in causa Romana de Iauellis. 20. Iunij preterit coram R. P. D. meo Vbaldo.

2 Nec faciebat difficultatem Bulla Pij IV. in qua reuocantur omnes legitimationes factæ in præiudiciũ substitutorum, quia illa Bulla intelligitur de præiudicio iuris iam quæsiti, vt si fieret legitimatio post purificatum fideicommissum, vel quando legitimati vellent succedere contra voluntatem testatoris, vt per *Eugen. in cons. 52. nu. 65. & seqq. lib. 1. Laderch. cons. 23. nu. fin. Rimin. iun. cons. 611. num. 93. lib. 3. & in terminis similis constitutionis Venetiarum dicit Decian. in respon. 42. num. 38. & seqq. lib. 1. quem sequitur* Menoch. *in cons. 459. nu. 3. & seqq. Mant. de coniect. vltim. volunt. lib. 11. tit. 10. nu. 46. ver. & quod attinet. Lup. de illegit. comment. 3. §. 2. num. 5.* & quicquid dixerint aliqui Doctores in contrarium, hac opinionem secuta fuit Rota in causa Bononien. de Maluetijs, 24. Februarij 1612. coram Reuerendissimo Archiepiscopo Damasceno, & in dicta causa Romana de Iauellis coram R. P. D. Vbaldo.

3 Prædictis tamen non obstan. Rota contrarium cēsuit in casu, de quo agitur, stante clausula apposita in legitimatione sine præiudicio venientium ab intestato, quia illa præseruat legitimis omnes successiones prouenientes ex fideicommisso, aut ex pacto, & prouidentia, vel ex quacumque dispositione maiorum, & antecessorum. *Ang. in cons. 264. nu. 1. vers. si autem intellexisset. Gabr. cons. 30. num. 30. lib. 1. & cons. 22. nu. 7. lib. 2. Ruin. cons. 3. num. 22. vers. nec istis obstat. lib. 1. & cons. 106. num. 8. libr. 3. Alexand. cons. 187. num. 12. vers. item posset intelligi. lib. 5. Socin. sen. cons. 95. nu. 35. lib. 4. Honded. cons. 64. num. 22. lib. 1. & 59. num. 15. & 16. lib. 2.* qui alios allegat, & hanc sententiam tenuit Rota in causa Ianuen. Iuris patronatus. 30. Ianuarij 1606. in vers. non obstant legitimationes, coram bo. me. Litta, & in alia Cesenaten, bonorum. 23. Ianuar. 1608. coram Reuerendiss. Attrebaten. & in alia Narnien. de Capitonibus. 19. Ianuarij 1609. coram Illustrissimo D. meo Cardinale Lancellotto.

4 Neque facit, quod Dominicus pater Fortunij fecerit testamentum, & ideo prædicta clausula sine præiudicio venientium ab intestato, non operatur facto testamento. *Gabr. cons. 29. num. 17. lib. 1. Cephal. consil. 442. nu. 5. libr. 3. Castr. cons. 102. ante finem. vers. 4. casu lib. 2. Zuccard. in repet. l. posthumo. nu. 48. C. de bon. poss. contra tab. Dec. qui de communi, in cons. 393. nu. 1. Ruin. cons. 87. num. 20. lib. 3. Gozzad. cons. 6. nu. 33. & 78. Vbi pariter de communi. Cæs. de Grass. dec. 4. quæ fil. sint legit.* & fuit resolutum in præcitata causa Romana de Iauellis, coram D. Vbaldo. Huic enim motiuo fuit responsum, quod procederet, si ageretur de successione patris. Nam cum obtinuisset filium legitimari cum ista clausula sine præiudicio venientium ab intestato legitimatio non operaretur, si pater intestatus obijsset, secus autem facto testamento, quia causa testati facit cessare causam intestati, & ita expresse, & ad literam loquuntur præcitati Doctores, & in istis terminis loquitur etiam dicta decisio in causa Romana de Iauellis, Sed iste non est casus noster, quia non agitur de successione Dominici patris, sed de successione Rosati fideicommittentis, quo casu clausula sine preiudicio venientium ab intestato præseruat ius substitutis, vt ex sententia Doctorum supra dictum est.

5 Neque est verum, quod causa sit ratio, quando agitur de successione fideicommittentis, cum substitutus illi succedat ex testamento. *l. cohæredi. §. cum filia. ff. de vulg.* & ideo clausula sine præiudicio venientiũ ab intestato non præseruat ius substitutis, qui veniunt ex testamento fideicommittentis, vt in puncto dicit *Thob. Non. in cons. 69. nu. 6. & ista fuit opinio Castr. vt refert Ruin. in motiuis in cons. 106. num. 4. lib. 3. & est decisio Seraph. 1380.* Vbi quod legitimatio facit deficere conditionem si sine filijs legitimis, & naturalibus etiam quod legitimatio sit cum clausula sine præiudicio venientium ab intestato. Nam fuit dictum, quod sicut hic clausula sine præiudicio præseruat ius istorum venientium ab intestato, ita quoque præseruat ius substituti, tum quia est eadem ratio, tum etiam, quia hoc est fauorabile, ita in puncto respondet *Ruin. in d. cons. 106. nu. 10. in fin. vers. nec isto casu potest locum habere. lib. 3.* & merito quidem, cum non sit iustum, quod legitimatus tollat ius in spe ex causa de præterito, videlicet ex fideicommisso, quod habet substitutus, quæ ratio mouit *Angelum in d. cons. 264. ad dicendum*, quod per istam clausulam sine præiudicio præseruatur ius substitutis, quem omnes alij Doctores supra allegati sequuntur. Decisio vero Seraphini subsistit in casu suo, quia ibi simpliciter fuerat facta legitimatio absque clausula, & perfunctorie in ea dicitur, quod legitimatus excludit substitutum, etiam quod sit legitimatus cum predicta clausula, quod non est verum, vt patet ex prædictis.

R. P. D. VBALDO.

Bononien. Tutelæ, Veneris 13. Februarij 1615.

ARGVMENTVM.

Tutor remouetur à tutela propter litem maioris partis bonorum, quam habet cum pupillo. Item & propter absentiam, nec mater admittitur ad filij tutelam, quando testator hoc prohibuit.

SVMMARIVM.

Tutor habens cum pupillo litem, in qua de maiori parte bonorum pupillarium agatur, remouetur tamquam suspectus. num. primo.

Tutor absens à ciuitate, in qua moratur pupillus, remoueri potest à tutela. nu. 1. in fine.

Tutore Testamentario deficiente, seu remoto, an sit locus tutelæ legitimæ, vel datiuæ. nu. 2.

Mater iure nouissimo Authenticorum præfertur omnibus tutoribus legitimis, & datiuis. nu. 2.

Mater non datur pupillo in tutricem, quando testator prohibuit eam esse tutricem. nu. 3. & seqq. omnibus.

Testatoris voluntas in datione tutelæ præcipue seruanda est. num. 3.

Confirmatio alicuius dispositionis trahitur ad omnia contenta in dicta dispositione. nu. 4.

Maternæ pietati licet leges multum deferant, magis tamen deferunt patri circa personam, & negotia sui filij. nu. 5.

Sorores à testatore datæ tutrices præferuntur matri. num. 5. in fine.

DECISIO DCLXVIII.

1 Rota censuit esse locum remotioni à tutela filiorum quondam Tiberij de Rubeis, & quidem quo ad D. Marchionem modica videbatur subesse difficultas, tum quia habet magnam litem cum pupillis, iam Rota commissam, in qua de maiori parte bonorum pupillarium agitur. *Auth. vt ij, quod obligat. se hab. prohib. res minorum. §. 1. auth. minoris debitor. & ibi gl. Bart. nu. 8. & Salic. num. 7. C. qui dar. tutor. l. si pupillum. cum seq. & ibi gl. ff. de excusat. tut. Aret. in §. fin. nu. 3. instit. de auth. tut. Afflict. decis. 207. num. 1. Gutier. in tract. de tutelis. par. 1. cap. 20. num. 3. & 4. Piagg. eod. tract. quæst. fin. num. 12. & seq.* tum quia est absens à Ciuitate Bononiæ, ex causa notoria, & ideo non potest rebus pupillorum incumbere impuberibus. *§. fin. ff. de susp. tut.* vltra quod ipsemet renunciauit tutelæ per publicum instrumentum.

Quo

2 Quo vero ad D. Iuliam pariter Dominis videbatur esse locum remotioni, nam quicquid in hoc causa dicen. esset de illa quæstione, an per remotionem, vel ex causationem tutoris testamentarij esset locus tutelæ legitimæ, vel datiuæ, de qua per *gloss. Bartol. Bald. & alios in leg. si quis sub conditione, ff. de testament. tut. gloss. in leg. prima, C. eod. titul. Gutier. de tutel, part. 1 cap. 12. num. 4. Montan. eo tract. cap. 16.* cum respectu matris, nec sit necessaria eiusmodi indagatio, cum certum sit matrem saltem iure nouissimo Authent. præferri omnibus tutoribus, legitimis, & datiuis. *Auth. matri, & auiæ. C. quando mul. tutel. offic. fung. possit. Bartol. in d. leg. si quis sub conditione. num. 32. in fin. Corn. consil. 183. num. 5. lib. 4.*

3 Domini existimabant, hoc casu nostro, nec debuisse dari tutricem, & datam esse amouendam, quia pater expresse cauit in testamento, ne ipsa, aut eius agnati tutelam filiorum gererent, quam etiam voluit statim post mortem suam reuerti ad domum paternam, & vtique secuti in quacunque materia, ita in tutelæ datione, seruanda est voluntas testatoris. §. *disponat. Auth. de nupt. l. vlt. C. de cur. fur. Montan. de tutel. c. 37. regi. 2. num. 154. Decian. consf. 49. num. 10. & seq. lib. 1.* Vnde iudex non potest dare tutorem pupillo, quem pater prohibuit dari. *l. scire oportet. §. sed si quis. ff. de tut. & curat. dat. ab his. l. 1. C. si tut. contr. volunt. matr.* quæ prohibitio tenet etiam in matre, *Alex. consi. 140. numer. 6. libro 1.*

4 Neque obstare dixerunt, quod idem testator deputauit D. Iuliam tutricem per codicillos factos de anno 1609. quia per alios codicillos de anno 1611. d. deputationem reuocauit nominando alios tutores, & demum de anno 1613. alijs, & postremis codicillis reuocauit dictorum tutorum nominationem, & confirmauit proximos antecedentes codicillos, & testamentum, quibus diserte continetur, vel prohibetur, vt D. Iulia non sit tutrix, vel reuocatio deputationis eiusdem in tutricē, vt dictum est. Vnde confirmando dictas dispositiones censetur etiam confirmasse prohibitionem in ijs contentam. *Rot. decis. 172. in fin. par. 1. diuers.* & non est dubium, quod vltima scriptura spectanda est, vt in materia codicillorum est *tex. in l. Diui. §. licet. ff. de iure codicil. & tradit Mantic. de coniect. vlt. vol. lib. 6. tit. 4. num. 8.* & in datione tutoris, est *tex. in l. tutor datus. in fine. ff. de test. tutel.*

5 Non obstat, quod pater non potuisset expresse adimere matri tutelam legitimam filiorum ad *cons. Bal. 308. lib. 2.* quia Dominis magis placebat opinio contraria *Bar. Dyn. & Ang. in l. miles. §. 60. ff. ad leg. Iul. de adulter. quam secutus est Alex. d. cons. 180. num. 6. & 16. lib. 1.* quæ etiam efficaci ratione nititur, quia, vt supra dictum est, in materia tutelari iudicium paternum potissimum spectandum est, vt probatur in §. *ex his. auth. de hær. ab intest.* ven. vnde sumpta est *d. Auth. matri, & auiæ, C. quando mul. tut. offic.* quem tex. ponderat *Alex. loco alleg. & opinionem Dyn. in d. §. 60. approbat Surd. cons. 428. nu. 9. lib. 3.* & licet leges multum deferant pietati maternæ, amplius tamen deferunt patri circa personam, & negotia filij, vt in *d. l. donari. in princip. C. de curat. fur. & in l. si furioso. ff. eod. in l. 1. 2. & 3. ff. de confirm. tut.* cum alijs congestis per *Decian. in alleg. resp. 49. num. 9. & seq. lib. 1.* & ad prædicta optime facit *d. consil. Surd. 428. lib. 3. fere per tot.* Vbi determinat sorores à testatore datas tutrices præferri matri, & remanere saltem administratrices, quatenus tutela non sustineatur. Et ita fuit decisum.

R. P. D. VBALDO.

Romana Domus. Veneris 20. Februarij 1615.

ARGVMENTVM.

Pactum personale in singularem successorem, & ad extraneos non transit, & ex quibus cognoscatur illud esse personale, & de renunciatione alicuius iuris, quando trahatur ad non expressa.

SVMMARIVM.

Pactum dicitur personale, quando continet beneplacitum contrahentis. num. 1.
Pactum dicitur personale ex dictione pro se. nu. 1.
Pactum dicitur personale, quando in eo est apposita dictio dicti. Vbi idem si est apposita dictio eis. nu. 1.
Geminatio magis contrahentium voluntatem demonstrat. numero 1.
Personalia cum persona xtinguntur, nec ad extraneos transmittuntur. num. 1. ad finem.
Pactum personale ad singularem successorem non transit. nu. 1. in fine.
Libere dictio in venditione apposita importat immunitatem ab omni obligatione. num. 2.
Consentiens venditioni absque aliqua reseruatione iuris redimendi, quod habet, censetur eidem iuri redimendi renunciare. num. 2.
Reseruans sibi in instrumento conditionis vnum ius, censetur cuicunque alteri iuri renunciare. nu. 2. in fine.
Res vna, & eadem non potest diuerso iure censeri. nu. 3.
Contractus quilibet à partium conuentione formam recipit. num. 4.
Emphyteusis tota substantia pendet ex tenore inuestituræ. num. 4. in fine.
Sententia omnium contentorum in instrumento præsumitur in eo, qui instrumenti notitiam habuit. num. 6.
Renunciatio stricte intelligenda. Declara, nisi quatenus verba patiantur. num. 6. in fine.

DECISIO DCLXIX.

1 Domini de Griffis concesserunt Hieronymo, & Antonio de Bollinis fratribus, in emphyteusim perpetuam quendam situm ad effectum fabricandi cum pacto, quod semper, & quandocumque dicti Domini Griffi voluerint pro se fabricam, & domos huiusmodi à dictis Antonio, & Hieronymo factas in dicto situ pro pretio per duos peritos communiter eligendos, æstimando, teneantur eis dare, & retrocedere dictas domos. Hieronymus vendidit domum super eodem situ ædificatam Equiti Alicorno, & quidem liberam, preterquam à nonnullis oneribus in venditione expressis, & venditioni, vt supra, consensit Andreas Gratus Dominus directus, qui in ius illorum de Griffis successerat, cuius Andreæ successor R. P. D. Iacobus Gratus mouit litem contra Equitem possessorem domus, volens eam retrahere vigore dicti pacti de redimendo per Griffos appositi. Vnde dato dubio, an ei competeret ius redimendi, eoque ter proposito, hodie tandem fuit capta resolutio negatiua vtraque parte informante, & quidem quicquid esset dicendum, an dictum pactum esset personale, & restrictum ad Griffos tantum, vt suaderi videbatur, tum ex eo, quod Griffis fuit reseruata facultas quandocumque & ad beneplacitum retrahendi domum, quo casu pactum dici personale tradit. *Berous, consil. 155. num. 12. lib. 1. Natt. consi. 163. num. 10. lib. 1.* tum ex dictione illa, pro se, quæ denotat personalitatem, vt fuit dictum in vna Cæsaraugustana Pensionis. 1. Iulij 1611. coram Reuerendissimo Bononien. tum ex dictione, dicti de Griffis, quæ solet operari quandam præcisam personalitatem, vel restrictionem ad personas supra nominatas. *Crauett. cons. 98. nu. 8. versi. 3. restrictio.* prout etiam idem operatur dictio

ctio eis, ibi apposita. *Paris. cons. 18. nu. 32. lib. 2.* & tanto magis, cum istæ dictiones sint geminatæ. *l. Balista. ff. ad Trebell. Bart. in l. cum scimus. C. de agr. & cen. lib. 11.* regulariter autem personalia cum persona extinguuntur, nec transmittuntur ad extraneos. *Roland. consi. 28. nu. 4. lib. 2. Honded. consi. 39. nu. 3. lib. 1. Surd. consi. 518. n. 19. lib. 4.* Et quod tale pactum non transeat in singularem successorem, cum ex eo oriatur actio tantum personalis, voluit *Alexand. consi. 10. num. 2. lib. 1. Berous consi. 163. num. 13. lib. 1.* & quod ex eo non possit agi contra tertium possessorem, late firmat *Gabriel. consi. 66. num. 5. ad fin. lib. 1.* de communi.

2 Sed circumscripto etiam hoc motiuo, de quo nonnulli ex Dominis dubitabant ex allegatis pro contraria parte, vnanimiter fundabant resolutionem ex infrascriptis. Quia domus fuit vendita per Hieronymum D. Equiti libera, preterquam ab annuo canone, & quodam Censu, & Gratus huic venditioni liberũ consensum prestitit, quę dictio libere, importat venditionem immunem ab omni alia obligatione, & per consequens à pacto redimendi. *l. non dubito. §. liber autẽ populus. ff. de capt. & postlimin. reuers. l. liberari. C. de solut. Paris. consi. 45. nu. 14. lib. 4. cum alijs per Tiraquel. in l. si vnquam. in verbo reuertatur. n. 135. C. de reuoc. donat. Menoch. consi. 10. num. 10. Honded. consi. 51. nu. 51. & seq. lib. 1.* & fuit dictum in vna Romana domus, & census. 17. Maij 1604 coram Reuerens. Damasceno, dum igitur Andreas simpliciter consensit dictæ venditioni sine aliqua reseruatione iuris redimendi, non videtur hodie per eius successorem agi posse ex dicto pacto. *l. codicillis. §. 1. l. cum pater. §. liberis. ff. de leg. 2. l. quoties. C. de fideicom. Menoch. plura congerens, cons. 58. num. 14. & seq. lib. 1. Surd. cons. 114. num. 25. lib. 1. Honded. consil. 33. nu. 20. lib. 1. Rota diuers. decis. 747. nu. 9. p. 1.* Et fuit dictum in Rauennaten. Saluiani. 28. Iunij 1602. coram Reuerendissimo Bononien. & confirmatur, quia Gratus in præstatione dicti consensus reseruauit tantum sibi ius Laudemij, ibi, sine tamen præiudicio Laudemii sibi debiti, ex quo colligitur, quod si etiam ius affrancandi sibi reseruare voluisset, vtique illud expressisset. *l. vnic. §. sin autem ad deficientis. C. de caduc. toliend.*

3 Vlterius idem Gratus in eodem instrumento cessit, & vendidit omnia melioramenta per ipsum in dicta domo facta pro Scutis 540. & sic absque vlla spe affrancandi, vnde videtur dicendum, quo ad reliquam partem domus contrahentes eodem modo sensisse, ne vna, & eadem domus pro parte redimibilis sit, & pro parte non, atque ita diuerso iure censeantur contra *l. eum, qui ædes. ff. de vsucap. cum alijs per Ruin. cons. 168. n. 15. lib. 3. & per Surd. consi. 53. nu. 12. lib. 1.*

4 Non obstat, quod in hac præstatione consensus censeantur repetita eadem pacta à Griffis apposita in prima concessione facta Hieronymo, quia respondebatur, quod ad hoc, vt tale pactum de redimendo tacite censeatur repetitum, necesse esset, vel quod in instrumento consensus legeretur aliquod verbum relatiuum ad pacta primæ concessionis, vel quod saltem Gratus simpliciter prestitisset consensum alienationi domus, quorum neutrum in hoc casu verificatur. Nam neque in dicto instrumento, vel in apocha consensus antea inter partes celebrata, vllum verbum legitur, relatiuum ad priora pacta, neque consensus dici potest simpliciter prestitus, sed sub certis conditionibus, & pactis, vt in apocha, ibi, *con patti però, e conditioni, che si diranno qui da basso, &c.* ad quam apocham fuit habita relatio in dicto instrumento, ibi, Venditioni domus, vt continetur in supradicta apocha con sensit, &c. imo ex diuersitate pactorum in præstatione dicti consensus arguebant nonnulli ex Dominis censeri nouam concessionem, & nouam inuestituram per D. Andream Equiti Alicorno factam, & sic non posse fieri extensionem de vna concessione ad alteram, sed quamlibet ad suos terminos restringendam, cum quilibet contractus à partium conuentione formam accipiat. *l. 1. §. si conuenit. ff. depositi.* & præsertim emphyteoticus, cuius tota substantia pendet ex tenore inuestituræ, quem ad hoc esse egregium dicit ibi *Bald. nu. 3. de duob. fratrib. à c. inuest. cum alijs per Menoch. de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 92. nu. 1. Honded. cons. 70. nu. 11. lib. 2. Surd. cons. 127. num. 36. lib. 1. cons. 153. num. 11. lib. 2. & cons. 384. num. 1. lib. 3.*

5 Quod autem sint diuersa pacta, apparet, tum quia in prima concessione aderat pactum reseruatum de redimendo quandocumque, in hac vero consensus fuit libere præstitus venditioni domus, vt supra tum ex uenditione dictorum melioramentorum, tum demum ex remissione caducitatis, quam Gratus prætendebat Hieronymum incurrisse, & tamen eam remisit in gratiam Alicorni. Nec videbatur obstare, quod Gratus dictum consensum necessario præstiterit, tamquam proprietarius, & ideo sibi non noceat. Quia vltra, quod cessat ex facto, cum ipse prætenderet domũ deuolutam, ut dixi, Respondetur, & quod quatenus teneretur præstare consensum, tamen non tenebatur præstare uenditioni libere factæ, & consensum liberum, prout fecit sine ulla reseruatione dicti pacti de redimendo, neque tacita, neque expressa.

6 Non obstat Do. Andream non habuisse notitiam huiusmodi pacti de redimendo, quia cũ in uenditione, seu permutatione eidem facta à Griffis partes se retulerint ad instrumentum concessionis, in quo illud continebatur, satis de eo presumitur habuisse notitiam. *Doct. in l. qui Romæ. §. duo fratres. ff. de verb. obligat. Aym. consi. 65. num. 7. cum alijs per Surd. consil. 4. num. 46. & consi. 150. num. 31.* ubi de communi. lib. 1. & multo minus potest dici, Andream ignorasse, uenditionem fuisse D. Equiti factam de domo libera, quia in istrumento consensus præstiti per Andream fuit inserta apocha uenditionis prædictæ. Vnde intrant proxime allegata. Et tandem nec obstare uisum fuit, quod consensus, qui tendit ad renunciationem, stricte ueniat intelligendus. Quia respondebatur id uerum esse, quatenus uerba patiantur, ex allegatis per *Card. Mant. de tacit. & ambig. lib. 3. tit. 2. nu. 4. & seq.* sed hic uerbum, libere in apocha consensus expressum, iunctis aliis supra deductis, non patiuntur fieri restrictionem. Ex quibus fuit dictum, ius redimendi non competere.

R. P. D. COCCINO DECANO.

Nullius, seu Meliuicen. Census. Lunæ 16. Martij 1615.

ARGVMENTVM.

Agitur in hac decisione, quæ singularis, & Magistralis est, quando in uenditione census apposita pacta à iure improbata uitientur, & non uitient totum contractum, & præsertim, quid de pacto, quod uenditor cẽsus teneatur restituere sortem præsentem una cum fructibus, & damnis, & interesse, si per quatuor menses fuerit morosus in solutione census.

SVMMARIVM.

Census, vt vsurarius non dicatur secundum constitutionem Pij V. creari debet super re immobili certis finibus designata, & in pecunia numerata, & aliter census creatus vitiat totum contractum. nu. 1.

Censui apposita pacta à iure improbata non vitiant totum contractum, sed vitiantur, dummodo census sit impositus super re immobili certis finibus designata, & in pecunia numerata. num. 1.

Clausula in fine posita non refertur ad omnia præcedentia quãdo proprietas sermonis nõ patitur talẽ relationem. n. 1.

Censui

Censui appositum pactum, quod si venditor cessauerit per quatuor menses à solutione census teneatur volente emptore statim restituere capitale census decursos, & damna, & interesse, an sit improbatum a iure, an vitiet totum contractum census, an vero solum vitietur, num, 2. & per tot. decis.

Census dicitur vsurarius, & resoluitur in mutuum ex pacto, quod illius venditor teneatur restituere sortem principalem arbitrio emptoris. nu. 3.

Census venditi Dominium dicitur translatum in emptorem, & abdicatum à venditore sequuta traditione, & soluto pretio. nu. 4.

Census venditor si fuerit mortuus in solutione fructuum tenetur ad damna, & interesse, & an ad interesse lucri cessãtis, nu. 5.

DECISIO DCLXXI.

1 IN decisione in hac causa facta sub die 16. Maij superioris anni fuit firmatum, quod ex Constitutione Pij V. super censibus de noua forma, aut substantia istius contractus est, vt census creetur super re immobili certis finibus designata, & in pecunia numerata, & propterea sola contrauentio circa ista duo, vel alterũ eorum ex noua forma prædictæ Constitutionis vitiat contractum. Cetera vero pacta ibi improbata, si de iure communi non sunt de substantia, quia non comprehenduntur in noua forma, solũ vitiantur, & non vitiant, vt pulchre declarat *Zasius respon. 12. lib. 1.* Et quod iste intellectus Bullæ sit verissimus, patet ex illis verbis, inquit enim statuimus, censum constitui nullo modo posse, nisi super re immobili certis finibus designata, & in pecunia numerata, & subdit, & prohibemus solutiones anticipatas &c. quare & si in fine ponatur clausula cõtractus sub alia forma post hac celebrandos fœneratios iudicamus, restringitur ad illa duo, quæ sunt de forma, non autem ad alia pacta, quæ solum improbantur, & non annullant contractum ex regula quod clausula in fine posita non refertur ad omnia præcedentia, quando proprietas sermonis non patitur talem relationem. *l. sed & qui data. ff. ex quib. caus. maior. Oldr. cons. 152. nu. 2. in fine. Ias. in l. talis scriptura. nu. 40. vers. 4. vltra Bar. ff. de leg. 1.* & in puncto prædictæ Constitutionis, ita respondet *Guttierez pract. q. lib. 2. q. 176. nu. 5. vers. vel 2.* quem sequitur Rodericus de annuis reddit. *lib. 2. q. 1. nu. 7. in fine*, & dixit Rota in causa Bonon. census 26. Iunij 1600. coram bon. mem. Card. Pamphil. vers. neque obstat, quod Pius V.

2 Quare cum in prædicta decisione fuerit reseruatum videre, an pactum, quod si venditor cessauerit per quatuor menses à solutione census, teneatur volente emptore statim restituere capitale, & census decursos, damna, & interesse, sit contra substantiam cõtractus census, ita vt vitiet contractum, & non modo vitietur, & ideo de hoc fuit actum supradicta die, & cũ istud pactum non sit contra nouam substantiam, & formam inductam per Constitutionem Pij V. vt supra probatum fuit, licet per illam improbetur ibi, pacta continentia etiam pretium census extra casum prædictum, scilicet quando fuit facta denuncia, & intra annum ab inuito, aut ob pœnam, aut ob aliã causam repeti posse omnino prohibemus, & quo ad secundam partem pacti continentem damna, & interesse pariter hoc improbatur in Bulla ibi, pacta continentia morosum censuum debitorem teneri ad interesse lucri cessãtis &c. ex toto irrita sint, propterea videndum est, quid sit in dispositione iuris communis, nam si istud pactum improbatur à iure, tanquam contra substantiam, vtique erit improbatum, ita vt vitiet, & non modo vitietur, si vero non erit improbatum à iure, remanebit improbatum solum ex Cõstitutione Pij V. & sic non erit contra substantiam, vt patet ex prædictis, quare in hoc casu vitiari, & non vitiare dicendum erit, iuxta notata in *l. pacta conuenta. ff. de contrah. empt.* Zasius loco supra allegato.

3 In hoc articulo circa primam partem pacti non dubitarunt Domini, quod non liceret emptori census simpliciter obligare venditorem ad illum redimendum arbitrio ipsius emptoris, quia dum cogitur venditor ad restituendum capitale, illud redditur tutum, & propterea est verum mutuum, & vltra sortem recipiuntur fructus, & sic istud pactum est contra substantiam contractus, quia facit illum transire de vna specie in aliam ex allegatis per *Surd. in consi. 202. nu. 40.* & in istis terminis fuit dictum in causa Bonon. census 26. Iunij 1600. coram bo. mem. Card. Pamphilio, & hanc sententiam afferendo prædictam rationem tenuit Sotus, qui distinguit plures casus, *de iust. & iur. lib. 6. q. 5. art. 3. col. 2. vers. prima est. Medina de contract. p. 2. titu. de reb. per vsuram acquisit. q. 15. §. ex dictis alia nascitur dubitatio. vers. est tamen differentia. col. 17. fol. mihi 356. Petrus de Aragon. super secunda secundæ q. 78. art. 4. ante fin. in 4. concl. vers. sed dubitabit aliquis. fol. mihi 715. Bannes de iust. & iur. q. 78. art. 4. de censib. dub. 2. vers. 2. concl. fol. 630. Couarr. var. resol. lib. 3. c. 9. nu. 4. Nauar. de vsur. q. 33. cum duabus seqq. num. 122. Guttierez pract. q. lib. 2. q. 168. nu. 9. post princ. Felician Solis de censib. lib. 1. c. 20. n. 28. Card. Mant. de tacit. & ambig. conuent. lib. 8. tit. 22. nu. 22. Conrad. de contrac. q. 84. concl. 5. fol. 445. vbi col. 3.* vers. hæc autem iura condemnant hunc contractum tanquam simpliciter iniquum, & contra iustitiam commutatiuam, eo quod non datur iustum pretium, quia istud pactum æstimatur pretio notabili, & etiam ex eo quia est simillimus contractui vsurario, & per consequens est latibulum aptum pro latronibus, volentibus exercere vsuras palliatas, & hanc sententiam tenuit Rota in causa Romana Turris bubularię 7. Nouembr. 1575. coram bon. mem. Cardinale Seraphino relata in eius 1. lib. sub numer. 269. & in causa Romana census 21. Octobris 1605. coram bon. mem. Iusto. in vers. non obstat decisio in qua refertur pactum, de quo in decisione Cardin. Seraphini.

4 Sed iste non est casus noster, quia pactum de redimendo censum per emptorem fuit appositum non simpliciter, sed in euentum, in quem venditor esset morosus in solutione fructuum, quæ forma contractus de iure sustinetur, quia contractus est purus, licet sub conditione resoluendus, & ideo de iure est validus, vt est tex. clarus in *l. 2. §. si in diem. ff. pro emptore. l. 2. ff. de in diem adiect.* Vnde secuta traditione, & soluto pretio, tunc vere fuit translatum dominium census venditi in emptorem, & abdicatum à venditore. *l. ex empto. ff. de action. empti, & l. quod vendidi, & l. vt res. ff. de contrahen. empt.* & hoc procedit, ne dum in contractu facto cum pacto adiectionis, vel in diem, sed etiam legis commissoriæ, scilicet quando continet resolutionem contractus, nam quicquid sit in alijs pactis, de quibus *Guttier. de iuram. p. 1. nu. 11.* in pacto resolutionis contractus sustinetur. *l. commissoriæ. C. de pact. inter emptor.* & vendit. & probat *Conrad. de contr. q. 83. concl. 1. probat. 9. in fi. vers. 5. autem est duplex. col. 19. fol. mihi 410.* & in istis terminis ita ponderat *Medina de contract. & Leonard. Lessius locis infra allegandis*, & illa est differentia, quando apponitur simpliciter, & in casu moræ, quia in primo casu pendet à mera voluntate emptoris, secus vero in casu moræ, quia pendet à voluntate debitoris, vt considerat *Gabr. loco etiam infra allegando*, quare in isto casu cessãt duo, quæ faciunt contractũ illicitum, scilicet præsumptio mutui, quæ facit contractum vsurarium, quia hoc non pendet ex mera voluntate emptoris, sed ex culpa uenditoris existentis morosi in solutione, & modicitas pretij, quæ facit cõtractum iniustum, quia istud pactum nõ est pars pretij, ut in *l. fundi p. ff. de contrab. empt.* ad quod est aduertendum, sed est in penam, & quodammodo compensatiuum morę, & propterea in hoc casu istud pactum non

non est damnandum, cum sit attendendum id quod principaliter agitur. *l.si quis nec causam. ff.si certum pet.* quare hanc sententiam ita distinguendo tenent plures Doctores, & fere omnes insignes, qui fere etiam omnes loquuntur post Constitutionem Pij V.uidelicet Ioan.Medina, quem recol.mem. Franciscus Penia Rotæ Decanus magnum censorem contractuum appellare solebat in *tract.de cōtract.p.2.titu.de reb.per vsur. acquisitis q.15.§.ex dictis alia nascitur dubitatio.vers.quod si censualista col.20.fol.mihi 359. Olanus in concor.ver.in litera A.num.112.Lud.Molin. de iust. & iur. tom.2.disput. 391.claus.11. vers. Medina de vsuris. Leonard. Lessius de iust.& iur.lib.2.c.22.dub.11.nu.69.Gabr.consi.152.num.4.in fine,& nu.5.lib.1.Nauarr.consi.7. nu.6.de empt.& vendit. lib.1.secundum antiq. impressionem, secundum vero nouam consi.15.num.6.eod.tit.Card.Mant.de tacit.& ambig.conuen. lib.8.tit.22.nu.23.& seqq.qui tamen n.25.* fatetur hoc pactum esse improbatum per Bullam Pii V. quod est uerum,& pro ista opinione potest allegari Roderic.de annuis reddit *lib.2.q.1.nu.4. nam licet nu.5.& 6. improbet huiusmodi pactum,tamen num.7.* concludit,illud uitiari, & non uitiare,& quod ita fuit iudicatum,quod sufficit in casu isto,hanc quoque sententiam tenet *Garzias Mastrill.decis.Regni Sicil.95.num.3.& seqq. qui nu 6,* allegat huius opinionis Blascum Lanciam Prouenzalem super Extrauagant. Nicolai V. in uer. demortua, & nouissime hanc quoque sententiam tenet *Modern.Roman.discept.forens.tom.2.c.258. nu.29.& seqq.& Ioseph. de Sesso decis. Aragon.116. nu.56, & 51.& seqq.p.2.* & Rota amplexa fuit pluries hanc opinionem,vt in alleg.causa Romana census 21. Octobris 1605, coram bo.mem. Iusto, & in alia Calaguritana census 28. Ianuarii 1602. coram bon.mem. Cardinali Seraphino decis. 1418. in eius libris, & in eadem causa 29.Aprilis,eiusdem anni 1431.num.3. pariter in eius libris.

5 Sed cum hæc opinio non careat contradictore, tenet enim contrarium Didac. Pizanus super statuto de *Guadalupe in ver.irrepetibile vers.siue actu sit*, donec soluantur usuræ *Guttier. practic. q.lib.2. q.175. vers. his non obstantibus.Felician.Solis de censib.lib.1.cap.10.num.18. vers.ego vero*,ideo placuit Dominis perpendere illius rationem ad indagandam ueritatem, quæ quid ratio consisti in eo,quod licet pendente conditione de facto peti non possit sors, sustinetur tamen quasi mutuum in illa spe, quando eueniet casus, in quo deficiente conditione sors peti poterit, in defectum enim conditionis contractus retinet naturam mutui, prout quado simpliciter apponitur pactum,reiicit enim tunc retro oculos quoque modo ad tantundem in genere,in quo tota substantia mutui consistit, quare id solum agitur, ut quamdiu soluantur usuræ, sors non repetatur, ergo cum ultra sortem aliquid recipiatur,non census,sed mutuum iudicandum est, hæc illi. Hanc tamen rationem non militare respondebatur, quando principaliter non fuit facta ista pactio, sed incidenter in pœnam morosi debitoris non soluentis censum suis terminis constitutis,& ad faciliorem executionem ipsius contractus,quare ut dictum est,attendi debet, quid principaliter fuit actum inter partes. *dicta l.si quis nec causam. ff.si certum petat*,cum similibus.nec est uerum, quod contractus pendente conditione sustineatur, quasi mutuum in illa spe, quando euenerit casus nō solutionis fructuum, quia ut etiam dictum est, contractus cum pacto adiectionis in diem, uel leg. commissoriæ, scilicet resolutionis contractus sustinetur,quia ista pacta non mutant substantiam contractus, & hoc maxime procedit, ut considerat Gabriel loco præcitato,quia ita pactio fit ratione moræ,quæ cum sapiat delictum, *l.si plures,la secunda,cum glos. in ver. ratio suadet. ff de administrat.tut.* uidetur tunc pretium repeti à uenditore non inuito, sed tacite uolente, quando causando moram consentit *ad l.1.§.bestias, vbi glos. in ver. honorari. ff.de postulan.* idcirco repetitio, quæ fit culpa emptoris, non est contra substantiam contractus.

5 Quantum attinet ad secundam partem pacti, quod venditor census, si fuerit morosus in solutione fructuum,teneatur ad damna & interesse,hoc de iure nō est improbatum,sed permissum,& licitum. *Caiet. 2.2. q.78.art.2.vers.in responsione ad 1.Did.in rub.& in l.1.C.de sent.quæ eo quod inter.profer. But.in c. salubriter.nu.2.& 3. & Anchar.nu.2.& 3.de vsur. Abb.in c.conquestus.nu.6.eod. tit.& ad propositum dicit Azor. in summ. p. 3. lib.10. c.13. vers.certi iuris est. Hinc Ludou. Molina de iust. & iur. tom. 2.disput.300.super 6.claus.versic.circa hæc obserua, & Lessius.de iust.& iur.lib.2.c.22.dubit.12.n.86.*dixerunt,quod Bulla Pij V. prohibet deduci in pactum lucrum cessans extrinsecum, scilicet quod prouenisset ex industria,secus autem intrinsecum,vt si debitor tenebatur quid soluere,quod plus valeret de tempore destinate solutionis,quare si hoc dictum esset verum,istud pactum esset intelligendum de lucro cessante intrinseco,non autem extrinseco, cum verba sint semper applicanda ad sensum bonum, & vitio carentem. *Rota decis.10.nu.4.& 5. de testib.in antiq.* & vt excludatur cōtractus illicitus. *Alexand.cons.191.nu.6. lib.2.* & in istis terminis fuit resolutum in causa Ferrarien. Societatis 28.Iunii 1599. coram Illustriss.D.meo Card.Mellino, tunc Rotæ Auditore, sed quia alij Doctores dixerunt Papam prohibuisse huiusmodi pactum, licet de iure sit permissum ad tollendam occasionem vsurarum. *Bannes de iustit.& iure,q.78. art.4.de censi.dub.prin.ver.6. conuentio.fol.mihi,632.Azor.loco proxime allegat.vers.mirum non est, propterea,* quid sit de opinione Molina, & Lessij, fuit formiter, responsum, quod cum, vt patet ex prædictis, istud pactum non sit contra substantiā vitietur, & non vitiet ex supra allegatis,immo quod non obstante prohibitione Bule Pij V. possit agi ad damna, & interesse, nec non & ad lucrum cessans, si probentur requisita voluit *Azor. præcitato loco.versic. mirum non est,& versic.2. quæritur,* quia cum istum pactum sit promissum de iure, Bullæ Pij V. solum prohibet in pactum deduci ad euitandas fraudes,& præcidendam omnem occasionem vsuræ.

6 Ex quibus conclusum contra Abbatem Hieronymum Longum informantem, primam scilicet & secundam partem pacti,de quo agitur,non vitiare contractum; sed vitiari, cum non sit contra substantiam ipsius contractus, neque ex dispositione iuris,neque ex Constitutione Pij V. cum per ipsam constitutionem annulletur tantum istud pactum, non autem contractus, vt patet ex prædictis, & vt etiam quo ad primam partem pacti fuit iudicatum per Regium Gallæcum Prætorium,vt refert *Roderic.de annuis reddit.lib.2.q.1. num.7. in fine.*

R. P. D. PIROVANO.

Viterbien.Terræ Vetrallæ.Lunæ 30. Martij 1615.

ARGVMENTVM.

Interdictum quorum bonorum, & petitio hæreditatis non dantur contra titulo possidentem,etiam quod actor habeat titulum, & an donationis insinuatio suppleatur per iuramentum ex constitutione Ægidiana.

SVMMARIVM.

Interdictum quorum bonorum,& petitio hæreditatis non dātur contra titulo possidentem.nu.1. Vbi præsertim, quando reus habet,& titulum,& possessionem. Actor vero non nisi titulum,

Iuramentum numquid suppleat insinuationem donationis ex constitutione Ægidiana, quæ & iuramentum, & insinuationem requirit,nu.2.

Insi-

Insinuationem non esse in donatione factam ex lectura instrumenti colligi potest. nu.2.
Forma ad vnguem obseruanda, nec per æquipollens adimpleri potest, nu.2.
Insinuatio potest in eodē instrumento donationis fieri, & etiā post ex interuallo, & separatim, & ita practicatur, nu.3.

DECISIO DCLXXI.

1 Domini adhuc in decisis perstiterunt, quia principale fundamentum decisionum non fuit sublatum ex responsionibus, datis pro filijs Virginiæ. Vera est enim conclusio præsupposita, quod Nardus titulo donationis, & renunciationis possidet bona materna Virginiæ eius sororis, ac etiam portionem hæreditariam in paterna substantia, ad illam spectantem, ideo contra eum vti legitimum contradictorem remedia quorum bonorum, *& l.fin. C.de edict. Diui Adr. tollendo.* intentari non poterant, prout non dantur agenti petitione hæreditatis contra titulo possidentes, *leg. regulariter ff. de petit. hæreditat. l. hæreditatis, C. eod.tit. vbi Bar.n.2. & 3. reddit rationem,* quia & si actor nitatur titulo pro hærede, & possessione defuncti, reus tamen habet titulum, & possessionem, cuius iura in concursu sunt potiora, sequuntur, *Gabr.cons.31. nu. 2. lib.1. Honded. consil.22. nu.13. lib.1. & alij allegati per Menoch.de adipisc.remed.4.nu.586.& 588.* Vnde non est necessarium differere de validitate donationis in hoc iudicio exequutiuo, sed ordinarie est procedendū, nisi nisi in casib. in quib. titulus iste donationis incontinenti probaretur inualidus, qui nō probatur ex deductis pro istis hæredib. ad effectū excludendi in viā ordinariā, vt patet ex decisionibus in hac causa factis.

2 Non obstat vnica exceptio, quæ replicabatur ex omissione insinuationis donationis, que prætenditur incontinenti probari eo ipso, quod instrumentum de ea non facit mentionem, & esse necessariam dicebatur ex forma constitutionis Ægidianæ, *c.25. lib.5.* vt legitur in contextu, cui ex iuramento non videtur satisfactum, cum etiam iuramentum, & insinuatio de forma illius constitutionis requiratur, quæ ad vnguem est obseruanda, nec per æquippollens potest adimpleri, *Bal.in l.1. nu.2.ff.de liber. & posthum. Dec. cons.531. nu.2. Becc.cons.62. nu.42.lib.1.* qui loquitur in terminis insinuationis, & hunc sensum videtur recepisse in terminis insinuationis, & hunc sensum recepisse in causa Toletana Donationis 17. Maij 1596. coram Illustrissimo Arigonio, & Anconitana Dotis 27. Nouemb. 1598. coram Illustrissimo Lancellotto.

3 Quia fuit responsum, quod & si prædictæ decisiones Toletana, & Anconitana intellexerint Ægidianā de iuramento, & insinuatione copulatiue adhibendis ita vt tuta non videatur responsio data in secunda decisione in hac causa facta sub die 14. Maij 1614. attamen adhuc visum non est constare, incontinenti de inualida donatione ad effectum impediendi, ne ordinarie sit procedendum, cum insinuatio sit actus, qui potest contingere contemporaneè cum ipso instrumento donationis, vt declarant *l.fin.§. similique modo, C.de donat. ant. nupt.* nec item fieri potest post actum *d.l.fin.§. penult. Bart. in l.Modestinus, numer.5. ff. de donation. Becc. consil. 66. numer. decimoseptimo,* & secundum Praxim Curie separatim omnino ab actu ipsius donationis fieri debeat. *Boccat.ad eandem Consuit.cap.25. in vers. & insinuatione facienda in actis. num. 25.* ideo nisi etiam hæredes Virginiæ probauerint negatiuā, quod post actum donationis insinuatio in actis facta non fuerit, interim possessio Nardi nō remanet sine titulo nec per consequens vitiosa dici potest, & contradictor legitime impedit immissionem. *Menoch.d. remed. 4. num. 586.* præsertim cum donatio prædicta emanauerit à Virginia habente facultate donandi quod sufficit pro colore tituli ad istum effectum, vt exinde illius iustificatio ad ordinarium iudicium sit remittenda. *Lap. alleg.16. num.2. Mohed.dec.10.de restitut.spoliat. Rot.dec.75. num.2. libr.1. part. 3. diuersor.* Et ita fuit decisum, &c.

REVERENDISSIMO P. D.

COCCINO DECANO.

Corduben. Redecimarum. Veneris 27. Martij 1615.

ARGVMENTVM.

Redecima an sit contra ius, vel præter ius, quomodo debeatur, & de materia, legi fraudem facere, & in leuem committere, quando quis dicatur, quomodo puniatur, & an idem sit facere contra verba legis, vel contra sententiam legis.

SVMMARIVM.

Committere in legem dicitur is qui verba legis complectens contra legis nititur voluntatem, num.1.
Redecima dicitur esse contra ius, num.1. & nu.2. Vbi an dicatur esse præter ius, & de materia.
Præceptum de soluendo decimas ex parte laicorum est affirmatiuum, immo & negatiuum quo ad retardationem, nu. 1. Vbi etiam, quod ex parte ecclesiarum coacte exigere volentium est negatiuum, qui non possunt cogere laicos vltra decimam.
Affirmatiua propositio, quando resoluatur in negatiuam, numero 1.
Ius exigendi decimas, & obligatio illas soluendi, sunt correlatiua, & ideo ecclesiæ non possunt habere maius ius illas exigendi, quam laici habeant obligationem, num.1.
verbum quasi quandoque accipitur pro verbo Veritatis expressiuo, nu.1. in fine.
Legi fraudem facere dicitur, qui saluis verbis legis sententiam eius circumuenit. Contra legem vero facere dicitur is, qui facit id, quod lex prohibet, & de materia, numer.2.
Legi fraudem facere dicitur quis duobus modis, Declara vt numer.2.
Paria sunt contra legem facere, & legi fraudem facere. Ambo enim æque puniuntur, nu.2.
Paria sunt facere contra verba legis, vel facere contra legis sententiam, nu.2.
Redecima numquid dicatur illa, quæ non soluitur Ecclesiæ prædiali, sed alteri Ecclesiæ Sacramentali, num.3.
Onere duplici pro eadem re quis grauari non debet, numero 3. in fine.

DECISIO DCLXXII.

1 Iterum, vt morem gererem parti, proposui dubiū, an redecima sit contra ius, Prætendunt enim ecclesiæ, quod postquam aceruus communis fuit decimatus, alia redecima debeatur ex purtione dominica, & istud contra ius intelligebant Domini non strictè quasi diceretur contra verba legis, *vt in l. contra leges ff.de legibus,* sed generaliter contra sententiam legis, *vt in capite certum est 88. de reg.iur. in 6.* vbi dicitur, certum esse, quod is committit in legem, qui verba legis complectens, contra legis nititur voluntatem, & in *leg. nominis, & rei. §. verbum ex legibus, ff.de reg.iur.* vbi quod verbum ex legibus accipitur tam ex legum sententia, quam ex verbis. Quare Rota causa mature discussa censuit, prout in alia decisione sub die 16. Nouembris 1607. redecimam esse contra ius, ea ratione, quia non agitur ex parte voluntarie dantis, & respectiue gratuito recipientis, sed ex parte coacte exigentis, cum initium huius redecime fuerit coactum, iuxta resolutiones factas, quare cum præceptum de soluenda

uenda decima ex parte laicorum sit affirmatiuum, vt *Exodi c.22. in fi.* ibi, decimas & primitias non tardabis offerre; Immo & negatiuum quo ad retardationem, vt dicit *Abbas in rubr. de decimis. num. 2.* Nam cum sint debite grauantur Sacerdotes retardando solutionem, vt dicit *Abulen. Numeri c.22. q.18. post principium, versi. item quia decimæ. & Leuitici c.27. habetur.* Omnes decime terræ, siue de frugibus, siue de pomis arborum, Domini sunt, & illi sanctificantur. Et habetur *in c.1. & c. cum homines. & in c. pastoralis. de decimis.* Sequitur inquam, quod cum ex parte laicorum præceptum sit affirmatiuum, & ex parte ecclesiarum coacte exigere volentium negatiuum, ecclesiæ non possint cogere laicos vltra decimam, vt probat tex. expressus in *l. fin. 6. de hæred. instit.* vbi quod si testator instituto Plotio dicat, Sempronij Plotij hæres esto, censetur dixisse, quod si Plotius hæres non erit Sempronius in eius locum vocetur, vt substitutus, & sic affirmatiua resoluitur in negatiuam, ita in proposito præceptum affirmatiuum factum laicis de soluenda decima, resoluitur in negatiuam respectu ecclesiarum, vt scilicet non possint cogere laicos vltra decimam, quia lex vltra illam non obligat predictos laicos. Nam cum ius exigendi, & obligatio soluendi tanquam correlatiua sibi ex altera parte respondeant, non possunt ecclesie maius ius habere exigendi decimam, quam habeant laici obligationem soluendi *l. 1. ff. de codic.* ex leg. quod manifestissime colligitur in puncto ex text. in *c. parochianos. de decimis*, vbi dicitur, cum decimæ non ab homine, sed ab ipso Domino sint institutæ, quasi debitum exigi possunt, ita vt verbum quasi accipiatur pro verbo expressiuo veritatis, vt dicit gloss. ibidem, quare si decimæ tanquam debitum exigi possunt, ergo non vltra decimam, quia istud non est debitum ab aliquo institutum, quod etiam repetit Abulen. loco superius allegato post principium. vers. item quia decimæ. Hinc grauissimi authores tam Itali, quam Hispani, hinc etiam sæpissime Rota dixerunt, redecimam esse contra ius, vt fuit ostensum in alia decisione.

2 Non obstat, quod ista redecima videatur præter ius, non autem contra, cum non repugnet verbis legis, vt dicit tex. ad literam *in l. contra legem, & ibi Castren. & alij. ff. de legib.* Inquit enim *tex. contra legem facit*, qui id facit, quod lex prohibet, in fraudem vero legis facit, qui saluis verbis legis sententiam eius circumuenit, & in lege sequenti dicitur, quod fraus legi fit, vbi id fit, quod fieri noluit, fieri autem non vetuit. Nam fuit hoc obiecto responsum, quod quãdo verba legis repugnant, si fiat contrarium, fit directo contra legem, vt per Angelum in *d. l. contra legem. in princip. & per Odoffredum. num. 2. col. 2. princip. vers. & sic hoc casu.* sed quando fit contra sententiam legis, hoc est contra mentem, committitur in legem. *Odoffredus dicto num. 2.* post principium. immo vtroque casu committitur in legem, licet primo modo faciendo contra legem, secundo modo faciendo fraudem legi. *Odoffredus d. col. 2. post princip. vers. vnde licet directa.* & quod resultet idem effectu, quia tantum punitur qui facit contra legem, quantum ille, qui facit in fraudem legis, dicit *Fulgos. in d. l. 2. in princip. Albericus nu. 1. Bald. in l. non dubium. in 1. notab. C. de legib. & de hac est tex. in d. cap. certum est. 88. de reg. iur. in 6.* Vbi dicitur, certum esse, quod is committit in legem, qui verba legis contemnens, contra legis nititur voluntatem, & ibi Francus, in principio, notat, quod paria sunt facere contra verba, & sententiam legis, vel facere contra sententiam tantum, & ad idem est *tex. optimus in d. l. nominis, & rei. §. verbum ex legibus. ff. de reg. iur.* Vbi quod ex lege dicitur id non solum, quod venit ex verbis, sed etiam id quod venit ex sententia, & optime ibidem notat Rebuff. Quare cum quæratur an redecima sit contra ius, in effectu queritus an lex, siue ex verbis, siue ex sententia repugnat huic redecimæ, & cum hoc quæratur, vt videatur quæ præscriptio requiratur, cum siue sit contra verba, siue contra sententiam, resultet idem effectus, satis est firmare, quod sit contra ius in genere, quia cõmittere in legem est genus, facere contra legem est species, vt aduertit *Odoffredus in d. l. contra legem num. 2. post principium, vers. vnde nota.* Ita resultet idem effectus, vt supra probatum est.

3 Neque facit, quod ista redecima non soluitur Ecclesiæ prædiali, sed Ecclesiæ sacramentali domini fundi, & sic ista respectu istius Ecclesiæ sacramentalis videatur decima, & non redecima. Nam fuit dictum, quod quicquid sit de isto facto, si probaretur, non releuaret ea ratione, quia cum de iure deuino laici obligentur ad vnam tantum decimam, vt in iuribus supra allegatis, semper agitur de redecima, & quod illam prætendat Ecclesia Sacramentalis, postquam semel fuit soluta prædiali. *Abbas in c. cum sint. num. 6. vers. mihi videtur, quod opinio Ioann. And. de decimis. Butr. ibidem num. 5. vers. breuiter puto*, vbi dicit, hanc opinionem esse veriorem, quod etiam apertissime comprobatur ex diuisione parochiarum facta per *Dionysium Papam, vt in c. 1. 13. quæst. 1 c. pastoralis. de his quæ fiunt à prælat.* Nam sicut antea certum erat, quo I vna tantum decima soluenda erat, illa diuisio non operatur quod duæ decimæ sint soluendæ, sed attenditur consuetudo, cuinam Ecclesiæ vna tantum decima prædialis sit soluenda, an prædiali, an vero sacramentali. c. cum sint. vbi *Abb. num. 5. & 6. de decimis. Achilles decis. 3. & 6. de decimis. Rota decis. 163. num. 3. par. 2.* & est regulares, quod quis non debet grauari duplici onere pro eadem re in diuersis locis, vt in gabellis, collectis, & similibus, dicit *Aymon consil. 201. nume. 23. Francus decis. 87. numer. 5. per regulam text. in leg. nauis onustæ. §. cum autem. ff. ad legem Rhodiam de iactu.* vbi quod quis non debet duplici onere grauari. Ad alia obiecta placuerunt Dominis responsiones datæ in prima decisione, &c.

R. P. D. VEROSPIO.

Nolana Primiceriatus. Lunæ 4. Maij 1615.

ARGVMENTVM.

Ecclesiam esse collegiatam, quomodo probetur, & quando beneficium dicatur litigiosum.

SVMMARIVM.

Ecclesiam esse collegiatam non probatur per enunctatiua infra centum annos. nu. 1.

Ecclesiam esse collegiatam numquid probetur per sententias, nu. 1. vers. Nec obstant sententiæ. nu. 1.

Sententia non effectuatæ non probant Ecclesiam esse Collegiatam. nu. 1. in fine.

Ecclesiam esse collegiatam debet concludenter probari. num. 2. Vbi etiam an sufficiant signa & coniecturæ.

Beneficium non dicitur litigiosum ad effectum, vt possit dici reseruatum ex lite inter patronum, & ordinarium super libertate beneficij. num. 3.

Beneficium non dicitur litigiosum, nisi lis sit super titulo. nu. 3. in fine.

DECISIO DCLXXIII.

1 Educta contra decisionem sub die 21. Maij 1614. coram me in ista causa factam, non visa fuerunt Dominis releuare. Quamuis enim hodie iura sint in actis exhibita, responsiones, tamen in decisione datæ subsistunt, cum nulla dentur hic signa, quæ per necesse arguant Ecclesiam, de qua agitur,

agitur esse collegiatam, vt requirit *Abbas in cap. nobis, nu. 8. de Iure patr.* Nec obstant sententiæ de anno 1563. & 1565. ad fauorem patronorum latæ, in quibus dicta Ecclesia dicitur collegiata. Nam illæ, nec tanquã enunciatiuæ probant, cum sint infra centum annos, & de recenti, *Aret. in cap. cum causam. num. 22. de prob. Rota decis. 31. de prob. in antiqu. & decis. 185. par. 1. & 288. par. 2. diuers.* Nec minus probant, vti sententiæ, cum tunc temporis non ageretur, An ecclesia esset collegiata, sed solum an liberæ collationis existeret. *Paul. de Castr. consil. 99. num. 2. versic. multo ergo magis libr. 2. Felin. cap. quoniam contra num. 34. versic. 5. conclusio. de prob. Aymon. cons. 197. num. 10. vers. sed verba sententiæ, Alex. cons. 55. nu. 12. lib. 5.*

Et tanto magis id procedit effectu non subsecuto, cum ecclesia sit hodie libera. *Aymon. cons. 10. numer. 5. Natta cons. 456. num. 12. Cephal. cons. 96. num. 18. Rota decis. 438. par. 1. diuers.*

2 Nec suffragatur Episcopi Nicolani visitatio de anno 1381. Nam licet ecclesia ibi Congregatio nuncupetur, & in ea dicatur caput, videlicet Primicerium residere, nec non fructus communiter percipi, ac diuidi, non tamen per necesse deducitur illam esse collegiatam, cum simplici etiam Congregationi prædicta conueniant, & sic tanquam irreleuans probatio non admittitur capite in præsentia, de probat. Vbi Decius, *num. 58. Bald. in l. ad probationem, C. de probat. Castren. in l. veterib. ff. de pact. Ruin. cons. 13. col. 5. circa medium lib. 4.* Ex quibus non videtur obstare decisio Brixien. S. Nazarij coram bon. mem. Penia, vbi dicitur, collegiatam signis, & coniecturis probari. Non enim hic, vt dixi, talia signa reperiuntur, ad effectum præsertim inferendi reseruationem pro immissione in vim gratiose subrogationis, quo casu debet esse probatio clara, & indubitata. *Put. dec. 167. secundum nou. impressionem* & fuit dictum in causa Neapolitana Rectoriæ 13. Februarij 1598. coram Cardinale Pamphilio, & in hac eadem causa coram R. P. D. Caualerio.

3 Alterum vero decisionis caput, quod nimirum beneficium respectu litis reseruatum non existat visum pariter fuit subsistere, quia licet inter prætensum patronum, & Ordinarium super libertate beneficij lis adesset, non per hoc tamen erat beneficium litigiosum, vt posset dici reseruatum, *Sarnen. in regula de subrog. q. 5. num. 2. vers. & ratio est. Cassad. dec. 6. num. 2. de rescript. & dec. 4. vt lit. pend. Mandos. super regul. de subrog. q. 2. per tot. & præcipue, num. 5. Bald. in Auth. litigiosa. C. de litig. Put. dec. 496. num. 2. lib. 2.*

Vnde cessat, quod dicitur litem adhuc durare cum hodie constet de mandato in actis exhibito, ad prosecutionem causæ attentatorum. Nam cum lis prædicta super titulo non verteretur, illius prosecutio non officit ad effectum de quo agitur ex allegatis, &c.

R. P. D. ANDREA.

Beneuentana Bonorum. Lunæ 4. Maij 1615.

ARGVMENTVM.

In hac decisione plures, & notabiles explicantur conclusiones, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Manutentio datur spoliato authoritate iudicis nulliter, & iniuste procedentis, quando se non habuit pro spoliato, n. 1.
Statuta recipiunt interpretationem à iure communi, num. 2.
Minor non prohibetur fideiubere, nu. 2.
Relatio non fit ad omnia præcedentia, quando inducitur iurium correctio. nu. 2.
Statuta sunt stricte interpretanda, & restringenda, quantum sit possibile, nu. 2. in fine.
Iudex dicitur quem spoliare, quando iniuste procedit si iniustitia est notoria, alias secus, num. 3. in fine.
Excussionis exceptio non datur in obligatione Camerali. n. 5.
Minor in iudicio, quando non dicatur indefensus, num. 6.
Curatoris citatio an sit necessaria, quando adultus fuit citatus. num. 6.

DECISIO DCLXXIV.

1 Plura opponebantur pro Vitellijs in repropositione dubij contra decisionem, ad ostendendum, quod iudex nulliter, & iniuste processerat ad immissionem, & per consequens eos non priuauerat sua antiquiori possessione, ex quo eis competebat manutentio, cum non se habuerint pro spoliatis, vt sæpius fuit decisum, & signanter in Mediolan. Beneficij 10. Martij 1614. coram me. Et primo deducebatur nullitas obligationis minorum ex dispositione statuti Beneuentani Summario primæ dispositionis. num. 1. quod, vt ipsi dicebant, prohibet minores, & mulieres pro aliquo etiam patre, vel marito fideiubere, alias obligatio sit nulla, nec confirmetur iuramento.

2 Verum placuit responsio, quod statutum loquitur de contractibus mulierum in prima parte prohibent ne possint fideiubere, in secunda vero parte eisdem alios cõtractus permittit seruatis tamen certis solennitatibus, vt ibi. Vnde dum postea in secunda parte statutum mandat, quod in contractibus pupillorum, & minorum seruentur in omnia dicta in contractibus mulierum, debet relatio fieri ad illam partem statuti, qua mulieres cum certis solennitatibus contrahere permittuntur, non autẽ vbi illæ à fideiussionibus arceantur, quia statuta recipiunt interpretationẽ à iure communi, *l. 1. §. lex Falcidia, vbi not. omnes, ff. ad leg. Falcid.* quod ius commune prohibet quidem mulieres fideiubere etiam pro patre, minorem autem masculum, vel pupillum non prohibet, *leg. si paternam. vbi glos. & Doct. C. ad Velleian. l. filiusfamilias, cum concord. in gloss. & ibi quoque not. Doctor. C. de fideiussion.* & relatio non fit ad omnia præcedentia, quando induceretur iurium correctio. *Panorm. in c. Ecclesia vestra. il secondo, per illum text. num. 5. de elect. Ias. in l. talis scriptura, nu. 39. ff. de legat. 1. Capi. dec. 21. nu. 11. Gabr. de claus. concl. 9. nu. 5.* Quod multo fortius procedit in statuto, quod debet restringi, quantum sit possibile, vt minus corrigat ius commune, etiam verba impropriando. *Abb. in c. cum dilectus, num. 21. de consuet. Roman. cons. 199. num. 4. Gozzadin. cons. 88. num. 8. Grat. cons. 46. nu. 8. libr. 1.*

3 Secundo hæc nullitas fundabatur in defectu causæ necessariæ, vel vtilis, quam requirit statutum ex quo de tempore ratificationis primæ obligationis, scilicet de anno 1612. pater erat mortuus, & sic cessabat causa eum liberandi ab imminenti carceratione, sed fuit responsum, quod causa satis vrgens, & sufficiens obligationis, & ratificationis huiusmodi fuit honor paternus, ne scilicet simul, eodemque tempore detegeretur periurus, & mendax, cum eadem bona filijs, vt prætenditur donata alteri deinde hoc tacito tanquã sua, & propria obligasset in impositione census ad fauorem Octauij, & fratrum de Galeatijs, & cum pro parte illorum fuerit appellatum à sententia A. C. quæ canonizauerat hanc, & alias nullitates, & causa super validitate huius obligationis reperiatur commissa R. P. D. meo Dunozet. interim stante turbiditate istius nullitatis, & immissione data à iudice non debet ita indirecte ad eius reuocationem procedi per viam manutentionis, ad quam agitur solum, quando iudex notorie, & iniuste processit. Alias remedium ordinarium dicendi de nullitate sententiarum penitus esset sublatum, vt optime firmauit Rota in causa Romana de Bombellis. Veneris 31. Maij 1613. coram Reuerendissimo Domino meo Damasceno.

4 Tertio opponebatur nullitas istius obligationis, quod

quod fuerit facta metu carcerum, sed fuit dictum, quod Vitellii in carceribus reperiebantur vigore mandati iudicis, ex cuius interuentu, & propinquorum, ac aliarum solennitatum excluditur omnis metus. *Bal. in leg. 2. quæst. 9. C. de rescind. vendit. Aym. consil. 114. num. 3.* cum aliis allegatis per *Menoc. præsump. 128. num. 5. & 6. lib. 3.*

5 Quarto allegabatur nullitas ex defectu processus eo, quod fuerit facta exequutio super stabilibus non facta excussione super mobilibus, sed placuit responsio data in decisione, quod Vitellii non docent de inuentario, ex quo appareat adesse mobilia. Et in omnem euentum excussionem cessare ex obligatione Camerali, de qua in instrumento,

6 Quo ad aliam, & quintam nullitatem, ex quo minores non fuerint defensi, aliqui eam intelligebant, quando minori competunt defensiones. Aliqui eam remouebant ex citatione minorum, & oppositione pro parte eorumdem de nullitate census, qua nō obstante cum fuisset relaxatum mandatum contra bona hæreditaria, fuit ab illa relaxatione appellatum, & in eius appellationis vim obtenta inhibitio ab A.C. quę postmodum fuit moderata, ex quibus, & aliis in processu ipsos non indefensos remansisse dicebant, & cū essent maiores 14. annis, & omnes adulti, non erat necessaria curatoris citatio, aut illius comparitio, & defensio, cum sit in optione Actoris, quem velit citare. *Alex. in l. si ex legati. num. 8. ff. de verb. oblig. Card. in Clemen. religiosus. q. 5. in fin. nu. 9. de procur. Mandos. de commiss. formul. 4. vers. ad legitime comparendum, & de ætat. minor. q. 10. nu. 5. & 9.* Et licet aliqui ex Dominis de hac conclusione dubitauerint, quia in practica seruatur, quod si adultus habet curatorem, debet curator citari, & non sufficit citare adultum, sed si eo caret tunc adultus citari potest, vt legitime compareat, & sibi curatorem petat, add. ad *Dec. cons. 449. num. 11. in verbo adultum, Afflict. decis. 262. nu. 7. & ibi Vrsill. nu. 3. Socin. in tract. de citat. art. 29. nu. 49.* Attamen de consensu maioris partis ex illa, & aliis rationibus obtinuit esse standum in decisis, &c.

R. P. D. PIROVANO.

Mediolanen. Iuris patronatus Ven. 15. Maij 1615.

ARGVMENTVM.

De Iure patronatus, quando dicatur hæreditarium, & quando gentilitium.

SVMMARIVM.

Ius patronatus in dubio præsumitur potius hæreditarium, quam gentilitium. num. 1.

Ius patronatus potest declarari, quod sit hæreditarium, & gētilitium, non minus in codicillis, quam in ipsa fundatione, dummodo ordinarij consensus concurrat. nu. 2. in fine.

Ministerij verbum, quandoque sumitur pro actu, & voluntate, quandoque pro officio, & aliquando etiam pro dignitate, & præeminentia. num. 3.

Ius patronatus an sit gentilitium, leuiores sufficiunt probationes, quando non agitur de illius substantia, sed de pertinentia. nu. 3. in fine.

DECISIO DCLXXV.

1 CEnsuerunt Domini persistendum esse in decisis, quia ex verbis codicilli, quod testamento non contrariatur sententia Milonis inscriptione, & obseruantia in alia decisione ponderatis bene colligitur qualitas iuris patronatus gentilitia, qui pertinet ad præsentis dubii disputationem. Neque prædictis visum est obstare, quod cum hæc qualitas gentilitia deducatur ex codicillo, relatiue ad instrumentum fundationis Iuris patronatus, in quo non legitur huiusmodi qualitas, vt ideo nec adiici possit, tanquam nō proueniens ex certa, & determinata lege testatoris, sed prout de iure regulandum videatur, à quo recipit, esse hæreditarium. *Card. in Clem. plures ab vno. in 6. q. & Anchar. nu. 2. de Iure patron. Abb. in c. cum sæculum. n. 3. & 5. eodem tit. idem Anchar. cons. 81. nu. 2. Lamber. de Iure patron. in 2. p. lib. 1. q. 5. art. 15. per tot. Couar. variar. resol. lib. 2. c. 18. num. 6. in fine.*

2 Fuit enim responsum, quod & si verba codicilli videantur inferre simplicem declarationem eorum, qui sub nomine parētum nominati fuerunt in fundatione ad interessendum electioni Abbatis, ita vt ab interessentia in eligendo Abbatem, non videatur posse inferri ad proprietatē Iuris patronat. Nihilominus dū fundator in eisdē codicillis sic prosequitur, post meū autem decessum vnusquisque eorum in vita sua eligat de suis parentibus propinquioribus de paterna parte ad hoc ministeriū esse successorē sine vllo pretio quem cognouerint vtiliorem ad hoc faciendum perpetuis temporibus, videtur in hac parte enunciata noua dispositio non comprehensa in charta iudicati, quæ importat gentilitiam qualitatem, vt fuit ponderatum in decis. 29. Aprilis 1613. Ideo argumentum nō concludit, si dicatur, non legitur à fundatore hec qualitas gentilitia, ergo negatiua huius qualitatis probata remanet, quia non minus in codicillis, quam in ipsa fundatione potuerit qualificari Ius patronatus, modo Ordinarii consensus concurrat. *Calder. cons. 5. & 20. de Iure patr. Abb. cons. 59. num. 3. vers. 3. principaliter. lib. 2. Paris. consi. 35. num. 8. lib. 4.*

3 Nec dicatur, quod quatenus sit noua dispositio, illa sit restricta ad verba ad hoc ministerium, quod ministerium comprehendere videtur solummodo interessentiam in eligendo Abbatem, de quo supra erat sermo non autem ius præsentandi ad Canonicatus non expressum. Quia soluitur obiectum, cum significatio huius verbi ministerium late pateat, quandoque enim sumitur pro actu, & voluntate, *vt in l. quod meo nomine. ff. de acquir. poss.* aliquando pro officio, & aliquando pro dignitate, & præeminentia, *vt in c. 2. de conces. præbend. & in c. 2. & 3. de offic. Archipresb.* Ideo cū facultas sit data per fundatorem nominatis, ut possint in vita eligere successorem ad hoc ministerium, videtur etiam translatum ministerium ipsius patroni, quod respicit nedum preæminentiam interessendi in electione Abbatis expresse reseruata, sed etiam officium iuris presentandi Canonicos iuris præsumptione absque reseruatione. Et hic sensus uidetur per secula receptus, dum in sententia Milonis emanata fere post centum, & quinquaginta annos, & ex præsentationibus vsque ad annum 1520. subsecutis declarantur Cortesellæ de genere, & progenie fundatoris, ac patroni fundatores, & dotatores, quæ sententia, præsentationes, & inscriptiones iam in alia decisione pōderatæ etiam absque codicillo visa sunt Dominis sufficere ad probationem huius gentilitiæ qualitatis, quæ contentatur leuiori demonstratione, dum non tangit substantiam Iuris patronatus, sed pertinentiam. *Gemin. cons. 38. nu. 3. & fuit comprobatum in dicta decis. ex Franc. Socin. Abbat. Ferret. & alus.* Vnde ex prædictis tollitur fundamentum Marliani deductum ex conformitate status præsentis, cum antiquo de tempore fundationis, quia data etiam conformitate nihilominus necessario non infertur ad exclusionem gentilitiæ qualitatis, vt dictum est.

4 Non obstant præsentationes, quæ asseruntur prædictæ qualitati repugnātes, & dispositæ sunt in *Summario Marliani. num. 6.* quia quo ad eam de anno 1475. quæ præcedit statum anni 1520. iam firmatum, non legitur aliqua repugnantia cum anterioribus præsentationibus, cum non exprimatur, quod tanquā hæres alicu-

alicuius præsentationem faciat, sed simpliciter dicat Benedictus quondam Iacobini de Cortesella patronus,& aduocatus Ecclesiæ S.Sepulchri, de ceteris autem non est habita consideratio, quia percutiunt statum post annum 1520. in decis. reseruatum. Et demum non obstat, quod sententia Milonis nihil disponat, quod pertineat ad qualitatem gentilitiam, quia ex lectura ipsius contrarium conuincitur,& fuit pōderatum in alia decisione, & illius declaratio non remanet impedita, vel sublata ex instrumento fundationis, vt iam dictum est, &c.

REVER. P. D. MANZANEDO.

Ianuen. Domorum. Veneris 15. Maij 1615.

ARGVMENTVM.

Vendere domum suam Ecclesiæ, seu Monasterio vicino, quando quis cogi possit.

SVMMARIVM.

Vendere rem propriam nemo cogendus, fallit fauore religionis, & Ecclesiæ, quæ possunt ad illarum constructionem, seu ampliationem officio iudicis cogere vicinos, ad sibi vendendas domus. nu.1.

Vendere domum suam vicinus cogi potest ab Ecclesia, seu monasterio vicino tribus concurrentibus requisitis. Primo necessitas Ecclesiæ, seu monasterij. Secundo contiguitas domus, Tertio, quod ex tali venditione non magnum præiudicium vicino subsequetur. nu.2. & seqq. Vbi plura ad hanc materiam explicantur.

Antiquitas domus arguit honorem, & nobilitatem familiarum. num.8. ante med.

DECISIO DCLXXIV.

1 REproposito dubio alias discusso, & propter diuersas Dominorum sententias non resoluto, nempe an RR. PP. Societatis Iesu essent cogendi ad vendendas domos,& situs pro ampliatione monasterij Sancti Siri, fuit hodie pro parte negatiua capta resolutio. Et quamuis regulæ, quod non posit quis cogi rem propriam vendere, iuxta *tex. in l. nec emere. C. de iur. deliberan. l. inuitum. C. de contrahen. empt.* detur limitatio, quod non procedat fauore religionis,& Ecclesiæ, quæ possunt ad illarum constructionem, seu ampliationem officio iudicis cogere, vt vicine domus sibi vendantur, iuxt. *tex. in l. si quis sepulchrum. ff. de relig. & sumpt. funer. & ibi Florian. nu.1. & in l.3. §. locus. eod. tit. & Bal. in l.1. nu. 19. ff. solut. matrim. vbi Ang. n.12. Cæpol. de seruit. vrban. c.82. nu.5. Ias. in l.2. n.4. ff. sol. matr. Grammat. decis. 75. n.1. Ant. Gomez. in l.46 Taur. n.9. Franc. Marc. decis. 534. n.3. cum seq. Vinc. de Franch. decis. 223. nu.5. & seq.* Ex quibus ista est communis, vt etiam firmauit Rota in vna Neapolitana Monasterii. 29. Aprilis 1602. coram Illustrissimo Lancellotto, & in alia Romana Palatii de Commitibus. 16. Ianuarij 1612. coram Reuerendiss. D. Damasceno, & prius coram me in alia Romana prætensæ demolitionis domus. 29. Februarij 1608. nec illam esse communem negat, sed potiùs fatetur *Couarr. variar. lib.3. cap. 14. num.7. vers. quibus sane, quin. & num.8. vers. fin.* dicit iudicem æquissime facturum vtendo prædicta frequentissima Doctorum sententia, illamque in praxi iustissime admitti posse.

2 Ceterum cum dispositio text. in dicta *l. si quis sepulchrum.* videatur exorbitans à regulis iuris, nec pro sui executione ex textu illo competat actio, sed solum officium iudicis veniat implorandum, videtur dicta lex omni, quia possit, æquitate in praxim admittenda. Vnde Doctores supra citati tria exponunt requisita, vt vicinus compelli possit ad vendendam suam domum Monasterio ædificando, seu ampliando, nempe quod concurrant necessitas Monasterij, & contiguitas domus ipsi Monasterio,& quod ex tali venditione non magnum preiudicium vicino vendere compellendo subsequatur, quæ requisita ex eiusdem legis contextura clare desumuntur, quatenus ibi dominus sepulchri viam ad illud non habebat, & sic aderat necessitas. Et quatenus dicitur, quod via impetretur ab eo, qui fundum adiunctum habeat, ibi insinuatur opus esse domus contiguitate cum Monasterio. Et tandem in vers. præses disponitur, quod ita iter præstetur, vt iudex etiam de opportunitate loci prospiciat ne vicinus magnum patiatur detrimentam, Vnde videre est, an prætensio RR.PP. Regularium Sancti Siri sit fulcita, vel careat prædictis requisitis, vt officio iudicis sibi sint Patres Societatis Iesu compellendi vendere dictas domos, vel non.

3 Et quo ad primum necessitatis requisitum satis adesse apparuit ex resolutis per Rotam 6. Februarij. 1612. quando constitit de necessitate Nouitiatus, & illud dandum dixerunt Domini cum viginti cellis, & membris necessarijs. Item infermariam cum duodecim cellis, & hospitium, siue forestariam cum decem cellis, & Bibliothecam, & capitulum competentia, scholasque duas pro legendis casibus, Philosophia,& Theologia,& domum parochi,& Barberiam. Posteaque in aliis positionibus 25. Februarij, & 8. Martij 1613. fuit resolutum, qua longitudine,& latitudine vnaquæque dictarum officinarum constare debebat.

4 Circa vero contiguitatem secundum requisitum iuxta plantam, & modellum, in quibus partes concordarunt apparet de dicta contiguitate istius domus cum Monasterio in parte posteriori, nempe vtriusq; viridarij, quam non ita considerandam prætendunt Patres Societatis Iesu, cum aliæ domus sæcularium continguitatem habeant non ex parte viridarij, sed cum muris, & cellis eiusdem Monasterii. Et ex eadem ratione prætendunt potius prædictos sæculares compellendos esse suas domus vendere, quam ipsos Patres Societatis Iesu, qui illas pro ibi construendo Collegio emerunt. Quod & Dominis placuit, tum propter supra dictam maiorem contiguitatem,& magis opportunam domorum sæcularium ampliatione Monasterij Sancti Siri, quam domus Patrum Societatis. Tum etiam quia videbatur magis consentaneum seculares potius compellere ad hunc effectum, quam religiosos, & priuilegiatos volentes collegium in ista domo construere. Aut saltem, vt vnus ex Dominis dixit, ipsos religiosos non cogendos, nisi prius intentata emptione situum priuatorum, in quorum defectum posset intrare subsidiaria coactio contra Patres Societates Iesu, non vero antea.

5 Non obstare videbantur in contrarium adducta, nempe, quod esset nimis difficile in ciuitate Ianuæ sæculares maxime nobiles, quales sunt Domini domuum vicinarum Monasterio Sancti Siri compellere ad illas vendendas. Tum quia opus esset licentia Senatus, & valde difficile esset in casu præsenti illam obtinere. Tum etiam, quia Patres Regulares ex suo instituto, nec quicquam possideant, nec quicquam petere valeant necessario, & omni ratione suadente debent abstineri à molestijs dictis sæcularibus, & nobilibus inferendis cum ipsorum, & aliorum eleemosynis sustententur. Et tam illi sint compulsi, & reuocati, quam alij ex eadem causa tædio affecti cessare possent in dictis eleemosynis erogandis, illasque in alia opera pia conuerterent. Quod dicebatur pro parte Patrum Regularium esse tantæ considerationis, vt nullatenus esset præbenda occasio ipsis Patribus Regularibus dictos sæculares compellendi, & reuocandi. Nec Senatui,& Serenissimo Duci molestos

stos se præbendi, cum quantumcumque Catholici, & S. Romanæ Ecclesiæ obedientes sint, nihilominus desiderent, & curent quantum in se est, ne sæculares & nobiles vexentur, & à proprijs ipsorum, & suorum parentum habitationibus eijciantur.

6 Respondebatur enim cum deductis in decisione 7. Nouemb. 1614. in ista causa facta, vbi dicitur ex quibusdam actibus datis per Patres Societatis Iesu apparere Senatum ad fauorem communem Patrum Societatis pro ampliatione Ecclesiæ S. Ambrosij, & ad fauorem Monialiũ S. Catherinæ de Senis pro amplian-do illorum Monasterio ad instantiam dictorum Religiosorũ mandase compelli quosdã sæculares ad vendendũ dictis Religiosis aliquas domos pro pretio iuxta ordinem Senatus æstimando, sicq; ex prædictis cõstare Senatum huiusmodi coactionem non ægre ferre, nec sęculares ita illud moleste sentire, vt possint timeri inconuenientia ex aduerso proposita.

7 Quo vero ad tertium requisitum, quod ex simili coactione ad vendendum non magnum prçiudicium inferatur, iuxta text. in dicta lege si quis sepulchrum in d. vers. Præses, ex quo satis elicitur remedium prædictæ legis sic competere, si tamen non sit magni prç. iudicij vicino cogendo. Vnde cum ex huiusmodi vẽditione Patribus Societatis Iesu præiudicium magnũ inferri videatur, cum ab ipsis omnino auferretur domus empta pro Collegio ibi construendo necessario iuxta eundem text. in l. si quis sepulchrum, videbatur deneganda Patribus Regularibus Sancti Siri coactio istius venditionis ab ipsis prætensa.

8 Quibus non obstare visum fuit, quod ex aduerso opponebatur scilicet, quod si bene verum sit remedium *text. in d. l. si* quis sepulchrum, non intrare dato magno præiudicio vicini; Tamen non posse negari quin eadem *l. si quis sepulchrum*, admittat, illius dispositioni esse locum etiam dato aliquo præiudicio vicini non tamen magno, cum certum sit dare viam ad sepulchrum per fundum coniunctum vicino esse non posse absque illius aliquo præiudicio, & damno, quod etiam sensit Rota in supra dicta decisione Romana Palatij de Comitibus, in qua magnum præiudicium consideratum fuit ex ratione nobilissimæ familiæ de Comitibus, & quod illud Palatium erat antiqua eorum habitatio, & preferebat magnam antiquitatem, & nobilitatem insigne ædificium Turris militiarum cum palatio incorporato. Et quia huiusmodi antiquę habitationes maxime conferunt ad honorem familiarum, & conseruandam illorum nobilitatem ex traditis per *Tiraq. de nobilit. c. 37. num. 23.* cum alijs ibi adductis, quod iure optimo Rota magnum præiudicium iudicauerit, & paulo inferius dicitur, quod Domini, tunc non intendebant firmare, quod quælibet familia nobilis possit euitare dispositionem dictæ lege si quis sepulchrum, sed concurrenti insigni, & extraordinaria nobilitate, qualitate ædificij, & alijs de quibus ibi. Vndę clare Rota sensit, non quodlibet præiudicium euitare dispositionem dicta lege si quis sepulchrum. Sed tantummodo magnum præiudicium. Ex quo inferebant Patres regulares dispositionem prędictæ lege si quis sepulchrum, habere locum in casu isto, in quo tantum abesse videbatur, quod daretur, magnum præiudicium Patribus societatis, quod imo fere nullum illis causatur, cum licet emerint domum, de qua agitur ad effectum collegij constituendi vsque nunc, nec quicquam construxerunt, ita vt domus reperiatur in statu quo fuit empta, & accepto pretio eiusdem domus erit facile eisdem Patrib. Societatis aliã domũ illumve situm intra ciuitatem Ianuę æque commodum, siue commodiorem pro eodem, vel minori pretio reperire, prout dicunt sępius Patres Regulares se obtulisse, ac dictum situm commodiorem domo, de qua agitur ad arbitrium boni viri, siue ad iudicium Rotæ illis in dicta ciuitate præbere. Quo stante inferunt nullatenus magnum præiudicium, aut quasi nullum ex ista coactione vendẽdi istã domũ Patrib. Societatis inferi.

9 Et eo maxime cum nullam æquitatem, nullamque rationem prætendunt suadere, quod duo Monasteria Religiosorum ita contigua permittantur, propter inconuenientia satis nota, & serio enumerata per *d. Bonauent. 2. tomo, opuscol, in libell, Apologetic, quæst. 7. per totum*. Præsertim cum ex Modello, & planta clare appareat viridarium domus, de qua agitur prædominari Monasterium, & claustra Sancti Siri, & cum illius religiosis eleemosynis etiam non petitis sustentationem expectent, videtur, quod illæ sint in dies minuendæ vicinitate alterius Monasterij, quæ damna, & præiudicia Monasteria Sancti Siri asserunt esse sufficientia, & pro cogendis patribus Societatis Iesu ad domum vendendam.

10 Fuit namque responsum insistendo in eo, quod ex ista venditione domus est magnũ prçiudicium, quod causatur Patribus Societatis, cum iam domum istam pro collegio construendo emerint, nec de facili possunt in dicta ciuitate alium situm æque commodum inuenire. Et obligationes in contrarium deductæ sint verbales, neq; de illis in actis appareat, & possit in viridario istius domus de facili remedium adhiberi, nec Monasterium Sancti Siri prædicti viridarij prospectui sit subiectum, nec ex vicinitate dicti Collegij vllum præiudicium dicto Monasterio Sancti Siri, quo ad eleemosynas inferri valeat, cum in collegijs Societatis nullus non religiosus ex eisdem sepeliatur, nec eleemosynæ pro Missis, & alijs officijs admittantur, quibus cessantibus cessat illarum diminutio ex aduerso proposita, maxime cum Collegia societatis viuant ex redditibus competentibus, vt est notum, Ex quibus visum fuit Dominis, quod versamur in magno præiudicio Patribus societatis ex istius domus venditione inferendo, & quod isto admisso cessat remedium ex aduerso intentatum, iuxta dispositionem *text. in d. l. si quis sepulchrum*, & per consequens resoluendum censuerunt, Patres societatis ad dictam venditionem non esse cogendos.

11 Quia tamen pro parte Patrum Regularium fuit oppositum de quibusdam priuilegijs Pontificum, ex quibus prętendunt dictum Collegium ita vicinum Monasterio Sancti Siri construi non posse, Domini super hoc articulo, & releuantia dictorum priuilegiorum reseruarunt particulariter videre, &c.

R. P. D. MANZANEDO.

Legionen. Decimarum, Veneris 22. Maij 1615.

ARGVMENTVM.

De concedenda remissoria in causa decimarum, data releuantia articulorum, & quod decimæ debeantur etiam quando terrennum ad culturam reductum fuit ex fructibus, ex eadem cultura procedentibus.

SVMMARIVM.

Decimarum causa ad effectum concedendi remissoriam pro qua est profana, nu. 1.

Remissoria conceditur data articulorum releuantia etiam vno solo articulo existente releuanti, nu. 1.

Decima de iure debentur Commendatario intra limites suæ Commendæ, num. 2.

Decimæ ex herbis debitæ debentur etiam ex terreno, in quo herbæ nascunuur ad culturam reducto ex fructibus inde procedentibus, nu. 3.

Immemorabilis præscriptio habet vim tituli, et priuilegij, n. 4.

Probatio probationem non excludit, nu.5.
Remissoria quando concedenda est etiam, quod super iisdem articulis fuerint examinati alij testes, num.5. in fine.

DECISIO DCLXXVII.

1 FVit conclusum, dandam esse remissoriam D.Commendatori, cum versemur in prophanis, qualis ad hunc effectum reputatur causa decimarum. *Put. decis.334.in fi.lib.2.* & fuit dictum coram bo.me.Card. Pamphilio tunc Rotæ Auditore, in vna Valentina decimarum de Gandia 23. Februarij 1601. Et cum articuli visi fuerint releuantes, intrat conclusio, quod data releuantia etiam vnius articuli remissoria venit concedenda. *Cassad.decis.5.in fi.de seq.pos.* & facit *Seraphin.decis.1364.nu.3.* & fuit dictum in vna Neapolitana Illegitimitatis 18. Maij 1607. coram bo.me. Penia.

2 Releuantia autem videtur clara, cum pro parte D. Commendatoris articuletur penes ipsum in ista Cõmenda de Villa Francha residere curam animarum, & ipsum illam exercere per Rectores, ab ipso deputatos, amouibiles ad nutum, etiam priuatiue ad Magnũ Magistrum, ex quo articulo probato cessabunt adducta pro Magno Magistro in decis. coram D. meo Pirouano 17. Martij 1613. quia & ex eisdem in illa decis. deductis veniret dicendum, Do. Commendatorem habere super istis decimis suam intentionem fundatam de iure intra limites suę Commendæ, ita vt sicut Parocho debentur decimæ, ita & Commendatori, penes quem cura Parochi residet. c. cum contingat. de decimis. & ibi Doctores. *Caputaq. decis.356. nu.3.par.2. Seraphin.decis.1422.num.14.*

3 Et hoc non solum ex herbis dehesæ, sed etiam casu quo illa reduceretur ad culturam ex fructibus ex dicta cultura procedentibus, tanquam in locum herbarum subrogatis. *ad text.in c.cum in tua.de decim.& ibi Hostiens.per illum tex.nu.1.vers.* & secundum istos, *Ioan. And.post princ.Butr.nu.5. vers.vnde dicit Abb.nu.5.Balb. de præscrip.2.p.prcipali. q.12. nu.17.versic.pariter qui præscripsit, Rebuff de decim.q.14. nu.18. Couar.hanc dicens communem praci. c.37. nu.5.* Ratio est, quia Commendator habet ius reale fundatum super herbis dehesæ decimalibus, *Ancharan. in dicto c. cum in tua. nu.3. Rebuff. vbi supra*, ita vt mutatio fructuum non possit mutare obligationem præstandi decimas loco priorum subrogatarum, ex doctrinis superius adductis, & *text.in c.commissum. de decimis.*

4 Vlterius, quia etiam si assistentia iuris non faueret D.Commendatori, sed potiùs magno Magistro, prout in dicta decis. coram D.meo Pirouano stante immemorabili articulata, quod in ista religione quauis dehesa redacta ad culturam Commendatores percipiũt decimas de fructibus ibi seminatis, nullatenus prædicta iuris assistentia Magno Magistro suffragaretur, cum data prædicta immemorabili posset Dominus Comendator allegare pro se titulum, quem velit, & priuilegium Pontificium sibi magis proficuum, *ad text.& ibi glos.in verb.non extat memoria.in c.super quibusdam.§.præterea.de verborum signif. Put.decis.205.nu.2.& 3.lib.1. Achill.decis.4. de iure patr. vbi alios allegat Mohed. decis.3.eodem tit.Gozad.in.cons.8.n.37. Paris.cons.111.n.43. & 49.lib.1.* Ex quibus satis constare videtur de releuantia articulorum pro remissoria concedenda.

5 Quibus non obstant testes Magni Magistri contrarium deponentes, quia vltra quod probatio probationem non excludit, *Rot.decis.785.nu.1. p.1.* Respondetur, quod cum etiam adsint alij testes pro D.Commendatore deponentes facilius venit remissoria concedenda, vt ex nouiter examinandis dignosci valeat, qui illorum in concursu præualere debeant. Et minus facit quod in partibus fuerint per Dominum Commendatorem examinati plures alij testes: Tum quia hodie multa articulantur, quæ tunc non fuerũt articulata: Tum etiam quia cum Commendator habeat pro se secundam sententiam de partibus reuocatoriam primæ cessat suspicio calumniæ, & consequenter est danda remissoria, non obstante, quod alij testes fuerint examinati. *Vestr.in prax. lib.6.c.vlt.n.3.* cũ præsertim adsint testes hinc inde, vt supra dictũ est.

6 Ex quibus fuit pro remissoria resolutum, sed quia articuli prædicti respiciunt petitorium, quod hodie reperitur suspensum, ideo placuit Dominis illam concedere sine retardatione iudicij possessorij. Et ita resolutum, &c.

R. P. D. ANDREA.

Romana Census, seu Fideicommissi de Scalabrinis. Veneris 22. Maij 1615.

ARGVMENTVM.

Census impositio facta à minore, vel à muliere sine solennitatibus statutarijs nulla, & inualida est, & qui opponit de vtilitate contractus ad effectum euitandi statutarias solennitates, & quod pecuniæ in contrahentium vtilitatem versæ fuerint, probare debet, quia talis versio non præsumitur.

SVMMARIVM.

Censum imponere minores non possunt sine solennitatibus statutarijs. nu.2.
Census impositio dicitur alienatio, & ideo prohibitus alienare, nec etiam potest censum imponere. nu.2. vers.nec dubitari potest.
Minores, & mulier pupillorum filiorum tutrix, quando se insimul obligant, in eorum obligatione requiritur consanguineorum præsentia, non mulieris tutricis solum, sed etiam filiorum maiorum. num.3.
Mulier si se obligauerit soluere debita alterius absque releuatore dicitur decepta, & eius obligatio non valet. num.4.
Impositio census super re aliena dicitur facta sine fundo, & contra Constitutionem Pij V. num.5.
Emens scienter censum impositum super re aliena stante nullitate census, nec etiam habet actionem ad damna, & interesse. num.5.
Minoris contractus valet etiam sine solennitatibus statutarijs, quando ipsi minori vtilis est. Hæc tamen asserta minoris utilitas, uel quod pecuniæ uersæ fuerint in utilitatem minoris, præsertim in impositione census non præsumitur, ideo probanda per allegantem. num.6. & 7.

DECISIO DCLXXVIII.

1 IOannes Baptista Alberinus, & Marinus de Hortis asserentes se creditores quondam Petri Pauli de Scalabrinis tria credita prætendebant contra filios dicti Petri Pauli, eosque molestabant super vna domo, quæ remanserat in hæreditate patris fideicommisso, ex testamento Nicolai aui paterni dictorum filiorum subiecta. Et quia inter alias exceptiones oppositas pro parte dictorum filiorum etiam opponebatur de defectu crediti ipsorum agentium. Ideo sub die 30. Martij de anno 1615. Dubitaui, an constaret de credito, & cum de resolutione DD. non liqueret causa iterum hodie proposita fuit resolutum, quo ad Scuta 300. constare de credito, quo ad residuum non constare, & quod interim æstimetur domus, & firmetur status hæreditatis. Præsupponi autem debet, hæc tria credita fuisse à creditoribus prætensa, vnum Scutorum 200. occasione census impositi de anno 1576. ab Anna matre, & tutrice dicti Petri Pauli, ac aliorum filiorum Nicolai super hac domo. Aliud Scutorum 60. ratione alterius census impositi per eandem Annam de anno 1578. Aliud vero Scutorum 300. impositum per

per dictum Petrum Paulum de anno 1591.

2 Et quo ad priora duo credita visum fuit de eis non constare, quia illi census fuerunt impositi per dictam Annam, tanquam tutricem, & curatricem dictorum filiorum Nicolai, quę etiam se obligauit tam tutorio, quam proprio nomine. Et ideo huiusmodi impositiones non poterant sustineri. Respectu enim pupillorum non interuenerunt solennitates *statuti Vrbis.li. 1.c.113.* & præcipue proximiores consanguinei, sine quibus non potest aliquo modo subsistere dicta impositio, cum statutum procedat vlterius an nullando actum aliter factum. *l.non dubium. cum ibi notat. C.de l. Corn.cons.151.nu.4.lib.4.* & in terminis dicti statuti fuit resolutum in Romana Donationis de Cuppis.24.Maij 1600.coram bon.mem.Card. Pamphilio. Nec dubitari potest, quin dictum statutum habeat locum in impositione census cum imponatur super re immobili, & illius impositio dicatur alienatio, *Corbul.de caus.priuat. ob.alienat.n.3.* adeo quod prohibitus alienare non possit huiusmodi annuos redditus constituere. *Bald.in c. ad audientiam, il secondo nu.11.de rescript.Tiraquell.de retractu lignag.§.1.glos.6.nu.5. ad finem.versic.nec qui potest. Foller.in pract.censual.in verbo huiusmodi census. super rebus.num.41.Rota decis.480.nu.1.& 2. p.1.& decis.121.n.5. part.2.diuer.* Et fuit dictum in Romana inualiditatis census. 24.Maij 1591. coram Cardinali Pamphilio, & in Leodien.census 29. Ianuarij 1596. coram Orano, & in eadem 15. Iunij 1597. coram Corduba.

3 Nec obstat, quod in primo censu interuenerit vnus consanguineus, & loco alterius fuerit datus curator loco consanguineorum, quia, vt patet ex lectura instrumenti, illi interuenerunt ad integrandam personam tutricis, quæ se obligabat etiam nomine proprio, non autem pro interesse minorum, quorum respectu erant adhibendi, vt in puncto est decisio in dicta Romana Donationis de Cuppis, ante allegata.

4 Respectu vero Annæ Tutricis, quæ se obligauit etiam nomine proprio minus quoque dicti census poterant sustineri. Quia cum obligatio quo ad minores esset inualida obligatio Annæ de proprio remansit absque causa, quia tanquam tutrix ipsa non tenebatur se obligare de proprio pro soluendis debitis testatoris. Nec constat, quod ipsa habuerit releuatorem, & sic tanto magis apparet, quod mulier remansit decepta contra statutum Vrbis, cap.151.lib.1. Quod ad euitandum, vt mulieres non decipiantur voluit, vt causa in scriptis redigatur, & insinuetur, ac plene per iudicem cognoscatur. Vnde eius obligatio fuit nulla, vt decisum fuit in Romana Nullitatis obligationis. 23. Ianuarij de anno 1602. coram bon.mem. Cardinale Pamphilio, & in Romana Argentorum.27.Iunij 1607 coram Reuerendissimo Bononien.

5 Vltra quod cum domus, super qua dicti census fuerunt impositi, ad Annam non spectaret, sed ad eius filios vigore fideicommissi auiti, illorum impositio etiam respectu Annæ fuit nulla, tanquam facta super re aliena, & sine fundo, contra Constitutionem Pij V. *Surdus consi.318. nu.1. & seqq.& nu.6.vers.ad id vero,* & fuit dictum in Viterbien.census 6.Aprilis 1590.coram bon.mem.Card. Platto. Nec hoc casu data nullitate censuum intrabat obligatio addamna, & interesse, cũ ex assertione ipsius Annæ in dictis instrumentis scirent creditores, hanc domum ad filios, non autem ad Annam spectare, *ad tex.in l.si fundus.Vbi glos.& Doct.C. de euict. Aym.consi.64. nu.4.Put.decis.257. nu.2.lib.2.*

6 Non denique subsistebat, quod dicebatur, primum censum proprietatis Scutorum 200.fuisse impositum pro extinguendis societatibus fideicommittẽtis, pro quibus soluebatur maius interesse, & sic tãquam vtilem minoribus debere sustineri, etiam sine aliis solennitatibus. *l.cum hi.§.cam.ff.de transaction.cum alys per Roman.consi.316.&* 453. Vbi firmat hanc conclusionem in terminis statuti, & plures referens sequitur *Tiraquell.in 15.l.connub.glos.octaua, num.76.* Quia ad huiusmodi effectum esset probanda versio in talem extinctionem, cum alias impositio census sit nulla, ob non interuentum proximiorum, quo casu nec etiam pro decreto iudicis præsumitur, & illud interpositum nihil prorsus operatur ad *tex.in dicta l.cum hi. §.si Prætor,* vbi not. Scribentes. Rota in Firmana Dotis 8. Iunij 1601.corã bo.me. Penia, & in Romana prætẽsi erroris calculi 21. Iunij 1610. coram Reuerendiss. Bononien.

7 Non obstat, quod emptor census non teneatur probare versionem, quia hoc procederet, si census fuisset impositus cum debitis solennitatibus, Sed vbi reperitur, prout hic, nulliter impositus, si emptor prætendit illum sustinere ex eo, quod versus fuerit in vtilitatem minoris, hoc probare debet. *l.si prædium.*ibi, emptor autem si probare potuerit ad vtilitates tuas cessisse pecunias. *vbi glos.in verbo probare. l.prædiorum. & ibi quoque glos. & vtrobique Salice. & Doct. C. de præd. min.Socin.consi.115.nu.13 lib.1.* Vbi de communi, & fuit dictũ in Romana Casalis.23.Maij 1588. coram Orano.

8 Quod autem dicebatur satis probari versionem ex testamento Nicolai, in quo ipse inter alia debita fatetur se relinquere duas societates officii Scutorum 100. pro qualibet earum, visum fuit non concludere, quod pecuniæ acceptæ ad censum fuerint conuersæ in extinctinnem illarum. Quia neque hoc dicit instrumentum, sed solum quod pro extinguenda societate officii hæreditaria Scuta 200. quæ post mortem Nicolai fuerat disdicta, ipsa Anna alia Scuta 200. pariter ad societatem officii acceperat, & postea ad effectum extingendi istam secundam societatem fuerunt acceptæ pecuniæ ad censum, sed de ista secunda societate nullibi constat, & potest esse, quod illæ primæ societates fuissent lucratæ, vel extinctæ ex aliis pecuniis hæreditariis. Vnde intrat regula, non probat hoc esse l.non hoc.C.unde legitimi.

9 Quo vero ad alium censum Scut.300. impositum per Petrum Paulum non controuertebatur pro parte filiorum eius validitas respectu solennitatum, sed dicebatur non potuisse per eum imponi super ista domo fideicommisso subiecta, nec sustineri ex legitima, quam iam antea consumpserat, quod pendet a verificatione calculi alias ordinata, & sic Domini voluerunt, quod æstimetur domus, & firmetur status hæreditatis Nicolai, &c.

R. P. D. REMBOLDO.

Romana literarum Cambij. Lunæ 1.Iunij 1615.

ARGVMENTVM.

Literæ cambii etiam acceptatæ, nisi fuerint solutæ non liberant debitorem.

SVMMARIVM.

Creditor potest sibi ipsi satisfacere de pecunijs debitoris penes ipsum existentibus. nu.2.

Literæ cambij etiam acceptatæ, nisi fuerint solutæ, non liberant debitorem.nu.2.nisi per creditorem steterit exactio pecuniarum. nu.3.

Mandatum datum ad exigendum si reuocatum fuerit, censetur reuocatum etiam mandatum ad soluendum. Declara, vt num.4.

Compensatio, & retentio non datur pro credito non liquido, & turbido. nu.5.

DECISIO DCLXXIX.

1 Domini Errera, & Costa receptis à D. Ioan. Rotulo Scutis duobus millibus eidem consignarunt literas cambij, vt vocant, quibus mandabant Fornariis, &

rijs, & Franchi Neapoli mercaturam exercentibus, eadem duo millia Scuta Michaeli, & Laurentio de Here.de soluerent. Cum autem postea quam dictæ literæ à Ioanne Rotulo Neapolim transmissæ, & ab eisdem Fornarijs, & Franchis acceptatæ fuissent, dd. Michael, & Laurentius pendente solutionis termino foro cessissent, atque instantibus eorumdemmet creditoribus penes Fornarium, & Franchum iudicis auctoritate dicta Scuta duo millia sequestrata fuissent, Ioannes Rotulus prætendere cæpit, quod ex quo solutio sequuta non sit, nec consequenter dictorum Errera, & Costa inducta liberatio sibi liceret penes se retinere alia Scuta duo millia, similia ab ipso ex alia causa dd. Erreræ & Costæ debita.

2 Verum causa mihi commissa, & ex more in Rota proposita, DD. absolute id ipsi licere negabant, non quidem quod controuersia esset, quod creditor non posset sibimet ipsi de pecunijs debitoris penes se existentibus soluere. *l. fistulas. §. fundum. ff. de contrah. empt. l. si pupilli, §. fin. l. debitor. vbi gl. in verb. mihi. ff. de negot. gest.* sed quia de prætenso Ioannis Rotuli credito non satis sufficienter constare putabant, nam etsi pro firmo haberent, quod literæ cambij eius sint naturæ, vt habeant in se tacitam conditionem quatenus scilicet acceptatæ, & completæ fuerint, nec propterea recipiens literas à debitore liberetur, nisi vltra literarum acceptationem realis pecuniarum numeratio sequuta fuerit, cum nunquam præsumatur facta nouatio, vt per *doctr. Saliceti in l. filius. nu. 2. vers. sed dubitari potest. ff. ad Macedon. Castr. in l. si debitorem. nu. 3. ff. de nouat. Cagn. in l. singularia. in 1. lectura. nu. 161. vers. non obstat. ff. si certum petat. reprobata Bartoli opinione, in dicta l. singularia.* sæpius in Rota resolutum fuit, & significatur in vna Bonon. pecuniariæ 15. Ianuarij 1551. coram bonæ memoriæ Cardinale Lancellotto, & in vna Venetiarum literarum Cambij 22. Maij 1583. & Romana literarum Cambij, tertia & 12. Maij 1595. coram Gypsio, & alias sæpissime.

3 Nihilominus dicebant conclusionem ita accipiendam esse, vt tunc demum locum habeat, quando facto, vel voluntate Scribentis literas aut illius cui diriguntur deficeret numeratio, secus vbi per ipsos nō staret, nam tunc perinde habetur, ac si fuissent adimpletæ ad regulam cum non stat. de regul. iur. in 6. cum similibus. Vnde cum dicti Fornarij & Franchi prompti sint, ad faciendam solutionem iuxta formam literarum cambij Michaeli, & Laurentio, vel mandatum legitimum ad recipiendum ab ijsdem habentibus, sed impediantur mediantibus sequestris ipsis, vt dixi factis, atque ita culpa propria Michaelis, & Laurentij, qui dicta sequestra remouere non curant, sumus extra casum, quo scribens literas cambij acceptas pecunias restituere compellitur.

4 Non obstat, quod Ioannes Rotulus re integra reuocauit mandatum Michaeli, & Laurentio datum ad exigendum dicta Scuta duo millia, & consequenter censeri debet reuocatum etiam mandatum datum ad soluendum. *Castr. in l. vero procuratori. num. 4. ff. de solut.* cum alijs ab Informantibus allegatis. Quia fuit respōsum, quod obiectum procedit in mandato solius mādantis gratia facto, non autem in contractu cambij, in quo vertitur principaliter vtilitas vtriusque partis quæ non potest auferri sola voluntate *vnius l. aliud. ff. de solut. l. si cum fundum. ff. de pact. & pluribus declarat Bal. cons. 348. sub n. 1. vers. & arguo sic, & seq.* & fuit etiam dictum in vna Romana literarum cambij 26. Nouembris 1604 coram bon. mem. Iusto.

5 Et denique DD. dixerunt, quod in omnem casum, saltem negari non potest, quin ex supra, & alijs ab Informantibus deductis reddatur ita turbidum creditum Io. Rotuli, vt merito prætensæ retentioni, vel compensationi locus esse non possit. *l. fin. vbi Doctor. C. de compensation. Alex. cons. 93. num. 1. libr. 4. cum alijs per Surd. dec. 184. nu. 6. & bonæ memoriæ Cardinalis Seraph. dec. 1455. nu. 4.*

R. P. D. COCCINO

Neocastren. Cappellaniæ. Mercurij 10. Iunij 1615.

ARGVMENTVM.

Iuris patronatus præcipua probatio est illa, quæ sumitur ex fundatione, dotatione, & consensu Episcopi, etiam post fundationem præstito, illudque dicitur ius patronatus laicale, quod ad confraternitatem laicorum spectat, & propterea sub reseruatione non comprehenditur.

SVMMARIVM.

Ius patronatus præcipue probatum censetur probata fundatione, dotatione, & consensu Episcopi. nu. 1.
Episcopi consensus in ius patronatus sufficit, quod præstetur post illius fundationem, & dotationem. nu. 1.
Ius patronatus ad confraterniiatem laicorum spectans reputatur laicale. nu. 2.
Ius patronatus laicale sub reseruatione non comprehenditur. numer. 2.
Præsentatus in tempore, & habilis ad beneficium instituendus est. nu. 3.

DECISIO DCLXXX.

1 Hoc dubium habet tres difficultates, prima est an constet de iure patronatus. Secunda quæstionis sit, an sit laicale. Tertia, an Fabricius sit instituendus. Quātum attinet ad primam diffinitionem visum fuit Cominis affirmatiue redendum, quia Episcopus vsq; de anno 1471. cognouit super dotatione, & fundatione, & approbauit ius patronatus, & quatenus opus esset de nouo concessit, vnde cum probatur dotatio, & fundatio, & consensus Episcopi, iste est præcipuus modus probandi ius patronatus. *cap. 3. vbi gloss. in ver. fundatores, de iure patronatus. cap. nobis in princ. vbi gl. eod. tit. cum alijs per Rot. dec. 167. nu. 1. par. 2.* & quamuis in limine fundationis, & dotationis non interuenerit cōsensus Episcopi, non refert, sufficit enim quod ex post fuerit præstitus. *Roch. de iure patr. in ver. pro eo. q. 4. nu. 9. Calder. cons. 6. de iure patr. Lambert. lib. 1. par. 2. q. 1. art. 16.* & ista probatio coadiuuatur ex testibus, qui deponunt de possessione Confraternitatis à 50. annis, & vltra, & etiam de auditu à maioribus, per ea, quæ not. *Seraph. dec. 1141. nu. 1.*

2 Quantum attinet ad secundam diffinitionem, an istud ius patronatus sit laicale ad effectum, quod non cadat sub reseruatione, ita vt Altomare, qui illud vti tale impetrauit, sit excludendus, pariter affirmatiue fuit resolutum. Nam cum spectet ad Confraternitatem laicorum laicale censeri debet. *Roch. dec. 574. nu. 7. & 3. par. 1. Lamber. de iure patr. lib. 1. par. 1. q. 1. art. 10. nu. 1. & 3. Roch. in ver. ius. num. 17. in princ.* quare sub reseruatione non comprehenditur. *Fel. in tract. quando liter. Apost. Vbi adden. Varall. decis. 405. in manuscr.* *num. 6. & seqq. Simonett. de reseruatione quæstione nona, Seraphin. decis. 1334. num. 6.*

3 Quantum attinet ad tertiam diffinitionem constat de præsentatione in tempore, & de habilitatibus Fabricij, & ex prædictis de iure patronatus ipse venit instituendus. capit. quoniam. capit. si vero. capit. ex insinuatione. de iure patronatus. cum alijs. Et sic fuit resolutum vna tantum parte Informante.

RE-

REVERENDISS. P. DOMINO

COCCINO DECANO.

Romana Census Scutorum octo decim millium. Lunæ 16. Iunij 1615.

ARGVMENTVM.

Debitor soluendo creditori sui creditoris de ordine dicti sui creditoris, quando dicatur in bona fide, & liberetur; & an teneatur inquirere veritatem, & anterioritatem crediti illius, cui soluit.

SVMMARIVM.

Debitor soluens creditori suo bona fide liberatur. nu. 1.
Debitor soluens procuratori reuocato per mortem creditoris ignorans illius mortem liberatur à debito. nu. 2.
Vbi etiam idem de debitore soluente procuratori reuocato ignorata reuocatione.
Hæres cum beneficio legis, & inuentarij soluendo bona fide creditoribus primo venientibus, licet sint posteriores liberatur a debito. nu. 2. in fine.
Bona fides causatur ex errore facti nu. 3.
Debitor soluens creditori sui creditoris de ordine dicti sui creditoris non tenetur inquirere de veritate, & anterioritate debiti. nu. 4. & 5. Vbi etiam quod non tenetur curare quod pecuniæ, quas soluit, vertantur in vtilitatem illius, cuius nomine soluit.
Emptor rei ecclesiasticæ regulariter non debet esse solicitus de versione pretij, quod soluit in ecclesiæ vtilitatem. Declara, vt nu. 5.
Debitor soluendo creditori sui creditoris, quando ab eo, cui soluit, teneatur exquirere cautionem de restituendo prioribus, & potioribus. nu. 6. Vbi late de materia.
Obligatio semel extincta amplius reuiuiscere non potest. nu. 6. vers. nam hoc ostenso.
Emptor rei alienæ, vel alteri pignoratæ, si pretium venditori soluat rei venditæ Dominus habet actionem primo loco contra bona, & ipsis non extantibus in subsidium habet actionem contra pretium. Declara. vt nu. 3.
Pretium in particularibus non succedit loco rei. nu. 8. Declara, vt nu. 9.
Bonorum appellatione venit etiam nomen debitoris. num. 9. in princip.
Creditor habet etiam actionem contra nomen debitoris. nu. 9. in discursu.
Debitor soluens asserto creditori sui creditoris, sciens illum cui soluit, non esse verum creditorem, dicitur in mala fide nu. 9. vers. quare si princeps.

DECISIO DCLXXXI.

1 Ex pretio castri Numenti Excellentiss. D. Princeps Perettus tenebatur soluere summam Scut. trium millium, quę in schedula debitorum data per Vrsinos D. Principi, fuit his verbis concepta, per pagare diuersi debiti della casa Scut. tre mille. Et cum dicta summa fuerit soluta Vrsinis venditoribus, dubitatum fuit coram Reuerendiss. D. Bononien. 11. Martij 1611. an esset habenda ratio huius summæ ad fauorem D. Principis, & Rota affirmatiue respondit. Nam & si dicta summa fuerit soluta ipsismet Vrsinis, fuit bene soluta, quia ita fuit conuentum inter partes, vt patet ex tenore schedulæ, vt bene fuit deductum coram D. Bononien. ita vt hoc caput fuit visum Dominis carere omni prorsus difficultate. Et quamuis vlterius prætenderetur, quod dicta summam fuerit soluta pro creditis posterioribus Excellentiss. D. Lothario de Comitibus Duce Poli, attamen quatenus hoc esset verum non releuaret, cum Excellentiss. D. Princeps bona fide soluerit, & ideo fuit liberatus. *l. nomen debitoris. C. quæ res pignor. oblig. poss. leg. fin. §. etsi præfatam vbi Bart. in princ. & Castrensis nu. 4. C. de iur. delib. & est bonus tex. in l. 1. ff. de distrac. pignor.*

2 Nec videmus, quod debitor ignorans mortem creditoris, si soluat illi, cui fuit factum mandatum, liberatur *l. inter causas. §. si quis debitor. ff. mandati. §. item si adhuc. vers. & huic simile est. Instit. mandati. Card. Mantica de tacit. & ambig. conuent. lib. 7. tit. 23. nu.* 18. hinc & videmus quod solutio facta procuratori reuocato, ignorata reuocatione, suffragatur. *l. eius qui in prouincia. §. 1. ff. si cert. pet. l. inter causas. §. si quis debitori. ff. mandati. cum alijs per Card. Mant. d. lib. 7. tit. 26. num.* 5. hinc denique alijs omissis videmus, quod hæres cum beneficio legis, & inuentarij soluendo bona fide primo venientibus liberatur. *Rolan. cons. 14. nu. 20. lib. 1. Phanuc. de inuent. par. 5. nu. 255. & seqq.*

3 Quod autem Excellentiss. D. Princeps bona fide soluerit satis patet, cum Vrsini sub fide magnatum, & cum iuramento asseruerint, non adesse alios creditores, nisi descriptos in lista. Ex isto enim ordine D. Princeps errauit in facto, quare causatur bona fides, vt in terminis similis ordinis dicit *Rom. in cons. 123. nu. 2. vers. primo, quia videtur.* Et hoc procedit etiam quod Vrsini fuissent in mala fide, quia sufficit ad effectum, de quo agitur, quod D. Princeps esset in bona fide. *Signorol. cons. 22. n. 2. in fin.* Vbi dicit communem, & quod gl. tenens contrarium *leg. si duo in princ. ff. vti possidetis.* communiter reprobatur.

4 Neque est verum, quod Excellentiss. D. Princeps tenebatur inquirere, an debitum esset verum, & curare, vt creditoribus domus solueretur. Nã vltra, quod ex Motu proprio liberatur ab huiusmodi diligentia, soluendo Vrsinis in illam causam, etiam de iure satisfecit. *l. doli. in fine. ff. de nouat. l. fin. ff. de exercitor. Molin. de primogenit. Hispan. lib. 4. cap. 4. nu. 22.* & propterea non tenebatur inquirere, an adessent dicti creditores, quia sicut circumscripto pacto potuisset simpliciter soluere Vrsinis, ita stante tali pacto sufficit, quod soluerint Vrsinis in illam causam, absque eo quod videret, an esset vera, vel falsa ex dicta *l. doli. in fine. cum alijs supra allegatis, & bene Bart. in l. final. num. 2. vers. oppono, & videtur. ff. de exercitor. action.*

5 Neque tenebatur curare aliam versionem, ex quo agitur de personis non priuilegiatis. *Bart. in dicta l. fin. num. 2. Mantica de tacit. & ambiguis conuent. libr. 8. tit. 13. num. 2.* Immo emptor rei ecclesiasticæ regulariter non debet esse solicitus de versione pretij. *Dec. in cons. 36. num. 8. vers. tertio principaliter. vbi de magis communi. Surd. cons. 156. num. 9. Seraphinus dec. 366. num. 2.* & licet secus sit, quando res Ecclesiæ alienantur pro debitis soluendis. *Bald. in auth. hoc ius porrectum. num. 7. C. de sacrosanct. eccles.* Vbi enumerat alios casus, *Seraph. dicta decis. 366. num. 3.* attamen vltra quod hic non agitur de Ecclesia neq. de alia persona priuilegiata, satis est, quod per Vrsinos fuerit conuentum, quod ipsi soluerent dicta Scuta tria millia, prout supra dictum est, & bene fuit firmatum in dicta dec. D. Bononien. ad effectum, quod Excellentissimus D. Princeps nihil aliud facere teneretur, cum potuisset etiam simpliciter ipsismet Vrsinis soluere cessante pacto, vt iam dictum est ex Bar. & alijs.

6 Neque etiam est verum, quod hypotheca fuerit translata super pretio soluendo creditoribus, & ideo D. Princips si volebat vti beneficio dictæ translationis tenebatur custodire dictum pretium, reportando cautionem de restituendo prioribus, & potioribus, quam cum non reportauerit D. Dux, potest agere cõtra ipsum D. Principem, qui tamen poterit se reualere contra illos, quibus soluit, ex *l. pater dotem in princip. & in §. cum patri filius. vers. si forte per errorem. ff. de dote prælegata*, vbi dote nurus legata filio exhæredato hæres non cogitur illam soluere, nisi data cautione

tione de indemnem illum seruando. Si autem non receperit cautionem mulier in causibus, in quibus de iure constante matrimonio potest agere ad dotem, vt aduertit *Bart.ibid.num.1. in fine*, potest agere ad dotem recuperare ab hærede, qui postea potest se reualere contra filium, cui dos legata fuit soluta. Nam est aduertendum, quod ille text, licet subtiliter inductus, nō applicatur ad casum nostrum, procedit enim quando obligatio præcedit, quia tunc legatum dotis factum filio non tollit obligationem præcedentem. Quare hæres ad eximendum se ab obligatione tenebatur reportare cautionem, sed in casu nostro non est verum in facto, quod hypotheca fuerit trāslata super pretio soluendo creditoribus, hoc enim in Motu proprio nō legitur, & ideo ex hoc capite nulla potest oriri obligatio D. Principis, sed tantum erat obligatus soluere descriptis in lista, & si apparerent creditores anteriores tenebatur illis soluere, quare sufficit, quod hodie ostendat se soluisse descriptis in lista, & anterioribus, qui superuenerunt, prout ostenditur. Nam hoc ostēso est extincta eius obligatio, quia in plus non se obligauit, & ideo superueniente casu, quo solutio bona fide fuerit facta posterioribus D. Ducis, descriptis tamen in lista, obligatio D. Principis non potest reuiuiscere, *l. qui res, §. aream, ff. de solut. l. eius, qui, in fine ff. de iure fisci. Tiraqu. in l. si vnquam. in verb. suscepit liberos, num. 191. in fine, C. de reuocand. donat. qui non est casus d. l. pater dotem*. Nam per solutionem factam filio exhæredato non fuit extincta actio, quam habebat mulier, vt con siderat *Odofredus ibid. num. 2.*

7 Deniq; non est verum, quod in omnem euentum D. Duci competat actio in subsidium aduersus Dom. Principem *ex l. mater, Cod. de rei vendicat. vbi Bald. num. 14. vers. item quæro*. Nam dispositio dictæ l. non applicatur. Procedit enim quando quis vendidit bona aliena, vel alteri pignorata, quia idem est, vt dicit *Bald. ibidem num. 14. & in l. 1. post princip. ff. de distract. pignor.* Tunc enim dominus rei, vel qui habebat bona pignorata, habet actionem contra bona primo loco, ipsis vero non extantibus habet actionem in subsidium contra pretium, *l. 1. Cod. de reb. alien. non alienan. vbi gl. in verb. videbit glos. fin. in leg 1, versic. & ideo pretium pignorum. ff. de distract. pignor.* quam conclusionem intelligunt Doctores duobus concurrentibus, scilicet, quod aliter non sit succursum creditori, & excusso principali debitore, & quod pretium retineatur ex causa lucratiua, non ex causa onerosa. *Bart. in l. 1. num. 1. & 2. Salycet. num. 2. ff. de distract. pignorum, Bald. in d. l. mater num. 12, & seq. Bart. num. 7. Castr. num. 6. vers. in gl. C. de rei vendicat. Bene Alex. in consil. 108. num. 9. & 10. libr. 5. qui ita declarant text. in d. l. si mater*, & alia iura & propterea non applicatur *text. in d. l. mater*, quia procederet, si D. Dux vellet agere contra illos, quibus D. Princeps soluit, non autem contra ipsum D. Principē apud quem non potuit remanere aliquod pretiū pecuniarum, cum ipsasmet pecunias soluerit, & licet apud ipsum remanserint bona, attamen illa sunt libera ab hypotheca, stante translatione dictę hypothecę facta per Papam, & ideo Castrum Numenti, & eius bona empta non possunt molestari, cum illa non sint pretium pecuniarum, vt contra illud in subsidiū agi possit, sed pecuniæ solutæ creditoribus sunt pretium bonorum, contra quod pretium D. Dux iura sua experiri poterit, cum stante translatione hypothecæ non possit se reualere contra pignus scilicet contra Numentum, & eius bona hypothecata.

8 Non obstat, quod Princeps tenebatur soluere anterioribus, vt fuit bis resolutum in hac causa, ad instantiam D. Principis, coram Illustrissimo D. Cardinale Mellino, & quatenus dictæ decisiones non subsistant tenebatur soluere descriptis in lista, quia creditores non descripti nihil prætendere poterant, cum in particularibus pretium non succedat loco rei, *Alexand. consil. 58, num. 13, versic. vnde licet habeatur libr. 3. Negusan. de pignor. in 2. membro. secundæ partis. num. 149. Castr. cons. 326. nu. 2. lib. 2.* Non inquam obstat hoc fundamentum nam cum dicitur solutiones debuisse fieri anterioribus, vt in decisionibus Illustrissimi Cardinalis Mellini, hoc est verum, si in concursu apparuissent anteriores, & posteriores, vt ex mox dicendis apparebit, sed cum non apparuerint, & Dom. Princeps bona fide soluerit vtique satisfecit suæ obligationi, vt supra dictum est, & ita sunt intelligendæ prædictæ decisiones.

9 Dum vero dicitur, quod tenebatur soluere descriptis in lista, cum pretium in particularibus non succedat loco rei, quicquid sit, an in hoc casu versemur in particularibus, fuit responsum, quod quatenus versaremur in particularibus, obiectum non applicaretur, nam cum Princeps fuisset effectus nomen debitoris Vrsinorū veniebat sub tali hypotheca ex quo nomē debitoris venit sub simplici appellatione bonorū *l. nomen. C. quæ res pign. oblig. poss. l. bonorum, §. vlt. ff. de verborum significationibus, Baldus in consil. 234. in principio. libr. 2.* quare competebat ipsis creditoribus actio vtilis personalis aduersus Principem, quę erat directa penes *Vrsinos, l. nomen.* ibi vtilibus, secundum primam lecturam, *gloss. C. quæ res pignor. obligar. possess. & ibi Bart. num. 4. Bald. num. 1. Salicet. num. 3. cum alijs per Surd. consil. 4. num. 23.* Quare si Princeps soluisset posterioribus, omissis anterioribus, fuisset in mala fide cum sciret pecunias ad alium pertinere, *c. si diligenti, & cap. fin. vbi Doctores, ff. de præscript. & in puncto. Surdus d. cons. 4. num. 45.* & ideo diceretur dolo desisse possidere, quo casu fingeretur non fuisse solutum. Ideo creditores potuissent agere contra ipsum. *Ias. in l. rogasti, §. fin. num. 5. ff. si certum petatur Bart. in l. pupillus. ff. de his, quæ in fraud. credit. Ioan. Andr. in addit. ad Specul. in tit. de obligat. & solut. in rubr. vers. ex quo videmur*, vltra quod cum ex ipsa obligatione generali competeret hypotheca creditoribus super pecunijs dum extabant penes Dominum Principem. *Castr in cons. 106. incip. circa quæ num. 3. vers. 3. principaliter. libr. 1. Bald. in cons. 360. in princip. vers. & si publicanus, lib. 1.* & cum illi comparuissent, si anterioribus non soluisset, poterat ab illis molestari. *Castr. in l. fin. §. & si præfatam, num. 4. C. de iure deliber.* & fuit dictum in hac causa 26. Nouembr. 1601. coram Illustrissimo Domino meo Cardinale Mellino. Ad alia bene satisfaciet decisio D. Bononien. cum qua transierunt Domini, &c.

R. P. D. ANDREA.

Romana Deuolutionis Domus, Lunæ 12. Iunij 1615.

ARGVMENTVM.

Attentata pendente termino ad appellandum in primis & ante omnia reuocanda, nec de bono iure attentatis constare dicitur, nisi per confessionem partis, vel rem iudicatam. Ægidiana autem licet locum habeat in Curia non tamen procedit.

SVMMARIVM.

Appellandi tempore durante attentata reuocanda sunt, nu. 1.

Appellatio in possessorio prohibita vigore Ægidianæ habet locum etiam in Curia, sed non in foro Ecclesiastico, & de rebus Ecclesiastica, quia de iure Canonico datur appellatio in quocunque possessorio. nu. 2.

Attentatorum purgationi locus non est, vbi notorię constat de bono iure attentatis per confessionem partis, vel per rem iudicatam. Aliter secus, nu. 3.

Attentata in primis, & ante omnia purganda sunt, & ante eorum purgationem procedi non potest in negotio principali. num. 4.

DE-

DECISIO DCLXXXII.

1 Constare de attentatis fuit resolutum, quia mandatum de immittendo, & associando ad fauorẽ Lampadij Rectoris fuit relaxatum per Dominum Locumtenentem Illustrissimi Cardinalis Vicarij die 3. Iulij 1612. & associatio, seu immissio fuit edequuta die 5. eiusdem mensis, atque ita intra tempora, & decem dies datos ad appellandum, quo fit, vt nisi doceatur Lampadium versari in casu nõ appellabili, actus ille ecequutionis attentatus dicatur, & veniat reuocandus. cap. non solum. Vbi glossa in verbo innouata. *Io. Andr. & Dominic. nu. 6. Anchar. nu. 10. de appellation. in 6. Lancell. de attent. 2. par. cap. 11. num. 17. & seq.* vbi firmat hanc regulam. *Mohed. dec. 11. num. 2. de praben. Seraphin. dec. 983. num. 12.* & in terminis mandati de associando, & immittendo fuit dictum in Regien. bonorum. 20. Decembris 1613. coram Reuer. P. Domino meo Dunozetto.

2 Nec ad euitandum huiusmodi attentata Lampadius se tueri potest Ægidiana Constitutione, quæ prohibet appellationem in possessorio, quæ Constitutio ligat etiam in Curia propter Confirmationem Pauli III. *Rota dec. 120. nu. 2. par. 1.* Quia dicta Constitutio non habet locum vbi prout hic agitur de re ecclesiastica in foro Ecclesiastico, quo casu est locus appellationi ad vtrumque effectum, quia de iure Canonico datur appellatio in quocunque possessorio, *Abb. in cap. cum ad sedem. num. 30. de restit. spoliat. Decius consil. 28. num. 4. ad fin. vers. de iure enim Canonico. Put. dec. 293. num. 5. lib. 2. Benintend. dec. 79. nu. 1.* Rota in Camerinen. Iuris patronatus 15. Nouembris 1599. coram Reuerendissimo Domino meo Damasceno, & in dicta Regien. bonorum, coram R. P. D. meo Dunozetto. Et quod Ægidiana non procedat in bonis, & rebus Ecclesiæ, & in foro Ecclesiastico tradit *Seraph. dec. 424.* & fuit sæpissime resolutum, & in specie in dicta Camerinen. & in alia Romana Saluiani interdicti, 1. Iunij 1609. coram R. P. D. meo Manzanedo, & latius in Romana domus de Scapucijs 19. Ianuarij 1611. coram R. P. D. meo Decano.

3 Minus etiam releuat non esse locum purgationi attentatorum, vbi notorie constat de bono iure illius, qui attentauit, prout constare prætendit Lampadius Rector de bono ipsius iure, & de malo Busotti. Nam vltra quod vnus ex Dominis contrarium sentiebat circa prætensum bonum ius Rectoris, ad hunc effectum requiritur confessio partis, vel res iudicata, *Lancel. de attent. par. 3. cap. 24. q. 1. num. 65.* Vbi allegat plures decisiones, & idem fuit dictum in Nucerina Hæreditatis. 15. Nouembris 1595. coram bonæ memoriæ Iusto, & in Cæsaraugustana dismembrationis. 23. Ianuarij 1610. coram Reuerendissimo Domino meo Damasceno.

4 Igitur cum dicta associatio, & immissio facta per R. P. D. Locumtenentem fuerit nulla, & attentata, & de huiusmodi attentatis fuerit oppositum coram R. P. D. Rouio, & protestatum expresse, ipsum Rectorem non posse audiri, nisi purgatis attentatis Summario. num. 1. Sequitur manifeste, sententiam dicti Domini Rochij ex hoc capite fuisse nullam, quia omnes iuris regulæ clamant, quod in primis, & ante omnia purgentur attentata. *cap. ex parte. il secondo. de appellatio. cap. non solum. & ibi Doctor. eod. tit. in 6. Lancell. de attent. par. 3. cap. 30. nu. 168.* & ideo dicitur hoc iudicium attentatorum priuilegiatum, quia non potest procedi in negotio principali ante eorum purgationem. *Put. decis. 51. lib. 1. Veral. dec. 56. par. 1. Farin. dec. 48. in principio. part. 3. libr. 3.* cum alijs adductis in dicta Nucerina, hereditatis, & Cæsaraugustana dismembrationis. Ex quibus ita censuerunt Domini constare de attentatis, &c.

REVERENDISSIMO P. DOM.

COCCINO DECANO.

Theatina Iurisdictionis de Arbona. Veneris 26. Iunij 1615.

ARGVMENTVM.

De probatione narratiuæ Papæ non Motu proprio, sed ad partis suggestionem emanatæ, nec non etiam de probatione enunciatiuæ plurium instrumentorum ad effectum probandi confinia plura notanda, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Episcopatus Diœcesis dicitur continere, quicquid est intra fines eiusdem Episcopatus. nu. 1. in fine.

Narratiua Papæ facta in gratia non Motu proprio, sed ad suggestionem partis non probat, Secus si facta Motu proprio. nu. 2.

Enunciatiuæ diuersorum instrumentorum, alijs adminiculis adiuuatæ plene probant. nu. 3.

Verba narratiua antiquissima plurium priuilegiorum plene probant. nu. 3.

Confines maris, montium, & fluminum dicuntur æterni. numer. tertio.

Sententia concurrentibus adminiculis probat confines. nu. 3. in fine.

Visitatio Episcopi numquid probet Ecclesiam visitatam esse de Diœcesi Episcopi visitantis. nu. 4.

Ecclesiam esse in Diœcesi alicuius Episcopi coniecturis probatur. nu. 4.

Confinia probantur ex enunciatiuis plurium instrumentorum, præsertim iunctis adminiculis. nu. 4. in fine.

Versus dictio quid, & quantum probet in materia confinium. num. 5.

DECISIO DCLXXXIII.

1 De ordine Sacræ Congregationis Concilij Tridẽtini dubitaui, An Abbatia S. Stephani de Riuo maris, ac Turrini Scerni, & Casalis Bordini loca ab ea dependentia intra fines diœcesis Theatinæ sita sint. Et Domini negotio mature discusso affirmatiue responderunt. Fundamentum principale resolutionis fuit decisio alias facta in simili causa Theatina Iurisdictionis San. Ioannis in Venere 4. Maij 1612. in qua fuerunt firmata confinia diœcesis Theatinæ ex pluribus enunciatiuis antiquissimis, etiam valide adminiculatis, intra quæ cum reperiantur loca, de quibus agitur, vtique dicendum est illa esse de diœcesi Theatina, quicquid enim est intra fines Episcopus censetur etiam de diœcesi, ex Dec. Paris. & alijs allegatis in prædicta decisione.

2 In contrarium vero ad impugnandum prædictam decisionem, contra Bullas, ex quibus desumebantur enunciatiuę, solum deducebatur, & primo contra Bullam Nicolai II. ponderando verba illa, ibi, cognoscimus Episcopatum Theatinum cum omni sua integritate, & pertinentia, sicut antiquis, & iustis limitibus determinatur, scilicet à Staphilo inter montes, &c. dicebatur, quod sensus istorum verborum videtur esse quatenus probabitur, quod istud sit territorium Theatinum, quia Papa non intelligit aliquid concedere circa territorium, & gratia non est Motu proprio, sed ad suggestionem partis, vt dicit *Innoc. in cap. dudum. nu. 3. Ruin. cons. 41. num. 13. lib. 1.* & idem erat dicendum de Bullis Alexandri III. & Innocentij III. quæ exprimũt eadem confinia, præmissis verbis, quæ propriis duximus exprimenda vocabulis, vt in terminis istorum ver-

verborum est doctrina eiusdem *Innocentij in c.inter dilectos. num.6. circa med.de fid. instrument. Anch.ir. in c. si Papa. ante numer.1.vers. subdit, hic Io. Andr. Gemin. num. 7. Franc.num.4.vers.& dicit.etiam.de priui. in 6. Put.decis.427. num.1. versic.cum circa.lib.2.in nou.* & in omnem euentum subiungebatur, quod quatenus prædictæ essent assertiones Papæ, illis tunc demum esset standum, quando essent de facto proprio, & ita intelligedus *tex.in c.si Papa.§. si autem.de priuil.in 6.* vt est magis communis opinio Doctorum, ea ratione, quia Papa ab alio est informatus, vt per *Curt. sen.in cons.29.nu.12. vers.sed ad hanc obiectionem. Romana. in consil.180. num.3. vers.2. quia Papa.*

3 Prædictis tamen non obstantibus placuerunt fundamenta dictæ decisionis sub die 4. Maii 1612. quæ sunt intelligenda secundum subiectam materiam, nō autem in abstracto, nam licet deducta in obiectione vera sint, non tamen applicantur ad præsentem casū, quia cum istæ enunciatiuæ sint antiquissimæ; scilicet ne dum vltra 100.annos, sed etiam longe vltra. Prima enim est de anno 1059. alia de anno 1173. tertia vero de anno 1208. quæ quidem enunciatiuæ, cum sint diuersorum instrumentorum, & personarum probant, iux.doctr. *Aret.in c.cum causam. il 3.de probat.allegatam in dicta decisi.* & cum sint multum adminiculatæ, non potest opponi, quod emanauerint à personis suspectis, vt fuit dictum in prædicta decisione, in qua quamplures coniecture fuerunt ponderatæ, maxime cum sint verba narratiua antiquissima plurium priuilegiorum, vt bene in terminis *Veral. decis.337.lib.3.* quibus etiam hodie adduntur plura adminicula, videlicet, quod mare, montes, & flumina dantur pro confinibus, quæ sunt confinia æterna. *Bal.in c.cum causam.nu.3. de probat.& ibi Felin.num.5.vers.& notat.* Aliud etiam fuit ponderatum adminiculum desumptum ex sententia lata de anno 1302. fauore Abbatis, contra tunc Episcopum Theatinum, in qua enunciatur, Abbatiam de qua agitur esse intra fines diœcesis Theatinæ, vnde ista sententia ex se sola concurrentibus adminiculis probaret intentionem D.Archiepiscopi, vt fuit dictum coram bonæ mem. *Cardin. Lancellotto, in decisi. infra allegand.*

4 Accedat, quod Archiepiscopus hæc loca tanquam de diœcesi visitauit, & quod Archipresbyteri locorū de quibus agitur accesserunt ad Synodum, & quod soluerūt nescio quid pro seminario, & licet testes qui hoc vltimum probant sint examinati cum Episcopo Lancianen. non tamen potest inficiari quin faciant adminiculum. Ex quibus sequitur quod non obstan. vtraque doctrina Innocentij, & aliorum enunciatiuæ probent loca, de quibus in dubio, esse in diœcesi Theatina, vt in terminis terminantibus fuit resolutū in causa Tricaricen. Territorii 9.Maii 1578. coram bonæ mem. Cardinale Lancellotto, relata sub nu.388. p. 1. vbi aderant verba, cuius fines sunt isti, quæ fuerunt iudicata verba narratiua, & propterea dicebatur, quod non probant *Gemin.& Franc. locis superius allegatis*, & tamen dicitur, quod si essent duæ enunciatiuæ probarent confinia, & quod etiam vnica probaret si adessent adminicula, & optime ad propositum. *Franc.in d.c.si Papa.de priuil.in 6.* vbi quod vnica enunciatiua in his terminis probaret confinia si concurreret dictum vnius testis.

5 Non obstat, quod cum Abbatia sit ad litus maris, prædicte enunciatiue non uidentur illam comprehēdere ex deductis in alia Theatina Iurisdictionis. 17. Iunij 1613. coram me. Nam fuit responsum, quod illa decisio non facit ad propositum, dicitur enim in ea, quod si enunciatiua dicit uersus talem locum, dictio uersus, locum ipsum non comprehedit, in casu autem isto confinia enunciantur usque in litora maris, litus autem est pars arenosa, quæ remanet decrescente mari. *l.litus.ff.de verbor. signif.* propterea per necesse dicendum est, quod dicta confinia comprehendunt Abbatiam, licet sit ad litus maris, quia verba illa, vsque in litora maris, comprehendunt totam terram vsque ad litus maris, dictio enim in adiecta nomini locum significanti, & in casu ne dum ablatiuo, sed etiam accusatiuo, designat confinia intus in litora maris, ita notabiliter declarat *Bald.in l.Gallus.§.ille casus.vers. vltimo nota hic dedictione in. Ale.n.15.Ias.n.21.ff.de liber.& posth.*

6 Denique non obstant testes qui dicunt confinia diœcesis Theatinę non venire vsque ad mare, quia asserūt rationem, quia Abbatia est nullius diœcesis, sed quicquid sit de hoc, de quo agetur suo tempore, non tollunt quin Abbatia sit situata intra fines diœcesis Theatinæ, nam si postmodum Abbatia acquisierit territoriū separatum videbitur, vt dictū est, suo tempore. Et ita utraq; parte acerrime informāte, fuit resolutū, &c.

R. P. D. PIRROVANO.

Ferrarien. Decimarum Veneris 26. Iunij 1615.

ARGVMENTVM.

Decimæ aliæ sunt speciales, & aliæ temporales, & temporales possunt ad laicos spectare, spirituales autem non, & quæ dicantur spirituale decimæ, & quæ temporales, & scienter emens rem alienā licet non possit agere ad euictionē, agi tamē ad pretij restitutionem.

SVMMARIVM.

Decimæ aliæ sunt spirituales, & aliæ temporales. num.1.
Decimæ temporales laicis non interdicuntur. num.1.
Identitas rei venditæ probanda est à se fundante in ea. num. 1. in fine.
Decimæ temporales dicuntur proprie decimæ. num. 2.
Decimæ spirituales non consistunt in certa quantitate, sed in quota, varianturque variatio semine. nu.2. & non rebus, sed personæ pro rebus competunt. num.2.
Ius decimandi, tanquā seruitus, non cadit in re propria. nu.3.
Procurator ad obligandum excedendo fines mandati suum principalem non obligat. num.4.
Dispositioni relatiuæ statur, quando constat de relata, in tantum vt magis credatur relato, quam referenti, si referens aliter loquatur, quam relatum. num.4.
Euictionis actio non habet locum in venditione rei spiritualis. num. 5. Vbi ampliatur, quod nec datur pro recuperatione pretij. Declara, vt dicto nu. 5.
Emens scienter rem alienam de euictione agere non potest. nu. 5. Vbi tamen quod datur actio ad restitutionem pretij.

DECISIO DCLXXXIV.

1 Resolutum fuit, non esse recedendum à decisis sub die 15. Februarij 1614. non obstan. nouiter replicatis. Non enim constat, quod decimæ, de quibus agitur per factores Ducis venditæ non fuerint, & consequenter non euictæ etiam si de emptione, & decimis in instrumento venditionis bonorum nuncupatim, & p̄cuia illarum æstimatione actum fuerit, cum aliæ sint spirituales, aliæ temporales, vt distinguunt *Bal. cons.419. vol.1. Bero. consi.84. nu.41.& 42. vol.1.* & dimetiendo voluntatem à potestate dicebatur temporales fuisse venditas, quę laicis non interdicuntur, non autem spirituales, quę in potestate laicorum posite non sunt. *c. prohibemus. de decimis.* Quia per Dominos fuit responsum, quod cum exemptio, & decima per factores fuerant vendita, de decimis secundum proprietatem verborū intelligendum est, & sic de spiritualibus, non autem de temporalibus debitis per colonos, vt asserunt Informantes in recompensam antiquæ bonificationis, cum de tempore contractus non doceatur, decimam temporalem fuisse in rerum natura

tura, neque præsumatur pluralitas onerum, sed qui se fundat in indemnitate rei venditæ eam probare teneatur. *l. si in rem. in fin. ff. de rei vend. Crau. cons.* 198. *nu.* 4. *Menoch. cons.* 21. *nu.* 34. *Surd. cons.* 61. *nu.* 14. *lib.* 1.

2 Præterea neque decimæ temporales dicuntur proprie decimæ, vt aduertit *Bald. in d. cons.* 419. Sed sunt annuæ præstationes in quantitate frumenti, vel pecunia descendentes à iure temporali, & ex cõtractu pro rebus debitæ non sicut decimæ spirituales, quæ non consistunt in certa quantitate, sed in quota, & variantur variato sermone, cap. commissum. cap. cum in tua, de decimis. & non rebus, sed personæ pro rebus competunt. *Innoc. in cap. ex literis, de Iure patron. Curtius iun. cons.* 177. *nu.* 6. *vers. præterea in instrumento.* Ideo duriori etiam probatione grauantur interpretantes contractum aduersus propriam verborum naturam, & accedunt testes dati pro flumine attestantes post sententiam Rotalem, & executioni demandatam non licuisse emptoribus aliam decimam exigere.

3 Nec dicatur, quod cum ista bona essent propria Ducum, & Cardinalium Estensium, istud ius decimandi, quod habebant in eis, nullo modo poterat intelligi de decima spirituali ex quo ius decimandi tanquam seruitus non cadit in re propria. *Vital. in Clem.* 1. *nu.* 81. *Rot. dec.* 23. *nu.* 2. *par.* 2. sed de temporali, quæ exigitur pro liuellis, tributis, seu annuis responsionibus à cultoribus terrarum, quia Dominis visum est, hoc non repugnare Dominio rei, cum verba venditionis includant exemptionem, & decimam, emptores enim iuuantur exemptione in retinendo, quatenus proprijs manibus fructus colligant, nec aliter decimam apprehendant, quatenus vero bona locentur, vel sint Domini directi, vtuntur iure decimandi ante diuisionem cum Colono, vel pensionis solutionem, ac si tertij, vel Ecclesiæ essent, propterea bene se compatitur huiusmodi ius decimandi cum Dominio propriè rei, quinimo magis repugnaret in decima temporali, quæ non cadit in bonis pleno iure penes Dominum existentibus, vbi Dominus fructus per se colligit, ne quis sibi soluat, vel retineat annuam præstationem ex acquisitione dominij confusam; vt considerat Rota coram bonæ memoriæ *Card. Seraph. dec.* 872. *nu.* 3. *par.* 1.

4 Secundo non obstat, quod etsi factores vendiderint exemptionem, & decimam, non tamen id agere potuerunt, cum non legatur in mandato Ducis talis facultas, qui propterea excedendo fines mandati Ducem respectu harum decimarum non obligauerunt *l. diligenter. ff. mand. l. si procurator. C. de procur. cum alijs allegatis.* Quia satis est, quod mandatum contineat facultatem vendendi bona, & possessiones cum exemptionibus calculatis in æstimationibus factis per Agrimensores Venturinum, & Ferrum, & in calculo peritorum reperiantur æstimatæ exemptiones, & decimæ in summa Scutorum 16567. 1. b. statur enim dispositioni relatiuæ, quando constat de relata, in tantum, vt etiam magis deferatur relato, quam referenti, si referens aliter loqueretur. *Castr. cons.* 7. *in fin. volum.* 2. *Paris. cons.* 7. *nu.* 5. *vol.* 3. *Cephal. cons.* 44. *num.* 4. *Menoch. cons.* 1. *num.* 95. *lib.* 1. & hac veritate attentata non est recurren. ad coniecturas, & absurda pro interpretando mandato, quia hæc omnia cessant, quando clare apparet, quod vere fuerunt venditæ decimæ, neque hodie est quæstio de potestate Ducum in vendendo decimas, sed de facto, an fuerint venditæ, & ablatæ, quod pertinet ad fundamentum euictionis. *l. qui rem. C. de euict. Thess. dec.* 85. *nu.* 1.

5 Postremo non obstat, quod prædictis etiam suppositis Serenissimus de euictione non teneatur, cum agatur de venditione rei spiritualis per *legem interdicta. §. fin. Instit. de empt. & vendit. §. quoniam. in Authent. de alien. & emphyteusi.* pro qua actori non datur actio ex empto, nec pro recuperatione pretij. *l. si fundum. C. de euict. & latissime firmat Tiraq. de retract. lignag. §.* 12. *gl.* 1. *nu.* 11. & 12. Quia conclusiones allegatæ forte possent procedere in eo, qui scienter emit rem spiritualem à scienter vendente propter parem culpam, & dolum, secus in emptore ignorante, & vbi res in commercio posita *est. l. fin. de empt. & vendit. l. qui officij, §. qui nesciens ff. de contrahen. empt. Card. Mantic. de tacit. & ambig. lib.* 4. *tit.* 5. *num.* 10. possessiones enim, & exemptiones, & decimæ emptæ fuerunt per tutricem nomine infantis, qui ignorat quicquid agit *l.* 1. *C. de falsa moneta.* nec poterant cogitare tutores, quod decimæ essent extra cõmercium hominum propter Bonifacianam à statuto Ferrariæ declaratam, vt comprehenderet decimas, & ius decimandi ex eo, quod per Duces Ferrariæ decimæ possidebantur, quod sufficit ad tollendam malam fidem scientiæ rei alienæ, principale impedimentum actionis de euictione, vt dicit *Couar. var. resol. cap.* 17. *nu.* 20. Sed nihilominus data etiam scientia nihil obstabit, quin secuta euictione datur actio ad repeten. pretium iam exbursatum per emptorem. *Aret. in l. si ali- aliquam rem. nu.* 5. *ff. de acquir. possess.* asserens communẽ opinionem, *Couar. var. resol. cap.* 17. *in princ. qui plenissime comprobat,* ea præsertim ratione, quod cum res vendita fuerit aliena, & ab emptore euicta, nec transierit in eius Dominium iure Communitatis venditor eo titulo pretium habere nequit, & cum apud Dominos quo ad restitutionem pretij res careret dubitatione in decisis steterunt, sed pro decimis decursis damnis, & interesse voluerunt particulariter videre in separata disputatione, & ita conclusum, &c.

R. P. D. ANDREA.

Nullius iuris decimandi. Mercurij 1. Iulij 1615.

ARGVMENTVM.

Manutentio quando detur ex sola iuris assistentia, alio existente in possessione.

SVMMARIVM.

Manutentio datur probata possessione tempore motæ litis. n. 1.
Possessio anterior manutenenda est, quia secunda, & iunior præsumitur clandestina. nu. 1. *in fine.*
Manutentio quando detur ex sola iuris assistentia. nu. 2. *concurrente longæua, & plus quam decennali possessione. n.* 3.
Quasi possessio decimandi contra iuris assistentiam numquid requirat scientiam Abbatis, cui de iure decimæ debentur. num. 4.
Scientia præsumitur ex lapsu longi temporis vna cum multiplicatione actuum. nu. 4.
Exceptiones respicientes petitorium non impediunt manutentionem. nu. 5.

DECISIO DCLXXXV.

1 Rota censuit, esse dandum mandatum de manutenendo Archihospitali Sancti Spiritus, quia constat de illius quasi possessione exigendi decimas in locis de Meana, & Spinacetto, nedum de tempore motæ litis, quæ incæpit de anno 1612. quod sufficeret iuxta textum *in §. hodie. instit. de interdict. Bart. in l.* 1. *§. quod ait prætor. num.* 14. & 18. *ff. vti possidetis.* & fuit dictum in Mediolanen. Decimarum de Carlatio. 23. Iunij 1614. coram me verum etiam, à plurimis retro annis, & in specie ab anno post magnam fluminis inundationem & sic ab anno 1599. inclusiue ad 1612. quæ possessio anterior venit manutenenda, quia secunda, & iunior Monachorum præsumitur clandestina, cap. licet causam. vbi *Felin. num.* 8. *vers. tertia causa. de probation. Alexan. cons.* 88. *num.* 12. *lib.* 5. *Menoch. de retinend. remed.* 3. *num.* 725. *Rota decis.* 506. *num.* 5. & 6. *part.* 1. & *dec.* 19. *nu.* 1. *par.* 2.

Non obstat assistentia iuris communis, quam prætendunt Monachi ex iure Parochiali Ecclesiæ dictorum locorum, ex qua sola assistentia Rectori manutentio competit. *Rebuff. de decimis, q. 9. num. 4. Menoch. de retinend. remed. 3. numer. 135.* & fuit resolutum in Taurinen. decimarum 30. Aprilis 1604. coram Seraphino inter impressas, dec. 1497. par. 2. cum alijs allegatis. Quia Rota sæpe, ac sæpius de hac opinione dubitauit & ab ea, vt in eadem Taurinen. 30. Ianuarij 1606. coram bon. mem. Penia, & in Reatina Decimarum 4. Decembris eodem anno coram Iusto. Et præterea iuris assistentia non suffragatur, quando alius est in possessione. Tunc enim existenti in possessione, non autem habenti iuris assistentiam, datur manutentio, *Abb. in c. 1. n. 8. vt lit. pend. Lancel. de attentat. 2. p. c. 4. declaration. 4. nu. 6.* vbi alios refert.

3 Et licet hæc conclusio habeat difficultatem ex deductis per *Abb. vbi supra versic. sed contra, & latius per Couarr. practic. c. 17. num. 6. vers. verum opinioni, & vers. 4. non sic respondendum erit. Menoch. de retinen. remed. vlt. num. 24.* Attamen illa cessat in præsenti, ex longæua, & plus quam decennali possessione Archihospitalis, quę habetur loco tituli, & sufficit ad effectum manutentionis, etiam in possessione contra ius, vt in puncto ex notatis per *Abbatem in c. cum venissent, num. 8. de instit. & Franc. in c. cum personæ. §. final. de priuil. in 6. tract. Couar. vbi supr. dict. num. 6. versic. 2. oportet, quem, & alios refert, & sequitur Rota dec. 595. nu. 4. part. 1. diuers.*

4 Nec obstat, quod non probetur scientia Abbatis, quæ erat necessaria ad acquirendam huiusmodi quasi possessionem ex deductis in terminis mandati de manutenendo in Ciuitatis Casteli iuris pascendi 14. Martij 1601. coram Illustrissimo Mellino. Quia omisso, quod contrarium in isto iudicio Summarijssimo tenet, Rota si vera est, *dec. 17. num. 7. par. 2.* Tollitur obiectum ex lapsu longi temporis, vna cum actuum multiplicitate, ex qua præsumitur scientia. *Abb. in cap. cum Ecclesia. num. 25. de caus. possess. & propriet. Put. decis. 264. num. 2. vers. concurrebat etiam lib. 1. Seraphin. decision. 306. num. 5. & 7.*

5 Quæ vero dicuntur de priuilegijs Apostolicis, & exemptionibus Monachorum, non sunt huius inspectionis, quia respiciunt petitorium, & ideo interim non est manutentio impedienda, vt sæpe fuit resolutum, & signanter in causa Carthaginen. Decimarum, 27. Ianuarij 1590. coram Gipsio, & in Elboren. Decimarum, 1. Decembris 1606. coram bon. mem. Penia, & ita conclusum, &c.

R. P. D. ANDREA.

Conchen. Decimarum dell'Infantado. Mercurij 1. Iulij 1615.

ARGVMENTVM.

Testes examinati sine citatione partis sustinentur, quando pars habuit scientiam eorum examinis, & similia, & quid de testibus, examinatis sine citatione ad videndum illos iurare.

SVMMARIVM.

Testes parte non citata examinati sustinentur ex scientia partis contra quam examinantur, nu. 1.

Testium remissoria quando conceditur, intimari debet parti locus, in quo testes sunt examinandi nisi eadem pars loci scientiam habuerit, nu. 1. in fine, & nu. 3.

Vbi præsertim quando examen est factum in locis, vbi partes degebant.

Recursum habens ad Consilium Regium pro impediendo testium examine dicitur in dolo, & propterea testes examinari possunt siue alia citatione, nu. 2.

Testes examinati siue citatione partis ad videndum illos iurare sustinentur, quando in decreto admissionis ad probandum, & partibus intimato adest citatio ad videndum iurare testes. Declara, vt nu. 4.

DECISIO DCLXXXVI.

1 CVm ad multam inportunitatem Rectorum hodie dubitassem, an examen testium Episcopi per subdelegatum ex commissione Prouisoris factum esset validum, vel potius nullum, Domini vtraq; parte informante validum esse censuerunt.

Prima enim nullitas ex defectu deputationis receptoris à iudice subdelegati, nec nō citationis partis ad videndum illum deputari, cessabat ex actu deputationis sub die 26. Iunij 1602. in Summario Domini Episcopi, num. 1. & in Summario Rectorum, num. 4. Nec non ex scientia dictæ subdelegationis, quam habuerunt Rectores, quia sub die 28. eiusdem mensis procurator Episcopi petijt corā Prouisore mandari curri terminum probatorium, attento, quod receptoriam recesserat, & prouisor mandauit terminum currere, quæ omnia fuerunt intimata procuratori Rectorum vt in processu fol. 209. 210. & 211. Vnde eadem pars Rectorum sub die 29. eiusdem mensis petijt decerni terminum non currere, & mandari receptori, vt supersederet in examine instando vlterius sibi dari copiam interrogatorij pro parte Episcopi producti, & prouisor attento, quod originale dicti interrogatorij siue articulorum erat penes receptorem, qui iam recesserat, concessit parti Rectorum expressum mandatum directum eidem receptori, vt postquam Rectore exhibuissent sua interrogatoria eis daret copiam dictorum articulorum, process. fol. 211. 222. & 223. & dicto Summario Episcopi. num. 3. Quæ expressa, & indubitata scientia Rectorum supplet defectum citationis, *Roman. cons. 410. num. 2. vbi addit. litera C. allegat plures concordantes. Felin. in cap. cum contingat. num. 8. de rescriptis. Vant. in rubr. quib. mod. sentent. nullit. defendi possit. numer. 122. Boer. decis. 235. numer. 3. ad med. vers. vnde talis citatio. Grauat. ad Vestr. libro 3. cap. 6. nu. 11.* & ex hoc vnico fundamento notitiæ partis Rota in pluribus causis sustinuit examen testium alias nullum ob non citationem, vel eam minus legitime factam, vtpote ex defectu expressionis loci, & similium, vt in Legionen. Sancti Facundi 19. Martij 1590. corā bon. mem. Cardinali Pamphilio, Calaguritana Oblationum, 26. Martij. eodem anno coram Comitulo, Aurien. Sancti Pelagij. 11. Februar. 1604. coram Seraphino inter impress. dec. 1489. num. 1. versic. nec etiam, & in Aurien. Congruæ, seu fructuum 4. Maij 1607. coram Reuerendissimo Attrebaten. vbi aliæ referuntur.

2 Imo non solum fuit probata scientia Rectorum, sed manifesta, & dolosa contumacia, ex quo ipsi habuerunt recursum ad Consilium Regium, & sub fallo prætextu, quod prouisor careret iurisdictione, extorserunt prouisionem Regiam, in qua nihilominus refertur status causę circa examen, quod per receptorem fiebat, Summario num. 4. Quo casu, & qua itante contumacia non erat necessaria aliqua citatio, etiā si alias de iure foret requisita, iuxta textum *in c. 2. de dolo, & contumac. in 6. Alex. in l. de vnoquoque, nu. 16. de re iudic. Gabr. de tacit. conclus. 1. num. 299.* & hinc cessabat alia nullitas deducta ex *l. 8. tit. 6. lib. 4. nou. recompilat.* vbi antequam receptor literis vtatur illas debet notificare parti, vt ad locum Receptoriæ accedat, & ibi *Alphons. de Azzeued. notat. idem esse de iure communi, scilicet desumptum ex l. iudices vbi Castr. in princip. & nu. fin. C. de fide instrument.* Ille enim defectus fuit sanatus ex superuenienti scientia Rectorum.

3 Prout etiam remouebatur tertia nullitas, quod nō fuerant expressa omnia loca, in specie, in quibus fuit factum examen, prout erat necessarium iuxta decis. in Con-

Conchen, Decimarum.2.Iunij 1599. coram bo. mem. Cardinali Pamphilio, Burgen. Iuris patronatus. 18. Decembris 1595. coram Gipsio,& Conchen. Limitũ. 23.Ianuarij 1591.coram Comitulo,quia sufficit,quod Rectores sciuerint deputationem, & accessum examinatoris ad dicta loca, vt præsupponunt omnes supradictæ decisiones, in quibus propterea fuit capta contraria resolutio,quia non probabatur scientia locorum,in quib. fuerant testes examinati, & in terminis huiusmodi nullitatis ratione incertitudinis loci cum fuisset dictum in certo loco,& alijs partibus, & locis Episcopatus,quod examen sustineretur ob subsequutam scientiam partis, *est dicta decisio Seraphini 1489.nu. 1. vers. nec etiam placuit.cum alijs supra allegatis.* Et tanto magis quia terminus erat vtriq; parti communis,& examen factum fuit in eisdem locis,in quibus degebant Rectores, vt fuit ponderatum in dicta Legionen. Sancti Facundi,coram Cardinali Pamphilio,& in Calaguritana Oblationum coram Comitulo de quibus supra.

4 Deniq; alia nullitas ex defectu citationis ad videndum iurare testes coram receptore in actu receptionis iuramenti,& ipsa tollebatur ex decisionib. in hac causa factis coram R. P. D. meo Pirouano, & coram me,in quibus fuit resolutum, decretum admissionis ad probandum à Prouisore factum,& partib.intimatum continere citationem ad videndum iurare testes Vnde non erat necessaria alia citatio in loco examinis, vt fuit pluries decisum, & signanter in causa Toletana de Salsedon.16.Februarij 1590.coram bon.me. Penia,& in alijs,de quib. in *decisione Seraphin.*1010.*nu.* 3.& hic per Informantes,Decisio autem bo.me. Cardinalis Pamphilij in Conchen.Decimarum de Villanuoua,2.Iunij 1599. procedit, quando in loco decretæ remissoriæ,citatio tantum fuit facta ad videndum præsentare,& cognoscere testes,non tamen ad videndum eos iurare,prout in casu nostro adest citatio, vt fuit firmatum in dictis decisionibus, & in indiuiduo responsum ad dictam decisionem Cardinalis Pamphilij prima Decembris anni præteriti,coram me. Ex quibus fuit resolutum examen esse validum,&c.

R. P. D. ANDREA.

Salamantina Archipresbyteratus. Ven. 13. Martij, & Mercurij. 1. Iulij 1615.

ARGVMENTVM.

Agitur in hac decisione de probatione possessionis ad effectum concedendi manutentionem,& præsertim, an illa probata censeatur per assertionem Notarij, sine testibus,& de præterito.

SVMMARIVM.

Manutentio non datur non docto de possessione. nu. 1.
Notarij fides,seu assertio non probat possessionem, seu actum ad præterito. nu. 1. vers. non Alphonso.
Notarij assertioni sine testibus non creditur in præiudicium tertij. num. 1. vers. tum quia est sine testibus, vbi secus si cum testibus.
Instrumenti copia, seu exemplum extractum ab originali rogato per Notarium probat. nu. 2.
Notarius quando possit de actu a se gesto in præteritum instrumentum conficere. nu. 2. in fine.
Instrumentalis possessio alio non possidente sufficit ad manutentionem. nu. 3.
Possessio probatur ex instrumento locationis concurrentibus adminiculis. nu. 4.
Error in nomine non vitiat,quando constat de corpore. n. 5.
Pluralitas Ecclesiarum non præsumitur. n. 6.

DECISIO DCLXXXVII.

1 DVbitaui, cui sit dandum mandatum de manutenendo, & neutri esse dandum fuit vnanimiter resolutum. Non Ioanni,quia ipse non petit manuteneri,nec docet de sua possessione,sine qua manutentio non datur. *Alexan.cons.92.num.4.lib.* 1. *Guido Papæ cons.13.nu.1.*& fuit dictum in Beneuentana Bonorum. 28. Maij 1614. coram me. Non Alphonso, quia non probat suam possessionem, nisi ex fide Notarij, quæ non sufficit. Tum quia attestatur de actu de præterito. *Crauett.cons.171.nu.5.Affl.dec.* 317.*nu.*4. *Ægid.dec.* 61.*nu.5.Put.dec.65.nu.2.lib.1.Rota dec.285.nu.1.par.2. diuers.* Et in Seguntina Iurisdictionis.27.Iunij 1584.coram Gipsio.Tum quia est sine testibus,quæ non probat in præiudicium tertij. *Paris.cons.31.nu.28.lib.4.Put. dec.5.nu.1.lib.3.Rot.dec.15.par.3.lib.1.diuers.Osasc.dec.170. n.6.* Quicquid dicendum foret,si adessent testes. Quia tunc posset sustineri actus tanquam factus ipsis testibus præsentibus, vt alias tenuit Rota in Marsicana Cappellæ. 21. Iunij 1613. coram R. P. D. Pirouano.

2 Nec obstat, quod Notarius in dicta fide sub die 22. Martij 1614.dicit,quod ipse die 4. eiusdem mensis tradidit procuratori Alphonsi possessionem præsentib. pro testibus Petro Garzia, & Dominico Alphonso, quod videtur esse instrumentum publicum, seu exẽplum instrumenti,& non fides ex *Lap.alleg.77.n.2.Butrius cons.32.ad finem.vers.si autem attestatur.* Quia in casu Lapi copia fuerat extracta ab instrumento rogato per eundem Notarium, quæ habetur loco originalis, & sine dubio probat,*iuxt.doctr.Bart.in auth.si quis in aliquo.nu.3.C.de edendo,relat.ab eod. Lap.vbi sup. nu.3. vers. & hoc expresse.*In nostro autem casu Notarius non dedit copiam ipsius instrumenti possessionis,sed solum fecit fidem possessionis Alphonso traditæ de præterito,quæ non probat ex prædictis. Et licet *Bart.vbi sup.* teneat Notarium posse de actu à se gesto in præteritum instrumentum conficere, hoc tamen intelligit dummodo vere,vel præsumptiue constet,Notarium de eo, quod asserit in præteritum fuisse rogatum. In casu autem nostro nullibi apparet, Notarium fuisse rogatum de instrumento possessionis, sed ipse hoc atteстatur.Fides autem Curialium nihil facit,quia ex traiudicialis,& de auditu publico.

3 Visum tamen fuit Dominis indulgeri aliquod breue tempus Alphonso ad reportandum authenticum instrumentum.Quia datur magnus fumus possessionis, & eo reproducto res carebit omni difficultate.Reportato deniq. authentico instrumento possessionis captæ per procuratorem Alphonsi ad id specialiter cõstitutũ, eoq. in actis producto Domini sine difficultate illi esse dandum mandatum de manutenendo cẽsuerunt, quia possessio probatur ex instrumẽto illius adeptionis alio non possidente.*l.prædia.cum ibi not.ff.de acquiren.possess.Menoch.de retinen.remed.*3. *nu.* 575. *Fastol. dub.41.Rot. dec.204.nu.3.par.1.& dec.62.nu.1.par.2.diuers.* cum alijs adductis in Mediolanen.Beneficij.10.Martij 1614. coram me,& talis possessio,licet instrumentalis, est manutenibilis.*Cæs.de Graff.dec.5.in princ.de caus.poss. & propriet. cum alijs allegatis per Informantes.*

4 Et tanto magis,quia apparebat de effectuali possessione ex instrumento locationis fructuum Parochialis,seu Vicariæ, de qua agitur Summario. numero secundo. Quod concurrentibus adminiculis sufficit ad probandam possessionem contra tertium. *Felin. in cap. inter dilectos. numer.* 8. *versicul. item secus. de fide instrument. Socin. consil.* 187. *num.* 16. *ad fin. libro secundo. Grat. consil.* 50. *num.* 49. *& sequent. lib.* 1. *Gabr. de locat. conclus.* 4. *num.* 16. *Card. Seraph. dec.* 896. *num.* 2. & fuit dictum in Mediolanen. Decimarum. 23. Iunij. de anno præterito coram me. Quæ adminicula desumi possunt

possunt ex fide Curialiũ attestantiũ de eadem possessione, & ex ipso instrumẽto possessionis captæ alio nõ possidẽte, quod solũ per se sufficeret ex sup. deductis.

5 Nec obstabat, quod in mandato procuræ exprimatur Parochialis Sancti Stephani della Sierra è Monleon Salmantin Diœcesis, & Procurator ceperit possessionem Archipresbyteratus Ecclesiæ Parochialis Sanctæ Mariæ Villæ de Monleon, & postmodum eodem die possessionem Ecclesiæ loci Sancti Stephani. Quia cum dictus in vim suæ prouisionis mandatum procuræ dederit, & procurator vigore eiusdem prouisionis possessionem ceperit, in qua prouisione exprimitur Parochialis Ecclesia Vicaria, seu Archipresbyteratus nũcupata loci de Monleon Salmantin Diœcesis, quam quondam Ioannes Minor ipsius Ecclesiæ Rector Vicarius, seu Archipresbyter etiam nuncupatus dum viueret obtinebat, &c. Error in nomine non vitiat, cum constet de corpore beneficij, *l. si me in vacuam. 34. in principio*, ibi, nisi forte in nomine tantum errauerimus, in corpore consenserimus. *ff. de acquiren. possess. & ibi Doct. Rota dec. 4. num. 5. in fin. & sequent. de rescript. in antiq. & dec. vbi Papaz num. 1. eodem tit. in nouis. Put. decis. 442. numer. quinto. lib. 1.* & satis est non errasse Procuratorem dicta *l. si me in vacuam. §. 1.* ibi, si ego errem procurator meus non erret, an mihi possessio acquiratur, & cum placeat ignoranti acquiri, poterit & erranti.

6 Et licèt sint duæ Ecclesiæ tamen cum non constet duos esse Archipresbyteratus, & pluralitas non præsumatur, ambas venire sub vna Vicaria, & Archipresbyteratu dicendum est, ad *Put. dicta dec. 242. num. 4.* Vltra quod Alphonsus non petit manutentionem, nisi illius beneficij, cuius possessionem vigore literarum probat se adeptum fuisse, quæ literæ cum exprimant Archipresbyteratum Ecclesiæ Parochialis Sanctæ Mariæ loci de Monleon, & cum eis concordet possessio non potest illa dici esse difformis gratiæ, prout erat in casu illius Cæsaraugustan. Fructuum. 31. Ianuarij 1597. coram bon. mem. Cardinale Pamphilio ex aduerso allegata. Et ius non stat in verbis, etiam quod in mandato fuerit proposita vna Ecclesia vel alia postposita. Satis enim est, quod de substantia constet, ex prædictis, &c.

R. P. D. VEROSPIO.

Litteren. Beneficij. Veneris 13. Nouembris 1615.

ARGVMENTVM.

Iuris patronatus donatio, & vnio numquid æquiparentur, & an sicut in donatione Iuris patronatus solus Episcopi consensus sufficit, itam etiam sufficiat in vnione Ecclesiæ, an vero in ea requiratur etiam consensus Capituli.

SVMMARIVM.

Iuris patronatus beneficium laicale potest à Papa conferri absque patronorum consensu, quando sic specifice à Papa dicto laicali Iuris patronatus derogatum fuit. nu. 1.

Vnio Ecclesiæ Iuris patronatus laicorum requirit non solum patronorum consensum, sed etiam Capituli. nu. 2. & 3.

Donatio Iuris patronatus, & vnio, an de iure æquiparentur, & quando. nu. 3.

Iuris patronatus donatio solo Episcopi consensu perficitur. Vnio autem requirit etiam consensum Capituli. nu. 3.

DECISIO DCLXXXVIII.

1 PRoposito denuo per me dubio super iustificatione gratiæ si neutri, de qua agitur, Domini steterunt in decisis, istam videlicet gratiam esse iustificatã ex rationibus in decisione deductis. Nec releuat expectandam esse respectu Cleri nouam Iuris patronatus probationem, quia hoc dicitur opus non esse cũ in noua Iulij Cæsaris gratia non solum de Iure patronatus sit facta mentio, verum quatenus adesset, huius litis occasione sit illi spefice derogatum, etiam quod laicale esset ex fundatione, vel dotatione, quę in casu nostro derogatio sufficit. *Cassad. decis. 3. vt lite pend. Paris. de resig. lib. 1. q. 4. nu. 5.*

2 Non obstat beneficium, de quo agitur, esse de Iurepatronatus laicorum, & propterea constare de vnionis validitate, cum in ea patronorum assensus intercesserit, quem satis esse dicit *Socin. in cap. sicut vnire. nu. 99. vers. & aduerte. de excess. prælat.* Nam respondetur, Capituli quoque consensum in vnione requiri. *gl. in Clem. ne in agro. §. ad hæc. in verb. assensu. de stat. monach. Oied. de incompatib. benef. 1. 2. cap. 3. sub 9.* & fuit dictum in causa Vercellen. Vnionis. 26. Aprilis 1610. coram Illustrissimo Lancellotto. Cum vnio sit alienatio, quæ sine solennitatibus, & sic absque Capituli assensu fieri nequeat, *Clem. vlt. de reb. eccl. non alien. Clem. ne in agro. §. adhæc. de statu monach. Petrus de Perus. de vnion. cap. 5. nu. 17. Rebuff. in reg. de vnion. gl. 11. nu. 2. Oieda de incompatib. benef. 1. 2. cap. 3. nu. 9. vers. 3. requirit. Nec Socinus loco super allegato contrarium asserit, quinimmo sub nu. 93. vers. septima conclusio hanc opinionem expresse complectitur.*

3 Nec valet dicere donationem, & vnionem æquiparari, *Clem. 2. de reb. eccl. non alien.* Vnde sicut Iuris patronatus donatio accedente solum Episcopi consensu valet, ita pariter vnionem hoc modo sustineri. Dicta enim Clem. 2. loquitur in terminis donationis vna cũ bonis factæ, quæ tunc æquiparatur vnioni, non tamen sequitur illam semper æquiparari. Nam Iuris patronatus donatio solo Episcopi consensu perficitur, ex quo Ecclesia cum bonis non transfertur, sed donantur solummodo præeminentiæ patronis debitæ, secus autem est in vnione, cum per illam bona etiã beneficij vniti transferantur. *Oldr. cons. 253. Cald. cons. vlt. vers. iter vnio. de reb. eccl. non alien. Rota dec. 2. nu. 2. de excess. præl. in nou. Cassad. dec. 3. nu. 1. de re iud.*

4 Non obstat beneficij valorem non esse iustificatum, tanquam testes pro iustificatione prioris gratiæ fuerint examinati. Nam cum à die examinis testium, quę fuit de mense Octobris anni 1614. vsque ad præsentẽ gratiam si neutri de mense Aprilis, huius anni sex tantummodo menses intercesserint, versamur in terminis decisionis Aquitanæ beneficij in alia decisione allegatæ, in qua dictum fuit, satis esse testes eodem anno, quo gratia fuit obtenta deposuisse, quod tanto magis in casu nostro procedit, cum à dicto mense Octobris vsque ad mensem Aprilis sequentis fructus recollecti non fuerint. Vnde non potest aliquod notabile augumentum considerari.

R. P. D. ANDREA.

Callien. Fructuum. Veneris 13. Nouembris 1615.

ARGVMENTVM.

Mandatum executiuum nulliter relaxatum exequendum non est, pluresque nullitates eiusdem executiui mandati in hac decisione explicantur.

SVMMARIVM.

Fructus ad partis instantiam sequestratos, & depositatos penes alterum, quis restituere non debet, nisi in subsidium depositario non existente soluendo. nu. 1. & 2.

Decretum, seu sententia, quæ non iustificatur ex actis dicitur notorie iniusta. nu. 2.

Valor fructuum non liquidato non potest quis ad illum loco fructuum condemnari. nu. 3.

Man-

Mandatum executiuum dari non potest ad quid incertum numer.4.
Mandatum relaxatum cum intimatione non facta, relaxari non potest, num.4.
Executioni præscriptum censetur spacio 30. annorum, nu.5.
Citatio nulla præscriptionem non interrumpit, nu. 5.
Citatio reproducta post præscriptionem, eandem præscriptionem non interrumpit, num.5. in fine.

DECISIO DCLXXXIX.

1 DVbitaui, an mandatum executiuum per Dominos de Carbonaria petitum, esset concedendum. Et Rota negatiue respondit. Agebatur autem de exequutione duorum mandatorum, quæ quondam fuerant relaxata, nempe vnum per bonę memoriæ Oradinum de anno 1569. contra Ioannem Baptistam de Tauro leonibus, Episcopum Callien. & alterum per bonæ memoriæ Cardinalem Lancellottum de anno 1575. contra dicti Episcopi hæredes. Illa potissima visa fuit ratio, quod Episcopus non potuit iuste condemnari ad restituendos fructus, quia penes eum non extabant, sed penes depositarium, penes quem de mandato Episcopi in visitatione facto illi erant sequestrati, *l.1. & tot. tit. ff. & C. depositi.*

2 Nec probatur dictos fructus nunquam ad Episcopum peruenisse, nec ad illorum restitutionem poterat condemnari, nisi in subsidium ex late traditis per *Bart. q.9. nu.4.* Vnde sequitur debuisse ante relaxationem mandati probari dictum depositarium non esse soluendo. Quod cum factum non fuerit, & decretum Oradini non iustificetur remanet notorie iniustum. *Cæsar de Graff.dec.16.nu.15.de probat.* & sæpius fuit decisum. Merito igitur non venit exequendum, *Paris. cons.54. in princip. lib.4. Gabr. consil.43. num.47. lib.1. Cæs. de Graff.decis.4. in primo, de re iudic. & prima, numer. final. de appellat.*

3 Et tanto magis, quia dictum decretum Oradini nō modo fuit iniustum, sed etiam nullum, ex quo quatenus dicti fructus non extarent, mandabat solui Scuta 268. pro eorum valore, & tamen non præcessit aliqua liquidatio valoris, *Bald. in l.2. num. 7. & 8. Cod. de exequut. rei iudic. Socin. cons.51. num.5. & seq. libr.1. Crauett. cons.231. num.9. Canar.de exequut. instrum.q.14. Gallesi.ad formul.oblig.Camer.tit.de liquid.Surd.dec.23.per tot.* & fuit dictum in Asculana Grani. 16. Iunij 1608. coram Reuerendissimo Damasceno, & in Anconitana Computorum, 28. Maij 1614. coram R.P.D. meo Pamphilio, & in eadem 22. Maij 1615. coram me.

4 Qua nullitate, & iniustitia circumscripta; neque etiam hodie fieri potest liquidatio, cum fructus ob lapsum trigita annorum, & vltra, non possint dici extare, & consequentes, nec dandum nouum mandatū Carbonarijs, tanquam ad quid incertum, *l.3. & seq.C. de sent. quæ sine certa quantit. Natt. cons.27. nu.4.* cum supra allegatis, & hic per Informantes. Et præmissa etiā procedunt quo ad secundum mandatum Cardinalis Lancellotti, cum enim illud esset de exequendo mandatum Oradini etiam in istud reflectuntur, addito, quod mandatum Cardinalis Lancellotti fuit relaxatū cum intimatione, de qua non constat, & sic remanet nullum. *Put,dec.174. lib. 1.* & fuit dictum in Tarraconen. Censurarum. 15. Decembris 1604. coram bonæ mem. Iusto. Et in Romana domus de Roncionibus 17. Iunij præteriti coram. R.P.D. meo Buratto.

5 Denique obstat Carbonarijs exceptio præscriptionis, quia à die relaxationis mandati Cardinalis Lancellotti vsq; ad diem petitæ exequutionis coram me effluxerunt 30. & plures anni, & tamen sufficit lapsus 30. annorum, vt exequutioni pręscriptum censeatur. *Innoc. & Bald, in c. vltimo, in fine, de except. idem Bald. in rubr.num.22. vers.& dico, quod contra. de præscript. Achil. dec.5. in principio. eodem tit. cum alijs allegatis, per Carchar. dec. Ianuen. 120. num. 3.* Ad quam præscriptionem excludendam non valet, exequutionem fuisse cœptam, vel alias dictam præscriptionem interruptam per citationem cum inhibitione de anno 1603. Quia cum fuerit mandatum relaxatum cum intimatione, quæ non reperitur facta, vt supra dixi, sicut remanet nullum mandatum, ita pariter, & in eius vim facta exequutio, & per consequens interrumpere non potuit dictam prescriptionem, *reg. non præstat. de regul. iur. in 6.* Illa autem citatio vltra alios defectus, de quibus hic per informantes, non fuit reproducta, nisi vno ab hinc anno, & sic post completam pręscriptionem, quæ propterea interrumpi non potuit. *Card. cons.131. nu.fin. Abb.in c.auditis, nu.10. de præscript. Felin.in c.illud nu.13, eod.tit. Rot, dec,86.n,2.p.1 diuers.* Et ita conclusū, &c.

R. P. D. VBALDO.

Romana Pecudum, Veneris 20. Nouembris 1615.

ARGVMENTVM.

Quisque administrator etiam massariæ pecudum debet tenere librum sue administrationis, qui propterea debet continere data, & accepta, ex qua causa nominatim, & qua die.

SVMMARIVM.

Instrumentum dicitur probatio probata, nu. 1. in fine & seq.
Mors animalium an concludenter probanda sit, an vero sufficiant coniecturæ, nu.4.
Liber administratoris debet continere data, & accepta, ex qua causa nominatim, ex qua die aliter non dicitur legitime conscriptus, nu.5.
Administrator massariæ pecudum debet tenere librum administrationis, nu.5.
Liber priuatus regulariter pro scribente non probat. numer.6. & sequen.
Limitata causa limitatum producit effectum. nu.9.

DECISIO DCXC.

1 EX decisione emanata 10. Decembris anni præteriti in hac causa coram me Cosmus, qui tunc non informauit, prætendebat se grauatum in multis, ideo hodie proposito dubio ad eius instantiam, an esset à dicta decisione receden. DD. vtraque parte informāte steterunt in decisis. Nam ad primum eius obiectū, quod ipse in inuentario descripserit pecudes *nu.* 855. & capellas 114. non autem numerum maiorem, de quo in decisione, respondebatur, quod quicquid dicendū sit de eius inuentario, constat ex instrumento inter partes celebrato per diē ante quod pecudes reuera erant 860. capræ verò 115. & hic numerus videtur attendendus tanquā cōformis instrumento, quod dicitur probatio probata, *l.cum præcib.C.de probat. Bald. in c.quoties, in fine, C.de iud. Cagnol.in l.si librarius, nu.8. ff.de reg.iur. Honded. cons.89.nu.16.lib.1.*

2 Secundo prætenditur fuisse erratū in numero pecudū venditarū in montanea, quas peritus cēsuit detrahendas ad fauorē Cosmi, cū de earum pretio fuerit in relatione creatus debitor, & ipse dicit præter capras 9. in quib. concordatur fuisse venditas pecudes, *nu.36.* agnos autem 16. Et sic capita 52. in dec. vero solū habetur ratio pecudum 30. huic prætensioni fuit responsū quoad pecudes non apparere numerum pecudum vēditarū in cōputo exhibito ipsi perito, de quo in actis, sed solum dicitur *per pecore vecchie vendute alli macellari Scut. 18.* & propterea detractionem pecudum 30. de qua in decisione videri iustam, vel potius damnosam Veronicæ, ad rationem Iuliorum 6. pro quolibet capite,

capite, cum statim in eodem computo subijciatur pretium capellarum 9. in Scut. 10.b.80. & sic ad rationem Iuliorum 12. pro capite.

3 Tertio prætenditur, quod ex venditione pecudum facta à Cosmo sint detrahen. pecudes 31. ad rationem pecudum 33. pro quolibet milliario, vt dicitur per refutum iuxta dispositionem statuti agriculturæ, & cap. 84. & consuetudinem vendendi, vt dicitur ad vsũ artis, de qua deponunt testes pro Cosmo inducti, sed respondebatur, quod testes prædicti non probant, quod pecudes non vendantur etiam sub alijs conditionibus magis vtilibus venditori, vel quod grex per Cosmum venditus aliter vendi non potuisset, ideo si eo modo Cosmus vendidit, non debet hoc præiudicare Veronicæ, presertim, quia vt constat ex depositione testium, pecudes solent vendi pretio Scutor. duorum pro qualibet, & tamen Veronicæ soluuntur in vim dictę venditionis factæ à Cosmo, solum Iulijs 16. ideo non videtur alio onere grauandus, vt patiatur limitationem ratione d. refuti *ad text. in l. Diuus, cum ibi not. ff. de offic. præsidis.*

4 Quarto prætenditur detractio pecudum mortuarum iuxta relationem periti, sed placuit decisio, quod Cosmus non probet legitime mortem animalium, quæ gregatim pascebantur sufficere probare per coniecturas, quem sequitur ibi Ioannes de Plat. *sub num. 2. vers. dic aut tractatur. Dec. in l. si pascenda, num. 20. Cod. de pact.* tamen dicit etiam eam probationem debere concludere, quod mors animalium de illo tempore communiter contigit in regione pro tanta parte, & sequitur idem *Ioan. de Plat. loco citato. Rip. in tract. de peste. in tit. de priuil. contract. num.* 168. quæ probatio hic non adest, quia primus testis ad hoc inductus pro Cosmo deponit, *che può stare che d'ogni migliaro ne moiano* 130. *l'anno.* Tertius testis deponit, *mori secondo li accidenti, & infermità, che li vengano,* & idem deponit quartus, secundus vero qui deponit, *che ordinariamente delle pecore se ne moiano* 90. *&* 100. *in circa est vnicus, & sic non probat. idem Gabr. de testib. concl.* 1. *in princ.*

5 Computum verò Vergarij, & parui libri producti à Cosmo DD. non videbantur mereri fidem, quia sunt folia, & non habent faciem veri libri rationũ, in quo debent contineri data, & accepta, ex qua causa, & nominati, qua die, alias non dicitur reddita ratio, iuxta *l. cum seruus, ff. de condit. & demonstrat. Bart. consil.* 150. *num. 9. libr.* 1. *Bald. consil.* 152. *numer.* 1. *post med. vers. verbi gratia libr. 3. Petr. de Vbal. in tract. de duob. fratribus. par.* 12. *num. 7. Roland. cons. 49. num. 22. & 28. lib.* 1. & in terminis administratoris pecudum, quod debet retinere librum rationum legitime conscriptum, *Gabriel. consil.* 48. *num. 5. & 9. lib.* 1. quem secuta est Rota in hac causa, secunda Decemb. 1613. coram me, & quod tam Vergarius, quam Dominus, siue administrator massariæ pecudum soleat tenere talem librum deponunt testes ab ipso Cosmo inducti, & dati in Summario Veronicę *num. 4.* quibus accedit, quod non constat de identitate animalium, cum fuerint confusa cum ouibus Cosmi, nec vlla in dictis computis habetur ratio fetuum, qui subrogantur loco mortuorum, vt fuit consideratum in vltima decisione, & nunc additur clara attestatio testium, de huiusmodi subrogatione deponentium, vt d. Summario. *num.* 1.

6 Nec releuat, quod isti fœtus dicantur alienati pro soluendo expensis pro sustentatione dictorum animalium, quia non probatur dicta alienatio, nisi ex libro administratoris, & expensarum Cosmi, qui patitur defectus, de quibus supra, & regulariter pro scribente non probat. *Decius, in l. admonendi. vbi Ias. in repet. nu. 120. de iureiurand.*

7 Quo vero ad prætensionem pretij duarum equarum demortuarum, illa nec videbatur iustificata, cum ex tribus testibus de morte deponentibus, primus tantum deponat de morte duarum equarum cõsignatarum Cosmo. Tertius autem, & quartus non deponunt de consignatis, & sic non constat de identitate, vltra quod quartus deponit de auditu à Vergario, vnde nihil probat. *leg. testium, Cod. de testam. cum vulgar.*

8 Prætensio Scutorum 55. pro gabella fuit reiecta in decisione ex eo quod Veronica non vendidit, nec dedit mandatum ad vendendum, & nunc additur dictum vnius testis, quod Romani huiusmodi gabellas non soluant, vt in dicto Summario Veronicæ, numero quinto, & ratione eiusdem defectus mandati ad vendendum corruit alia prætensio Scut. 50. pro pretio duarum equarum, quæ vt dicitur dimittuntur emptori.

9 Non obstat declaratio facta in actis à Procuratore Veronicæ, quod intendebat exequi mandatum pro pretio Iuliorum 16. pro quolibet capite quanti fuerunt vendita animalia ab ipso Cosmo, quia talis declaratio fuit cum reseruatione iurium Veronicæ, & citra approbationem dictæ venditionis, tanquam factæ absque scientia, & consensu suæ principalis, vt in ea legitur. Ideo non potuit preiudicare Veronicę, nisi quo ad quantitatem pretij, quod non controuertitur, cum limitata causa limitatum producat effectum, *l. in agris. ff. de acquir. rerum dom.* Ex quibus fuit resolutum standum esse in decisis, &c.

R. P. D. VEROSPIO.

Gerunden. vnionis. Mercurij 2. Decembris 1615.

ARGVMENTVM.

Procuratori competit retentio scripturarum principalis, donec fuerit satisfactus de expensis per ipsum, factis in lite, secus pro prætenso salario.

SVMMARIVM.

Procuratori competit retentio scripturarum sui principalis pro expensis per ipsum factis in causa, num. 1.

Procuratori non competit retentio scripturarum, sui principalis pro prætenso salario. nu. 2. & nu. 3. & 4.

Res vna pro alia retineri non potest, numer. 2. versicul. & id merito.

Retineri potest res debitoris pro debita mercede. Plura exempla, nu. 3. vers. & licet.

DECISIO DCXCI.

1 Capitulum Celsonen. in causa, quæ inter ipsum & Sebastianum Saletam pendet in Rota suum constituerat procuratorem saluatorem Gasol, qui postea reuocatus instrumenta, & alia iura ad huiusmodi causam pertinentia, negabat restituere sub prætextu quod ipsius Capituli pro expensis in eadem causa factis, nec non pro mercede creditor existeret, vnde proposito pro me dubio, an Saluatori talis retentio competeret, Rota censuit illi pro expensis non autem pro salario dandam esse retentionem. Quod enim pro expensis iurium, procuratori competat retentio probatur *l. quæ omnia, §. plane. vers. item si retentione, vbi gloss. & Bart. num. 2. Ang. num. 5. Castr. num. 4. ff. de procur. Gail. obseruat. 12. nu. 5. lib. 2. Iacob. de Sancto Georgio. in l. sumptus nu. 2. de pactis,* & fuit dictum in causa Placentina nullitatis reuocationis procuratoris. 23. Ianuarij 1598. coram Litta. Et in causa Oueten. mercedis. 5. Maij 1606. coram Reuerendissimo D. meo Decano.

2 Secus autem esse dicendnm in salario firmat *Fulgos. in leg. si non sortem. §. si centum, numero sexto, versicul. quamquam. ff. de condict. indeb. Vbi Iason. numero decimo, Boer. decision. decimoquinto, numero tertio, Capic. decis.* 11. *numero primo,* fuit resolutum in causa Burgen. mercedis.

cedis.4.Iunij 1604. coram Iusto. Et id merito, cum regulariter vna res pro alia retineri non valeat *l. fin. vbi Doct.C.commun.l.si non inducta.C. in quibus cauf. pign. vel hypoth.tacite contrahatur, Negusan.de pign.4.membr.5.part. Surd. de alim. priuil. 62. tit. 8. & q. 32. tit. 19. nu. 53.*

3 Nec valet dicere pro salario quoque concedi retentionem ex *Fulgos.in l.ante litem.n.14. ff.de procurat. & Gail.lib.2,obseru.17.nu.5. Nam Fulgos.vt ex trad.per illum in d.l.si non sortem.* est sibi contrarius, & eius opinio *in l. ante litem.* vti nulla ratione, vel auctoritate munita, nō videtur attendenda, cum præsertim in contrarium sint omnes supra allegati *Doctor.Gail.*vero dum agit de procuratore, & aduocato, loquitur solum de retentione pro expensis, non autem pro salario. Et licet ab eodem postea multa adducantur exempla, in quibus etiam retentio pro mercede conceditur, vt in sutore, qui non soluta sibi mercede potest vestem retinere, & similibus, his tamen propter laborem, & quia rem meliorem reddiderunt, datur retentio, quam pariter dari videmus ei, qui librum scripsit, ratione laboris in eo præstiti, licet exemplar, in quo non scripsit, retinere non valeat, vt per *Bart. in dicta l. si non sortem. §. si centum. num.8.ff.de condict. indebit.* Vnde cum salarium, quod prætendit Saluator dd. Iuribus, & instrumentis non cohæreat, merito illorum retentio venit ei deneganda.

4 Non obstat decisio Placen. Salarij.23.Ianuarij 1598. coram Litta. Nam incidenter ibi loquitur de salario, & in diuersis terminis, & quamuis expensas, & salariū confundat, nihilominus respectu salarij refert solam opinionem. *Fulgos. in dicta l. ante litem,* quæ vt apparet ex supradictis non subsistit, in reliquis vero allegat *Bald.in l. quæ omnia.§. item si retentione,* quæ tantum loquitur de expensis. An autem Saluator pro expensis creditor existat, voluerunt Domini particulariter cognoscere.

R. P. D. VBALDO.

Romana Euacuationis. Mercurij 2. Decembris 1615.

ARGVMENTVM.

Conductor finita locatione tenetur rem conductam libere locatori relaxare, præsertim si iuri inquilinatus renunciauit, & quando socius possit rem communem locare inuito altero socio, in hac decisione magistraliter declaratur.

SVMMARIVM.

Instrumentum in quo quis se obligat, & promittit iuxta formam alterius instrumenti, censetur continere omnia ea, quæ in instrumento relata continentur. nu. 1.

Conductor finita locatione tenetur rem locatam locatori restituere. nu.2. præsertim si sic promisit in instrumento Camerali obligatione vallato. nu. 11.

Socius potest rem communem pro indiuiso locare, etiam inuito socio. numer. 3. in fine. Declara, vt num. 4. & seqq. omnibus.

Socius non potest imponere seruitutem in re communi in præiudicium alterius socij. nu. 5.

Stipulatio rem tradi, & similes, quæ in facto consistunt, indiuiduæ sunt. nu. 8.

Conductor renuncians iuri inquilinatus non potest ad illud idem ius redire. nu. 9.

Aequitati nihil magis conuenit, quam pacta seruare. num. 9. in fine.

Conductor primus, quando possit expelli ab alio conducto re pro maiori pensione, si ipse pensionis augmentum afferat. num. 11.

DECISIO DCXCII.

1 FVit dictum, mandatum de euacuando esse relaxādum ad fauorem Societatis Beatæ Mariæ de Laureto de Vrbe, quia ipsa habet intentionem fundatam in publico instrumento locationis, celebrato cum Francisco Barattello die secunda Maij 1596. cum expressa relatione ad aliud instrumentum locationis eiusdem domus, celebratum inter Franciscum de Forte auctorem Societatis, & Antonium Piccionum de anno 1588. cum omnibus, & singulis pactis eiusdem capitulis, & conditionibus renunciationibus, vinculis, & cautelis contentis, & expressis in dicto primo instrumento locationis de quo, & contentis in eo quibuscumq; dd. contrahentes plenissime se informatos esse affirmaret. Vnde cum in dicto instrumento de anno 1588. adsit clara obligatio conductoris de relinquenda domo vacua, libera, & expedita post finitam locationem, non obstante quolibet decreto Camerali, aut priuilegio inquilinatus, sequitur, vt eadem censeatur inesse in dicto instrumento de anno 1596. cum Barattello virtute relationis, *l.asse toto.ff.de hæred.instit. Osasc.dec.Pedem.128.num.2.Bald.cons.212. Ea quæ lib. 5. Surd.cons.105.nu.30.lib.1.& cons.460. nu.38. lib.4.* qui loquitur in terminis locationis relatiue factæ.

2 Et quod locatio fuerit finita apparet ex lapsu nouenij in locatione expressi, & ex intimatione præcedenti per sex menses, prout fuit in instrumento conuentum. Ideo videtur esse locus euacuationi, præsertim inter partes concordatæ, *l.si quis conductionis. l.conductores.C.locat.l.non ab re.C.vnde vi.cum similib.*

3 Qua stante fuerunt etiam sublata obiecta partis aduersæ, ex quibus principale erat, quod Hospitale Sancti Iacobi Dominus alterius partis hospitij pro indiuiso cum societate licet, & ipsum 1. die Maij 1596. locasset partem suam Barattello sub eisdem pactis, & conditionibus in primo instrumento expressis inter Franciscum de Forte, & Antonium, & sic cum renunciatione iuris inquilinatus, vt supra. Tamen postea dictam locationem dicitur reuocasse faciendo aliam locationem Vrsulæ, & Laurentio eius viro per aliud, instrumentum celebratum 9. Nouembris eiusdem anni 1596. Super qua re orta controuersia inter Vrsulam, & Barattellum deuenerunt ad compromissum, cuius vigore emanauit laudum, in quo habitatio Hospitij fuit concessa Barattello ad nouem annos, & hoc sciente dicto Hospitali, quod etiam permisit per quinq. alios annos Barattellum inhabitare, & percepit ab eo pensiones, & sic Barattellus acquisiuit ex hac tacita locatione ius inquilinatus, & ideo tanquam reuocata dicta prima locatione facta 1. Maij, Rota censuit, non esse relaxandum mandatum de euacuando ad instantiam Hospitalis, vt in decisione coram me. 26. Ianuarii præteriti, & hinc inferunt Informantes pro Barattello, quod cum societas B.Mariæ socia Hospitalis sciuerit dictam secundam locationem factam ab Hospitali, nec contradixerit censeatur illam approbasse, & consequenter non videtur hodie posse agere ex primo instrumento ad euacuandum, sed teneatur stare secundæ locationi, quam fecit hospitale, cum socius possit rem communem pro indiuiso locare, etiam inuito socio, vt per *Bar.in l.hæc distinctio.§.vlt. ff.locati.nu. 2.quem sequitur Aym.cons.319.nu.10.*cum aliis allegatis, tanto magis eo postea sciente, & non contradicente.

4 Huic obiecto fuit respōsum in primis quidem, quid allegata doctrina *Bar.in d. l. hæc distinctio.* non applicatur ad casum nostrum, quia illa procedit, quando vnus ex sociis habentib. rem communem pro indiuiso locari solitam, vt domum, vel fundum, qui commode diuidi non possit vult eū locare, & tunc si vtiliter locet, potest etiam altero socio inuito locare. *Bart.in d.l.hæc distinctio.§. vltimo.nu.2.& ibi Castren.ff.locati.* quē

in

in his terminis declarat *Socin.consi.58.nu.1.li.4.& idem Bar.in l.serui electione.§.1.ff.de leg.1.* & ibi etiam *Socin.in 4.& alij Ias. in l.quo minus,nu.16.ff.de flumin.cum alijs per Surd.consi.43.nu.8. Menoch.de arbitr. iudic.cas.442.nu.2.& Modern.Callien.in tract.de societ.c.28. nu.29.* sed hic non est casus noster, quia Barattello non fuit locata tota domus ab hospitali. Sed pars sua tantum permittendo eum inhabitare post nouem annos, in laudo comprehensos, sicuti antea in primo instrumento hospitale partem suam tantum locauerat,& sic sumus extra terminos à Doct.consideratos locis citatis, an possit scilicet vnus socius altero inuito rem totam communem locare.

5 Præterea respondebatur quicquid esset dicendum respectu hospitalis, quod dicitur recessisse à prima locatione,locando alteri, vel remisisse renunciatione iuris inquilinatus tacite permittendo inhabitare Barattellum, vt in decisione, hoc non præiudicare Societati,quæ nunquam nec facto, nec verbo recessit à prima locatione à se facta.2.Maij 1596.neque interuenit in secundo instrumento locationis factæ Vrsulæ, & eius viro, neque in compromisso inter Vrsulam,& Barattellum, & res inter alios acta alijs non præiudicat. *tot. tit. C. res inter alios acta.* Et alias vnus ex sociis non potest imponere seruitutem in re communi qualis est hæc, vt Barattellus non posset expelli finita locatione,& sic, quod acquisiuisset ius Inquilinatus, præsertim ex tacita locatione à socio facta, cum hoc nec per expressam posset in præiudicium socij. *l. per fundum.vbi Bart.& Salicet. l. vnus. in princip.ff.de seruit. rustric.præd.Surd.consi.447. nu.17. lib.3.*

6 His accedit,quod doctrina Bartol.in dicta l.hæc distinctio.procedit, quādo socius vtiliter locat,& iuxta solitum rem communem,alias secus. *Bald. & Ang. in l.1.in fin.vbi etiam Dec.numer.21.C.qui testam. facer.poss. Alex.in l.serui.electione.§.Labeo. num.3. ff.de legat.1.* non enim potest vnus ex sociis alterare formam locationis in præiudicium alterius. *gloss.magn. in fin.in l.Sabinus.ff.comm.diuid.& ibi Florianus.nu.7.versic. hæc videntur.Paris.consi.63.nu.6.& 13.lib.1.cum alijs per Surd.consi. 387.nu.11. lib.3.& per Modern.de societa. c.28. n.16.27.& 55.* in proposito autem cessat vtilitas societatis,& solitum,si dicatur ex tacita locatione Hospitalis Barattellum acquisiuisse ius Inquilinatus etiam respectu societatis patet,quia dictum hospitium solebat locari cum renunciatione inquilinatus, vt constat ex prioribus locationibus, & id esse damnosum societati,si sine facto suo amitteret ius expellendi conductorem post finitam locationem contra expressam conuentionem cum eo factam.

7 Nec obstat,quod societas sciuerit gesta inter Vrsulam, & Barattellum, & exegerit pensiones, quia de scientia non docetur, & si exegit pensiones vsque ad disdictam,hoc fecit vigore primi instrumenti locationis à se factæ de anno 1596. quæ durabat vsque ad disdictam, non autem vigore laudi, vel alterius concessionis ab Hospitali factæ, cum in societate cesset ratio decisionis, quod dicta exactio non sit adscribenda pacto prorogatiuo in locatione apposito, ex qua prima locatio erat per Hospitale impugnata, cum societas nunquam impugnauerit, vel facto,vel verbo locationem à se factam, vt supra dictum est.

8 Nec obstat, quod simus in locatione domus, quæ non ita commode locari potest in parte, & ideo ratione indiuiduitatis teneatur societas stare locationi factæ ab Hospitali, *ad not.per Surd.consi.43.nu.7.vers. 2.circumscripta.lib.1.* Quia vltra quod ista procedunt in socio locante totam domum inuito socio, qui non sunt termini nostri,vt supra dixi,intelliguntur etiam socio vtiliter locante, & iuxta solitum, vt per eumdem *Surd. dicto consi.43. num.15. vers.1. respondetur. post Ruin.consi.143.num.19.lib.4.* & argumentum ab indiuiduitate retorquebatur, quia promissio facta à Barattelio de euacuando finita locatione est indiuidua, sicuti stipulatio rem tradi,& similes,quæ in facto consistunt. l. stipulationes non diuiduntur. versic. idem puto,& ibi Doctor. *Alber.Angel.Castren. & Imol. nu.4. Socin.iun.nu.10.Bologn.nu.61.& 127.vers.2.dicta obligatio. ff.de verborum obligationib.per text.in l.3.§.hæres.ff.cōmod. Doct.in l.4.§.Cato.vbi Bologn.nu.34.37.& 45.eo.tit.de verborum obligationib.* Vnde cum Barattellus habeat facultatem integre obseruandi suam promissionem de euacuando, tenetur ratione indiuiduitatis integre euacuare ad instantiam Societatis, præsertim cum sit vnus,& solus reus debendi. *Bartol. in dicto §. Cato. nu.6. vers.vt ergo.quem ibi sequitur Alexand. n.16. vers.item in quantum.& nu.17.Ias.nu.20.Ripa.num.22.Socin.iun.nu.41. Surd.consi.13.nu.29. lib.1. Bologn. locis supra citat.Facchin. lib.10.contr.iur.cap.63. in 2.q. num.75.*

9 Non obstat declaratio facta per Barattellum se velle præferri cum eisdem pactis, & conditionibus, de quibus in instrumento locationis vltimo loco factæ Colombo,& Luccatello,quia prçterquam quod istud est extra dubium restrictum ad relaxationem mandati de euacuando,Respondebatur etiam,quod cum ipse in prima locatione de anno 1596.renunciauerit iuri inquilinatus sibi dicta renunciatio obstat,& denegatur sibi recursus ad ius, quod propria renunciatione amisit. *l.quæritur. §.si venditor. ff.de ædil. edict.capit. quam periculosum.cum concordantibus.in gloss.7.q.1. Surd. consi.183.nu.20. lib.2.* Neque hic consideratur allegata æquitas,cum nihil tam conueniat æquitati,quam pacta seruari. *l.1.ff.de ædil.edict.l.1.ff.de constitut. pec.Surd. dicto consi. 183. num.11.* cum allegat. per Informantes.

10 Ad id,quod allegabatur in laudo fuisse adiectum pactum inter Vrsulam, & Barattellum, vt neutra ex partibus posset directe, vel indirecte tractare,aut effectuare aliquam locationem Hospitij, de quo agitur, sine licentia, scientia, imo etiam consensu alterius,imo quod quælibet locatio, quæ ab vno contraheretur intelligeretur facta etiam ad commodum,& beneficium alterius partis. Vnde cum fuerit locatum hospitium Vrsulæ, intelligatur etiam locatum Barattello, & consequenter is non teneatur euacuare, fuit responsum,quod ea, quæ continentur in laudo non pertinent ad societatem,quæ in ea non interuenit,vt supra dictum est, & nunc agit ad euacuandum iure suo sibi competenti virtute primæ locationis. Præterea dicitur etiam, quod Vrsula non conduxerit, sed Columbus,qui licet promiserit de eius ratificatione, tamen de ea adhuc non docetur, vt fuit dictum in hac causa, seu in Romana exequutionis Laudi. 26.Iunij 1613. coram me. Tertio dicebacur,quod dicta locatio fuit intimata iudicialiter Barattello,& cum neglexerit consentire, seu potius contradixerit, videtur potuisse effectuari dicta locatio,vt in eadem decisione fuit etiam dictum. Vltra quod nec videtur ipse posse iuuari laudo, quod acerrime impugnauit,vt patet in decisionibus coram me factis,in dicta Romana exequutionis Laudi. *c.ex eo. de reg.iur.in 6.*

11 Postremo nec obstare videbatur *text. in l.final. C.de locat.præd.ciuil.lib.11.* vbi primus conductor prædiorum fiscalium præfertur, si offerat augumentum pensionis,quod alter adiecit,quem text.procedere etiam in rebus Ecclesiæ, & Hospitalis consuluit *Alpher. consil.51. nu. 4.& seqq.* quia omisso, quod ipse tenet, habet locum in rebus Hospitalis, quando est fundatum auctoritate Episcopi, vt erat in casu suo, quia tunc habet priuilegia Ecclesiæ, *vt ibi.num.15.& seqq.* quod esset videndum, an applicaretur societati, de qua nunc agitur. Respondetur etiam predicta procedere circumscripto pacto de euacuando post finitam locationem, quod cum ad sit in casu nostro ad fauorem locatoris iuramento, & obligatione Camerali vallatum cessant, quæ in contrarium adducuntur ex dicta l.final. in terminis iuris communis, quia prouisio ho-

sio hominis facit cessare prouissionem legis. *l. fin. C. de pact. conuent.* Et ita fuit decisum, &c.

REVERENDISSIMO P. DOM. CQCCINO.

Imolen. Bonorum. Veneris 4. Decembris 1615.

ARGVMENTVM.

Vxor instituta quousque vitam vidualem seruauerit si nupserit, à die nuptiarum tenetur cohæredi fructus restituere, & hinc plene discutitur illa conclusio, an scilicet, & quando annullatio actus dicatur pœna, & est magistralis decisio.

SVMMARIVM.

Vxor instituta hæres à viro donec viueret, & vitam vidualem seruauit instituta censetur sub conditione viduitatis, & sic sub negatiua conditione si non nupserit. nu. 1.

Titulus vbicunque reducitur ad non titulum, fructus restitui debent à die, quo titulus ad non titulum reductus fuit, non autem à die declaratæ reductionis. nu. 1. in fine.

Fructus non lucratur titulum, & bonam fidem habens. nu. 2. Declara, vt ibidem.

Actus annullatio an, & quando pœna sit, distingue plures casus. num. 3. & seqq.

Excommunicatio est quædam pœna, quæ inhabilitat personas ad actus publicos. num. 3.

DECISIO DCXCIII.

1 CVm testator instituerit Elisabetham, quousque ipsa viueret, & vitam vidualem seruaret, non potest dubitari, quin censeatur instituta sub conditione viduitatis, & sic sub conditione negatiua si non nupserit. *Ruin. cons. 34. nu. 4. & consi. 190. nu. 2. & 3. lib. 2. Ias. in l. siue apud. nu. 20. in fi. C. de transact.* & fuit dictum in hac causa 31. Maij 1613. coram me. Et sub contraria conditione censeatur institutus hæres. Vnde muliere contraueniente perinde est, ac si ab initio non fuisset hæres instituta, ita vt cohæredi debeant restitui omnes fructus. *auth. cui relictum. & l. fin. C. de indict. viduit. tollen. Imol. in l. Mutianæ, nu. 4. & 6. ff. de condit. & demonstra. vbi etiam Socin. nu. 1. Ruin. cons. 170. num. 7. lib. 3. Seraph. decis. 1354. Rota decis. 225. p. 2.* Et fuit dictum in hac causa 28. Nouembris 1614. coram me, & est regulare, quod quotiescumque titulus reducitur ad non titulum, à die, quo titulus censetur reductus, non autem solum à die declaratæ reductionis fructus debeant restitui. *Rom. cons. 454. num. 26. & 27. vers. 2. Natt. cons. 535. num. 12. Rimin. iun. cons. 333. num. 21. Osasch. decis. 160. num. 12.*

2 Neque obstat, quod cum Elisabetha habuerit titulum, & bonam fidem, veniat excusanda à restitutione fructuum, ex allegatis per *Osasch. decis. allegata 160. nu. 6.* Nam fuit responsum, quod cum huiusmodi relictum sit sub conditione de non nubendo, vt supra probatum est, propterea Elisabetha nullum habuit titulum, quia conditio prædicta non potest impleri, nisi in vltimo vitæ spiritu. *l. Mutianæ. ff. de condit. & demonstrat. auth. cui relictum. C. de indict. viduit. tollen. & probat ibidem. Bald. nu. 14.* Vnde non potuit facere fructus suos, imo si cautionem Mutianam præstitisset, habuisset quidem titulum, sed non ex ordinatione testatoris simpliciter, sed ex dispensatione. Nam si non fuisset Quintus Mutius, & Iulius Miscellus, qui inuenerunt hanc cautionem, scilicet Quintus in generali, & Iulius in casu speciali, certe non posset peti relictum, quod est certo casu, & termino conclusum, quare cum in casu præstitę cautionis teneretur ad restitutionem fructuum, quia est titulus dispensatiuus, qui non excusat à fructibus male perceptis, vt in puncto dicit *Bald. loco proxime allegato. Salicet. ibidem. num. 3. in fin. vers. ex qua collige.*

3 Neque obstat, quod quælibet causa excusat à pœna, hic autem adest ignorantia, quæ debet excusare à pęna, quia hoc est verum, sed ignorantia non excusat à dispositione hominis, vel legis, & sic in casu isto à dispositione testatoris, vt declarat *Imol. in cap. cognoscentes, nu. 17. de constit. Barbat. in Clement. 1. col. mihi 10. versicul. & subdit Bald. de elect.* hic autem non agitur de pœna, sed de dispositione simplici, nam in hac materia distinguuntur tres casus, vt per *Dec. in dicto c. cognoscentes, nu. 16. de constit.* Primus est, quando actus annullatur in odium personæ, secundus, quando in fauorem, tertius, quando propter formam, vel solennitatem introductam ob vtilitatem publicam, in primo casu si inhabilitetur persona est pœna, & ita procedit *Sarnen. in reg. de iur. quæsi. non tollen. q. 1. num. 12. Felin. in c. Eccle. Sanctæ Mariæ, nu. 86. de constit.* vbi quod ex conicatio est quædam pœna, quæ inhabilitat personas ad actus publicos. *Franc. in c. cupientes. §. ceterum. nu. 2. de elect.* & isto etiam casu fit distinctio, quod aut tollitur ius in re, aut ius ad rem. Si ius in re, est pęna, si ius ad rem non est pœna. *Cassad. decis. 32. nu. 11. super regul. in principio. Cephal. qui de communi testatur. cons. 52. n. 15. volum. 1. Surd. cons. 268. nu. 63. qui pariter de communi, & ita declarat Dec. in d. c. cognoscentes. nu. 16. vers. 1. casu.*

4 In secundo vero casu, quando actus annullatur in fauorem alicuius res videtur clara, quod non sit pœna, quia respectu illius, in cuius fauorem actus annullatur nulla potest considerari pœna, & licet tendat in præiudicium alterius partis id venit in consequentiam, & dispositio dicuntur fauorabilis, & non pęnalis, quamuis alias inhabilitetur, ita *Dec. in allegato cap. cognoscentes, num. 17. vers. 2. casu. Crot. in repet. l. omnes populi. num. 227. vers. vltima conclusio. ff. de iust. & iure.* Et hoc procedit etiam, quod agatur de auferendo aliquid datum non pure, sed sub certa conditione resolutiua in euentum contrauentionis ad fauorem certę personæ, quia nunquam fuit simpliciter acquisitum, sed cum certa qualitate respiciente fauorem certæ personæ, vt colligitur ex Rectoribus prædictis, & declarat *Peregr. de fideicom. art. 11. nu 92.*

5 In tertio vero casu si annullatur secundum regulas iuris communis, non videtur pœna, & ideo iura, quæ annullant testamenta, siue sententias non seruata solennitate requisita de iure communi, non dicuntur pęnalia. Ita *Dec. in d. c. cognoscentes. nu. 18.* Et ita declarat *Cassad. decis. 32. num. 11.* super reg. In proposito autem versamur in secundo casu, quia mulier videtur instituta sub conditione viduitatis, sub connexa vero conditione videtur institutus hęres, vt supra probatum est, & sic non agitur de pęna, vt in secundo membro distinctionis. Ex quibus conclusum Elisabetham non esse excusandam à restitutione fructuum perceptorum.

R. P. D. VBALDO.

Romana Domus. Veneris 4. Decembris 1615.

ARGVMENTVM.

Agitur in hac decisione de mandato de associando, quando sit conceden. nominato in successione emphyteusis, vel etiam eiusdem emphyteusis donatario, præsertim quando in instrumento adest constituti clausula.

SVM-

SVMMARIVM.

Apocha non recognita à testibus non probat, præsertim si sit suspecta de antidata. num. 1.

Copula Et requirit vtriusque copulati concursum.nu.2.

Ecclesiasticarum rerum concessio ad vitam alicuius dicitur alienatio, & ideo in ea requiritur beneplacitum Sedis Apostolicæ, cum alijs solennitatibus. num.4.

Apostolicum beneplacitum præsumitur ex cursu 30. annorum cum obseruantia subsequuta. num.5.

Emphyteota non potest rem emphyteoticam donare in præiudicium Domini directi. num.6.

Clausula constituti apposita in instrumento operatur, vt possessori detur mandatum de associando etiam mortuo constituente. Declara, vt num. 8.

Clausula constituti nihil operatur, quando contractus est nullus, tunc enim est necessaria actualis traditio. nu.9.

DECISIO DCXCIV.

1 Rota censuit, non esse dandum mandatum de associando in possessionem domus, & apothecarum, de quibus agitur, siue illud petatur vigore nominationis factæ per Alphonsum de persona Cæciliæ, siue donationis per eundem factæ ad fauorem monasterij. Quia quo ad nominationem, illa videbatur nulla ex pluribus. Primo, quia facultas nominandi concessa Alphonso fuit restricta ad vitam Virginiæ eius coniugis, vt patet ex instrumento celebrato de anno 1581. quod autē fuerit facta dicta nominatio viuente Virginia, non videbatur probari ex apocha subscripta ab Alphonso, & tribus testibus, sub die 14. Septembris 1599. & sic per duos dies ante obitum Virginiæ, quia non est recognita à testibus in ea nominatis, & subscriptio Alphonsi est suspecta de antidata, iuxta *l. scripturas. C. qui pot. in pig. hab.*

2 Secundo, quia in omnem euentum illa nominatio non fuit intimata, nisi post mortem Virginiæ, vt est in confesso apud partes; & tamen videtur fuisse facienda intimatio ipsa viuente, ex forma concessionis, ibi, Vita ipsius D. Virginiæ durante tantum debeant nominare vnum ex eorum filijs masculum, aut feminam, & sic nominatum intimare. Copula enim requirit vtriusque copulati concursum. *l. si hæredi plures. ff. de condit. instit. cum vulg.* accedente præsertim verisimili intentione partium, ne fieret aliqua fraus in antidata, de qua dicta scriptura Alphonsi est suspecta, vt dixi, maxime stante qualitate personæ vnius ex testibus qui est Procurator monasterij, & nimia ipsius diligentia apponendi in sua subscriptione diem 14. Septembris, quæ non erat necessaria cum iam esset apposita ab ipso Alphonso.

3 Tertio, quia dicta intimatio iuxta formam contractus debebat fieri administratoribus Ecclesiæ, & hospitali Sancti Iacobi, & tamen fuit facta tantum cuidam Procuratori ad lites, de cuius mandato non constat ad recipiendam nominationem.

4 Quarto, quia concessio nominandi fuit nulla ex defectu beneplaciti Apostolici, quod nunquam accessit, & tamen erat necessarium, cum concessio ad vitam sit alienatio, *Cardin. in Clem. 1. de reb. Eccles. non alienan. Corbul. de caus. priuat. ob alien. ampl. 35. nu. 14. Menoch. de arbitrar. cas. 5. nu. 3. & seq.* quæ non potest fieri sine debitis solennitatibus extrauag. ambitiosæ, de reb. eccle. non alien. tanto magis, quia concessio fuit facta sub conditione beneplaciti Apostolici, quod cum defecerit, defecit etiam ipsa concessio. *Rolan. consi. 63. num. 16. lib. 4.* Et illa clausula quatenus opus sit, nihil facit, cum ex prædictis appareat fuisse necessarium.

5 Nec obstat, quod alias ex cursu triginta annorum cum obseruantia subsecuta præsumatur obtentum, præsertim quando est reseruatum in instrumento, iuxta consilium *Anchar. 136. nu. 2. Alex. cons. 17. sub num. 8. lib. 4.* & sæpe tenuit Rota, & signanter in Mediolanen. rescissionis permutationis. 10. Ianuarij 1597. coram bonæ memoriæ Cardinale Pamphilio, quia in hoc casu deest obseruantia prædicti temporis. Cum concessio fuerit facta de anno 1581. nominatio autem, & donatio de anno 1599. Et obitus Alphonsi succesit de anno 1604. qui in articulo mortis donationem reuocauit, & secuto eius obitu statim hospitale accepit possessionem domus, de qua agitur, & sic potius constat de obseruantia contraria.

6 Quo vero ad donationem factam die 27. Octobris 1599. omisso an illa sit nulla ex defectu insinuationis dicebatur, nec suffragari monasterio, quia domus fuerat locata Alphonso, & Virginiæ, ad eorum vitam, & vnius ex filijs nominandi in vita Virginiæ, vt supra, vnde non potuit Alphonsus mediante donatione domum, siue eius possessionem, transferre in monasterium in præiudicium hospitalis, & absque illius censum. *Rot. diuers. decis. 184. & decis. 717. nu. 8. p. 1.*

7 Nec dicatur donationem habere vim nominationis ex allegatis per Informantes pro monasterio, quia responsio patet ex supra deductis, quod nominatio debebat fieri viuente Virginia, & administratoribus hospitalis intimari, sed donatio fuit facta post mortem Virginiæ, nec fuit intimata.

8 Non obstat clausula constituti, apposita tum in instrumento locationis factæ Alphonso, tum in instrumento donationis, uigore cuius prætenditur mandatum de associando, iuxta tradita per *Bart. in l. 3. in 4. q. princ. C. de pignor. Alex. consi. 131. sub nu. 4. lib. 4. Afflict. decis. 326.* quia fuit responsum primo, quod quatenus clausula constituti operetur etiam mortuo constituente, ita ut constitutarius non priuetur sua possessione, ut post alios declarat *Tiraquel. in tractat. de constit. possess. 2. p. ampliat. 13. nu. 3.* hoc tamen limitatur non procedere, quando post mortem constituentis ipsa res fuit ab eius hærede apprehensa, & postmodum constitutarius neglexit apprehendere possessionem naturalem, tunc enim amittit possessionem, quam prius habebat, ut per *tex. in l. si de eo. §. 1. & ibi Bart. ff. de acquir. possess. & glos. in c. cum venisset. in verb. annuam possess. in fine. & ibi Doct. de restitut. spoliat. limitat. & intelligit Tiraquel. dicto tractat. 3. p. limitat. 21. nu. 9. vbi post. Bartol. loco citato. num. 4.* subdit ad hunc effectum sufficere, quod constitutarius sciat ab herede occupatam possessionem per modicum tempus. Eo enim ipso amittit ciuilem possessionem, quam habebat ex quo uidetur suspicari se posse repelli, & in similibus terminis fuit resolutum in una Lucana maiusculatus. 27. Aprilis 1585. coram Orano, quod in proposito accedit, cum statim mortuo Alphonso Ecclesia Sancti Iacobi eius hæres ingressa fuerit possessionem istius domus, etiam quo ad exactionem pensionum, ut fatentur Informantes pro monasterio.

9 Secundo fuit responsum, quod clausula constituti accessoria ad principalem contractum non operatur, quando contractus est nullus. Tunc enim est necessaria actualis traditio. *Bald. & Doct. in l. ex testamento. in fin. C. de fideicomm. Aym. consi. 299. num. 3. Doct. in l. 1. §. si vir vxori. ff. de acquir. possess. Rota decis. 224. nu. 1. prima. p. 2. diuers. late Tiraquell. vbi supra. limitat. 7. nu. 1. & fere per tot.* Et fuit dictum in una Mediolanen. Donationis. 12. Februarij 1599. coram Orano, ubi quod omnes exceptiones, quæ competunt contra principalem contractum, competunt etiam contra constitutum. In proposito autem constat ex supradictis de exceptionibus releuantibus, quæ dantur contra concessionem factam Alphonso, & contra ipsius donationem. Ex quibus fuit conclusum, non esse dandum mandatum de associando.

RE-

REVERENDISSIMO P. D.

COCCINO DECANO.

Pampilonen. Matrimonij. Ven. 11. Decemb. 1615.

ARGVMENTVM.

Matrimonij dissolutio, quando concedatur propter coeundi impotentiam absque triennali cohabitatione est decisio singularis, & magistralis.

SVMMARIVM.

Impotentia coeundi naturalis, quandoque est euidens, necessaria, & concludens, quandoque est verisimilis, & quandoque dubia, & præsumptiua. num. 1.

Impotentia coeundi, quando est euidens, concludens, & necessaria, deuenitur ad separationem absque alia cohabitatione triennali, & absque alio iuramento, si vero est verisimilis sufficit iuramentum coniugum super impossibilitate coeundi, & septima propinquorum manus, &c. absque alia cohabitatione, si vero est dubia, & præsumptiua, & tunc requiritur cohabitatio triennalis. nu. 2.

Impotentia coeundi ex magnitudine, & arctitudine dicitur concludens, & necessaria. n. 3. Contrarium verius. num. 4.

Impotentia coeundi per magnitudinem, & attitudinem num. quid sufficiat ad separationem, absque alia cohabitatione. num. 5.

DECISIO DCXCV.

1 IN hac causa die 10. Decemb. 1612. fuit resolutum, deueniendum esse ad inspectionem Francisci, & Postmodum in relationibus causarum fuit resolutum, deueniendum esse ad inspectionem Mariæ, & cum Medici inspexerint Franciscum, & retulerint, ipsum non posse coire cum virgine ualde arcta, obstetrices uero inspexerint Mariam, & retulerint, quod esset virgo, & valde arcta, ideo post dictas relationes dubitaui, an esset locus dissolutioni matrimonij. Et Domini pro intelligentia præmiserunt. quod cum non agatur de impedimēto ex maleficio, & opera demonum, sed de impedimento naturali, huiusmodi impedimenta naturalia possunt considerari in triplici differentia, vt scilicet quædam necessario, & euidenter concludant impotentiam, alia verisimiliter, alia dubie, & præsumptiue. *Butr. in c. laudabilem. nu. 14. de frigid. & malef. Præposit. nu. vlt. Alex. de Neuo. num. 16. & 17. quos refert, & sequitur Sanchez de matrim. lib. 7. disput. 207. num. 2.*

2 Et predicta signa operantur diuersos effectus, nam si necessario, & euidenter concludunt, potest deueniri ad separationem, absque alia cohabitatione triennali, & absque alio iuramento, si vero verisimiliter concludunt, requiritur iuramentum coniugum asserentium se non posse coire, & septimia manus propinquorum, iurantium se credere eos verum fateri, non autem requiritur cohabitatio triennalis, vt latissime probat *Sanchez de matrimonio loco supra alleg. nu. 3. & 4.* Si vero signa dubie, & præsumptiue concludunt, requiritur cohabitatio triennalis, & iuramentum prædictum; vt per *Sanchez dict. lib. 7. disput. 108. per totam.*

3 Hoc stante duæ oriuntur difficultates, prima est in abstracto, an impedimentum magnitudinis, & arctitudinis sit primæ speciei, secunda an in casu de quo agitur dictum impedimentum sit iudicandum tertie speciei. Quantum attinet ad primum, quod sit primæ speciei, scilicet, quod necessario, & euidenter concludat impedimentum, ita vt non sit necessarium iuramentum, nec cohabitatio triennalis, voluerunt *Innocent. in c. laudabilem. in verb. instum iudicium. de frigid. & malefic. Ioan. Andr. nu. 9. Butr. nu. 13. & 14. Præposit. num. 6. super verb. iustum iudicium. & nu. vlt. cum alijs per Sanchez de matrim. dicta disput. 107. nu. 7.*

4 Contrarium vero, scilicet quod istud impedimentum sit secundæ speciei, ita vt exigat iuramentum, licet non cohabitationem triennalem, voluerūt *Butr. in c. fin. n. 8. de frigid. & malefic. Alex. de Neuo in c. laudabilem. num. 16. & 17. eod. tit.* & in hac sententia residet *Sanchez loco proxime alleg.* & ista posterior opinio fundatur optima ratione, quia oculus matronarum sæpe fallitur *c. ne aliqua. 27. q. 1.* & iudicium Medicorum similiter sæpe est fallax, vt experientia demonstrat, & notatur in cap. proposuisti. de probat. Quare ista posterior opinio videtur magis tuta. Nam cum tractetur de re grauissima, & in qua de maximo animæ periculo agatur, nulla iudicis in veritate indaganda, ac probationibus exquirendis superfluitas potest reprehendi, *Ioan. And. in c. fraternitatis. nu. 3. Butr. n. 18. Anchar. nu. 3. notab. 3. Præposit. num. 1. notab. 1. de frig. & malef. Alex. de Neuo in c. fin. nu. 15. eod. tit.*

5 Quantum attinet ad secundam difficultatem, an in casu, de quo agitur, versemur in secunda, vel tertia specie, ita vt vltra iuramentum sit necessaria cohabitatio triennalis, Rota censuit nos versari in tertia specie, quia Medici inspexerunt Franciscum, obstetrices vero Mariam, vnde cum iudicia sint separata, ita vt non possint dici super certo, quia Medici nec obstetrices inspexerunt vtrumque, & propterea licet dixerint Franciscum non posse coire cum muliere valde arcta, & obstetrices, quod mulier sit valde arcta, non inde sequitur per necesse, quod Maria sit valde arcta, quo ad Franciscum, & ideo in casu isto probatio est iudicanda dubia, & præsumptiua, vnde per necesse requiritur cohabitatio triennalis, & postmodum iuramentum de quo supra dictum est, vt per *Sanchez latissime dicto lib. 7. disput. 108. per totum,* non est tamen necessarium in hoc casu, quod procedat confessio Sacramentalis, quia non agitur de maleficiato vere, aut dubitatiue. *Hostien. in c. fin. nu. 5. vers. vt agerent pœnitentiam Cardinali. num. 2. de frigid. & malef.* & fuit dictum in hac causa 10. Decemb. 1612.

6 Vnus tamen ex Dominis dicebat, melius esse deuenire ad nouam inspectionem ab eisdem de vtroque, quia aut constabit de arctitudine respectiue ad Franciscum, aut non, & vtroque casu facilius, & breuius causa poterit expediri, vltra quod si arctitudo esset talis, quæ penetrari non posset, cohabitatio triennalis fieri non posset, absque euidentissimo periculo peccati, quæ sententia non displicuit alijs Dominis, sed dixerunt, quod si opus erit, de hoc poterit particulariter videri, &c.

R. P. D. VEROSPIO.

Narnien. Legati. Lunæ 14. Decembris 1615.

ARGVMENTVM.

Legatum factum in pecunia, non in bonis, in eadem pecunia soluendum est, etiam quod in hæreditate non adsit pecunia, & etiam quod sit factum filiabus pro sua legitima.

SVMMARIVM.

Legatum factum in pecunia, in eadem pecunia soluendum est, quamuis in bonis testatoris legantis pecunia non reperiatur. num. 1. nisi hæres hæreditatem adiuertit cum beneficio legis, & inuentarij. nu. 2.

Hæreditas in dubio præsumitur lucrosa, non autem non soluendo. nu. 2.

Legatum in pecunia factum filiabus feminis pro ipsarum legitima, soluendum est in pecunia, & non in bonis. num. 3.

DE-

DECISIO DCXCVI.

1 FAusta, & Fusca, quondam Michaelis Capocacciæ filiæ cum legatum Ducatorum bis mile cuilibet ipsarum à patre relictum peterent, & Angelus testatoris ex Francisco filio nepos, prætenderet illud in bonis stabilibus hæreditarijs soluere, causa mihi commissa dubitaui. An dicto Angelo illud liceret. Et fuit negatiue resolutum: quia cum legatum factum fuerit in pecunia, in eadem est soluendum, quamuis in bonis legantis illa non reperiatur. *l, si pecunia, vbi Bartolus, Baldus, Castrensis, in prin. ff. de legat. secundo. Castrens. in l. fin. §. item si præfatam. nu. 5. & ibi Corn. num. 8. C. de iure deliber. cum alijs per Surd. decis. 30. nu. 13. &* 14. Et fuit dictum in Bononien. de Amorinis. 4. Decemb. 1609. coram Reuerendiss. Lugdunen.

2 Et licet hoc non procedat, vbi hæres adiuit hæreditatem cum beneficio legis, & inuentarij. Roland. in tractatu de inuentar. *par. 4. vers. Alia* & noua vtilitas, cum concordantibus. Hic tamen non constat hærede tali beneficio vsum fuisse. Nec valet dicere illi, tanquam minori competere restitutionem in integrum, ad inuentarium conficiendum. Nam quousque illud non exhibeat hæres, nec doceat hæreditatem non esse soluendo, tenetur ad hæreditatis onera, quæ in dubio sufficiens præsumitur ex allegat. per *Couarru. c. si hæredes. sub nu. 9. versi. Sed. & si minime. de testam.* Et tanto magis id procedit in casu nostro, cum ex depositionibus testium hæreditatis appareat luctuosa.

3 Non obstat huiusmodi legatum filijs feminis pro ipsarum legitima fuisse relictum, & consequenter in bonis ad instar legitime esse soluendum, quia cum in filiorum fauorem id fuerit inductum, locum non habet, vbi volunt illi recipere legitimam in pecunia. *Bar. in l. suus quoque. in fin. ff. de hæred. instit. Ripa in leg. in quartam. num. 123. ff. ad leg. Falcid. cum alijs per Crass. §. legitima. q. 15. num. 2.*

R. P. D. REMBOLDO.

Ilcinen. Iuris patronatus. Veneris 18. Decemb. 1615.

ARGVMENTVM.

Ius patronatus à testatore in eius familia relictum num. quid extendatur ad familiam aggregatam, nedum ad originariam, & sic an, & quando appellatione familiæ veniat familia aggregata, & est magistralis decisio.

SVMMARIVM.

Ius patronatus sola confessione aduersarij probatur, quando agitur de illius pertinentia inter prætensos patronos, & non de libertate Ecclesiæ. nu. 2.

Ius patronatus spectare præsumitur ad Dominum Castri, ad quem ipsum Castrum spectat. nu. 1.

Obseruantia ex pluribus præsentationibus multum attenditur in materia iuris patronatus. nu. 3. vers. Tum quia.

Confessio in materia iuris patronatus plene probat contra confitentem. nu. 4.

Sententia lata propter non ius partis, reuocanda est, si probatur de iure eiusdem partis. n. 4. vers. Et quod in omnem euentum.

Domus totius, & progeniei appellatione, venit non solum familia originaria, sed etiam aggregata. nu. 5. & 6. vers. Et hæc quidem, & vers. & ad idem.

Familiæ appellatione in testamento, quando plures sunt familiæ eiusdem cognominis censetur vocata familia, de qua testator nominatus est. Declara, vt nu. 6.

Legatum lanæ non comprehendit lanam intinctam, nisi huic legato fuerit adiectũ aliquod signum vniuersale. n. 6. in fi.

Familia aggregata dicitur esse de stirpe, & sanguine illius familiæ, cui aggregata est. nu. 7.

Verba, & qualitates dispositionis, vbi non conueniunt, nec pariter dispositio conuenire potest. nu. 7. in fine.

Verba testamenti dubia ex vsu testatoris interpretari debent. num. 8.

DECISIO DCXCVII.

1 CVm vacante Parochiali Ecclesia Castri Porronę, tam Originaria Piccolomineorum Senensium Familia, quam etiam D. Io. Celani Comes ex aggregatis ad dictam Familiam à fel. rec. Pio II. descendens ius præsentandi ad prædictam Ecclesiam prætenderet, indeque causa coram Ordinario Ilcinen. introducta fuisset, & pro parte dicti D. Comitis Originariæ familiæ obiiceretur, quod iam prius per sententiam, & rem iudicatam definitum esset dictæ Originariæ Familię nullum ius in dicto Castro competere, fuit per eundem Ordinarium (reiecta in integrum restitutionis aduersus dictam rem iudicatam petitione) contra Familiam Originariam pronunciatum, Marcum scilicet Antonium à dicta familia præsentatum tanquam à non habentibus ius præsentatum repellendum esse, & è contra Celium Sauonum à dicto D. Comite præsentatum vti à legitimo Castri possessore, & cui per sententiam dictum Castrum adiudicatum erat, præsentatum instituendum.

2 Vnde causa in gradu appellationis mihi commissa, dubium iuxta ordinem mihi datum proposui, An Familiæ Originarię ius in dicto patronatu competeret, & licet videretur, quod cum Informantes pro Familia Originaria totum fundamentum in Codicillis Iacobi ponerent, in quibus tamen nulla mentio prædicti patronatus, sed solius Castri Porronæ facta appa-ret, dicti dubij resolutio ex trina inspectione pendeat. Vtrum scilicet constet de iure patronatus, & posito quod de eo constet, An illud sit annexum Castro, & denique, an per codicillos familia quoque Originaria ad successionem in dicto Castro vocata intelligatur, negotio nihilominus bene discusso, Domini dixerũt. Etiam Familiæ Originariæ ius competere. Nam cum in effectu dubium disputaretur, ad hoc, vt sciri posset, An prædicta sententia Ordinarij Ilcinen. sit confirmanda, vel infirmanda, neque de libertate Ecclesię, sed tantum de pertinentia iuris patronatus inter prætensos patronos certamen esset, visa fuit absque vlla difficultate existentia d. iuris patronatus probata, nedum ex propria confessione D. Comitis, quæ sola ad hunc effectum sufficeret, *Put. decis. 325. lib. 2. & decis. 36. num. 1. & 6. lib. 3.* cum alijs allegatis in vna Placentina Cappellaniæ 24. Nouembris 1595. coram bonæ mem. Penia, sed etiam ex literis Pij II. quibus d. ius patronatus Antonio, & fratribus reseruatum legitur, & insuper ex pluribus præsentationibus per longissimum temporis spacium effectum sortitis.

3 Præterea minus quoque controuerti posse videbatur, quin dictum ius patronatus sit eidem Castro annexum, tum quia Ecclesia de qua agitur sita est intra mænia Castri, quo casu ius patronatus ad ipsum spectare præsumitur, ad quem & ipsum Castrum spectat, vt plene probatur *per tex. in c. ex literis. & c. cum sæculum, & ibi DD. de iure patron. Rochus eod. trac. in ver. ipse vel is, q. 23. nu. 41. Bald. consi. 32. nu. 1. volum. 1. Lambert. de iure patron. art. 16. nu. 12. q. princ. 2. p. lib. 1. Card. Seraph. decis. 725. numero tertio.* Tum quia idipsum obseruantia postea subsecuta declarauit, ex quo perpetuo ad dictam Ecclesiam illi præsentarunt, qui pro tempore eiusdem Castri Domini erant, nulla aliorum habita ratione, vt apparet ex præsentationibus factis Anno 1493. per Iacobum, & Andream, ad quos vigore donationis quondam Antonij Ducis Amalphiæ d. Castrum

strum peruenerat, & ex alijs etiam præsentationibus factis per Scipionem, cui dict. Castrum in diuisione inter ipsum, & Iacobum iuniorem facta obtigerat, de quibus in Summario pro Familia Originaria dato, numero 9.

4 His accedit alia quoque & sæpius reiterata D. Comitis confessio in iudicio coram Ordinario Ilcinen. agitato, quæ contra ipsum plene probat ad late deducta per *Corn.consf.175. num.5. lib.4. Roland. consil.70. num. 3. lib. 1. Rot.in antiq.decis.2. de confess.Osasch.dec. 39. num. 38. Surd.dec.309. num.14.* Et quod in omnem euentum cum, vt dictum fuit, dubium disputetur ad effectum, vt videatur, an sententia Ordinarij Ilcinen. sit confirmanda, vel infirmanda, & dicta sententia expresse in eo fundata legatur, quod Familiæ Originariæ nullum ius in d. Castro competat, sufficit d. Familiæ Originariæ ostendere ipsam in d. Castro ius habere, ad hoc, vt prædicta sententia reuocari debeat, iuxta notat. in *c.ex parte & in cap.accedens, de conceff.præbend. & in l. si is ad quem ff.de acquir.hæred.Felyn.in c.inter cæteras, num. 10. & seq.de re indic.Bart.in l.1.C.de errore calculi. Anchar. consil.207.num.8.& consil.208. num.8.* & in terminis sententiæ ad fauorem illius, qui dicebatur præsentatus à maiori parte, late fuit dictum in vna Pampilonen. Beneficij 15. Decembris 1597. coram bonæ memoriæ Litta, & alias sæpius.

5 Quod autem Familie Originariæ ius in dicto Castro competat, visum fuit clare deprehendi ex codicilis Iacobi, in quibus expressis verbis in defectum lineæ masculinæ DD. Syluij, & Æneæ vocata legitur ad sucessionem in d.Castro domus tota, & progenies Piccolominea. Nam hac vocatione stante fuit absq; dubio per mortem Scipionis vltimi ex dictis Syluio, & Ænea descendentis acquisitum in d. Castro ius familiæ, etiam Originariæ, ex quo certũ est, sub his verbis non minus Originariam Familiam quam aggregatam comprehendi, omnes scilicet eadem insignia, & nomen deferentes, *Bart. in l. tutelas, num. 4. ff. de c. dimin. Ancharan.consf.152. numer. & 5. Corn. consil. 26. numero. 3. libro quart. Alexan. consil. 212. numero. 3. ante med. libro 6. Gabriel consf.132. quæst. 6. numero.58. & seqq. lib.1. Peregr.de fid.art.22. num.27.*

6 Nec vlla ratione suaderi posse putabant, quod predicta verba domus tota, & progenies Piccolominea, restringi debeant ad descendentes ex aggregatis ad d. Originariam Familiam tantum. Nam etiamsi Iacobus ex aggregatis descenderit, & regula videatur, quod quando Testator simpliciter vocat Familiam, siue domum, si plures sint Familiæ eiusdem cognominis censetur ex præsumpta quadam mente vocasse Familiam, de qua ipse natus est duntaxat, *Alex. consil. 213. num.1.& seq.libr.1. Paris.consil.51.num.5.& 10.vol.2.Menoch.consf.233.num.16. & seq. lib.3.* Nihilominus regula ista in proposito non applicatur, non solum quia hic cessat illa præsumpta mens Testatoris, ex qua à proprietate verborum recedi, & verba de sui natura vtramque Familiam apta comprehendi ad Familiam Testatoris tantum restringi solent, verum etiam quia apparet de mente potius contraria, quod scilicet Iacobus non minus decori Originariæ, quam aggregatæ Familiæ prospicere intellexit.

Et hæc quidem mens, & intentio Iacobi colligitur primo ex verbis eorundemmet Codicillorum, dum præsertim in ijsdem non simpliciter Testator vocat domum, & Familiam Piccolomineam, sed cum additionum dictionis vniuersalis totam, per quam vniuersam familiam, atque ita etiam Originariam vocasse presumitur, iuxt. *trad.per Alex.consf.195. nu.3. & seq. libr.6. Oldrad. consf.300.nu.6.cum alijs per Tiraq.in l.si vnquam. in verb.totum. num.1. & seq.C.de reuoc.donat.* Et ad idem bene facit *text.in l.sicut lana.de l.3. l. pediculis, §. Labeo.ff. de auro, & argento,legat.* vbi quod licet lana legata, non veniat lana intincta, quando tamẽ est adiectũ signum vniuersale, venit lana cuiuscunque coloris.

7 Secundo, eadem quoque mens colligitur ex verbis Testamenti potissime, quia Testator in cap. 74. ad quod etiam in Codicillis se retulit, vt bene ab Informantibus demonstratur, non solum declarat eius intentionis esse, quod succederet in bonis Castri Porronæ Domus Piccolominea ex stirpe, & sanguine Piccolomineorum descendens, & sic qui à stirpe, & origine Piccolominei sunt, sed insuper etiam ad magis detegendum eius animum, quod vtramque familiam vocare intelligebat, subiungit hæc verba, & ex stirpe & sanguine Pij II. & Pij III. per quæ procul dubio vtranque familiam vocasse censeri debet, cum neque aggregata familia dici possit de stirpe, & sanguine Pij II. qui ab originarijs descenderat, neque originaria de stirpe Pij III. qui ex aggregatis descenderat, iuxt. vulgarem regulam, quod cui verba, & qualitates dispositionis nõ conueniunt, nec pariter dispositio conuenire potest, *l.4. §. toties, ff. de dam.infect.l.seruum, §.non dixi, ff. de acq. hæred. Rom. consf.442.n. 2.Surd.dec.56.n.1.*

8 Tertio, idem, & clarius apparet ex eo, quod Iacobus in testamento de anno 1498. condito extinctis omnibus ex aggregatis descendentibus vocauit sub ijsdem verbis ad bona Castri Porone totam domum Piccolomineam, nam sicuti stante aggregatorum extinctione, necessario dicendum est, sub his verbis contineri voluisse Familiam Originariam, ita & pari ratione dici debet ipsam comprehendi in vocatione, de qua agitur, cum etiam si verba essent dubia, ex visu Testatoris interpretari deberent. *Gl. in l.ille à quo. §.si de testamento, in vers. verba.ff.ad Trebell.l. cum alimenta. in princip.& ibi Bart.ff.de alimen.leg. Corn.consf.243. numer.5. vol.4. Paris.consf. 50. num. 19. volum. 4. Cephal. consf.451. num.82.lib.4.*

9 Quarto, id ipsum etiam colligitur ex eo, quod Testator posteaquam plura onera legatarij imposuisset, mandauit, vt facilius per eum disposita exequerentur, & confusio, quam multitudo generare solet, euitetur excedentes annum trigesimum congregari, suamque ab ipsis voluntatem exequi, eisdem quoque viduas, & pupillos, ac pauperes familiæ Piccolominee commendans, quod vtique non leui argumento est ipsum vtriusque familiæ rationem habuisse, & nõ minus, vt dictum fuit decori aggregatæ familiæ, quã etiam originarię prospicere intellexisse, præsertim cũ inter aggregiatos vix possibile esset, quod confusio generaretur, neque inter eos pauperes existerent, quibus subueniendum fuisset.

10 Quinto, ad prædicta plurimum facit obseruantia, subsecuta, quæ est optima rerum interpres, & potissime, quod vsque ad hodiernum diem gens, & domus Piccolominea tota possidet apothecas sub porticu Piccolomineorum existente, & in eodem Testamento toti domui, & primogeniei legatas, & quod eadem aggregiata Familia vna cum Originaria in reparanda d.porticu concurrit, ceteraque ab eodem Testatore disposita, & in cap.75.contenta exequitur. Ex quibus omnibus, & alijs ab Informantibus deductis saltem simul iunctis visum fuit Dominis non solum, vt dictum est, cessare præsumptionem illam, quod Testator se ad familiam ad aggregatam tantum restringere voluerit, sed constare etiam de mente contraria, & consequenter Familię quoque Originariæ ius in Castro, & Patronatu competere.

DECISIO DCLXXXVIII.

Romana Legatorum. Lunæ 11. Ianuarij 1616.

Est impressa inter Caualer.

DECISIO 374.

DECISIO DCLXXXIX.

Toletana Iurisdictionis, Lunæ 11. Ianuarij 1616.

Impressa Apud Buratto,

DECISIO 144.

R. P. D. VEROSPIO.

Barbastren. Prioratus. Lunæ 11. Ianuarij 1616.

ARGVMENTVM.

De immissione concedenda gratiose subrogato quæ requirantur, vt illa concedatur, & quomodo probentur requisita.

SVMMARIVM.

Immissio in vim gratiosæ subrogationis datur constito de reseruatione beneficii, de obitu in possessione beneficiati, in cuius ius qui fuit subrogatus, & de clericatu. num. 1.
Confessio partis probat reseruationem, nu. 2.
Possessio probatur per instrumentum adeptionis, num. 3. Declara, vt nu. 7.
Possidens in vita præsumitur possedisse vsque ad mortem. numer. 3.
Mors probatur per librum Parochi, in quo nomina mortuorum describuntur, nu. 4.
Beneficium illius qui est mortuus in curia dicitur reseruatum, nu. 4.
Clericatus probatur per instrumentum, nu. 5.
Confessio antecessoris non præiudicat successori in beneficialibus, num. 6.
Manutentio non rite, & recte data, attendenda non est, numero 7.
Impetratio certo modo facta non potest impedire immissionem in vim gratiosæ subrogationis, nu. 8.

DECISIO DCC.

1 PEr obitum Thomæ de Heril in mense reseruato, cum vacasset Prioratus B. Mariæ della Penna, Ordini Sanct. Benedicti, fuit à Summo Pontifice de illo prouisus Michael de Ayneto, post cuius obitum à Sede pariter Apostolica prouisus Petrus Lamerced, litem instituit contra Petrum Solanum, qui certo modo dictum Prioratum impetrauerat, mortuo deinde Petro Lamerced. fuit in ius, & possessionem Thomæ de Heril, nec non Michaelis de Ayneto subrogatus à Sanctissimo D. Petrus Sorriba, qui cum peteret immissionem, dubio per me proposito Rotæ visum fuit, dandum illi esse in vim gratiosæ subrogationis mandatum de immittendo. Constat enim de reseruatione dicti Prioratus, & de illorum obitu in possessione, in quorum ius, & possessionem Sorribas fuit subrogatus. Constat insuper de eiusdem clericatu, quibus probatis, non denegatur immissio. *Put. dec. 495. lib. 2. Mohed. dec. 11. vt lit. penden. Seraphin. dec. 1426. n. 1.* & fuit dictum in Toletana Parochialis 24. Iunij 1604. coram Reuerendiss. D. meo Damasceno.

2 Et quo ad Thomam reseruatio, & possessio probatur ex ipsius Solani confessione in literis impetrationis facta, vbi narrat eundem Thomam de mense Augusti, qui est Apostolicus obijsse, nec non possedisse dictum Prioratum, dum viueret: Hæc autem confessio bene probat. *l. cum precum. C. de lib. causa. Paris. consil. 3. num. 30. lib. 4. Rom. cons. 329. num. 11. Gabr. concl. 4. de confess. Aegid. decisione 268.*

3 De possessione vero Michaelis, & Petri, qui successiue post Thomæ obitum eundem Prioratum obtinuerunt constat ex instrumentis possessionis pro eos captæ. *Abb. in cap. cum nobis num. 5. de præscript. Rot. decis. 506. num. 1. par. 1. diuers.* Quæ possessiones vsque ad obitum continuatæ præsumuntur ad not. *in l. siue possidetis. C. de probat. Natt. cons. 400. num. 6. Rota dec. 4. de prob. in nouis, & dec. 4. nu. 12. & seq. par. 2. diuers.*

4 De reseruatione similiter apparet ex amborum obitu in curia, vt probatur ex Parochi libris, in quibus nomina mortuorum adnotantur. *Imol. consil. 100.* & fuit dictum in causa Aquilana beneficij. 12. Decembris 1602. coram Reuerendissimo Bononien. Quo casu beneficium dicitur reseruatum. *cap. 2. de præbend. in 6. Cassad. dec. 23. num. 8. de probation. Gomes. in reg. trienn. qu. est. trigesima prima. in princip.* Vltra quod satis innotescit reseruatio respectu litis pendentis in Rota. *Cassad. dec. 6. nu. 3. super reg.* & fuit dictum in Conchen. Archipresbyteratus 16. Decemb. 1588. coram Cardinale Platto.

5 Clericatus quoque Sorribæ probatur ex publico instrumento *Gramm. dec. 81. nu. primo*, & fuit dictum in Toletana Parochialis 24. Iunij 1604. coram Reuerendiss. D. meo Damasceno.

6 Nec releuat, Petrum Lamerced, in commissione per eum porrecta narrasse, fratrem Hieronymum Serueti esse in huiusmodi Prioratu intrusum, & sic improbatam fuisse ipsius Petri possessionem. Nam vltra quod antecessoris confessio in beneficialibus non præiudicat successori, *Caputaq. dec. 185. par. 1. Seraph. dec. 1029. num. 3.* Ista tamen confessio per necesse non concludit de tempore captæ possessionis à Petro, fratrem Hieronymum possedisse.

7 Non obstat possessio instrumentalis Solani, quia non suffragatur cum fuisset plena, vt ex iuribus productis apparet. *l. improba. C. de acquirenda possess. Menochius de adipiscen. remed. 4. nu. 603.* Nec pariter est attendenda illius manutentio, tanquam non rite, & recte data. *Put. dec. 362. & dec. 183. nu. 2. lib. 2.*

8 Non obstat Solanum etiam esse prouisum Apostolicum, quo casu hic agi non possit executiue, cu enim ille non veniat ex eadem vacatione per obitum Petri Lamerced, sed per impetrationem certo modo factam non potest immissionem impedire. *Put. dec. 495. & decis. 302. lib. 2. Caputaq. dec. 329. par. 1.* & fuit dictum in alleg. Toletana Parochialis, coram Reuerendissimo D. meo Damasceno, & in Vercellen. beneficij 16. Nouembris 1602. coram Litta.

R. P. D. ANDREA.

Firmana Altaris. Lunæ 11. Ianuarij 1606.

ARGVMENTVM.

Periurus à limine iudicij repellitur, eique post incursum periurium absolutio non suffragatur, nec Procurator potest periurium remittere in præiudicium iuris quæsiti suo Domino, & de clausula Parito iudicato, ac etiam de clausula constito, quod sint conditionales, nec iurisdictionem tribuant ante verificatam conditionem.

SVMMARIVM.

Periurus à limine iudicij repellitur. nu. 1.
Absolutio à iuramento post incursum periurium absoluto non suffragatur. nu. 2.
Periurium a parte remitti non potest. nu. 3.
Procurator non censetur habere mandatum, quantumuis generale, ad remittendum ius Domino quæsitum. nu. 3.
Clausula parito iudicato est conditionalis, nec iurisdictionem

nem tribuit, nisi docto prius de paritione, nu. 4.

Clausula constito est conditionalis, & conditione non verificata iurisdictionem non tribuit. nu. 5.

Restitutionis causa commissa, post lapsum quadriennium præsumitur calumnia petentis restitutionem. nu. 6.

DECISIO DCCI.

1 EX pluribus dictum fuit, Richardum Ricciottum non esse audiendum. Primo, quia est periurus, & ideo illi obstat hæc exceptiio, quia periuri in iudicio non adiuntur. *cap. paruuli. vbi gl. in verbo causa 22. q. 5. l. si quis maior. & ibi Doctor. C. de transact. Specul. de act. nu. 16. Seraphin. de priuil. iuram. cap. vltimo. nu. 10. Roland. cons. 26. nu. 28. lib. 3. Menoch. cons. 24. num. 14. & 23.* & fuit dictum in Signina Castrorum. 26. Iunij 1602. coram Reuerendissimo Bononien. & in specie in hac causa 29. Ianuar. 1607. coram Reuerendissimo Lugdunen. Et de periurio constat, quia Richardus se cum iuramento obligauit de stando vnicæ sententiæ Cardinalis Seraphini, renunciando cum eodem iuramento omni, & cuicumque appellationi. Et nihilominus post sententiā commisit causam restitutionis in integrum, & illa vsus fuit, & alia plura in contrarium fecit. Nunc vero ardentius, & instantius, quam vnquam antea litigat, & omnes illius ordinarios defatigat, sicque periurum euitare non potest.

2 Nec valet dicere illum absolutionem obtinuisse. Nam post incursum periurum non suffragatur absolutio à iuramento, nisi obtenta prius absolutione à periurio iam incurso, *Federic. de Senis cons. 300. in fin. Anchar. cons. 198. num. 3. vers. item aduertendum. Alex. cons. 83. num. 7. lib. 5. & cons. 118. in fine. lib. 7. Paris. cons. 10. nu. 94. lib. 1. Menoch. d. cons. 24. nu. 17. Affl. dec. 220. num. 17. vers. 3. sumptio est. Rota decis. 786. part. 3. libr. 3.* & fuit dictum in Mediolanen. bonorum. 16. Decembris 1602. coram Litta, & in Nepesina laudi. 10. Decembris 1605. coram Illustrissimo Mellino. & in Bononien. redditionis rationum. 17. Februarij 1606. coram bon. mem. Penia, & in indiuiduo in hac eadem causa, coram eodem Reuerendissimo Lugdunen.

3 Non obstat, quod procurator Coriolani petendo reformari commissionem restitutionis in integrum à Richardo obtentam, vt staret cum clausula parito iudicato censeatur renunciasse dicto periurio. Nam vltra quod periurum à parte remitti non potest. *Alex. cons. 17. num. 4. & 5. lib. 3. Roland. cons. 34. num. 3. lib. 1. Affl. dec. 36. num. 2.* & quod ex illo actu non inducitur per necesse renunciatio in omnem euentum Coriolani, procurator sine speciali mandato non potuit obtinendo talem reformationem Domino præiudicare. *Innoc. in cap. cum olim. num. 3. de offic. legati. Roman. cons. 48. num. 1. in fine. Berous cons. 116. num. 11. lib. 1. Honded. consil. 66. nu. 80. cum pluribus seqq. eodem lib. 1. Verall. dec. 29. num. 2. par. 1.* Etiam quod mandatum haberet clausulas amplissimas. Quia sub illis, & sub quacunque generali facultate etiam cum libera non venit potestas remittendi ius quæsitum Domino. *Iaf. in l. 1. §. si procurator. nu. 20. ff. si quis ius decenti non obtemper. Dec. cons. 402. nu. 9.* Et fuit dictum in Rauennaten. Census. 7. Maij 1601. coram Reuerendissimo Bononien. Ex quo etiam tollitur, quod procurator Coriolani passus fuit Richardum audiri, quia in omnem casum ipse non potuit præiudicare iuri iam quæsito dicto Coriolano vigore rei iudicatæ sine speciali mandato, ex supradictis.

4 Secundo non videbatur audiendus, quia obstabat Richardo dicta clausula parito iudicato, quæ cum sit conditionalis, non tribuit iurisdictionem, nisi docto prius de paritione, & ideo impetrans non est audiendus antequam pareat. *Put. decis. 429. libr. 1. & 16.* vt lite pendente, & dictum fuit in Calaguritana Cappellaniæ Sanctæ Crucis de Nagera. 23. Ianuarij 1589. coram Orano, & in Toletana Parochialis de Clinchon. 28. Nouembr. 1601. coram R. P. D. meo Decano, & in Placentina Parochialis de Malpartida, prima Iulij 1602. coram bon. mem. Litta.

5 Nec obstat, quod postea fuit impetrata alia commissio cum clausula reseruatis expensis in fine litis constito de paupertate, quia & ipsa est conditionalis propter clausulam constito, quæ æque importat conditionem, ac clausula parito iudicato, & ideo donec dicta conditio non fuit verificata per probationem paupertatis nulla competit iurisdictio, vt fuit dictum in Oriolen. decimarum 26. Februarij 1590. coram Orano, & in dicta Placentina, de qua supra, & generale est, quod vbi iurisdictio datur sub conditione, quicquid fit ante eam purificatam est nullum *gl. fin. in cap. cum plures. de offic. delegat. in sexto. Socin. cons. 99. num. 10. lib. 3. Paris. consil. 41. num. 14. & consil. 94. num. 5. & 8. lib. 4. Vant. de nullit. ex defect. iurisd. delegat. num. 92. Put. dec. 283. num. 1. lib. 2. Verall. dec. 150. nu. 3. par. 1.*

6 Vltimo videbatur audientia deneganda, quia contra Richardum adest non solum ob tres conformes res iudicata, sed post commissam causam restitutionis in integrum lapsi fuerunt vltra quadriennium plures anni, ex quo satis apparet de istius calumnia. *clem. vt calumnijs. vbi Doctor. de re iudicata. Oldrad. cons. 106. num. 4. Cassad. dec. 5. num. 2.* vt lite pendente, & tanto magis, quia notoria iniustitia sententiarum Rotalium excluditur ex decisionibus factis coram R. P. Dom. meo Dunozetto, in quibus dictum fuit Richardum vsque ab initio litis fuisse calumniosum litigantem, & per consequens, si ius suum non fuit sufficiens ad excludendam talem calumniam, multo minus erit sufficiēs ad redarguendum dictas sententias de notoria iniustitia, quam prætendit, & ita conclusum, &c.

R. P. D. ANDREA.

Toletana Decimarum de Capilla, Lunæ 11. Ianuarij 1616.

ARGVMENTVM.

Decimandi immemorabilis quasi possessio laicorum suffragatur, nisi etiam concurrat priuilegij fama. Qualis ista fama esse debeat, & quomodo probetur, est magistralis decisio.

SVMMARIVM.

Decimandi quasi possessio laico non suffragatur, nisi etiam probata fama priuilegij, vel concurrente recognitione ab Ecclesia, aut aliquo alio æquipollente. nu. 1.

Fama priuilegii ad hoc, vt suffragetur laico in exactione decimarum sufficit, quod sit quadragenaria, & quod testes super ea deponentes sint habiles, etiam quod non sint omni exceptione maiores. nu. 2.

Testes deponentes super fama priuilegii in exactione decimarum ad laicos spectantium sufficit quod sint duo, & quomodo debeant deponere. nu. 3.

Verbe semper, continue, vel per totum tempus, & his similia, denotant temporis continuationem. nu. 4.

Fama censetur probata per testes, dicentes ita publice dici audiuisse, etiam quod non specificant eos, à quibus audiuerunt. nu. 5.

Testes vasalli, & subditi pro eorum Domino non repelluntur à testimonio, licet illis de fide diminuatur. nu. 6.

Testium defectus suppletur ex numero, & ex habilitate aliorum testium. nu. 6.

Priuilegij causa priuilegium iustificat. nu. 7.

Decimarum maior pars in Hispania residet penes laicos ex concessione Pontificis. nu. 7. & 8.

DECISIO DCCI.

1 Receptum est in hoc Sacro Tribunali, immemorabilem quasi possessionem decimandi non suffragari laico, nisi etiam fama priuilegij, vel recognitio ab Ecclesia, vel aliud æquippollens concurrat, quæ opinio non solum de iure verior, sed apud illius Interpretes etiam frequentior est, vt post *Ioan. Andr. in cap. cum Apostolica, num.9. ad fin. vers. satis videtur, de his, quæ fiunt à Præl. sine consen. capit.* Tenet *Panormitan. ibi num.12.* vbi quod cum hac opinione transeunt, vt plurium *Doct. Felin. in cap. cum contingat. num.4. versic. si tamen simul. de foro competen. Vbi quod illa decisio Ioan. Andr. est approbata per omnes. Idem Felin. in cap. causam quæ num.3. de præsumpt. & ibi Alex. de Neuo, numer.8. Vbi de communi, Rebuff. de decim. q.53. num. 69. & 76. Alex. mouet in eodem tract. capit.5. numer.118. late Henric. Canis. de decim. cap.13. num.9. & 10. & Loffred. consil. 40. num.42. versic. quinimo, & fortius, Menoch. consil.291. num.43. lib. 3. Peregr. consil.74. num.8. libr.1. Alios cumulat Gabriel. de præscript. conclus. 1. num. 22. versic. contrarium. Additio ad Bellug. in Specul. Princip. rub 13. §. tractemus, in verbo inexpugnabilem. versic. sed quomodo probabitur Azeued. latissime in l. 1. num.19. ad med. versic. sed reuera, cum pluribus sequent. libr.9. tit. 21. nouæ recompil. Barbos. in l. Titia num.45. ad fin. versic. tamen Rota ff. solut. matrim. Cappell. Tholos. dec.440. vbi optima addit. Seraphin. decis.1102. nu. 1.* Vbi quod sæpius fuit resolutum, & bene discusso articulo *Rota decis. 215. num. 2. & 3. par. 2. diuers.* Vbi quod hæc est magis recepta opinio. Et idem fuit tentum in pluribus alijs causis, & signanter in hac eadem Toletana iuris nominandi, 8. Februarij 1588. Burgen. Decimarum de Scalante 5. Iunij 1591. & Comen. Decimarum 10. Aprilis 1595. coram Orano, & in Pampilonen. Decimarum 23. Iunij 1603. coram bon. mem. Cardinale Pamphilio.

2 Vnde cum in hac causa, & coram eodem Cardinale sub die 20. Martij 1600. fuisset resolutum probari immemorabilem quasi possessionem Excellentissimi Domini Ducis de Besar percipiendi decimas Ecclesiarum Status de Capilla, hodie 4. Decembris 1615. dubitaui, an constaret de fama priuilegij, & DD. constare, eamque probari vnanimiter censuerunt. Ad hunc enim effectum non requiritur, quod fama priuilegij fuerit immemorabilis, vel quadragenaria, sed sufficit, quod fuerit diuturna, vt tenuit Rota in hac causa d.8. Februarij 1588. coram Orano, & prout non requiritur, quod testes sint omni exceptione maiores sed sufficit, quod alias sint habiles, vt fuit resolutum in causa nullius Montis Portij. 21. Nouembris 1583. coram Bubalo.

3 Quibus præsuppositis hæc fama probatur ex pluribus testibus, non vasallis, in Summario Ducis, *nu. 2. & 4. & præcipue ex 42. annorum 76. 53. annorum 60. 89. ann. 65. 114. ann. 75. 115. ann. 72. 122. ann. 60.* qui bene perstringunt dictam famam priuilegij, dum dicunt, quod ipsi de toto tempore sui recordatus semper audiuerunt, quod Duces de Besar prædecessores Moderni Ducis, qui pro tempore fuerunt Status de Capilla, habebant Bullas, & priuilegia Apostolica ad percipiendas omnes decimas præfati Status, & quod ita fuit, & est fama publica.

Cum tamen ad probationem famæ sufficiant duo testes, *gloss. in l.3. §. eiusdem, ff. de testibus. Et in cap. 2. §. sæpe. in verbo fama 4. quæst.3. Bartol. in leg. de minore, §. plurium num.19. ff. de quæst. Felin. in cap. 3. loco numer.5. de præsumpt. Decius consil.272. numer. 4. Vbi de communi, Cassad. decis.3. num.3. de probat. Veral. decision. 150. num. 8. part. 2.*

4 Et quamuis pro parte Illustrissimi Archiepiscopi prætendatur, esse deducendum non solum tempus litis cum moderno Duce, sed etiam cum antiquiore, quæ incœpit de anno 1575. Attamen dicti testes bene percutiunt tempus etiam ante litem. Quia quadragesimus secundus deponit de annis 65. sui recordatus 89. de 50. 53. 114. 115. de 50. 122. de 45. & cum fuerint examinati de anno 1595. dubio procul etiam toto illo tempore litis motæ subducto adhuc superest tempus diuturnum à Rota requisitum. Id probant alij testes scilicet 103. annorum 90. de anno 60. & 123. annorum 64. de annis 50. qui deponunt, quod id audiuerunt dici pro re publica, & notoria, & etiam pro tali fama publica.

Et licet omnes prædicti testes, & alij remissoriales deponant per dictionem citra vel hactenus sine copula, omisso quod in illis partibus non solet adhoc aduerti, vt not. *Molin. de Hispalen. lib.2. cap.6. numer.39. in fin.* & dixit Rota in Pampilonen. Decimarum, infra alleganda, omisso etiam, quod plures deponunt per verbum erat, & est; Attamen omnes subdunt alia verba, quæ denotant continuationem temporis ipsorum auditus vt semper, & continue, vel per totum prædictum tempus, & similia. Vnde bene concludunt iuxta doctrinam *Bart. in l. Celsus, num.25. & ibi Aquens. num.51. & Balb. in tertia, parte quæstione prima, numer. 10. versic. limitat. Bart. ff. de vsucapion. Felin. in capit. licet causam, numer.8. versic. tertia causa de probat. Verall. decis. 84. libro secundo, in manuscript. Seraphin. decision.798. numero primo*, & fuit dictum in Pampilonen. Decimarum 21. Maij 1603. coram bon. memoriæ Card. Pamphilio, & in indiuiduo in hac causa super immemorabili 20. Martij 1600. coram eodem. Vbi quod sæpius fuit decisum.

5 Quæ famæ probatio licet sola sufficeret ex prædictis, adhuc coadiuuatur ex pluribus alijs testibus, etiam non vasallis qui deponunt de auditu à maioribus, qui dicebant se vidisse hæc priuilegia, nempe 33. 34. 43. 52. 53. in Summario numero secundo, & quarto. Accedat copiosus numerus testium vasallorum, qui bene, & cócludenter deponunt super eadem fama priuilegij. Alij enim vt decimus 84. 87. 90. 96. 109. Summario, numero tertio, eam concluddunt per verbum fuit, & est. Alij vt 68. 71. 76. 78. 79. 81. 91. 92. 99. 105. quod ita audiuerunt publice dici, quod sufficit licet testes non specificent, à quibus audiuerunt vel à maiori parte populi, & alia requisita per *Bartol. in leg. de minore, §. tormenta alias, §. plurium. num. 19.* cuius opinionem non seruat Rota, sed opinionem *Bal. in cap. per tuas, de probat. & in capit. præterea, de testibus, vt ait Cassad. dict. decision.3. numer.4. de probat. Verall. decision.7. part.2. & decision.289. part.3. Idem dec. 295. libr. 1. in manuscript.* Et fuit dictum in Neutonen. pensionis, 3. Iulij 1606. coram Reuerendissimo Bononien. & in Nolana primiseriatus. 1. Februar. 1613. coram R.P.D. meo Caualerio.

6 Nec obstar, quod sint subditi, & vasalli ipsius Ducis, quia vasallus non reperitur a testimonio pro Domino, licet illi de fide minuatur. *Gabriel. de testibus, conclusion. 10. num. 21. & 23. Put. decision.380. lib.2. Verall. decision. 276. num.11. part.3. Seraphin. decision. 1049. num.1.* & fuit dictum in Legionen. Sancti Facundi, 1. Februarij, 1589. coram Bubalo. Maxime, quia illorum defectus suppletur ex numero, *gloss. recepta in l. 3. §.1. in verb. numerus. ff. de testibus. Alex. consil.5. numer.7. libro primo, Gabriel. de testibus conclusion. 6. in princip. Cæsar. de Grass. decision.5. num.8. & 9. de sponsal. Rot. decision.289. numer.2. part. 1. diuersor. Cardin. Seraphin. decision. 241. numer. secundo.*

Item ex habilitate aliorum testium, non vasallorum *Alexan. consil.56. numer. 12. libr. 2. Roman. consil. 292. in versic. nec refragatur. Ruin. cons.92. num. 4. lib. primo. cum alijs, per Gabr. vbi supra conclus. 5. num. 1. Seraph. d. decision. 241. numero secundo. in fine, & pluries fuit decisum.*

7 Valde etiam stringit verisimilitudo subiectæ materiæ,

riæ, & causa concessionis, super qua deponunt fere omnes testes, licet dd. priuilegia fuisse concessa Ducibus de Besar Prædecessoribus moderni Ducis ob expugnationem, & recuperationem illius Status à manib. infidelium, quæ iustificat d. concessionem. *Bellug. in Spec. Principis. rubr. 13. §. tractemus. nu. 36. Rebuff. de decim. q. 13. nu. 110. Lasart. de decim. vend. cap. 19. nu. 36. Barbos. in d. l. Titia. nu. 40. in fin. vers. & hac de causa. ff. solut. matrim. Fontanell. de pact. nuptial. clausf. 4. gl. 19. part. 1. num. 83.* prout ex eadem causa solita fuit Sedes Apostolica in illis Regnis concedere similia priuilegia non modo Regibus, vt tradunt supradicti, verum etiam proceribus, alijsque nobilibus, ita vt maior pars decimarum in tota Hispania resideat penes laicos ex concessione Pontificum, attestante eodem *Fontanell. vbi supra, n. 41. vers. hæc duriuscula sunt; Et in principatu Cataloniæ post Michael. Ferrer. 2. par. obseru. cap. 278. vers. pro materia. Iacob. Camer. var. resol. cap. 23. in princ.*

8 Ex quibus remanent sublatæ omnes exceptiones contra hanc probationem famæ, nempe quod non probetur immemorabilis, vel quadragenaria, quod testes de ea deponentes non sint omni exceptione maiores, quod non percutiat tempus ante litem motam, quod non deponant cum requisitis ad probandam formam quod plures sint vasalli, & multi ex eis agricolæ. Ad hæc enim & alia obiecta patet responsio ex supradictis. Et ita conclusum, probari famam priuilegij.

R. P. D. VEROSPIO.

Romana Legitimæ. Veneris 14. Ianuarij 1616.

ARGVMENTVM.

Legitima de quibus bonis detrahatur, & præsertim an ex bonis feudalibus, est notabilis, & magistralis decisio, & ad eam semper recurre in occurrenti casu.

SVMMARIVM.

Legitima detrahitur de omnibus bonis emptis de pecunijs paternis. nu. 1.

Legitima detrahitur ex feudo empto de pecuniis paternis. nu. 1. & per totam decisionem.

Feudum in Regno Neapolitano emptum à patre computandum est in legitimam filii. nu. 1. Amplia etiam in feudo ex pacto, & prouidentia. nu. 2. Amplia etiam si feudum esset dignitatis, & primogenitis tantum deberetur. nu. 3.

Feudum emptum de pecuniis patris, etiamsi esset ex pacto, & prouidentia, potest pater vni ex filiis prælegare. nu. 4.

Feudum emptum a patre de propriis pecuniis potest ab eodē patre alienari, in præiudicium filiorum. nu. 5.

Feudum emptum à patre de propriis pecuniis reputatur peculium profectitium. nu. 5. vers. vnde necessario.

Cardinales, & Clerici numquid sint feudi incapaces. num. 6.

Legitima detrahenda est ex paternis pecuniis, quibus feudum emptum fuit, etiam quod pater sit feudi incapax. n. 6. vers. hic tamen.

Feudi donatio facta filio censetur in peculium profectitium concessum. nu. 7.

Peculium profectitium non egreditur de dominio patris. nu. 7. vers. quod peculium.

Donatio facta à filio non valet, nec morte confirmatur, nisi etiam fuerit insinuata. nu. 8.

Legitima detrahitur ex bonis per patrem filio donatis. nu. 8. in fine.

Donatio facta sub conditione, si donatarius donatori superuixerit, mortuo donatario ante donatorem resoluitur. numer. nono.

DECISIO DCCII.

1 IN decisione coram me, sub die 22. Iunij præteriti facta, quod de bonis omnibus Cardinalis ab Altēps ad fauorem Excellentissimi D. Io. Angeli ipsius ex Roberto filio naturali in amplissima forma legitimato nepotis legitima esset detrahenda, Domini particulariter videndum reseruarunt, an sub dicta dispositione feudum quoque Neapolitanum veniret, & proposito per me dubio, fuit affirmatiue responsum, qui cum istud feudum Mesuracæ nuncupatum de pecunijs ipsius Cardinalis fuerit emptum, vt apud partes non controuertitur, & ex iuribus datis apparet, ad effectum vtique detrahendi legitimam debet inter eiusdem Cardinalis bona computari. *Bartol. in l. 1. §. nec Castren. num. 6. de collat. bon. Bald. in leg. omnimodo. §. imputari, sub numer. 3. versic.* tunc illa pecunia, vbi *Salicet. sub numer. 6. vers. quædam est militia. Paul. de Castren. num. 4. vers. si vero frater acquisiuit. C. de inoffic. testam. Idem Castr. in l. illud numer. 4. versic. est ergo militia. vbi Alexand. numero secundo, vers. quod si pater. expendit Iason, sub numer. quarto. versic. nam debet scire. C. de collat. Idem Alexand. in l. si patrono. num. 5. & seq. ff. ad Trebell. Bald. consil. 110. sub num. 2. vers. nisi, & tunc esset empta. lib. 5. Fabian. in authent. nouiss. num. 114. vers. nisi tunc expensa. C. de inoffic. testam. Bero. cons. 113. num. 38. lib. 2. Grat. in §. legitima. quæst. 21. num. 5. Surd. consilio 427. num. 45. in fine. vers. hæc autem conclusio. lib. 3.* Et in specie de feud. in Regno Neapolitano, quod illud veniat in legitimam computandam. *Capic. dec. 2. num. 7. Vincent. de Franch. dec. 368. num. 5. Intrigliol. centur. 1. quæst. 51. num. 275. Hartman Pistor. quæst. iuris, lib. 2. par. 2. quæst. 38. num. 5. & 6. Schrader. de feud. part. 7. cap. 5. sub num. 45. vers. 3. concludo. Vbi de communi. Rosenthal. de feud. cap. 7. nu. 6. & 14.* Vbi etiam de communi.

2 Quod pariter locum haberet etiam si dictum feudum esset ex pacto, & prouidentia, cum versemur in primis successoribus, *Molin. de primogenit. Hisp. lib. 1. cap. 8. num. 10. vers. hæc autem. Vincent. de Franch. dicta dec. 368. num. 5. Clar. in §. feudum. quæst. 73. num. 6. vers. contrarium. Menoch. cons. 498. num. 18. lib. 5. Cephal. cons. 3. num. 115. libr. 1. Salic. in d. leg. omnimodo. §. imputari, sub num. 9. C. de inoff. testam. Alexand. in l. si patroni, sub num. 4. & seq. ff. ad Trebell. & consil. 29. num. 4. vers. Sed vbi fuissent. lib. 5. Rip. in l. in quartam. vbi Ruin. sub num. 27. ff. ad leg. Falcid. Bursat. cons. 137. num. 15. lib. 2. Caras. qui de communi in §. legitima. q. 21. sub num. 5. vers. sin vero. Valasc. de iure emphyteu. quæst. 46. vers. sin autem feudum. Vasq. in tract. de success. creat. par. 1. lib. 3. §. 30. limit. 34. sub num. 235. vers. sed prima opinio. Iacob. de S. Georgio in inuestitura feudali, in verbo, & cum pacto. il terzo. sub num. 17. Curt. iun. in tract. feud. 4. par. numer. 134. Schrader. de feud. par. 3. cap. 5. sub num. 45. vers. 3. concludo. Hartman. Pistor. quæst. iuris lib. 2. par. 2. quæst. 38. num. 4. & seq.*

3 Et procederet quoque, si feudum esset dignitatis, & primogenitis tantum deberetur. *Isern. in cap. Imperialem. §. præterea Ducatus. nu. 39. & 40.* & ibidem in verbo consuetudo. in principio. *Afflict. nu. 79. vers. in contrarium facit Bal. sub nu. 23. de prohib. feud. alienat. per Feder. Luc. de Penna in l. 1. sub num. 31. vers. nam si pater. de lucrat. descript. lib. 10.*

4 Confirmatur, quia patar de cuius pecunijs feudum est emptum, etiam si esset ex pacto, & prouidentia, valet vni ex filijs illud prælegare. *Bald. in l. 1. num. 32. C. per quas person. nobis acquiritur. Crauet. cons. 135. numer. 8. Corn. cons. 37. nu. 13. vers. concludit. lib. 3. & cons. 51. num. 13. vers. quod autem acquisitio est. lib. 3. Gozad. cons. 75. nu. 12. Pinell. de bon. matern. in l. 1. & 13. nu. 98. vers. hoc autem tutius. Natt. consil. 475. num. . . . Menoch. cons. 161. num. 6. Peregr. cons. 8. nu. 23*

5 Nec non alienare potest in filiorum præiudicium. *Isern. in capit. 1. sub numer. 10. versicul. sed illud loquitur*

in feudo. & ibidem Aluarot. num.8. Ballaran. num.13. Præposit. sub num. 3. vers. an agnat. Afflict. num. 14. de alienat. feud. pater. Lofred. cons.52. num. 1. Clar. in §. feudum, q. 40. versic. si vero, vt nouum. Ripa in d.l. in quartam, num. 179. Natt. consil.501. num.17. Gozad. consil. 75. num. 12. Schrader. de feud. par.8. cap.8. nu. 2. Vnde necessario sequitur illud in æstimatione legitimæ computan. & vti peculium profectitium iudicari. *Isern. in dict. cap. Imperialem, num. 39. de prohibita feud. alien. per Federic. Alber. Brunus cons. feud.135. vers. quod si dicatur legitimam lib.2. Alex. cons.89. nu.7. & 8. lib.4. Surd. d. cons.427. n.450. c.46. vers. non est curandum, lib.3.*

6 Non obstat Cardinalem fuisse huius feudi incapacem; & propterea non posse illud in eius hæreditate computari. *Isern. in cap.1. circa fin. de cler. qui inuest. fecit Rosenthal. de feud. cap.7. q.29. num.10.* quid enim sit de ista conclusione, quę plures habet limitationes, vt per eundem *Rosenthal. d. c.7. q. 30. & Capic. dec. 10.* & præsertim, quando feudum est emptum, in eo clericum succedere tenent relati per *Roland. consil.23. num.2. 3. & 4. & 25. libr.1.* Hic tamen sufficit, summam Scutorum 165. millium in emptione huius feudi erogatam esse de Cardinalis hæreditate, ad effectum computandi in legitimæ quantitatem, *Bursat. in d.l.1.§. nec Castren. nu. 6. ff. de collat. Capic. decis.2. num.6. & 7. Isern. in d. c. Imperialem, §. præterea Ducatus. Vbi Afflict. sub num. 79. Balzar. num.39. de prohibita alien. feud. per Feder. Alber. Brun. cons. feud. 135. vers. quod si dicatur. vol.2. Lucas de Penna in l.1. num.31. vers. nam si potest. C. de imponen. lucrat. descript. lib.10. Tiraq. de primogen. q.51. nu.3. & alij in prima conclus. alleg.*

7 Nec releuat, prædictam summam dici non posse in hæreditate Cardinalis existere, cum ille Roberto filio suo eam donauerit. Nam vltra, quod talis donatio nō apparet, quo casu dicta summa in peculium concessa præsumitur, *l. finali. ff. de pecul. legat. Bursat. in l. si donatione, num.4. vers. aut simpliciter tradidit. C. de collat. Baldus ibidem num.10. vers. si autem Salicet. nu. 5. sed iuxt. præfat. Castr. num.3. idem Bart. in l.1. §. si parens, ff. si quis à parent. fuerit. manum. vbi Castrens. in §. legitima. quæst.27. num.7. Dec. consil.86. colum. fin. vers. nam responderi potest. Menochius de præsumpt. præsumption. nu.26. & seq. lib.3. & cons. 450. Pegrin. de fideicom. art.36. nu.123. vers. intellige. Mant. de tacit. lib.13. tit.18. num.2. & seq. Cephal. consil.494. num. 25. & consil.495. num.11. & seq. Honded. consil.59. num.24. & seq. libr. 1.* Quod peculium de dominio patris non egreditur, *l. certum. C. de famil. ercisc. & leg. filiæ, licet. §. cum autem, C. de coll. vbi gl. Castr. in d.l. certum. sub nu. 1. ad fin. & in d.l. filiæ, licet, in princ. & vtrobiq; Bald. Salycet. & communiter omnes.*

7 Dato tamen, quod hoc peculium donatum præsumeretur, donatio nihilominus vti filio in potestate existenti facta non sustinetur, *l. donationes, quas parentes, C. de donation. inter virum & vxor. l. 2. C. de inoffic. donat. Bart. in l. frater à fratre. col. fin. ff. de condictio. indeb. Honded. consil.59. num.29. libr. 1.* Nec illa morte confirmaretur, nisi fuisset etiam insinuata, dum quantitatem excedit, vbi præfinitur, quo casu expresse confirmatio requirebatur *d. l. donationes, §. si vero. C. de donatio. inter vir. & vxor. Honded. d. consil.59. num. 35. 36. & seq. lib.1.* Præterea, quamuis confirmaretur morte donatio, ex illa tamen legitima deberetur. *Bart. in d.l. quartam colum. antepenultima, vers. si vero donatio. & in l. etiam. §. si mortis, ff. de bon. lib. Peregrin. de fideicommiss. artic. 36. numer.24.*

8 Nec valet dicere, huiusmodi peculium in solenni donatione per Cardinalem ad Roberti fauorem factam comprehendi, quia cum illa fuerit sub conditione, videlicet, si Robertus Cardinali superuixisset, Roberto præmortuo illa fuit resoluta, *l.1. in princip. §. item. ff. de donat. Tiraquel. de retract. conuent. §. 1. glos. 7. num.3. & sequent.* & vlterius eadem non officeret, quia Cardinalis ita donauit Roberto, vt sibi facultatem reseruauerit de bonis donatis, tam inter viuos, quam in vltima voluntate disponendi, prout successiue in testamento disposuit, dum hoc feudum primogenituræ subiecit.

10 Ex quibus bene firmatum apparet in huius legitimæ detractione, feudi quoque Mesuratæ de pecuniis, dicti Cardinalis empti, habendam esse rationem, &c.

DECISIO DCCIII.

Meleuitana Conseruæ. Mercurij 27. Ianuarij 1616.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 148.

R. P. D. VBALDO.

Romana Domorum. Sabbati, 23. Ianuarij 1616.

ARGVMENTVM.

Spoliato non datur retentio, sed redintegratio, & an spoliatus dicatur is, qui se pro spoliato habuit. Itaque amiserit non solum possessionem naturalem, sed etiam ciuilem. Cetera supple in Summario.

SVMMARIVM.

Manutentio non datur spoliato, sed redintegratio, numero 1. & 2.

Possessor habens se pro spoliato numquid censeatur se spoliatum habere non solum possessione naturali, sed etiam ciuili, num.2.

Vendens cum reseruatione domino, donec pretium soluatur, non amittit rei vendi tæ dominium, facit fructus suos, & ei competit retentio. nu. 3.

Manutentio datur ad statum rei, qui erat tempore litis, & quid si res mutauerit faciem, nu.4.

DECISIO DCCIV.

1 Domini recesserunt à decisis in hac causa 24. Februarij 1612. quo ad domum subhastatam, & quicquid esset dicendum de nullitate, vel iniustitia subhastationis, ratio hodiernæ resolutionis fuit duplex. Prima, quia Ioannes Franciscus videtur habuisse se pro spoliato, prout fassus fuit in commissione petendo se restitui in statum, & possessionem, in qua antea erat, & certum est, spoliato non dari manutentionem. *Faber in §. retinendæ. Instit. de interd. Couar. pract. q. cap.17. num.3. Caputaquen. decision. 43. libr. secundo, in manuscript.*

2 Neque visum fuit obstare, quod in decisione dicitur, videlicet, quod talis confessio intelligatur respectu naturalis possessionis, quam amisit, cuius ratione datur redintegratio, non autem ciuilis, quam Io. Franciscus retinuit, & cuius respectu competit manutentio, iuxta *decision. Put.419. libro secundo, quæ est 409. in nouis.*

Quia fuit responsum, Rotam non admittere simpliciter illam decisionem, sed quando ex circumstantijs facti apperet, quod, qui dixit se spoliatum, intellexit de turbationibus, & molestationibus de facto illatis & quod animo retinuit ciuilem, secus si ex circunstātijs facti apparet contrarium, & quia narrauit actum positiuum spoliationis, tunc enim adeundo iudicem pro recuperatione, signum est, quod amisit vtramque possessionem, & nō competit manutentio, vt fuit

sæpius

sæpius resolutum, & signanter in Vlixbonen. preeminentiarum 18. Aprilis 1603. coram bonæ memoriæ Iusto, & in Hispalen. præeminentiarum 16. Iunij 1606. coram R.P.D. meo Pamphilio, & in Carthaginen. Canonicatus 6. Aprilis 1609. & in Placentina Beneficij 1. Iulij 1611. coram Illustrissimo Cardinali Lancellotto, sed in proposito Ioannes Franciscus fassus est se spoliatum, narrando actum positiuum venditionis Domus, & petit se restitui ad antiquam possessionem, vt dictum est.

3 Secunda ratio fuit, quia visum fuit Domino Pandolphino competere retentionem domus pro pecunijs expositis pro Rubeo de pretio dictæ Domus, & quicquid esset dicendum de alijs pecunijs, quæ dicebantur soluta diuersis Rubei creditoribus, per mediũ Banchi sacri Montis Pietatis, circa quæ DD. nihil firmarunt, res videbatur transire de plano pro Scutis 345. quæ D. Pandolphinus soluit Palmettæ, à qua Rubeus domum emerat, cum reseruatione dominij, donec integrum pretium persolueret, à qua etiam Pandolphinus reportauit cessionem iurium, & sic dominium remansit penes ipsum. Vnde saltem pro ista rata fructus domus fecit suos, quo casu & ipsius immissio nulla fuisset, competit & retentio donec sibi de credito satisfiat *l. si non sortem. §. si certum. vbi gl. in verb. retinebitur. & ibi Bart. in fin. Castr. & Alex. nu. 6. Iason. n. 10. & alij ff. de condict. indebit. cum alijs per Surd. dec. 46. nu. 7.*

4 Afferebatur etiam per Informantes, pro D. Pandolphino fundamentum alias reseruatum in decisione, de qua agitur, quod cum domus mutauerit faciem, & incorporata fuerit cum alia domo, & vinea, & omnia simul redacta ad insigne ædificium viridarium, non videtur posse competere Rubeo manutentio, quę datur ad statum, qui erat tempore motæ litis, vt fuit dictum in Romana Officiorum Plumbi. 4. Iulij 1601. coram bonæ memoriæ Cardinale Pamphilio in alia Romana Spolij rationis Bancharia. 9. Maij 1586. coram eodem, sed quia exemplo hæc demutatio negabatur, quo ad domum subhastatam, & controuersia facile dirimi potest ex inspectione loci, ideo DD. circumscripto hoc motiuo recesserunt à decis tantum, ex supradictis. Et ita fuit conclusum, &c.

R. P. D. PAMPHILIO,

Ferrarien. Decimarum. Mercurij 27. Ianuarij 1616.

ARGVMENTVM.

Successori in Episcopatu an, & quando noceant attentata per defunctum antecessorem.

SVMMARIVM.

Successor in Episcopatu in his, in quib. commodum, vel vtilitatem habet iudicatur tanquam tertius habens ius de nouo creatum à Papa. nu. 1.

Attentata ab Episcopo defuncto non nocent successori, qui dictis attentatis nullumc ommodum, vel vtilitatem percepit. nu. 1.

Successor in Episcopatu non tenetur ad debita contracta per defunctum, nisi quatenus ex causa necessitatis, vel vtilitatis contracta fuerint. nu. 2. Declara, vt nu. 3.

Attentata per Procuratorem non nocent principali, nisi habuerit speciale mandatum ad attentandum. nu. 4.

Tertius veniens ad causam in statu, & terminis, in quibus reperitur, an & quando censeatur approbare acta iam facta. nu. 5.

DECISIO DCCV.

1 ANnis præteritis Episcopus Fontana appellatione pendente, fecit nonnullas inuestituras de bonis, & decimis controuersis pluribus personis, à quibus etiam pro Capisoldis recepit diuersas pecuniarũ summas, quæ omnia cum fuerint per sententias declarata attentata inter ipsum Episcopum, & Dominos de Pepulis, deuentum fuit ad transactionem. Obijt postea D. Episcopus, & per eius obitum ad Episcopatum promotus fuit Illustrissimus D. Cardinalis Lenius, qui cum vellet prosequi ius ecclesiæ super dictis bonis, & decimis, fuit ei oppositum de dicta transactione super qua dedi particulare dubium, eoque proposito cum pars DD. de Pepulis ei cesserit, fuit deuentum ad disputationem super dicta exceptione attentatorum, & ita supradicta die Domini censuerunt, quod facta per D. Cardinalem reuocatione, & renunciatione, dd. inuestiturarum exceptio attentatorum ei non obstet, quia non apparet, quod D. Cardinalis in aliquo successerit dicto Episcopo Fontana, nec vllum aliud commodum, vel vtilitatem ex huiusmodi attentatis perceperit, adeo vt dici possit, quod in aliqua re attentata successerit, & sic debet iudicari tanquam tertius habens ius de nouo creatum a Papa. *Roman. cons. 374. sub num. 5. vers. sed prælato. Rota dec. 13. de procur. in nou. cui propterea exceptio attentatorum non obstat Rota dec. 2. vt lit. penden. in antiq. Lancell. de attent. part. 1, cap. 3. num. 4. & seq. Put. dec. 74. lib. 2. Mohed. dec. 4. num. 1. vt lit. penden. Achill. dec. 28. de appell. Scraph. dec. 582. numer. secundo.*

2 Nec releuare, quod Episcopus Fontana dictas pecunias pro Capisoldis perceperit, quia cum illas male perceperit, nec constet, quod in aliquam Ecclesiæ vtilitatem eas conuerterit, D. Cardinalis etiam vti successor in Episcopatu ad illarum restitutionem minime tenetur. *Rodoan. post alios. de reb. eccl. non alien. q. 5. an & quomodo ex alienat. nu. 20. & n. 23.* Præterea nec etiam vti successor teneretur ad illius debita soluenda, nisi quatenus ex causa necessitatis contracta fuerint, vel pecuniæ in vtilitatem Ecclesiæ versæ probentur. *cap. 1. & ibi Abb. nu. 1. & seq. & alij. de solut. Rota dec. 41. de probat. in antiq. Put. dec. 11. lib. 1.*

3 Et ex his patet allegata pro Dominis de Pepulis præsenti casui non applicari, quia omnia loquuntur, vel quando Episcopus successit in re attentata, prout loquitur *Abb. in cap. bonæ. nu. 6. & ibi Franch. nu. 12. & Dec. nu. 14. de appell.* & dec. in causa Portalegren. attentatorum. 1. Iulij 1587. coram bo. mem. Bubalo. Vel quando successor habet causam ab attentante mediante cessione, vel resignatione, vt tradit *Lancell. de attent. par. 2. cap. 4. ampliat. 5. nu. 3. & part. 3. cap. 29. nu. 10. Modern. de resignat. lib. 1. q. 16. nu. 10. & seqq.* Hoc enim casu resignatario vel cessionario exceptio attentatorum obstat, ne alias per viam indirectam priuilegium attentatorum tollatur, vt per *Put. dec. 51. lib. 3.*

4 Neque obstare, quod D. Cardinalis venerit ad antiquam litem cœptam à dicto Episcopo Fontana eius prædecessore in statu, & terminis, in quib. reperitur qui propterea censeatur omnia acta fecisse sua, & sic approbasse etiam sententias super attentatis latas, quia fuit responsum, quod D. Cardinalis non venit ad causam prosequendo factum Episcopi prædecessoris circa dictas inuestituras attentatas, sed secundum ius ecclesiæ super recuperatione bonorum, & decimarũ, & ideo licet quo ad hoc fecerit acta sua, non tamen censetur approbasse dicta attentata, quæ prædecessor vti ecclesię generalis administrator non habuit facultatem eius nomine remittẽdi. Hoc enim sapit delictũ ad quod requiritur mandatum speciale. *Caputaquen. dec. 184. par. 2.* & fuit dictum in causa Pennen. Canonicatus 18. Aprilis 1608. coram Reuerendissimo Domino meo Damasceno, & per consequens ex huiusmodi prosecutione litis super iuribus Ecclesiæ non potest inferri ad approbationem actorum, & sententiarum super attentatis tanquam quid diuersum, & separatum ad *l. Papinianus. in princ. ff. de minoribus.*

5 Maxime, quia dictæ sententiæ super attentatis loquantur solum de Episcopo Fontana, non autem de successore, qualis est Dominus Cardinalis, qui propterea veniens ad causam in statu, & terminis censetur solum voluisse approbare acta, & sententias super decimis,& alijs in negotio principali deductis eo modo, quo constant pro illarum faciliori recuperatione, non autem sententias super attentatis, quia id eius intentioni potius repugnare potuisset ex adduct. coram bonæ mem. Cardinale Seraphino *dec.906. num.2.* & ita decisum,&c.

REVER. P. D. PAMPHILIO.

Romana Separationis Thori. Lunæ prima Februarij 1616.

ARGVMENTVM.

Ponuntur in hac decisione plures causæ, quibus thori separatio conceditur, propter quam vir tenetur dotem restituere vna cum donatione propter nuptias, seu dotali lucro.

SVMMARIVM.

Separatio thori facienda est, quando vir accusauit vxorem de arduo crimine, & eam carcerare fecit, nu.1.
Separatio thori conceditur ex capitali odio inter coniuges, numer.1.
Separatio thori conceditur, quando vir ægrotanti vxori Medicos, & medicinas necessarias non adhibuit, quando eam de domo sua expulit, quando eandem gladio grauiter vulnerauit, num.2.
Thori separatio quando fit propter viri sæuitiam fragilitati cautionis amplius vxor committenda non est, numero 3. in fine.
Separatione thori facta maritus cogitur ad restitutionem dotis, vna cum lucro dotali, nu.3.
Separatio thori conceditur ex causis superuenientibus post coniugum reconciliationem, nu.4.

DECISIO DCCVI.

1 PRo Antonia informante, nempe faciendam esse separationem thori, quia ex deductis satis constat quod maritus de arduo crimine eam accusauit, & carcerare fecit, qui propterea dicitur eam prosequi odio capitali, *l. filio. §. Scia. ff. de adimen. legat. Bart. in l.3. § finali, num.3. ff. eod. tit. Abb. in c. cum oporteat. in 4. de accusat. Bursat. cons.333. nu.5.* quod præstat iustam causam separationis thori. *§. mitiores. in Auth. de nupt. Abb. in cap.1. num.4. & alij de diuort.*

2 Maxime, quia adsunt etiam testes, qui deponunt, quod eidem grauiter ægrotanti non solum non adhibuit vllos Medicos, & medicinas necessarias, sed etiã eam domi, à qua coacta fuit discedere, solam reliquit absque alimentis, quę etiam requisitus pluries ei subministrare recusauit, & quod postea eam domum reuertentem, vt cum eo habitaret, admittere noluit. Imo verbis etiam iniuriosis ostio domus clauso repulit, ac insuper apparet, quod eam gladio grauiter vulnerauit, ex quibus omnibus saltem simul iunctis satis visum fuit constare de nimia sæuitia, & mala tractatione, adeo vt Antonia non sit amplius committenda fragilitati cautionis, sed omnino sit facienda separatio, iuxta *text. in c. ex transmissa. vers. si autem c. literas in fine. de restitutione spoliat. Aym. cons.31. num.4. & seq.* & fuit sæpe decisum.

3 Præterea concurrit etiam, quod inter istos coniuges fuit alias facta separatio thori, similiter propter odium capitale, quod erat inter eos, ex quo maritus sæpius de grauibus criminibus eam accusauerat, & ex alijs deductis coram bonæ memoriæ Cardin. Pamphilio, sub die 11. Decembris 1602. & 27. Ianuarij 1603. quæ per Dominos ponderata fuerunt saltem pro adminiculandis causis, quæ superuenerunt, vt facilius ex ijs sit facienda separatio, quę vbi prout in casu isto peruenit ex culpa mariti, ipse tenetur etiam ad restitutionem dotis, & ad donationem propter nuptias, seu lucrum dotale, *ad text. in d. §. mitiores, Auth. de nupt. Rol. cons.50. nu.4. & seqq. lib.1. Vinc. de Fran. dec. 244. Thesaur. dec.130. n.2.* & de lucro donationis, seu dotis augmento, tenuit *Rot. coram bon. mem. Card. Seraphino dec.1308. nu.2. & dec.1315. num.1.*

4 Et ex his cessat, quod post separationē inter dictos coniuges sequuta fuerit reconciliatio, quia causæ superius deductę superuenerunt post reconciliationē, quæ propterea cum vt docuit euentus subsecutus nō fuerit diuturna, sed antiquum odium, ex nouis causis renouatum fuerit tanto minus ad istum effectum visa fuit attendenda ex trad. per *Bursat. d. cons.333. num. 11. & seq. & per Bar. sub d. die 27. Ianuarij 1603.* cum alijs allegatis, & ita fuit resolutum, &c.

R. P. D. VEROSPIO.

Asculana iuris patronatus. Mercurij 24. Februarij 1616.

ARGVMENTVM.

Iuris patronatus donatio non requirit statutarias solennitates, nec ordinarij consensum, quando est facta compatrono, & tamen ex donationis effectuatione talis consensus præsumitur, quando autem ius patronatus dicatur gentilitium, seu hæreditarium, & quid in dubio præsumatur in hac decisione bene declaratur.

SVMMARIVM.

Instrumentum exemplatum à Notario successore in officio Archiuistæ dicitur esse in forma probanti, nu.1.
Obseruantia donationis, donationem probat. nu.2.
Donationis solennitates à Marchiæ constitutione requisitæ non exiguntur in iure patronatus, seu alterius rei spiritualis, vel spiritualitati annexæ donationi, nu.3.
Donatio iuris patronatus facta per patronum alteri compatrono non requirit consensum Episcopi, nu.4.
Iuris patronatus donatio effectuata facit præsumere interuentum consensus Episcopi, num.5.
Ius patronatus dicitur hæreditarium, & non gentilitium quando sic constat de eo plures factas fuisse præsentationes, num.6.
Iuris patronatus præsentatio facta ab vno patrono non præiudicat alteri dictam præsentationem ignoranti, numero 7. & 9.
Ius patronatus in dubio præsumitur potius hæreditarium, quam gentilitium, nu.8.
Clausula pro se, &c. extenditur pro filijs hæredibus, & successoribus, nu.10.

DECISIO DCCVII.

1 PIerotius Pica, & Litis Consortes, contra decisionem coram me, sub die decima octaua Maij pręteriti factam excipiebant, non esse Iosephi gratiam iustificatam, quia cum ius patronatos, de quo agitur ad tres familias pertineret, nimirum de Antheis Falcanerijs, & Catalinis, dici non poterat Iosephus à medietate patronorum, sed à tertia solum parte pręsentatus, cum illum Falconerij tantum præsentassent, ad quam tollendam exceptionem, vltra deducta contra familiam de Antheis, fuit pro parte Iosephi productum

ductum instrumẽtum donationis de tertia parte huius patronatus ad fauorem Vincentij Falconerij factę per Balthasarem Catalinis, & per hoc Falconerij, cum prætenderent saltem in omnem casum duas ex tribus partibus sibi competere, causa denuo per me proposita, & omissa discussione respectu familię de Antheis visum particulariter fuit, de iuribus huius donationis quam Domini validam esse censuerunt, & per consequens fuit prima decisio confirmata. Constat enim ex iuribus productis, Balthasarem de anno 1541. donasse partem in isto iure patronatus sibi competentem Vincentium Bernardini alterius compatroni filio, nec non Falconerios, in prætẽsione de anno 1608. fuisse vsos dicta donatione, & sic quasi possessionem acquisiuisse, *Abb. consil. 54. num. 2. vers. sed per præsentationem, libr. 1. Dec. consil. 134. num. 1.* cum alijs in decisione allegatis.

2 Non obstat, donationis instrumentum non esse in forma probanti. Nam vltra quod ante motam litem de Anno 1585. fuit illud à Notario in officio Archiuistæ Successores exemplatum. Vnde dicitur probare, *Felin. in c. cum P. Tabellio de fide instrumentorum. Caputaq. decisione 101. num. 3. part. 2. Seraphin. decision. 1481.* Cessat nihilominus obiectum ex obseruantia eiusdem donationis, vt dixi, de Anno 1608. subsecuta, *Baldus consil. 400. num. 5. lib. 4. & consil. 402. num. 9. lib. 5. Aymon. consil. 101. nu. 4. Grammat. dec. 106. nu. 9. Rota dec. 375. num. 4. par. 1. diuers.*

3 Non obstat solennitatis defectus, cum in donatione iudicis decretum, iuxta Marchiæ Constitutionem, non interuenerit, dicta enim Constitutio locum non habet in iure patronatus, sicut neque in alia re spirituali, vel spiritualitati annexa, *Lambert. de iure patronatus, par. 1. lib. 2. 4. quæst. princip. art. 9. numer. 7. Seraphin. decisione 424. Honded. consil. 29. libr. secundo*, & fuit sæpius decisum.

4 Nec pariter obstat, Episcopi assensum non interuenisse, quia cum versemur in donatione per Patronum alteri compatrono facta, dictus assensus non fuit necessarius, *Gloss. 1. vers. sed potest dici. in cap. nemini, vbi Bellam. in princip. 16. q. 7. Castr. in l. voluntas, num. 5. C. de fideicomm. vbi Ias. num. 8. & in l. qui Romæ, §. duo fratres num. 76. vbi Rip. num. 87. versicul. 4. facit. ff. de verb. oblig. Lambert. de iure patr. 2. par. 1. libr. 1. quæst. princip. art. 12. per totum, Cauputaquen. decis. 131. par. 2. Achil. decis. 10. de iure patronat. Pariss. de confid. quæst. 28. nu. 184.*

5 Et in omnem euentum, stante donationis effectuatione, præsumitur Ordinarij consensus interuenisse, *Lambert. de iure patr. 2. par. primi, libri, 1. q. princip. art. 8. Franc. Marc. dec. 473. nu. 3. p. 1. Dec. cons. 639. num. 3. & seq. Tanis decis. 20.*

6 Non obstat, donantem filio suo præiudicare non potuisse, tanquam ius patronatus esset gentilitium, nam ex præsẽtationibus de Anno 1523. & 1608. quę sortitæ fuerunt effectum, apparet, nonnullos patronos hæreditario nomine præsentasse, & postea cum feminæ vna cum earum descendentibus admisse fuerint ad præsentandum, vt ex præsentatione de anno 1612. facta colligitur, satis dicitur ius patronatus hæreditarium, *Roch. de iure patron. verb. competens alicui, numer. 2. Peregrin. consil. 33. numer. 4. & seqq. libr. primo*, & fuit dictum in Florentina de Ricasulis 10. Martij 1603. & 12. Februarij 1604. coram Illustrissimo Lancellotto.

7 Nec refert, Odoardus de anno 1608. sine hac hereditaria qualitate præsentasse, dicta enim præsentatio, vt firmatum fuit in decisione, tanquam ignorantibus Falconerijs emanata, nullius fuit roboris, & momenti *Calderin. cons. 6. de causa poss. & propriet.* vna cum alijs in decisione allegatis.

8 Accedit, si qualitas istius Patronatus dubia redderetur, tunc illud potius hæreditarium, quam Gentilitium esse præsumendum, *Innocent. in rubr. de iure patr. num. 4. Abb. in c. cum sæculum, num. 5. eodem. tit. Ruin. cons. 108. num. 11. lib. 5. Couar. variarum resolut. lib. 2. cap. 18. nu. 7. Arct. in c. significauit. num. 30. vers. 3. sed posito, de testibus. Dec. consil. 149. num. 1. vers. siue etiam Par s. cons. 48. num. 9. lib. 4. Gabr. cons. 196. num. 5. libr. 2. Peregr. consil. 33. num. 10. lib. 1.*

9 Nec valet dicere, ius patronatus abdicatum non fuisse ab Anuncio donantis Filio, qui non obstante huiusmodi donatione per præsentationem de Anno 1585. suam quasi possessionem conseruauit. Nam cum illa seorsum à Falconerijs, & ipsis ignorantibus præsentauerit, sibi preseruare non potuit quasi possessionem. *Abb. in c. cum Ecclesia Sutrina num. 25. & ibi Ripa num. 64. de caus. possessio. & propriet. Caputaq. dec. 342. p. 2.* Altera eiusdem præsentatio de anno 1608. apparet reiecta, cum ille ius non haberet.

Non obstat, Balthasarem ius suum, non autem filijs, & successoribus competiturum donasse, quia contrarium in donationis instrumento legitur, ibi donauit pro se, &c. quæ clausula pro filijs hæredibus, & successoribus extenditur, *Seraph. dec. 703. num. 2.* Quod iuri pariter congruit, cum donatio ad hæredes donatarijs sit transitoria, *Socin. iun. cons. 79. nu. 4. lib. 2. Rot. dec. 17. de iure patronat. in antiq. nu. 5. & 6.* Ex quibus firmatum fuit, à decisis non esse recedendum.

R. P. D. VEROSPIO.

Romana Dotis, Lunæ 29. Februarij 1616.

ARGVMENTVM.

Dos per patrem filiæ data matrimonio per mortem dissoluto an, & quando reuertatur ad ipsam filiam, & eius hæredes, an vero ad patrem, est magistralis decisio, ad quam semper recurras in occurrenti casu.

SVMMARIVM.

Dos filiæ data mortuo viro reuertitur ad patrem, & non ad filiam, nu. 1.

Contractus interpretatur non secundum literarum scripturam, sed secundum iuris ordinem, numer. 1. in fine, versic. non obstante.

Clausulæ executiuæ præcedentem dispositionem non immutant, nu. 2.

Dos data filiæ in casu mortis viri stipulata ad patris, & filiæ fauorem, cui restituenda sit num. 2. versic. nec valet dicere.

Dos data à patre filiæ stante statuto exclusiuo feminarum propter masculos videtur libera, & in casu mortis viri ad filiam reuerti debet, & ad illius hæredes transmitti Declara, vt num. 3.

Dos quando succedat loco legitimæ, numer. 3. versicul. Quod autem.

Patre viuente legitima filijs non debetur num. 3. versic. Quod autem.

Dos data filiæ mortuo viro superstitibus eiusdem filiæ filijs, vel filiabus, reuertitur ad patrem superuiuentem, secus mortua ipsa filia, nu. 4.

Dos data filiæ mortuo viro numquid patri restituenda vigore statuti Vrbis, nu. 5. & 6.

Dos filiæ promissa, an reuertatur ad filiam, vel ad patrem, quando matrimonium dissoluitur, antequam dies solutionis, veniat, nu. 7.

DECISIO DCCVIII.

1 PEr decisionem coram me, sub die octaua Martij 1613. firmatum fuit, Vincentiam Buriam, pro dotis residuo non habere super bonis Antonij patris hypothecam. Verum hac muliere denuo super

super eisdem audita; Rotæ placuit, vt stricte videretur, An, Viro mortuo, dos illi, vel patri esset restituenda, & proposita per me causa, fuit resolutum, patri faciendam esse restitutionem, cum ipse fuerit stipulatus Vincentiæ, illius hæredibus, ac successoribus quibuscunque, vel cui de iure dotem restitui, in vim autem dictæ clausulæ, & cui de iure, dos reuerti debet ad patrem. *Paulus de Castro consil. 11, sub num. 2. vers. sed dicet aliquis, libro 1, Ruin. consil. 186, numero 6. & 10. incipit. de duobus, lib. 2. Gabriel consilio 58. numero 15. 16. & 48. libro 1, Imol. in l. post dotem, numero 6. ff. solut. matrim. Bart. in l. vxorem. 39. §. testamento, il 2. nu. primo. ff. de leg. 3. Claud. Seisel. in d. l. post dotem, num. 21.* Non obstante, quod in stipulatione fuerit Vincentiæ nomen prius appositum, cum non literæ, sed iuris ordo veniat attendendus, iuxta quem in dicta restitutione pater filiæ præfertur. *Castr. dicto consi. 11. lib. 1. Gabriel consi. 58. num. 16. lib. 1. Barb. in l. Caius 46. num. 26. ff. solu. matrim. Card. Mant. de tacit. lib. 12. tit. 8. num. 25.*

2 Nec obstat pactum de capienda possessione bonorum mariti propria auctoritate ad Vincentiæ solum fauorem emanasse, quasi per hoc dos illi tantum sit restituenda, cum enim huiusmodi pactum in clausulis executiuis appositum reperiatur, præcedentem dispositionem non immutat. *Clemen. 1. de præben.* vbi Scribentes. *Osasch. in decis. 164. num. 2. Dec. consi. 193. num. 3. circa finem. Couar. in rubric. testamen. p. 2. num. 13. Caputaquen. decis. 83. num. 3. p. 1.* Nec valet dicere, saltem hanc stipulationem patri, & filiæ dici communem, quando vterque, vt in casu nostro superuiuit. *Ripa in l. 2. §. quod si in patris. num. 5. circa finem. ff. soluto matrim.* Nam id locum habet ad effectum, vt vxor à marito, vel eius hęredibus possit dotem recuperare, stante patris negligentia, cum alias ipse tantum eam petere, & redimere valeat, vt per eundem *tex. in l. 2. tradit Castr. dicto consil. 11. sub nu. 1. vers. sed extra dictos casus, lib. 1. Imol. in d. l. post dotem. ff. solut. matrim. Gabriel. dicto consi. 58. sub nu. 16.*

3 Non obstat per Vrbis Statutum vti feminarum propter masculos exclusiuum, dotem filiæ datam, videri liberam, & ad illius hæredes transmissibilem, & per consequens ipsi restituendam. *Brun. de stat. stant. masc. art. 10. nu. 91. & art. 11. nu. 49.* Quia Bruni opinio procedit, vbi dos legitimæ loco succedit, secus è contra, vt in casu nostro. *Butrius consi. 9. nu. 2. cum sequentib. Castr. in l. qui superstitis. in fi. ff. de acquirend. hæredit. Decius cons. 106. num. 1. & sequentib. Capicius decis. 176. nu. 11. vers. at pro contraria parte. Cardin. Seraphin. decis. 815. nu. 5.* Quod autem hic non succedat loco legitimæ satis patet, cum restitutionis tempore pater viueret, quo casu filia nullum in legitima ius habuit. *l. 1. §. impuberi.* ibi præmatura est enim, &c. *ff. de collat. bonorum, vbi Bart. nu. 2. Bald. in l. si qua pœna. num. 1. vbi etiam Alberic. num. 3. ff. de iis, qui sunt sui, vel alieni. Idem Bart. in authent. si qua mulier. nu. 22. C. de pactis. Fabian. in authent. nouissima. num. 79. & 261. C. de inofficioso testam. Ruin. consi. 149. nu. 13. lib. 3. Roland. consi. 47. nu. 4. & 5. lib. 2.*

4 Nec releuat, dotem ad patrem non reuerti, quando soluto matrimonio filij ex filia supersunt. *Bald. in l. dos à patre. nu. 1. C. soluto matrimon. Butrig. in tractat. de dote. num. 34.* Dicta enim conclusio locum habet, vbi matrimonium per mortem filiæ dissoluitur, quo casu patri ex consuetudine repetitio non datur, sed ad hęredes filiæ dos transit, vt declarat Bald. vbi supra, & in his terminis loquitur Butrig. Secus autem filia coniugi superuiuente, quia tunc ad patrem dos reuertitur. *Castr. d. cons. 11. lib. 1. Thessaur. decis. 138. num. 2.*

5 Non obstat Vrbis *Statutum in cap. 85. & 133. lib. 1.* in quibus fit mentio de dote vxori restituenda. Nam dictum Statutum non emanauit ad effectum decidendi, cui dos restitui deberet, cum in capite 85. loquatur solum de instrumentorum dotalium executione, in capite vero 133. præfiniat tempus, intra quod sit facienda restitutio, in quo cum interpretationem recipiat à iure communi, debet intelligi dotem patri esse restituendam, ex allег.

6 Nec valet dicere, dotem semel à patre filiæ constitutam illius patrimonium remanere, stante præsertim Statuto feminarum exclusiuo. *Rota decis. 156. num. 2. parte 2. diuers.* Id enim procedit in terminis authent. sed quamuis, *C. de rei vxor. act.* ad effectum videlicet, vt filiæ secundo nubenti eadem dos debeatur, secus autem si non nubat, cum penes patrem, tunc remaneat. *Castr. dicto consi. 11. num. 2. lib. 1. Bald. in l. final. C. com. vtriusque Iud. nu. 1. Card. Seraph. d. decis. 815. num. 5.*

7 Non obstat *l. si socer. §. Lucius. ff. solut. matrimon.* vbi cauetur matrimonio dissoluto, antequam dies solutionis adueniat, actionem pro dote ad mariti hæredes transire, qui eam cedere tenentur vxori, vt illa dotem consequi valeat. Nam illius legis dispositio militat, quando stipulatio fuit solum facta pro filia, & restitutionis tempore pater non superuiuit, secus vero in casu nostro, in quo pater superuixit, & ad illius fauorem fuit concepta stipulatio. Vnde locum non habet dictæ legis dispositio. *Paul. de Castro dicto cons. 11. sub nu. 1. vers. hoc autem quod dos. lib. 1. Gabr. cons. 58. lib. 1. Salicet. in l. vnica. §. videamus. nu. 37. vers. sed ista non attingunt. C. de rei vxor. act. Barbos. in l. 2. §. quod in patris. nu. 8. ff. solut. matrim.*

8 Nec valet obiectum, quod restitutionis tempore Vincentiæ pater vti decoctus pro mortuo haberetur & per consequens respectu restitutionis dotis, ille fuerit habendus naturaliter mortuus, non enim in facto id iustificatur, cum discussionis libellus ad vnius tantum creditoris instantiam emanauerit. Ex quibus Rotę visum fuit aliam decisionem contra Vincentium subsistere.

DECISIO DCCIX.

Romana emphyteusis domorum. Ven. 11. Martij 1616.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 159.

REVERENDISSIMO P. D. COCCINO DECANO.

Asculana Dotis. Lunæ 18. Aprilis 1616.

ARGVMENTVM.

Dos à patre filiæ constituta, vel etiam à fratre ea mortua ad quos spectet.

SVMMARIVM.

Dos data à patre, patre mortuo ad illum reuerti non potest. nu. 1. & 6. Vbi quod isto casu dos conualidatur in muliere, & transit ad eius hæredes, & successores, & relictis filijs dos spectat ad ipsos filios.

Dos data à fratre ex paterna hæreditate efficitur proprium patrimonium mulieres, & de ea ipsa mulier testari poterit. num. 1. in fine.

Maritus in contractu vxoris, quando possit authoritatem præstare ad sui commodum principaliter, vel in consequentiam. num. 2.

Statutum quod mulier non possit testari sine mariti præsentia numquid valeat. num. 2. in fine.

Statutum, quod muliere decedente in matrimonio filijs non extantibus, dotis pars reuertatur ad eum, qui dotem dedit, & stipulatus fuit, vel ad hæredes mulieris, quomodo intelli-

tell'igatur. num.4.

Bannimenta vbi non disponunt, quod dispositum in eis non est, remanet in dispositione iuris communis. num.5.

DECISIO DCCX.

1 SFortia Piccininus nuptui tradidit Alcinam sororem suam Iosepho Santuccio certa constituta dote, quæ quidem Alcina decessit condito testamento, in quo hæredem vniuersalem instituit dictum Sfortiam, medietatem autem dotis quo ad vsumfructum, & proprietatem, & alteram medietatem quo ad vsumfructum tantum legauit Iosepho marito. Vnde contigit dubitari, an dos esset restituenda Sfortiæ fratri, vel potius legatum factum Iosepho marito sustineretur, & Rota censuit dotem non esse restituendam, sed legatum sustineri. Nam si inspiciamus ius commune, cum pater ipse non dotauerit, nec superuixerit, non est agendum, an inter dispositio *leg. dos à patre profecta. C. solut. matrim.* sed cum frater ipse defuncto patre dotauerit ex hereditate paterna, ista dos fuit patrimonium proprium ipsius mulieris. *l. Pomponius Philadelphus. ff. famil. ercisc. l. in eum. ff. de religios. & sumpt. fun. l. 3. §. sed & verum. ff. de minor.* & propterea de ea potuit testari. *leg. 1. C. de sacros. eccles. Ia, cons. 127. num. 5. lib. 1. Socin. iun. cons. 27. num. 5. & 6. lib. 2.*

2 Et prædicta dispositio sustinetur etiam stante statuto Asculano sub rubr. 14. lib. 1. in quo disponitur, quod mulier non possit testari de bonis suis sine requisitione, vel præsentia mariti, vel filiorum, si maritum, vel filios habeat respectiue. Nam testamentum fuit factum cum præsentia mariti, qui licet dicatur non potuisse authorizare in rem propriam per ea, quæ notat *Panzirolus in cons. 187. num. 21. lib. 1.* tamen quicquid dicendum esset, si principalis dispositio esset ad sui fauorem, cum sit ad fauorem Sfortiæ fratris mulieris, & tractetur de commodo Iosephi, in consequentiam cuius sola presentia requirebatur pro validitate testamenti, potuit adhiberi ad proprium commodum. *Socin. sen. in cons. 112. sub numer. 4. vers. sed quando patet. lib. 1. Corneus cons. 242. nu. 2. vol. 4.* maxime cum circumscripta confirmatione Apostolica multi tenent, tale statutum non valere. *Ias. in cons. 127. num. 6. volum. 1.* quare quicquid sit de veritate istius opinionis, circa quam nihil firmarunt Domini, negari tamen non potest quin sit stricte intelligendum. *Iason. dicto loco num. 7.*

3 Neque est verum, quod statutum videatur requirere ad effectum validitatis dispositionis, quod mulieri sit data facultas disponendi in instrumento dotali. Nam fuit responsum, quod dum statutum loquitur de filia in potestate constituta, facit duos casus. Primus est, quod ipsa possit testari de dote sua, ac si esset materfamilias de his inquit statutum, de quibus habet potestatem scilicet excepto lucro dotali, quod debet reseruare viro. Secundus est, quem ponit in versicul. addimus, quod in alijs bonis, scilicet vltra dotem non possit disponere, nisi quatenus sibi esset data facultas in instrumento dotali. Hic autem non agitur de alijs bonis, sed de sola dote, in qua statutum non prohibet testari, sicuti prohibet in alijs bonis, nisi sit data facultas in instrumento dotali, & sensus statuti videtur esse, quod mulieres sint contentæ sua dote, nisi aliter fuerit conuentum. Vnde non obstat, quod Stortia stipulatus fuerit sibi restitui dotem, iuxta formam statuti, quia cum statutum sit intelligendum, nisi mulier aliter disposuerit, promissio de restituendo iuxta formam statutorum non obligat in preiudicium legatorum factorum per mulierem.

4 Et etiam prædictæ dispositioni non resistit aliud statutum de dotibus restituendis, registratum c. 4. libro 1. quo cauetur, puod si mulier decedat in matrimonio non extantibus filijs, qui est casus noster, duæ partes dotis in dantes, vel sibi reddi stipulantes, vel hæredes mulieris, vel cui ius, & casus dederit, reuertantur, & tertia pars marito, vel eius heredibus remaneat. Nam quicquid dicendum esset, si statutum fuisset vsus verbo lucretur, vel simile, per ea, quæ notat *Castren. in l. si cum dotem. in principio. numero 11. & seqq. ff. soluto matrim.* & dixit Rota in causa Esinadotis. 5. Iunij 1595. coram bon. mem. Cardinale Blanchetto, cum statutũ fuerit vsus verbo reuertantur, quod est commune, *Bart. in l. centurio. num. 53. ff. de vulgar.* est intelligendum, quod duæ partes reuertantur ad prædictos, si instituantur, vel ab intestato, vel alias, si de iure daretur necessaria successio, quia mulier de iure non posuisset testari, non autem contra voluntatem mulieris, si fecerit testamentum. *Castren. in dicta l. si cum dotem. num. 11. & cons. 82. in fine. p. 1. Osasch. decis. 20. nu. 3. & seqq. Thes. decis. 34. nu. 2. & 3. Hondedæus latissime in cons. 16. num. 14. vol. 2.* & fuit resolutum in dicta causa Esinadotis, coram bon. mem. Cardiuale Blanchetto, vbi quod istud statutum, etiam quod disponat id, quod ius commune disponit, non est superfluum, cum non sit inconueniens, quod addat saltem nouum vinculum, per doctrinam *Bart. in l. 1. in princip. num. 3. ff. ad leg. Falcid.* quod maxime procedit in casu isto, quia principalis intentio statuti videtur esse, vt disponat de lucro dotis faciendo per maritum, alia vero veniant in consequentiam, & ideo non alterant principalem illius dispositionem, ad *text. in leg. 1. ff. de auct. tut. & in l. in conditionibus. ff. de condit. & demonstrat.* quod comprobatur etiam ex verbis illis positis in statuto, non obstantibus legatis, per eum factis, quæ referuntur ad solum lucrum dotis, quod defertur marito, quod statutum vult esse sine vlla diminutione, siue sit tertia pars in casum mortis, sine liberis, siue medietas in casum mortis cum liberis, quod lucrum non vut posse diminui per legata facta a muliere, & de hoc manifestissime constat ex serie, & contextu verborum ipsius statuti.

5 Et ex prædictis etiam non obstat bannimenta, in quibus habetur, quod maritus lucretur tertiam partem dotis, si saltem per annum sustinuit onera matrimonij, sin minus sextam partem, & subditur, *il resto restituisca alli dotanti, ò heredi loro.* Nam ista dispositio bannimentorum non est directa in dotantes, vel eius hæredes. *Bart. in l. centurio, nu. 45. & supra nu. 2. ff. de vulgar. & pupill. Oddus de compendiosa particula 4. in verb. restituat.* Sest ista dispositio dirigitur in maritum, & determinat solum, quo iure pars dotis remaneat penes ipsum, sed quo iure residuum dotis reuertatur ad dotantes, vel eorum hæredes, non disponunt bannimenta. Ergo remanet in dispositione iuris communis. *l. commodissime. ff. de liber. & posthum. l. si cum dotem. in princ. ff. solut. matrim.* & in puncto dicit *Honded. cons. alleg. 16. nu. 12. in fin. lib. 2.* secundum quod, si pater dotans viuit, & mulier moriatur sine filijs, dos reuertitur ad ipsum, *l. dos à patre profecta. C. solut. matrim.*

6 Nisi tamen dicendum sit obstare primum statutum, quod dat facultatem disponendi etiam viuente patre, si vero pater prædecedat, dos consolidatur in muliere, ita vt transeat ad eius hæredes, & successores. *l. vnica. §. videamus. C. de rei vxoriæ act. Bald. nouell. de dot. p. 6. priuileg. 17. num. 5.* circa medium. vers. sed quando. *Ripa in l. in quartam. nu. 195. ff. ad legem Falcid. Capic. decis. 176. nu. 4. Abb. consi. 81. nu. 1. lib. 1. Hondedæus consi. 32. nu. 25. volum. 1.* vel defuncta muliere relictis filijs viuente patre dos spectat ad filios ex consuetudine Martini. *glos. in dicta l. dos à patre profecta. C. soluto matrim.* & tunc defertur filijs non vti hæredibus matris, sed vt dicunt Doctores auocando ab auo, & in filium transferendo. *Bartol. in l. post dotem. nu. 30. & seqq. ff. soluto matrimonio. Ripa in l. in quartam. nu. 191. ff. ad leg. Falcid. Cephal. consi. 613. nu. 11. Hondedæus post alios dictos consil. 32. nu. 24.*

nu.24.& 27.volum.1.& consi.751.nu.37.lib.2.& dixit Rota in causa Clusina dotis. duodecima Ianuarij 1598. coram bonæ memoriæ Peregrino, & in alia Firmana restitutionis dotis. 21. Maij de anno 1603. coram me. Vel si filia dotetur post obitum patris, vel ipso viuente, si tamen præmoriatur, dos efficitur absolute patrimonium mulieris. *l. Pomponius Philadelphus.ff.famil. ercifcun.* & propterea de ea potest libere testari. *l. 1. C. de sacrosanct.eccles.* dummodo relinquat filijs legitimam, quæ de iure naturæ est debita, vt considerat *Castren.in dicta l.si cum dotem. nu.11. & in dicto consil. 82. num.2.lib.1.* Ex quibus conclusum, legatum sustineri, & dotem non esse restituendam.

REVERENDISSIMO P. DOM. COCCINO DECANO.

Dertusen. Canonicatus. Lunæ 2. Maij 1616.

ARGVMENTVM.

Executiue procedi non potest ad executionem literarum Apostolicarum existente legitimo contradictore, & possessore, & quando ad hunc effectum possessor dicatur legitimus contradictor.

SVMMARIVM.

Executiue procedi non potest alio existente in possessione qui propterea dicitur legitimus contradictor. num. 1.& nu.2. Vbi declaratur hæc conclusio.

Legitimus contradictor dicitur possessor, quando ostendit cõsimilem titulum, alias secus nu. 2. Vbi declaratur, hæc conclusio quomodo procedat.

Gratia in forma dignum non est condittionalis, sed solum suspendit executionem donec constiterit prouisum esse dignum. num 2.

Legitimus contradictor non dicitur quis, nisi ostendat titulum talem, per quem obtinere possit, & immissionem aduersarij impedire. num. 3. Declara conclusionem, vt ibidem dicto. num. 3.

DECISIO DCCXI.

1 AGitur inter duos prouisos Apostolicos. Ioachimus enim habet coadiutoriam in forma digum, & est in possessione, Galindus vero impetrauit per obitum coadiuti, & ideo dictus Ioachimus est legitimus contradictor, vnde procedendum est ordinarie, non executiue, & ille obtinere debet, qui meliora iura habuerit, vel probauerit. *Bart.in l.final.num.21. vers. aut comparet aliquis. C. de edict.Diui Adriani tollen.* & in istis terminis *Put.decisi.131.lib.2.in nou.* & fuit resolutum in causa Celsonen. Canonicatus. 1. Iunij 1607.coram me, & prius in alia Oueten. Canonicatus. 30.Martij eiusdem anni coram Reuerendissimo Lugdunen. & latissime in alia Caputaquen. beneficij. 23. Martij 1609. coram eodem.

2 Neque obstat, quod prædicta procedunt, quando ille qui possidet, ostendit consimilem titulum, vt expresse dicit *Bartol.& Put. vbi supra.quia Bart.consimilem titulum intelligit*, quando ostendit aliud testamentum, hic autem ostendit aliam gratiam Apostolicam, & subdit *Bart. ibidem in vers. si vero allegat alium titulum*, quod si possidens allegat alium titulum, quod summaria cognitio non impediretur, sed super ea de viribus tituli allegati cognosceretur, quare & si dicatur, quod gratia Ioachimi sit in forma dignum, & propterea quod non habet consimilem titulum, nec possit iuuari ex regula, quod præsumitur pro executore, cum executor datus in literis non processerit ad executionem literarum, sed alius datus à Nuncio, coram quo fuerat appellatum ob negligentiam executoris, nam quicquid dicendum esset de prædictis, cum gratia in forma dignum non sit conditionalis, sed suspendat solum executionem, donec constiterit prouisum esse dignum, vt fuit dictum in alia decisione facta. 27. Ianuarij præteriti, sufficit, quod hodie constet Ioachimum esse idoneum. Dato enim fidne veri præiudicio, quod non haberet consimilem titulum propter gratiam in forma dignum, attamen cum possideat, & ostendat se esse idoneum, est procedendum ordinarie, non executiue, vt per *Bart.in dicta l.fin.nu.21.vers.aut comparet aliquis*, dum vult, quod qui possidet, & allegat alium titulum, non impedit immissionem, sed in iudicio immissionis est audiendus super suo titulo ad effectum, quod si ostendat titulum considerabilem, sit procedendum ordinarie, hinc si prouisus ab Ordinario possideat, est legitimus contradictor non ad impediendam immissionem si probabitur reseruatio, vel quod Papa voluerit concurrere, aut præuenire, sed ad effectum, vt suus titulus debeat considerari in iudicio immissionis, qui si erit releuans, erit procedendum ordinarie non executiue, alias secus, *vt in c.si à sede.de præbend.in 6. Put. decis.120.lib.1.in nou.& decis.4. de præben.Sarnen.decis.32. Moderņus Glossator regula 8. §.3.proœmiali. nu.69.& seqq.* & fuit dictum in causa Eluen. beneficij Sancti Saluatoris.16.Decembris 1602. coram bonæ mem. Francisco Penia Rotæ Decano, in qua fuit auditus prouisus ab Ordinario qui possidebat, & fuit discussus suus titulus non tamen fuit denegata immissio prouiso Apostolico, quia constitit, Papam voluisse concurrere cum Ordinario, vt reperi annotatum in meis libris, annotatione 217. *lib.2. quam refert R.P.D. Marchesanus in suo opere. folio 607. p.2.*

3 Neque obstat, quod possessor non est censendus legitimus contradictor, nisi ostendat talem titulum per quem in dicta immissione obtinere possit. *Verall. decis.346. nu.4. lib.2.* Hic autem cum gratia Coaditoriæ Ioachimi non sit iustificata non ostendit titulum prædictum. Nam fuit responsum, quod decisio Veralli procedit, quando titulus de per se non esset aptus ad obtinendam immissionem, vt manifestissime colligitur ex Zuccardo in dicta *l.fin.nu.346.* quem allegat qui loquitur in testamento nuncupatiuo, qui etiam limitat conclusionem pluribus modis, & quando titulus est consimilis etiam quod sit coloratus, quod sufficiat, dicit *Menoch. de adipisc.remed.4.n.683.& seqq.* & in puncto fuit dictum in causa Colonien. Canonicatus. 4. Februarij 1588. & in dicta causa Eluen. beneficij Sancti Saluatoris. 16. Decembris 1602. coram bon.mem.Penia. vbi quod habens titulum coloratum potest appellare. Ex quibus Domini perstiterunt in resolutis die 26. Ianuarij huius anni, &c.

REVERENDISSIMO P. D. COCCINO DECANO.

Astoricen. Residentiæ. Lunæ 6. Iunij 1616.

ARGVMENTVM.

Argumentum sume ex Summario.

SVMMARIVM.

Distributiones possunt augeri, vel creari quando, aut nullæ sunt, aut etiam ita tenues, vt verisimiliter negligentur. nu.1. Declara, vt num.2.

Distributiones non seruientium, & non residentium proportionabiliter applicantur seruientibus, & residentibus. nu.3.

Remissoria non conceditur ad probandum id, quod poterat probari in partibus, in quibus causa fuit diu agitata. nu.5.

DE-

DECISIO DCCXII.

1 ORdinarius decreuit, quod Abbas contribueret Scuta 120. pro distributionibus quotidianis, & cum fuerit exhibita Bulla Clementis VII.ex qua constat fuisse assignatam duplicem portionem ex mensa Capitulari pro distributionibus, petebatur remissoria ad probandam obseruantiam istius Bullæ, quia ea probata corruit dispositio Ordinarij, quia *Concilium Tridentinum sess.21.c.3. de reformat.disponit*, quod tunc demum distributiones possint augeri, vel creari, iuxta formam ibi traditam, quando nullæ sunt, vel ita tenues, quod verisimiliter negligantur. Vnde stante obseruantia Bullę, amplæ sunt distributiones, ita vt non sit locus nouo augmento.

2 Hoc tamen non obstante, Rota censuit denegandum remissoriam ex duplici fundamento. Primo, quia differentia est inter *cap.3.sess.21.de reformat.& c.3. sess.22. de reformat.* quod procedit in casu nostro, quia dictum *c.3. sess.22.* loquitur in dignitatibus, à quibus Ordinarius tertiam partem fructuum in distributiones quotidianas conuertendo separare potest, & dato, quod distributiones quotidianæ non sint tenues, & in odium obtinentium dignitates, & negligentium residere, & quando illa tertia pars ita subtracta per non seruientes ammittitur, locis pijs est applicanda, at vero *c.3.sess.21.* loquitur solum, quando distributiones ita sunt tenues, vt negligantur, & hoc casu tertia fructuum pars ita separata, & in distributiones ab Ordinario conuersa, si per non seruientes amittitur, proportionabiliter seruientibus accrescit, & ita declarauit Congregatio Illustrissimorum Interpretum, quam declarat, & transcribere placuit. Quare cum versemur in terminis *cap.3.sess.22.* quia agitur de dignitate, non est agendum an distributiones sint tenues, vel ne, sed quid potuerit facere Ordinarius vigore Concilij. Vnde cum agatur de dignitate, etiam quod adessent aliæ distributiones cum Ordinarius posset facere prædictam separationem vigore Concilij, resultat irreleuantia probationis, vnde remissoria non est concedenda.

3 Secundo fuit denegata remissoria, quia prima Bulla Clem.VII. fuit reuocata per secundam, cum in illa supprimatur Prioratus vigore primæ Bullæ erectus, & alius ibi erigitur, cum hoc, quod Abbas nuncuparetur cum assignatione omnium fructuum Prioratus suppressi durante vita Ferdinandi, qui tunc illum obtinebat, successoribus vero illius assignatur tantum medietas dictorum fructuum, & vltra illam horti, Camerę regimen, & dominium, & alia ad suppressum Prioratum spectantia cum omnibus illorum fructibus, ex quibus manifestissime constat, quod prior Bulla fuit reuocata, quo ad assignationem duarum porcionum pro distributionibus quotidianis, cum in secunda Bulla varietur, & tollatur status præcedens Prioratus suppressi. *l.Valerianus.ff.de prætor.stipul.l.omnes. ff.de nouat.Baldus in l.fin. nu.1.C.de nouat. Decius in consil. 400.colum.penult. in fine. & consi.464. num.4.*

4 Et quamuis diceretur, quod verba continent aliquam dubietatem, & propterea probatio obseruantię videtur releuans, attamen fuit duplicatum, quod si medietas fructuum, & alia fuerint assignata Abbati repugnat, quod duæ tertiæ partes essent pro distributionibus, prout in prima Bulla, quibus adstipulantur probationes factæ per Abbatem in partibus, iuxta tenorem secundæ Bullæ. Fuit enim articulatum, quod Abbas non habet aliquas distributiones in choro, vt in articulis datis. *num.2. super quibus fuerunt inducti testes hoc probantes, vt in dicto Summario num.3.* Et quamuis pro parte Abbatis diceretur, quod prædicta erant intelligenda, vt non caperet de pertinentibus ad Capitulum, attamen ex alijs articulis datis in responsione constat de contrario, Nam Abbas intendebat probare, quod omnes decimæ in vnum recollectæ inter ipsum, & Capitulum diuidantur, & super illis articulis induxit testes, & licet verum sit, quod articulans non fatetur, attamen hoc solum deducitur ad excludendum intellectum supra datum pro parte Abbatis, scilicet, quod primi articuli, & probationes essent intelligendæ, quod non participabat de distributionibus spectantibus ad Capitulum.

5 Et prædicta eo magis placuerunt Dominis, cum sit inuerisimile, quod non retineretur liber istarum distributionem, vnde materia posset probari per scriptutas, & hoc amplius, cum causa diu fuerit agitata in partibus, & hæc non fuerint deducta, cum de facili ibi possent probari. Vnde marito fuit recessum à decisione facta sub die 23.Martij huius anni, in qua reiectis alijs articulis, ex isto solo hic discusso, fuit decreta remissoria, ita vt visum fuerit, neque etiam ex isto articulo remissoriam posse concedi, &c.

REVERENDISSIMO P. D. COCCINO DECANO.

Romana hæreditatis de Rusticucijs, Veneris 17. Iunij 1616.

ARGVMENTVM.

De reuocatione institutionis hæredis facta ab eo, qui testandi facultatem habebat sola voluntate, & sine solennitatibus numquid censeatur facta per lineam suppositam nomini heredis instituti absque eo quod illud nomen fuerit cassum, additis præsertim verbis, de quibus in hac decisione, quæ singularis est, & notabilis.

SVMMARIVM.

Cancellatio, & reuocatio hæredis censetur facta per subductionem lineæ sub nomine hæredis, etiam quod dicti hæredis nomen non fuerit præcise cassum, & cancellatum, additis præsertim verbis, de quibus.nu.2.& per tot.decis.

Hæredibus pluribus institutis, & eorum vno reuocato, reuocatio censetur facta ad vtilitatem aliorum hæredum.nu.3.

Testamenti verba interpretanda sunt, ne sequatur repugnantia, & contrarietas. Declara, vt nu.3.

Atramenti diuersitas demonstrat scripturam diuerso atramento factam fuisse ex interuallo. num. 3. in fine.

Hæredis institutionis reuocatio an debeat esse expressa, & an indicijs probari possit. num.4.

Testator sicut potuit nuda voluntate, & absque iuris solennitatibus dare hæreditatem, ita etiam poterit hæreditatem adimere. num. 4.

Testamentum quod vigore statuti factum coram duobus testibus valet, ita etiam coram duobus testibus reuocari potest. num.4. in fine.

DECISIO DCCXIII.

1 FElicis recordationis Gregorius XIII. concessit bonæ memoriæ Cardinale Rusticuccio, vt posset testari tam verbo, quam scriptura etiam minus solenni, etiam coram duobus, vel tribus testibus, aut etiam epistola, aut schedula sua manu subscripta, &c. etiam omissis quibuslibet solennitatibus, & formis, Vigore istius facultatis. Idem Cardinalis, 12.Iunij 1598. elegit facultatem testandi per schedulam, cum manu propria scripserit in schedula testamentum, illudque subscripserit, cum quo decessit, & in quo legitur institutio hæredis per hæc verba *[illegible] hæredi vniuersali Rusticuccio, Mattheo, & Iacomo fratelli;* sed nomen Rusticuccio reperitur diuerso atramento

ab eo,

ab eo,cum quo est scripta schedula linea subductum, & ex eodem atramento lineæ post verbum, *fratelli*, reperitur scriptum, *Che à Rusticuccio già s'è prouisto*.

2 Hoc stante dubitaui, an D. Abbas Rusticuccius, cuius nomen est linea subductum,sit hæres bone memoriæ Cardinalis,& Domini negatiuam sunt amplexi, & pro resolutione considerabant, quod illa linea, iunctis alijsque verbis, *che à Rusticuccio già s'è prouisto*, nihil aliud importare possunt, quam cancellationem nominis Rusticuccij, quod colligitur ne dum ex ipsa re, sed ex identitate atramenti, cum quo fuit ducta linea, & scripta dicta verba diuerso ab alio, cum quo fuit scripta schedula, & ex ratione ponderando dictionem,che,quæ Latino sermone denotat,quia,& significat redditionem rationis. *Bart. in l. demonstratio falsa.§.quod autem.num.8. ff. de condit.& demonstrat.* quæ ratio animum testatoris manifeste demonstrat. *Surd. consi.443.nu.33.Mantica de coniectur.vltimar.volunt.lib.6. tit.14.nu.10.* & constat rationem esse verissimam, quia Cardinalis resignauerat Abbatiam ad fauorem Rusticuccij, & quamuis resignatio fuerit facta ante testamentum,attamen Cardinalis quandocunque ante obitum potuit considerare dictam rationem, per ea, quæ notat *Rota in decis.173.n.1.p.1.* Accedat prædictis, quod ex scripturis exhibitis per Dominum Abbatem manu eiusdem Cardinalis conscriptis constat, quod aliquando pro cassatione verborum non solebat scindere lineas,sed eas linea subducere, vt patet in prima scriptura in verbo Soranzi, & in verbo Cardinale, & vt plurimum verba in scripturis, quæ traduntur in mundum, non solent pro cassatione scindi, sed linea subduci, quod præsertim facere solent Secretarij, qualis fuit bon.mem.Cardinalis cum fuerit à secretis Sanctæ mem. Pij V.

3 Ex quibus inferebant Domini, quod cum nomen Rusticuccij esset cassatum, cassationem fuisse factam ad fauorem aliorum cohæredum,ita vt alij duo nempe Matthæus, & Iacobus fuerint hæredes Cardinalis non autem ipse Abbas Rusticuccius. *Mantica de coniectur.vltimar.volunt.lib.12.tit.1.nu.31.in fin.* maxime cum cancellatio habeat certam rationem, ad quam debet restringi, ita vt institutio aliorum remaneat, Surdus consi.16. nu.15. lib.1. quæ ratio videtur denotare, vt stante prouisione Rusticuccij mediante resignatione Abbatiæ nollet illum instituere saltem respectu commodi, vt æqualitas seruaretur inter nepotes,& quamuis subiungeretur,quod si dicta linea denotaret cassationem,induceretur contrarietas contra textum in *l.nam ad ea. ff. de conditio. & demonstrat.* attamen hoc non placuit. Nam omisso, quod ille textus habet plures limitationes, in hoc casu absque dubio non procedit, cum ex diuersitate atramenti constet, lineam fuisse ductam ex interuallo, & sic non intrat dispositio illius *tex.glos.in l.si te solum.in vers.sequentem. ff. de hæred. instit.*

4 Non obstat, quod reuocatio institutionis debet esse expressa. *Mantica de coniect. vltimar. volunt.lib.12.tit. 1.nu.1.* quia & indicijs hoc probari potest. *Mantica vbi supra.nu.23.*& in hoc casu cessat omnis difficultas,nam cum Cardinalis haberet facultatem testandi semel, & pluries, ac toties, & quoties sibi videretur, & similiter haberet facultatem limitandi, commutandi,& in totum reuocandi, cum clausulis amplissimis, &c. & cum hodie stante dicta facultate testandi non dubitetur de potestate, sed de voluntate, sicuti potuit nuda voluntate dare hæreditatem, ita etiam adimere,vt est *tex.in l.in fraudem. §. 1. ff. de testam. militari.& ibi glos.in verb.nuda*, & bene ad propositum *Surdus in decis.129. nu.12.& 13.* Vbi quod si testamentum ex forma statuti potest fieri coram duobus testibus, pari modo coram duobus poterit reuocari,ita in proposito,sicuti Cardinalis poterat testari per schedulam absque testibus, ita potuit per eundem reuocare institutionem Abbatis Rusticuccij. Et ita conclusum Dominum Abbatem Rusticuccium de Rusticuccijs non esse heredem bon.mem. Cardinalis, &c.

R. P. D. PIROVANO.

Romana Fideicommissi de Veccijs. Mercurij 22. Iunij 1616.

ARGVMENTVM.

Instrumentum Notarij quando, & ex quibus præsumatur stipulatum, & perfectum si in eo adsit clausula Actum,&c. est singularis, & magistralis decisio.

SVMMARIVM.

Clausula Actum,&c. manu Notarij in calce instrumenti apposita importat actum perfectum consummatum,& publicatum,concurrente tamen alia coniectura,quando sic Notarius scripturam habuerit pro perfecta,& stipulata,vtputa,quia eam reposuerit inter alias matrices,protocolla,aut filcias instrumentorum. num.1.

Notarij declaratio, quod habuerit scripturam pro perfecta, & stipulata sumitur non solum ex verbis, sed etiam ex facto. num.2.

Verba,tanquam passionum notæ sunt magis apta ad declarandam voluntatem, quam facta. num.2.

Voluntas hominis magis declaratur verbis,quam factis.nu.2.

Dictio prædicta est relatiua,& repetitiua præcedentium.nu.3.

Dictio vt supra est relatiua, & repetitiua præcedentium.n.3.

Testamenti appellatione venit testamentum solemne, non autem testamentum sine solennitate. nu.4. & 5.

Instrumentum repertum inter scripturas authenticas Notarij præsumitur stipulatum, & perfectum. nu.5.

Voluntatis declaratio sumitur etiam ex actu nullo. nu. 6.

DECISIO DCCXIV.

1 Proposui, an esset standum, vel recedendum à decisis sub die 15. Ianuarij 1615. Sed placuit Dominis ad eundem effectum in primis firmare scripturam, de qua agitur, esse stipulatam, reseruando de alijs videre. Dicebatur enim in præterita disputatione, quod & si clausula Actum, manu Notarij in calce scripturæ apposita, importet actum perfectum, consummatum,& publicatum,ex *Bald.in auth.quod sine. C.de testam.& Surd. consi.187. num.4.* & alijs tunc allegatis, nihilominus, quia possibile erat,quod Notarius posuisset diem, & clausulam Actum, & alia necessaria in scriptura,leganda inter partes, & ex aliquo accidenti non perficeretur, sed præparata,& sine effectu remaneret, debent vlterius concurrere signa, & coniecturæ tacitæ declarationis ipsius Notarij, quod eam scripturam habuerit pro publicata, & stipulata, videlicet, quando reposuit inter alias matrices, aut protocolla, vel filcias aliarum scripturarum, de quarum publicatione, aut stipulatione non dubitetur, cum eo casu iuuetur ex qualitate aliarum scripturarum ad arguendam voluntatem Notarij, quod habuerit scripturam illam pro stipulata, quod cum plene tunc,& concludenter non probaretur,videbatur remanere in Statu simplicis præparationis ad futuram stipulationem.

2 Hodie ex nouiter deductis, & ponderatis, visum est scripturam fuisse stipulatam. Est enim certum, quod signa,& coniecturæ,ex facto ipsius Notarij desumptæ sufficiunt ad arguendam eiusdem Notarij tacitam declarationem, quod habuerit scripturam pro stipulata. *Alex. consil.14. nu.19. lib.6. Castr. consi.307. nu. 2.p.1. Bero.consi.1.nu.1. volum.2.* & fuit in alia decisione firmatum, ideo multo concludentius declaratio iustificata remanebit, si huiusmodi voluntas ex verbis eiusdem

eiusdem Notarij habeatur, cum verba tanquam passionum notæ sint magis apta ad declarandam voluntatem, quam facta, *l. Paulus. ff. rem rat. haberi. Bald. in l. ad recognoscendas. C. de ingen. manumiss.* & in terminis, quod stetur declarationi Notarij, quod scriptura fuerit stipulata tradit *Specul. de instrum. fid. & caut. nu. 13. per tex. in auth. de Tabell. in princip. & in §. si vero neque. auth. de instr. fid. & sequitur Ang. consi. 221. in princ.*

3 In præsenti autem datur Codicillus manu eiusdem Petri Pauli Amodæi Notarij, & continuatione ad scripturam testamenti in eodem folio conscriptus cum clausula Actum, & testibus sub die 1. Octobris 1528. in cuius initio formalia verba leguntur, Constitutus idem D. Petrus Paulus sanus mente, vt supra, nō animo recedendi à testamento prædicto, addendo, & declarando codicillauit in hunc, qui sequitur, modum, &c. ex quibus duo inferuntur, identitas scripturæ, de qua agitur, propter relationem immediatam nominis Petri Pauli absque cognomine, vt supra, & verborum testamenti prædicti, quæ sunt relatiua, & repetitiua precedentium, que alias non possent referre, & repetere cognomina, & alias qualitates, nisi scriptura esset certa, vt de dictione, vt supra, scribunt *Bart. in l. 1. §. hoc edicto. in fin. ff. de postulat. Ossasch. decis. Pedem. 164. nu. 13. Menoc. cons. 73. nu. 24. Surd. decis. 291. n. 13. & de dictione prædictum, Bar. in l. quæ liberis. §. hæc verba. in fin. ff. de vulg. Surd. post alios cons. 123. num. 113. & decis. 210. num. 17.*

4 Secundum vero est ipsa nominatio testamenti, ibi, non animo recedendi à testamento prædicto, & infra, ibi, vt in testamento, quæ vti a Notario prolata, non potest intelligi de testamento ex nuda voluntate perfecto, sed de testamento solennitate iuris valido. Bart. qui hoc ipsum dicit in *l. 1. nu. 13. ff. de edeb.* si quis petat centum, quæ sibi relicta sunt in testamento, non habet dicere, testibus subsignato, rogato, &c. subdens rationem, quia cum dicitur testamentum, intelligitur rite factum, id est solenniter, *l. non putauit. §. non quæuis. vbi glos. in verb. rite. ff. de bon. possess. contra tab. & Bar. referunt, & sequuntur Cephal. consi. 370. num. 51. vol. 3. & Surd. cons. 3. nu. 17. lib. 1.* quæ maxime videntur comprobari ex protestatione conseruandi testamentum, ibi non animo recedendi à testamento predicto, & paulo infra, ex declaratione, quod fructus diuidi possent, ibi voluit, & mandauit, quod in euentum diuisionis, vt in testamento, videlicet per 20. annos post mortem testatoris, eo casu non possint diuidere nisi fructus, ac demum ex ipso actu codicillandi, siue preparato, siue solenni, que omnia præsupponunt testamentum stipulatum, & perfectum in mente ipsius Notarij, alias quod imperfectum erat, neque præseruari, neque declarari, aut corrigi, aut præparari poterat per codicillos, sed ex integro omnia in eadem dispositione claudi, & perfici poterant.

5 Concurrebat præterea alia non leuis coniectura declarationis eiusdem Notarij dum in scriptura, de qua agitur, in facie vnius partis complicatæ, legitur manu eiusdem Notarij inscriptio substantie eiusdem scripturæ, nempe, testamentum D. Petri Pauli Veccie 1528. quem titulum multum ponderauit Rota in nostris terminis apud Cardinalem *Seraphinum decis. 909. num. 6. vers. nam in altero.*

6 Demum videbatur etiam, quamuis non concludēter probata, non tamen exclusa coniectura repositionis huius scripturæ inter alias authenticas, & quod inter eas reperta fuerit, dum apparet, quod hæc scriptura transiuit ad successores Notarij rogati, penes quos & aliæ permultæ fuerunt conseruate, ideo & possibile, & verisimile videtur hanc scripturam inter alias authenticas fuisse repertam, & conseruatam, quę concludenter non probatur extra filcias, vel per alienam manum ambulasse, sed potius arguitur inter easdem retenta dum Correctores in transumptatione anni 1541. enunciant, eam inter scripturas authenticas Petri Pauli Amodæi fuisse repertam, & cum fuerit descripta cum apostillis scriptis manu Notarij, legatis, annotatione, testium, notula testamenti, & codicillis, quæ omnia concurrunt in præsenti scriptura, illius identitatem præse ferre videntur, ex quibus omnibus valde confirmatur declaratio Notarij in scriptura codicillorum emanata, vt senserit de testamento stipulato, non autem nuda voluntate testatoris perfecto.

6 Non obstat, quod codicilli ex quibus deducitur ius huius declarationis non probentur authentici, neque reperiantur inter protocolla, aut filcias eiusdem Notarij. Quia argumentum non desumitur ex forma probanti codicillorum, sed ex veritate scripturæ, in qua declaratio Notarij ponderatur, nempe, quod sit manu Notarij conscripta, prout hodie non dubitatur, attenta noua recognitione formiter facta, & eo casu sufficit pro iustificatione, quod ex ore Notarij prodierit talis declaratio, quę nihilominus etiam sustineretur, si attenderetur tanquam emanata in actu nullo, vel informi. *Bart. in l. 1. §. si quis ita. in fin. ff. de verb. obligat. & in l. si ita stipulatus. §. Chrysogonus. num. 3. eodem tit. Surd. plura exempla cumulans cons. 28. num. 50. vol. 1.*

7 Neque stipulationi prædictæ videtur repugnare statutum antiquum 291. lib. 3. in quo cauetur, quod Notarij rogati de aliquo testamento, vel contractu, antequam recedant à loco, teneantur notare in suis quaternarijs substantiam actus, de quo rogabantur, de qua nota cum non doceatur, inde vrgens suspicio resultare dicebatur, quod scriptura non fuerit stipulata. Quia omissio prædicta arguit quidem negligentiam, & incursum pœnarum quatenus à statuto imponatur, sed non tollit stipulationem, quatenus aliunde de ea doceatur, prout supra fuit ostensum ex declaratione Notarij apparere. Nec etiam obstant alij defectus oppositi, quia non percutiunt punctum stipulationis, sed alia per Dominos reseruata, & in particulari disputatione discutienda. Et ita, &c.

REVERENDISSIMO P. DOM. COCCINO DECANO.

Aclen. Canonicatus, & Præbendæ. Lunæ 27. Iunij 1616.

ARGVMENTVM.

Beneficia per mortem subcollectoris vacantia an, & quando dicantur reseruata.

SVMMARIVM.

Possessio capta per inhibitionem Rotalem dicitur attentata. num. 1.

Attentatorum purgatio inducitur per eum, qui possessioni captæ denunciat, promittendo aduersarium ex ea fructus colligere. nu. 1. in fine.

Attentata non dicuntur purgata, nisi etiam reficiantur damna, & interesse. Declara, vt num. 2.

Immissio vigore gratiosæ subrogationis datur docto de reseruatione, Clericatu, & obitu in possessione. nu. 3.

Clericatus probatur ex literis patentibus. num. 3.

Beneficia vacantia per mortem subcollectoris dicuntur reseruata. Quod quando verum sit. nu. 4. & seqq. traditur.

Subcollectoris reuocatio censetur facta per deputationem alterius subcollectoris. num. 6.

Subcollector exigens nomine Cleri, qui composuit cum Camera adhuc dicitur subcollector. num. 7.

Subcollector potest spoliare illos, qui nolunt stare concordiæ, & transactioni factæ cum Camera. num. 7.

Subcol-

Subcollectorem facit iurisdictio, non autem latitudo iurisdictionis. num. 7.

DECISIO DCCXV.

1 DVbitaui, an Alexandro Muratori obstent attentata, vel potius ei esset danda immissio, & Domini ad primam partem dubij negatiue responderunt, affirmatiue vero ad secundam. Et quantum attinet ad primam licet attentata non possint euitari, cum ipse cœperit possessionem post inhibitionem Rotalem. *Rota decis. 26. de appell. in antiq. Achil. decis. 29. eod. tit.* attamen cum ipsa possessio fuerit mere instrumentalis, nec constet de perceptione fructuum, immo potius apparet de contrario, cum ad instantiam Io. Mariæ fuerint incisa ligna, & cultæ vites, & ipse Alexander cesserit huic possessioni, ista cessio satis inducit purgationem attentatorum. *Put. decis. 244. lib. 1. in nou. Mohed. decis. 9. de sent. & re iudic.* & fuit resolutum in causa Burgen, Iurisdictionis de Birbiesca. 10. Decembris 1597. coram bon. mem. Peregrino.

2 Et quamuis subiungeretur, quod essent pro purgatione attentatorum reficienda damna, & interesse, tamen fuit dictum, quicquid sit de hac opinione de qua *Lancel. de attent. c. 31. num. 174. cum pluribus seqq.* quatenus affirmatiua esset verior, procedit quando danna, & interesse sunt liquida. *Lancel. dicto loco n. 182. & 194.* hic autem neque damna, & interesse sunt probata in genere, neque adest aliqua liquidatio. Vnde ex isto capite non potest retardari processus causæ.

3 Quantum attinet ad secundam partem dubij, an sit danda immissio. Ratio quare affirmatiue fuit resolutum consistit in eo, quia cum agatur de subrogatione gratiosa sufficit docto de reseruatione probare clericatum, & obitum in possessione, vt fuit resolutum in causa *Burgen.* de Pancoruo, 28. Nouembris 1588. coram bon. mem. Gipsio, & in alia Miranden. Parochialis. 17. Maij 1600. coram bon. mem. Penia, de quo clericatu docetur ex literis patentibus. *Gram. decis. 81.* & etiam de obitu in possessione cum vterque veniat ex eadem vacatione.

4 Difficultas igitur consistit in probanda reseruatione, quæ satis probatur ex eo, quod Bernardinus Balagnus fuerit subcollector, prout expresse constat ex literis deputationis, iuxta tenorem quarum dedit cautionem de fideliter exercendo, & etiam exercuit, cum sufficeret, quod fuisset paratus exercere. *Modernus Glossator regula 8. glos. 51. num. 71. & seqq.* & ideo cum obtineret canonicatum de tempore dicti officij intrat reseruatio, iuxta regulam 4. Cancellariæ.

5 Et licet contra dictam reseruationem plura opponerentur, tamen visum fuit Dominis in illa non obstare. Nam primum, quod dicebatur Alexandrum teneri probare, quod Bernardinus esset vnicus subcollector ex deductis in causa Licien. Beneficiorum. 4. Febr. 1608. coram R. P. D. meo Caualerio, non officiebat, quia licet ad hunc effectum subcollector debeant esse vnicus, vt sunt verba regulæ, tamen vnicitas præsumitur. *Mandos. ad reg. 4. q. 1. num. 3. & 4.* vbi dixit, hanc opinionem tenuisse Rotam in causa Calaguritana. Scholasteriæ de Logrono. vltima Maij 1546. coram Antonio Augustino, Garzias. de benef. *p. 5. c. 1. nu. 356.* & ita fuit resolutum, 27. Nouemb. 1591. coram bon. me. Gipsio in causa Foroliuien. S. Lazari, vbi mouetur ea ratione, quia pluritas nō presumitur, & quia pro deputatione secundi censetur reuocatus primus.

6 Et cessat omnis difficultas in casu isto, quia in deputatione Balagni expresse dicitur, & cum reuocatione omnium aliorum commissariorum, vnde parum refert, si esset verum, quod per antea in hac diœcesi alij essent deputati subcollectores, quia per constitutionem Balagni censentur reuocati, etiam quod Thesaurarius non fuisset vsus verbis illis, & cum reuocatione, &c. vt in puncto dicitur in allegata causa Foroliuien. coram Gipsio in vers. nec ad rem pertinet. Nec debuit allegari ad probandam pluralitatem, quod Balagnus vna cum Capitulo poterat fungi officio subcollectoris, cum non sit verum. Datur enim solum facultas clero, & Balagno imponendi collectam pro soluendis Scutis 100. Cameræ, exactio enim relinquitur soli Balagno.

7 Nec etiam secundum, quod opponebatur, obstabat nam & si Balagnus exigeret nomine cleri, non propterea desinebat esse subcollector, cum clerus esset subrogatus in locum Cameræ, eoque magis cum Balagnus posset, licet ad commodum cleri, spoliare illos qui noluissent stare concordiæ, vt in terminis dicit *Mandos. super reg. 4. q. 6. nu. 7.* nec ex eo, quod in concordia inita cum Camera sint exceptuata spolia Episcoporum, & illorum qui exercuerint illicitam negotiationem, nec non & illorum, qui obierint extra residentiam, potest inferri, quod iste Balagnus non esset verus subcollector, quia iurisdictio, non autem latitudo ipsius iurisdictionis facit quem subcollectorem, vt in terminis dicit *Lapus cons. fin. inter consilia Oldradi, num. 2. in fine.* Et ita conclusum pro immissione.

HOSANNA DEO IN ALTISSIMIS.

FINIS TOMI SECVNDI PARTIS PRIMÆ.

INDEX

INDEX LOCVPLETISSIMVS RERVM, VERBORVM, AC SENTENTIARVM, QVAE IN HAC PRIMA PARTE DECISIONVM SACRÆ ROMANÆ ROTÆ, A PROSPERO FARINACIO I.C. Romano collectarum, continetur,

ALPHABETICO ORDINE DISPOSITVS.

Apo-

Benefi-

Bona

Ca-

Clau-

coa-

Con-

Credi-

D

E

centum

Em-

Enun-

Exce-

Fidei-

Funeralis

Gratia

H

sen-

Lau-

Legi.

Literæ

M

Index Summariorum.

Nullum

O

Obser-

P

Possessio

Præ-

Pri-

Index Summariorum.

Substi-

Super.

Ven-

F I N I S.

Decis.
Recen.
Pars. I.

